Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
27 M
11
M
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8.27.M.11

Ex libris [illegible]

R. P. FRANCISCI BARDI SELECTA MORALIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

SELECTAE QVAESTIONES EX VNIVERSA MORALI THEOLOGIA,

QVIBVS PLVRA PRO VTROQVE FORO EXACTE PERPENDVNTVR,

VNDECIM LIBRIS COMPREHENSÆ

AVCTORE

R. P. FRANCISCO


BARDI

SOCIETATIS IESV

PANORMITANO

SCHOLASTICAE, ET MORALIS THEOLOGIAE PROFESSORE
in Collegio Panormitano Studiorum Præfecto, & apud Fidei Quæſitores
Qualificatore, & Conſultore.

ADDITIS INDICIBVS DVOBVS LOCVPLETISSIMIS
Librorum, Capitum, & Rerum Notabilium.



PANORMI, Ex Typographia Ioſephi Biſagni M. DC. LIII.

Imprimatur Salerno Vic. Gen. *Imprimatur R. D. Petrus de Gregor. P.*

AERE IMPRESSORIS PROPRIO.

CVM PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTR. DOMINO

D. IVLIO PIGNATELLO

MARCHIONI SAMBVCAE

BARONI CALCVSAE, ET FONTANAE MVRATAE.

FRANCISCVS BARDI SOC. IESV F.

QVOD pleriſque ſcriptoribus, poſtquam monumenta earum, quas profeſſi ſunt, doctrinarum in publicũ proferre decreuerint, poſt multam, ac diuturnã mẽtis perueſtigationem tãquam theſaurus occurrit amicus fidus, idemque genere, & dignitate ſummus, cuius patrocinio illa committant, quęque partus ingenij ſui alterum veluti patrẽ adoptent, hic mihi nulla indagatione cũctanti, & euaganti velut in ſolum meũ venit, & domi repertus eſt meæ. Ecquis eſt enim inter Proceres, & optimates, quos animi conſpectu obtueri, & vel oculis ipſis ſignare inſigniores poſſim, in quo omnia ſuſpiciam, vel fortunæ, naturæq; dona, vel generis decora, vel animi ornamenta, quam in te Marchio Illuſtr. qui tantum & per te ipſum acquiſitum, & à tuis traductum cum ſanguine ſplendoris obtines, vt omni iure, ac nomine poſſim, ac debeam hæc mea cõmẽdare, & tuto deponere pignora litterarum. Etenim ceteris titulis tuis accedit etiam commune, idq; ſãctiſſimum ſimul, & iucundiſſimũ affinitatis vinculũ, quo per fratris mei filiam tibi matrimonio coniunctam, & ego, & tota domus noſtra deuincti ſumus. ita duæ præclariſſimæ familiæ, quarum altera in Neapolitano Regno orta, & præſtantiſſimorum ex ea virorũ inclytis belli, domiq; facinoribus educta, & ad apicẽ gloriæ euecta eſt; altera ex Hetruria oriũda, in Siciliæ vero Regno, ac præſertim Panormi in Principe Vrbe aucta, & fœcunda ſobole propagata, & ſuis etiã inſignibus, vel naturæ, vel animi, & ingenij ornamentis nomen ſibi clariſſimũ fecit. hæ, inquã, duæ familiæ ita ſunt inter ſe colligatæ, vt ſi generoſiſſimo ſtipiti germen nobiliſſimũ inſitũ coaleſcat, vel tanquam vlmo nobili generoſa vitis adiugata ſuccreſcat; itaque me quoque tibi adhærentem trahũt, vt nõ poſſim nõ eſſe eodem amore propinquitatis, & religioſa etiam charitate, qua meis, eſſe coniunctiſſimus tibi. Cui igitur meliori, quam amplitudini tuæ donarem hoc opus, quod multis iã laboribus diurna, & nocturna manu elucubratum in lucem, atque conſpectum hominum litteratorum dare ſe audet. quod ſi illuſtre videri geſtit, vt poſſit inter alia magnorum ſcriptorum opera conſpicuũ tollere verticẽ, hanc eminentiam, & claritatem non tam ab ingenij mei, quantulũcumq; eſt in me, luce, ſed à ſplẽdore etiam tuo lucrabitur. illum dico ſplendorem, quẽ etiam ollulæ illæ gẽtilitiæ emittebant, quæ euomentes ex ſeſe flammas in pictura ſtemmatis Pignatelli conſpectæ ſunt, vt ſignificarent inſignẽ illam victoriam, quam in pugna nauali ataui tui inflammatis bellico ſtratagẽmate huiuſmodi ollis, & in hoſtiles naues eiaculatis reportauerũt: aureus autem ille cãpus, in quo illæ ſplẽdeſcũt, aureos mores, ac pænè aurei ſæculi virtutes heroicas poſteris præmonſtrant, quibus illi vel ab anno cẽteſimo ſecundo ſupra milleſimũ, quo primum Pignatelli nomen hiſtoriarũ monumentis conſignatũ eſt, enituerunt. Etenim qua tẽpeſtate Neapolitana Ciuitas democratico iure regebatur, Lucius Pignatellus Comitis ſtabuli nomine, & dignitate, quæ antiquitus etiã Palatina, nimirũ in Romanorum, & Græcorum Imperatorum aula fuerunt ampliſſima, iiſq; ornatus Valens Imperatoris Valẽtini frater, qui poſtea illi in Imperio ſucceſſit, hac, inquam, inſignitus ille, quẽ dixi, Lucius Neapolitanam rem gubernauit. quod etiam regimen multis poſt annis geſſit Ioannes Pignatellus eodẽ Comitis ſtabuli titulo, & Cõſulis etiam auctus auctoritate. Nec gubernatione modò floruerũt in Neapolitano Regno, ſed etiã Comitis Caſertæ, cui primariæ, & capiti multæ aliæ ſubdebãtur Ciuitates, primus Iacobus, mox ſuccedẽs Ioannes, & poſt anno MCCLXXXIII. addito etiam Madalonio Piſanus Pignatellus obtinuere titulum, & dominium exercuere. Neque vero in vno illo Regno, nec in paucis eius oppidis hæc gubernandi prudẽtia contenta eſt, in Gallia eluxit, qua tẽpeſtate Cæſareum Pignatellum cum Legati auctoritate miſit Neapolitana Ciuitas ad ſũma Regni negotia procuranda; cum qua eadem Legatione Bartholomæus Conſentię primum, deinde Meſſanę in Sicilia Archiepiſcopus à Summis Pontificibus ad Henricum Anglię Regem, deinde ad S. Ludouicũ Gallię ad diſcordias cõponẽdas, aliaſq; grauiſſimas cauſſas eſt miſſus. Romæ enituit cum Pãdolphus Pignatellus primũ à Regina Maria vxore Caroli Secũdi, deinde à Roberto Rege ann. MCCCXXIV. ad Romanum Pontificem legatus eſt miſſus. quibus in legationibus ſimul & Conſiliarij, & Cubicularij munere, quorum altero apud Carolum V. Annibal Pignatellus, altero Henrico apud Carolũ tertium, & Iacobus apud Ladiſlaum perfuncti ſunt, quanto apud ipſos Reges in amore, quanta in admiratione prudentiæ, conſilij, fidei, conſtantiæ fuerint quis non animo comprehendit, ac ratione dimetitur? Quid? in pace ne ſolum, ac non etiam in bello ſpectata maiorum tuorũ eſt fortitudo, animique præſtantia? in quo genere memorabile illius facinus fuit, qui mille, & quingẽtorum pe-

ditum

Digitized by Google

ditũ exercitum ſuis fructibus alens, & ſua ductans auctoritate ad expeditionẽ Hieroſolymæ profectus eſt. quam liberalitatem tanta cum pietate coniunctam vſque adeo ſuſpexit, & acceptam habuit Sũmus Pontifex, vt diplomate ſuo honorificentiſſimo teſtatam eſſe voluerit poſteris, quo cæleſti mille benedictionum gaza remuneratus eſt pietatem, & liberalitatẽ rependit iubens, vt in vniuerſa Eccleſiæ ditione sũptu Eccleſiaſtici patrimonij reciperetur hoſpitio. Quid de Fabritio dicã? qui bello Gallico martialis animi, virtutiſque militaris egregium experimentum, ac ſpecimen præbuit? cum hoſtilis exercitus Ducem ſingulari certamine aggreſſus ex equo deiectum, victũ, ac triũphatum egit: vnde inſigne victoriæ reportauit gladio illo donatus, qui antiquæ gloriæ ſempiternũ in domo Pignatellorum monumẽtũ coruſcat. Nec ſolum in vero, & cruento, ſed etiam in ludicro, innoxioq; equeſtri agone virtus eius ſpectaculo, & ſtupori fuit in celebri illo hippodromo, in quo quatuor ſæpè intentis haſtis cum equite vno aduerſario cucurrit; quẽ etiam nobilitas antagoniſtæ D. Ioannis Auſtriaci maximè nobilitauit; qui ſub oram galeæ ab ipſo ictus præclarum eius ſolertiæ in illa monomachia teſtimonium dedit. Longius ſanè facerem, & epiſtolæ nuncupatoriæ, quin etiã iuſtæ orationis fines egrederer, ſi quot inſignes viros ſingulæ pænè ætates, & ſæcula in domo veſtra extulerint, commemorare velim. & illa quidem ſuperiora hactenus attigiſſe ſit ſatis. at quod proximo ſæculo patres propemodum noſtri in Sicilia, ac Panormi viderunt, quo pacto prætercam? ad quam turbulentiſſimis temporibus ciuicis diſſidijs flagrantibus ad ea componenda cũ auctoritate Proregis miſſus eſt à Carolo V. iuſtiſſimo fortium, ac prudentium virorũ æſtimatore Hector Pignatellus, qui multũ domus veſtræ ſplendorẽ, & gloriã amplificauit addito ad priſtina decora Borelli, & Montisleonis Ducatu, quos titulos, & dignitates Hector primus in eam induxit. hic igitur miſſus à Carolo V. qui illum pro ſumma eius, & ſingulari virtute maximo in pretio, & honore habuit, Panormum magno cum bonorum gratulatione, & celebri magnificaque pompa receptus non ſolum motus illos plebis, procerumque compeſcuit capitibus factionis ſupplicio affectis, ſed exortas etiam ſubinde multo grauiores alias Ioannis Squarcialupi graſſantem per multum temporis ſeditionem, & fratrũ Imperatoriorum coniurationem ita compreſſit, vt comprehenſos ſagaci conſilio coniurationis auctores æquatis ſolo eorum domibus, alios infelici ligno ſuſpenderit, alios obtruncarit, omnes omnino deleuerit, & Regnum Siciliẹ, quod annos decem, & octo prorogata etiam in filio gubernatione adminiſtrauit, pacatum, ſaluumque Carolo beneficium Hectoris agnoſcenti, & confitenti reſtituerit. per quod tempus non ſolum improbitatem ſuſtulit malorum, ſed etiam pietatem bonorũ auxit. Nec ſolũ ſtrenuus, & fidelis in Reges, ſed etiã religioſus in Diuos S. Franciſcũ à Paula Conditorẽ ordinis Minimorũ, & S. Ignatiũ Loyola Soc. noſtræ parẽtem eſt viſus, quibuſcũ degẽtibus adhuc inter mortales, nec dũ in cœlũ in ſãctorũ cœtũ receptos prope familiarẽ exercuit amicitiã. nã à primo cũ in Gallia Dux ex accepta belli clade detineretur in vinculis à S. Franciſco multũ animi & in re afflicta cõſolationis, & futurorũ euẽtuũ oracula; quin etiam & promiſſo accepit totius Pignatellorũ domus ſe fore patronũ; quã gratiã vt repẽderet Dux pijſſimus æquè, ac munificẽtiſſimus religioſã à S. Franciſco familiã in Italia inſtitutã traduxit opera ſua in Siciliã, & sũptu cœnobia multa viris, Virginibuſq; eidẽ inſtituto cõſecratis Parthenones extruxit, ex quibus ille Panormi viſitur, qui adiũctũ habet tẽplũ ſeptẽ Principibus Angelis dedicatũ; quod ab Hectore Prorege à fundamentis excitatũ fuerat, & vſq; ad noſtrã memoriã ollulas in templo affabrè facto exſculptas, & cognomen Pignatelli retinuit, donec laxatis ſpatijs nouũ tẽplũ ad veteris latus exædificatũ eſt. Cũ S. vero Ignatio non ſanctè minus, & arctè amicitiã coluit, quem in excitandis in Neapolitano Regno Collegijs ſtudio, & opera adiuuit ſua, & multas accepit familiaritatis indices epiſtolas, quas vt cariſſima amicitiẹ pignora, & lipſana ſanctitatis domus veſtra ſeruat, & veneratur. Nec minori apud Philippũ II. exiſtimationi fuit Marius, à quo Magiſter militiæ in cãpo, & militũ Dux in multis grauiſſimis bellis electus: nec degener ab Hectore priore alter Hector eſt viſus Mõtis Leonis Dux IV, qui magna virtutum fama acclamatus, & celebratus in aula Philippi III. primum Barcinonem Prorex eſt miſſus, quo in regimine cum magnã virtutis admirationẽ ſuæ cõcitaſſet inter magnates Hiſpaniæ allectus à Rege, & filiæ ſuæ Reginæ Galliæ Inſtitutor, & Oeconomus datus eſt. Hæc maiorũ, auorũq; tuorũ decora ideo à me delibata ſunt, vt omnes intelligant quãtus ſit ſplendor à maioribus transfuſus in familiã tuã: & quãtus in te à tuis non degenerante ſplẽdeſcat; ita vt dotalis ex noſtra domo Marchionis Sãbucæ titulus antiquitate, & nobilitate ſemper illuſtris, & cũ primis in tota Sicilia celebris additus, & ſingulari Hieroſolymitanæ Crucis prærogatiua cõſpicuus, quã hæreditariã etiã in ſtipite muliebri eadẽ obtinet domus, quaq; hodie mea ex fratre neptis tua coniux conſpicienda prodit in publicũ; hic inquã titulus; hic tantus ſplẽdor haud ſcio, an aliquid plus claritatis arroget veſtro: Itaque me optimo conſilio vſum exiſtimabunt quotquot hanc primam quaſi ædificij faciem, & veſtibulum libri huius inſpexerint, quod nomen illi præſcripſerim tuum, teque inter cæteros potiſſimum elegerim, cui illum donarem, nuncuparem. nec vero vereor, ne propinquos omnes, & noſtri ſtudioſos ſua ſpes, & mea me fallat expectatio, quod his meis elucubrationibus claritas ex tuo ſplendore, & ex auctoritate patrocinium, & ex potentia munimentum, & ex affinitate ornamentum ſit acceſſurum. Vale.

Digitized by Google

IN SELECTAS QVAESTIONES EX VNIVERSA MORALI THEOLOGIA,

QVAS R. P. FRANCISCVS BARDI RECENTIORIBVS HISPANIAE SCRIPTORIBVS ADDIDIT

LVSVS EXTEMPORALIS

R. P. LAVRENTII FINICHIARO SOC. IESV
In Collegij Panormitani Academia Humaniorum, & Græcarum litterarum Profeſſoris.

QVò te Relligio, & Pietas trahit, inclyte? quò te
Nobile ſublimem prouehit ingenium?
Das ſuperis cultum, Patriæ decus, æthera penna
Ipſe ſubis, lectas dum meditaris opes.
Vna tibi hæc, Doctor, prodit miracula penna,
Extremæ Heſperiæ, quæ bene legit opes:
Legit opes, hùc arte ferat, quas illa magiſtra,
Innumeris auctas non niſi diuitijs.
Doctius Heſperij hìc ſiculo ſimul ore loquuntur,
An ſolus Siculus doctius heſperio?

EPISTOLA

DOCTORIS D. BERNARDI COLLE, ET CAMPO
Abbatis S. Crucis Peruſiæ, & Conſultoris Tribunalis Sanctiſſimæ Inquiſitionis in Sicilia.

AD ILL. D. MARCHIONEM SAMBVCAE.

OBſequentiſſimi animi, ac famulatus mei ratio iure optimo poſtulat, ne ingrato ſilentio prætercam, quæ elapſis hiſce diebus, cum P. Franciſco Bardi colloquuti ſumus; nam dum ille pro ſua non vulgari humanitate, me, quem in rebus philoſophicis diſcipulum habuit, in edendo opere conſiliarium adhibuit, ſuſpexi, ſicuti ſemper ſolebam, acumen ingenij, doctrinæ ſoliditatem, & ſingularem in exponendis tantis rebus facilitatem; ideoque ne in longum protraheret editionem, quaſi ſpeciem piaculi, religioſus pro bono ſapientum adhibui; quæ omnia peculiare gratulationis munus à me erga te exigebant, non ſolum quia tuo patrocinio dicatum procedit opus; verum etiam quia in Scriptoris laude magna pars tibi contingat neceſſe eſt, dum illius ex fratre filiam in vxorem duxiſti, nimirum ſapientiæ magnitudo cum generis claritate, parem in iſto Scriptore locum obtinent, & licet ille pro ſua animi demiſſione primam aſſequutus, ſecundam negligat, non tamen negligenda, vel omnino à me prætereunda iſta eſt: nã de Bardorum familia quis neſciat, iuxta grauiſſimorum hiſtoricorum fidem, quaſi ex equo Troiano, tot præſtantiſſimos Proceres proceſſiſſe, qui Angliam, Galliam, & præcipuas Italiæ, ac Siciliæ Vrbes colluſtrauerint, & licet ego breuiſſimæ præſentis epiſtolæ inſtitutum tranſilire nequeam, illud innuam quod eruditi ſciunt, ex hac nimirum familia ſummos in Eccleſia Dei Pontifices, Purpuratos Patres, inſignes Præſules, ſtrenuiſſimos duces, varijs dignitatum honorumque titulis inſignitos extitiſſe, & à Regibus, vtpote illis chariſſimos, ac benemerentiſſimos oppida, munitioneſque antiquiſſimas cum ſubditis populis obtinuiſſe. Sed iam inſtituti mei rationem tranſgrediar, ſi plura perſequar, quare dũ ipſe mihi ſilentiũ indico, illud reticere nequeo, ad clariſſimam eiuſdem familiæ amplitudinem, quaſi coronidem impoſuiſſe exoptatiſſimas illas nuptias, per quas additum agnouimus eidem familiæ non vulgare Magnatum decus quo genus tuum ſatis per ſe notum, & in Hyſpania fulget, & in Neapolitano, ac Siciliæ Regno tantis emicat priuilegijs. Sed quando tecum ipſe loquor, ſileo. Tu interim. Vale.

LVDOVICVS BOMPLANVS PROVINCIALIS SOCIET. IESV IN SICILIA.

CVm librum cuius titulus eſt. [Selectæ Quæſtiones ex vniuerſa morali Theologia, &c.] à R. P. Franciſco Bardi noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum, tres eiuſdem Societatis Sacerdotes, quibus commiſſum fuit, recognouerint; & in lucem edi poſſe probauerint; facultate nobis ab admodum Reuerendo P. Franciſco Piccolomini Præpoſito Generali communicata, concedimus vt typis mandetur, ſi ita ijs ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras dedimus manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo Societatis noſtræ munitas. Melitæ 3. Iunij 1651.

Ludouicus Bomplanus

† Loco Sigilli

Digitized by Google

INDEX

QVAESTIONVM, SECTIONVM, ET PARAGRAPHORVM, quæ in hoc Tomo continentur.

LIBER PRIMVS.
Selecta, quæ ad iuſtitiam pertinent.

Quæſtio Prima.

Qua ratione venditio rei alienæ inuito, aut inſcio domino ius emptoris lædat? fol. 1.

Sectio Prima.

Num venditor rei alienæ dominium in emptorẽ, & emptor pretij dominium in vẽditorem trãſferant. fol. 1.

Sectio Secunda.

Emens bona fide rem alienam, eamque alteri vẽdens, num teneatur pretium eiuſdem rei Domino ſoluere. fol. 7.

Sectio Tertia.

Quid iuris, quando bonæ fidei emptor maiori pretio, quàm emeret, vendit rem alienam. fol. 10.

Sectio Quarta.

Sit ne practicè probabile, emptorẽ rei alienæ, mala fide procedentem, poſſe eã vendenti reſtituere ad pretium recuperandum. fol. 13.

Quæſtio Secunda.

De vitijs rei vendendæ emptori detegendis, & de eiuſdem rei pretio in certis quibuſdam circũſtantijs determinando. fol. 17.

Sectio Prima.

Vtrum Venditor teneatur emptori detegere vitium rei vendendæ patens; ſi emptor illud minime aduertat. fol. 17.

Sectio Secunda.

An ſciens magnam mercium copiam breui ſuperuenturam, ac proinde futurum, vt earum valor minuatur, poſſit eas, quas habet, pretio tunc taxato, vel naturali, ſtatim diuendere. fol. 21.

Quæſtio Tertia.

De conſueta frumentorum negotiatione, quæ in hoc Regno exercetur inter Aratores, & Mercatores. fol. 29.

§. I.

Formula contractus. fol. 30.

§. II.

In qua ſpecie reperitur prædictus contractus. fol. 31.

§. III.

De eius origine, & motiuo, ob quod fuit inſtitutus. fol. 31.

§. IV.

An liceat mercatori emere frumentum pecunia anticipata ab eo, qui ſegetes non habet. fol. 32.

§. V.

Vtrum Mercator pro ſecuritate anticipatæ pecuniæ pignus à venditore poſtulare poſſit fol. 32.

§. VI.

De æſtimatione, ſeu meta frumentorum, quæ à patrimonialibus præſcribitur. fol. 33.

§. VII.

Quod nam pretium ſit eligendum, ſi venditor tẽpore præfixo frumẽta nõ conſignauerit. fol. 34.

§. VIII.

An maior valor frumentorum in omni caſu exigi poſſit, ſaltem ratione pœnæ conuentionalis. fol. 35.

Quæſtio Quarta.

Sit ne licita in foro conſcientiæ venditio rei maiori pretio, vel emptio minori, quam res valeat, vbi non eſt vltra, aut infra dimidium iuſti pretij. fol. 36.

Soluuntur argumenta pro cõtria ſentẽtia. fol. 41.

Quæſtio Quinta.

Modus vendendi faciat ne alterare pretium legitimum. fol. 43.

Quæſtio Sexta.

Si conductor alteri ſublocet fundum ſibi prius locatum; an fructus, tempore ſubconductoris producti, remaneant hypothecati pro penſionibus à primo conductore non ſolutis. fol. 45.

Quæſtio Septima.

Petrus putans ſe aſtrictum vi contractus, de quo extant opiniones, ſit nec ne licitus, decem ſoluit Paulo, non ſoluturus, ſi ſtante opinione ſibi fauorabili, ſciuiſſet ad id non teneri; num Paulus illa decem reſtituere obligetur, & eo non reſtituente, Petrus occulta vti queat compenſatione. fol. 53.

Quæſtio Octaua.

Vxor, matrimonio ſoluto, ſi mariti bona non ſuperſunt, teneatur nec ne rependere debita à viro inope, ad ipſam vxorem, & familiam alendã contracta. fol. 55.

Quæſtio Nona.

Tenetur ne donatarius realia vota donantis ſoluere, ſi hæreditatis vires minime ſufficiant. fol. 57.

Quæſtio Decima.

† Ti-

Digitized by Google

Titius impotens reſtituere pecuniam, quã à Sorte abſque vlla ſcripti fide mutuam acceperat, poſſit ne à iudice etiam iuramento coactus, negare illam habuiſſe. fol. 60.

Quæſtio Vndecima.

Nouitius priuſquã in ſua religione profiteretur à ſe omnia bona abdicauit, ſi poſtea ad laxiorẽ tranſeat religionem, num legitima ex bonis paternis ei competat. fol. 64.

§. I.

Proponitur huius quæſiti deciſio. fol. 65.

§. II.

An legitima poſſit renuntiari. fol. 65.

§. III.

An ex enormi læſione Titius poſſit legitimam paternam petere, vel eius ſupplementum. fol. 65.

§. IV.

An renunciatio iſta imbibitam habeat conditionem de perſeuerantia ipſius Titij in prima religione; & ob eiuſdem Titij egreſſum euanuerit. fol. 66.

§. V.

An vi huius renunciationis, quoad legitimam paternam, quæ erat tantum in ſpe, excludatur Titius, & conſequenter monaſterium, in quo ipſe Titius ſecundo profeſſus eſt. fol. 67.

Quæſtio Duodecima.

Poſſit ne iniuſtè infamatus, pecuniam detractoris titulo compenſationis ſibi retinere. fol. 68.

Quæſtio Decimatertia.

Sit ne alijs licitum dare reo carceribus iuſtè detento conſilium de fuga, aut ad illas infringendas inſtrumenta præbere. fol. 70.

Quæſtio Decimaquarta.

Reus de crimine, cui pœna pecuniaria eſt impoſita, legitimè interrogatus, ſi falſis teſtibus ſe defendens liberetur, teneatur ne pœnam ſoluere? fol. 73.

Quæſtio Decimaquinta.

Petrus, ſecreto Pauli negotio per iniuriam cognito, in ſuam vtilitatem cum eiuſdem Pauli dãno vtens, num ad reſtitutionem teneatur. fol. 75.

Quæſtio Decimaſexta.

Ioannes pluris vendidit Petro frumenta quam eſſet eorum valor, ſciens ab illo alijs diuẽdenda, teneatur ne exceſſum Petro, an potius alijs emptoribus reſtituere. fol. 76.

§. I.

Refertur, & rationibus ſuadetur ſententia aſſerens Mercatoribus pretij exceſſum eſſe reſtituendum. fol. 77.

§. II.

Refellitur præcedens opinio. fol. 78.

§. III.

Prima ratio à priori ex principijs vniuerſalibus formatur. fol. 78.

§. IV.

Secunda ratio ex proprijs procedit, nempè ex eo quod prima venditio occaſio tantum, & non cauſſa fuerit ſecundæ venditionis. fol. 79.

§. V.

Subminiſtrare materiam, qua alius eſt abuſurus, non diſtinguit ſufficienter cauſſam ab occaſione. fol. 80.

§. VI.

Neque conſtituere aliquem in morali neceſſitate lædendi tertium eſt diſtinctiuum. fol. 81.

§. VII.

Actio, ex qua vt plurimum damnum iniuſtum ſequitur, non diſtinguit cauſſam ab occaſione. fol. 83.

§. VIII.

Vtrũ Ioannes mercatoribus reſtituens ſuæ obligationi ſatisfaciat. fol. 83.

§. IX.

Diluuntur aduerſariorum argumenta initio poſita. fol. 84.

§. X.

Quid dicendum ſi Petrus emat frumenta, vt illa eodem pretio colonis diuendat. fol. 85.

Quæſtio Decimaſeptima.

Vnius ſacri promiſſio in gratiam alterius, num ſub lethali culpa promittentem aſtringat. f. 86.

Quæſtio Decimaoctaua.

Debens rem aliquam vni ex pluribus, num ab aliquo ex illis pecuniam licitè recipiat, vt ipſi potius, quam alteri rem conferat. fol. 89.

Quæſtio Decimanona.

Quatenus licita ſit ſæcularium officiorum venditio? fol. 92.

Quæſtio Vigeſima.

Sit ne præferenda vxor pro ſuis dotibus in ſupellectilibus viri, emptis aliena pecunia, & an gener, cui pars ſupellectilium dotata fuit, teneatur eam reſtituere. 99.

Quæſtio Vigeſimaprima.

Filius ſpurius ſi naſcatur poſt donationem bonorum alteri à patre factam, num poſſit contra donatarium agere, vt alimenta ſibi ſoluantur fol. 102.

Quæſtio Vigeſimaſecunda.

Vtrum vxori liceat ſe alere ex bonis per iniuriã à marito acquiſitis; ſi ille non habeat vnde creditoribus ſoluat? 103.

LIBER SECVNDVS.

De vltimis voluntatibus.

Quæſtio Prima.

Poſſit ne hæres in teſtamento minus ſolemni inſtitutus, capiens hæreditatem, legata in eo contenta, vel legatarijs, vel hæredi ab inteſtato ad ſui libitum perſoluere? 105.

Quæſtio Secunda.

Vtrum hæres ex teſtamento minus ſolemni licitè occultare poſſit teſtamentum, ne manifeſtato defectu, compellatur à iudice hæreditatem reſtituere? 108.

Quæſtio Tertia.

Quid ſit legatum pium, & quomodo in dubio præſumatur. 109.

Quæſtio Quarta.

An legatum, & præſertim pium ad aliquem vſũ à teſtatore relictum, ſi adimpleri nequeat, cõuer-

auertendum ſit in alium vſum; an vero caducũ efficiatur. fol. 112.

Quæſtio Quinta.

Si teſtator legatum inter ſuos cõſanguineos pauperes diſtribuendum relinquat, num in diſtributione conſanguinitas potius, quam paupertas ſit attendenda. fol. 114.

Quæſtio Sexta.

Legatum annuum mulieri relictum, vt matrimonium contrahat ſub conditione honeſtè viuendi, num per vnam, aut alteram fornicationem deperdatur. 115.

Quæſtio Septima.

Legatum relictum pro patrimonio, quod aſſignari debeat pauperibus ad ordines promouendis, num conferri poſſit clerico non habenti ætatem requiſitam ad illos, percipiendum tamen tempore promotionis. fol. 121.

Quæſtio Octaua.

Num legatum relictum pauperibus ad domum teſtatoris confluentibus, applicari poſſit infirmis in hoſpitali manentibus. fol. 127.

Quæſtio Nona.

Legatum perpetuum oneri miſſarum ſubiectum tranſeat ne in beneficium eccleſiaſticum, ſi legatarij authoritate Epiſcopi in eo inſtituantur. fol. 130.

§. I.

An legatum, cui miſſarum onus eſt annexum, ſit eccleſiaſticum beneficium? fol. 131.

§. II.

Num Epiſcopus vi inſtitutionis conſtitutus fuerit in quaſi poſſeſſione inſtituendi? fol. 131.

§. III.

Quantum temporis ad ius inſtituendi præſcribẽdum requiratur. fol. 132.

§. IV.

An vi inſtitutionum, quæ ab ordinario fiunt, legatum tranſeat in beneficium eccleſiaſticum? fol. 133.

§. V.

Num legatum prædictum amittat ſtatum beneficij eccleſiaſtici, ſi Epiſcopus declaret beneficiũ non eſſe. fol. 134.

Quæſtio Decima.

Titius ſacerdos ignorans onus ratione legati ſibi impoſitum, de applicandis miſſis pro anima teſtatoris; eas diuerſa intentione peregit, poſtea in notitiam prædicti oneris deueniẽs, quæſiuit num ſacra omiſſa ſupplere teneretur. 135.

Quæſtio Vndecima.

Vtrum Religioſi ſint teſtes idonei ad teſtificandã vltimam teſtatoris voluntatem in bonum propria Religionis. fol. 137.

Quæſtio Duodecima.

An mulier conſequi poſſit legatum relictum, ſub conditione, vt contrahat cum nobili, ſi nubat ei, qui eſt nobilis ex priuilegio. fol. 140.

Quæſtio Decimatertia.

An legatum à teſtatore relictum ſingulis annis inter pauperes diſtribuendum, poſſit executor totum ſimul illis erogare. fol. 143.

Quæſtio Decimaquarta.

Num error in nomine irritet legatum. fol. 145.

Quæſtio Decimaquinta.

An teſtatore legante omnia, quæ in tali cubiculo continentur, veniant etiam chirographa, in quibus plura ipſius teſtatoris credita continentur? & quid de rebus poſtea inuectis. 148.

Quæſtio Decimaſexta.

Poteſt ne hæres, vi cruciata, circa legatum, pro pecunijs mutuò acceptis, relictũ, ſe componere, ſi neque legatarius, neque alius eius hæres inueniatur? fol. 148.

LIBER TERTIVS.

De Beneficijs, & de obligationibus Eccleſiaſticorum in eorumdem beneficiorum fructibus diſtribuendis.

Quæſtio Prima.

Patrono præſentanti ad beneficium ſi præſentatio ſuum effectum minime ſit ſortita, an concedatur nouũ, & integrum tempus ad iterum præſentandum. fol. 153.

Quæſtio Secunda.

Beneficium eccleſiaſticum eo dũtaxat animo recipiens, vt fructibus diues effectus, ad laicalem ſtatum tranſeat, num grauiter peccet, & ad reſtitutionem fructuum teneatur? fol. 154.

Quæſtio Tertia.

Habens valde tenue beneficium, acquirat ne domicilium in ea Diœceſi, in qua tale beneficiũ eſt erectum; ita ut poſſit ab Epiſcopo illius Diœceſis ad ordinem promoueri? fol. 147.

Quæſtio Quarta.

An beneficium de ſe inſufficiens ad congruam ſuſtentationem, ſi ſufficiens ſperetur ex adiunctis eleemoſynis futuris, legitimum fundet titulum ad ſacros ſuſcipiendos ordines. fol. 160.

Quæſtio Quinta.

An Canonicus, nulla legitima interueniẽte cauſa ſi ab Eccleſia diu abſit grauiter peccet? f. 161.

Quæſtio Sexta.

An defectus ſcripturæ irritet præſentationem, & inſtitutionem ad beneficium, & an transferat ius iterum præſentandi ad ſuperiorem primo quadrimeſtri elapſo? fol. 165.

Quæſtio Septima.

Inquiſitores contra hæreticam prauitatem habeantur ne vt præſentes, ad lucrandas quotidianas ſui beneficij diſtributiones? fol. 166.

Quæſtio Octaua.

Vtrum Petrus habens beneficium curatum, poſſit illud Paulo ita renunciare, vt ipſe Paulus renuntiatarius ſe obliget ſoluere Petro renuntianti congruam ſuſtentationem, habita licentia à Summo Pontifice. fol. 168.

Quæſtio Nona.

An ſi Titius præſentet Sortem, qui aliud incompatibile poſſidet beneficium, & interim tempus quatuor menſium elabatur, Ius præſentandi ad Epiſcopum deuoluatur. fol. 169.

Quæſtio Decima.

De Eccleſiaſticorum obligatione in bonis temporalibus diſtribuendis. fol. 172.

Sectio Prima.

Qua ratione, & quo tempore ortum habuit quadripartita illa bonorum eccleſiaſticorum diuiſio; & an hodie vigeat. fol. 173.

Sectio Secunda.

Vtrum Epiſcopi, ſicuti, & alij Eccleſiaſtici acquirant dominium ſuorum beneficiorum redituum, ſeu fructuum. fol. 175.

Sectio Tertia.

An Beneficiarij dominium habeant de rebus immobilibus ad ſuas Eccleſias pertinentibus? fol. 180.

Sectio Quarta.

Vtrum Epiſcopi teneantur omnes fructus ſui beneficij excedentes congruam ſuſtentationem erogare in pauperes, & in alia opera pia? fol. 183.

Sectio Quinta.

Vtrum Eccleſiaſtici ea, quæ ex præcepto tenentur erogare in eleemoſynas, & pia opera, inſumentes in vſus profanos, peccent contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem obligentur? fol. 186.

Sectio Sexta.

Quæ nam cenſenda ſit congrua cuiuſque beneficiarij ſuſtentatio. fol. 194.

Sectio Septima.

Vtrum in determinanda congrua ſuſtentatione habenda ſit ratio dignitatis, ſeu qualitatis ipſius beneficij? fol. 195.

Sectio Octaua.

An etiam ſit attendenda nobilitas ipſius Benficiarij, vel eius doctrina, & diligentia in his, quæ ad ſui officium pertinent? fol. 196.

Sectio Nona.

An ſi quis ſufficiens habeat patrimonium, poſſit illud ſibi reſeruans, de bonis eccleſiaſticis ſe ſuſtentare. fol. 197.

Sectio Decima.

An Beneficiarius ex fructibus, qui excedunt ſui congruam ſuſtentationem, poſſit ſoluere debita à ſe contracta. fol. 199.

Sectio Vndecima.

Vtrum Clerici teneantur expendere in opera pia id, quod ſupereſt de quotidianis diſtributionibus, detracta ſuſtentatione congrua. fol. 200.

Sectio Duodecima.

An pœna pecuniariæ ab Epiſcopo impoſitæ, & exacta debeant pijs operibus applicari, & quid de ſportulis. fol. 201.

Sectio Decimatertia.

An Penſionarius circa ſuperfluum penſionis habeat eamdem obligationem, quam habent Beneficiarij circa fructus ſuperfluos beneficij. fol. 201.

Sectio Decimaquarta.

An Beneficiarius ſi parcè viuendo ſubtrahat aliquid ex ijs, quæ ſibi pro congrua ſuſtentatione debentur, teneatur illud erogare in opera pia; an vero poſſit de illo ad ſui libitum diſponere. fol. 202.

Sectio Decimaquinta.

Quouſque ſe extendat facultas Epiſcoporum circa donationes faciendas conſanguineis, familiaribus, &c. ex redditibus eccleſiaſticis. fol. 205.

Sectio Decimaſexta.

Vtrum Religioſus euectus ad dignitatem Epiſcopalem, vel obtinens aliud beneficium acquirat dominium fructuum. fol. 206.

Quæſtio Vndecima.

Expenditur num fuerit ſimoniaca quædam tranſactio de Prioratibus, Baiuliuatibus, & commendis ſacræ Religionis hieroſolymitanæ? fol. 208.

§. I.

Expenditur tranſactio in ordine ad ſimoniam contra ius diuinum, & naturale. fol. 209.

§. II.

Statuitur in tranſactione illa nullam fuiſſe ſimoniam de iure diuino. fol. 209.

§. III.

Vtrum Baiuliuatus Religionis Hieroſolymitanæ ſint vera beneficia eccleſiaſtica. fol. 210.

§. IV.

An Baiuliuatus ſint officia eccleſiaſtica. fol. 213.

§. V.

Soluuntur adducta in primo §. pro ſententia affirmatiua. fol. 214.

§. VI.

An tranſactio iſta contineat aliquam ſimoniam contra ius eccleſiaſticum. fol. 215.

§. VII.

Etiam ſi in ipſa tranſactione interceſſerit aliqua ſimonia, non tamen in materia beneficiali, an tranſigentes inciderint ipſo facto in aliquam pœnam. fol. 217.

Quæſtio Duodecima.

Teneantur ne Admodum Reuerendi Parochi huius felicis Vrbis Panormi Miſſam, quam in proprijs Eccleſijs celebrāt applicare pro ſalute, & proſperitate eiuſdem Vrbis. fol. 218.

LIBER QVARTVS.

De nonnullis Pontificum reſcriptis.

Quæſtio Prima.

Titius Pontifici expoſuit, vt in tredecim menſibus ad ætatem ſacerdotij ſibi deficientibus, diſpenſaret, cum plures tamen deeſſent, diſpenſauit Pontifex, tempore autem promotionis tredecim tantùm deerant: num diſpenſatio ſit valida? fol. 223.

Quæſtio Secunda.

Vtrum priuilegium cruciatæ ſe extendat ad diſpenſandum in impedimento illicitæ affinitatis ante matrimonium contracta, ſi alter cōiux ſit extra; alter vero intra Regna, in quibus viget cruciata? fol. 227.

Quæſtio Tertia.

Ex-

Digitized by Google

Explicatio cuiuſdam breuis Apoſtolici de erigendo priuato oratorio, vt in eo ſacrum peragatur. fol. 229.

Quæſtio Quarta.

Inualida ne ſit diſpenſatio matrimonij ob impedimentum dirimens, ſi quis ad illam facilius impetrandam, in ſupplicatione falsò afferat copulam interueniſſe? fol. 231.

Quæſtio Quinta.

Num delegatus Pontificis validè diſpenſet cum Titio ad matrimonium aliàs prohibitum in eundum, ſi pœnitentia in litteris diſpenſationis iniuncta peracta non ſit. fol. 233.

Quæſtio Sexta.

Vtrum error in aſſignanda diœceſum vicinitate Apoſtolicum reſcriptum inefficax reddat. 236.

Quæſtio Septima.

Titius ſummi Pontificis delegatus Sortem ſubdelegauit: num Titio pereunte, & re integra; iuriſdictio in Sorte remaneat? fol. 237.

Quæſtio Octaua.

An iudex conſeruator Regularium teneatur vti miniſtris curiæ Epiſcopalis. fol. 240.

Quæſtio Nona.

Quinquennio elapſo, num Regulares indigeant licentia Pontificis ad eligendum iudicem conſeruatorem. fol. 241.

Quæſtio Decima.

Vtrum Bulla, per quam Sanctiſſimus Innocentius X. prohibuit, ne deinceps in Italia, eiuſq; Inſulis adiacentibus, ſuperiores quemquam ad habitum religioſum reciperent, & ne prius receptos ad profeſſionem admitterent, vigorem habuerit, quando primum Roma promulgata fuit? fol. 242.

LIBER QVINTVS.

De oneribus, & priuilegijs iubilei.

Quæſtio Prima.

De Eccleſiarum viſitatione. fol. 248.

Quæſtio Secunda.

De precibus, quæ fundi debent ad lucrandum iubileum. fol. 253.

Quæſtio Tertia.

De eleemoſyna. fol. 256.

Quæſtio Quarta.

De ieiunio per iubileum præſcripto. fol. 260.

Quæſtio Quinta.

De confeſſione ſacramentali fol. 262.

Quæſtio Sexta.

De Eucharistiæ ſumptione. fol. 268.

Quæſtio Septima.

De facultate eligendi confeſſarium quoad ſaculares. fol. 270.

Quæſtio Octaua.

De facultate eligendi confeſſarium in ordine ad Religioſos. fol. 271.

Quæſtio Decima, lege Nona.

De electione confeſſarij pro monialibus fol. 273.

Quæſtio Vndecima.

De abſolutione à caſibus, & cenſuris reſeruatis. fol. 274.

Quæſtio Duodecima.

De votorum commutatione. fol. 281.

Quæſtio Decimatertia.

De indulgentia, quæ acquiritur per iubileum. fol. 291.

Quæſtio Decimaquarta.

An quis poſſit bis idem iubileum lucrari, & quãdo poteſt illud ſumere. fol. 292.

Quæſtio Decimaquinta.

De facultate, quam babet confeſſarius ad commutanda opera præſcripta in diplomate iubilei. fol. 295.

Quæſtio Decimaſexta.

De interpretatione iubilei. fol. 297.

LIBER SEXTVS.

De caſibus, & cenſuris reſeruatis.

Quæſtio Prima.

Qui nam poſſint caſus ſibi reſeruare? fol. 298.

Quæſtio Secunda.

Quos caſus ſibi reſeruare queant prædicti. 299.

Quæſtio Tertia.

Vtrum reſeruatio ſit odioſa. fol. 299.

Quæſtio Quarta.

An caſus ratione imperfectionis actus ceſſet à reſeruatione f. l. 300.

Quæſtio Quinta.

Vtrum omnis caſus Papæ reſeruatus, ſit reſeruatus, quatenus annexam babet excommunicationem. fol. 302.

Quæſtio Sexta.

Vtrum in caſibus Summo Pontifici reſeruatis, reſeruatio cadat immediate in culpam, an vero tantum in cenſuram? fol. 303.

Quæſtio Septima.

Vtrum ſi ignoretur cenſuram Pontifici reſeruatam eſſe, peccatum, cui cenſura eſt annexa, maneat reſeruatum? fol. 305.

Quæſtio Octaua.

Vtrum Epiſcopis reſeruentur aliqui caſus ſecũdum ius commune? fol. 306.

Quæſtio Nona.

Vtrum Prælati Regularium poſſint reſeruare ad libitum caſus erga ſuos ſubditos? fol. 307.

Quæſtio Decima.

Quis poteſt legitimè abſoluere à caſibus, & cenſuris Pontifici reſeruatis? fol. 309.

Quæſtio Vndecima.

De miniſtro ordinario, qui poteſt abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis? fol. 313.

Quæſtio Duodecima.

An Regulares poſſint abſoluere à caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſeruatis virtute ſuorum priuilegiorum? fol. 315.

Quæſtio Decimatertia.

Quis poteſt abſoluere à caſibus in religione reſeruatis? fol. 318.

Quæſtio Decimaquarta.

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum Confeſſarius, cui à Superiore delegatur poteſtas abſoluendi ſubditum religioſum ab aliquo caſu reſeruato, poſſit eumdem abſoluere, ſi poſt obtentam licentiam, antę confeſſionē incidat iterum in eumdem caſum reſeruatum? fol. 327.

Quæſtio Decimaquinta.

Quo pacto debeat ſe gerere habens caſum reſeruatum, ſi velit communicare, & confeſſarius careat poteſtate circa peccatum illud reſeruatum? fol. 328.

Quæſtio Decimaſexta.

Vtrum quando nulla eſt neceſſitas confeſſionis, ſed ne nimium confeſſio differatur, habens reſeruata poſſit abſolui à confeſſario inferiore? fol. 330.

Quæſtio Decimaſeptima.

Quo pacto debeant ſe gerere Religioſi peregrini circa abſolutionem à caſibus reſeruatis. f. 332.

Quæſtio Decimaoctaua.

Quid dicendum de ſæcularibus, dum ad tempus recedunt à propria diœceſi? fol. 332.

Quæſtio Decimanona.

A quo poſſunt abſolui Prælati, cum incidunt in caſus reſeruatos. fol. 335.

Quæſtio Vigeſima.

An ſuperior poſſit, auditis tantum reſeruatis, abſoluere ſecramentaliter pœnitentem, eumq; pro non reſeruatis remittere ad Confeſſarium inferiorem? fol. 337.

Quæſtio Vigeſimaprima.

Si quis confiteatur ſuperiori, vel alteri habenti delegatam poteſtatem circa reſeruata, & obliuiſcatur reſeruatum, an ceſſet reſeruatio? fol. 339.

Quæſtio Vigeſimoſecunda.

Peccatum in ſui conſumatione reſeruatum, ſi antequam conſumetur, illius authorem pœniteat, & ſubſequatur effectus; an ſit etiā reſeruatū? fol. 340.

Quæſtio Vigeſimatertia.

Nouitij ſubiaceant ne caſibus in religione reſeruatis? fol. 344.

LIBER SEPTIMVS.

Expenditur, num aliqui caſus eccleſiaſtica pœna ſubdantur.

Quæſtio Prima.

Num irregularitatem incurrat Prælatus iuriſdictionem temporalem habens, ſi cauſam ſanguinis alicui deleget, vt veritatem inquirat, & ſi opus fuerit, reum extremo afficiat ſupplicio. 351.

Quæſtio Secunda.

An regularis priuatus voce actiua, & paſſiua à Prælato immediato, ſi appellat ad generalem, durante appellatione, poſſit eligi in ſuperiorē. fol. 365.

Quæſtio Tertia.

Num regularis de aliquo crimine accuſatus, ſi infamia non pręceſſerit, ſit in prælatum eligibilis? 366.

Quæſtio Quarta.

Sit ne apoſtata, aut ſaltem fugitiuus cenſendus regularis, abſque prælati licentia ad aliam laxiorem tranſiens religionem. 367.

Quæſtio Quinta.

An ſuperior religionis non curans, vt tempore, & loco aſſignato in ſuo monaſterio perlegatur bulla de celebratione miſſarum, in pęnas ipſo facto incurrat, in eadem bulla pręſcriptas. 372.

Quæſtio Sexta.

Vtrum ſi puella in monaſterium, profeſſionis, vel educationis gratia ingreſſa, ibidem commoretur vltra legitimum tempus cenſuram contrahat. 375.

§. I.

Proponuntur iura bullarum pontificum diuerſorum, & authores de hac re loquentes. 376

§. II.

Vtrum cogentes mulierem ad monaſterium ingrediendum, incidat in excommunicationem poſitam in Concil. Trid. ſeſ. 25. de regul. cap. 5. fol. 376.

§. III.

An conſulentes, & auxilium ad hunc ingreſſum præſtantes, eidem excommunicationi ſubiaceant? 378.

§. IV.

Vtrum, quæ dicta ſunt de ingreſſu, locum habeant in commoratione in monaſterio? 378.

§. V.

Quid dicendum de conſulentibus illegitimam cōmorationem in monaſterio, & ad illam præſtantibus fauorem, authoritatem, &c. 379.

§. VI.

Quid ſit dicendum ſpectando motum proprium Pij V. Greg. XIII. aliorumque pontificum reuocantium omnes licentias ingrediendi monaſterium monialium, & prohibentium ingreſſum? 380.

§. VII.

Num cognati puellæ nolentes eam in domum propriam admittere, hanc iuſtam petitionis ſuæ cauſſam afferant. 380.

§. VIII.

Vtrum commoratio puellæ in monaſterio cohoneſtetur ſub ſpe futuræ licentię à ſummo pontifice obtinendę. 381.

§. IX.

An ſi fieret petitio ab ipſa puella, poſſet licentia danda à Vicario cohoneſtari. 381.

Quæſtio Septima.

Monialis petauro ad monaſterij muros ludens, ſi in agitatione ex illis egrediatur, num clauſuram violet? 381.

Quæſtio Octaua.

Num Titius in varios prorumpens contra fidem errores, ſi admonitus adhuc in illis perſiſtat, putans ſe hæreticum non eſſe, ſit cenſendus formalis hęreticus, & in excommunicationem incurrat? fol. 384.

Quæ-

Digitized by Google

Quæſtio Nona.

Num proferens verba ambigua, ſit cenſendus irregularis, ſi alius occaſione eorumdem verborum, homicidium committat? fol. 385.

Quæſtio Decima.

Titius falsò aſſerens facultatem habere à proprio Ordinario, & ſic ab alio presbyteratum recipiens, num dicatur furtiuè promotus, & in irregularitatem incurrat? fol. 387.

Quæſtio Vndecima.

Clericus per indebitam presbyteratus receptionẽ ſuſpenſus, num in eadem ordinatione cum Epiſcopo celebrans, fiat irregularis. fol. 388.

Quæſtio Duodecima.

Suſpenſus ab ordine inferiori, quem habet, ſi ad ſuperiorem promoueatur, an irregularitatem contrahat? fol. 389.

Quæſtio Decimatertia.

Occaſione cuiuſdam facti, explicantur conditiones requiſitæ ad homicidium voluntarium, & caſuale in ordine ad diſpenſandum ab Epiſcopo in irregularitate ex illo reſultante. fol. 392.

Quæſtio Decimaquarta.

An poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate, quæ prouenit ex delicto ad forum contentioſũ deducto, & iam punito fol. 394.

Quæſtio Decimaquinta.

Vtrum Epiſcopus diſpenſare valeat in bigamia interpretatiua, & ita diſpenſatus ſit immunis à gabellis ſoluendis fol. 396.

Quæſtio Decimaſexta.

Poſſit ne prædium Eccleſiæ relictum cum facultate alienandi, abſque ſolemnitate, & aſſenſu Apoſtolico alienari, abſque eo quod alienans cenſuras, & pœnas incurrat? fol. 397.

LIBER OCTAVVS.

De nonnullis controuerſijs, quæ ad ſacras preces perſoluendas ſpectant.

Quæſtio Prima.

An Regulares ſacris ordinibus non dum initiati, choro tamen obligati, ſi in illo horas canonicas non perſoluerint, eas priuatim recitare teneantur? fol. 402.

§. I.

Declaratur Authoris ſententia. fol. 402.

§. II.

Referuntur Authores ſuperiorem ſententiam tuentes. fol. 403.

§. III.

Contraria opinio à ſuis fautoribus practicam probabilitatem non recipit. fol. 405.

Quæſtio Secunda.

Ex quo iure emanat in Regularibus obligatio ad horas canonicas recitandas. fol. 408.

§. I.

Referuntur aliquorum ſententiæ de iure, in quo fundatur obligatio iſta. fol. 408.

§. II.

Aperitur, & efficaci ratione probatur huius obligationis fundamentum. fol. 409.

Quæſtio Tertia.

De Attentione, quæ ad orationem vocalem peragendam requiritur. fol. 414.

Sectio Prima.

Vtrum actus internus legi Eccleſiaſticæ directè ſubdatur. fol. 415.

Sectio Secunda.

An actus interni, quatenus coniuncti cum externis, humanis legibus ſubiaceant? fol. 417.

Quæſtio Quarta.

Vtrum ad ſatisfaciendum Eccleſiæ præcepto de recitandis horis canonicis, aliqua mentis attentio requiratur? fol. 423.

Quæſtio Quinta.

Quæ nam attentio ſufficiens ſit ad ſatisfaciendũ præcepto in precibus recitandis. fol. 430.

Quæſtio Sexta.

Quo ſenſu explicandi ſunt Authores relati in quarta quæſtione pro ſententia, quæ negat eſſe neceſſariam internam attentionem ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ in horis canonicis perſoluendis. fol. 431.

Quæſtio Septima.

Promotus ad ordines teneatur ne ſub graui culpa recitare preces, aut miſſas ab Epiſcopo in ordinatione ſibi impoſitas? fol. 434.

LIBER NONVS.

De Scandalo in communi, & in particulari.

Prooemium fol. 436.

Quæſtio Prima.

De his, quæ pertinent ad ſcandalum vniuerſaliter ſumptum. fol. 437.

Sectio Prima.

Quid ſit ſcandalum ſpeciale, & quid generale fol. 437.

Sectio Secunda.

An ad vitandum aliorum ſcandalum omitti debeant actiones ex præcepto fol. 438.

Sectio Tertia.

Quid dicendum de operibus, quæ ſunt de conſilio, aut indifferentibus. fol. 440.

Sectio Quarta.

An ſcandalum præbens præter peccato eiuſdem ſpeciei, in qua eſt peccatum, quo peccat qui ſcandalum patitur, & an quando peccatum, ad quod allicit, eſt contra iuſtitiam ambo teneantur ad reſtitutionem fol. 441.

Quæſtio Secunda.

De ſcandalo in particulari. fol. 442.

Sectio Prima.

Quando contingit peccatum ſcandali circa ſolutionem maleficij faciendam à malefico. 442.

Sectio Secunda.

An ſine ſcandalo actiuo interdum liceat petere iuramentum ab eo, quem ſcis iuraturum falsò, vel per falſos deos. fol. 444.

Sectio Tertia.

Quando committant peccatum ſcandali accipien-

tes

Digitized by Google

tes mutuum ab vſurario. fol. 448.

Sectio Quarta.

Vtrum poſſit quis ſine peccato ſcandali actiui deponere pecuniam apud vſurarium, & vinum apud tabernarium, credens illum daturum pecuniam ad vſuram, & iſtum venditurum vinum aquis permiſtum. fol. 450.

Sectio Quinta.

Vtrum ſemper ſit ſcandalum actiuum petere ſacramentum adminiſtrandum ab excommunicato, vel ab eo, qui eſt in peccato mortali. 451.

Sectio Sexta.

Quæ notitia requiratur de mala diſpoſitione miniſtri ad hoc, vt licitè ab eodem ſacramenta petere, & recipere minimè valeamus. 456.

Sectio Septima.

De ſcandalo actiuo, quod interdum contingit ratione ſimoniæ. fol. 457.

Sectio Octaua.

An ſit peccatum ſcãdali dare pecuniam Iudici, vel alteri officiali, vt iuſtam ferat ſententiã. 458.

Sectio Nona.

Vtrum ſine ſcandalo actiuo poſſint dari munera concubinæ, vt ipſa intercedat apud ſuum amaſium pro ipſo donatore. fol. 460.

Sectio Decima.

Vtrum ſit licitum præbere alteri occaſionem patrandi aliquod peccatum v. g. furandi, adulterandi, &c. in hunc finem, vt deprehenſus puniatur, & reſipiſcat. fol. 461.

Sectio Vndecima.

Vtrum mulier credens ab aliquo turpiter eſſe amandam, ſi eius aſpectui ſe offerat; vel ſi ſe ornet, teneatur ad vitandum illius ſcandalũ, domi ſe continere, vel minimè ſe ornare. 462.

Sectio Duodecima.

An peccent caupones vendentes vinum ſe inebriaturis, cibos ieiunium fracturis, &c. 464.

Sectio Decimatertia.

An ſit ſcandalum actiuum vendere res indifferentes, quibus emptor ſit malè vſurus. 465.

Sectio Decimaquarta.

Vtrum locantes domos meretricibus, & vſurarijs, & commodantes cubiculum poſtulanti illud ad fornicandum, excuſandi ſint à peccato ſcandali. fol. 467.

Sectio Decimaquinta.

Vtrum, qui interueniunt comœdijs, aut ludis turpibus peccent peccato ſcandali actiui. 468.

Sectio Decimaſexta.

An poſſit interdum interuenire ſcandalum in reddendo quod debetur. fol. 469.

Sectio Decimaſeptima.

An ſit ſcandalum actiuum ſubminiſtrare alteri materiam peccati, quando iſte alius eodem modo erat peccaturus, etiam ſi ab hoc homine in particulari materia iſta ſubminiſtrata minimè fuiſſet. fol. 470.

Sectio Decimaoctaua.

An excuſentur ſerui, ſeu famuli, aut filij in præſtandis varijs obſequijs, quæ ſciunt à domino, aut parentibus dirigi in prauum finem. fol. 471.

Sectio Decimanona.

Vtrum in præſtandis prædictis obſequijs excuſari queant hi, qui non ſunt ſubiecti. fol. 476.

Sectio Vigeſima.

Vtrum ſit peccatum ſcandali parato committere maius, ſuadere minus malum. fol. 477.

Sectio Vigeſimaprima.

Vtrum præuidens ab alio libidinosè tangi, aut amplecti, teneatur ad vitandum ſcandalum impedire tactum illum, aut amplexum. 480.

LIBER DECIMVS.

De aliquibus ad ſacramenta, & ſacrificium miſſæ ſpectantibus.

Quæſtio Prima.

De Sacramento Baptiſmi.

Vtrum in aliquo caſu validum ſit hoc ſacramentum ſi baptizandus aqua roſacea abluatur. fol. 481.

Quæſtio Secunda.

An Religioſi licitè valeant de fonte baptiſmi infantem leuare munus patrini exercendo. 483.

Quæſtio Tertia.

Vtrum ſacerdos in neceſſitate baptizans tanquã laicus, ſi in peccato mortali reperiatur, adminiſtrando tale ſacramentum, grauiter delinquat? fol. 486.

Quæſtio Quarta.

De Sacramento Confirmationis.

An chriſma in die tantùm cœnæ Domini conſecrari poſſit, & an eius ſolemnis conſecratio tẽpore interdicti permittatur. fol. 487.

Quæſtio Quinta.

An chriſma debeat eſſe eo anno confectum. 488.

Quæſtio Sexta.

Vtrum pueris ante vſum rationis adminiſtrandum ſit hoc ſacramentum? & quid de amentibus? fol. 489.

Quæſtio Septima.

An ſit præceptum recipiendi hoc ſacramentum, & quid de promouendis ad ordines. 490.

Quæſtio Octaua.

An ſit præceptum adhibendi patrinum, qui confirmandum teneat, & de eius qualitatibus. fol. 491.

Quæſtio Nona.

De Euchariſtia quatenus eſt ſacrificium.

§. I.

De loco, in quo eſt celebrandum. fol. 493.

§. II.

An celebrans alibi teneatur reſtituere. 494.

§. III.

An peccet, & teneatur ad reſtitutionem, ſi relinquat altare priuilegiatum, & celebret alibi cum numiſmate. fol. 494.

Quæſtio Decima.

Familiarum diuerſitas ſit ne ſatis ad plura oratoria in eadem domo erigenda, non obſtante clauſula in reſcriptis apponi ſolita? 494.

§. I.

Pro-

Proponuntur contrariæ ſententiæ.fol. 496.

§. II.

Deciditur quæſitum. fol. 496.

§. III.

Quam ſignificationem retineat domus in clauſula huius breuis. fol. 496.

§. IV.

An diuerſæ familiæ in eadem domo commorantes, illam in plures ciuiliter diſtinguant? fol. 497.

§. V.

Affertur textus in l ſi quis duas. §. Si quis partem. ff. comm. præd. fol. 498.

§. VI.

Referuntur doctores ſcribentes in hanc, & in alias leges. fol. 499.

Soluuntur argumenta in primo paragrapho allata. fol. 500.

§. VIII.

Priuilegium celebrandi in priuato oratorio eſt ne fauorabile, an odioſum. fol. 500.

§. IX.

Priuilegium habens à Summo Pontifice ad erigẽdũ priuatũ oratorium pro tali determinato loco, vt ibi celebretur, num habitationem mutans eodem priuilegio vti valeat. fol. 502.

§. X.

Poſſit ne Epiſcopus licentiam concedere erigendi oratorium pro celebrandis miſſis in cortili alicuius ruris? fol. 506.

Quæſtio Vndecima.

Poſſit ne ſacerdos miſſam cœptam ab initio repetere, ſi vir illuſtris id petat, alio, qui celebret, non extante? fol. 506.

Quæſtio Duodecima.

Num ſacerdos ſtipendium pro miſſis accipiẽs, valeat partem aliquam fructuum ſacrificij alteri applicare? fol. 508.

Quæſtio Decimatertia.

De Confeſſione Sacramentali.

An ſacramentalis peccatorum enarratio eſſentialiter requirat pœnitentis præſentiam. 510.

Prima Pars.

§. I.

An ſit valida confeſſio facta ſacerdoti abſenti. 511.

§. II.

Ponitur concluſio, & Doctorum authoritate probatur. fol. 512.

§. III.

Satisfit contrarijs argumentis fol. 513.

Pars Secunda.

§. I.

Proponitur decretum Clementis. fol. 515.

§. II.

Referuntur pro vtraque ſententia Doctores fol. 515.

§. III

Vtrum perinde ſit quoad valorem huius ſacramenti teſtificari ſigna exhibita à moribundo in eius præſentia, ac in eius abſentia. fol. 119.

§. IV.

Vtrum propoſitio à Pontifice damnata, ſit hypothetica, an vero alterius generis fol. 520.

§. V.

Vtrum à Pontifice ſit damnatum vtrumque membrum prædictæ propoſitionis. fol. 521.

Quæſtio Decimaquarta.

De Sacramento Ordinis.

Religioſus ad titulum paupertatis ſacrum diaconatus ordinem recipiens; ſi eius profeſſio nulla declaretur, num poſſit ad presbyteratum promoueri, & in ſuſceptis ordinibus adminiſtrare. fol. 523.

Quæſtio Decimaquinta.

De Sacramento Matrimonij.

Expenditur cuiuſdam promiſſionis valor de matrimonio ineundo. fol. 526

Quæſtio Decimaſexta.

Liceat ne vxori in partu, vitæ periculum expertæ conceptionem impedire, aut viro debitum coniugale non ſoluere fol? 528.

Quæſtio Decimaſeptima.

Sit ne peccatum in coniugij actu delectationem capere de alterius mulieris pulchritudine, vt ad actum coniugalem cõiux excitetur fol. 532.

Quæſtio Decimaoctaua.

Carnalem copulam habens cum ſuæ vxoris conſãguinea, in primo, aut ſecundo gradu, ignorãs pœnam priuationis iuris ad debitum coniugale exigendum: ſit ne huius pœnæ reus. fol. 532.

Quæſtio Decimanona.

Vtrum dictum vnus teſtis de impedimento dirimente matrimonium, ſufficiens ſit, ne illud contrahatur, & quid ſi iam ſit contractum. fol. 535.

LIBER VNDECIMVS.

Expenditur opinio Candidi Philalethi, de opinione probabiliore ſequenda.

Quæſtio vnica.

Impugnatio tertia contra Candidi Philalethi doctrinam. fol. 537.

Impugnatio authoris. fol. 540.

§. I.

Præmittuntur aliqua. 540.

§. II.

Num authores omnes, quos pro ſe Philalethus laudat ipſi faueant. fol. 540.

§. III.

Sit ne vſui, & rationi parum conſonum, explicare Doctores à Philalethò laudatos, de conſilio, & non de præcepto locutos fuiſſe fol. 544.

§. IV.

Vtrum ad rectè operandum prærequiratur iudicium de honeſtate materiæ ſecũdum ſe. fol. 544.

§. V.

Perperam Candidus obijcit me negaſſe, quod prius conceſſeram. fol. 546.

§. VI.

Vtrum Philalethus vtiliter repetat iudicium de probabilitate apprehenſa, eſſe inſufficiens. fol. 547.

Digitized by Google

§. VII.

Vtrum iudicium de honeſtate ſecundum apparentiam iuuet ad iudicandam honeſtatem obiecti ſecundum ſe. fol. 548.

§. VIII.

Num Ariſtoteles à Philaletho allatus illi ſuffragetur. fol. 549.

§. IX.

Num Philalethus ſatisfaciat argumento ex epiſtola S. Ignatij Confeſſoris contra ipſum deducto. fol. 551.

§. X.

Num legibus prudentiæ ſpectatis, debeat Philalethus ſuam deſerere ſententiam, & alteri contrariæ adhærere. fol. 551.

FINIS.

Digitized by Google

LIBER PRIMVS

DE HIS

QVAE AD IVSTITIAM PERTINENT.

EXordior à controuerſijs ad Iuſtitiam ſpectantibus, & iure quidem optimo; cum enim in humanis negotijs difficiliores illæ ſint, ac frequentiores, nec Theologos ſolùm, verum etiam vtriuſque Iuriſperitos eas callere oporteat, placuit in ipſomet operis limine eaſdem ſub legentium oculos ponere. A controuerſijs tamen in hoc Libro expendendis, eas excipio, quæ ſunt de vltimis voluntatibus: & quamuis inter has de Iuſtitia apponi potuiſſent; nihilominus cum quamdam ſpecialem habeant conſiderationem, in ſequenti Libro de illis ſeorſim agendum duxi.

QVAESTIO PRIMA.

Qua ratione venditio rei alienæ inuito, aut inſcio domino ius emptoris lædat?

EX communi fere omnium Iuriſperitorum conſenſu ſupponimus validam eſſe rei alienæ venditionem, quando ſit bona fide ex parte emptoris, quamuis repugnante, aut neſciente Domino fiat: ſic deciditur *in L. Rem alienam ff. de contrah. empt. & ex alijs iuribus*. Hoc enim ſuppoſito, ſolùm in præſentia inquirimus læſionem, quæ emptori infertur ex defectu extrinſeco ipſius rei, quæ venditur; vt autem penitus difficultatem hanc enodemus, varios conſiderare oportet caſus, qui in euentu prædicto contingere ſolent, quod in præſenti quæſtione præſtabimus.

SECTIO PRIMA.

Num venditor rei alienæ dominium in emptorem, & emptor pretij dominium in venditorem transferant.

SVMMARIVM.

1 *Res aliena non tranſit in dominium emptoris in priuata venditione.*

Venditio prædicta quoad aliquos effectus eſt valida. 2

Aliqui negant in venditione prædicta, transferri pretij dominium in venditorem. 3

Alij vero oppoſitum tuentur.

Contractus prædictus, poſita bona fide ex parte emptoris, eſt validus; idq; iuribus probatur. 4 5

Ratione confirmatur. 6

Pretij dominium tranſit in venditorem; & probatur authoritate, & ratione. 7

Satisfit fundamento aduerſariorum. 8

Ponderantur nonnulla, quæ aſſeruntur à Petro de Oñate. 9

Si emptor verbis, aut ſignis indicet rem, quam vendit, eſſe ſuam, & hac ratione venditor inducatur ad emendum, irritus eſt contractus. 10

Soluitur inſtantia in contrarium.

Aſſignatur diſcrimen inter rem venditam, & pretium, quoad dominij translationem. 11 12

Diluitur obiectio in contrarium, explicando differentiam inter contractum permutationis, & contractum venditionis. 13

Ponitur alia obiectio, qua oſtenditur verba aliqua in contractu venditionis appoſita, indicare tranſlationem dominij rei venditæ. 14

Verba in venditione ſignificantia tranſlationem dominij impropriè apponi. 15

1 SI de primo ſermo fiat, res apud Doctores caret omni difficultate, vnanimi enim conſenſu determinant, contractum vẽditionis de re aliena, inuito, aut inſcio vero Domino, non eſſe validum, quo ad tranſlationem dominij rei venditæ in emptorem, ſiue bona, ſiue mala fide contrahentium ineatur, & à vero Domino poſſe rem illam auferri apud quemcumque reperiatur. Sic *Molina tom.2.de Iuſt. tract.2. diſp.340.n.24. Azor.p.3. Moral. inſt. lib.8. cap.5. quæſt.1. Salas de empt.& vendit. dub.48.n.1. Delugo tom.2. de Iuſt. diſp.26.ſec.2. num.18.* & alij, quos laudat, & ſequitur *Bonacina de contract. diſp.3.qu.2.punc.2.n.20.* & ratio eſt; quia dominium rei transferri nequit, niſi à vero domino, vel ab eo, qui ius habet illud transferendi, vt eſt ſupremus Princeps reſpectu propriorum ſubditorum in quibuſdam caſibus, vel lex aliqua ob cõmune bonum, aut legitima Iudicis ſententia, aut denique tutor, ſeu curator, hoc autem caret omni difficultate.

2 Dixi venditionẽ prædictã nõ eſſe validã quoad tranſlationem dominij rei venditæ; nam quoad aliquos alios effectus, vt mox videbimus, ſatis communis opinio vult, eſſe validam; ita Authores citati, & expreſsè deciſum eſt *in L. Rem alienam. ff. de Contrah. empt. L. ex empto. L. Si quis ff. de act. empt. & vendit.* excipi tamen ſolet caſus, quando res eſt furtiua, idquè ſcitur non ſolum a fure venditore, verum etiam ab emptore, tunc enim iura determinant contractum eſſe omnino irritum, ſic per textũ *in L. Si in emptore, §. Itẽ ſi, & Emptor ff. de Cotrah. empt.* & vniuerſaliter hoc ipſum confirmãt Scribentes in eãdem legem, & ſequitur *Molina tractatu citato diſp.127. col.2. verſ. obſeruandum tamen eſt*; poterit autem hic eſſe dubitatio, vtrum idem dicendum eſſet, ſi venderetur res aliena, nam textus loquitur de re furto ſublata, idcirco Molina fatetur in Iure deciſionem hanc de nullitate huius contractus militare, cum venditio eſt de re furtiua, quamuis addat *in Luſitaniis ordinationibus lib.3. tit.40. §.4.* videri extẽſionem fieri etiam ad rem non furtiuam, quando, vt dictum eſt, ab emptore non ignoratur, ſed *Petrus Vuadingus loco infra citando* abſolutè loquens, inquit, ſibi non videri ſufficiens fundamentum talis diſtinctionis inter rem alienam furtiuam, & alienam non furtiuam, niſi quo ad vnum dumtaxat effectum, videlicet, quoad titulum aliquem acquirendum in ordine ad præſcriptionẽ; nam emptio rei furtiuæ prohibet præſcriptionem, ſi ab emptore rem eſſe furtiuam agnoſcitur, vt habetur *in L. etiam furti. Cod. de furtis*, ſecùs autem in rebus non furtiuis poſita bona fide ex parte emptoris, tunc enim locus datur præſcriptioni; ſed quidquid ſit de hac controuerſia, quam in præſentia dirimere non curamus: ſermonem dirigimus ad id, quod in re hac difficultatem inuoluit, ſcilicet, num pretium mercis, quod emptor bonæ fidei ſoluit, transeat in dominium venditoris, in hoc autem puncto videtur eſſe cardo difficultatis.

Prima opinio negat in caſu prædicto, ab emptore transferri pretij dominium in venditorem *ſic Valentia in 2.2. S. Thomæ diſput.5. quæſt.20. punc.4. Quæſito 2. verſ.* [Mihi autem videtur] *Bartholomæus à S. Fauſto in ſpec. Confeſſ. diſp.6. qu.86.n.2.* & ex parte ſequitur hanc ſententiam *Petrus de Oñate de contractib. tom.1. tract.2. diſp.5. ſect.4. dub.3. n.300.* Probatur ab his auctoribus hac ratione. Emptor laborans inuincibili ignorantia, putat rem eſſe venditoris, & intantum ſoluit pretiũ, inquantum credit eam non eſſe alienam, ideoque non vult transferre dominium pretij, niſi conditionaliter, nempe quatenus cenſet à venditore dominium rei transferri poſſe, actus enim agentium non operantur vltra eorumdem intentionem, ignorantia autem illa emptoris eſt circa ſubſtantialia huius contractus, proinde contractus erit omnino irritus, hæc & alia affert Author iſte ad ſuam confirmandam ſententiam; poſtea vero *nu. 301. ſequent.* aliam ponit concluſionem, in qua firmat dominium pretij transferri in venditorem, quando emptor mala fidẽ rem alienam emit, & in hoc ſenſu ſubdit, contractum emptoris, & venditoris rei alienæ eſſe validum, idque probat *ex L. Si in empt. citata, §. Item ſi, & emptor, & ex L. Rem alienam.* Et ſimiliter aſſerit in hoc ſenſu à Doctoribus vocari validam venditionem hanc, nempe quando eſt mala fides ex parte emptoris, & nominatim laudat *Molinam diſp.340. nu.24. Bonacinã qu.3. cit. pũc.2. n.23. Leſſium li.2. c.21. dub.18.* aſſignat autem huius concluſionis rationem inquiens, ita diſponi à iuribus citatis, & maxime in illo *§. Item ſi & emptor*, in pœnam emptoris mala fide ementis rem, quam ſcit alienam eſſe, & in gratiam veri Domini, qui actionem habet ad pretium, quod in furem emptor malę fidei tranſtulit. *Hæc Oñate*, cuius probationes infra accuratè examinabimus. 3

Ad iura autẽ ciuilia ſuperiùs citata reſpõdet *Valẽtia l.c.v. Quod vero attinet*, Iura illa ſolũ permiſſiuè ſe habere, & obligare vẽditorẽ, vel ad cõplẽdũ quod promiſit, vel ad reſtituendum pretium acceptum emptori, & etiam ad reſarciendum intereſſe,

quod

quod emptor paſſus eſt, hoc autem diſponi à iuribus in pœnam, & non quia contractus fierit licitus, & in foro conſcientiæ obligationem induxerit.

4 *S*ecunda opinio contrarium ſtatuit, videlicet, vi huius contractus transferri dominium pretij in venditorem, & contractum eſſe quoad hanc translationem validum, ſic *Conradus de contractibus tract. 3. qu. 70. concl. 2. & ſequ. Medina Cod. de rebus reſtit. queſt. 37. à verſ. Pro huius breui deciſ. Gomez tom. 2. var. reſol. cap. 2. n. 8. Molina queſt. illa 327. n. 8. Leſſius lib. 2. cap. 20. n. 162. 163. Layman in ſũma lib. 3. tract. 4. cap. 17. ſec. 5. §. 3. Cardinalis Delugo tom. 2. de Iuſt. diſput. 26. ſect. 2. n. 18. Vuadingus de contractibus, diſp. 7. dub. 3. §. 2. n. 2. & alij antiquiores ſcribentes in leges illas.*

5 Dicendum eſt primò contractum hunc poſita bona fide ex parte emptoris eſſe validum, concluſionem probant iura prędicta, quæ non loquuntur permiſſiuè, vt cenſuit Valentia, ſed diſpoſitiuè, nullum enim in illis apparet verbum, ex quo colligatur; expreſsè enim, & abſolutè ſtatuunt validas eſſe has venditiones ex tali contractu vtrinque, nempe in venditore, & emptore obligationem cauſſari, & ſi ad decernendum has leges eſſe diſpoſitiuas, aduerſarijs hoc non ſufficiat, contra illos arguere poſſumus communi aliorum placito; qui dicunt vniuerſaliter huiuſmodi contractum non eſſe validum in ordine ad transferendum dominium rei venditæ tantùm, & non quoad alios effectus; idcircò non poteſt abſolutè appellari inualidus, ſed ſimpliciter validus, & ſecundũ quid inualidus.

6 Probatur etiam ratione in hunc modũ, contractus, qui varios gignit reales effectus, eſt validus, nam ex contractu irrito nullus gigni poteſt realis effectus, vt habetur per textum ex *L. Non dubium cap. de legibus*. Quod enim nullum eſt, ius aliquod tribuere nequit, vt decernit *Rota deciſ. 572. n. 9. apud Farinac. par. 1. tom. 1. edit. 2.* & communiter iuriſtæ affirmant apud *Barboſam in ſuis tract. legal. axiomate* 164. Igitur ſi ex contractu iſto, de quo loquimur, reales inducuntur effectus, conſequens eſt vt dicamus non eſſe irritum, ſed validum; gigni autem varios reales effectus, patet manifeſtè, quia ex parte venditoris reſultat obligatio de euictione in fauorem emptoris, & de recõpẽſandis damnis, quę ipſe emptor pateretur, ſi res vẽdita euinceretur; ex parte vero emptoris validè fit pretij trãslatio in venditorem, vt mox oſtendemus. Hi autem effectus decernuntur per leges prædictas, igitur validus; abſolutè, & ſimpliciter loquendo appellari debet, vt etiam L. *Rem alienam* vocat validum contractum hunc, & hoc in ordine ad plures effectus, ſed quia quod ad vnicum tantum effectum, nempe, quoad translationem, dominium rei venditæ eſt irritus; ideo ſecundum, quid dici poteſt inualidus.

Dicendum ſecundo Dominium pretij, vi huius contractus tranſire in venditorẽ; ſic expreſsè determinatur *in L. Si in emptione §. Item & ſi emptor ff. de contrab. ẽpt. & in L. exempto §. 1. de act. empt. & vẽd.* & ſatis apertè colligitur *per textum, in L. Qui vas §. Cum fur ff. de furtis.* 7

Probari poteſt concluſio ratione, quia cum ex iure habeamus venditionem rei alienæ validam eſſe, & non in ordine ad transferendum dominium rei venditæ, cũ non ſit vendentis, ſed alterius, neceſſe eſt eſſe validam in ordine ad transferendũ dominium pretij, quod ſupponitur eſſe emptoris tradentis illud venditori, & etiã in ordine ad alios effectus reales ex parte venditoris, vt diximus, alter niſi contractus iſte poneretur validus in ordine ad pretium, erit vndique irritus, & quoad rẽ venditam, & quoad pretium, quod contradicit iuribus citatis.

Neque dicas validum eſſe quatenus reſultat ex illo obligatio in venditore ad tradendam rem, ad eius euictionem, & ad intereſſe, quod interdum pati ſolet emptor non acquirendo rem, vel ſi eam acquirat, poſtea eadem ſibi à Domino per ſententiam Iudicis euincatur; Ne, inquã, hoc dicas: quia huic obligationi reſpondet ſolutio pretij facta ab emptore cum translatione dominij, ſi enim venditori nullum ſolueretur, vel ſaltem obligaretur pretium ſoluendum, nulla ab ipſo vẽditore contraheretur obligatio, vi huius contractus, quia obligationes illæ pretio ſunt æſtimabiles.

Ad fundamentum autem, quo nituntur aduerſarij, exiſtimantes neque dominium pretij in tali euentu transferri in venditorem. Reſpondeo, quod quamuis emptor inuincibiliter ignoret rem, quam ſibi venditur, eſſe alienam, & exiſtimet eſſe venditoris, nihilominus ex hoc non rectè infertur cõtractum, ſeu ſolutionem pretij eſſe conditionalem, vt cenſuit *Valentia, & Oñate*; nam aliud eſt, ſi ego sciuiſſem hoc, talem contractum non feciſſem, aliud vero eſt, facio talem contractum, ſub hac, vel illa conditione. Primum nequaquam eſt cõtractus conditionalis, ſed potius abſolutus; aliter quamplures conuentiones, & contractus, qui omnium exiſtimatione iudicantur abſoluti, forent conditionales, in quãtum poſſunt progreſſu temporis poſt initum contractum, tales occurrere circũ- 8

ſtantiæ, quæ ſi ſcitæ fuiſſent à contrahẽte, vtique contractum minimè feciſſet, & tamen contractus ille non dicitur conditionatus, ſed abſolutus; conditionalis tamen eſſet, ſi contrahens ſub tali conditione ſe obligaret, vt rectè docent *Vaſquez in p.2. diſp. 30. cap. 4. n. 24. 25. Valentia in 2. 2. diſp. 5. quæſt. 20. §. 4. concl. 4. & diſp 6. quæſt. 6. §. 4. in fine Sanchez in Decal. lib. 4. cap 2. n. 6. & ſeq.* aio igitur translationẽ pretij in venditorem fieri abſolutè, & ſimpliciter ab emptore, quamuis ſi ſciret rem emptam eſſe alienam, vtique pretium non traderet venditori, ſed nõ tradit illud ſub hac conditione, vt rectè adnotat *Leſſius cap. illo 20. dub. 18. in fine*. Ad illud vero axioma, ſcilicet, Actus agentium non operantur vltra &c. dãtur variæ explicationes, & limitationes, vt refert *Barboſa in tract. Iuris axiomate 12. n. 7. & 128. n. 5.* in præſentia vero dicimus actum agentis, nempe ementis, & tradentis pretium non operari vltra intentionem actualem, & abſolutam, quam habet ipſe emens, operari autem vltra intentionem, quam haberet, actu tamen non habet ipſe emens, ſicuti in votis, promiſſionibus &c. vt ſupra iuxta mentem *Vaſquez*, & aliorum adnotauimus. Ignorantiam denique, ſeu errorẽ emptoris, non eſſe circa ſubſtantiam, ſed circa conditionem quamdam extrinſecam ſuſtinet *Leſſius loco ſuperius citato*, & rectè; ideoq; aio contractum non eſſe ipſo iure irritum, ſed irritabilem, quatenus cognita veritate poteſt emptor illum reſcindere, & pretium ſolutum repetere, defectus autem nõ eſt intrinſecus in re empta, ſed ſolum eſt extrinſecus, in quantum res euinci poteſt à vero domino, ſub cuius dominio manet.

9 Placet hic ponderare nonnulla, quæ in confirmationem ſuæ opinionis aſſerit *Petrus de Oñate ſect. cit. n. 301.* poſtquã enim *n. 300.* immediatè præcedente dixerat, ab emptore, qui ignorãtia inuincibili laborat, non transferri dominium pretij in venditorem rei alienæ, idque probauerat putãs conditionatam eſſe talem pretij ſolutionẽ, quod nos ſuperius ſufficienter impugnauimus, procedit tandem *n. 301.* ad aliam conclusionem; & inter multa duo ponit, quæ mihi magnæ ſunt admirationis. Primo enim cõcludit, in hoc tãtũ ſenſu Authores pro prima opinione laudatos tenere, venditionem rei alienę validam eſſe, & dominiũ pretij transferri in venditorem, quando ſcilicet emptor mala fide emit rem alienã, id vero probat adducens duos textus in iure ciuili; nimirum *in L. Si in emptione. §. Item ſi & emptor*, quem textum nos ſupra attulimus, atque ibi expreſsè hoc haberi, & *in L. Rem alienam, ibique Gloſ. & Doctores*, & explicitè citat *Molinam diſp. 340. n 24. Bonacinam diſp. 3. q. 2. §. 2. n. 23. Leſſium lib. 2. cap. 21. dub. 18.* Miror inquam, virum alioqui doctum, & in peruoluendis iuribus, & auctoribus accuratũ, vt eius opera manifeſtè oſtendunt id retuliſſe, afferendo textus, & Doctores pro ſua ſententia, quaſi illam docentes, cum tamẽ apertiſſimè contradictoriam affirmauerint, & ne viro diligẽti adeò claram impingam falſitatem, conuenit mihi credere, aut copiſtæ, aut alicuius impreſſoris incuria irrepſiſſe. Vt autem palam fiant, quæ à me sũt animaduerſa, fideliter tranſcribam verba iurium, & Auctorum, qui citantur.

Primo enim concluditur ab Oñate validam eſſe venditionem in eo tantum caſu, quando nimirum emptor mala fide emit, &c. & adducuntur duæ illæ leges; videamus modo quid leges ſtatuãt. Sic enim Lex prius citata habet [*Item ſi, & emptor, & venditor ſcit furtiuum eſſe quod venit, à neutra parte obligatio contrahitur*] En tibi amicè Lector ſententia, quæ in hac lege firmatur, è diametro contraria ſentẽtię Petri de Oñate, nã ipſe dicit validã eſſe vẽditionem, quãdo emptor mala fide procedit, & citat hunc eumdem textum, in quo tamen Iuriſconſultus contradictorium decidit, dicens in tali caſu, quando emptor ſcit rem eſſe furtiuam (ſcientia autem in venditore ſupponitur quia eſt fur, vt ſupponitur etiam *ab Oñate n. 300. præcedẽte*) ex neutra parte contrahi obligationem, atq; adeo inualidam eſſe venditionem, ſi enim foret ex alterutra parte valida, aliquã pareret obligationẽ, nõ enim eſt poſſibilis contractus validus, & nullam in contrahentibus obligationem gignere. mitto enim communem eſſe authorum opinionẽ in caſu prædicto irritum eſſe contractum, vt initio huius quæſtionis adnotauimus. Rurſus ſubditur in eodẽ §. *L. Si emptor ſolus ſcit nõ obligabitur venditor &c.* poſtea vero ſic. [*Quod ſi venditor ſciuit, emptor ignorauit, vtrinque obligatio cõtrahitur, & ita Pomponius quoque ſcribit*,] & hæc eſt opinio noſtra, & communis, cui tamẽ contradixit *Oñates n. illo 300.* aſſerẽs, quod cum emptor emit à fure rem alienam, & inuincibili laborat ignorantia, non tranſferri dominium pretij in venditorem. At textus decidit quod in tali caſu vtrinque reſultat obligatio, ſanè ex parte emptoris nulla alia aſſignabitur, niſi ſolutio pretij, eiuſque dominij translatio in venditorẽ, & hæc quo ad iura ab ipſomet Oñate allata, adeamus nunc Authores.

Et primo loco ſe offert *Molina in ea diſput. 340. n. 24.* vbi talia habet verba [*Res aliena in hoc ſenſu prohibita eſt vẽdi, quod ſi emptor tempore contractus ſciebat furtiuam*

uam

Digitized by Google

riam eſſe inualidus eſt contractus Et quã-uis in alijs euentibus in hoc ſenſu ſit vali-dus, quod venditor comparat dominium pretij, ſed tenetur emptori ad totum inte-reſſe, non tamen per eum contractum trãſ-fertur dominium rei venditæ in emptorẽ.] Hæc Molina in hoc loco, quem citat Oñate pro ſe, qui apertè eſt contra ipſum, Duo pondero, & primo à Molina aſſeri, quod poſita ſcientia rei alienę in emptore, in-ualidus ſit contractus, & tamen vali-dum eſſe affirmat *Oñate num. illo* 301. iuxta mentem Molinæ. Secundo in alijs diuerſis euentibus, nempe, quando emp-tor ignorat rem eſſe alienam, eſſe va-lidum, quo ad transferendum dominium pretij, & non rei, & tamen *Oñate* ait in eo caſu ſolum eſſe validum, quando emp-tor ſcit, &c. & in caſu ignorantiæ non transferri dominium pretij, quod eſt cõ-tradictorium illius, quod docet *Molina in hoc eodem loco*, quem ipſe Oñate pro ſe affert. addo hanc eandẽ ſententiã ſuſtineri ab eodem *Molina etiam diſputatione illa* 327 *& diſp.* 721. *n.* 8.

Secũdo loco eſt *Bonacina n.* 23. citatus ab eodẽ Oñate, qui oppoſitum clarè docet ſi legatur, dicit enim expreſsè, venditio-nem hanc eſſe validam, quoad transferẽ-dum dominium pretij, non autem quoad transferendum dominium rei, & loquitur in eo caſu, quo emptor ignoret fraudem venditoris, vt patet legenti, atque adeo bona fide procedit, & hoc non obſtante aſſerit transferri dominium pretij, vt vide-
9 re eſt etiam *in n.* 24. *ſequente*, & nihilomi-nus pro ſe hunc Authorem adducit Oñate.

Tertiò deniq; loco eſt *Leſſius*, qui licet *in cap. & dubitat. citata ab Oñate* nihil di-cat de hac controuerſia, vt mox videbi-mus, *in cap. tamen* 20. *dubit.* 18. vt ſupra retulimus, expreſsè docet noſtram opini-onem contrariam directè ſententiæ Petri de Oñate, imò illud ipſum argumentum, quo Oñate vtitur ad probandum, poſita ignorantia ex parte emptoris, non trans-ferri dominium pretij, Leſſius ſibi obijcit, & ſoluit in fine illius dubitationis *ver.* [*Di-ces talis contractus eſt inuoluntarius ex parte emptoris, &c.*] legantur verba.

In loco autem illo, quem affert Oñate aliud diuerſum expendit Leſſius, quærit enim ibi: an ſit licitum emere rem alienã, eamque retinere, proponit primo ratio-nes dubitandi pro parte negatiua, & pro ſolutione quæſiti, tres modos præmittit, quibus caſus ille poſſet contingere, & po-ſtea ponit tres concluſiones, & in prima ſtatuit, quod ſi ſit ſpes Dominum alia ra-tione rem ſuam recuperaturum, nõn poſ-ſe rem illam emi, niſi animo reſtituendi eam ipſi Domino, detractis expenſis, &c. In ſecunda ait, quod si ſpes illa deſit, niſi rem ego emam, emi à me non poſſe ani-mo illam retinendi, &c. In tertia conclu-ſione docet, quod ſi nulla ſpes extet, vt Dominus illam recuperet, & publicè vẽ-datur poſſe emi, & retineri, aut vendi, & ſi Dominus compareat eſſe reſtituendam, pretio tamen excepto. Hæc habentur à Leſſio in hac dubitatione citata ab Oñate, in qua, vt patet, expenditur aliud quæſi-tum diuerſum à noſtro, Quæritur enim, an licita ſit emptio rei alienæ, poſita ſcientia ex parte emptoris, quod ſit aliena, nihil tamen diſſeritur de valore contractus, de translatione dominij, & quando eſt igno-rantia rem eſſe alienam ex parte empto-ris: Maneat igitur ex dictis tum in iure, tum ex doctrina Authorum, & præſertim eorum, qui citantur, contradictorium haberi illius, quod docet *Oñate in n. illo* 301. si tamen ex errore alterius non ſit appoſitum,

Dicendum eſt tertiò. Si venditor ver- 10
bis, aut ſignis poſitiuè dicat emptori, rẽ illam, quam vendendam exponit, eſſe ſuam, & hac ratione emptor ducatur ad rem emendam, irritum eſſe contractum, quia procedit ex dolo cauſſam dante ipſi contractui. *Sic Medina quæſt. cit. in reſ-ponſione ad tertium argumentum*; Ex hoc autem inferri euidenter poterit, vendito-rem in foro conſcientiæ aſtringi ad recõ-penſanda damna, quæ emptori obueniũt ex tali dolo, & hoc non iure ciuili, ſeu vi contractus obligantis ipſum venditorem, cum enim contractus ponatur inualidus, nequit ex illo ciuiliter ſequi vera, & rea-lis obligatio, ſed iure naturali, & in foro conſcientiæ, ratione iniuſtę acceptionis, ſeu ratione doli, aſtringetur venditor re-ſarcire damnum, quod alter contrahens, nempe emptor, ſuſtinebit. Quando autẽ venditor non affirmat, aut ſignificat rem eſſe ſuam, ſed ſimpliciter vendens pro-mittit eam tradere emptori, tunc aſſeri-mus validum eſſe contractum, vt expreſsè hanc eamdem præmittens diſtinctionem docet *Medina*, & hoc inquantum ex tali contractu non ſolum naturaliter, & in fo-ro conſcientiæ, ſed etiam ciuiliter reſul-tat obligatio in venditore ad ſeruandum indemnem ipſum emptorem.

Dices. Si quis vendat alicui rem habẽ- 11
tem vitium occultum, non ſatisfacit ſuæ obligationi, ſolum abſtrahendo à menda-cijs, quibus deciperetur emptor, verum etiam tenebitur defectum illum, qui eſt in re vendenda emptori manifeſtare, vt ſuo loco videbimus, ergo à pari in caſu noſtro, neque ſatisfacit venditor, non decipiendo verbis, aut ſignis emptorem, ſed etiã nõ manifeſtãdo rem, quæ vẽditur, eſſe alienam.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo negando conſequentiam, & paritatem; nam vt bene animaduertit *Medina l.c.* Iura obligant venditorem ad aperienda vitia intrinſeca rei venalis, vt colligitur *ex L. Iulianus initio ff. de act. emp. & vend.* & *ex L. 1. ff. de peric. & commod. rei vend.* & demum *ex l. 1. Cod. de ędilitijs actionibus*, ideoque cum hoc ſit onus vẽditoris, ſi omittat manifeſtare vitium intrinſecum occultum, iniuriam emptori infert, & ſi occultatio dat cauſſam contractui, irritum illum reddit; non ita res ſe habet in venditione rei alienæ, nam talis defectus eſt extrinſecus, proindè, niſi vẽditor poſitiuè verbis, aut ſignis decipiat emptorem, ſed permiſſiuè tantũ ſe habeat, & ſimpliciter rem illam alienam vendat, in foro externo nihil ex proprio officio omittit contra emptorem, quia emptor ſcire debet naturam contractus venditionis, ſcilicet non eſſe de eius ratione transferre dominium rei venditæ, per ſe loquendo, ſed ſolum venditorem ſe obligare ad tradendam rem, & ea tradita, ad euictionẽ, & intereſſe cum igitur ſit notum id, in quo conſiſtat natura huius contractus, non tenebitur ex officio venditor naturam huius contractus emptori declarare, ipſique emptori imputabitur, ſi id ignoret, hoc autem dicimus pro foro externo, & pro validitate contractus, nam in foro conſcientiæ, vt plurimum talis venditio eſt illicita.

12 Queres, vnde oritur diſcrimen illud inter venditionem, & emptionem, nempe de ratione venditionis non eſſe transferre dominium rei venditæ in emptorem, contra vero eſſe de ratione emptionis transferre dominium pretij in venditorem?

Reſpondeo ex doctrina *Corradi quæſt. illa 70. in notandis poſt 9. concluſionem, & Medina l. c. ver. ex illa conuentione*, diſcrimen eſſe, quia non eſt de ratione huius contractus vendere rem ſecundum genus, cum optimè conſiſtere poſſit in venditione rei ſecundum ſpeciem. Aduerte tamen hic, quod res, quam Iuriſtæ appellant ſpeciem, Theologi vocant indiuiduũ, & quod Iuriſtæ appellant genus, Theologi dicunt ſpeciem, cum igitur venditio, & præſertim rei immobilis, ſoleat eſſe de re ſecundum ſpeciem, v. g. vendat quis tale prædium, talem domum, & in mobilibus, talem veſtem, tale vas argenteum, &c. idcircò ſi res ſit aliena non poterit ſine cõſenſu veri domini transferri in dominiũ alterius, nempe emptoris; quia in rem illam etiam numericè acceptam, Dominus habet verum ius, & dominium, cõtra vero emptor non ſolet obligari ad ſoluẽdum pretium in tali determinata pecunia numericè accepta, ſed ſiue in iſta, ſiue in alia, eiuſdem tamen valoris: idcirco transferẽdo pecuniam etiam alienam, eam facit vẽditoris, non enim tenetur domino illius pecuniæ, reſtituere eamdem numero. Eadẽ autem eſſet ratio ſi venditor venderet rem aliquam ſecundum genus, e. c. decem frumenti modios, tunc illos conſignando emptori, etiam ſi numericè accepti ſint ſub alterius dominio, nihilominus cũ tradũtur emptori ſunt illius, quia venditor poterit totidem modios eiuſdem conditionis domino reddere, hoc autem accidit contractui venditionis, & non eſt de eius ratione.

Sed obijcies probando eſſe de ratione venditionis, vt ſic, tranſlationem dominij rei venditæ in emptorem, oſtenditur autẽ à pari. De ratione permutationis eſt, vt 13
vtraque res, quæ permutatur tranſeat in dominium alterius: v. g. Titius commutet ſuum equum Sorti illum tradendo, & Sortes pro equo det vas aureum æqualis valoris cum equo, vt contractus iſte ſit validus, oportet equum tranſire in dominium Sortis, & vas illud in dominium Titij, vt communiter docent Authores, & *Sanchez in decal. lib. 2. cap. 23. n. 25. Gratianus tom. 2. diſcept. 161. n. 11.* & ita determinant iura, vt patet per *textum in L. 1. ff. de rer. perm.* Igitur eodem pacto, in venditione, & emptione, merces debẽt neceſſario transferri, in dominium emptoris, & pretium in dominium venditoris; Par enim videtur ratio, nam contractus venditoris, & emptoris eſt quædam commutatio.

Reſpondeo diuerſam rationem eſſe 14
vtriuſq; contractus, vt innuit *Sanchez l. c.* diuerſitas autem rationis à nobis eſt declaranda, non aliunde, niſi ex ipſo iure, nempe ex *L. illa de rerum permutatione*, vbi expreſſe ponitur diſcrimen inter vtrũque contractum, quod ſcribentes ibidem declarãt, & approbant: Initio .n. illius legis dicitur, quod ſicuti aliud eſt vẽdere, aliud emere, & alius venditor, alius emptor, ita aliud eſſe debet pretium, aliæ vero merces, quæ venditur, cæterum in permutatione non poteſt diſtingui, quis ex permutantibus ſe habeat, vt venditor, & quis vt emptor, neque, quid ſe habeat, vt pretiũ, & quid vt merces; ideoque vt verbis illius legis vtar, præſtationes vtriuſque contractus valde inter ſe differunt. Cum igitur in permutatione nulla ſe offerat maior ratio, cur potius vna quàm altera res ex permutatis ſe habeat, vt pretium, aut merces, proindè, vel vtraque transferri debet in dominium alterius, vel neutra, & ideo ſi alter ex permutantibus vellet dare rem alienam, & pro ea accipere in commutatione rem, quæ eſt alterius permutantis, corrueret contractus permutationis, & per

Digitized by Google

per conſequens iſte, qui dat rem ſuam verè, & realiter, non transfert illam in dominium alterius, & hoc ex defectu alterius rei commutatæ, quæ non tranſit in dominium alterius contrahentis, cum ſit aliena, & maneat ſub dominio alterius tertij, quod eſt contra rationem huius cõtractus, & ſic patet diſcrimen, & diſcriminis cauſſa inter contractum venditionis, & permutationis.

Obijcies ſecundò. In contractibus venditionis, & emptionis ex forma conſueta contrahendi inuolui ſolent verba, quibus venditor obligetur ad dandum, videlicet dat; & dedit, atque adeo aſtringitur ad dominium rei venditæ transferendum in emptorem, igitur falſum eſt non eſſe de ratione contractus venditionis venditorẽ non ſe obligare ad dandam mercem.

15 Ad hanc inſtantiam reſpondet *Bart. in L. 1. de rerum permutat. ſuperius citata n. 6.* verba iſta in contractu venditionis impropriè apponi ex vſu, ex hoc autem non ſequi non eſſe verum contractum vẽditionis, nam additio harum clauſularum, quæ ſunt tranſlatiuæ dominij rei in emptorem, cum non requirantur neceſſario ad verum & purum contractum venditionis; ideo reſpectu ipſius contractus dicuntur impropriæ, ſeu non propriæ, & extraneæ, retinent tamen ſuam vim, nempe eſſe tranſlatiuas dominij, quamuis ob aliquod impedimentum, ſeu defectum interdum non transferatur.

SECTIO SECVNDA.

Emens bona fide rem alienam, eamque alteri vendens, num teneatur pretium eiuſdem rei Domino ſoluere.

SVMMARIVM.

1 *Quæſtio declaratur.*
2 *Caſus in ordine ad pretium multipliciter accidere poteſt.*
3 *Aliqui autumant pretium ſiue æquale, ſiue minus eſſe ſoluendum domino rei venditæ.*
4 *Id tripliciter probant.*
5 *Alij oppoſitum tuentur poſita pretij æqualitate.*
6 *Author hanc ſecundam ſequitur ſententiam.*
7 *Eam ratione fundamentali confirmat.*
8 *Negat in ſecundo venditore non eſſe titulum retinendi pretium ſolutum à ſecũdo emptore.*
9 *Negat Titium ſecundum venditorem locupletiorem euaſiſſe.*
10 *Falſum eſt pretium ſemper loco rei ſuccedere.*
Fructus, qui ex re aliena fructifera naſcuntur naturaliter, pertinent ad dominum rei. 11
Idem potiori ratione ſuſtinet author, quãdo rem minori pretio vendit. 12

VT preſens quæſitum dilucidemus, exemplo difficultas eſt declarãda. Sit Titius, qui emat à Sorte equum alienum, ſiue Sortes furtò, ſiue alia via illum habuerit, ignoret tamen Titius equum illum eſſe ſub alterius dominio, & putet eſſe ipſius Sortis vẽdentis; durante autem bonafide, Titius vendat Caio eumdem equum, & ab eodẽ pretium iuſtum equi recipiat, his vero peractis, innoteſcat Titio equum fuiſſe Ioannis, qui, vt nunc ſupponimus, nequeat equum ſuum recuperare, vel quia ille iam mortuus, vel quia deperditus eſt, & nulla ſit ſpes illum rehabendi, & hoc modo ſupponimus, vt præſcindamus, ab alia controuerſia inferius exagitanda, videlicet; num emens à fure rem aliquam furtiuam valeat reſcindere contractum cũ latrone, eidemque rem reſtituere ad pretium recuperandum, hæc autem eſt alia quæſtio, de qua in præſenti ſermonem nõ inſtituimus, His omnibus præhabitis, quæſitum procedit: quando res aliena vendita, neque à proprio Domino, neque à poſſeſſore bonæ fidei, quia eam vendidit, haberi poteſt. 1

Caſus autẽ in ordine ad pretium multipliciter contingere valet, nam Titius, qui primo loco emit equum illum, eumdem Caio vendere poterit æquali, vel minori, vel maiori pretio, quàm ipſe à Sorte prius comparauerat, & omnibus his modis caſus, & quæſitum examinari debet: ideo maioris diſtinctionis gratia, ponamus prius æquali, vel minori pretio a Titio venditum fuiſſe, in hoc enim caſu eadem eſt ratio difficultatis de æqualitate, & minoritate pretij, & ſolùm diuerſitatẽ cauſſaret maioritas pretij, de qua re, poſtea erit loquendum. His præſuppoſitis. 2

Prima ſententia affirmat, pretium illud, ſiue æquale, ſiue minus, eſſe ſoluendum, in caſu poſito, Ioanni, qui eſt Dominus illius equi. ſic docent quàm plures, & graues Doctores, *vt Petrus de Ledeſma in ſum, par. 2. tract. 8. cap. 14. dub. 2. poſt quartam concluſionem §. A eſta difficuldad*, & citat *Barthol. Med. Orellanam Peñam*, in eadem ſententia eſt *Bagnes in 2. 2. S. Thomæ quæſt. 62. ar. 2. dub. 2. Aragonius ibidem in explicatione articuli poſt illa verba. Salonius ibidem controu. 2. ver.* Nobis hæc ſententia *Sayrus in claui Regia lib. 10. tract. 2. cap. 2. n. 13. 14.* & pro hac eadem opinione 3

San-

Sãchez lib. 2. in decal. cap. 23. n. 24. citat *Vaſquez in 2. par. S. Thomæ quæſt. 96. a. 5. diſp. 172. cap. 1. n. 4.* Sed ibi Vaſquez quamuis videatur docere, à poſſeſſore bonæ fidei eſſe reſtituendam rem, quam penes ſe habet, ſiue in ſpecie, ſiue in pretio, & æſtimatione; nihilominus ibi loquitur de fructibus rei alienæ, ratione quorum poſſeſſor ditior eſt factus, ſiue in re aliqua, ſiue in pretio. in hac autem prima parte quæſiti non eſt ſermo, quando Titius in ſecunda venditione recipiẽs pretium fit locupletior ſupra id, quod ante primam emptionem habebat, cum rẽ alienam à Sorte comparauit, de hoc enim puncto infra loquemur, ſed loquimur in caſu, quo tantum recipit à ſecundo emptore, ſcilicet à Caio, quantum ipſe, vt primus emptor, ſoluit primo vẽditori, nempe Sorti, & de hoc nihil eo loco dicit Vaſquez, ſed alibi, vt mox videbimus.

Rationes autem pro hac ſententia ſunt plures, vt patebit legẽti laudatos auctores, & ni fallor ad duas, vel tres reuocantur, quæ ſunt principaliores.

4 Primo enim probatur pars affirmans, in hunc modum Titius ſecundus venditor nullum habet titulum ſibi retinendi pretium ſolutum à Caio ſecundo emptore; ergo obligatur ad illud reſtituendum Ioãni vero Domino, conſequentia iſta certa eſſe debet, ſi verum erit antecedens, nullus enim alius titulus aſſignari poterit, ob quẽ pretiũ ſit reſtituẽdũ, cum ex hypotheſi in caſu, quẽ formauimus, non debeat fieri reſtitutio venditori, ſcilicet Caio; quia ſuppoſuimus ex venditione nullum damnum Caio contigiſſe, alia autem perſona, quæ ad rem faciat, excogitari non poterit; tota igitur difficultas in antecedente ſita eſt; quod ſic oſtenditur. Si aliquis titulus fingeretur, maxime eſſet contractus ipſe, quo Titius vendidit Caio equum illum at contractus iſte cum fuerit de re aliena, fuit inualidus, ſaltem quo ad transferendum dominium ipſius equi, & per conſequens nõ potuit Titius acquirere vi illius aliquod verum, & reale ius; ergo nullum habet titulum ſibi retinendi pretium illius equi.

Probatur ſecundo, quia cenſetur Titius recipiens pretium à Caio, factus locupletior, quod demonſtratur, Nam quando Titius prima venditione ſoluit Caio pecuniam in pretium equi alieni, ponitur amiſiſſe pecuniam illam, & agnita veritate, ſi apud ſe haberet rem alienam vtique teneretur illam Domino reſtituere, non obſtante iactura pretij, quod primo venditori ſoluit; proinde tantumdem recipiens à Caio cenſetur fieri locupletior; atq; adeo aſtrictus ad reſtituendum Domino illud, in quo ditior euaſit.

Tertio probatur, quia pretium ſuccedit loco rei, vt habetur per textum in *L. Si & rem, & pretium 25 §. poteſt exiſtimari ff. de petit. hæreditatis, & L. Sed, & ſi §. 1. de legat. 3.* Et confirmatur: Si enim fructus extantes ex re aliena ſunt vero domino reſtituendi, multo magis & pretium, quod videtur eſſe magis idem cum re aliena quàm ſint fructus.

Hæc, & ſimilia argumenta ſuadent hãc opinionem, eamque non parum probabilem reddunt.

Secunda ſententia oppoſitum tuetur, videlicet Titium, qui bona fide emit, & vendidit Caio rem alienam, æquale recipiens pretium, cum illo, quod primo venditori, nempe Sorti, ſoluit, non aſtringi tale pretium Ioanni, qui illius rei eſt Dominus, perſoluere, hæc ſententia plures habet patronos, nam eam defendunt Couar. ex Canoniſtis *Nauarrus in Manuali cap. 17. n. 8. Sigiſmundus Scaccia de commerc. §. 1. qu. 7 ampl. 19. n. 83.* & nouiſſimè *Honoratus Leotardus de vſuris qu. 95. n. 54.* ex Theologis *Caietanus in ſum. ver. Reſtitutio cap. 1. §. Aduerte. Syluest. ver. Reſtitutio 3. quæſito 7. in 3. dicto, Sotus lib. 4. de iuſtit. q. 7. a. 2. Col. 5. & 6. Med. cod. de Reſtit. quæſtio 10. §. Si autẽ ſecundus. Vaſquez opuſc. de Reſtit. cap. 9. §. 2. su. 3. dub. 5 Valentia in 2. 2. S. Thomæ diſp. 5. quæſt. 6 pũc. 3. in fine. Leſſius lib. 2. de Iuſtit. cap 14. dub. 1. n. 4. & dub. 5. cap. 29 Salas de empt. & vendit. dub. 48. concl. 3. Toletus in ſum. lib. 5. cap. 17. n. 8. Rebellius de obligat. iuſt. par. 1. lib. 2. quæſt. 3. ver. Atque hinc, Sanchez in decal. lib 2. cap. 23. n. 25. Bonacina de contract. diſp. 1. qu. 3. pũc. 1. n. 9. Diana par. 3. Tract. 5. reſol. 42. Ioannes Delugo tom. 1. de Iuſtit diſp. 17. ſec. 1. à n. 19. Trullench. in decal. lib. 82. cap. 11. dub. 1. n. 4. & alij apud eoſdem.* 5

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quam mitiorem, & probabiliorem iudico, non ſolum ratione, verum etiam auctoritate tantorum virorum, qui illam tuentur. 6

Probatur autem hac ratione fundamẽtali. Titius ſecundus venditor non tenetur reſtituere Domino rei, nempe Ioanni, pretium ratione iniuſtæ acceptionis, neq; ratione rei acceptæ, neque demum ratione contractus, ergo, &c. Conſequentia procedit, ſi verum eſt antecedens, quia nullum aliud remanet caput, ex quo Titius poſſit obligari ad ſoluendum pretium Domino rei, Probatur autẽ antecedẽs per ſingula, non tenetur ex primo capite, ſcilicet ratione iniuſtæ acceptionis, quia, vt initio ſuppoſuimus, Titius, tum emendo, 7

do, tum vendendo ſemper bona fide proceſſit; proinde nulla fuit actio iniuſta ex parte ipſius Titij, neque ratione acceptæ rei, quia equus, qui fuit res vendita, non inuenitur penes Titium, tempore quo Titius agnouit fuiſſe alienum, neque pretium ſucceſſit loco equi, vt patebit infra in ſolutione ad tertium; neque idem Titius eſt factus ditior, vt videbimus in ſolutione argumentorum pro parte affirmatiua; neque demum tenetur ex tertio capite, nimirum ratione contractus; quia inter Titium, & Ioannem dominum ipſius equi, nullus interuenit contractus, & conuentio. Supereſt autem vt rationes oppoſitas pro prima ſententia diluamus, ex quarum ſolutione veritas noſtræ ſententiæ magis elucebit.

8 Ad primam rationem. Reſpondeo, negando antecedens, in quo dicebatur in Titio venditore nullum eſſe titulum retinendi pretium ſolutum à Caio, Titulus enim ſufficiens fuit contractus ille venditionis initus inter ipſum Titium, & Caium, nam & ſi vi talis contractus non potuerit Titius transferre dominium equi in Caium, niſi apparenter, & non realiter, quia adhuc dominium talis equi perſiſtebat in Ioanne vero Domino; nihilominus in ordine ad transferendum dominium pretij, quod ſoluit Caius, fuit contractus ille validus, vt vidimus *ſect. præcedente*, nam Caius erat verus Dominus illius pretij, & abſolutè loquendo habuit voluntatem dandi pretium illud, modo quo ſuperiore ſectione declarauimus; & ideo datur verus titulus recipiendi pretium, & per conſequens illud ſibi retinēdi, tenetur tamen Titius reddere indemnem Caium ſuum emptorem, ne ratione talis emptionis aliquod detrimētum patiatur; quod tamen non eſt paſſus, neque eſt periculum, vt illud patiatur, vt ſuppoſuimus formando caſum, in quo ſolum conſideramus Titium ſecundum venditorem in ordine ad Ioannē Dominum equi, & non in ordine ad Caium emptorem.

9 Ad ſecundam, negamus Titium in caſu poſito locupletiorem euaſiſſe, quia ponimus tantum recepiſſe à Caio, quantum ipſe ſoluit Sorti primo venditori, & licet viſus fuerit amiſiſſe pretium, quod Sorti ſoluit; nihilominus in re ſemper retinuit ius ad recuperādum idem pretium à Sorte venditore, qui tenebatur reſcindere contractum reſtituendo equum vero Domino, & pretium ipſi Titio; hoc autem ius, quod habebat ad ſuum pretium recuperandum, fuit extinctum ſolutione ſecundi pretij à Caio recepti, ideoque non cenſetur Titius ditior factus, cum tantum receperit, quantum ſibi debitum fuerit. & confirmari poteſt reſponſio ex doctrina tradita à *Sanchez l. c. in decal.* ſi enim durante bona fide, equum Titius vendidiſſet Sorti, à quo illum prius emerat, & æquale pretium recepiſſet, non aſtringeretur pretium Domino illius equi perſoluere; quia idem reciperet, quod prius dederat; ergo neque ſi æquale pretium recipiat ab alia tertia perſona, cui vendiderat equum, par enim eſt, & non facit ad caſum diuerſificandum, recuperare idem pretium, ſiue ab vno, ſiue ab altero emēte.

Ad tertium, falſum eſt pretium ſemper 10
loco rei ſuccedere, nam in ſolis iudicijs, ſeu cauſſis vniuerſalibus veritatem habet. iudicia vniuerſalia, prout faciunt ad præſentem materiam, ſunt quædam actiones, quæ de vniuerſitate ab *Vlpiano* appellantur *L. 1. ff. de Rei vendicatione, à Bartolo in L. illa, ſi & rem, & ab alijs communiter*, quatenus vnius iuris petitione, plura petuntur iura, vt eſt v. g. hæreditas, in qua plura includuntur, ſiue iura, ſiue corpora, vt dicitur *in L. Item videndum ſecundo §. finali, & L. ſequente §. Veniunt ff. de petitione hared.* quia omnia, & ſingula iura hæres legitimus petēs apud Iudicem hæreditatem vnica petitione cenſetur petere plura illa iura, & corpora: enumeratur etiam fidei commiſſum vniuerſale, in quo etiam plura bona fidei cōmiſſo ſubiecta continentur, eſt etiam dos, quæ plura adhuc inuoluere poteſt iura; hæ autem actiones dicuntur de vniuerſitate ad diſcriminādas illas ab alijs actionibus, quæ ſunt de rebus ſingularibus, & per quas vnica petitione rem vnam ſingularem petimus, v. g. veſtem, equum, decem aureos, &c. proinde in caſu noſtro cum non agatur de vniuerſalibus, pretium non ſuccedit loco rei, vt expreſsè colligitur *ex lege Qui vas §. cum fur ff. de furtis*, vbi ſtatuitur *ab Vlpino* pretium, quod ex vaſe argenteo furtiuo fur accepit, non eſſe furtiuum, neque eſſe Domini illius vaſis, ſed ipſius latronis; & idem docet *Bart. ibi*, ſi autem in his particularibus pretium ſuccederet loco rei, ſanè pretiū receptum à latrone ex vaſe vendito, acquiſitum fuiſſet ipſi Domino vaſis, & ab eodem vendicari potuiſſet, tamquam res ſua, quod tamen negat ibi Iuriſconſultus.

Ad Confirmationem autem nego pari- 11
tatem, nam fructus ex re aliena fructifera, naturaliter naſcuntur ex illa; & ideo per ſe ſunt fructus rei, & per conſequens ad eiuſdem rei dominum pertinent; at pretium, vt comparatum ad rem venditā, non ſe habet vt effectus per ſe, cum non innaſcatur ex illa; ſed potius comparatur

Digitized by Google

vt effectus induſtriæ hominis vendentis; proinde non eſt par ratio. Falſum etiam eſt, pretium reputari idem cum re aliena vendita, niſi in quibuſdam tantum caſibus ex iuris diſpoſitione, vt ſupra vidimus.

12 Quæ in hoc quæſito dicta à nobis ſunt, quando primus emptor, bona fide perſeuerante, vendit alteri rem alienam æquali pretio, quod primo venditori ſoluerat, locum etiam, & potiori ratione, habent, quando rem illam minori pretio diſtrahit.

SECTIO TERTIA.

Quid iuris, quando bonæ fidei emptor maiori pretio, quàm emerat, vendit rem alienam.

SVMMARIVM.

1 *Quæ detrahenda ſint ab emptore rei alienæ, ſi eam maiori pretio vendat.*
2 *Aliqui cenſent totum exceſſum domino eſſe reſtituendum.*
3 *Alij vero oppoſitum tuentur.*
4 *Nonnulli, quibuſdam adhibitis limitationibus, in alias ſententias deuenere.*
5 *Ponitur deciſio Authoris, quando ex induſtria vendentis eſt exceſſus in pretio.*
6 *Quando exceſſus non oritur ex induſtria, domino eſt reſtituendus.*
7 *Quænam ſint attendenda ad agnoſcendũ, quando exceſſus eſt ex induſtria, quando vero minime.*
8 *Exceſſus oriens ex circumſtantijs generalibus habetur vt fructus ipſius rei, proinde domino reſtituendus.*
9 *Inſtantia in contrarium, eiuſque ſolutio.*
10 *Exceſſus reſultans ex ſpeciali diligentia venditoris eſt ad inſtar fructus induſtrialis.*
11 *Diluitur primum argumentum contra doctrinam Authoris.*
12 *Satisfit ſecundo argumento.*
13 *Occurritur incommodis allatis à Molina.*
14 *Reijcitur opinio Lopez.*
15 *Non eſt impugnanda opinio Ioannis De lugo.*

1 ANtequam huius difficultatis punctum ingrediamur, ſupponimus id, quod *Sanchez lib. 2. in decal. cap. 23. n. 28.* vt certum præmittit, nempe à tali venditore detrahi poſſe valorem ſui laboris, & expenſas neceſſarias, ſi forſitã eas fecerit. Supponimus etiam pretium illud maius, eſſe intra limites iuſti pretij, aliter exceſſus procul dubio emptori eſſet reſtituendus. Denique ſupponimus, non eſſe ſermonem de re aliena, quæ intrinſecè mutata tempore venditionis reperiretur. v. g. ſi res ſit equus, qui grandior, & pinguior ſit factus, vel aliã acquiſierit intrinſecam bonitatẽ, maiorem ea quàm antea habuerat, & ratione talis bonitatis plus fuerit æſtimatus, & per conſequens maiori pretio venditus, tunc exceſſus in domini beneficium cedere deberet, & hoc videtur ſupponere noſter *Molina loco inferius citando*. His igitur præmiſſis, loquimur quando nulla ſit intrinſeca mutatio in re ipſa aliena, & hoc non obſtante, maiori vendatur pretio, & de hoc eſt controuerſia, v. g. Titius à fure equum fraudulenter ſublatum emat, illumque ſecundum intrinſeca meliorem non effectum, durante bona fide, vendat Sorti maiori pretio, quàm emerat, vt ſi priùs illum mercatus fuerat centum, poſtea vẽdat centum, & viginti aureis. Inquirimus num exceſſum illum viginti aureorum poſſit Titius ſibi retinere; an vero teneatur illum Domino equi reſtituere, quando ceſſante bona fide, in notitiam venit de vero Domino. circa rem hanc tres inuenio ſcientias.

2 Prima eſt eorum, qui dicunt totum exceſſum eſſe Domino reſtituendum; & hæc opinio eſt valde communis, eamque tuetur *Caietanus in ſum. ver. Reſtitutio cap. 1. §. Aduerte circa hanc regulam, Medina de reb. reſt. queſt. 10. §. Si autem. Vaſquez opuſcul. de reſtitut. cap. 9. §. 2. dub. 4. n. 21. & dub 4. n. 3. Salas de empt. dub. 4. concl. 4. Leſſius lib. 2. cap. 14. dub. 1. n. 4. & dub. 5. n. 29. Nauar. in Enchir. cap. 17. n. 8. Rebell. de reſt. par. 1. lib 1. quæſt. 3. uer. Atque hinc, Sanchez l. c. Bonacina de reſtit. diſp. 1. q. 2. 1. 1. n. 9. Leotardus de vſuris quæſt. 95. n. 54* & potiori ratione hanc opinionem docent, qui ſuſtinent pretium etiam æquale eſſe vero Domino ſoluendum, quos ſupra citauimus. Varijs autem argumentis auctores prædicti ducuntur ad hanc tuendam ſententiam. Primo, quia ille exceſſus cum ſit intra latitudinem iuſti pretij, vt ſuppoſuimus, eſt fructus rei alienæ, ergo Domino rei eſt reſtituendus; Nam fructus ad Dominum rei pertinent *Inſtitut. §. Si Titius & §. Is vero de rerum diuiſ.* Secundo ducuntur ex Iure ciuili nam *in L. Item veniunt §. eos autem, & L. ſi & rem, ff. de petit. hæreditatis*, determinatur pretium hæreditatis, quam quis bona fide exiſtimat ad ſe pertinere, accreſcere ipſi hæreditati, & ad verum heredem legitimum tamquam verum Dominum ſpectare.

3 Secunda opinio contraria mitiùs procedens docet exceſſum illum non eſſe neceſſariò reſtituendum Domino rei venditæ, ſic *Molina tom. 3. par. poſteriori diſp. 721. n. 10. Layman lib. 3. tract. 4. ca. 17. ſect. 5. §. 3. n. 25. Diana*, qui vt proba-

babilem hanc ſententiam recipit *par. 3. tract. 5. reſol.* 41. & nouiſſimè *Ioannes Delugo tom. 1. de Iuſt. diſp. 17. ſect. 1. n. 20.* limitationibus tamen quibuſdam adhibitis *num.* 22. 23. & illam non improbabilem appellat *Trullench in decal. lib. 7. cap. 11. dub. 1. num. 4. & dub. 4. n. 4.* Præcipuum huius opinionis fundamētum eſt, quia exceſſus ille videtur eſſe induſtrialis, & non naturalis; atque adeo non eſſe Domino rei debitus. probat etiam *Molina*, ex eo quod irrationabile videtur, ſi venditor iſte bonæ fidei aſtringeretur ad reſtituendum exceſſum illum Domino rei; nam in huiuſmodi negotiatione exponeretur periculo amittendi, & non lucrandi, ſi enim minori pretio, quó emerat, venderet, nemo reperiretur, qui tale pretij decrementum ipſi reſarciret; contra vero ſi maiori pretio venderet, cogeretur lucrum conſiſtēs in illo exceſſu Domino rei reſtituere, & ſic poſſet deperdere ita negotiando, & non lucrari, quod non videtur rationabile. Rurſus vendens rem illam alienam obligatur emptori ad euictionem, & ad totum intereſſe, quod ipſe emptor poſſet ſuſtinere, ſi res euinceretur, igitur non videtur rationi conſonū, vt lucrū nequeat in ſui vtilitatem acquirere, ſic *Molina* diſcurrit.

4 Aliæ opiniones mediæ procedunt aliquas adhibendo limitationes, nam *Lopez in inſtruct. conſci. par. 2. cap. 89.* licet à *Sanchez* ibi citetur, incipiens *à ver. circa hanc quæſtionem*, vtramque expendēs ſententiam, poſtea *à ver. At quia*, vtramque volens conciliare ait, quod ſi emptor bona fide emens, & eadem bona fide pluris vendens, quàm emerat, & pretium quod ſoluerat, fuiſſet negotiaturus, & lucraturus: tunc deductis deducendis, nō tenebitur forſitan illud plus reſtituere, & hoc vt ſeruet ſe ipſum indemnem; ſi vero neque negotiaturus, neque lucraturus fuiſſet cum pretio illo, tunc teneretur exceſſum Domino rei reſtituere. ſic ratiocinatur *Lopez* vtramque ſententiam componens.

Denique eſt ſententia *Ioannis Delugo de Iuſtit. diſp. 17. ſec. 1. à n. 19. vſque ad finem*, vbi multa ſubtiliter diſcutit, tum in caſu, quo res furtiua fuerit bona fide empta, & poſtea vendita, tum etiam in caſu, quo à fure non titulo oneroſo, ſed merè gratuito fuerit donata, & eadem bona fide, poſtea à donatario vendita; tādem *num.* 23. limitat ſententiam Molinæ, quando quis emit rem furtiuam, v. g. triticum, tempore, quo viliori pretio vendebatur, poſtea vero creſcente pretio tritici, illud in eodem loco abſque vlla induſtria vendat pretio medio, tunc exceſſus ille, nempe exceſſus medij ſupra illud vile pretium, quo prius triticum fuit emptum, videtur non eſſe fructus induſtriæ, ſed prouenire ex ipſomet tritico; & ideo ſi Dominus triticum ſuum recuperare nequeat, exceſſus ille erit ipſi Domino reſtituendus, ne venditor ex re aliena locupletetur; ad hoc autē ſuadendū idē Author n. 20. paritatē ponit, ſicuti enim equus alienus, quem tu paruı emiſti, poſtea Domino ſuo adoleſcit, & maior ille valor, quē idem equus habet, cedere debet in vtilitatem ipſius Domini; ſic etiam triticum alienum, ſi ſtante raritate, in valore creſcat, totus ille valor in beneficium Domini creſcere debet; proinde venditor huius tritici nequit ſibi retinere pretium huius maioris valoris, quia vt ſic ex re aliena locupletaretur. Admittit tamē *Delugo n.* 23. quod ſi vēditor iſte emat minori pretio aliud triticum æqualis conditionis, & bonitatis cum illo furtiuo, illudque Domino reddat, poſſet ſibi retinere exceſſum illū pretij, quo triticum alienum vendidit, quia ſi Dominus ſuum triticum inueniſſet, id ſolum ſibi deberetur, igitur cum aliud triticum æque bonum detur, integrè ſatiſfit. Hæc, & alia quædam ſimilia docet *Delugo*; ſupereſt nunc, vt quid in re hac probabilius nobis apparet, in medium afferamus.

Dicendum eſt primo, ille, qui bona fide emit, ſi poſtea ex ſua induſtria maiori 5 pretio vendit, tunc exceſſum ſibi, & non rei Domino, acquirit, & hoc modo ſententiam Molinæ puto eſſe admittendam, quia exceſſus ille non oriretur ex ipſa re aliena, niſi occaſionaliter, ſeu materialiter, non autem naturaliter, ad eum ferè modum, quo latro ſurripiens pecuniam, & illam negotiationi exponens, lucrum receptum ſibi, & non domino pecuniæ acquirit, vt communiter fatentur Doctores: lucrum enim illud non per ſe, ſed materialiter proueniret ex pecunia, in quantū ſcilicet ſubeſt induſtriæ latronis.

Dicendum eſt ſecundo, ſi exceſſus in 6 pretio non prouenit, ex peculiari vendentis induſtriâ, ſed ex ipſa re, ſeu ex circumſtantijs mutatis, tunc exceſſus pretij, in quo vendens ditior eſt factus, eſt rei Domino reſtituendus, & hoc modo exiſtimo primam ſententiam probabiliorem; atque adeo venditorem hunc aſtringi, cōperto Domino rei, ſoluere eidem exceſſum, pretij, in quo locupletior eſt factus, & hoc probat primum argumentum pro eadem ſententia adductum: ſecundum vero argumentum ex iure ciuili deſumptū non probat efficaciter, quia in iuribus illis eſt ſermo de rebus vniuerſalibus, in quibus pretium loco rei ſuccedit, vt ſupra

Digitized by Google

vidimus; loquũtur enim iura allata de hæreditate, ex qua ille, ad quẽ peruenit factus eſt locupletior, vt patet eadem iura legẽti.

Maior autem difficultas habebitur in determinando, quando nam exceſſus in pretio iudicandus ſit, oriri ex induſtria ſpeciali, quando vero minime, facile enim non erit id dignoſcere; quia cum induſtria conſiſtat in operatione, ſeu diligentia ipſius vendentis, non parui negotij erit ſtatuere diligentiam illam ad talem perueniſſe gradum, vt exiſtimari debeat ſpecialis, & conſequenter ſufficiens ad dandum titulum, quo venditor poſſit ſibi retinere exceſſum, & rei Domino illum minime reſtituere.

7 In hac autem re mihi vidẽtur eſſe attẽdendæ circumſtantiæ aliquæ generales, & ſpeciales, ſeu perſonales, quæ ſe tenẽt ex parte ipſius vendentis. v. g. quoad generales ſpectandum eſſe, num pretium rei ſit, nec ne, auctum ex maiori emptorum copia, ſit ne raritas mercis vendẽdæ; & neceſſitas eiuſdem mercis: quoad ſpeciales vero inſpici debere, an venditor ad rem illam vendendam adhibuerit extraordinariam diligentiam, nempe notabiliter maiorem ea, quæ fieri communiter ſolet in vendendis ſimilibus mercibus, & in eiſdem circumſtantijs; si autem diligentia notabiliter exceſſerit, tunc censẽda erit ſpecialis. e. c. si in alium locum diſtantem venditor ipſe rem illam exportauerit, vbi cariùs venditur. Hæc, & similia ſunt consideranda, ad determinãdum, an exceſſus ille in pretio, ſit nec ne fructus induſtriæ, an potius enaſcatur ex ipſa merce. His diligenter perpensis.

8 Dicendum eſt tertio. si augmentum pretij fuerit ex circumſtantijs generalibus ſuperiùs explicatis, erit ad inſtar fructus prouenientis ex re ipſa, atque adeo erit Domino eiuſdem rei reſtituendum. Difficultas huius conclusionis, quæ in eius prima parte consiſtit, nempe augmentum ex prædictis circumſtantijs ſuboriens eſſe cẽſendum fructum ex ipſa rei natura; difficultas, inquam, iſta ex ijs, quæ immediate adnotauimus, eſt ſoluenda: ſecũda vero pars caret difficultate, quia fructus rei Domino acquiruntur.

9 Sed dices, verum eſſe, fructus rei Domino acquiri debere, hoc tamen intelligi de illis, qui ex ipſa met re naſcuntur, nam hi ſunt abſolutè, & simpliciter fructus appellandi, vt poma, ficus, & alia similia, non autem vocandi ſunt fructus, qui ex facto alterius naſcuntur; hi enim potius induſtriales exiſtimari debent: proinde cum exceſſus prędictus in pretio non enaſcatur ex re ipſa aliena, ſed ex facto aliorum, nempe ex concurſu emptorum, ex neceſſitate rei emptæ, &c. idcirco potius exceſſus pretij ad induſtriales, quàm ad naturales fructus erit reuocandus, & per conſequens non debet acquiri Domino rei, ſed vendenti rem illam.

Reſpondetur, à nobis exceſſum hunc in pretio non appellari fructum simpliciter, ſed ſolum per quamdam accommodationem, ſeu analogiam, ideoque in hac vltima conclusione diximus eſſe ad inſtar fructus, &c. potiùs igitur ad naturales, quam ad induſtriales fructus eſt reuocãdus; quia nullam ſpecialem ipsius vendentis induſtriam in augmẽto huius pretij agnoſcimus, niſi eam tantum, quæ eſt generaliter neceſſaria ad negotium exercendum, nempe ad rem ipſam vendendã, idcirco cum pretium mercis vendendæ per quamdam analogiam ſe habeat, veluti fructus eiuſdem mercis, quando vero talis fructus ad alterutrum ex illis duobus erit reuocandus, videlicet ad naturalem, aut induſtrialem, in tali reductione facienda, debemus eodem modo ratiocinari, quemadmodum diſcurrimus in reducendis varijs fructibus ad vnum ex prædictis generibus; qua propter sicuti fructus, simpliciter induſtriales ab Authoribus appellari conſueuerunt, quando hominis induſtria operatur, vel si natura etiam concurrat, notabiliter tamen præualet induſtria; ideo cum in caſu iſto venditor nullã adhibuerit induſtriam ad pretium rei augendum, ſed totum augmentum ſubortũ fuerit, ab extrinſecis circumſtantijs, merito pretium iſtud ita auctum ad fructum naturalem reuocauimus, veluti ortum ex æſtimatione ipsiusmet rei.

10 Dicendum eſt quarto. Quando exceſſus in pretio oritur ex ſpeciali diligentia ipsius vendentis nõ ex communi æſtimatione, quæ de re illa vendenda habetur in eo loco vbi vendens commoratur, tũc exceſſus ille exiſtimari debet ad inſtar fructus induſtrialis; proinde ipsi vendenti, & non Domino rei acquiritur, vt vult *Molina, & alij relati pro ſecunda ſentẽtia*, quæ nam autem ſit ſpecialis diligentia declarauimus ſupra, & pro maiori eius notitia addidi etiam circumſtantiam illã, de æſtimatione rei in loco, vbi vẽdens habitat, ad explicãdã induſtriã ſpecialẽ, quã communiter Auctores agnoſcunt in eo, qui commiſſionem habens vendendi rem alterius proficiſcitur in locum valde diſtantem, vbi pro re vendenda maius pretium accipiet, tunc exceſſus pretij cenſetur induſtrialis, sic *Molina de Iuſtit. tract. 2 diſp. 163. n. 1. & alij apud ipſum*.

Ex his, quæ ſtatuimus circa cõtrouersiã hanc, patet ſolutio ad argumenta, quę poſita ſunt in fauorẽ vtriuſq; opinionis, quatenus cõtra nos faciunt.

Ad

11 Ad primum pro prima ſententia reſpõdeo, quod quamuis exceſſus ille eſſe poſſit intra latitudinem iuſti pretij; nihilominus si ex ſpeciali induſtria vendentis, auctum ſit pretium, cenſeri debet fructus induſtrialis; & ideo negandum eſt Domino rei eſſe ſoluendum, & cum ſubditur, fructus ad Dominum pertinere, concedẽdum eſt de fructibus naturalibus, vel ad inſtar naturalium ſe habentibus, ſecùs de fructibus induſtrialibus, vel ad inſtar induſtrialium, & hoc pacto explicandi ſunt *textus ciuiles ex inſtit.* qui adducuntur in argumento.

12 Ad ſecundum ex *L. Item veniunt, & L. Si & rem*, Reſpondeo ibi eſſe ſermonem de rebus vniuerſalibus, nempe de hæreditate, in his autem rebus pretium loco rei ſuccedit, vt communiter Iuriſtæ affirmant, ſecùs in rebus particularibus.

13 Ad argumentum vero pro ſecunda ſententia, quatenus abſolutè, & vniuerſaliter aſſerit exceſſum in pretio non eſſe reſtituendum Domino rei venditæ, eſt reſpondendum, adhibitis diſtinctionibus, quas in noſtris concluſionibus declarauimus, & iuxta diſtinctiones illas erit negãdum, vel concedendum argumentum, & ad illud duplex inconueniens, quo Molina conatur oſtendere exceſſum pretij nõ eſſe reſtituendum, ſi ſermo ſit vniuerſalis, nulla facta diſtinctione, facili negotio occurrimus: nam quamuis vendens rem alienam, periculo exponatur perdendi, & non lucrandi, non debet arduum id exiſtimari; quia hoc oritur ex eo, quod merx vendenda verè non eſt ſub dominio ipſius vendentis, ſed alterius, & hoc quod Molinæ irrationabile videtur, ipſemet tenetur etiam admittere, nam ſi venditio iſta ſecunda non ſequatur, Titius, qui fuit immediatus emptor, & à latrone equũ habuit, proculdubio periculo erit expoſitus, & tenebitur Domino comparenti, & petenti ſuum equum, etiam cum iactura pretij illum reſtituere. Tunc ſi quis contra hanc deciſionem, quæ communis eſt, argueret, oſtendes eſſe inconueniens, Titium bonæ fidei emptorem exponi periculo perdendi, & non lucrandi, ſanè contra ſic arguentem, reſponderet Molina id oriri ex eo; quod merx vendita, nempe equus, non erat ſub dominio vendentis, ſed alterius; cum igitur ita reſpondens ſatisfaceret, ita etiam & nos eodem modo reſpondentes ad inconueniens à Molina allatum, plenè ſatisfacere cenſemus. Pari etiam modo reſpondendum erit ad ſecundum inconueniens, quod ab eodem Molina affertur, ſcilicet non eſſe inconueniens obligare Titium, bona fide procedentem, ad euictionem, & ad ſeruandum indemnem ſuum emptorem: hæc autẽ omnia; quæ Molinæ irrationabilia videntur, re vera talia non ſunt, cum oriãtur ex natura contractus; nempe ex venditione, & emptione, eo enim ipſo, quo quis rem aliquam vendit, independenter à bona, & mala fide cenſetur ſe obligare ad euictionem, ex parte tamen emptoris claudicat contractus; quia cum merces vendita ſit aliena, ſemper remanet ſub dominio alterius, qui illam poteſt ſibi vendicare.

Ad Opinionem autem, quam docuit Lopez reſpondemus, non eſſe admittendam, quia Titius primus, & immediatus emptor ſiue applicaturus fuiſſet negotiationi pretium, ſiue non, quid ad Dominum rei? ſanè amiſſio lucri ex negotiatione non orietur ex aliqua culpa ipſius Domini, proinde in decidenda hac quæſtione, nulla erit habenda ratio ad negotiationem faciendam, aut non faciẽdam; & ideo non erit rationabile, vt prędicti lucri amiſſio cedat in damnum Domini. 14

Denique ſententiam, quam ponit De Lugo, nullo pacto iudico impugnandam eſſe, quia fere idem continet, ac noſtra; vt vtramque conſiderãti manifeſtum fiet. 15

SECTIO QVARTA.

Sit ne practicè probabile, emptorem rei alienæ, mala fide procedentem, poſſe eam vendenti reſtituere ad pretium recuperandum.

SVMMARIVM.

Supponitur controuerſia, num qui bona fide emit à latrone, poſſit ad pretium recuperandum, contractum reſcindere. 1
Refertur opinio, quæ negat poſſe ab eo, qui mala fide rem furtiuam emit, illam latroni, ad pretium recuperandum, reſtitui. 2
Probatur triplici ratione. 3
Contraria ſententia affirmans adducitur. 4
Non rectè citatur Toletus, & Nauarrus pro priori ſententia. 5
Secunda ſententia, quam Author amplectitur, fundamentali ratione oſtenditur. 6
Reſponſio aduerſariorum affertur, & reijcitur. 7
Soluitur quædam oppoſita inſtantia. 8
Res illa furtiua non eſt diu detinenda apud emptorem. 9
Declaratur quænam temporis dilatio cenſenda ſit notabilis. 10
Emens non aſtringitur ratione iniuſta 11
ac-

acceptionis ad rem emptam vero domino reſtituendam in caſu poſito.

12 *Falſo aſſeritur in eodem caſu, ementem iuri ſuo cedere.*

13 *Emptor in prædictis circumſtantijs non ſe habet vt fur.*

1 IN præsẽti quæſito ſupponimus tritam illam controuerſiam, in qua Doctores expendũt, num emẽs bona ſide rem alienam, cognito vero Domino, poſſit reſcindere contractum cum vendente, eique rem emptam reſtituere, intuitu pretij recuperandi: ſupponimus inquã, quæſtionem hanc, & contrarias hinc inde sẽtentias; nonnulli enim Doctores putant id fieri nequaquam poſſe, atque adeo ab emente eſſe Domino reſtituendam rem emptam, quamuis pretium vendenti ſolutum deperdatur, nihilominus alij, & plures oppoſitum tuentur, videlicet id eſſe licitum, quod ipſe etiam multo probabilius cenſeo, & in *p.* 2. dum agerem *de Iuſtitia, & Iure*, publicè illud docui. Nunc vero id ſupponendo: quæſtionem longè difficiliorem propono, an, ſcilicet, Titius v. g. ſi emat rem aliquam in proprium commodum, ſciens eſſe furto ab ipſomet vendente ablatam, ſi poſtea velit rẽ eidem vendenti reſtituere, quamuis eiuſdem rei Dominum non ignoret, probabile ſit, id licitè fieri poſſe pro pretio recuperando.

2 Prima opinio ſatis communiter recepta docet id illicitum eſſe, & ementem aſtringi rem emptam vero Domino reſtituere, quamuis pretij iacturam ſit paſſurus, illud à vendente repetere non valens. Sic *Salonius in* 2. 2. *quæſt.* 62. *a* 6. *contr.* 2. *tit. de empt. & poſſeſs. malæ fidei, concluſ.* 2. *Bañes ibid. dub.* 4. *Vaſquez opuſc. de reſtit. cap.* 9. §. 2, *dub.* 3. *ver.* [*mihi placet Tertia opinio*] *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 14. *dub.* 3. *n.* 19. *Rebellius p.* 1. *de obligat. iuſtit. lib.* 2. *quæſt.* 9. *n.* 6. *Fagundez lib.* 7. *in decal cap.* 19. *n.* 3. 4. *Ioannes del Caſtillo de iuſt. lib.* 2. *tract.* 2. *diſput.* 5. *dub.* 5. *n.* 13. Et huic opinioni vt probabiliori adhæret *Diana par.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 87. quamuis *par.* 2. *tract.* 17. *reſolut.* 4. oppoſitam probabilem iudicauerit. Et idem ſentiunt à fortiori omnes authores, qui eamdem obligationem agnoſcunt in emẽte etiam bona fide. Solet ſententia hæc varijs, & efficacibus argumentis probari, quæ hic breuiter referam.

3 Primo ſic arguitur. Emens mala fide rẽ alienam, quam ſcit eſſe furtiuam, tenetur Domino illam reſtituere ſaltem ratione iniuſtæ acceptionis: ergo nequit licitè rẽ illam vendenti reſtituere ad pretium repetendum; conſequentia certa videtur; quia licet eam vendenti reddens, à reſtitutionis obligatione eximatur ex vno capite, nempe ratione rei acceptæ; nihilominus non eximitur ratione iniuſtæ acceptionis, vi cuius ſemper manet obligatio in eo, qui iniuſtè egit, quamuis nihil de re aliena ad ipſum peruenerit, vel ſi peruenerit, poſtea perierit: Antecedens autem, in quo eſt difficultas probatur, & quo ad primum caput nulla eſt dubitatio, quia Titius emens rem alienam, dum eã retinet, obligatur ratione rei acceptæ: Quoad ſecundum autẽ caput, ad quod tota controuerſia reducitur, probatur tali pacto. Titius emens rem illam, non obſtante notitia quod fuerit furto ablata, videtur contrectare rem alienam inuito domino; atque adeo iniuſtè agẽdo, reſultat in ipſo obligatio reſarciẽdi damnum, quod vi talis contrectationis Dominus rei paſſus eſt. igitur tenebitur nõ ſolum reſtituere rem emptam ratione ipſius rei, verum etiam ratione iniuſtæ acceptionis, ſeu actionis.

Secundo probatur, quia mala fide emẽs rem, quam ſcit eſſe alienam, aut furtiuam, cenſebitur cedere iuri ſuo, & in ſe ſuſcipere obligationem reſarciẽdi damnũ, quod Dominus rei patitur, proinde ſi pretium deperdatur, hoc ſibi imputet, quod tamẽ nõ contingeret ſi bona fide emeret.

Tertio. talis emptor ſe habet loco furis, cum ſciens, & volens, rem alienam inuito Domino contrectet, ergo ſicuti fur tenetur, etiam ratione iniquæ acceptionis rem illam Domino reſtituere, ſic etiam malæ fidei emptor.

Secunda opinio, in fauorem emptoris 4
mitiùs procedens, ſuſtinet in caſu poſito, rem alienam, etiam mala fide acceptam, vendenti reſtitui poſſe, vt pretium recuperetur; & hæc ſententia magis rationi conſentanea mihi videtur, proinde libẽter illam amplector, nonnullis tamen adhibitis animaduerſionibus inferiùs explicandis: eam autem quamplures, & magni nominis Authores tuentur, vt *Alenſis in* 4. *quæſt.* 86. *memb.* 3. *a.* 5. *in fine. Sylueſter verb. Reſtitutio* 3 *quæſt.* 7. (quidquid dicat *Fagundez* pro ſe illum adducens) *Angelus eodem ver. n.* 2. *propoſ.* 1. *ver. Si vero recepit, Aragonius* 2. 2. *quæſt.* 62. *a.* 6. *ver. Mihi ex ſententijs, Emmanuel Sà ver. Furtum n.* 11. *Valerus in differ. vtriuſque fori ver. Repetitio diff.* 5. *n.* 2. *Fernãdez in exam. Theolog. par.* 1. *cap.* 18. §. 1. *n.* 14 *Toletus lib.* 5. *cap.* 17. *n.* 13 *Nauarrus in Summa cap.* 17. *n.* 84. & in eadem videtur eſſe *Delugo tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 17. *ſect.* 2. *n.* 37. quam ſententiam multi etiã ex aduerſarijs probabilẽ appellant.

Nolo

Digitized by Google

5 Nolo tamen hic vlterius progredi ad probationes, niſi prius admoneam lectorem, ne adhæreat nonnullis, qui Toletũ, & Nauarrum citant pro contraria ſententia, cum tamen expreſsè noſtram ipſi doceant: & quod attinet ad Toletum, caueat lector falſitatem, quam continent citationes illæ, quibus *Fernandez* Toletũ laudat, & placet ipſius Fernãdez dicta hic ſignãter referre. Primo n. ait, ꝙ *Perez* noſtro Societ. temeritatis nota Toletũ arguit, quaſi aſſerentẽ *lib. 3. c. 1. n. 200. & c. 4. n. 200.* oppoſitam ſentẽtiam eſſe communẽ, cũ tamẽ pro noſtra graues ſint Doctores; at decipitur *Fernãdez* putans cum Perez Toletũ eſſe in cõtraria ſententia, quia Tolet⁹ hoc nõ dicit, & etiã, quia loco à nobis citato apertè noſtrã tuetur, Fernãdez ipſomet fatẽte, & referẽte formalia verba ipſius Toleti. Secũdo reperitur falſitas citationis, quatenus *cap. illo 3. Toletus* nihil agit de reſtitutione, ſed tantum de Pœnitentia, *& cap. 4. de contritione, & attritione*. Tertio neutrum caput habet ducenarium numerum, ſed vnum continet ſenarium, alterum vero octonarium. Quarto falſum etiam eſt, hãc noſtram ſententiã à *Toleto* poni *lib. 5. cap. 33.* cum ibi ſolùm inſtituat ſermonem de lucro ceſſante, habetur autem noſtra opinio *cap. 17. illius libri*, quem locum etiam affert *Fernandez ipſe*. Mihi igitur perſuadeo ex errore à *Fernandez* citatum fuiſſe *Toletum* loco alterius Authoris in locis prædictis, qui Toleto appropriati falſitatem habent.

Venio nunc ad Nauarrum, qui à *Fagundez, & quibuſdama alijs* non pro noſtra ſed pro contraria opinione laudatur, immeritò tamen, nam loco à nobis citato, quamuis ſignanter non proponat caſum ſub his terminis, nempe quando mala fide emitur res furtiua; nihilominus eius doctrina hoc ſupponit, inquantum format caſum, cum quis emit, ignorando craſsè, & vincibiliter rem eſſe alienam, talis autem ignorantia malam fidem in eo, qui ignorat, procul dubio conſtituit; neque huic loco eſt contrarius alius, qui citari ſolet, videlicet *in num. 10. eiuſdem capitis*, vbi Nauarrus aſſerit, eum, qui emit rem alienam, obligari ad illam reſtituendam vero Domino, ſi poteſt, vel ſi perijt, etiam ſine culpa, aſtringi ad ſoluẽdam rei æſtimationẽ; iſte, inquam, locus non contradicit alteri; quia Nauarrus in *n. illo 10.* abſolutè conſiderat detentionẽ rei alienæ, & obligationem, quam habet detinens, ideoque rectè pronunciat, eſſe Domino reſtituendam, & nihil proponit circa recuperationem pretij: in altero vero loco, nempe *in n. 84.* conſiderat detẽtionem rei non abſolutè, ſed reſpectiuè, ad ſpem recuperandi pretium; proinde determinat rem poſſe latroni reſtitui, hoc autẽ parùm aliqui attendentes referunt Nauarrũ pro contraria ſentẽtia. His igitur obiter diſcuſſis, venio ad probationem noſtræ opinionis.

Probatur ergo ratione fundamentali in hunc modum. Nullum reperitur Ius obligans emptorem, vt cum graui ſuo detrimento reducat rem alienam in meliorem ſtatum eo, quem prius habebat; igitur emens rem alienam licitè poterit ad pretium recuperandum rem illam vendẽti reſtituere. Antecedens probatur, quia neque Ius poſitiuum extat id præcipiens, neque Ius naturale talem dictans obligationem; proinde non obligabitur emptor cum ſuo graui damno reducere rem in meliorem ſtatum. Conſequẽtia vero principalis argumenti manifeſtè deducitur, poſito antecedente, ſi enim emptor ille obligaretur, non obſtante iactura pretij ſoluti, rem illam vero Domino reſtituere, obligaretur ad illam reducendam in meliorem ſtatum cum ſuo graui detrimento, quod rationi cõſentaneum minimè videtur. 6

Ad hoc argumentum reſpondẽt aduerſarij, non eſſe mirum, ſi in aliquo caſu per accidens, teneatur emptor etiam cum ſuo detrimento reducere rem emptam in melius, quia hoc ſibi imputandũ eſt, nam ſciens eſſe alienam, voluit illam emere, & id confirmant varijs exemplis, Si Titius v. g. veſtem alienam ex incendio eripuit; vel ouem è faucibus lupi, non poterit abſque iniuſtitia iterum ponere rem illam in priori ſtatu, nempe veſtem flammis iterũ tradere, vel ouem lupinis faucibus committere, ſic in caſu noſtro emens, ſi auferat è manibus latronis rem emptam, non poterit iterum eidem furi eam tradere. 7

Contra eſt primo, quia quod aſſeritur eſſet probandum, ſcilicet per accidens teneri emptorem, etiam cum iactura pretij, & ſuo graui damno rem Domino reſtituere, neque percipere poſſum, quid bona, aut mala fides operetur in ordine ad obligationem reſtituendi Domino, vel ad negationem talis obligationis, vtramque enim cenſeo impertinenter ſe habere ad hãc obligationẽ ponendã, vel non ponẽdam, ſanè quæ nam maior, aut diuerſa iniuria Domino infertur, ſi quis rem è manibus latronis tollat per emptionem, quamuis id faciat intentione mala detinendi rem emptam, ex hoc nil aliud ſequitur, niſi intentionem illam eſſe contra iuſtitiam, & emptionem rei, non ſecundum ſe, ſed prout ſubeſt tali intentioni, & vt medium ad iniurioſam detentionem, eſſe malam; non autem ſequitur, vt

ſic

Digitized by Google

ſic ſecundum ſe eſſe prauam; si enim abſolutè eſset mala, ſequeretur etiam eodẽ modo obligari emptorem bonæ fidei ad rem Domino aſſignandam, etiam cum pretij iactura, quod tamen aduerſarij nõ concedunt. Secundo. impugno exempla adducta tamquam infirma. & inefficacia, cum longè diſparem inuoluant rationem, nam veſtem ereptam, iterum flammis committere eſt formaliſſimè illam conſumere: & pariter ouem faucibus lupi committere: & eſt illam interficere, ſine ſpe, vt Dominus poſſit illam recuperare, ſecùs in noſtro caſu; nam rem latroni reſtituere, non eſt neque formaliter, neque realiter illam conſumere, & in libertate latronis eſt eam Domino tradere, si velit, & ſi eam non tradat, id non oritur ex vi talis reſtitutionis, ſed ex libera, & mala voluntate latronis; proinde allata exẽpla aduerſarijs nequaquam fauent.

8 Dices ex hac doctrina ſequeretur quod, si quis per donationem gratuitam acciperet à latrone rem furtiuam, poſſet eidẽ latroni eam reſtituere, quia reponeret eamdem rem in eoſtatu, in quo illam inuenit; hoc autem videtur inconueniens, & à nemine aſſeritur; igitur ratio illa, per quam probauimus noſtram ſententiã, non videtur firma.

Reſpondeo negando paritatem; nam ratio, qua nititur noſtra ſententia, nõ procedit abſolutè ex eo, quod res ponitur in eo ſtatu, in quo erat prius, ſed inſuper additur indemnitas ipsius ementis, ſcilicet non teneri ponere rem in meliori ſtatu cum ſuo notabili damno, nempe cum iactura pretij: quando autem quis donatione accipit rem furtiuam, non poteſt illam latroni donanti reſtituere, ſed tenebitur Domino tradere, quia ceſſat ratio fugiendi proprium damnum.

9 Verum, vt tuto hanc amplectamur sẽtentiam, nonnulla ſunt animaduertenda.

Et primo tunc eſſe admittendam, quando res illa furtiua diu non detinetur ab emente, si enim diuturno detineretur tẽpore, & inuito Domino, tunc emens inciperet eſſe in mora culpabili, atque adeo, si ex tali detentione damnum aliquod vero Domino cauſſaretur, abſque dubio ipſe emptor detinens obligaretur ad illud reſarciendum, deberet igitur ipſe emptor, eam reſtituere, vel Domino, vel vendenti, si ſpes habetur recuperandi pretium, & hoc quamprimum poteſt.

10 Si vero quis quærat, quæ nam dilatio temporis in hac materia exiſtimari debeat notabilis, ita vt detentio cenſeatur peccatum mortale nec ne?

Reſpondeo regulam determinatam pro omni caſu dari non poſſe, cum hoc depẽdeat à particularibus circumſtantijs, nempe si magni, aut nihil, ſeu parui intereſt Domini rem illam iterum habere. Rurſus erit etiam attendendum, an vendens ſit præſens, ita vt emptor poſſit ſtatim rem illi tradere, nã ſi venditor lõgiſſimè nõ diſtaret, neq; multũ temporis requireretur ad hoc, vt emptor ipſi vendenti poſſit rẽ illam dare, tunc illicita foret dilatio adeo notabilis, & ipſe emens eſſet cauſſa, cur dominus inuitus ſua re priuatus maneret: Demum potiſſimum ſpectari debet, num ſit ſpes de pretio recuperando, quia nulla, vel ferè nulla exiſtente ſpe, non poſſet emptor reſtituere illam latroni, intantum enim excuſandus erit tradendo vendenti rem emptam, inquantum non eſt obligandus cum iactura pretij Domino rem tradere; & hoc eſt ſimpliciter attendẽdũ in re hac: his, & alijs circumſtantijs conſideratis poterit boni viri arbitrio determinari quantitas temporis, num ſit nec ne notabilis, aut parua dilatio. Cũ talibus ergo limitationibus, & animaduerſionibus, & non aliter amplector hanc ſententiam. Demum ſoluenda mihi ſunt oppoſita argumenta ſuperius poſita.

Ad primum nego antecedens, videlicet ementem obligari ad reſtituendum 11
vero Domino ratione iniuſtę acceptionis, nam licet peccauerit contra iuſtitiam emens à latrone rem alienam, atque adeo acceptio fuerit iniuſta, nihilominus cum ſolum ſit aſtringendus ad ponendam rem emptam, in eo ſtatu, in quo erat prius, ne pretij iacturam patiatur; idcirco non tenebitur Domino rem illam reſtituere. Et ſi dicas latronem eiuſdem rei, etiam cũ ſui iactura, teneri ad reſtituendam rem furto ſublatam; ergo pariter, & emptorẽ. Negabo paritatem; quia latro, cum immediatè abſtulerit rem à Domino, obligatur ad ponendam rem in eo ſtatu, in quo illã inuenit, & quia reperijt illam apud Dominum, quem re illa ſpoliauit, proinde Domino reſtituere illam debet. Dominus autem non tenetur ad recuperãdam rem ſuam, reſarcire aliquid ipſi furi, quando aliquid non fuerit conuerſum in vtilitatẽ ipſius Domini; & sic patet diſparitas in hoc caſu inter emptorem, & furem.

Ad ſecundum nego antecedens, ſcilicet 12
mala fide ementem iuri ſuo cedere, nempe facultati, quam habet reſtituendi rem ipſi vendenti, nego pariter in ſe ſuſcipere obligationem reſarciendi damnum, quod verus Dominus forſitan ſit paſſurus, si fur vendens iterum rem habeat & Domino eam non reſtituat.

Ad tertium nego emptorem ſe habere 13
loco furis in reſtituenda re illa vendenti, eſto in emptione, ſi habeat animum deti-

nen-

uendi rem, ſe habeat vt fur. Et hæc pro iſta ſententia ſufficiant, quæ cēſeri debet, tum auctoritate eorum, qui illam defendunt, tum rationibus non parui momenti, ſatis probabilis.

QVAESTIO SECVNDA.

De vitijs rei vendendæ emptori detegēdis, & de eiuſdē rei pretio in certis quibuſdā circūſtātijs determinādo.

ANntequam ad caſus particulares deſcendamus, nonnulla, quæ à Doctoribus pro huius controuerſiæ intelligentia præmitti ſolent, hìc breuiter percurremus.

Et primo ſupponimus ſermonem non eſſe de vitijs, quæ totam naturam ſpecificam, veluti proprietates quædam, comitari conſueuerunt, v. g. quod tales fructus ſint nociui, quod piſces facilè corrūpantur, & ſimilia; ſed ſermonem eſſe de quibuſdam vitijs, quæ omnino accidunt naturæ, & ſolum in hoc, aut illo indiuiduo, & non in alijs eiuſdem ſpeciei inueniuntur, e. c. ſi quis exponat equum aliquē vendendum, qui vitio laboret, nempe ſit ſternax, calcitroſus, &c. hæc autem vitia non ſunt cū ipſa natura equina neceſſario cōnexa, ſed omnino illi accidunt.

Secundo ſupponimus vitium eſſe in triplici differentia, nam aliud interdum eſt in ſubſtantia ipſius rei vendendæ, vt ſi quis vēdat lapidem pro gemma, aurichalcum pro vero auro. Aliud eſt in quantitate, vt ſi venditor minuat menſuram conſuetā vini, aut alterius liquoris. Aliud denique eſt in qualitate, vt ſi frumentum corruptum vendat pro integro, equum debilem pro robuſto, & forti, &c.

Tertio ſupponimus etiam illarum quæſtionum deciſionem, quæ paſſim, & communiter ab Auctoribus inſtitui ſolent, nēpe quando quis rem vitio laborantem in ſubſtantia, ſcienter vendat emptori eam neſcienti, vel quando fraudem committat in quantitate menſuræ, aut in qualitate, & rem vendat eo pretio, ac ſi tali prorſus vitio careret, tunc procuIdubio grauiter peccaret contra Iuſtitiam commutatiuā, & obligaretur ad reſtitutionem, vel teneretur ad reſcindendū cōtractum, vel ad minuendum pretium, & de his, cū nulla, vel leuis ſit difficultas, non eſt cur agamus: ſed lectorem remittimus ad eos, qui de hoc puncto in materia de Iuſtitia, & contractibus fusè diſſerunt; idcirco his omiſſis, quæſtiones inſtituimus de rebus, quæ apud Doctores ſunt valde controuerſæ, & perplexæ, eas autem in varias ſectiones diſpertimus.

SECTIO PRIMA.

Vtrum venditor teneatur emptori detegere vitium rei vendendæ patens; ſi emptor illud minimè aduertat.

S V M M A R I V M.

Ponitur exemplū pro quæſiti declaratione. 1
Aliqui cenſent abſolutè vitium, quamuis patens, eſſe à venditore manifeſtandum emptori. 2
Alij contrariam opinionem negatiuam tuentur. 3
Si emptor ſit rudis, & parum in his negotijs verſatus, tenebitur venditor defectum illi aperire. 4
Secus ſi cautus, & verſatus ſit. 4
Has concluſiones probant argumēta vtriuſque ſententiæ. 6
Poſſunt prædictæ ſententiæ conciliari. 7
In dubio an emptor impediatur ad agnoſcendum defectum patentem, præſumitur illum aduertere. 8
Si vitium eſt occultum, res tamen vtilis eſt emptori, ſi venditor minuat pretiū, putant aliqui non teneri ad illud manifeſtandum. 9
Alij vero affirmatiuam opinionem defendunt. 10
Huic ſententiæ adhæret Author 11
Diluitur argumentum pro priori ſententia. 12
Examinatur conſuetudo quædam Panormitana in vendendis animalibus, etiam ſi vēditor nolit indemnem ſeruare emptorem de defectibus occultis rei vēditæ. 13
Expenditur num ſit contra iuſtitiam vēdere vinum aquis mixtum minori tamē pretio, ſi propter hoc emptores remoueantur ne emant ab alijs pretio currēti, quod eſt maius. 14
Caſus deciditur ab Authore 15
Soluuntur argumenta oppoſita. 16

POnamus exemplū. Titius equū monoculum habeat, illumque exponat vendendum, ſit Sortes emptor, qui defectum non aduertat, & hoc ex circumſtantijs innoteſcat Titio. Quærimus num in tali caſu Titius aſtringatur, ad defectum illum Sorti aperiendum. 1

Prima opinio affirmat, ita *Syluester verb. Emptio n. 20. in tertio dicto. Armilla eodē verbo n. 18. Ioannes Medina Cod. de reſt. quæſt. 34. concl. 1. in fine. Panormit. in cap. iniuſtum de Rer. Perm. in fine Conrad. de contrac. quæſt. 54. & alij.* licet pro hac ſententia aliqui citentur, & non rectè, cum vel id non dicant, vel oppoſitam doceant. Probatur autem hæc ſentē- 2

 tia. 3

tia, quia eo ipſo quod venditor rem ſuam vendendam exponit, tenetur veluti ex officio vitia eiuſdem rei manifeſtare volẽti eam emere, ne illum decipiat, & id etiã colligitur *ex l. 1. ff. de aedilitio edicto. §. Cauſſa huius*.

3 Secunda ſententia eſt eorum, abſolutè negantium venditorem ad id teneri; at non explicant, num opinio iſta locum habeat etiam quando venditor agnoſcit emptorem non animaduertere: hi autem plures ſunt apud *Salas tract. de empt. & vendit. dub. 34. n. 3.* diligenter tamen aduerte citationem huius Authoris, qui pro oppoſita ſententia laudat *S. Antoninum par. 3. tit. 1. cap. 17. §. 6.* vbi hanc ſecundam, & non contrariam docet. At nonnullos inuenio, qui expreſsè eximunt vẽditorem à tali obligatione, quamuis ex parte emptoris inaduertentia de vitio reperiatur: & hi ſunt, *Lopez de Contract. lib. 1. cap. 45. concl 2. Emmanuel Sà in Aphoriſmis verb. venditio n. 22. Toletus tract. de ſeptem peccatis mortalibus cap. 41. concl 2. Filliuecius tract. 35. de vendit. cap. 6. n. 130.* & idem videtur aſſerere *Molina tract. 2. diſp 353. n. 18.* Probatur concluſio, quia cum vitium ſit de ſe conſpicuum, emptori imputabitur ſi ipſum non aduertat.

Hæ ſententiæ, ni fallor, quamuis contrariæ videantur, facilè tamen conciliari poſſunt, quod per ſubſequentes concluſiones præſtabimus.

4 Dicendum igitur eſt primo ſi emptor ſit minimè verſatus, aut rudis, aut demũ tale habeat impedimentum, vt nequeat ita facilè defectum rei vendendæ animaduertere, tunc per ſe loquendo tenebitur venditor defectũ illũ ipſi emptori manifeſtare, & hãc ſẽtẽtiã expreſsè docet *Delugo tom. 2. de iuſtitia diſt. 26. n. 135. Turrianus in 2. 2. S. Thomæ diſp. 58. dub. 2. n. 2. Rebellius lib. 9. quæſt. 8. concluſ. 3. Trullench lib. 7. in decal. cap. 20. dub. 11. n. 5. Bonacina de contract. diſp. 3. qu. 2. punc. 6. n. 13.* ratio autem huius concluſionis eſt clara, nam reſpectu talis emptoris inuincibiliter defectum ignorantis, perinde ſe habet vitium, ac ſi occultum foret, & ideo, ſicut occulti defectus ſunt emptoribus aperiẽdi, ſic etiam & defectus iſte, qui hic, & nũc moraliter vt occultus reſpectu huius emptoris cenſendus eſt: dixi per ſe loquendo, nam ſi venditor minuat pretiũ, & mercem vendat quanti cum tali defectu æſtimabitur, & emptori, nõ obſtãte defectu illo ſit æque vtilis, ac ſi defectu illo careret, & quãuis defectum agnoſceret, pro tanto pretio empturus illum fuiſſet, tunc occultare vitium nullum eſſet peccatum.

5 Dicẽdũ eſt ſecundo, ſi emptor non ſit inſipiens, ſed cautus, & non parum in negotijs humanis verſatus, & tamen negligat aduertere defectum patentem, tunc non tenebitur venditor ab eius ſegnitie emptorem remouere, & defectum ſignanter illi manifeſtare, ſed ſatis erit pretio iuſto equum illum monoculum vendere. Has autem concluſiones probant argumenta, quæ pro vtraque ſententia coaceruant earum defenſores, vt conſideranti fiet exploratum. Et ideo argumento prioris ſententiæ ſatisfacimus, reſpondentes. Ad venditorem, qui exponit rem venalem cum vitio manifeſto, pertinere mendacijs illud non celare, aut minuere pretium, & ſi inuincibiliter emptor illud ignoret, tunc in tali caſu ad eũdẽ vẽditorẽ ſpectare, emptorẽ monere, ſecùs ſi vincibiliter, & ex craſſa negligentia emptor non aduertat defectũ. Ad textum autem *ex L. 1. ff. de aedilitio, &c* aio ibi ſermonem eſſe de vitijs latentibus, & quando fallacijs venditores decipiunt emptorem, vt patet textum illum attentè conſideranti.

6 Argumentum vero ſecundæ opinionis aliud non probat, niſi venditorem, per ſe loquendo, non obligari ad monendum emptorem de vitio patenti, ſed non probat in caſu per accidens ad id non teneri; nempè quando emptor eſt inexpertus, vel aliquo impedimento detentus vitium non agnoſcat, vt declarauimus.

7 Ex his patet, quo pacto poſſumus ſententias prędictas ad concordiam reducere, nam opinio, quæ affirmat venditorem teneri ad aperiendum vitium mercis, procedit quando vitium eſt occultum per ſe, vel per accidens ratione impedimenti ex parte ementis, vt ſupra declarauimus, & hoc pacto priorem illam ſententiam explicatam admittimus: opinio autem, quæ negat talem obligationem in venditore, procedit quando defectus eſt omnino patens, & nullum adeſt impedimentum ex parte emptoris, qui, ſi velit, poſſit defectũ illum aduertere.

8 Quæres primo vtrum in dubio, an emptor habeat impedimentum, teneatur vẽditor defectum illi manifeſtare, etiã ſi patens ſit.

Reſpondeo non teneri, quia poſita defectus euidentia, præſumitur vel emptorem aduertere defectum, vel negligenter ſe habere non agnoſcendo.

Quæres ſecundo, quando vitium eſt occultum, & eo non obſtante res vendenda vtilis eſt emptori, vtrum venditor diminuens pretium, poſſit tuta conſcientia rẽ illam vendere; quamuis aliunde ſciat contrahentem non empturum, ſi vitium illud agnoſceret.

9 Reſpondeo in hac re duæ extant ſentẽ-

tiæ

Digitized by Google

tiæ, quarum primam, quæ negat, tuetur *Sylueſter ver. emptio qu. 20. Medina cap. de reſtit. quæſt. 34. Conradus de contract. quæſt. 54. Panormit. cap. iniuſtum, de rerum permut. Rebellius de obligat. iuſtit. lib. 9 quæſt. 9. n.* 20. & apud ipſum *Gabriel, Maior, & alij*; & nouiſſimè *Barthol. à S. Fauſto in ſpeculo diſp. 6. quæſt.* 83. hac autem ratione nituntur, nempe, emptorē inuoluntariè emere, quia intantum deuenit ad contractum illum ineundum, inquantum ignorat defectum: proinde aiūt in foro conſcientię irritum eſſe contractū, in foro autē externo dari emptori actionē redhibitoriā ad pretiū ſolutū recuperādū, & addunt ſecus eſſe dicendū, ſi nō obſtāte cognitione vitij, alius rē fuiſſet empturus.

Secunda opinio affirmans ab alijs ſuſtinetur; hi autem ſunt, *Sotus lib. 6. de iuſt.*
10 *quæſt. 3. a. 2. Salas tract. de empt. dub. 32. ſoluendo confirmationem tertij argumenti in contrarium. Valētia tom. 3. diſp. 5. quæſt. 20. pūct. 4. concluſ. 4. in impreſſione Veneta, quamuis in Lugdunēſi ex errore dicatur (nō licite) Leſſius l. 2. de iuſt. c. 21. n. 90. Molina tract. 2. de Iuſt. diſp. 353. n. 22. Azor. p. 3. lib. 8. cap. 22. quæſito 3. Bonacina de contract. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 6. n. 4. & alij.*

Et hanc ſecūdam ſententiam puto lon-
11 gè probabiliorem, & ducor ad illam, quia hic, & nunc contractus ille eſt abſolutè, & ſimpliciter voluntarius, inuoluntarius autem ſecundum quid; nam emptor non fertur in talem contractum ſub conditione aliqua, nempe non habet hanc intentionem, volo contrahere, dummodo nullus ſit defectus in re emenda etiam leuis, ſi enim ita ſe haberet, procuidubio cōtractus conditione illa minimè exiſtente, eſſet inualidus; ſed fertur abſolutè in contractum; quamuis ſi ipſi innoteſceret vitium, rem illam non emeret.

Hæc enim duo ſunt valde diuerſa, videlicet rem aliquam velle, ſed ſi aliqua circumſtantia agnoſceretur rem illam nollet, aliud vero id velle ſub conditione, nempe velle ſi talis circumſtantia adſit, aut non adſit, vt ex *Vaſquez, & Valentia* rectè adnotauit *Sanchez in decal. lib. 4. cap. 2 n.* 6. Primus modus eſt abſolutus, & non includit actum, quo res illa non ſit volita, & ideo non reddit irritum contractum, aliter ſi hoc ſufficeret ad inualidandū cōtractum, nihil firmum in humanis commercijs daretur; quia ſæpe temporis progreſſu, apparent aliquæ circumſtantiæ, quæ ſi à principio innotuiſſent, contractus initus minimè fuiſſet; at ſecundus modus, inuoluit actum illum conditionatum, vt de ſe patet; ideoque eius valor ab exiſtētia conditionis omninò dependet.

12 Ex hac autem diſtinctione manifeſtè diluitur argumentum, quo nituntur primæ ſententiæ fautores, diſtinguenda enim erit propoſitio illa, nempe, emptor intātum deuenit ad contractum illum ineundum, inquantum ignorat defectum, diſtinguenda, inquam, eſt propoſitio, hoc pacto, intantum deuenit, &c. inquantum ignorat defectum, ita vt in tali propoſitione includatur actus, quo ipſe emens nolit rem emere ſi adſit defectus, nego; ita vt non includatur actus iſte, ſed cognito defectu non eſſet empturus, concedo propoſitionem illam: nego tamen ex hoc ſequi contractum eſſe conditionatum, & poſito illo defectu eſſe inualidū, aut iniuſtū.

Quæres tertio, quid dicendum de con- 13
ſuetudine illa, quæ Panormi, & etiam alibi viget; ſolent enim venditores alicuius animalis v. g. equi, mulæ, &c. emptorē ſic præmonere, vendo tibi equum hunc pro claudo, cæco, feroci, ſeu quibuſcumque vitijs affectū, & italico ſermone ſolēt dicere vēditores [*te lo vendo per vn ſacco d'oſſo*] quæres inquā, quid dicēdū in caſu iſto.

Reſpondeo cum diſtinctione, vel tempore venditionis ſciebat venditor vitium aliquod occultum eſſe in equo, vel id ignorabat, putans carere vitio, ſi primum dicatur, tunc intercedit dolus dans cauſſam contractui; atque adeo conceditur emptori contra venditorem actio redhibitoria ad recuperandum pretium reſcindendo contractum; nam verba illa generalia perinde ſe habent, ac ſi prolata nō eſſent, quia cū venditor enumeret alia vitia, quibus equum carere putat emptor, prudenter hic iudicat etiam carere eo vitio, quod habet equus, & quod ſub illa generalitate magis occultatur, & ſic decipitur, proinde venditor in vtroque foro tenebitur ad reſtitutionem, & totum hoc ſtatuitur *in L. Quero ff. de action. emp.* vbi exemplificatur in venditione agri ſeruitutem habentis, quam ſciebat venditor, & ignorabat emptor: & ita communiter ſentiunt Expoſitores in ea lege, & *Molina de contract. diſp. illa 353. concluſ. 6. Fagundez de iuſt. lib. 5. cap. 38. n. 22. Bonacina de contract. diſp. 3. quæſt. 2. puncto 6. n. 13. & 16. Delugo, tom. 2. de iuſt. diſp. 26. ſect. 8. num. 133. Trullench in decalogo cap. 20. dub. 11. n. 5. Ioannes del Caſtillo de iuſt. lib. 2. tract. 9. diſp. 4. dub. 3. n. 23. 24. & alij.*

Si vero ſecundum membrum eligatur, nempe tempore conuentionis, ignorari à venditore defectum illum, tunc ad nihil tenebitur, etiam ſi poſtea vitium illud innoteſcat; & hoc aſſero etiam ſi ratione talis vitij, equus minoris valoris reuera fuiſſet. Dices equum illum eo vitio laborantem minus æſtimari quàm fuit emptus,

v. g. valebat quinquaginta, fuit tamen ſexaginta venditus vitio non apparente, ideoque cum vitium manifeſtatur, tenebitur venditor decem emptori reſtituere, vt pretium ſit valori mercis æquale; neque ipſe venditor eſt tali onere eximendus ob bonam fidem, qua proceſſit, quia in hoc caſu bona fides excuſare potuit illum à peccato, non autem ab obligatione reſtituendi exceſſum pretij, & præſertim ſi pretium extet, vel ipſe venditor ob illud ditior ſit factus.

Reſpondeo valorem equi in prædictis circumſtantijs, nempe bona fide poſita ex parte venditoris, eſſe menſurandum ſecundum apparentiam ipſius equi habito tamen reſpectu ad periculum, quod venditor transfert in emptorem, ratione cuius deſcendit in pretio; proinde diminuto pretio ratione periculi, miſcetur aliquo modo contractus ſortis, cum venditione ipſa, nam licet ex vna parte emptor exponatur periculo emẽdi equum vitio aliquo affectum; ex alia vero parte venditor ſe periculo etiam exponit, amittendi partem illam pretij, quam emptori remiſit, ſi reuera nullo vitio equus laboraret, & ſic nulla intercedit iniuſtitia; immo æqualitas reperitur inter vtrumque contrahentem, ſuppono enim diminutionem pretij fuiſſe æqualem periculo aſſumpto.

Sed quid dicendum ad Panormitanam conſuetudinem, quam vti vniuerſalem, & publicam Magiſtratus non ſolum permittunt, verum etiam volunt, ac iubent ſeruari; & ideo non debemus ſtatim in foro conſcientiæ tamquam iniuſtam eam damnare; aio igitur forum externum in re hac præſumptiuè procedere, præſumit enim bonam fidem in venditore, videlicet, ſub illa vitiorum generalitate nolle vitium particulare abſcondere.

14 Quæres quartò. Si Titius aliquod mercium genus vendendum exponat v. g. vinum, cui permiſceat aquam; ita vt per mixtionem deficiat à bonitate illa, quam in ſua puritate manens habebat, ſi Titius minuat pretiũ, illudq; ad æqualitatẽ cũ valore vini aquã permiſtã habentis reducat, & hoc pacto alliciat plures emptores, qui non agnoſcentes defectum illum intrinſecum libentiùs recurrunt ad Titium viliùs vendentem, quàm ad alios mercatores. Quæres inquam, num Titius frequentans venditiones iſtas, peccet contra alios mercatores peccato iniuſtitiæ: ex vna parte videtur ita dicendum, quatenus Titius fraude, & deceptione eſt cauſſa, vt pretium commune decreſcat, & mercatores alij cogantur, vel non vendere proprium vinum, vel viliùs illud vendere, quod tamen ſine mixtione illa eſt melioris conditionis, atque adeo maiori pretio æſtimabile; ex alia vero parte nullum iniuſtitiæ crimen videtur Titius irrogare cæteris mercatoribus; quia vtitur iure ſuo, & poteſt ad ſui libitum pretium ſuæ mercis diminuere; aliter ſequeretur, quod etiam non poſſet minori pretio vendere vinum, quod nullo vitio laborat; quia eſſet pariter cauſſa decrementi illius pretij, quod in foro currebat, hoc autem nõ videtur dicendum; ergo neque illud aliud.

Reſpondeo caſum hunc proponi *ab Aloyſio Turriano de iuſtitia diſp.* 58. *dub.* 6. *& à Ioanne Delugo ſec. cit. n.* 135. eamdemque opinionem videtur ſequi *Diana par.* 1. *tract.* 8. *reſol.* 80. qui quidem Authores damnant venditorem quando eſt cauſſa, vt pretium decreſcat, & damnant venditiones has tamquam iniuſtas ob rationem tactam; nempe ex eo, quod reliqui mercatores ius habent, ne per vim, aut fraudem, emptores remoueantur, ne emant vinum ipſorum mercatorum, Titius autem abducit illos, ne accedant ad alios venditores, cum viliùs vendens, ob defectum illum occultum, ſit in cauſſa, vt emptores ad illum recurrant.

Caſus mihi non eſt ita facilis, proinde diuturna perplexitate detentus non potui vni determinatæ parti adhærere, certum tamen mihi eſt, miſtiones iſtas non eſſe admittendas, & ad ſolutionem caſus propoſiti, plura hinc, & inde eſſe diſcutienda, quod Authores citati minime præſtiterunt: ſed paucis contentis illum deciderunt; proinde efficax mihi ſe offert argumentum in fauorem Titij, tali pacto; Motiuum, quo emptores alliciuntur ad emendum vinum Titij, caret fraude in ordine ad alios mercatores; Igitur Titius in caſu poſito, nullam in alios mercatores irrogat iniuriam, patet conſequentia, quia intantum ab Auctoribus citatis damnantur hæ venditiones, inquantum fraudulẽter exercentur contra alios mercatores. Tota autem difficultas in antecedẽte cõſiſtit, quod ſic probo. Motiuum alliciens emptores eſt diminutio pretij, & non mixtio aquæ cum vino illo vendibili. Probatur, tum quia mixtio eſt illis ignota, tũ etiam, quia ſi agnoſceretur potiùs auocarentur emptores, qui vinum purum, & non aquis mixtum deſiderant. Et confirmatur primo, nam remota mixtione iſta, ſi Titius vellet etiam vilius vendere proprium vinum, adhuc allicerentur emptores; igitur ſignum eſt ſolam diminutionem in pretio eſſe adæquatum motiuum alliciendi, eſſe autem motiuum hoc abſque fraude videtur ſatis clarum; quia publicè Titius vendit pretio minori, quam ab alijs venditur, ergo in tali motiuo nulla apparet fraus. Con-

Digitized by Google

Confirmatur primo à pari: ab augmento pretij, quod fit in damnum, & præiudicium emptorum; ſi enim extet lex, ſeu pragmatica prohibens frumēti extractionem, & hoc in beneficium Regni, ſi quis proprium extraheret frumentum, & in magna copia, ita vt per talem extractionem Regnum patiatur notabile detrimētum, atque adeo imminente tritici penuria, pretium augeatur, ita vt Regnicoli cogantur cariùs emere, in tali euentu, Titius fraudulenter extrahens frumentum, eſſet cauſſa augmenti in pretio, & tamen non peccabit contra iuſtitiam commutatiuam; ſed ſolum contra legalem, aut cōtra charitatem in proximos, ſic à pari, in caſu noſtro extrahens triticum contra legem, non peccabit contra iuſtitiam commutatiuam, ita docent communiter Authores, *vt Bonacina de reſtit. d. 1. q. 1. §. 1. n. 5. & de cōtrac. d. 3. quæſt. 2. punc. 5. n. 6. Trullench in decal. lib. 7. cap. 20. dub. 18. n. 7. Ioannes de Dicaſtillo lib. 2. tract. 9. diſp. 3. n. 180. Diana par. 1. tract. 8. reſol. 27. in fine, & alij*. Rurſus probabilis eſt opinio, quæ aſſerit Mercatores inter ſe conuenientes de vendenda merce aliqua pretio rigoroſo, non peccare contra iuſtitiam, ſed contra charitatem, & tamen tale monopolium exercentes impediunt emptores ne emāt pretio infimo, aut medio, ad quod ius habent. Igitur à pari Titius alliciens emptores ad emendum ſuum vinum pretio iuſto, quamuis minori eo, quod communiter currit, non facit iniuriam alijs mercatoribus, licet poſſit grauiter peccare contra charitatem.

15 Hæc ſunt argumenta, quæ me inclinabant, ad eximendum eos qui huiuſmodi venditiones frequentant; verum rem meliùs ſpectans, eamque nonnullis doctis recentioribus proponens, in contrariam deueni ſententiam; aio igitur in caſu poſito, ſi emptores talibus artificijs remoueātur, ne apud alios mercatores emant, Titium in ſuo modo vendēdi peccare cōtra iuſtitiam, atque adeo aſtringi ad damnum, quod infert mercatoribus, reſarciendum; ducor ad hoc, quia licet emptores ad ſui libitum poſſint ſibi emere vinum à quocūque mercatore, & ad hoc à nemine prohiberi valeant, neque apud ipſos mercatores datur ius aliquod cogēdi emptores, vt eorum vinum emant; nihilominus quicumque mercator ius habet, ne emptores vi, & dolo impediantur ad vinum ſibi cōparandum apud eumdem mercatorem, & do manifeſtum exemplū ſatis ſimile, quod hoc ſuadeat. v. g. Titius poteſt pro ſuo beneplacito, donationem gratuitam alteri facere, v. g. Sorti, & quamuis Caius poſſit Titio ſuadere ne talem faciat donationem Sorti, etiam ſi ex odio id diſſuadeat, & peccet contra charitatem, non peccabit tamen contra iuſtitiam, quia Sortes nullum habet ius acquiſitum ad donationem illā, nihilominus, ſi Caius vim, aut fraudem hac in re adhibeat, proculdubio iniuriam irrogabit Sorti; quia Sortes, quamuis ius nō habeat ad gratuitam illam donationē, habet tamen ius, ne vi, aut fraude, Titius volens donare remoueatur à dono; proinde Caius, ſi fraude vtatur, peccabit non ſolum contra charitatem; verum etiam contra iuſtitiam commutatiuam, & obligabitur ad reſtituendum ipſi Sorti, & hoc eſt certum apud Doctores; ſic in caſu noſtro, quamuis mercatores ius non habeant, vt alij vinum ſuum emant, habent tamē ius, ne vi, aut fraude remoueantur emptores à tali emptione, Titius autem fraude vtitur alliciens emptores, vt ſuum vinum emant, putantes eſſe purum cum tamen ſit aquis mixtum, proinde blanda illa inuitamenta, quibus Titius vtitur diminuendo pretium, cū fundentur in ignorantia, quam de tali fraude emptores habent, lædunt ius Mercatorum, ideoque Titius contra iuſtitiam delinquit.

Ad rationem vero dubitandi in oppoſitum, Reſpondeo negando antecedens, cū dicitur. Motiuum, quo emptores alliciūtur carere fraude in ordine ad alios emptores; & ad probationem huius antecedētis negati, diſtinguo illud aſſumptum, videlicet, motiuū alliciens eſt diminutio pretij, & non miſtio aquæ, diſtinguo inquam ſic, eſt diminutio pretij quomodocumque, negatur; eſt diminutio, vt coniuncta cum exiſtimatione de vini puritate, concedo aſſumptum, nam emptores ſi ſcirent miſtionem illam, vtique non allicerentur ad emendum vinum lymphatum Titij; proinde licet decrementum pretij non moueat animum, niſi in quantum eſt coniunctum cum opinione, quod vinum illud ſit in ſua puritate, motiuum tamen alliciens, non eſt adequatè emptoribus manifeſtum, cum illis ſolum oſtendatur cortex illa dulcis in pretij decremento, at ſub tali cortice latet mixtionis amaritudo. 16

Ad cōfirmationem nego ſequelam, quia ſi nulla eſſet mixtio in vino, & hoc non obſtante, Titius vellet decreſcere in pretio, vt omnes ad ipſum recurrerent emptores, tunc motiuum alliciens eſſet adæquatè patens, & in nulla vi, aut fraude fundaretur; proinde nulla fieret contra alios mercatores iniuria, nam vnuſquiſq; eſt ſuarum rerum moderator, atque adeo poteſt Titius vēdere eo pretio vili ſibi bene viſo, & quidquid ex hoc contra alios mercatores ſequeretur erit per accidens.

Ad

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Ad ſecundam confirmationem ex pretij augmento deſumptam, Reſpondeo rationem eſſe diſparem; quia in ordine ad iuſtitiam commutatiuam nulla in extractione illa frumenti interuenit fraus, ſed ſolum extrahens peccat contra iuſtitiam legalem, frangendo iuſtam legem à Principe editam, at non peccat contra iuſtitiã commutatiuam, quia nihil miſcet in frumento illo; ſed illud in eius puritate relinquit, proinde ſi ex tali exſtractione ſequatur incremẽtũ pretij in regno, id erit per accidens, & non ſequetur ex fraude aliqua ad iuſtitiam particularem ſpectante, & ſic non erit eadem ratio.

At inſtabis, Regnicoli ius habent, ne leges ad communem vtilitatem concernentes frangantur; ideoque quando quis contra legem extrahit frumentum, lædit ius illud, quod cæteri regnicoli habent, & cum ex tali læſione damnum ipſis regnicolis, pretio aucto, ſequatur, erit extrahens obligandus ad tale damnum recompenſandum.

Reſpondeo, Regnicolos nullum inuicem habere ius, vt alius leges à Principe editas ſeruet, ſed hoc ius eſt in Principe, ſeu in tota communitate, neque eſt ius obligans ad reſtitutionem si lædatur, quia læſio iſta ſolùm eſt contra obedientiam ſuperiori debitam, per inobedientiam vero nihil ab ipſo Principe fuit vere ablatum, ſubditi autem particulares non habent inter ſe aliud ius particulare, niſi vt in proprijs, & particularibus bonis, non lædantur, nã reſtitutio eſt actus ſolius iuſtitię commutatiuæ, vt communiter Theologi docent cũ *S. Thoma 2. 2. quæſt. 62. à 1.* & docet *Sotus de iuſt. lib. 4. q. 6. à 1. Salonius in S. Thomam loco cit. & alij communiter.*

SECTIO SECVNDA.

An ſciens magnam mercium copiam breui ſuperuenturam, ac proinde futurum, vt earum valor minuatur, poſſit eas, quas habet, pretio tũc taxato, vel naturali, ſtatim diuendere.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur controuerſia.*

2 *Aliqui putant venditionem eſſe iniuſtã, ſi vendens priuata notitia ſciat ſuperuenturam mercium copiam.*

Id probant triplici ratione.

3 *Alij vero admittunt prædictam ſententiã,*

4 *quando emptores ſtatim frumentũ ſunt diſpenſaturi: ſecus, ſi ſunt diu illud ſeruaturi, aut alijs vendituri.*

5 *Plures autem ſuſtinent, nullam interuenire iniuſtitiam in tali venditione.*

Hanc ſententiam amplectitur Author, & ratione illam probat. 6

Exiſtimatio, quæ pretium conſtituit, ea eſt, quæ communior, & prudens cenſetur, & prudens quidem, quę ex notitia circumſtantiarum reſultat, quæ tunc communiter ſunt nota. 7

Confirmatur eadem ſententia multipliciter. 8

Sententia recepta ab Authore locum habet, ſiue emptores ſtatim rem emptam ſint diſpenſaturi, aut vendituri, ſiue eam ſeruaturi. 9

Locum etiam habet, quamuis vẽditor plus frumenti diſtrahat, quam alioquin ſine illa notitia eſſet diſtracturus. 10

Poterit interdum venditor peccare contra charitatem, ſi emptori notabile, per talem venditionem, obueniat damnum. 11

Idem eſt aſſerendum, ſi futura pretij diminutio proueniat ex vi legis, aut pragmatica à Principe promulganda. 12

Proponitur inſtãtia cõtraria, & ſoluitur. 13

Venditor interrogatus ab emptore, num breui ſit futura copia mercium, ſi reſpondeat nihil ſcire, quamuis id ſciat, non peccabit contra iuſtitiam. 14

Probabile eſt ſecundum aliquos neque cõtra iuſtitiam peccare, licet poſitiuè aſſerat, non eſſe futuram mercium copiam. 15

Si Princeps condens legem, per quam minuit pretium, id ante promulgationem manifeſtet venditori, aduertens ab eodẽ venditore eſſe diuendendum frumentũ pretio currenti, peccabit contra iuſtitiam ſecundum communiorem ſententiam. 16

Id reuocatur in dubium à Leſſio, cuius opinioni non adhæret Author. 17

Quando merx deportata eſt in Ciuitatẽ, alijs id ignorantibus, aut lex ſit edita, & non promulgata, putant aliqui non poſſe à venditore merces pretio currenti vendi: alij vero oppoſitum ſentiunt, quibus adhæret Author. 18

Probabile eſt poſſe legiſlatorem vendere mercem ſuam pretio currenti toto tempore, quo lex vocatur in conſultationem ante promulgationem, dummodo propter hoc nõ differat legis promulgationem. 19

Idem eſt aſſerendum de Senatoribus, & Conſiliarijs. 20

Ex prædicta ſententia nonnulla corollaria deducuntur. 21

Non obſtante ſuperuentura copia, merces minoris conditionis cenſerĩ non debent. 22

Declaratur illud axioma videlicet, Quod parum diſtat, nil diſtare videtur. 23

Ante publicam notitiam de ſuperuentura abundantia, merces non exiſtimatur minoris valoris. 24

Pal-

Digitized by Google

25 *Falſum eſt ab emptoribus ex errore ſolui pretium currens ante publicam notitiā futuræ abundantiæ.*

26 *Reſpondetur ad quamdam obiectionem oſtendendo diſparitatem eſſe inter præſentem caſum, & inter alium de moneta falſum metallum admiſtum habente, aut de libro errorem continente prohibendo ab Inquiſitoribus.*

1 PRoponimus controuerſiam illam, quam paſſim Doctores expendunt, videlicet, ſi quis priuata notitia ſciat breui ſuperuenturam magnam earūdem mercium copiam, v. g. frumenti, in illud regnum, aut ciuitatem, in qua ipſe reperitur, & conſequenter minuendum fore pretium frumenti, num poſſit abſque iniuſtitiæ peccato ſuum diuendere triticū, antequam frumēti copia ſuperueniat. tres in re hac inuenio ſentētias duas extremas, mediam alteram.

2 Prima opinio docet venditionem illam eſſe contra iuſtitiam, atque adeo venditorem teneri emptoribus dānum reſarcire. Sic *Conradus de contractibus quæſt. 62. & 63. Ioannes Medinam de rebus reſtituēdis, quæſt. 75.* & inter gentiles in hac eadem ſententia fuit *Cicero lib. 3. de off. §. Sed incidunt*, & pro eadem refert *Antipatrū*: pro contraria vero citat *Diogenem* vtrūq; Philoſophum gentilem. Et nouiſſimè hāc ſententiam defendit *Ioānes Eſcobar in ſuis tract. de vtroque foro, artic. 5. caſ. 2. n. 149. & ſeq.* vbi nonnullos etiam pro ſe laudat iuris peritos, probari poteſt hæc ſententia varijs argumentis à Medina adductis.

3 Et primo, quia merces illæ, nempe frumentum, minoris videtur eſſe conditionis; nam, & ſi abundantia in eo loco actu non exiſtat; nihilominus cum ſit proximè ſuperuentura minuit eius æſtimabilitatem, vt enim dici ſolet, quod parum diſtat nil diſtare videtur, & loquendo de Principis decreto, per quod pretium talium merciū eſt minuendum, aſſerit Eſcobar *nu. 150.* perinde ſe habere eſſe publicatū, & quam primum eſſe publicandum. Et confirmari poteſt, quia ſi huiuſmodi abundantia proximè imminens alijs innoteſceret, procul dubio minus frumentum illud æſtimaretur, atque adeo pretium eius merito decreſceret, quod ſignum eſt in re minoris eſſe valoris.

Secundo, quia emptores ſoluentes ex errore pretium currens, debent inuoluntarij cenſeri, proinde cognita veritate, venditor erit obligandus ad reſtituendum exceſſum pretij.

Tertio, eadem in hoc videtur paritas inter mercem intrinſecè laborantem vitio occulto, & vitio extrinſeco alijs ignoto, q perinde eſt in ordine ad rationem voluntarij ex parte emptorum, ac ſi intrinſecū foret; igitur ſicuti venditor nequit vēdere rem illam vitio laborantem eo pretio, quo venderetur ſi nullum haberet vitium intrinſecum; ita neque poterit vendere rē, videlicet frumentum, quod proximè eſt decreſcendum quoad valorem, His, & ſimilibus argumentis ſuadetur opinio iſta.

Secunda autem opinio modificat ali- 4
quantulum præcedentem, aitque vendētē non teneri ad reſtitutionem, ſi emptores ſtatim frumentum illud ſint diſpenſaturi, ſecùs ſi illud ſint ſeruaturi, aut alijs vendituri. ſic *Rodriquez in ſum. par. 2. cap. 83. concluſ. 10.* & ni fallor, per ly, diſpēſaturi, intelligit, conſumpturi, nam ſi intelligeret, quod inter alios frumentum illud diſtributuri ſint, rediret eadem difficultas, quæ habetur, ſi illud alijs reuenderetur, niſi verbum, diſpenſare, ſumeret pro gratis donare, quod non videtur veriſimile: fere idem docet *Valentia 2. 2. diſp. 5. quæſt. 20. punc. 4. poſt ſolut. ad tertium argumentum. ver. Et ſimiliter.*

Tertia opinio ſuſtinet poſſe abſq; iniuſ- 5
titiæ peccato venditorem in caſu poſito frumentum illud alijs vendere pretio currenti, non obſtante notitia illa priuata de abundantia proximè futura. Sic *S. Tho. 2. 2. quæſt. 77. ar. 3. ad 4. Caietanus, Aragonius, Bañes, ibidem: Turrianus etiam ibidem diſp. 58. dub. 3. Diana par. 1. trac. 8. reſol. 40. Barthol. à S. Fauſto in ſpec. confeſſ. diſp. 6. quæſt. 13. & ſeq. Trullech in Decal. lib. 7. cap. 20. dub. 7. Sylueſtr. verb. Emptio. quæſt. 15. Couar. ad reg. peccatum, par. 2. §. 4. n. 5. 6. Sotus lib. 6. de iuſt. quæſt. 3. ar. 2. in fine. Leſſius lib. 2. cap. 21. dub. 5. n. 40. Molina tract. 2. de iuſt. diſput. 354 num. 3. Ioannes del Caſtillo de iuſt. lib. 2. tract. 9. dub. 8. nu. 106. Bonacina de contractibus diſp. 3. qu. 2. punc. 1. n. 12. & alij apud ipſum*; attamen *Molina* cum aliqua limitatione loquitur, vt infra videbimus.

Dicendum eſt primo, hanc vltimam ſē-
tentiam eſſe reliquis probabiliorem, atque 6
adeo recipiendam. Probatur, quia iuſtum pretium rerum eſt illud, quod vel eſt lege taxatum, quale eſt pretium legitimum, vel eſt ex communi hominum exiſtimatione, quale eſt pretium naturale, igitur cum pretium non eſt lege taxatum vendens frumentum pretio illo, quod in foro currit, nullum iniuſtitiæ peccatum committit.

Dices in caſu iſto pretium iuſtum eſſe illud, quod in foro currit, ſupponitur, ſed non probatur; nam Auctores primæ ſententiæ dicunt pretium iuſtum eſſe illud,

quod

Digitized by Google

quod eſt iuxta communem hominum exi-
ſtimationem, quando exiſtimatio non ori-
tur ex errore, ſeu ex defectu notitiæ de
aliqua circumſtantia, quæ cognita pre-
tium variaret, ergo ratio iſta noſtra fun-
damentalis nihil probat.

7 Contra eſt, nam exiſtimatio, quæ pretiũ
conſtituit, ea eſſe debet, quæ penſatis
omnibus, eſt communiter prudens; & ea
iudicanda eſt prudens, quæ habetur ex
notitia circumſtantiarum, quę hominibus
hic, & nũc communiter ſunt notæ; cum
autem notitia futuræ abundantiæ in his
circumſtantijs haberi nequeat, conſequẽs
eſt vt dicamus notitiam illam, quæ hic, &
nunc habetur eſſe prudentem, & ſufficiẽ-
tem ad conſtituẽdum iuſtum pretium rei.

8 Et cõfirmatur primo, nã ſi talis cognitio
non ſufficeret, ſequeretur quod, ſi poſt vẽ-
ditionem illam frumentorum pretio cur-
rente, ſtatim ſuperueniret pluuia, quæ
fertilitatẽ frumenti cauſſaret, obligaretur
vẽditor ad reſtituendum aliquid de pre-
tio recepto, quia fertilitas ex concurſu
naturalium cauſſarum imminens, licet
hominibus communiter occulta, erat ta-
men circumſtantia faciẽs pretium decre-
ſcere, hoc autem nemo dixit; igitur neq;
eſt aſſerendum quod fertilitas ex cauſſis
liberis proueniens, antequam communi-
ter ſciatur, ſit ſatis ad pretium currens mi-
nuendum. Et confirmatur ſecundo à pari,
nam in nundinis eodem die valor mone-
tę poteſt creſcere, & decreſcere, quate-
nus intra eamdem fere horam variæ oc-
currere ſolent circumſtantiæ ſufficientes
ad pretium variandum, hoc tamen non
obſtante, pretium, quod ante horam illam
in foro nundinarum currebat, iuſtum exi-
ſtimabatur, quamuis inſiſterint circum-
ſtantiæ, ob quas paulò poſt pretium erat
variandum; Tertio confirmatur. Si ob
aliquam circumſtantiam poſtea ſuperue-
nientem, pretium augebitur, ſanè emp-
tor, qui minus pretium ſoluit, augmen-
tũ nõ ſupplebit, ergo nulla eidem emptori
fit iniuſtitia, ſi venditor ab ipſo petat pre-
tium currens, etiam ſi poſtea ſit diminuẽ-
dum, nam iuſtitia exigit, vt vtriuſque
contrahentis ſors ſit æqualis; ex his autẽ,
& ſimilibus rectè deducere poſſumus, iu-
ſtitiam pretij naturalis eſſe menſurandam
ex exiſtimatione, quam communiter ho-
mines habent hic, & nunc, & non ex illa,
quam poſtea habituri ſunt, aliqua ſuper-
ueniente circumſtantia, prius prudenter
non præuiſa. Confirmatur quarto ex ab-
ſurdo, quod ſequeretur ex contraria opi-
nione, quia ſi non ſolum emptor, ſed etiã
venditor ignoraret futuram abundantiã,
& merces venderentur pretio currenti, &
poſtea ſuperueniret illarum mercium co-
pia, & pretium decreſceret, venditor obli-
garetur ad reſtituendum emptoribus pre-
tij exceſſum, quod tamen ipſe Medina aſ-
ſerere non audet; ſed reſpondet negando
ſequelam, & aſſignat diſparitatem, dicẽs,
multum referre, dolosè, aut bona fide rẽ
vendere, & ideo venditor ſciens futuram
copiam decipit emptorem, qui eam igno-
rat, & ad hoc confirmandum nonnulla af-
fert exempla, quæ re vera continent ca-
ſus longe diuerſos, & addit quod, cũ ven-
ditor ignorat merciũ fertilitatẽ futuram,
procedit bona fide, & ſi accipiat pretium,
quod in foro currit, emptores non debẽt
eſſe rationabiliter inuiti; proinde, vendi-
tor, & à culpa, & ab onere reſtitutionis
excuſabitur, concurrente communi erro-
re circa quantitatem pretij, qui error cõ-
munis eſt tum venditori, tum emptori,
hæc, & ſimilia dicit Medina reſpondens
ad hoc argumentum; ſed re vera non ſa-
tisfacit, quia ſi merces ſunt in ſe minus
æſtimabiles, & minoris valoris, debet etiã
pretium in re eſſe minus; licet propter
ignorantiam, & bonam fidem, venditor
excuſandus ſit à culpa, nihilominus ſu-
perueniente notitia de exceſſu pretij, te-
nebitur exceſſum reſtituere, quemadmo-
dum, ſi ego bona fide putarem, lapidem
aliquem eſſe pretioſam gemmam, & tales
qualitates haberet, vt illum omnes viden-
tes idem iudicarent, atque adeo eſſet cõ-
munis error, & tali errore perſeuerante
venderem lapidem illũ, accipiendo pretiũ,
ac ſi eſſet gemma, ſi poſtea agnoſcerem
eſſe merum lapidem, quis negaret, me
fore aſtringendum ad pretium emptori
reſtituendum; & nihil quoad reſtitutionẽ
faceret bona illa fides, licet me liberaue-
rit à peccato committendo; ex his autem
apertè colligimus reſponſionem Medinæ
non tollere vim argumenti.

9 Dicendum eſt ſecundo; prędictam ſen-
tentiam etiam eſſe probabiliorem, & à no-
bis recipiendam, ſiue emptores ſint ſta-
tim diſpenſaturi, aut vendituri rem emp-
tam, ſiue eam ſeruaturi. Eſt contra Ro-
driqez, & Valentiam ſuperiùs relatos; pro-
batur autem concluſio eiſdem argumen-
tis, quibus precedens à nobis probata, &
confirmata fuit, cum enim valor mercis,
eiuſq; pretium metiendum ſit iuxta prę-
ſentẽ hominum exiſtimationem, nulla erit
iniuſtitia, si vendens merces ſuas eodem
pretio vendat, & ſi damnum poſtea ex va-
riatione pretij emptoribus obueniat, id
erit omnino per accidens, idemque eue-
nire potuiſſet in emptorum vtilitatem, ſi
circumſtantię ſuperuenientes illis fauora-
biles fuiſſent, augendo ęſtimationem, &
pretium mercis, cũ antea paruo emerint.

10 Dicendum eſt tertio. Quamuis vendi-

tor

Digitized by Google

tor ſcientia illa priuata durante, plus frumenti diſtrahat quàm alioquin eſſet diſtracturus, ſi proximam fertilitatem ignoraſſet, adhuc ſiſtendo intra limites iuſtitiæ, nemini facit iniuriam, ſi pretio currenti vendat: ita *Leſſius dubitat. cit. nu. 46. Molina l. c. n. 8. S. Fauſto l. c. nu. 3. & alij*. Probatur, quia venditor exponẽs plures merces vendendas, v.g. maiorem frumenti copiam, vtitur iure ſuo, & notitia illa priuata cum nihil conducat ad æqualitatem, aut inæqualitatem pretij, vt ſupra oſtendimus, nullum iniuſtitiæ crimen venditor committit.

11 Dixi ſiſtendo intra limites iuſtitiæ, quia interdum poſſet venditor peccare contra charitatem debitam, vt communiter Doctores noſtræ ſententiæ aduertunt, ſi copia mercium eſt adeo magna, vt emptor deueniat in notabilem egeſtatẽ, v.g. emat maximam frumenti copiam, quæ, ſuperueniente abundantia, reddatur ipſi emptori inutilis cum grauiſſima bonorum iactura, tunc ex charitate venditor teneretur manifeſtare abundantiam futuram, vel diminuere pretium.

12 Dicendum eſt quarto idem eſſe aſſerendum, ſi pretij diminutio erit facienda, ex vi legis, ſeu pragmaticæ à Principe promulgandæ, per quam tritici pretium in minori quantitate erit taxandum, eſt cõtra *Molinam diſp. illa 354. n. 5.* docentẽ non eſſe licitum propter ſcientiam legis promulgandæ plus frumenti diſtrahere quàm vendens fuiſſet diſtracturus, ſi ſciẽtiam hanc non habuiſſet, & pro hac ſententia nonnullos iuriſperitos citat, quãuis, vt vidimus, concedat ipſe Molina poſſe id fieri, quãdo notitia eſt de ſuperuentura mercium copia, ſed vt verum fatear, diſparitatem in vtroque caſu minime percipio, quia in re hac, ſi futurum pretij decrementum cognitum à venditore, ſuperueniens ex fertilitate ignota emptori, non reddet iniuſtam venditionem, ſi fiat pretio currenti, neque iniuſtam illam reddet, ſi pretij diminutio erit ex vi legis promulgandæ, nam ſiue ex hac, ſiue ex alia cauſa id proueniat, videtur eſſe omnino per accidens in ordine ad hunc effectũ, & ideo in caſu noſtro ſiue naſcatur ex copia ſuperuentura frumenti, ſiue ex voluntate Principis taxantis, & diminuentis pretiũ, nihil refert ad rem noſtram, nam cauſę huius diuerſitas cum eiuſdem pretij diminutionem cauſſet, ſolum materialiter ſe habet, proinde eamdem cenſeo in vtroque caſu eſſe rationem.

Dices cum Molina: Lex publica debet
13 eſſe æqualis, & communis omnibus ſubditis, & ideo, qui ea in aliorum detrimẽtum vtitur, iniuriam illis facit, ſecùs autem, qui ad eumdem effectum vtitur notitia ſuperuenturæ abũdantiæ, vt ſic enim non vtitur ſcientia rei, quæ omnibus debet eſſe communis; cum id potiùs ſpectet ad euentum fortunæ mercatorum.

Sed ratio iſta nihil nobis officit; quia aliud eſt legem eſſe inæqualem ſecundum ſe, aliud vero eſſe inæqualem quoad cognitionem priuatam, quatenus vnum prius altero notitiam de eius promulgatione acquirit, lex autem debet eſſe omnibus ſubditis æqualis ſecundum ſe, at eius æqualitas, non deſtruitur, ſi eius futura promulgatio priùs innoteſcat vni, quàm alteri, dummodo talis notitia non habeatur per manifeſtationem factã à Principe, ſeu à Magiſtratu, de qua re infra.

Dicendum eſt quinto. Si venditor interrogatus ab emptore, num breui ſit futura nec ne copia frumenti? reſpondeat 14
ſe de hac re nihil ſcire, non peccabit contra iuſtitiam. ita *Aragonius in 2.2 quæſt. 73. ar. 3. Leſſius l. c. n. 43. in medio, Trullench vbi ſupra*, & ratio eſt, quia non eſt venditor aſtringendus veritatem manifeſtare cum ſuo detrimento, debet tamen æquiuocare ad mendacium vitandum, cũ dicit ſe neſcire id, quod reuera ſcit.

Dicendum eſt ſexto. probabile eſſe, vt 15
aſſerit Leſſius, non peccaturum venditorem, ſi ab emptore interrogatus dicat poſitiuè contrarium, videlicet futuram non eſſe frumenti copiam, ſi ipſe non eſt fide dignus, nam leuitati emptoris imputabitur, qui fidem tali venditori præſtitit; & idẽ *Trullench, & Diana*, ſentiunt, quãuis venditor ſit fide dignus, & addunt eſſe mendacium duntaxat officioſum, non pernicioſum, verum de hoc valde dubito, quia, ſi eſt talis vir, vt propter ſuam auctoritatem, prudenter ſit eius dictis fides adhibenda, poſitiuè aſſerens, non eſſe ſuperuenturam abundantiam, tali aſſertione ſubminiſtrat ſufficiẽs motiuum deceptionis ex parte emptoris, nam licet emptor ius non habeat, per ſe loquendo, vt venditor veritatem hanc ipſi aperiat; nihilominus ius habet, ne poſitiuè falſum ſibi dicatur, proinde forma illa loquendi ſecundum ſe eſt doloſa, & in caſu noſtro contra iuſtitiam, neque eſt verum tale mendacium eſſe tantum officioſum, & nõ pernicioſum, ſi venditor fraudibus alliciat emptorem ad emendum, vt omnes fatentur, & aduertit Leſſius, & alij,

Dicendum eſt octauo. Si Princeps, ſeu 16
Magiſtratus manifeſtet venditori legem, per quam pretium minuitur, quamprimum fore promulgandam; & aduertat, à venditore vi talis notitiæ, occaſionem

D arri-

arripiendam diuendendi frumentum pretio currenti, tunc Principem, ſeu Magiſtratum id aperientem teneri ad reſtitutionem, ita aſſerunt communiter auctores, & ratio eſt; quia Princeps obligatur ciuium commoda curare, ſeu æqualiter ad omnes ſe habere; quemadmodum, ſi Princeps abſque rationabili cauſſa excluderet venditores, vno excepto, ne proprias merces vendant, vt iſte alius ſuas maiori pretio diſtrahat, peccaret grauiter contra iuſtitiam, alios impediendo; ita, & in caſu noſtro manifeſtans venditori legem promulgandam, cum illa præuiſione, quod ille ſit mercem pretio currente diſtracturus, ſeu venditurus, peccabit contra iuſtitiam. Hanc concluſionē expreſsè docet *Molina diſp. cit. n. 5. Salas diſp. l. c. in ſolutione argumentorum; ver. Ego vero, Bonacina vt ſupra nu. 14. Trullench loc. c. Dicaſtillo n. 121. & alij.*

17 Attamen Leſſius poſtquam opinionem hanc retulit, in dubium reuocat, an hoc ſit ſolidum, nam & ſi Magiſtratus reuelās legem promulgandam, in caſu prædicto, faciat contra proprium officium, & puniri poſſit, non videtur tamen cauſſa iniuſti damni, quia venditor iuſto pretio merces ſuas vendit; proinde concludit Leſſius, Magiſtratum reuelantem non teneri ad reſtitutionem ante ſententiam, qua condemnetur ad reſarciendum damnum illatum, Sed an hoc ſit in praxi tutum, iudicio prudentum me remitto, nam & ſi ratio allata videatur id ſuadere; nihilominus Doctores cum oppoſitum doceant, non audeo huic Leſſij opinioni adherere.

18 Dicendum eſt nono, Si ego ſciam copiā mercium deportatam iam eſſe in ciuitatē, aut Regnum; vel legem Principis eſſe iam editam, non autem promulgatam, alijs id ignorantibus, mihi licitum non eſſe vēdere pretio illo, quo merces exiſtimabātur ante deportationem, vel ante decreti conſtitutionem, ſeu promulgationem, ſic exiſtimat *Azor. p. 3. lib. 8. poſt quartum quæſitum, ver. Quid vero.* At oppoſitum docet *Petrus Nauarra de reſtitut. lib. 3. cap. 2. n. 80. in 2. corollario* loquens de mercibus, quę actu, ſed ſecreto ſūt in ciuitate. Et *Leſſius dubit. illa 5. n. 44. 46.* idē ait de decreto Principis iam edito, non tamē promulgato, ſi nullus alius, vel pauci, id ſciant: & hęc ſententia, eſt magis cohærens doctrinæ, quam nos ſupra tradidimus, militat enim eadem ratio, ſiue merces ſint ſtatim deportandæ, ſiue iam ſint deportatæ, ab alijs tamen id ignoretur, quia pretium antiquum in ſuo vigore perſeuerat, quouſque, vel per legem Principis, vel per publicam æſtimationem mutetur, sicuti prior lex ſemper durat, vſque dum promulgetur ſecunda, quæ primam irritet, aut mutet.

Sed quid dicendum de Principe condēte legem, & de Senatoribus, ſeu Conſiliarijs ipſius Principis, ſi propter notitiam de lege ſtatim promulganda, plus mercis diſtrahant, quam alioquin erant diſtracturi?

Dicendum eſt decimo, Principem, ad quem pertinet condere, & promulgare legem, vt cenſent aliqui, toto eo tempore, quo lex vocatur in conſultationē, poſſe vēdere merces ſuas pretio communi, & currenti; quia non videtur rationi conſentaneum, vt priuetur eo iure, quod reliqui ſubditi habent in vendendis mercibus eodem pretio; neque Princeps eſt peioris cōditionis, quā alij. hanc ſententiā ſuſtinet *Aloyſius Turrianus ea diſp. 58. n. 8.* quem poſtea ſequutus eſt *Dicaſtillo l. c. cap. 121.* & hæc ſententia, ob rationem aſſignatam, mihi non diſplicet: addunt tamen Authores prædicti non poſſe Principem differre promulgationem legis ea intentione, vt prius merces ſuas diuendat, niſi vellet per modum cuiuſdam tributi exigere pecuniam ad ſubueniendum propriæ neceſſitati, ſed hæc limitatio eſt ſuperflua. Nam Principem deueniſſe in talem egeſtatem, vt poſſit tributum imponere, & exigere, eſt mere per accidens ad caſum noſtrum, nam alio titulo tributum licitè imponeret. Quod vero ſpectat ad partem ipſam negatiuam, ſcilicet non poſſe eo fine differre promulgationem, poſſet quis in contrarium objicere, non peccare contra iuſtitiam commutatiuam Principem, ſi illo fine, & ex induſtria differat legis promulgationem; quia cum eo tempore pretium currens; vt hactenus oſtendimus, exiſtimetur iuſtum, & reuera ſit talis, nequit deficere à tali iuſtitia vi illius intentionis, & ſicuti reliqui priuati, vt vidimus, non obſtante notitia legis promulgandæ, ius habent vendendi merces ſuas pretio illo communi, ita etiā, & Princeps non erit eodem iure priuādus. Verum quia Auctores dicūt peccare Principem, differendo promulgationem eo fine; idcirco non recedo à communi ſētentia aliorum, licèt auctores iſti non declarent, contra quam virtutem ſit tale peccatum, & an Princeps teneatur, nec ne, ad reſarciendum damnum illud, quòd ementes ignorando futuram legem, & ſoluendo pretium paſſi ſunt.

Idem eſt aſſerendum de Senatoribus, & Conſiliarijs, poſſunt enim vendere merces ſuas pretio currenti, non obſtante notitia illa de lege propediem ferenda, ſecluſis tamē fraudibus, & deceptionib⁹; at nequeunt manifeſtare legem alicui in 20

par-

particulari, qui vi huius notitię diuendat merces, neque poſſunt curare, vt promulgatio legis differatur eo fine, vt diſtrahãt proprias merces pretio maiori currenti, ſicuti diximus de Principe.

21 Ex his omnibus, quæ à nobis in hac ſectione determinata ſunt, plures concluſiones deduci queunt. Et primo, ſi quis ſecreto ſciat Magnam Regiam Curiam breui diſceſſuram è ciuitate, & conſequẽter pretium propriæ domus notabiliter minuendum, poterit antequam receſſus Curię publicetur, locare domũ eo pretio, quod currit pręſente curia. Secundo, ſi quis priuata notitia ſciat valorem monetę decreſcendum, & hoc, vel quia copia pecuniarum ſit ſuperuentura, vel quia ob commune Reipublicę bonum vi pragmaticę à Principe edendę ſit minuendus, poterit propriã pecuniam diſtrahere, ſiue hoc faciat emendo merces, ſiue eam alteri mutuando, cum pacto, vt eam reſtituat iuxta valorem, quem ipſa pecunia habebat tempore mutui, ſi tale pactũ, vt aliqui cenſent, non ſit vſurarium, licet alij illud dãnẽt. Tertio, poterit quis vendere ſua bona mobilia, quę domi conſeruat, ſi pręuideat, vel ſciat ciuitatem ab hoſtibus diripiendam.

Omnia, quę diximus de venditore, applicari debent proportionaliter emptori, quando priuata notitia ſcit penuriam proximè ſuperuenturam, & ideo pręueniens viliùs emit, ſiue ſcientia ſterilitatis habeatur per aſtrologiam, ſiue per epiſtolam ab alio ſcriptam; ſiue denique per reuelationem, vt accidit Ioſepho Patriarchę, & refertur *in Sacris litteris Gen. 41.* ſic Auctores citati *Salonius*, *Bonacina*, *Trullench. & alij*. par enim eſt ratio in cauſis aſſignatis, quidquid dicat *Medina in ſolutione ad ſecundum*, id ſolum concedens, quando venditor, aut emptor conijcit fertilitatem, aut ſterilitatem, nam, vt ipſe inquit, poſſunt homines ſimiliter conijcere, ſi attendant, & ideo in hoc caſu admittit dari, aut recipi poſſe pretium communiter currens, non vero quando ſolus venditor eſſet diuinitùs certioratus de fertilitate, & non reliqui, & hoc etiam dici de emptore.

Sed non rectè cum par in omnibus enumeratis caſibus ſit ratio, nam de caſu, in quo Medina nobiſcum ſentit, dicere poſſumus, multos eſſe, qui ſunt ineruditi, & inepti ad hos futuros euentus conijciẽdos: & addo ad tales coniecturas, quę ex curſu planetarum dependent, non ſolere homines attẽdere in his negotijs exercẽdis: idcirco nullum eſt ponẽdũ diſcrimen inter prædictos caſus in ordine ad hũc effectũ. Supereſt nunc, vt argumentis ab ipſo Medina allatis ſatisfaciamus.

Ad primum nego hic, & nunc merces, 22
quæ venduntur eſſe minoris conditionis, ſeu bonitatis intrinſecæ, iuxta quam prudenter æſtimantur ab alijs eſſe tanti valoris, ſolùm autem ſequitur in poſterum futuras fuiſſe minoris valoris, & æſtimationis, ſuperueniente abundantia, ad axioma autem illud, ſcilicet, *Quod parũ diſtat nil diſtare videtur*, Aio, declaratio- 23
nem eſſe apponendam, cum aliquas admittat limitationes. Legi poteſt *Tiraquel. in tract. de Iudic. in reb. exig.* vbi varios ponit caſus, in quibus de modico, ſeu minimo eſt curandum, ſeu habenda eſt ratio, & alios ponit, in quibus non ſit curandũ; breuiter autem, pro vt ad rem noſtram facit, aio non valere axioma illud, quando eſt eadem ratio, de modico, & toto, valere autem cum diuerſa eſt ratio, illud enim quod in vna materia cenſetur modicum, in altera poterit exiſtimari magnum, quod ſæpè accidit in iudicando, quando diſtantia, quoad locum, aut tempus cenſenda ſit parua, aut magna; nonnullis exemplis rem illuſtrabimus, & primo dico, non valere, quando v. g. duo teſtamenta contraria eadem die ſunt inita, tunc ſi conſtet vnum tempore antecedente, quamuis breuiſſimo, ſcilicet hora vigeſima, cõfectum fuiſſe, alterum vero hora vigeſima prima, tunc præferendum erit priori hoc vltimum, vt colligitur *ex l. ſi quis cum S. Si ſuo teſtamento ff. de vulg. & pupil. ſubſt.* & ratio eſt, quia breuitas, aut diuturnitas temporis nihil facit ad vltimam volũtatem teſtatoris; proinde in ordine ad hũc effectũ voluntas, tũ quæ longo tempore ante mortem, tũ quæ breuiſſimo tempore præceſſit, in vnico momento integra ſaluari poterit, & ideo parum, & multum eodem modo ſe habent quantum ad prælationem hanc. Rurſus ſi quis teſtamentum iniens, conditionem apponat, v.g. inſtituat Titium in hæredem, eumque grauet ad reſtituendam Sorti hæreditatẽ, ſi abſque filijs moriatur; tunc ſi Titius generet Caium, & iſte ſuperuiuat Titio per vnicum momentum, ſatis erit ad extinguẽdũ fidei cõmiſsũ cõtra ſortẽ, & ad defectũ cõditionis, quia æquè benè verificatur Titiũ non deceſſiſſe ex hac vita abſque filijs, ſiue Caius ſuperſtes vixiſſet per mille annos, ſiue per vnum inſtans; atque adeo eadem eſt ratio in hoc de magno, & paruo, & ita breuiſſima illa mora, in qua Caius ſuperuixit non habebitur pro nihilo. Præterea, ſi quis petat diſpenſari in pluralitate beneficiorum, & taceat beneficiũ aliquod quantumuis tenuiſſimum, irrita erit impetratio, vt ſtatuitur *cap. ſi motu de præb. in 6.* Denique ſi alicui currat præſcriptio circa rem alienam bona fide poſ-

Digitized by Google

ſeſſam, & vltima die, qua erat præſcriptio conſumanda, ceſſet bona fides, poſſidens præſcribere non poterit, vt notat *Baldus in cap. venient, & cap. vltimo de præſcriptionibus*, quia mala fides, quoad ſui ſubſtantiam æque haberi poterit anno integro, & vnico etiam momento, & ſic in quamplurimis alijs caſibus erit diſcurrendum, quos ponit *Tiraquell. tract. de iudic. in reb. exig. ſer.* vbi quinquaginta quinque enumerat, in quibus parum, ſeu modicum non habetur pro nihilo, ſupereſt nunc, vt exempla adducamus, in quibus parum pro nihilo exiſtimatur.

Et primo ſi detur ſtatutum, pœnam imponens contra vulnerantes, ſi quis leuiſſimum infligat vulnuſculum, non ſubiacet pœnæ latæ, vt docet *Baldus, & alij apud Tiraquellum in decimo, & vndecimo caſu*, nam modicum illud pro nihilo reputatur, non enim, vt patet, eadem eſt ratio de vulnere leui, & magno. Secūdo Vaſſallus deſerens dominum in bello, ſi ſtatim redeat, non eſt feudo priuandus, quia modicum illud tempus abſentiæ pro nihilo æſtimatur *Baldus titul. 5. Quib. mod. feud. amit.* Tertio ſi Religioſus temerè habitum ſuæ Religionis dimittat, & alio ſe induat, ſed ad tam breue tempus, vt moraliter cenſeatur non dimiſiſſe, non afficitur excommunicatione lata cōtra temerè dimittentes, ſic *Azor. par. 1. lib. 12. c. 13. quaſ. 5. caſ. 16.* Quarto Prælatus alienans rem immobilem Eccleſiæ abſque ſollennitatibus requiſitis, ſi res eſt modici valoris non incurrit in pœnas cōtra alienantes *cap. Terrulas 12. quæſt. 2.* & communiter Doctores. Quinto ſi Epiſcopus à ſua Eccleſia abſit ſtatim reuerſurus, non dicitur abeſſe, vt colligitur *ex l. Poſtliminij. §. captiuis, ex l. Nihil intereſt ff. de captiuis: & poſtlim. reuer.* modicum autem tēpus in re hac determinauit *Cōcil. Trid. ſeſſ. 23. de reformat. cap. 1.* Plures alij caſus videri poſsūt apud *Tiraquellum tract. cit.* vbi nonaginta quattuor enumerat, in quibus non eſt eadem ratio de paruo, & magno; cum igitur hæc ſint certa, remanet, vt oſtendamus in caſu, de quo agimus, parum non haberi pro nihilo, quod ſic demonſtro. valor mercis, quæ pretium legitimum à Principe taxatum nō habet, ſed tantum pretium vulgare, fundatur in communi exiſtimatione, qua durante, ſemper pretium immutatum manet, at cum exiſtimatio mercis eſt eadem quoad ſubſtantiam, ſiue duret longo, ſiue breui temporis ſpatio, imo etiam eadem erit, ſi vnico temporis inſtanti perſiſtat; idcirco eadem eſt ratio, quoad hunc effectum de paruitate, & diuturnitate temporis, & ſi quis contra vrgeat, minus exiſtimari ab hominibus rem, quæ poſt paucos dies v. g. eſt ab hoſtibus deſtruenda, quàm ſi tali periculo non ſubiaceat: Reſpondeo verum eſſe, quod dicitur, ſi periculum illud communiter apud alios ſit manifeſtum, nam ſtatim, ac præuidetur, minùs res illa exiſtimatur, ſecùs autem, quando periculum latet, tunc in ordine ad communem exiſtimationem perinde res ſe habet, ac ſi nullum in re periculum immineret, paria enim ſunt non eſſe, & eſſe, & non apparere, vt ex multis iuribus, & Canoniſtis probat *Auguſtinus Barboſ. in varijs tract. Iuris axiom. 174. n. 9.* Et confirmatur ex praxi nundinarum, in quibus intra breue tempus, imo eadem die pretium mercis, ſeu monetæ variari ſolet: & hæc ſufficiant pro ſolutione primi argumēti, quod Medina cōtra nos obijcit; & pro recta huius axiomatis intelligētia; eadem etiam doctrina applicanda erit illi propoſitioni, qua ad ſuam doctrinam cōfirmandam vtitur Eſcobar, vt ſupra, nimirum perinde ſe habere decretum Principis, diminuens pretium, eſſe publicatum, & mox eſſe publicandū, negandū enim eſt hoc ita eſſe in ordine ad communem exiſtimationē hominū, ſecundū quā regulatur pretiū, nā tali exiſtimatione manente, cū ſit menſura valoris, & pretij, operatur; vt idem valor maneat, idemque etiam pretium, variaretur tamen exiſtimatio, ſi lex, aut decretum communiter ſciretur mox promulgandum.

24 Ad confirmationem autem eiuſdem argumenti ex dictis patet ſolutio, ſi enim alijs communiter abundantia futura, vt proxime imminens innoteſceret, ſtatim ceſſaret prior exiſtimatio, atque adeo valor, & pretium mutaretur in minus, nego autē ex hoc inferri poſſe merces illas ante talem notitiā minoris valoris fuiſſe, nam valor fundatur in exiſtimatione præſenti; & hæc fundatur in circumſtantijs, quæ prudenter hic, & nunc apparent.

25 Ad ſecundū negandum eſt, ab emptoribus pretium communiter currens ſolui ex errore; quia vt ſubtiliter aduertit *Aragonius l. c. in reſponſ. ad tertium, & quartum argumentum*, hæc duo ſunt diuerſa, videlicet, hominem falli, & hominem agere imprudenter, nam multa falſa probabiliora veris dicere conſueuimus, & ideo infert exiſtimationem illam, quando latet futura abundantia, dici non poſſe ex errore procedere, error enim importat priuationem ſcientiæ, quæ debet ineſſe, de eo autem, quod fortuitò; ſeu per accidens contingit, non debetur ſcientia, *ſic Aragonius*. At vt clarius, & facilius ſoluamus argumēt[ū]m, dicere poſſumus, negationem talis notitiæ in illis circumſtantijs

eſſe

eſſe meram, & ſimplicem neſcientiam, quę inſufficiens eſt ad prudens iudicium ferẽdum circa valorem mercis: proinde pretiũ currens, non obſtante tali ignorantia, erit iuſtum.

26 Sed obijcies vlterius, ſi quis habeat monetam, cui falſum metallum ſit admiſtum, & ſciat quamprimum legem eſſe promulgãdam, ne inpoſterum tale monetæ genus expendatur, ſi non obſtante tali notitia, monetam illã impuram diſtrahat, peccabit contra iuſtitiam; igitur à pari ſi venditor ſciat futuram mercium copiam ſuperuenturam, & earum pretium in Ciuitate minuendum, ſi vendat pretio currenti, peccabit etiam contra iuſtitiam, par enim eſt ratio, per accidẽs enim videtur eſſe, ſi cauſſa decrementi valoris, & pretij eſt ab intrinſeco, vel ab extrinſeco.

Reſpondeo, ſi vera eſſet opinio, quam tuetur *Ioannes de Lugo tom. 2. de iuſtit. diſp. 26. ſec. 8. §. 2. n. 144.* exagitando caſum illum, videlicet, ſi quis vendat librũ, quẽ ſcit poſtea eſſe ab inquiſitoribus prohibendum, poſſe ante prohibitionẽ pretio currenti illum vendere; ſi, inquam, vera eſſet hæc opinio, facile totum argumentum cõcederetur, quia vtrobique par eſſet ratio. Sed cum putem ſententiam illã nullo modo eſſe admittendam, idcirco, ad obiectionem concesso antecedente, nego conſequentiam, diuerſa enim ratio eſt de vitio intrinſeco, & de cauſſa extrinſeca, quæ facit pretium rei diminuere, nam quãdo merx intrinſecè defectum habet, in ſe, eſt minoris valoris; proinde iniuſtè venditur eo pretio, quo venderetur, ſi tali defectu careret, at quando in ſe nullum includit defectum, digna eſt tantæ æſtimationis, & valoris, & per conſequens valet pretio reſpondente ſuæ proprię æſtimationi; igitur cum moneta admiſtionem falſi metalli habeat, non eſt purum aurum, aut purum argentum, & ideo non eſt tanti valoris, quanti eſt aurum, aut argentum, & ſic venditor iniuſtitiam committit, ſi illam vendat, ſeu diſtrahat, ac ſi purum argentũ contineret, idem dico de libro, ſi enim eſt prohibendus, quia continet v. g. hæreſim, aut falſam, ſeu pernicioſam doctrinã non eſt dignus ea æſtimatione, qua eſſet ſi nullum inuolueret errorem, & hanc opinionem recipiunt *Salonius in 2. 2. quaſt. 77. art. 3. contrau. 4. in ſolut. ad vltimum argumenti Medinæ. Aragonius ibidem ad 2. Lopez de contract. lib. 1. cap. 46. ad 3. Salas de empt. dub. 32. ad 2. in fine. Reginaldus lib. 21. cap. 23. n. 346. verſ. Infertur tertio. Trullench dub. 7. cit. n. 3. in medio. Ioannes Dicaſtillo diſp. cit. dub. 6. n. 86. & dub. 7. n. 109. 110. Diana par. 7. tract. 10. reſol. 25.* licet in fine reſolutionis concedat eſſe probabilem opinionem Ioannis Delugo, mihi vero præſcindendo à tanti viri auctoritate, nihil probabilitatis habere videtur, quia defectus ille intrinſecus eſt præſens, & actu inhærens, & ideo deprimit valorem rei, & minuit pretium, aliter ſi quis venderet lapillum, quẽ alij gemmam pretioſam ex ignorantia iudicarẽt, poſſet ab emptore recipere pretium gemmæ, & ſi quis vendat vinum, & frumentum corruptum, aut tendens ad corruptionem, poſſet recipere pretium, ac ſi vinum, aut frumentum eſſet purum, quod tamen nemo dixit, neque ipſe Delugo, at quando cauſſa, quæ facit pretium decreſcere, neque eſt intrinſeca, neque præſens, ſed futura, & ignota communiter, tunc merx intrinſecè perſiſtit in eadem bonitate, & etiam manet in exiſtimatione hominum, eo modo, quo abũdantia minimè futura fuiſſet, & ſic non eſt par ratio.

Sed dices ex noſtra doctrina ſequitur, quod ſi venditor ignoret defectum, qui reperitur in libro, eumque vendat quanti communiter æſtimaretur ſine defectu, & poſtea agnoſcat defectum, & fiat prohibitio, teneretur reſtituere exceſſum pretij, quod tamen videtur durum; quia poſita bona fide ex parte vtriuſque contrahentis, venditio pretio currenti facta; non eſt cenſenda iniuſta, hoc autem inferri ex noſtra ſententia patet, quia ponimus rem ipſam intrinſecè eſſe minus æſtimabilem, minuſque valere, proinde ceſſante bonã fide, illud plus erit reſtituendum.

Reſpondeo ita eſſe, quia reuera liber cũ defectu intrinſeco minus actu valebat; proinde cognito defectu, tenetur venditor, vel reſcindere contractum, ſi emptor id petat, vel reſtituere exceſſum, & ita docet *Aragonius, Salas locis cit. & Dicaſtillo dub. 6. cit. n. 87.*

QVÆSTIO TERTIA.

De conſueta frumentorum negotiatione, quæ in hoc Regno exercetur inter Aratores, & Mercatores.

SVMMARIVM.

Declaratur praxis huius negotiationis. 1
Refertur forma conſueta, ſub qua initur contractus. 2
Explicatur ſpecies talis contractus.
Oſtenditur eius origo. 3
Exponuntur motiua, ob quæ fuit introductus. 4
Ponitur eius extenſio, mercatorum cupiditate, ad emptores, qui frumentum, neque actu, neque potentia habent. 5
6

Ali-

7 *Aliqui in dubium reuocarunt, num ſit licita venditio iſta, ſi fiat ab aliquo, ſegetes non habente.*

8 *Decidit Author per ſe licitam eſſe.*

9 *Per accidens illicitam reddi, & declaratur.*

10 *Mercatores pro ſecuritate pecuniæ antea ſolutæ, à vẽditore pignus poſtulare ſolẽt.*

11 *Explicatur negotiatio, de cuius ratione eſt ex parte vtriuſque contrahentis periculum, & quæ tale periculum per ſe annexum non habet.*

12 *Mercatores pignus pro ſecuritate pecuniæ ſolutæ, vi huius contractus licitè poſtulant.*

13 *Nequeunt vti tali pignore.*

14 *Loco pignoris licitè interdum poſtulant fideiuſſorem.*

15 *Tribunal Regij patrimanij ad fraudes vitandas, pretium frumentorum taxare conſueuit.*

16 *Taxatio iſta non eſt permanens, & fixa.*

17 *Declaratur modus procedẽdi in taxatione.*

18 *Poſita taxatione remanet determinata quantitas frumentorum, à vendente vi contractus conſignanda.*

19 *Quodnam pretium ſit ab emptore eligendũ ex varijs decurſis toto tempore, quo vẽditor fuit in mora ad frumenta conſignanda.*

20 *Refertur opinio cuiuſdam viri docti.*

21 *Aliorum ſententia proponitur.*

22 *Neutra opinio abſolutè eſt admittenda, ſed ſolum quadã adhibita diſtinctione.*

23 *Pretium exigendum vi contractus erit illud, quod valori frumentorum tempore taxationis reſpondebat.*

24 *Si attendendum ſit pretium non ratione contractus, ſed lucri, quod emptori ceſſauit, erit menſurandum iuxta valorem, quem frumentum habebat eo tẽpore, quo emptor intẽdebat illud diſtrahere.*

25 *In dubio de intentione emptoris medium pretiũ inter ſupremum, & infimum erit eligendum.*

26 *Hoc intelligi debet, quando medium excedit pretium debitum vi ſolius contractus.*

27 *Si ex parte creditoris eſt ſolùm inclinatio, an potius hoc, vel illo tempore fuiſſet frumentum venditurus, erit pretium maius, aut minus eligendum, iuxta maiorem, aut minorem inclinationem.*

28 *Dubitatur, num in omni caſu pretium accipiẽdum ſit ab emente ſecundum maiorem valorem, & hoc ratione cuiuſdam pœnæ.*

29 *Triplex eſt pœnæ acceptio.*

30 *Contractus pœnales in hoc Regno Siciliæ prohibentur.*

31 *Spectando Ius commune talis pœna nõ debet exigi à creditore.*

IN quibuſdam huius Regni Ciuitatibus, & præſertim Panormi, nonnulli mercatores, imò etiã aliqui, qui mercatores nõ ſunt, ad lucrum ſibi comparandum, quemdam ineunt contractum, quo mediante plures frumenti menſuras, quas in hoc Siciliæ Regno ſalmas appellare conſueuimus, tẽpore præſcripto conſignandas, pecunia anticipata ab Aratoribus emere ſolent, contractus enim iſte vulgo *da Maſſaro à Mercante, & alla Meta*, nuncupari ſolet. cum igitur talis modus contrahendi in Regno paſſim exerceatur, operæ pretium duxi, non tantum eius naturam, verum etiam multa, quæ illi connectuntur, accurare expendere ſecundum forum conſcientiæ: vt autem hæc meliùs percipiãtur, omnia, de quibus communiter dubitari poteſt, in varios, & diſtinctos Paragraphos ſeiunguntur. 1

§. I.

FORMVLA CONTRACTVS.

ANtequam prædicti contractus iuſtitiã perpendam, oportet tamquam fundamentum, & baſim dicendorum proponere formulam contractus; idcirco placet eo modo, quo à publicis notarijs exercetur, & à quibus illam accepi, ad verbũ tranſcribere tali pacto. 2

Titius mihi cognitus coram nobis ſpõtè vendidit, & vendit Caio, mihi etiam cognito præſenti, & ſtipulanti, & ab eo emẽti, ſalmas ſaxaginta frumentorum, ruccellorum, bonorum, mercantibilium, & receptibilium recollectionis proximæ futuræ proueniendorum, ex quibuſcumque ſegetibus huius Regni.

Quas quidem ſalmas ſexaginta frumẽtorum venditorum, vt ſupra, bonitatis, & qualitatis prædictæ, dictus venditor dare, & conſignare promiſit, & ſe obligauit, & obligat ipſi emptori ſtipulanti deferre, & ponere ad eius nomen, & computum in publicis horreis oneratorij Saccæ per totũ quintum decimum diem Menſis Auguſti proximi futuri; & infra eumdem terminũ dare, & conſignare teneatur in manibus proprijs ipſius emptoris reſponſale dictorũ frumentorum conſignatorum, aliter teneatur ad omnia, & ſingula damna, intereſſe, & expenſas, & ad maius pretium, & valorem dictorum frumentorum, quãti plurimi valebũt à tempore moræ in poſterum, quæ omnia, & ſingula, ex nunc pro tunc temporis, & è conuerſo, intelligãtur, & ſint contra dictum vẽditorem præſentẽ, & audientem proteſtata, notificata, & requiſita.

Et

Digitized by Google

Et hoc pro pretio prout ponetur meta frumentis prædictis rucellis in dicto oneratorio Sacca per officiales ſolitos dictam metam ponere, de Maſſario ad Mercatorē ad pecunias manuales, & de contanti ad bonum computum, cuius quidem pretij, dictus venditor dixit, & fuit confeſſus habuiſſe, & recepiſſe à dicto emptore vncias nonaginta de contanti.

Et poſita meta, & conſignatis dictis frumentis venditis vt ſupra, quis eorum contrahentium reficere debebit, reficere teneatur alteri contrahenti in frumento eiuſdem bonitatis, & qualitatis ſtatim, & in continenti, in pace, &c. Quæ omnia ſub hypotheca, &c.

Hæc eſt forma, ſub qua, aut ſub diuerſa parum immutata, celebrari ſolet prædictus contractus, sicuti à principalioribus huius vrbis Notarijs accepi. Aduertendum tamen eſt, quod quamuis in forma iſta obligari dicatur venditor ad consignanda frumenta in oneratorio Saccæ; id tamen poſitum fuit gratia exempli, nam ſæpe etiā in alijs locis, & oneratorijs obligatur vēditor frumenta depoſitare. Vt autem ab omnibus ſingula in huiuſmodi contractu contenta percipiantur, aduerto, per metam, intelligi æſtimationem, ſeu impoſitionem pretij, quæ fit à Magiſtratu.

§. II.

In qua ſpecie reperitur prędictus Contractus.

3 SVpponendo communem diuiſionem contractus in nominatos, & innominatos, de quibus *Mol. tom. 2. diſpu. 253. Leſſius lib. 2. cap. 17. diſp. 3. & alij*. aio prædictum cōtractum eſſe quamdam ſpeciem contractus nominati, qui dicitur emptio, & venditio. Probatur, nam contractus, qui conſiſtit in pactione pretij pro mercibus, & mercium pro pretio, eſt contractus emptionis, & venditionis: maior eſt manifeſta, & aperte colligitur *ex l. 1. ff. de contrahenda emptione*, vbi tria ad emptionem, & venditionem poſtulantur, videlicet merces, pretium, & conſenſus, per quem vltimo contractus perficitur, vt ibidem explicatur, conſenſus autem ſufficienter exprimitur verbis, aut ſignis, vt optime declarat *Salas tract. de empt. & vend. dubit. 1. num. 4.* minor vero prædicti ſyllogiſmi facillime ſuadetur, nam cōtractus, de quo agimus, inuoluit ſolutionem pecuniarum à mercatore factam, tāquam pretium frumentorum, quæ ſuo tēpore debent consignari, & ipſamet frumenta [promiſſa ab alio contrahente, nempe ab Aratore,] tamquam merces, non enim eſt de ratione contractus emptionis, & venditionis, vt merces actu consignentur, aut pretium actu ſoluatur, poteſt enim recte consiſtere, siue fiat pretio anticipato, vt accidit in caſu noſtro, siue pretio credito, vt ſæpe in alijs negotijs exercetur, quāuis contractus, qui actu includit contractionem mercium, & diſtractionem pretij, sit vndequaque cōpletus, & perfectus, vt prædicti authores fatentur.

§. III.

De eius origine, & motiuo, ob quod fuit inſtitutus.

HVIuſmodi contractus origo in hoc Siciliæ Regno eſt immemorabilis. Solùm habemus quaſdam pragmaticas circa modum, quo contrahi debet, vt eſt pragmatica, quam *Ioannes de Vega Prorex huius Regni dum Meſſanæ commorabatur die 5. Octobris 14 Indic.* 1555. pro mercatoribus inſtituit, & aliam antiquiorem editam *à D. Raymūdo de Cardona Prorege commorante Panormi die 29. Septemb. 10. Ind.* 1507. de quibus inferius iterum redibit ſermo, aliam antiquiorem notitiā habere nequiui. 4

Motiua autem, quibus talis modus cōtrahendi exercetur, ſunt nonnulla, omniaq; fundantur in bono communi totius Regni, nam Aratores nisi aliquam à mercatoribus pecuniarum ſummam anticipatè accipiant, non poſſent operam ſegetibus dare, nam illis indigent pro expenſis, quę ad ſeminandum requiruntur, ideoq; e à mercatoribus pecuniam habentes, eiſdē ſatisfacere ſe obligant in tot frumentis tēpore meſsis colligendis. Mercatores vero frumēta ab Aratoribus vēdita, negotiationibus exponētes lucrantur. Rurſus Barones feudorum, dum Aratores ſeminant, & frumentorum copiam colligunt, debitum tributum, quod vulgari nomine, *Terragio* appellatur, integrè exigunt. Denique totum Regnum benè ſe habet, quia ex frumētorū copia plures extra ipſū Regnū fiūt diſtractiones, & exteris triticum vēditur, & Regnū pecunijs abūdat, ac proinde multa apparent commoda, quæ ex tali emptione, & venditione frumentorum conſequuntur. 5

Verūtamen lucrandi cupiditas in mercatoribus, & pecuniæ inopia, quæ in multis reperitur, fuit cauſſa, vt in progreſſu temporis modus iſte contrahendi non ſolū exerceretur inter veros mercatores, & veros Aratores, ſed etiam ſe extenderet inter mercatores, & reliquos, qui non ſunt Aratores; imo ſunt viri Illuſtres, & nobiles, qui neque actu, neque potentia 6

in

Digitized by Google

in ſeminibus frumenta habent, & hoc non obſtante perſonam Aratorum induentes, mercatoribus triticum promittunt in ſatisfactionem pecuniæ, quam ab eiſdem mercatoribus anticipate recipiunt; inde eſt, vt in contractu apponantur illa verba, (*& hoc pro pretio prout ponetur meta frumẽtis prædictis roccellis, in dicto oneratorio Sacca, per officiales ſolitos dictam metã ponere de maſſario ad mercatorem, &c.*) in his autem verbis habetur ratio, & reſpectus ad primam huius contractus inſtitutionem, fuit enim talis contractus inuentus, vt diximus, inter mercatorem, & Aratorem, qui licet triticum nõ actu, proxima tamen potentia, nimirum in ſegetibus, habebat. an vero ſit licitus talis cõtractus initus inter mercatorem, & eum, qui re vera non eſt Arator, in ſequenti paragrapho videbimus.

§. IV.

An liceat mercatori emere frumentum pecunia anticipata ab eo, qui ſegetes non habet.

7 DVbitarunt aliqui viri docti talem modum contrahendi non eſſe licitum inter mercatorem, & eos, qui re vera nõ ſunt aratores, videbatur enim illis, eſſe quædam vſura palliata, eſſeque implicitũ mutuum cum lucro, quia mercator cum ſciat venditorem frumenta nequaquam poſſidere; idcirco neque ipſe emptor, neq; venditor intentionẽ habere poſſunt emẽdi, & vendendi frumenta; nemo enim poteſt promittere, vt conſignandum id, quo caret: proinde poſita tali cognitione in mercatore, idem eſt emere frumenta à non habente, ac dare pecuniam recipiẽndam cum lucro poſt aliquod tempus, quoniam vẽditor cum frumenta minimè poſſideat, cogitur ſuo tempore ſoluere eorum pretium, & inſuper aliquid aliud, ratione augmenti, quo in dies frumentorum valor accreſcere ſolet, quapropter videtur mercator moueri ad talem contractum ineundum cupiditate lucri, & per conſequens videtur vſuram palliatam committere.

8 Sed dicendum eſt, non eſſe, per ſe loquendo, illicitum talem modum contrahendi etiam cum illis, qui re vera aratores nõ ſunt, & ratio eſt quia licet vẽditor, neque actu, neq; potẽtia in ſegetibꝰ frumẽta poſſideat; nihilominus ea poterit ab alio habere, vel illa mutuo accipere, vel emere, & ſic dicitur virtute, aut potentia illa poſſidere, nõ apud ſe ipſum, ſed apud aliũ. ita expreſſo docet *Salonius in 2. 2. quæſt. 4. de cambijs*, quo loco quamuis de cãbijs ſermonem faciat, exemplum tamen affert ad probandum intentum in venditione frumentorum, quæ tempore venditionis non extant apud venditorem hoc ipſum affirmat *Nauarr. in manual. c. 17. n. 301. & in cõſilijs l. 5. de vſuris conſil. 31. § Obijcit aliquis. Barthol. à S. Fauſto trac. de cambijs diſp. 19. quæſt. 21. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 23. dub. 7. n. 60. Scaccia de commercijs §. 6. gloſ. 1. n. 66. Rebell. par. 2. de oblig. iuſt. l. 9. quæſt. 1. ſec. 4. n. 19.* Concluſio probatur manifeſte, nam ex parte venditoris ſatis eſt, vt merces venditæ aliquo modo apud ipſum potentia extent, ideoque licet frumenta, quæ à Titio venduntur, non ſint potentia in ſegetibus ipſius Titij, ſatis eſt tamen, vt extent in alterius ſegetibus, à quo facillime Titius tẽpore præfixo illa habere poterit, vel nomine mutui, vel nomine emptionis, parum enim, quantum ad hoc, refert frumenta, quæ promittuntur, iſto, aut alio modo potentia exiſtere, dummodo de illis habendis certa ſpes habeatur:

Dixi, per ſe loquendo talem modum contrahendi non eſſe illicitum, quia per accidens poterit eſſe illicitus, nam, vt ſæpe euenit, mercatoris intentio non eſt emendi frumenta, ſed potius lucrandi, & palliandi mutuum, & vſuram ſub colore emptionis; oportet igitur ad honeſtatem huius contractus, vt venditor veram, & realem intentionem habeat vẽdendi frumentum, & emptor intentionem illud emendi, aliter periurium committetur, quia iuramento promittitur conſignare merces, ad quas conſignandas vẽditor intentionem nequaquam habet, vel emptor intentione illas recipiẽdi caret. Addo huiuſmodi contractum modo, quo hodie exerceri ſolet, eſſe valde periculoſũ, quia mercatores ementes ab ijs, quos ſciũt nõ habere frumenta, neque ſegetes, videntur implicitè vſuram palliare: debent ergo rectam intentionem procurare, quam, ſi velint, facile illam in ſe ipſis formabunt. 9

§. V.

Vtrum mercator pro ſecuritate anticipatæ pecuniæ pignus à venditore poſtulare poſſit.

PRo maiori huius quæſiti intelligentia aduertendum eſt, pignus à mercatore in hunc finem poſtulari, vt, quantum fieri poterit, ſe indemnem ſeruet, in tuto ponens ſuum capitale, illudque ab omni periculo immune reddens, multa enim pericula imminere queunt, vel defectu, & culpa venditoris, vel caſu fortuito, &c. 10

Rurſus eſt aduertendum pericula, quæ in negotiatione timeri ſolent, eſſe in duplici 11

Digitized by Google

plici differentia: interdum enim periculũ eſt de intrinſeca, & ſpecifica ratione negotiationis; interdum vero accidit negotiationi: v. g. negotiatio, quæ in ſocietate conſiſtit, intrinſecè, & ſecundum propriam ſui rationem ſecum trahit periculũ ex parte omnium ſociorum, nam ſi alter ſocius vellet ſe ab omni periculo liberare, reijciens illud in alium ſocium, iniuſta, & illicita erit negotiatio. Cæterum aliæ negotiationes ſecundum ſe tale periculum nequaquam poſtulant, vt eſt e. c. emptio, & venditio, depoſitum, commodatum, &c. contractus enim, ſeu negotiatio, quæ in emptione, & venditione conſiſtit, ſecundum propriam rationem ſolùm exigit æqualitatem inter merces, & pretium, nõ autem requirit, vt pretium, quando anticipatè ſoluitur, periculis expoſitum maneat His præhabitis.

12 Dico licitum eſſe à Mercatore pignus accipi pro ſecuritate capitalis, quod ipſe mercator ſoluit anticipate, nam contractus, quem expendimus, cum ſit emptio, & venditio, tale periculum in capitali, ſeu pretio minime poſtulat, eſt communis ſententia, quam tuentur *Salon. de cambijs, quæſt.* 4. *contr.* 1. *n.* 7. *controu.* 22. *n.* 3. *Scaccia de commerc.* §. 1. *quæſt.* 7. *par.* 2. *ampliat.* 12. *n.* 1. *Coli. tract. de cambijs c.* 28. *Azor. tom.* 3. *l.* 10. *de camb. c.* 11. *quæſt.* 11. *Conrad. de contrac. quæſt.* 32. *concl.* 1. *Barthol. à S. Fauſto de cãb. diſp.* 19. *quæſt.* 37.

13 Verum aduertendum eſt, non poſſe mercatorem, qui ad ſecuritatem ſui capitalis pignus accepit, illo vti, ſine libero conſenſu domini; aliter iniuſtitiam committeret, & ad reſtitutionem teneretur, quanti vſus ille pignoris, prudentis arbitrio, æſtimatetur.

14 Quod diximus de acceptione pignoris, idẽ aſſerimus, ſi mercator in eũdẽ finem fideiuſſorẽ poſtulat, admonet tamẽ *Barth. à S. Fauſto* non videri licitum, vbi nullũ timetur periculum, pignus, & ſimul fideiuſſorem petere, quia duas diſtinctas, & ſpeciales obligationes requirere, cum vna tantum ſit ſufficiens, non videtur rationi conſentaneũ, ſed praxis cõtrarium ſeruat.

§. VI.

De æſtimatione, ſeu meta frumentorum, quæ à Patrimonialibus praſcribitur.

15 AD omnes fraudes de medio tollendas, & ne pretium frumentorum in incertum feratur, ſolent Patrimoniales ſingulis annis pro temporum varietate in illis Ciuitatibus, in quibus ſunt oneratoria, nonnullis ſolennitatibus præmiſſis, imponere taxationem pretij frumentorũ quæ vulgo, *Meta*, vocatur.

Hæc autem taxatio, ſeu meta non eſt ſtabilis, & permanens, ſicuti eſt illa, quæ imponitur v. g. vino, & multis alijs mercibus, quam excedere in vendendo non licet; ſed eſt talis taxatio, ſeu meta, quæ poteſt augmentum, & decrementum ſuſcipere, ſecundum copiam, aut inopiam frumentorum, ementium, & vendentiũ. quapropter ſine vlla iniuſtitiæ nota licitũ eſt venditoribus ſua frumenta, ſi ita cum emptoribus conueniant, penſatis omnibus, quæ contingunt tempore venditionis, vendere pretio maiori, quàm ſit taxatio à Patrimonialibus impoſita, quamuis poſſit, etiam in re hac, iniuſtitia committi, ſi frumentorum pretium nimium excedat, & ſit ſupra rigoroſum. 16

Modus autem procedendi in taxatione prædicta imponenda, eſt huiuſmodi. Circa finem menſis Septembris, aut circa initium Octobris à Patrimonialibus deſtinãtur aliqui in ciuitates, in quibus ſunt Regni oneratoria; & in hunc finẽ viceregia authoritate miſſi, cum ad locum deſignatum vnuſquiſque peruenit, ibi eligit octo circiter viros fide dignos, ab omni praua affectione, & intereſſe alienos, à quibus iuramentum in ſcriptis poſtulat de veritate aperiẽda circa commune frumentorum, & hordeorum pretium, quod vſque ad diem illum decurſum fuerit. His peractis vnuſquiſq; ex prædictis officialibus, ad proregem ſe confert, referens omnia, vt poſtea Prorex, ſeu Regij Patrimoniales, ſecundum relationem habitam, conſiderãtes omnes circumſtantijs, & copiam, vel inopiam, quæ eo anno ex frumentorum, vel hordeorum collectione habetur, taxã pro ſingulis oneratorijs imponant, ita aſſeritur *in libro pragmaticarũ Regni tit.* 21. rurſus ſpectantes periculum, & forſitan mercatorum intereſſe, taxam imponunt, non ſecundum pretium decurrens, ſed aliquantulum minus, & hoc in eorũdem mercatorum beneficium, nam quãto minor erit pretij taxatio, ſeu meta, eo magis erit mercatorum lucrum, quia vẽditor maiorem frumentorum copiam cõſignare tenebitur, ad hoc vt frumenta conſignata pretio taxato adæquentur. Sed minor iſta taxatio non erit ſemper vniformis pro omnibus venditoribus, nam pro his, qui realem pecuniam anticipatè ſoluerunt, illud minus ad valorem duorum circiter iuliorum, ſeu tarenorum pertinget, pro his vero, qui non pecuniam, ſed merces, vt interdum euenit, pro frumẽtis emendis conſignarunt, illud minus pertinget ad valorem vnius circiter iulij; ſeu tareni; e. g. fingamus, quod pretium ma- 17

E gis

Digitized by Google

gis commune in Vrbe, & per totam eius viciniam, eo tempore fuerit quinquaginta tareni pro qualibet menſura, tunc Patrimoniales pro ijs, qui pecuniam ſoluerunt, & emerunt frumenta conſignanda in oneratorio illius ciuitatis, imponunt taxam ad rationem tarenorum 48. & pro his, qui loco pretij merces alias tradiderūt, imponūt taxam ad rationem tarenorum 49. & ſic de reliquis, & hoc eſt ſatis rationi conſentaneum; quia cum magis æſtimari ſoleat ipſamet pecunia ſecundum ſe, quàm merces, proinde lucrum maius videtur habendum ab eo, qui pecuniam, quam ab eo, qui merces loco pecuniæ tradidit.

18 Impoſita autē à Patrimonialibus frumētorum, & hordeorum taxa, ſtatim determinata manebit frumentorum quantitas, quæ ab aratore iuxta formam contractus ſuperius expoſito erit in publico oneratorio conſignanda, cum prius indeterminata, & veluti ſuſpenſa fuerit, vt patet ex forma contractus *in* 1. §. relata. Si igitur venditor tempore præfixo frumentum promiſſum, & quo ad quantitatem iam certum, & determinatum in oneratorio preſcripto depoſitabit, & de huiuſmodi depoſito, vt tenetur, emptorem admonebit, poſſet quandoque contingere, vt ex venditione frumentorum lucrum reportaret. e.g. fingamus quod Menſe Martij contractus fuerit initus, in quo Arator, videlicet Titius vendiderit, Caio mercatori mēſuras ſexaginta frumētorū pro pretio vnciarum nonaginta, vt *in* 1. §. aperientes formam contractus ſuppoſuimus, & hoc ad bonum computum, hac lege, & conditione, vt taxa impoſita, quis eorum reficere debeat, teneatur reficere in frumentis, vt diximus ibidem, taxa autem ob frumentorum inopiā ponatur carior, e. c. ad rationem tarenorum quinquaginta pro qualibet mēſura, tūc vnciæ nonaginta pro ſexaginta mēſuris nō erunt ſuffecturæ; nā hoc modo valor vnius menſuræ erit ad rationē tarenorum quadraginta quinque, & ſic mercator ex vi contractus tenebitur pro 60. ſalmis ſoluere alias vncias decem, nam pretium 60. mēſuararū, ad rationem tarenorū quinquaginta pro qualibet mēſura, erit vnciæ centum, vt computum facienti patebit; quas quidem vncias decē in frumentis ſecundum conuentionem contractus emptor ſoluere tenebitur. Ceterum vt plurimum res non ita accidit, nā Aratores, ſeu alij venditores, qui re uera non ſunt Aratores, & frumenta nequaquam habent, illa tempore præfixo non conſignant, neque ſoluunt pretium, ac proinde, progrediente tempore, pretium frumentorum ſolet creſcere, & venditor conſtitutus in mora tenebitur emptori ſoluere pretium auctum. Quo pacto autē ſit pretium ratiocinandum, in ſequente paragrapho videbimus.

§. VII.

Quodnam pretium ſit eligendum, ſi venditor tempore præfixo frumenta non conſignauerit,

VT dubitationem hanc, quæ eſt potiſſima, omnino ſoluamus, nonnullas præmittere oportet combinationes, tū temporum, tum pretiorum frumentorū: & primo, fingamus tempus conſignationis eorumdem frumentorum ex conuentione facta inter contrahentes, fuiſſe diē quintamdecimam Auguſti, vt exemplificatur in formula contractus ſuperiùs poſita; hoc autem tempore ponamus valorē frumentorum perueniſſe ad rationem tarenorum quinquaginta pro qualibet mēſura: & rurſus ſupponamus id, quod in titulo præponitur, videlicet venditorem nō conſignare tempore præſcripto frumenta promiſſa; vlterius fingamus menſe Ianuarij proximo ſequente, valorem creuiſſe vſque ad tarenos ſexaginta, & Menſe Maij vſque ad ſeptuaginta. Secundo ponamus accidere oppoſitum, ſcilicet menſe Maij valorem decreuiſſe vſque ad tarenos quadraginta; & denique ſupponamus hoc tēpore ſiue creuerit, ſiue decreuerit valor ratiocinia inter Titium venditorem, & Caium emptorem, æquari, quod vulgariter dicitur, *Saldar le partite*, & hoc vel per conſignationem frumentorum, vel ex communi beneplacito per ſolutionē pretij frumentorum, quæ fuerunt promiſſa, & non conſignata. 19

His combinationibus circa valorem, & tempus præhabitis; Quærimus quod pretium ex enumeratis poſſit iuſtè exigere Caius emptor à Titio menſe Maij, in quo ratiocinia liquidantur, & æquantur. Audiui quemdam virum doctum aſſerentem, conſiderādum eſſe totum valorem decurſum à die, quo Titius venditor fuit poſitus in mora vſque ad diem liquidationis, & ſolutionis, & ex valore diuerſimode decurſo, medium eſſe eligendum: v. g. in prima combinatione valor frumentorum menſe Auguſti erat ad rationem tarenorum quinquaginta, menſe Ianuarij ſexaginta, & menſe Maij tarenorum ſeptuaginta. eligendum igitur erit, ſecundum hanc ſententiam, pretium medium, quod in caſu poſito eſt tarenorum ſexaginta, & ſecundum illud eſſe liquidanda ratiocinia inter ipſos contrahentes. Si vero diſcurramus iuxta ſecundam combinationem, in qua e.g. ſuppoſuimus valorem menſe Maij de- 20

decreuiſſe vſque ad tarenos quadraginta; tunc medium pretium eſſet ad rationem tarenorum quinquaginta, vt patet conſideranti valorem decurſum toto tempore moræ.

21 Alijs vero placet in hac re ſpectandam eſſe Mercatoris intentionem, & ſecundũ illam, pretium eſſe regulandum, ſeu quod in idem recidit, eſſe conſiderandum valorem frumentorum, qui decurrebat eo tempore, quo Caius Mercator propoſuerat frumenta vendere, idcirco ſi ipſe in animo habuerit frumenta promiſſa vẽdere Menſe Auguſti; quo tempore erant conſignanda, tunc pretium deberet eſſe ad rationem tarenorum quinquaginta pro qualibet mẽſura, tanti enim valebat mẽſura eo tempore, vt ſupra poſuimus. Si autem erat venditurus frumenta Menſe Ianuarij, pretium eſſe ad rationem tarenorum ſexaginta, quia tunc: vt ſupra diximus, tantus erat valor, & ſic de reliquis temporibus erit, ſecundum hanc ſententiam, ratiocinandum.

22 Veruntamen neuter modus abſolutè, & vniuerſaliter eſt admittendus; puto enim eſſe diſtinguendum; vel enim reſpicimus pretium debitum ex ipſomet contractu, præſcindendo ab intereſſe damni emergẽtis, aut lucri ceſſantis, quod pati poteſt creditor, ſeu emptor frumentorũ ex mora conſignationis frumentorum; vel ad tale intereſſe ex prædicta mora reſultans: ſi enim loquamur de primo, & ſiſtamus in ipſo met contractu, pretium debitum erit illud, quod reſpondebat valori frumentorum tempore, quo fuit impoſita taxa, & ideo ſi impoſitio fuit v. g. ad rationem quinquaginta tarenorũ pro qualibet mẽſura, ita erit pretium ratiocinandum, & quinquaginta pro qualibet menſura erit emptori ſoluendum.

23 Probatur concluſio iſta, quia illud pretium eſt pro emptore, ſeu pro mercatore taxãdum, quod vi contractus ab ipſis met contrahentibus conſtitutum fuit; at pretium illud, fuit illud, quod currit tempore taxæ, vt expreſſe dicitur in ipſo met contractu, & patebit eius formam perlegenti: igitur tale pretium vi contractus erit mercatori ſoluendum. pretium autem iſtud eſſe iuſtum ſupponitur à nobis; quia eſt impoſitum à magiſtratu, à quo, vt enarrauimus, adhibetur ſufficiens diligentia ad illud determinandum. & hæc ſi attendamus pretium, ſiſtendo tantum in ratione huius contractus vt sic.

24 Si vero ſit ſermo de ſecũda inſpectione, nempe, si conſideremus moram debitoris, videlicet Aratoris, qui omiſit conſignare frumenta tempore preſcripto, & eo elapſo, varia decurrerint pretia maiora, & minora; tunc cenſeo eſſe regulandum pretium per ordinem ad intẽtionem ipſius mercatoris frumentorum emptoris, vt vult ſecundus modus ſupra relatus, hoc eſt, eſſe attendendum, ad quodnam tempus intẽtionem vendendi frumenta emptor direxerit, & illud pretium, quod eo tempore cucurrit eſſe ſoluendum.

25 Si vero de tali intentione nulla firma certitudo moralis haberi poſſit, tunc debemus priorem modum eligere, nempe ab emptore exigendum eſſe medium pretiũ decurſum toto tempore moræ, in qua fuit debitor, vt sic enim ſeruabitur æqualitas inter venditorem, & emptorem.

26 Hoc autem à nobis aſſeritur, quãdo medium illud pretium excedit pretium, quod ratione ſolius contractus, quatenus eſt vẽditio, & emptio, eſt emptori debitũ, & merito id adnotamus, quia in hoc ſecũdo modo attendimus ad lucrum ceſſans, vel ad damnum emergens in fauorem emptoris, ideoque si medium illud pretium eligendum non excedat pretium debitum vi talis contractus, nullum erit lucrum ceſſans, aut damnum ex parte emptoris ratione moræ, vt patet conſideranti, proinde emptor iure ſuo poſtulare poſſet pretium illud, quod ratione talis contractus in ratione venditionis fuit cum ipſo venditore conuentum.

27 Denique si quis ſubtiliùs inquirat, quid determinandum, quando neque moralis certitudo, neque dubitatio erit de intentione creditoris, ſed tantùm maior inclinatio potiùs ad vnum, quàm ad aliud tẽpus habeatur, & conſequenter magis ad vnum quàm ad aliud pretium. Reſpondeo pro maiori, aut minori inclinatione eſſe determinandum maius, aut minus pretiũ arbitrio boni viri.

§. VIII.

An maior valor frumentorum in omni caſu exigi poſſit, ſaltem ratione pœnæ conuentionalis.

28 RAtio dubitandi eſt virtute illius clauſulæ, quæ in forma huius contractus apponi ſolet, vt vidimus, obligatur enim venditor ad ſoluendum emptori maiorem illum valorem, quem habitura ſunt frumenta toto tempore moræ, ſi ab ipſo vẽditore minimè conſignata fuerint. Dixi in omni caſu, quia in aliquo poterit ab emptore ſummus ille valor exigi, videlicet, quando certam, & determinatam habuit intentionem vendendi frumẽta conſignãda, eo tempore, quo ſummum valorem habuerunt, nempe Menſe Maij. v. g. in quo pretium fuit ſummum comparatum

ad alia pretia, quæ alijs moræ temporibus habuerunt, nam venditor, ſeu debitor nõ conſignando frumenta fuit cauſa, vt emptor, ſeu creditor menſe Maij, illa non vendiderit; atque adeo fuit cauſa, vt emptor amiſerit lucrum illud in maiori valore conſiſtens: quod quærimus autem eſt, an præſcindẽdo à tali creditoris intereſſe, poſſit ipſe creditor exigere maiorem illũ valorem in pœnam, quamuis damnum in tãto valore non fuerit paſſus.

29 Vt autem quid ſit determinandum videamus, ſupponimus pœnam eſſe in triplici differentia. ſcilicet, legalem, iudicialẽ, conuentionalem. Legalis dicitur ea, quę à lege ſtatuitur, ſiue luenda in corpore, ſiue in bonis: Iudicialis imponitur arbitrio Iudicis in caſu particulari, v.g. cõtra debitorẽ ſi minimè ſoluat. Conuentionalis denique ab ipſiſmet contrahentibus imponitur. e. c. Titius mutuo dat Caio mille aureos ab hinc ad annum reſtituendos, hac conditione, vt ſi Caius tempore præſcripto non ſoluat, in pœnam teneatur quinquaginta v. g. ſupra mille ipſi Titio ſoluere. His præhabitis ad excuſandos in hoc caſu mercatores exigentes maiorem valorem, poſſet quis dicere, maiorem illum valorem, ad quem ſoluendm ſe obligat Arator, ſi frumenta non consignabit, exigi poſſe à creditore ratione cuiuſdam pœnæ conuentionalis, ſaltem tacitè ab ipsis contrahentibus impoſitæ.

30 Cæterum dicendum eſt non poſſe, quia contractus pœnales (quibuſdam caſibus exceptis, quos enumerat *Marius Muta in explicatione Capitulorum Regni Siciliæ*, inter quos non eſt præſens, de quo loquimur) in hoc Siciliæ Regno prohibẽtur ex iuſſu *Regis Alphonſi*, vt patet in *Capitulis Regni cap.* 154. *quod eſt* 54. *ipſius Alphonſi*, vbi Rex præcipit talem pœnam non eſſe exigendam, limitando in hoc ius commune.

31 Rurſus addo, quod, etiamſi in iure cõmuni ſiſtamus, abſtrahendo à ritu, & conſuetudine huius Regni, mihi non videtur rationabile, vt mercator exigat ab Aratore, totum lucrum, quod eſt paſſus ob defectum conſignationis frumentorum, & vlterius pœnam conuentionalem, tum quia non vna, aut altera, ſed plures conditiones requiruntur ad obligandum debitorem, vt ſoluat pœnam conuentionalem, quas conditiones enumerat *Mol. tom.* 2. *de iuſt. d.* 217. *Leſſ. l.* 2. *de iuſt. c.* 20. *dub.* 15. *Medina de vſura quæſt.* 3. *& communiter alij*; tum quia etiamſi omnes prædictæ conditiones concurrant, non videtur tamen rationabile, vt Arator condemnetur ad lucrum ceſſans, & ad pœnam ſoluendam, cum ſufficienter ſatisfacere videatur, ſi totum damnum, quod mercator eſt paſſus, integre ſoluat.

QVAESTIO QVARTA.

Sit ne licita in foro conſcientiæ venditio rei maiori pretio, vel emptio minori, quàm res valeat, vbi non eſt vltra, aut infra dimidium iuſti pretij.

SVMMARIVM.

Exemplo declaratur quæſtio 1

Huiuſmodi contractum eſſe licitum, latè defendit Ioannes Eſcobar, & iuribus ciuilibus id probat. 2

Ponitur Theologorum reſponſio ad prædicta iura. 3

Impugnatio Ioannis Eſcobar. 4

Prædictus Author iure canonico ſuam cõfirmat ſententiam. 5

Eius ſecunda ratio fundatur in eo, quod pacta ſint ſeruanda. 6

Tertio id probat ex eo, quod in caſu iſto duo naturalia principia ſimul incompoſſibilia concurrant, & quorum vnum de pactis ſeruandis præferri debeat. 7

Quarto oſtendit in tali contractu iniuſtitiam reperiri non poſſe. 8

Quinto ex eo, quod vtriuſque contrahentis æqualis ſit conditio. 9

Sexto deſumitur argumentum paritate rationis ex lege præſcriptionis. 10

Septimo ex eo, quod talis modus contrahẽdi recipitur ab hominibus cauta, & timida conſcientia. 11

Octauo probat à pari, nempe ex venditione mercium pretio currenti, quamuis ſolus venditor ſciat futuram abundantiam, quæ tamen venditio licita iudicatur. 12

Nono ex venditionibus ſimilibus, quæ ſiunt ſub haſta. 13

Decimo id confirmat ex eo, quod concurrente ſcientia, & voluntate contrahẽtium ſine dolo, & fraude iuſtus erit cõtractus. 14

Vndecimo probat ex incommodis, quæ ex contraria ſententia ſuboriuntur. 15

Declaratur ab eodem Authore, quale pretium ex tribus in hac negotiatione ſit attendendum. 16

Sententia Iuriſtarum, quam Eſcobar defendit, eſt reijcienda ſecundum conſciẽtiæ forum. 17

Probatur ratione fundamentali. 18

Inſtantia in contrarium proponitur, & efficaciter impugnatur. 19

Probatur ſecundo ad hominem contra aduerſarios. 20

Soluitur primum argumẽtũ in oppoſitum 21

ex-

Digitized by Google

explicando duas illas dictiones ex ipſis iuribus, ſcilicet, naturaliter, & licet.

22 *Probatur, leges ciuiles ab Eſcobar allatas, eſſe permiſſiuas, & non diſpoſitiuas.*

23 *Declaratur ius canonicum ab eodem authore adductum.*

24 *Contrahentes aſtringuntur ad ſequendũ naturam contractus iuſti, non autem iniuſti.*

25 *Non rectè diſcurrit Eſcobar contra Theologos.*

26 *Duo illa principia naturalia ab Eſcobar allata, minimè inuicem pugnare in hoc contractu.*

27 *Oſtenditur iniuſtitiam interuenire in hac negotiatione.*

28 *Explicatur, quo ſenſu verum ſit, parem, & iuſtam eſſe vtriuſque contrahentis conditionem.*

29 *Nullam eſſe paritatem inter præſcriptionem iuris, & hunc modum contrahendi poſitum ab Eſcobar.*

30 *Falſum eſt, hunc contrahendi modum receptum eſſe in vtroque foro.*

31 *Nulla eſt paritas inter venditionem mercium pretio currenti, non obſtante priuata notitia futuræ abũdantiæ, & hũc caſum.*

32 *Diuerſa eſt ratio de venditione ſub haſta, quoad pretium, & de contractu iſto.*

33 *Exponitur mens Theologorum aſſerentiũ iniuſtitiam abeſſe, quando adeſt vtriuſque contrahentis voluntas.*

34 *Demonſtratur ſententiam Ioannis Eſcobar, tot limitationibus ab ipſomet reſtrictam, non eſſe diuerſam ab ea, quam Theologi communiter ſequuntur.*

1 CAſus, de quo quæſitum inſtituitur, exemplo declaratur: ſit v. g. prædium, cuius valor exiſtimetur centum aureorum, & Dominus vendat illud centum quinquaginta, aut alius emat illud quinquaginta: tunc ille, nempe Dominus, diceretur vendere prædium pluris, quam valet, ſed non vltra dimidium, nam ſpectando pretium valoris, exceſſus quinquaginta aureorum ſupra cẽtum eſt dimidium totius valoris, & cum ſupra illud nihil aliud in ratione pretij habeatur; ideo non exceditur dimidium: contra vero, ſi emptor tantum ſoluat quinquaginta, diceretur emere minoris, quàm prædium valet, ſed non infra dimidium: nam ex ſuppoſitione quod valor ſit centum, dimidium erit quinquagenarius numerus. His pro explicatione quæſiti præhabitis, inquirimus, num in foro conſcientiæ venditor in primo caſu, aut emptor in ſecundo peccent cõtra iuſtitiam commutatiuã, atque adeo teneatur ille reſtituere exceſſum pretij, nempe illa quinquaginta ſupra centum, & pari modo emptor obligetur, vel ad reſcindendum contractum, vel ad ſupplendum defectum pretij vſque ad cẽtum. Dixi in foro conſcientiæ, quia in foro externo non datur actio, neque læſus auditur, vt ſtatutum eſt *in l. Rem maioris: l. ſi voluntate in fine Cod. de reſcindenda venditione*; & communiter ibi Iuriſtæ: proinde tota controuerſia reducitur ad forum conſcientiæ, & ſub hac ratione quæſitum erit à nobis examinandũ.

Quæſtionem hanc valdè fusè exagitat *Ioannes Eſcobar in ſuis trac. de vtroque foro art. 5. caſ. 2. per totum* quam controuerſiam idem Author ponit in fine illius articuli, & conatur varijs argumentis probare prædictam venditionem, & emptionem etiam in foro conſcientiæ licitè fieri poſſe.

Probatur primo ex varijs iuribus, quæ ab eodem Authore afferuntur initio illius quæſtionis *à num. 3.* & præſertim *ex l. in cauſa 17. §. idem Pomponius ff. de minor.* vbi aſſeritur licitum eſſe contrahentibus, in pretio emptionis, & venditionis naturaliter ſe circumuenire, & idem ſtatuitur *in l. Item ſi pretio 25. §. Quemadmodum. ff. loc. & cond.* nempe ſe inuicem decipere poſſe; quod intelligendum eſt, dummodo vendendo dimidium pretij, non excedatur, aut infra dimidium non ematur. probatur, quia, vt vidimus ſupra, in iuribus illis de reſcindenda venditione denegatur actio, quando tale dimidium nõ exceditur, aut infra illud non diminuitur pretium. 2

Communis autem reſponſio Theologorum eſt leges illas ciuiles eſſe tantum permiſſiuas, non diſpoſitiuas, hoc eſt ob cõmune Reipublicæ bonum permittendas, non vero concedendas ſimiles venditiones, aut emptiones: proinde ex hoc capite vendentes, & ementes, & non iuxta rei valorem, peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem: ſed contra hanc communem ſolutionem inſurgit Eſcobar tali pacto. 3

Leges iſtæ ciuiles iubent, & cogunt; ergo non ſunt permiſſiuæ, ſed diſpoſitiuæ, ac proinde obligant in foro conſcientiæ ad ſui obſeruationem: patet hæc vltima cõſequentia, nam ſi lex eſt iuſta, & præcipit, aſtringit ſubditos ad parendum, & eam traſgredientes peccabunt; vt ſuppono ex materia de legib. prima vero conſequentia non erit difficilis probationis; quia iubere, & permittere ſunt actus lõgè diuerſi, & incompatibiles, non enim dicitur permitti id, quod iubetur; ſi quis v. g. cogeret aliquem ad furandum, vel furtum præciperet, non diceretur permiſſiuè 4

Digitized by Google

ſiuè ſe habere ad furtum, vt de ſe eſt manifeſtum: tota autem difficultas in antecedente reperitur, nempe leges illas eſſe diſpoſitiuas, quod sic probatur. Iudices cogere ſolent contrahentes ad ſeruandũ has vẽditiones,& emptiones,nẽpe, vt tradant rem venditam, & ſoluãt pretiũ, quãuis immodicum; ſignum igitur eſt leges iſtas eſſe diſpoſitiuas, aliter malè ſe gereret Iudex cogens contrahentes ad has leges ſeruandas; ſicuti non rectè faceret cogens, ſeu præcipiens fornicationem,quam tamen permittit ad maiora mala vitanda.

Et confirmatur ex iure canonico, nam *cap. Cum dilecti de empt. & vend.* Pontifex reuocat ſententiam latam à quodam Decano, vtpote iuri contrariam, & declarauit non tenuiſſe venditionẽ cuiuſdã ſyluæ, ex eo quod à miniſtris minùs dimidia parte iuſti pretij fuerit empta: reuocãs autem Pontifex hanc ſententiam §. *Quia vero*, ſtatuit in arbitrio emptoris eſſe, vel ſupplere iuſtum pretium, vel reſcindere contractum, & reſtituere poſſeſſionem, ideo videtur approbare prædictas leges ciuiles, per quas admittitur talis contractus emptionis, & venditionis, ſi non fiat infra dimidium. Idemque colligitur *ex cap. Cum cauſa eod. tit.* vbi deciſum fuit contra ciues Viterbenſes, quorum oeconomus quamdam emit domum infra dimidium iuſti pretij, vt reſcindatur contractus, vel vt ſuppleatur iuſtum pretiũ; quod intelligi debet vſque ad ſummã dimidij.

Neque dicas iura iſta canonica eſſe tantum permiſſiua; quia nullum apparet verbum, ex quo permiſſio colligatur, & addo à iure Pontificio numquam permitti rẽ prauam, & peccaminoſam ſine expreſſione cauſæ, cur permittatur, nec ſine monitione cauendi à peccato. hæc tamen in prædictis iuribus canonicis minimè habẽtur: deducitur ergo leges iſtas eſſe verè diſpoſitiuas, & non permiſſiuas.

6 Secundò probatur, (& eſt tertia ratio, quam ponit Eſcobar: nihil iuri naturali conformius, quàm pacta, & conuentiones ſeruari:) ex hoc principio intendit author iſte inferre eſſe ſtandum in foro conſcientiæ huic contractui: antecedens vero nonnullis iuribus probat: poſtea cõfirmans prædictum argumentum, monet contrahentes in vtroque foro ſequi debere naturam contractus: at natura huius contractus eſt, vt contrahentes vſque ad dimidium ſe inuicem circumueniant: ergo licitè talis cõtractus naturam ſequuntur. Et inſuper *num. 78 idem Eſcobar* monet lectorem, vt hanc ſequens rationem, attendat, quam ait, eſſe nouam, curioſam, & à nemine conſideratã, & ideo ſic arguit. Pretium non ex re, ſed propter negotiationem, & conuentionem percipitur, quod, ex *l. venditor 21. ver. Pretiũ. ff. de hæred. vel act. vendita.* confirmat, & etiam probat ex varijs Authoribus,nam res per ſe non acquirit pretium, ſed conuentio, vt notat *ex Anton. Fab. in ſuis rational. ad l. Venditor,citatam,* licet occaſionaliter, ſeu materialiter, aut ſecundario ex re ipſa pretium naſcatur; per ſe autem, & formaliter, aut primariò ex cõuentione originatur: igitur conuentionẽ attendere debemus, vt pretij iuſtitiam taxemus, & ideo infert ipſe Eſcobar, non rectè à Theologis communiter eſtimationem pretij deſumi ex rei valore, & non ex conuentione; quia cauſa proxima,quę eſt pactum, ſeu conuentio inter contrahentes,& non cauſa remota eſt attendenda: quæ eſt res, eiuſque valor: proinde licet ſi ſpectetur quantitas pretij relata ad valorem rei,reſultet inæqualitas, & per conſequẽs obligatio ad reducendum pretium ad æqualitatem, ſiue illud augendo; ſiue diminuendo; nihilominus tollitur iſta inæqualitas, & obligatio per ipſam conuentionem inter contrahentes, quando procedit remota fraude, & dolo, ſic diſcurrit Eſcobar,multa alia addendo *vſque ad numerum* 120.

Probatur tertiò; quia in caſu iſto, de quo agimus,duo concurrunt principia ad Ius diuinum, & naturale ſpectantia, quæ cum ſimul ſeruari nequeant, videntur cõtraria; nempe pacta eſſe ſeruanda,& inter pretium, & valorem rei debere æqualitatem interuenire: ex his autem duobus principijs id, quod eſt efficacius præferẽdum eſt, cum ambo ſeruari nequeant; efficacius autem eſt, conuentiones; & pacta ſeruari, vt ènim habetur *l. 1. de pactis,* nihil tam congruum fidei humanæ, quàm ea ſeruare, quæ placuerunt contrahentibus. Et confirmatur, nam æqualitas inter valorem rei, & pretium pertinet ad ius particulare, pacta autẽ ſeruare ad bonum publicum, proinde potentius erit iſtud, quàm illud.

Quarto. Poſita vtriuſque contrahentis voluntate, & remoto omni dolo, & errore, impoſſibile eſt iniuſtitiam inueniri; quia præſumitur alterum contrahentẽm voluiſſe exceſſum illud donare. sic *Eſcobar num.* 129.

Quinto. Quando in contrahendo æqualis eſt vtriuſque contrahentis conditio, impoſſibile eſt iniuſtitiam eſſe; at vendẽdo carius intra dimidium, & infra dimidium emendo vilius, reperitur ęqualis conditio inter contrahentes; ergo nequit eſſe iniuſtitia: patet maior, nam ęqualitas tollens inęqualitatem oppoſitam, remo-

mouet omnem iniuſtitiam: minor probatur. Naturalis hominum inclinatio eſt vēdere cariùs, & emere viliùs, vt aſſeritur *in l. illa, Si in voluntate,* ſuperiùs citata *C. de reſcid. vend.* & colligitur *ex l. in cauſa* 17. §. *Idē Pōponius l. ff. de min* cū dicitur [*In pretio emptionis, & vēditionis naturaliter licere cōtrahentibus ſe circūuenire*] per ly, *naturaliter*, vel ſignificatur natura ipſius contractus, vt aliqui putant apud *Eſcobar num.* 134. vel ius gentium, vt exponit *Gloſ. ibi*, quaſi dicatur, de iure gentium diſpoſitum eſſe, vt contrahentes poſſint intra dimidium ſe decipere in pretio.

10 Sexto probatur à pari; nam præſcriptio, & idem dico de vſucapione, inuenta fuit à iure ciuili ad bonum publicum, vt dicitur *l. 1. ff. de vſucap.* ad dirimendas lites, & ſedandas controuerſias, & habet etiam locum in foro conſcientiæ, ſi ius commune, & non particulare alicuius regionis ſpectemus; igitur eadem ratio, nempe bonum communitatis, ob quod introducta fuit circumuentio in contractu venditionis, & emptionis circa pretium, poterit etiam locum habere in foro conſcientiæ, par enim vtrobique eſt ratio, imo vt notat *Eſcobar n.* 138. potiùs in caſu iſto, quā in præſcriptione ꝓcedit, qa in p̄ſcriptione inuenitur ignorātia in dño rei, quæ p̄ſcribitur; at in caſu noſtro procul eſt ignorantia; & datur conuētio, & conſenſus domini ſufficiens ad obligationem inducendā, quā non inducit tranſcurſus illius temporis, quod requiritur ad præſcribendum.

11 Septimò. Modus iſte contrahēndi per mutuam circumuentionem pretij eſt cōmuniter receptus, etiam apud viros timidæ conſcientiæ, & oppoſita ſententia eſt omnino oblita, & ſpreta; ergo cū praxis, & conſuetudo huic opinioni faueat, eſt à nobis recipienda.

12 Octauo. Admittitur, vt iuſta venditio illarum mercium, quarum copia proximè futura ab ipſo vendente ſcitur, quamuis ab alijs communiter ignoretur, etiam pro pretio tunc currenti, vt ſupra cum multis determinauimus: ergo multo magis debet admitti opinio hæc circa pretij circumuentionem. ſic obijcit *ipſe Eſcobar num.* 150. *& ſequentibus: & num.* 156. concludit in rebus ad iuſtitiam pertinentibus, nō tanti habendam eſſe Theologorum, quam Iuriſconſultorum opinionē; quia iuſtitia ex legibus oritur, quarum notitia eſt Iuriſtarum propria.

13 Nono. In venditionibus ſub haſta etiā à Theologis cōceditur exceſſus; ſeu minoratio circa dimidium pretij, tum quia donatio præſumitur, tum etiam quia modus ille vendendi iuſtificat pretium ita auctū, vel diminutum; ergo in caſu noſtro etiam donatio præſumi poteſt, & conuentio iuſtificat modum contrahendi, & quantitatem pretij, quod ſoluitur; nulla enim apparet maior ratio, cur ſub haſta, & non extra haſtam augmentum, ſeu decremētum pretij, vt iuſtum admitti nequeat sic *Eſcobar num. 166. & ſeq.*

Decimo. Eſt communis tum Theologorum, tum Iuriſtarum opinio, quod ſi læſus ſciat verum mercis valorem, & non ducatur ad emendum, aut vendendum fraude, dolo, leuitate, aut neceſſitate, alter contrahens tutus in cōſcientia maneat; ſed in caſu præſenti, de quo agimus, excludimus omnia illa, ergo vendens accipiens dimidium pretij ſupra iuſtum, vel emens infra dimidium, tutus erit in conſcientia. *ſic Eſcobar 177. & ſeq.* 14

Vndecimo. Probatur ſententia iſta; quia ex contraria numquam venditores tuti manerent in conſcientia, ſemperque eſſent perplexi, num exceſſerint nec ne pretium iuſtum, & ſimiliter ementes dubijs vexarentur, num vilius rē cōparauerint, vt iuſtitia, & rei valor poſtulat: igitur ad vitandas has animi anguſtias, opinio iſta tamquam rectæ rationi conſona erit admittenda. sic *idem Auctor à num. 198. diſcurrit.* 15

Hęc ſunt præcipua argumenta ab Eſcobar adducta, & ab eodem varijs confirmationibus probata; quæ tamen omnia facilè reduci poſſunt ad prædicta, quæ retulimus; poſtea vero *à num.* 213. incipit ampliare hanc eamdem ſententiam; vt velit locum habere etiam in alijs ſimilibus contractibus, in quibus ex vtraque parte aliquid datur, vel fit: & hoc vſque *ad nu.* 223. a quo vſque *ad numerum* 248. prędictam ſententiam varijs limitationibus reſtringit: de his autem limitationibus in fine poſt ſolutionem horum argumentorum ſermonem inſtituemus.

Denique *num.* 248. pro coronide huius ſententiæ, declarat quale pretium attendendum ſit ex illis tribus, nempe rigoroſo, medio, & infimo, ad hoc, vt determinetur, num contractus ſit nec ne reſcindendus in foro externo, aut in foro conſcientię ſit obligatio reſtituendi iuxta hanc opinionem, & poſt nonnullorum Authorum opiniones relatas, eam vt veriorem recipit, quę reſpectu venditoris lucrifacientis, ait pretium ſupremum, ſeu rigoroſum eſſe ſpectandum: reſpectu autem emptoris pretium infimū. v. g. ſit res, cuius pretium naturale latitudinem habeat, ſupremum ſit viginti: medium, decem, & nouem; denique infimum decem, & octo: tunc reſpectu venditoris lucrifacientis dimidium erit denarium ſupra vigin- 16

Digitized by Google

ginti, quia, cum pretium rigoroſum cenſeatur iuſtum, & venditor, vt hactenus probatum eſt, tutò poſſit vẽdere rem ſuã intra dimidium iuſti pretij, quod ſuppoſuimus eſſe viginti, cuius medietas ſunt decem, infertur pretium triginta aureorum poſſe à venditore recipi: at in ordine ad emptorem, qui poteſt rem infimo pretio comparare, nempe decem & octo, dimidium iuſti erunt nouem, & ideo nouem ſoluens, non tenebitur venditori aliquid reſarcire; notat etiam idẽ *Author n.* 24. exceſsũ ſupra dimidiã partẽ iuſti pretij haberi ex quolibet minimo addito, etiã ſi ſupra dimidium vnum dumtaxat obolũ addatur, vt colligitur *ex L. Hac adiecto* 192. *ff. de verb. ſignif.*

Hæc eſt ſententia Ioannis Eſcobar cum ſuis argumentis, & confirmationibus fideliter relata. poſtea vero *à n.* 250. *vſque ad num* 292. oppoſitæ ſententiæ rationes ſoluere conatur: denique *à n* 293. ſubſcriptiones quindecim Doctorum eamdem opinionem approbantium adducit, & cõcludit hunc articulum. Iam ſupereſt vt quid decidendum ſit declaremus.

17 Dico igitur, ſentẽtiam iuriſtarum in foro conſcientiæ eſſe omnino reijciendam, eſt commmunis Theologorũ opinio, quorum primus eſt *S Thomas* 2. 2. *quaſt.* 77. *art* 1. *ad* 1 *Sotus lib.* 6. *de iuſt. quaſt.* 1. *artic.* 1. *Molina tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 350. *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 21. *dub.* 4. *n.* 20. *Val. in* 2. 2. *diſp.* 5. *quaſt.* 20. *punct.* 2. §. 1. *Azor. tom.* 3. *inſtit. moral. lib.* 8. *c.* 22. *quaſt.* 4. *Salas de empt. & vend. dub.* 26. *n* 0 *Ioannes Sanchez in ſelect diſp.* 48. *n.* 60. *Trullench in decal. lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 6. *n.* 1. *Ioannes de Dicaſtillo de iuſt. lib.* 2. *trac.* 9. *diſp.* 1. *dub.* 9. §. 2. & ex canoniſtis quamplures antiqui, & recentiores, quos laudat, & ſequitur *Auguſtinus Barboſa in cap. Cum dilecti. ſuperius citato, n.* 3. *de empt. & vendit.*

18 Probatur autem ratione fundamentali. Opinio iuriſtarum nõ ſaluat æqualitatem debitam inter contrahentes; ergo eſt omnino reijcienda. conſequentia eſt certa; quia cum inter contrahentes ſeruanda ſit iuſtitia commutatiua, quæ æqualitatem quamdam eſſentialiter expoſcit; idcirco reijcienda omnino erit ſententia illa, quæ æqualitatem non ſaluat. Antecedens vero probatur. In contractu emptionis, & venditionis æqualitas ſpectanda eſt inter rem, & pretium; proinde ſi pretium excedit, vel deficit ab eiuſdem rei valore, inæqualitas, iuſtitiæ oppoſita, reſultabit; igitur iuriſtarum opinio non ſaluat æqualitatem debitam inter contrahentes.

19 Dices æqualitas inter contrahentes nõ eſt menſuranda inter rem, vt ſic, & pretium, ſed inter conuentionem factam, & pretium, nam valor rei eſt cauſa remota huius commenſurationis; conuentio autem eſt cauſa proxima; proinde magis iſta quàm illa attendi debet.

Sed valde inefficax, & infirma reſpõſio; falſum enim eſt conuentionem eſſe id, ex quo formaliter menſurari debeat iuſtitia pretij in venditione, & emptione, nam conuentio non eſt forma ponens æqualitatem requiſitam inter contrahentes; ſed eſt ſupponens illam, alias ſi conuentio eſſet talis forma, ea poſita, idem effectus formalis ſemper haberetur, & reſultaret; & ideo quæcumque conuentio eſſet iuſta, quia cũ ponatur eſſe forma cauſans æqualitatem, eam ſemper cauſaret, & ſic reſultante æqualitate, ſemper, & neceſſario daretur iuſtitia, quæ in æqualitate eſſentialiter conſiſtit; hoc autem eſſe falſum, patet; quia ſi conuentio fieret inter contrahentes de ſoluendo pretio vltra, vel infra dimidium, contractus eſſet iniuſtus, & lædens ad reſtitutionem teneretur ex defectu æqualitatis, & tamen haberetur conuentio; igitur conuentio nequit eſſe forma ponens æqualitatem.

Et ſi in oppoſitum replicetur, æqualitatem hanc non haberi ex quacumque conuentione, ſed ex tali determinata: Cõtra eſt; quia ita reſpondens tenetur aſſignare, vnde nam colligatur taleitas iſta in vna, & non in altera conuentione, ſanè non aliunde, niſi ſpectando valorem rei, & pretium in ordine ad eumdem valorem: & ſic aduerſarius velit, nolit, aſſignabit, vt fũdamentum proximum huius æqualitatis hęc duo, nempe valorem, & pretium, ex quibus primo, & per ſe, reſultat ęqualitas, aut inęqualitas: & his omnibus ſuppoſitis, ſuperuenit conuentio cadens ſupra talem ęqualitatem.

Probatur ſecundo concluſio principalis ad hominem contra aduerſarios, nam ipſi dicunt quod, ſi interueniat lęſio vltra dimidiam partem; v. g. ſi res valeat decem, & venditor exigat ſexdecim, teneretur ipſe vendens ad libitum ementis vel reſcindere contractum, vel reſtituere totũ pretium excedens dimidiam partem, nempe ſex, vt animaduertit *Gomez to.* 2. *variar. reſol. cap.* 2. *de empt. & vendit. n.* 22. idq; colligit ex iuribus citatis, & laudat *Cynu, Baldum, Paulum de Caſtro,* & ait id magis communiter aſſeri ab alijs Doctoribus. 20

Hoc autem ex aduerſarijs pręſuppoſito, ſic ad hominem argumentor: Si lęſio non excedens dimidium eſſet iuſta, & licita, nulla ratione ſuſtineri poſſet, cum dimidium exceditur, lędentem obligari ad reſtituendam totam quantitatem, quę excedit iuſtum pretium, v. g. in caſu poſito, eſſe

ſex

Digitized by Google

ex reſtituendos, ſed ſufficeret vnum reſtituere, & hoc, quia alia minor quantitas infra ſex non eſſet iniuſta per aduerſarios, & nullum ſufficiens diſcrimen aſſignari poterit, cur in eo caſu, nimirum quando exceditur dimidium, omnes ſex aurei ſupra decem ſint reſtituendi, cum ſextus dumtaxat cenſeatur iniuſtus, inquantum excedit dimidium, & non ſatis ſit reſtituere vnum, ita vt pretium reducatur ad eam ſummam, ſecundum quam non videatur iniuſtum, nempe ad quindecim, ſi enim ſolus ſextus ſupra quindecim reddit iniuſtam venditionem, remoto ſexto, tota quantitas remanens non deberet iniuſta cenſeri, ſicuti de facto talis non exiſtimatur, quando non habet ſextum adiunctum, quoniam ſi coniunctio ſexti aurei reddit pretium iniuſtum, ſeparatio ſexti tolleret omnem iniuſtitiam: ergo á primo ad vltimum, ſi exceſſus ſupra dimidium obligat vendentem ad reſtituendos omnes ſex aureos ſupra decem, ſignum eſt omnes ſex eſſe pretium iniuſtum, ac proinde omnes, & ſingulos eſſe reſtituendos, ſiue poſita, ſiue non poſita conuétione.

Hoc argumentum, quod ipſe Eſcobar octauo loco n. 17. propoſuit, volens ſoluere *num. 269.* nihil aliud dicit, niſi quod & ipſum, & eius prima confirmatio vim non habeat; & poſtea ſequitur, ſoluendo prædictam confirmationem, in qua ego vim non facio, & ideo illam defendere nunc omitto; deſiderabam tamen reſpõſionem ad argumentum ipſum principale, quam apud Eſcobar non inuenio. Maneat igitur ex dictis in foro conſcientiæ aſtringi lædentes ad reſarciendum damnum læſo illatum, modo, quo explicuimus, quod melius confirmabitur reſpondendo ad argumenta, quæ á Ioanne Eſcobar in contrarium ſunt allata.

Soluuntur argumenta pro contraria Sententia.

21 PRimum argumentum, quod eſt baſis cæterorum, quæ á Iuriſtis afferri ſolent, deſumptum fuit *ex l. in cauſæ 17. ff. de minor. & ex l. item ſi pretio ff. de loc. & cond.* vbi cum iura dicant naturaliter licere contrahentibus ſe circumuenire, videntur approbare tamquam licitam: & honeſtam circumuentionem hanc.

Ad hoc argumentum reſpondeo primo, eſſe licitum contrahentibus in pretio ſe circumuenire, nempe intra latitudinem iuſti pretij, interdum enim poteſt quis védere rem ſuam pretio ſummo, & rigoroſo, interdum vero minori: & e contra emptor poterit núc pretio infimo, & vili emere, interdum vero permagno. hanc expoſitionem tradit *Couar.* explicando *legem illam in cauſæ lib. 2. var. reſol. cap. 3. num. 2.* quam etiam amplectũtur Theologi *Molina tom. ſecundo de iuſtit. diſput. 350. num. 8. Leſſius lib. 3. cap. 21. dub. 4. num. 23. Dicaſtillo lib. 2. de iuſt. trac. 9. diſp. 2. dub. 8. num. 118. & paſſim alij.*

Reſpondeo ſecundo explicando duas illas dictiones, ſcilicet, *Naturaliter, licere naturaliter* enim idem importat, ac de iure gentium, vt exponit *Gloſ. ibidem, Leſſius dub. cit. num. 23. & alij.* neque eſt nouum ius gentium quandoque appellari ius naturale, vt expreſſè habetur *in inſtit. de rer. diuiſ. §. ſingulorum.* iure autem gentium interdum multa impunè permittuntur ad maiora reipublicæ damna vitãda, vt ſunt nonnulla, quæ pertinent ad acquirendum rerum alienarum dominiũ, etiam inuito domino, de quibus in tractatu de iure, & iuſtitia fuſè agitur. Applicando autẽ doctrinam hanc præſenti materiæ, aio iure gentium diſpoſitum fuiſſe, vt contrahentes mutuo in pretio ſe decipi poſſint, quando læſio non excedit dimidiũ iuſti pretij, vel non eſt infra tale dimidiũ: & hoc, ne lites nimium multiplicentur. Quod vero attinet ad alteram dictionem, nempe, *licere*, aio idem importare, ac permitti impunè. ſic *Rabellius de oblig. iuſt. par. 2. lib. 9. quæſt. 3. num. 6. verſ. Nec obſtant.* idque optimè probat *ex l. non omne 187. ff. de Regulis iuris*: verba autẽ legis hæc ſunt [Non omne, quod licet, honeſtum eſt] ſi enim verbum illud, licet, ſumeretur quatenus importat conueniẽtiam, & commenſurationem cum recta ratione, falſum diceretur, honeſtum non eſſe, quia omnis actio rectæ rationi conformis eſt honeſta, & ſic verbum ſubſequens deſtrueret antecedens, & contraria dicerentur: ſumi igitur debet verbum illud, licet, pro permittitur, & tunc verũ ſubſumitur, dicendo non omne tale eſſe honeſtum: multa enim mala in Republica permittuntur, ſic permittitur læſio iſta ad tollendas lites, & perturbationes.

Ad replicam autem in contrarium, nimirum leges illas ciuiles eſſe diſpoſitiuas, 22
negandum nobis eſt, quia diſponerent, & poſitiuè rem illicitam ſtatuerent; & ſi reſpondeatur cum eodem, iura illa eſſe diſpoſitiua, quia Iudices cogunt contrahentes, vt ſeruent huiuſmodi contractus; in contrarium vrgeo, & aio quamuis detur talis coactio, ideo fit, vt reſecentur lites, & controuerſiæ, non quia id ſit licitum, ſeu honeſtum, & cum vlteriùs inſtetur, malè ſe gerere Iudices, si cogerent ad actionẽ iniuſtam, quæ à lege ſolum permittitur, quemadmodum iniquè operarentur præci-

cipiendo fornicationem, quæ ſolùm permittitur. Reſpondeo. Iudices non male agere attendentes bonum commune, illudque priuato præponentes; cum igitur ob rationem ſuperiùs tactam, bonum cõmune, & tranquillitas Reipublicæ exigãt horum contractuum obſeruationem, quãdo fraus, aut dolus non interuenit; idcirco Iudices debent curare, vt iura prædicta ſeruentur, & læſo imputetur, ſi tale dãnum patiatur, cum ipſe ſciens, & volens ad huiuſmodi ineundum contractum deuenerit: ab hoc tamen non tollitur, quin lædens in foro conſcientiæ aſtringatur ad iniuſtum damnum reſarciendum: & addo has leges, partim eſſe permiſſiuas, partim diſpoſitiuas, primario autẽ eſſe pmiſſiuas, nõ .n. præcipiunt, vt partes cõtrahẽdo, hoc pacto ſe gerant; quia vt ſic præcipientes rẽ iniuſtam, grauiter peccarent; ſed diſponunt ſupponendo pactum contrahentiũ, quo liberè, & ſine deceptione conſenſerunt in talem venditionem, & emptionẽ; & ideo ad tollendas controuerſias inter ciues, bonum commune exigit, vt iudex non audiat allegantem læſionem illam intra dimidium: ex hoc autem non rectè infertur, in foro conſcientiæ lædentem non aſtringi ad reſarciendum damnum iniuſte illatum.

23 Ad confirmationem, in qua Eſcobar conatur Iuriſtarum opinionem perſuadere ex iure canonico, nempe *ex cap. Cum dilecti, & cap. cum cauſa*. Reſpondeo in prædictis iuribus, vt patet textũ conſideranti, nihil aliud haberi faciẽs ad rem noſtrã, niſi quod Pontifex declarauerit ſententiã latam à quodam Decano Iudice in cauſa, fuiſſe iuri contrariam, quatenus res minùs dimidio iuſti pretij comparata, venditori adiudicata fuerit, cum tamen iura diſponat in arbitrio emptoris eſſe, ſi velit, ſupplere iuſtum pretium, aut vẽditionem reſcindere, & ideo non erat opus admonitione, nam id, de quo præciſè ſermo ibi habetur, & diſponitur à Summo Pontifice erat iuſtum, & honeſtum; ſi autem iura prædicta loquuta fuiſſent de circumuentione illa inter contrahentes in ordine ad pretium, quod dimidiam partem iuſti non excedit, tunc inſtantia facta aliquid congruum diceret, quod tamen, ſpectata diſpoſitione illorum canonum, locum non habet.

Ex his omnibus manifeſtè colligimus, ſententiam, quam defendit Eſcobar, nullo pacto niti poſſe ſacris iuribus, cum in locis ab ipſo Eſcobar allatis, nihil habeatur, quod eius ſententiæ faueat, & conſequenter vanum eſt, hanc Iuriſtarum opinionẽ in iure canonico fundare.

Ad ſecundum reſpondeo, verum eſſe 24 contrahentes aſtrictos eſſe ad ſequendum naturam contractus, ſed contractus iuſti, non iniuſti, qualis eſt ille, per quem exceditur in pretio iuſto. Ad confirmationẽ vero, in qua ab Authore moniti ſumus ad attendendam rationem ab ipſo allatam, quam nouam, & curioſam appellat, & à nemine ponderatam; Reſpondeo, pretium immediatè percipi ex negotiatione, & conuentione: si enim nulla eſſet negotiatio, certum eſſet neque pretium acquiri à venditore, neque rem, ſeu mercem ab emptore, ſed quantitatem pretij menſurandam eſſe per ordinem ad rem ipſam, quæ venditur: ex eius enim æſtimabilitate, & valore reſultat æqualitas, aut inæqualitas in pretio, & conſequenter iuſtitia, aut iniuſtitia: proinde ſi pretium excedat valorem rei, aut ſi ab illo deficiat, erit iniuſtum. ex lege autẽ illa, *Venditor*, & ex Authoribus nihil habetur fauens prædictæ ſententiæ, cum loquantur in ſenſu à nobis explicato.

Denique male diſcurrit Eſcobar contra 25 Theologos dicens, non rectè ab ipſis colligi æſtimationem pretij ex rei valore, & nõ ex conuentione, vt enim diximus, obligatio ſoluendi pretium oritur immediatè ex conuentione, quantitas autem ex rei valore.

Ad tertium Reſpondeo. falſum eſſe 26 duo illa principia naturalia in caſu noſtro inuicem pugnare, nempe pacta eſſe ſeruãda, & æqualitatem eſſe ſtatuendam inter pretium, & rei valorem, nam pacta ſeruanda ſunt, quando iuſtitiam continent, & ſunt licita, & ideo in caſu noſtro, cum pactum ſit illicitum, & iniuſtum, non erit ſeruandum, quia æqualitas inter merces, & pretium eſt ſpectanda.

Ad quartum nego iniuſtitiam non in- 27 terueniré etiam poſita voluntate contrahentium, niſi emptor velit titulo donationis, & non emptionis excedere in pretio iuſto, & tunc non eſſemus in caſu.

Ad quintum concedo quod, cum 28 par eſt vtriuſque contrahentis conditio, queat iniuſtitia interuenire, hoc tamen ſenſu, vt, ſicut venditor non debeat aſſignare rem minoris valoris, quam ſit pretium, ita & emptor neque debeat ſoluere minus pretium, quàm res æſtimatur.

Ad ſextum fateor vera eſſe ea, quę de 29 præſcriptione, & vſucapione aſſeruntur, nego tamen paritatem, nam præſcriptio ſecundum ius commune ab omnibus tum iuriſtis, tum Theologis vnanimi conſenſu eſt recepta, ſed in foro conſcientię non eſt ita receptus contractus inuoluens læſionem ſupra, aut infra iuſtum pretium.

Ad ſeptimum nego modum hunc cõtra- 30 hen-

hendi eſſe communiter receptum in vtroque foro.

31 Ad octauum nego paritatem, quia, vt ſupra *in hoc libro quaeſt.* 2. oſtendimus pretium iuſtum illud eſſe cēſendum, quod communi exiſtimatione habetur in foro, & non iuxta priuatam notitiam ob rationes ibidem aſſignatas.

32 Ad nonum aio, in vēditionibus ſub haſta, pretij quantitatem, & menſuram eſſe diuerſam ab ea, quę habetur extra talem modum vendendi, & hoc non obſtante, dicimus etiam in venditione ſub haſta triplex illud inueniri pretium, nempe infimum, medium, & rigoroſum, & ſicuti hoc vltimum excedi nequit, ita & primū minui non debet.

33 Ad decimum dicimus, omnia, quę ibi afferuntur, eſſe admittenda, ſed cum animaduerſione mox ponenda, omnibus argumentis in contrarium ſolutis.

Ad vndecimum, negandum eſt ex theologorum ſententia; numquam venditores tutos eſſe in conſcientia, ſemperque manere perplexos; nam cum pretia rerum ſint apud omnes manifeſta, ſcitur etiam exceſſus ſupra rigoroſum, et illud, quod eſt infra infimum; ideoque nulla remanet ambiguitas, animique perplexitas; proinde non eſt recurrendum ad venditiones illas, quę rectę rationi ſunt diſſentaneę.

34 Hęc breuiter adnotanda operę pretium duximus, expendentes prolixum, & vberem tractatum, quem Eſcobar nobis propoſuit, vt ad ipſius ſententiam nos traheret: cęterum pro huius quęſiti coronide non deſinam omnes admonere, ſententiā, quam author iſte defendit, nequaquam, niſi forſitan verbis, diſcrepare à communi, & vera omnium Theologorum opinione, vt mox demonſtrabo, ideoque vir doctus, atque eruditus poterat tanto labori parcens, ad alias maioris momenti difficultates mentem vertere: aggredior autem ad id, quod propoſui, oſtendendum, & in hunc finem affero fideliter ipſius Authoris verba; volens enim ipſe ſuam iuſtificare ſententiam, multipliciter illam limitat, eique tot imponit limitationes, vt eam tandem reducat ad noſtram, ſeu ad opinionem, de qua nulla eſſe poteſt dubitatio, quia ex adiunctis modificationibus; contractus mixtus ex venditione, & donatione reſultat. hoc manifeſtè colligo ex eius doctrina, ipſe enim, vt licitum reddat contractum, has requirit conditiones, quas licet ſparſim in diuerſis huius tractatus locis indicet, nihilominus ſimul ponit in argumento x1. *num.* 177. conditiones autem hę ſunt: primo, vt lęſus ſciat verum rei valorem; ſecundo, ne inducatur ad vendendum, ſeu emendum dolo, fraudę. tertio, neq; leuitate, imprudētia, &c. quarto, neque neceſſitate, & tunc alter contrahens tutus manebit in conſcientia. his autem poſitis conditionibus, quis non videt omnem dubitationem recedere; ponamus v.g. lęſionem eſſe ex parte emptoris, quatenus dat venditori plùs iuſto pretio (idem proportionaliter intelligendo de venditore, quando lęſio ex eius parte ſe tenet, recipiendo pro re vendita minus iuſto) ſit igitur Titius emptor, vir prudens, & verſatus in huiuſmodi cōmercijs, & nulla, ex parte Sortis venditoris, interueniat fraus, nullaque ex parte emptoris concurrat emendi neceſſitas, pretium autem rigoroſum rei comparandę ſit decem aureorum, et his non obſtantibus, ad petitionem Sortis ſoluat alios aureos ſupra decem, v. g. tres, quatuor, &c. quis ſanè non colligat ex hoc, Titium conditionibus prędictis exiſtentibus, non inuitè, ſed vltrò velle donare tres, aut quatuor illos aureos; nullum autem motiuum excogitari poterit pręter motiuum liberalis donationis: igitur contractus iſte quatenus pro pretio dantur decem, erit venditio, & emptio; quatenus vero dātur alij ſupra decem, realiter erit gratuita donatio: & ſic erit mixtus contractus.

Ex his patet, ſententiam, quam defendit Eſcobar tot affectam limitationibus, non diſcrepare niſi verbis à communi Theologorum ſententia, quę in foro conſcientię eſt omnino vera, ne dum probabilior quàm ſit oppoſita. Per hoc autem nolumus damnare iuriſtas, inter quos ſūt viri doctiſſimi, & Dei timorem habentes, imò rectè proceſſerunt eas leges condentes, per quas nihil aliud intendunt, niſi vitare lites, & perturbationes, quantum fieri poteſt: & permiſſiuè ſolum ſe habent in iuribus citatis: permittere autē priuatū aliquod malum ad fugiendum publicum, & maius, ſanum iudicamus conſilium.

QVAESTIO QVINTA.

Modus vendendi faciat ne alterare pretium legitimum?

SVMMARIVM.

Varietas in pretio oriri ſolet ex diuerſo vendendi modo. 1

Quaeſtio praeſens eſt de pretio legitimo, non naturali. 2

Refertur prima ſententia affirmans, eamdē eſſe, de vtroq; pretio, variationem. 3

Alia opinio contrarium aſſerit. 4

Ponitur quaedam alia media ſententia à Ludouico Lopez excogitata. 5

Sententia Authoris ſtatuit, pretium legi- 6

Digitized by Google

timum, per ſe loquendo, non poſſe à priuata perſona variari.

7 *Oſtenditur hanc Authoris opinionem non aduerſari ſententiæ Lopez.*

8 *Per accidens, in quibuſdam caſibus, pretiũ legitimum, tum quo ad exceſſum, tum quo ad defectum variari poſſe à priuata perſona: & caſus declaratur.*

1 EX varijs modis, quibus fieri ſolet mercium venditio; augeri, aut minui pretiũ naturale, nemo dubitat, vt communis eſt Doctorum conſenſus, & probat *Leſſius li. 2. de iuſt. cap. 21. dub. 4. nu. 33. Bonacina de contract. diſp. 3. quæſt. 2. punc. 4. n. 21. & alij apud ipſum.* Ex quo colligitur quod merces, quæ minutatim venduntur, cariùs habent pretium; quàm ſi ſimul, & in magna quantitate, vel ſi vltro offerantur, nam, vt dici ſolet, *merces vltroneæ vileſcunt*: vel denique ſi ſub haſta fiat venditio, interdum cariùs, interdum viliùs vendi ſolent; his, aut alijs modis poterit pretium naturale augmẽtũ, aut decrementũ accipere, & de hoc apud Authores neque difficultas, neque controuerſia reperitur quoad ſubſtantiam rei, ſed ſolum poteſt eſſe dubitatio quoad quantitatem pretij maiorem, aut minorẽ.

2 Quæſtio autem, quam exagitandam propono, eſt de pretio legitimo, ſeu legali, nimirum de illo, quod omnibus circumſtantijs penſatis imponitur à Principe, ſeu à magiſtratu; & quod in indiuiſibili conſiſtit, vt ſi taxetur v. g. pretium vini quindecim aureis pro quolibet dolio, nec plus, nec minus: quærimus autem vtrum tale pretium poſſit ab ipſis contrahẽtibus mutari, ſi ſub tali, vel tali modo vinum vendatur. e. c. offeratur vendendum, ita vt videatur ſe habere tãquã merx vltronea, vel venditio fiat ſub haſta in qua, cũ agitur de pretio naturali, vt vidimus, merces ſub tali modo vendendi vileſcunt, vel variationem ſuſcipiũt in pretio, quærimus, inquã, num idem ſit aſſerẽdũ de pretio legitimo, an potius etiam ſub hoc modo vendendi ſit omnino ſeruandum.

3 Prima ſentẽtia vult eamdẽ eſſe rationẽ de vtroque pretio, ac proinde ſicut pretiũ naturale communiter currens non eſt neceſſariò ſeruandũ, ſed variationẽ admittit; ita etiam & legitimum, ſic docet *Garcia de contrac. lib. 1. cap. 21. Bartholomæus à S. Fauſto in ſpeculo confeſſariorum diſpu. 6. quæſt. 74.* Ratio fundamentalis ea eſt, quam innuimus, videlicet, ſicuti pretium naturale non oportet neceſſariò ſeruari, ſic etiam neque pretium legitimũ, quando eodem modo ſit venditio, alias nihil, aut parum de mercibus ſub haſta expoſitis venderetur.

Secundà opinio contrarium aſſerit, videlicet merces, quæ pretium legitimum 4
habent eodem pretio eſſe vendendas, non obſtante modo vendendi; ſic *Petrus Nauarra de reſtit. lib. 3. cap. 2. nu. 35. Salas de contrac. empt. & vend. dub. 13. & dub. 25. n. 4. in fine. Rebellius 2. par. de oblig. iuſt. lib. 10. quæſt. 5. nu. 5. Leſſius lib. 2. cap. 21. dub. 4. nu. 34. Turrianus diſp. 57. dub. 4. nu. 4. Bonacina de contract. diſp. 3. quæſt. 2. punc. 4. num. 22. in fine, & alij.* Ducuntur ad hanc ſententiam, quia taxatio, quam iuſtam ſupponimus, ſit, vt indiuiſibiliter perſeueret; proinde niſi ita mutẽtur circũſtantiæ, vt iniuſta reddatur, ſemper erit ſeruanda, neque modus vendendi poterit illam mutare, ſicuti mutat pretium naturale, quod in indiuiſibili non conſiſtit.

Tertia ſententia, quæ eſt veluti media
ponitur *à Ludouico Lopez, de contract. li.* 5
1. cap. 29. verſ. Hac igitur: explicans enim opinionem Garciæ; diſtinguit duas taxationes, prima v. g. eſt pro tritico: altera vero pro cenſu redimibili: hæ autẽ taxationes diuerſo fine ſunt impoſitæ, prior, nempe tritici taxatio, in gratiã emptoris, ne videlicet venditor cariùs vendat; poſterior autem in gratiam vẽditoris, ne emptor viliùs emat, his præhabitis exponit mentem Garciæ, & inquit, cum dicitur à Garcia pretiũ legitimum nõ eſſe ſeruãdũ, quando res ſub haſta venduntur, intelligi debet hoc pacto, vt ſi tales ſint merces, quarum pretium eſt taxatum, ne vẽditor illud augeat; nil prohibet, quin ab emptoribus minùs pretio illo emantur, vel è contra, quando taxatio reſpicit beneficiũ ipſius venditoris, vt ſunt cenſus annui; tunc ſi merces vendãtur ſub haſta publici præconis voce, ſeruari debet taxatio pretij, vt viliùs nõ emantur; quamuis poſſint altiori pretio vendi. Hæc eſt opinio Ludouici Lopez, quam ipſe inquit, eamdẽ eſſe cũ opinione Garciæ aſſerẽtis pretium legitimum non eſſe ſeruandum, quando res ſub haſta venduntur, diſtinguit enim duas illas taxationes, & vno modo reſpondet, cum taxatio eſt in vtilitatem venditoris; & alio modo cum eſt in vtilitatẽ emptoris, & ſecundum aliquem reſpectum, ſemper verificari pretiũ legitimum eſſe ſeruandũ, licet ſecundum alium reſpectum, oppoſitũ dicatur. hunc dicendi modum amplectitur *Salas de empt. & vend. dub. 4. nu. 3.* qui addit aliud membrum, videlicet quando pretium taxatur in vtilitatem vtriuſque, & tunc ait, non eſſe licitum pluris, aut minoris emere, aut vendere, vt in taxatione vini, iſte modus, vt videbimus non eſt contrarius opinioni ſecũdo loco relatę. Hæ ſunt Doctorum ſententiæ, ſupereſt, vt

quid

Digitized by Google

quid ipſe ſentiam, in medium afferam.

6 Dicendum eſt primo. Per ſe loquendo, pretium legitimum alterari nõ poſſe, quicumque ſit modus venditionis, vt volunt Authores ſecundæ ſententiæ. probatur concluſio, quia ad magiſtratum pertinet definire pretia rerum, quando bonum communitatis poſtulat, vt pretiũ naturale modificationem recipiat: igitur nequeunt perſonæ priuatæ tale pretium, augendo, aut minuendo, alterare. Quod autem taxatio pretij pertineat ad magiſtratum, eſt certum: ſicuti enim ad eumdẽ ſpectat condere leges iuxta exigentiam boni cõmunis; ita etiam & legem, per quã pretia definiuntur. Neque huic veritati obſtat diuersitas in modo vendendi, quia talis diuersitas, quamuis ſufficiens eſſe poſſit ad variãdũ pretiũ naturale, quod depẽdet ex exiſtimatione hominum particulariũ, non erit tamen ſatis ad diuerſificandam exiſtimationẽ publicæ poteſtatis ſtatuẽtis quantitatem pretij in vtilitatem tum vendentis, tum ementis: aliàs inanis redderetur lex pretij: ponamus enim, quod talis ſit modus vẽdẽdi, vt in illo augeatur pretium ſupra taxatum, tunc augmentum, & exceſſus eſſet in damnum emptoris, vel è contra, si minuatur, eſſet in damnum venditoris, vtrumque autem eſt directè contra finem illum, quẽ lex à Magiſtratu condita intendebat, nempe indemnitatem vtriuſque, videlicet vendentis, & emẽtis, ita exigente, vt ſupponimus, bono totius communitatis.

7 Dicendum eſt ſecundo ſententiã, quam in præcedente quæſtione defendimus, non aduerſari illi modo, quem poſuerũt *Lopez, & Salas*, fatemur enim, quòd cũ taxatio pretij ſit in bonum dumtaxat vnius ex cõtrahentibus, non poſſit pretium redũdare in damnum illius, cuius vtilitatẽ reſpexit magiſtratus in ſtabiliendo pretio, nihilominus non inficimur tale pretium in bonũ eiuſdem variari poſſe, v.g. si taxetur pretiũ vini in gratiam emptoris, & ſit e. c. decem aurei pro quolibet dolio, tunc nequit vẽditor aſcendere in pretio; quia eſſet in damnum emptoris, cuius beneficium intendit lex, quamuis emptor minori pretio comparans, intra latitudinem tamen iuſti pretij naturalis, licite id faciat: contra vero, si pretium ſit taxatum in gratiam venditoris; quamuis poſſit venditor illud excedere, non poſſet tamen emptor minus emere merces illas, quia vt sic eſſet contra mentem legiſlatoris taxantis pretium in ea quantitate ob vtilitatem venditoris. Denique, quando in gratiam vtriuſque fit taxatio, tunc neque augeri, neque minui poterit, quia vtroque modo siue augendo, siue minuendo, foret cõtra finem legis, intendentis vtriuſque vtilitatem. ex iſto autem diſcurſu patet ſentẽtiam in præcedente concluſione non aduerſari opinioni *Ludouici Lopez, & Ioannis Salas*.

Dicẽdum eſt tertio, per accidẽs exdedi, aut detrahi poſſe pretium à lege taxatum in modo vendendi. ponamus e. c. pretiũ vniuſcuiuſque dolij vini eſſe decẽ aureos, & venditor offerat illud vendendum, rogans emptorem, vt velit emere, & emptor pietate ductus, vt rem gratam faciat venditori, inclinet ſe ad illud emendum, cum tamen parum ſit ſibi neceſſarium, aut vtile, tunc deſcendens in pretio, quantũ arbitrio prudentis æſtimatur talis actio facta in gratiam venditoris, nullam emptor committeret iniuſtitiam, nã in eo caſu, aut ſimili, preter mercem, nempe vinum, concurrit aliquale incommodum ex parte emptoris, qui mouetur ad emendum ſolùm in commodum venditoris, atq; adeo merx adequata huius venditionis non erit tantũ dolium vini vt sic, ſed etiam illud incommodum: proinde in rigore non cenſebitur excedi taxationem preſcriptã à magiſtratu, qui in taxando pretio vini ſolùm reſpexit illud vt ſic, & non, vt ita dicam, affectum illo incommodo ex parte ementis. idem etiam aſſererem, quando venditor tradit mercem rogatus ab emptore cum aliquo proprio incommodo, aut moleſtia. 8

QVAESTIO SEXTA.

Si conductor alteri ſublocet fundum ſibi prius locatum, an fructus, tempore ſubconductoris producti, remaneant hypothecati pro penſionibus à primo conductore non ſolutis.

SVMMARIVM.

Declaratur ſtatus quæſtionis. 1
Sententia Authoris determinat fructus ex fundo productos eſſe hypothecatos pro præteritis penſionibus non ſolutis. 2
Fructus fundi ſunt hypothecati Domino directo, ex eo, quod eorum ſolutio eſt ex onere reali. 3
Hypotheca fundo adhærens eſt onus reale. 4
Fit inſtantia in contrarium, & diluitur. 5
Probatur eſſe onus reale, paritate deducta ex Emphyteuſi. 6
Confirmatur ex onere ſoluendi penſionem ratione beneficij eccleſiaſtici. 7
Et ex onere ſoluendi tributa. 8
Refertur cuiuſdam Doctoris opinio in contrarium. 9
Satisfit eius argumentis. 10

Obij-

11 *Obijcitur, probando onus ſoluendi decimas non tranſire in tertiam perſonam, ſed impugnatur.*

12 *Vrgetur probando tantum debere ſecūdū conductorē Domino directo, quantum primo conductori, cui non debetur niſi penſio vltimi anni.*

13 *Soluitur obiectio.*

14 *Inſtatur adducendo quādam paritatē de locatione magnæ domus plura habentis cubicula diuerſis perſonis locata.*

15 *Oſtenditur diſparitas.*

16 *Aliud argumentum à pari affertur, & diluitur.*

17 *Alia obiectio, qua probatur fructus vnius anni non eſſe hypothecatos, niſi pro penſione eiuſdem anni efficaciter diluitur.*

1 Titius locauit Ioāni fundum ad ſex annos pro certa penſione ſingulis annis perſoluenda. tali autem contractu locationis inito, retinuit Ioannes fundū, eumque per quinque annos excoluit, ac fructus percepit integros; penſiones tamē Titio debitas nō perſoluit. Pro ſexto autē anno Ioannes ſublocauit fundum Paulo cum pacto; vt penſionem eodem anno reſpondentem vel ſibi, vel Titio perſolueret.

Quæritur an fructus, qui hoc vltimo locationis anno a Paulo colliguntur, ſint Titio hypothecati, non ſolum pro penſione, quæ vltimo anno reſpondet, ſed etiam pro præteritis penſionibus, quæ non fuerunt a Ioanne primo conductore ipſi Titio perſolutæ. Pro huius quæſiti deciſione quamplures peruolui authores, tum iuriſtas, tum canoniſtas, atque Theologos, & quæſtionē hanc ſub his terminis à nemine exagitatā, quem ipſe perlegerim, inuenire potui, quamuis, ex doctrina Authorum de alijs ſimilibus agentium, deciſionem huius quæſiti intulerim, placuit etiam quæſitum oretenus nonnullis Iuriſconſultis proponere: quorum aliqui partem affirmatiuā, aliqui vero negatiuam tuebantur: ſed quia neutram opinionem aliquo iure, aut authoritate fulciebant, corū dictis firmiter adhærere non potui; tandem ſolutionem hanc ex nonnullis vniuerſalibus principijs, & ex varijs caſibus, qui ſimiles mihi vidētur, decidere viſum eſt.

2 Dico igitur primo. fructus, qui in vltimo illo anno locationis à Paulo colliguntur, ſunt Titio hypothecati pro præteritis penſionibus. ſententiam hanc ſub his terminis, quemadmodum neque oppoſitam, vt dixi, apud Doctores habere potui. Ducor ad illam amplectendam ex diuerſis capitibus, ex quibus ſufficiens deducitur ſolutio quæſiti.

Primum autem caput eſt principium illud, quo Authores inquiunt, fructus fundi de iure eſſe tacitè hypothecatos domino fundi: quapropter cum onus ſoluēdi penſiones ſit reale, tranſit in tertium poſſeſſorem, & per conſequens in caſu noſtro in ſecundum conductorem, nam iuris diſpoſitione onus reale cum immediate cohæreat ipſi rei, & non perſonæ, neceſſariò cum re ipſa ſimul transfertur. ſic *Gloſ. in Clem. de cenſibus §. Soluta. Menoch. lib. 5. conſil. 444. num. 19. Rui. conſil. 111. lib. 5. nu. 2. & alij*. Duo igitur ſunt probanda, primo. fructus fundi habere tacitam hypothecam. ſecundo; onus ſoluēdi penſionem eſſe reale: primum autem expreſſe ſtatuitur *Leg. In prædijs ff. In quibus cauſ. pign. vel hypoth. & L. Si in lege §. Colonus ff. de locat. Bartol. Angel. ibi Iaſon in leg. item quia num. 15. ff. de pactis Neguſant. trac. de pignor. par. 2. membr. 4. nu. 147. & ſeq. Gratian. vol. 1. diſcept. cap. 25. nu. 9. Molina de Iuſt. diſp 497. nu. 2. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 28. dub. 6. nu. 36. Sylua iuris, reſponſ. 19. cap. 3.* Imo non ſolum fructus, verum etiam inuecta, & illata in fundum conductum, ſubijciūtur pro ſoluendis penſionibus, vt communiter afferunt Doctores agentes de inuectis, & illatis, & *Mantica de tacit. & ambig. coniect. lib. 11. tit 14. nu. 18.* expreſſe docet inuecta, & illata à ſecundo conductore eſſe tacitè obligata pro obligatione primi conductoris. & hæc de primo.

Secundum autem, quod probari debet, eſt onus ſoluendi penſionem eſſe reale, ſeu eſſe fundatum in ipſo met prædio locato; hoc autem eſt manifeſtum, nā hypotheca, quæ immediate cadit ſupra rem, eſt onus reale eiuſdem rei: fructus autem fundi per iuris diſpoſitionem ſunt hypothecati, vt vidimus, domino ipſius fundi, proinde obligatio ſoluendi penſionem eſt onus reale eidem fundo veluti affixum; inde eſt, vt dominus fundi contra conductorem nō ſolum agere poſſit actione perſonali; verū etiam reali, vt omnes fatentur. Si igitur onus ſoluendi penſionem eſt reale, oportet, vt res ipſa, quæ tale inuoluit onus, videlicet fundus, cum eodem onere tranſeat in ſecundum conductorem: idcirco primus conductor ſublocans fundum, non poteſt vi talis locationis adimere onus illud ipſi fundo affixum, neque tollere ius, ſeu hypothecam, quam Dominus virtute primæ locationis acquiſiuit. 4

Sed poſſet aliquis reſpondere, fructus fundi eſſe hypothecatos domino ipſius fūdi non pro penſionibus præteritis, ſed tātùm pro penſionibus illius anni, in quo fructus naſcuntur, & hoc pacto eſſe intelligenda iura prædicta, quæ ſtatuunt fructus 5

tus

ctus manere loco pignoris.

Contra hanc reſponſionem vrgeri poteſt primò; quia ſi leges illæ vniuerſaliter loquentes, hanc inuoluerent reſtrictionem, debuiſſent, vel ipſemet leges, vel ſaltem Scribentes ſupra illas, hoc aliquãdo declarare, & animaduertere ad vitandam erroris occaſionem: cum autem de tali limitatione neque vllum faciant verbum, ſignum eſt leges illas ab eiſdem Authoribus intellectas fuiſſe abſque coarctatione.

Secundò, quia noſtra ſententia non obſcure colligitur à nonnullorum Doctorum doctrina, nam *Collantes in commentarijs pragmatica, quæ eſt in fauorem rei frumentariæ lib. 3. cap. 2.* inter alia duo dicit, ex quibus non obſcurè noſtram concluſionem colligere poſſumus: in *numero* 5. aſſerit fructus fundi eſſe tacitè hypotecatos domino, etiam ſi primus conductor alteri locauerit fundum; & in *num.* 6. docens dominum fundi eſſe præferendũ creditoribus conductoris pro penſione, ſubdit: *Nec requiritur quod penſio, de cuius prælatione agitur, indiuidualiter ſit illius anni, quo fructus colliguntur*. Si igitur ad hoc vt dominus fundi prælationẽ habeat aduerſus creditores conductoris in fructibus fundi ratione hypothecæ, nõ oportet, vt penſio ſit præſens, videlicet illius anni, in quo naſcuntur fructus, poterit eſſe penſio præterita, non enim ſermo eſſe debet de penſione futura, quia fructus præſentes nõ ſunt ſubditi penſionibus futuris, vt eſt manifeſtum: ergo ex doctrina huius authoris colligimus fructus præſentes ſubijci hypothecæ etiam pro pẽſionibus præteritis, quia ipſe immediatè antea dixerat fructus fundi eſſe tacitè hypothecatos domino eiuſdem fundi, quãuis primus conductor alteri ſublocauerit fundum, conſequens eſt, vt dicamus ipſũ loqui de fructibus, qui naſcuntur etiam tempore ſecundi conductoris, quando aſſerit fructus eſſe hypothecatos pro præteritis penſionibus.

Rurſus *Molina tom. 2. de iuſt. diſp. 534. num.* 8. loquens de prædijs, quæ ſunt ſubiecta hypothecæ ratione alicuius cenſus, & docens prædia iſta tranſire cum eodem onere in tertium poſſeſſorem; ſtatim tradit hanc vniuerſalem regulam his verbis: [*Idem prorſus dicendum eſt de quacumq; alia re, in qua onus reale ſit collocatum, ex ipſa, aut ratione ipſius ſoluendum, vt de beneficio eccleſiaſtico, in quo penſio annua alicui ſoluenda ſit conſtituta: & de prædio ſubiecto tributo, inde annuatim; aut alijs præfixis temporibus; ſoluendo; quin, & de prædijs vnde decimæ eccleſiæ ſoluuntur ex hypotheſi, ſeu ſub conditione, ſi fructus ferant: id enim onus reale eſt, & ad quemcumque tranſeunt: tranſeunt cum eo onere; atque idem dicendum eſt de ſimilibus alijs rebus habẽtibus onus reale ex ipſis, aut ipſarum ratione, ſoluẽdum: Imo vero penſiones nondum ſolutæ à primo poſſeſſore ex eiuſmodi rebus, cum res, quæ illas debet, aut ex qua debentur, tranſierit ad nouum poſſeſſorem, exigi indifferenter poſſunt, vel à poſteriori poſſeſſore, qui illas debet ratione rei poſſeſſæ, cuius eſt effectus dominus; vel à priori, qui eaſdem adhuc debet ratione temporis elapſi, in quo eas ſoluere tenebatur: ſi tamen poſterior poſſeſſor eas ſoluat, datur ei recurſus ad eas exigendas à priori poſſeſſore, qui verè illas debebat, vt hæc omnia, cum multis alijs, quos citat, rectè docet Aluarus Valaſcus de iure emphyt. quæſt. 4. num. 6. & 7. & quæſt. 17. à num. 17. & quæſt. 32. à num. 13.*] hæc Molina, cuius verba placuit referre, vt ea ponderando clarius videatur Author ille in eadem sẽtentia nobiſcum fuiſſe; docet enim, quod quando penſio eſt onus reale in aliqua re conſtitutũ, vel ratione illius rei eſt ſoluẽdum, tranſire cum eodem onere in nouũ poſſeſſorem, & hoc exemplificat in penſionibus, quæ habentur ratione beneficij, tributi, & decimarum; & poſtea vniuerſaliter infert idem dicendum eſſe de alijs ſimilibus oneribus, & tandem ait poſſe penſiones etiam præteritas indifferenter exigi tum à primo, tum à ſecundo poſſeſſore, quæ omnia locum habent in caſu noſtro, nam penſio debita ratione locationis eſt ſimilis prædictis, imo eſt maior ratio de illa, quam de aliqua ſaltem alia, vt ex dicendis conſtabit. idcirco non eſt dubitandum poſita hac doctrina, penſionem debitam ratione locationis comprehenſam fuiſſe ab hoc authore ſub illa generalitate dum dixit [*atque idem dicendũ eſt de ſimilibus alijs rebus habẽtibus onus reale ex ipſis, aut ratione ipſarum ſoluendum*.

Secundum caput, ex quo colligo con- 6
cluſionis veritatem, eſt paritas deducta ex Emphyteuſi, cum qua locatio magnã habet ſimilitudinem, vt notat idem *Molina tom. cit. diſp. 445. num.* 7. dicunt enim Doctores ſubemphyteutam cõueniri poſſe ad ſoluendas penſiones, non ſolutas à primo emphyteuta, ita aſſerit *Soccinus ſenior l. 1. cõſ. 119. n. 4. Gratiã. in ſuis diſcept. forenſ. tom. 1. cap. 25. à num. 34. Cabedo deciſ. 149. tom. 1. Aluar. Valaſ. de iure Emphyt. quæſt. 4. num. 6. & 7. Auendaño de cenſ. hiſpaniæ cap. 96. num. 7. Maſtril. tom. 2. deciſ. 71.* qui hoc etiam aſſerit de laudimio. *Amato deciſ. 31. num. 24. Spicella in deciſ. forenſ. Eccleſ. deciſ. 98. num. 6.*

Digitized by Google

6. qui pro hac communi ſententia non aſſignant aliam rationem, niſi quod pēſio debita ratione emphyteusis, sit onus reale annexum rei; proinde quando primus emphyteuta alteri rem illam ſubemphyteuticat, res ipſa tranſit ad ſecundum emphyteutam cum illo onere. Hæc autē, quæ dicunt Doctores de pensionibus debitis pro emphyteusi, ego aſſero de pensionibus debitis pro locatione, nam & si emphyteusis, & locatio sint contractus diuerſæ ſpeciei; nihilominus conuenientiam habent, quia locatio ad longum tēpus eſt emphyteusis, vt ex multis oſtendit *Molina loco cit. diſp.* 445. *num.* 6. & *diſp* 465. *num.* 6. & ideo in ordine ad effectum, de quo loquimur, earum differētia, vel nulla, vel ſolum materialis eſt, & quamuis de vtraque agamus, vt ſunt forma iter cōtractus diuersi, nihilominus vrgentior mihi videtur ratio, vt in caſu noſtro aſſeramus, fructus præſentes eſſe hypothecatos Domino fundi pro pensionibus preteritis debitis virtute locationis, quam eſſe hypothecatos eidem domino virtute emphyteusis; quia emphyteuta maius ius habet in fructibus, quam habeat conductor: nam ille dicitur habere plenum dominium vtile, & ideo à Iuriſtis dicitur poſſidere pro ſuo; conductor vero, ſeu colonus dicitur poſſidere pro domino, & non habere dominium vtile plene trāſlatum. *ita Bald. l.* 1. *num.* 15. *C. de iure emphyteut. Alexand. lib.* 4. *conſil.* 35. *num.* 12. *Macerat. lib.* 1 *var. reſol. in reſol.* 111. *num.* 9. *Molina trac.* 2. *de iuſt. diſp.* 449. *num.* 9. & colligitur *ex l. Poſſideri* §. *Saltus. & ex l. Peregre* §. *Quibus explicitis. ff. de acquirenda poſſeſs.* Si igitur maius eſt ius emphyteutæ in fructibus, quàm sit ius quod habet colonus, ſequitur quod minus sit ius, quod habet in fructus dominus directus reſpectu emphyteutæ, quā reſpectu conductoris; nam quanto magis creſcit in vno correlatiuo, tanto decreſcit in alio correlatiuo opposito; emphyteuta autem eſt correlatiuum domini directi, & conductor correlatiuum locatoris: imo *Molina trac. cit. diſp.* 356. *n.* 11. remittens ſe ad ea, quæ dixerat *in calce diſput.* 451. aſſerit fructus fundi non eſſe tacitè hypothecatos iuris diſpositione domino directo, at affirmat eſſe tacitè hypothecatos locatori, vi, & diſpositione iuris.

7 Tertium caput, ex quo deſumitur argumentum pro noſtra ſententia eſt paritas, quæ inuenitur inter pensiones habitas ex contractu locationis; & pensiones, quæ habentur ratione beneficij ecclesiaſtici: qui enim ſuccedit in beneficio, tenetur ſoluere pensiones præteritas non ſolutas ab anteceſſore, vt late probat Gigas *de penſionibus quæſt.* 39. *à numer.* 10. *quæſt.* 42. *num.* 5. & *quæſt.* 44. *num.* 1. *Cabedo deciſ. cit. Federic. de ſenis conſil.* 81. *Cardinal. in Clement.* 1. *quæſt.* 11. *de cenſ. Azor. par.* 2. *inſtit. moral. lib.* 8. *cap.* 8. *quæſt.* 14. *Caſtropal. tract.* 3. *de benef. diſp.* 1. *punc.* 11. *num.* 4. & *alij apud Garciam de benef. par.* 1. *cap.* 5. *à num.* 191. quamuis nonnulli ex illis velint primam diſcuſſionem eſſe faciendam contra primū beneficiarium, qui omisit ſoluere. Ratio autem quare ſucceſſor in beneficio teneatur ad pensiones præteritas, non alia aſſignatur à prædictis authoribus, nisi quia pensio eſt onus reale: cum igitur etiam sit onus reale pensio debita ratione locationis, conſequens eſt, vt dicamus, quod sicuti illa obligat ſequentes beneficiarios, ita etiam & iſta ſubſequentes ſubconductores; cum præſertim longè maior, & ſtrictior videatur obligatio ſubconductoris in ordine ad dominum fundi, quàm sit obligatio noui beneficiarij in ordine ad pensionarium, & hoc quia totum ius, quod habet ſubcōductor in fructibus, originem trahit à primo cōtractu locationis, eique innititur; at ius noui beneficiarij circa fructus nullam habet dependētiam, imo & nullam connexionem cum obligatione, quam habebat anteceſſor in beneficio in ordine ad pensionarium: & ideo, si hoc non obſtante, nouus beneficiarius obligatur ad ſoluendas pensiones præteritas non ſolutas, multo magis erit obligandus ſubconductor ad ſoluendas domino fundi pensiones præteritas non ſolutas à primo conductore, licet ipſe ſubconductor ſoluendo, regreſſum habeat contra primum conductorem.

Quartum caput deſumitur ex tributis, ad quæ ſoluenda tenetur ille, in quē trāsit res tributis ſubdita, si tributa præterita non fuerint ſoluta ab illo, qui prius rē poſſidebat. ita ſtatuitur *in l. Imperatores ff. de public. & vectigal. Gloſſa ibi Mol. tract.* 21 *diſp.* 446. *num.* 5. & *ſeq. Rodriqu. Amatore de priuileg. credit. par.* 1. *art.* 5. *num.* 14. *Suarez lib.* 1. *de diuino cultu cap.* 38. *num.* 11. *Fagun de præcept. Eccl. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 2. & communiter alij, qui probant hanc ſententiam non ſolùm diuersis iuribus, verumetiam communi illo principio ſuperius dicto, videlicet tributum eſſe onus reale, atque adeo transire in tertium poſſeſſorem; ergo hoc ipsū dicendum eſt de pensione debita virtute locationis, cum etiam sit onus reale, atque adeo transire in tertium poſſeſſorem, neque video ſufficientem diſparitatis rationem; cur in omnibus prædictis alijs pensionum generibus sit concedendum eſſe tale onus, vt tranſeat ad tertios poſſeſſores, 8

res,

res, qui obligentur ad ſoluendas etiam præteritas penſiones non ſolutas ab anteceſſoribus; & hoc negetur de penſionibus præteritis debitis vi cōtractus locationis: ita vt ſubconductor nō teneatur illas ſoluere ex fructibus, qui naſcuntur tempore, quo durat locatio.

9 Cæterum quidam doctus vir, qui fuit in oppoſita ſententia, & cenſuit ſubconductorem non teneri ex fructibus, quos exigit ex fundo ſubconducto, ſoluere præteritas penſiones debitas à primo conductore, ſed ſolùm eas immediatè ab ipſo debitas pro illis annis, quibus durat ſublocatio: recentior inquam iſte reſpondit ad prædicta, negando paritatem inter alias penſiones à nobis enumeratas, & penſiones, quæ oriuntur ex locatione: & ait diſparitatem eſſe, quia obligatio ſoluendi penſiones à tertio poſſeſſore ratione emphyteuſis, beneficij, aut tributi, ſtatuitur in iure, at non reperitur ita diſpoſitū in iure de penſionibus debitis ex locatione, & ideo cum talis diſpoſitio ſit odioſa, non eſt facienda extenſio ex vno genere penſionum ad aliud, nam odia ſunt reſtringenda *iuxta regulas iuris in 6.*

Præterea idem recentior aſſignauit aliā diſparitatem, nempe contractum emphyteuticum eſſe ſtricti iuris: contractum vero locationis eſſe contractum bonæ fidei: proinde maior ratio videtur eſſe obligandi ſubemphyteutam ad ſoluendos canones præteritos, nō ſolutos à primo emphyteuta, quàm ſublocatorem ad ſoluendas penſiones, quas debebat primus conductor.

10 Sed diſparitas, quam primo loco recentior ille adduxit, eſſet ab ipſomet probanda: nempe diſpoſitionem iuris, quæ trahit tacitam hypothecam, eſſe odioſam, & non fauorabilem, ſi enim ex eo præciſè exiſtimat ipſe eſſe odioſam, quia continet grauamē reſpectu tertij, contra ego ſic vrgeo. Ad hoc, vt lex ſit odioſa nō ſufficit cōtinere grauamē contra aliquem, ſi reſpectu alterius continet fauorem, vt late probat *Suarez lib. 5. de legibus cap. 2. Sanch. l. 1. de matr. diſp. 2. à num. 4. & deinceps,* & quamuis nō ſit ita facile determinare, quando lex ſit fauorabilis, quando vero odioſa, ſi contineat & fauorem, & grauamen, vt bene aduertit *Rodriquez in 99. regul. tō. 1. quæſt. 11. a 6. ver. ſexta regula.* & ideo Doctores in varias deuenere ſententias, quas refert *Sarmiento lib. 1. ſelect. cap. 12.* nihilominus breuiter, & quātum ſatis eſt pro præſenti materia, mihi videtur dicendum, quod ſi fauor, & odiū diſtingui, & ſeparari poſſunt; tunc diſpoſitio dicitur mixta, & ex ea parte, in qua continet fauorem, eſt amplianda, reſtringenda vero ex alia parte, in qua continet odium: at quando hæc duo ſeparari nequeunt; tūc communiter Doctores recurrunt ad primarium intentum ipſius legiſlatoris, ad hoc vt dicetur ſimpliciter fauorabilis, an odioſa, licet *Suarez l. cit. & Merolla diſp. 4. de legib. cap. 1. nu. 37.* velint eſſe attendendam materiam intrinſecam ipſius legis: bonum commune, & alias circumſtantias eiuſdem materiæ, & verborum. *ita Suarez num. 12.* ſed quidquid ſit de hoc: certum eſt non omnem diſpoſitionem, quæ continet grauamen reſpectu alicuius, ſi contineat beneficium reſpectu alterius, cenſendam eſſe odioſā: proinde recentior ille non rectè collegit diſpoſitionem iuris, per quam inducitur tacita hypotheca, eſſe ſemper odioſam. Sed reſtringendo doctrinam hanc vniuerſalē ad caſū noſtrū; dico diſpoſitionem, per quam ſtatuitur tacita hypotheca ſuper fructibus fundi in ordine ad penſiones eſſe fauorabilem, quia ſi reſpiciamus intentionem legiſlatoris, per talem diſpoſitionem primariò intendit fauorem, ideſt vtilitatem locatoris, non autem grauamē, ſeu damnum conductoris, niſi conſequēter, & per accidens, ſicuti conſtitutio *in cap. Si propter de Reſcriptis in 6.* per quam diſponitur, vt fructus diœceſis vacaturæ reſeruentur Epiſcopo mortuo, ad ſoluenda eius debita, licet redundet in damnum ſucceſſoris, cenſetur fauorabilis à *Gloſ. ibi ver. Primi anni.* & idem docet ibidem *Domin. Franc. & alij Authores relati à Sanchez loco citato:* certum autem eſt tacitam hypothecam in fructibus eſſe inductam primariò in fauorem Domini locantis, & damnum conductoris eſſe conſequēter intentum: proinde exiſtimari debet fauorabilis: fauet etiam talis diſpoſitio bono communi ad vitandas fraudes conductorum, qui, niſi fructus fundi eſſent tacitè hypothecati, etiam pro præteritis penſionibus, conductores non ſoluendo penſiones, poſſent ex induſtria, & fictè ſublocare fundum, & eximere fructus ab hypotheca pro præteritis penſionibus: at poſita hypotheca, id non contingit, & ſubconductores hæc ſcientes, poſſent etiā contrahendo cum primo conductore, facilè ſibi prouidere pro ipſorū indemnitate. Quod vero dicebatur à prædicto recentiore, nēpe non eſſe in iure diſpoſitum, quod fructus præſentes ſint tacitè hypothecati pro penſionibus præteritis debitis virtute locationis, ſicuti prouiſum fuit pro penſionibus præteritis ratione beneficij, vel ratione emphyteuſis, eſt omnino falſum, tum quia Doctores obligationem, quam agnoſcunt in ſubemphyteuta, & in nouo ſucceſſore in beneficio ad ſoluendas præ-

teritas penſiones debitas à primo emphyteuta, & ab anteceſſore in beneficio, colligunt ex eo, quòd res tranſit cum ſuo onere, vt habetur expreſsè *l. via conſtit. §. ſi fundus ff. de ſeruit. ruſtic. prædior: & cap. ex literis de pignor. Gloſ. in Clem. 1. de cenſib. v ſolita* Rurſus loquendo de penſionibus debitis virtute locationis, habentur leges ſuperius citatæ, nemè *l. in prædijs ff. in quibus cauſ. pignor. vel hypoth. & in l. Si lege §. Colonus ff. de loc.* in quibus iuribus cu abſolutè ſtatuatur fructus fundi eſſe tacitè hypothecatos pro pẽſione ſoluenda, etiam reſpectu ſubconductoris, & leges iſtæ abſque limitatione loquantur, neque ſint odioſæ, imo potiùs fauorabiles, ſufficienter colligimus, ſermonem eſſe de penſionibus præteritis, vt ſupra oſtendimus, ponderantes verba ipſarum legum.

Ad id vero, quod ſecundo loco aſſeritur de cõtractuum horum diuerſitate, videlicet ſtricti iuris, & bonæ fidei, non video, quid faciat ad rem noſtram, nam quamuis admittamus emphyteuſim eſſe contractum ſtricti iuris, & locationem eſſe contractum bonæ fidei; ex hoc ſi aliquid colligendum foret, vt pertinẽs ad deciſionem huius caſus, magis nobis faueret quã ipſi recentiori; quia cum in contractu ſtricti iuris, vt communiter dicunt Doctores, iudicium ſit faciẽdum, ſiſtendo in ipſis verbis, ſed in contractu bonæ fidei iudicium ſit ferendum ſecũdum arbitrium ex æquo, & bono, vt notat *Leſſius lib. 2. de iuſtitia cap. 17 n. 15.* ideo cum in contractu emphytheutico non apponi ſoleãt verba, quibus ſubemphyteuta obligetur ad canones non ſolutos à primo emphyteuta, ſequitur, vi verborum eſſe dicẽdum ſubemphyteutam non obligari ad canones à primo emphyteuta non ſolutos: contra vero in contractu locationis, cum Iudex non ita verbis aſtringatur, inde eſt, vt obligatio, quam in ſubconductore agnoſcimus, ad ſoluendas penſiones præteritas non ſolutas à primo conductore, non ſit neceſſario colligenda, ſiſtendo in rigore ipſorũ verborum vt ſic; proinde ſi talis diuerſitas aliquid in hoc caſu eſſet operatura, potiùs eſſet dicendum, ſubcõductorem teneri ad penſiones prędictas, quàm ſubemphyteutam ad canones illos non ſolutos à primo emphyteuta; idcirco æquitas magis dictat iudicare in fauorem locatoris circa obligationem ſuper fructibus quàm in fauorem conductoris: ſed, vt dixi, horum contractuum diuerſitas circa qualitatem ſtricti iuris, aut bonæ fidei non facit ad caſum, de quo agimus.

11 Obijcies primo. Decimæ, quas prædiales appellant, ſi ſunt præteritæ, & prædiũ, ſuprà quod debebãtur ipſæ tranſeat in tertiam perſonam, iſta tertia perſona non tenebitur illas ſoluere; ergo idem dicendum eſt de penſionibus præteritis, & debitis à primo cõductore in ordine ad ſubconductorem.

Reſpondeo, inſtantiam hanc de decimis magis nobis fauere, vt videbimus, quàm aduerſarijs: & Primo aſſerimus, quã plures Authores, quos laudat *Fagun. de præcep. Eccl. præcept. 5. lib. 3. cap. 6. num. 1.* partem affirmatiuam oppoſitam tueri, nimirum, nouum poſſeſſorem obligari ad decimas præteritas; quia ſunt onus reale: proinde ſecundum hos authores argumentum hoc ex decimis noſtram confirmare ſententiam, ſi eorum opinionem ſequamur. Secundo dico quòd ſecundum eos, qui partem negatiuam defendunt, poſſumus ſufficientem aſſignare diſparitatem, nam onus decimarum totaliter in fructibus radicatur, non autem in ipſo fũdo vt ſic, quapropter ſi fundus v. g. anno præterito fructus produxit, cum eiſdem tranſtulit etiam onus ſoluendi decimam, & ipſe fundus ab onere illius anni liber remanſit, ideoque anno ſequenti producet fructus omnino immunes ab onere decimarum, quæ anno præterito debebãtur. idcirco, qui hoc anno ſuccedit in eodem fundo, cum inueniens liberum ab onere præterito, eadem gaudebit immunitate, & ſic non tenebitur ſoluere decimas præteritas, & debitas ab anteceſſore: neque hoc gratis aſſeritur, nam, præter authoritaté multorum, ſuaderi poteſt ex eo, quòd ſi fortè contingat, quod hoc anno e. g. fundus non fructificet, non tenebitur pro hoc anno Dominus fũdi ſoluere decimas, etiamſi fructuum defectus ſit ex eo, quòd Dominus fundi noluerit illum excolere, quod ſignum eſt, onus decimarum in ipſis fructibus totaliter inueniri: contra vero onus ſoluendi penſionem virtute locationis non radicatur in fructibus, nam quãuis fundus aliquo anno non fructificet, tenebitur tamen conductor ſoluere penſionem.

12 Obijcies ſecundo. Tantum debet Paulus ſecundus conductor domino fundi, ſeu primo locatori, quantùm debet Ioanni ſecundo locatori, cum quo contraxit; ſed Paulus debet Ioanni ſolùm pẽſionem vltimi anni, vt ſupponimus, ergo etiam debebit Domino fundi ſolum eamdem penſionem vltimi anni. Maior, in qua eſt difficultas, probatur, quia non videtur rationabile, vt Paulus ſecundus conductor cogatur ſoluere ex vi ſecundæ locationis plus eo, ad quod ſe obligare voluit virtute eiuſdem contractus, & plus debeat locatori mediato, cum quo non contraxit,

quàm

Digitized by Google

quàm immediato, cum quo contractum iniit.

Reſpondeo ſi inſpiciamus contractum locationis vt ſic, ſubconductor non plus obligatur domino fundi, quàm primo cõductori, nam ratione talis contractus, fructus fundi veniũt ſub hypotheca explicita, ſiue generali, ſiue ſpeciali, quæ ſecundum ſtylum apponitur in contractibus: & præter hanc explicitam hypothecam, diſpoſitione iuris habetur ſuper eoſdem fructus tacita hypotheca: per accidens autem eſt, quod hic, & nunc obligatio ſubconductoris in ordine ad dominum fundi ſe extendat ad maiorem quantitatem, quàm ſit ea: quæ debetur immediato locatori, inquantum dominus eſt creditor in penſionibus præteritis, hoc autem modo plus extenſiuè obligari per accidens Domino fundi: quàm ſecundo locatori, non eſt inconueniens, eſſet autem inconueniens, ſi per ſe, virtute eiuſdem contractus plus obligaretur ſubconductor mediato, & veluti remoto, locatori, quàm immediato, & proximo: & quamuis ipſe ſubconductor explicitè iniens cõtractum cum primo conductore non intendat ſe obligare ad illam maiorem ſummam, implicitè tamen dum ſubconducit prædiũ, cenſetur velle ſe obligare ad penſiones præteritas non ſolutas, vel dic, quod licet talis obligatio non oriatur ex intentione ipſius ſubconductoris, nihilominus oritur diſpoſitione iuris ſtatuentis, fructus fundi eſſe tacitè hypothecatos pro penſione.

14 Obijcies tertio, ſi quis conduceret amplum palatium plura habens cubicula, quæ deinde pluribus hominibus ſingula ſingulis ſublocaret, vtique inuecta, & illata ab vno ex his ſubconductoribus in ſuum cubiculum, non eſſent tacitè hypothecata pro penſione totius palatij, vt ſtatuitur *in lege Solutum §. Planè, ff. de pignor. act.* Similiter ſi quis conduceret prædium in plura corpora diuiſum, & deinde ea corpora alijs ſublocaret ſingula ſingulis; tũc inuecta non cenſerentur hypothecata pro totius predij penſione: ergo à pari ſi Dominus fundi locet illum per plures annos, & poſtea conductor pro vltimo anno, alteri ſublocet eumdem fundum; tunc ſecundus iſte conductor non videtur obligãdus ad penſiones præteritorum annorum, ſed ad penſionem tantùm vltimi anni.

15 Reſpondeo, diſparem eſſe rationem de palatio, ſeu domo habente plura illa cubicula, quæ poſtea ſublocantur &c. & de fundo itidem ſublocato, nam domus non eſt fructifera; proinde, cum quis per ſublocationem conducit vnam tantum partẽ domus, & totum commodum, quod habere poteſt reſtringatur ſolum in vno tantum cubiculo, rationabile eſt, vt incommodum, quod patitur ſoluendo penſionẽ, coarctetur ſolùm ad partem reſpondentẽ cubiculo, quod ab ipſo fuit conductum: ſi enim obligaretur ad pẽſionem totius palatij, non ſeruaretur æqualitas, quia plus ſolueret eo, quod poteſt lucrari.

Illud autem, quod dicitur de prædio habente plura corpora, eſt diſtinguendũ: ſi enim illa diuiſio facta fuit à primo conductore ſublocante, nequit talis diuiſio præiudicare Domino fundi: & ideo fructus, qui naſcuntur in vno corpore, ſeu parte fundi erunt tacitè hypothecati pro ſolutione integræ penſionis, tum præſentis, tum præteritæ; ſi vero diuiſio facta fuit ab ipſo Domino, tunc fructus vnius corporis, ſeu partis non erunt hypothecati, niſi pro penſione reſpondente ipſi corpori, ſeu parti, & non pro penſione reſpondente toti fundo: & ratio eſt manifeſta, quia eo ipſo, quod Dominus diuiſit prædium in plura corpora, & ea locauit ſingula ſingulis, tunc ille, qui conduxit vnum tantum corpus, non communicat cum alio conducente aliud corpus in fructibus, & lucris, & ideo non debet communicare in penſionibus ſoluendis, ſed vnuſquiſque ſolùm tenebitur ad pẽſionẽ reſpondentem corpori, quod conduxit.

Obijcies quarto. ſi Dominus fundi locet alteri fundum pro vno tãtum anno, 16
& conductor non ſoluat penſionem eodẽ anno debitam, & poſtea tranſacto anno Dominus locet eumdem fundum alteri, certum eſt, hunc ſecundum conductorem, non teneri ad penſionem, ad quam primus conductor tenebatur: ergo hoc ipſũ eſt aſſerendum in caſu noſtro, cum eadem videatur paritas.

Reſpondeo non eſſe eamdem paritatẽ; quia cum prima illa locatio fuerit pro vno tantùm anno, ita etiam hypotheca ex vi eiuſdem locationis non durabit niſi per annum, idcirco ſecundus conductor cũ fundum conducat independenter à prima conductione, cum qua ſecunda iſta nullã habet connexionem; ſequitur, vt ſecũdus iſte conductor nulla afficiatur obligatione in ordine ad penſionem illam præteritam; at in caſu noſtro, ſecundus contractus locationis dependet à primo, atque adeo ſecundus conductor contrahens cum dependentia à primo conductore, remanebit tacitè obligatus ad penſiones debitas à primo conductore.

Obijces quinto. Ideo fructus fundi ſunt domino tacitè hypothecati, quia naſcuntur in fundo, vt colligitur *ex l. prædijs ff. in quibus cauſis*: ergo cenſentur hypothecati pro penſione tantum illius anni, in quo naſcuntur fructus, & non pro penſionibus præteritis.

Digitized by Google

Reſpondeo primo, Si hoc argumentum valeret, ſequeretur, quod Dominus fundi, neque contra primum, & immediatũ conductorem poſſet hypotecaria actione agere, vt ex fructibus extantibus huius anni ſibi ſatisfaciat pro penſionibus præteritis, quia iuxta hanc ſententiam fructus præſentes non ſunt hypothecati, niſi pro pensione præſenti, & si dicas dominũ poſſe agere hypothecaria actione contra primum conductorem ratione contractus initi, per quem omnia bona conductoris expreſſa hypothecata illi ſubduntur, qui quidem cõtractus cum non fuerit initus cum ſecundo conductore, id circo mirum eſſe non debet, si dominus fundi poſſit contra primum conductorem agere, nõ autem contra ſecundum in ordine ad pẽsiones præteritas; si inquam hoc affirmes, licet verum sit, initum non eſſe contractum inter dominum fundi, & ſubcondoctorem, tamen nos non agimus de hypotheca illa expreſſa, quæ communiter apponi ſolet in contractibus, ſed de tacita, que à lege ſtatuitur, & dicimus incõuemiens videri, quod fructus nati in meo ſundo, diſpositione iuris non sint obligati, nisi pro pensione præſenti, & non pro præterita: videretur enim diſpositio iuris valde reſtricta: quam reſtrictionem cum leges, aut Doctores minimè apponãt, non debemus, & nos illam admittere, parùm enim facit, vt ex Collantes adnotauimus initio huius tractatus, ad hanc tacitam obligationem, pensionem, & fructus eſſe eiuſdem; aut alterius anni.

Reſpondeo ſecundo, diſtinguendo illam cauſalem, videlicet, ideo ſunt hypothecati, quia naſcuntur in fundo, vt sic, nego: quia naſcuntur in fundo, qui vi primæ locationis v. g. pro ſex annis fuit in ordine ad fructus ferendos hypothecatus domino ipsius fundi diſpositione legum, cõcedo; & ideo durante ea prima locatione, fructus, qui naſcuntur, ſunt domino pro pensionibus hypothecati, & producuntur cum tali ſubiectione, ſeu grauamine in ordine ad pensiones præteritas non ſolutas, quæ debentur domino fundi.

QVAESTIO SEPTIMA.

Petrus putans ſe aſtrictum vi contractus, de quo extant opiniones, ſit nec ne licitus, decem ſoluit Paulo, non ſoluturus, ſi ſtãte opinione ſibi fauorabili, ſciuiſſet ad id nõ teneri: num Paulus illa decem reſtituere obligetur, & eo nõ reſtituete, Petrus occulta vti queat compenſatione.

S V M M A R I V M.

Exemplo ſtatus quæſtionis aperitur. 1

Aliqui cenſent non teneri, qui pecuniam ex probabili opinione recepit illam reſtituere; neq: qui eam ſoluit, poſſe vti compenſatione. 2

Qui ex probabili opinione poſſidet nequit ſua poſſeſſione priuari vi contrariæ opinionis, quamuis probabilis. 3

Ignorans circumſtantiam aliquam, ſi aliquid faciat, non facturus, ſi illam ſciuiſſet, num reddat factum conditionale. 4

Non eſt licita in eo caſu compenſatio. 5

Oppoſita ſententia exemplis, quæ ſimilia videntur, ſuaderi poteſt. 6

Prior ſententia negatiua ab Authore recipitur. 7

Non eſt certum poſſe à legatario occulte accipi legatum relictum in teſtamento minus ſolemni. 8

Eſt controuerſum, num teſtamentum, carens ſolemnitatibus à iure ciuili præſcriptis, ſit inualidum, etiam in foro conſcientiæ. 9

Legatarius pro conſecutione legati in teſtamento ſecundum ius ciuile ex defectu ſolemnitatum inito, habet aſſiſtentiam iuris naturalis, quæ non habetur ab eo, qui ſoluit pecuniam in caſu prædicto. 10

Oſtenditur diſparem eſſe rationem inter vnam famam ablatam cum altera, & inter compenſationem, de qua eſt præſens controuerſia. 11

Fama eſt in eodem ordine cũ altera fama, & ideo poteſt admittere compenſationẽ. Limitationes tamen adhibentur. 12

Dubitans, an votum de elargienda eleemosyna emiſerit, & putans in tali dubio ad illam teneri, ſi eam elargitur, qui eam recepit, nõ aſtringitur reſtituere, neq; qui illam ſoluit, poterit vti compenſatione. 13

VT clariùs procedatur, ita caſum formo. Petrus indigens pecuniæ ad proprias neceſſitates ſubleuãdas, accepit à Paulo mercatore centum aureos ſub cambijs. elapsis autẽ temporibus, Paulus poſtulauit, vt aureos illos cum lucro Petrus iuxta conuentionẽ factam ipsi reſtitueret, ſed contractus inter illos ſub talibus conditionibus initus fuit, vt in dubium reuocari potuerit, num fuerit nec ne vſurarius, & de illo apud Doctores hinc inde contrariæ extiterint opiniones, nam aliqui negotiationem illam damnant, vt illicitam, alij vero ſuſtinent licitam eſſe; cæterum Petrus nihil de harum opinionum varietate ſciẽs, abſq; vlla hæsitatione cenſuit, ſe aſtrictum eſſe ad lucrum illud ſoluendum, & sic de facto, 1

Digitized by Google

ĉto, & centum pro capitali, & decem alios pro intereſſe decurſo ſoluit Paulo, poſtea vero à quibuſdam Theologis ſciuit diuerſitatem ſententiarum, & conſequenter ſtāte probabili opinione ſibi fauorabili, potuiſſe decem illa minime ſoluere: & ſi hoc ſciuiſſet, proculdubio lucrum illud Paulo nequaquam ſoluturus fuiſſet, quia cum probabile ſit, contractum illum eſſe vſurarium, tuta conſcientia huic adhærens ſententiæ, licitum ſibi fuiſſet, denegare Paulo decem illos aureos, hic eſt caſus, quo poſito duo principaliter inquirimus, primo an Paulus in foro conſcientię aſtringatur ad reſtituēdos Petro decem illos: ſecundo poſito quod id non faciat, aut quia non poſſit, aut quia nolit, num Petrus queat occultè ſibi compenſare ex bonis Pauli decem illos aureos.

2 Prima ſententia duo ſuſtinet, videlicet in caſu poſito Paulum non eſſe aſtrictum ad reſtituendum decem illos aureos, & Petrum occulta compenſatione vti non poſſe. *ita Sanch. in decal. lib. 4. cap. 1. n. 17. in fine*, loquens de eo, qui dubitans de voto elargiēdi eleemoſynam à ſe emiſſum, ad illam putans teneri, eam largitur, & de eo, qui pariter hæſitans, ea, quæ exegit, fuiſſe ex contractu vſurario, illa reſtituit. eamdem ſententiam ſequitur *Author caſuum conſcientiæ in vrbe Bononiæ anno 1638. menſe Nouembri caſ. 3.* &

3 quoad priorem partem probatur, quia poſſidens pecuniam ex opinione probabili non tenetur eam reſtituere; ergo quāuis ab initio Petrus non fuerit aſtrictus ad ſolutionem, & tuta conſcientia potuerit decem illos ſibi retinere, nihilominus poſtquam ſoluit, incipit illos poſſidere Paulus, qui ob eamdem rationem, nempe ex probabili opinione eos recepit, & ideo poterit eam amplecti, illoſque non reſtituere.

4 Neque valet, ſi dicas totum hoc proceſſiſſe ex errore Petri exiſtimantis ad id obligari, & ſi ſciuiſſet oppoſitum, vtique decem illos aureos non ſoluiſſet: non valet, inquam, quia hoc non reddidit ſolutionem conditionatam, nam aliud eſt, dicere; ſi Petrus hāc circumſtantiam ſciuiſſet, vtique contractum minime feciſſet, aliud verò erit dicere: Petrus fecit hunc contractum tali poſita circumſtantia: prius enim non cenſetur actus conditionatus, aliter quamplures contractus, conditionati eſſent exiſtimandi, & nil firmum haberetur in humanis negotijs, quia, vt bene aduertit *Sanchez lib. 4. in decal. cap. 2. n. 6.* illud, *ſi ſciuiſſem*, ferè ſemper reperitur in humanis conſilijs, omnes enim circumſtantiæ à nobis nequeunt cognoſci: applicando autem hanc veram doctrinam ſubiectæ materię; aio ſolutionem factam à Petro ignorante ſententiam ſibi fauorabilem, non fuiſſe conditionatam, quāuis ſi eam ſciuiſſet, non fuiſſet ſoluturus; proinde non tenebitur Paulus reſtituere acceptam pecuniam.

Quoad poſteriorem vero partem con- 5
cluſio eſt manifeſta, quia poſito quod in Paulo nulla inueniatur obligatio reſtituendi, non poterit Petrus per occultam compenſationem repetere, quod dedit, nam etiam ex parte Pauli inuenitur probabilitas; & ideo cum facta ſolutione, iuſtè poſſideat, nequit ſpoliari abſque iniuſtitia. ita confirmari poterit hæc ſententia, ex qua nonnullæ, vt videbimus, deduci poſſunt concluſiones.

Aliam autem ſententiam contrariam, 6
quamuis in terminis apud Authores non inueniam; nihilominus ea ex principijs eorum videtur colligi poſſe, admittunt enim compenſationem ex ſola probabili opinione ex parte compenſantis, vt varijs exemplis oſtenditur: & primo, ſi quis in ſuo teſtamento minùs ſolemni reliquit Titio titulo legati centum aureos, quia tale teſtamentum per ius ſtatuitur eſſe irritum; atque adeo hæres teſtatoris ſibi hæreditatem capiat non vi teſtamenti, ſed quia ſuccedere debet morienti ab inteſtato, & conſequenter excludit legata, vtpote facta in teſtamento inualido, & hoc iuxta probabilem opinionem, quę aſſerit, tale teſtamētum etiam in foro conſcientiæ eſſe irritum; nihilominus graues doctores sūt, qui in tali caſu ſuſtinent legatarium poſſe occultam facere compenſationem contra eum, qui poſſidet hęreditatem, & ſucceſſit ab inteſtato; & hoc confirmant; quia probabile eſt, in foro tantum externo, irritum eſſe tale teſtamentum ob defectum ſolemnitatum, quæ à Iure ciuili præſcribuntur; non autem eſſe irritum in foro conſcientiæ, & ſic Titius legatarius amplectens talem ſententiam compenſat, nō obſtante, quòd hæres iuſte hæreditatem poſſideat, & iuſtè excludat legatarios, quatenus adhæret alteri probabili opinioni. & hanc ſententiam tuetur *Baldus in L. p. Cod. de teſtam. Iaſon. ibid. num. 7. Syluester V. hæreditas 3. quæſt. 7. Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 19. dub. 3. num. 22.* Secundo ſuadetur alio exemplo deducto ex compenſatione famæ, quæ fit in pecunia, nam aliqui dicunt famam ablatam mediante pecunia compenſari: & hoc quamplures exiſtimant probabile, *Leſſius lib. 2. cap. 11. dub. 25. nu. 136. & alij apud Dianam par. 2. trac. 5. reſol. 30. ver. Notandum eſt*: & in terminis loquens de compenſatione, eam admittit Leſſius, aſſerens eſſe probabile id fieri poſſe, & ponit exemplū,

Digitized by Google

ſi quis fuit ab alio iniuſtè infamatus, & nolit famam ablatam reſtituere, in tali caſu infamatus, ſi debeat reſtituere infamatori pecuniam pro damnis contra illum illatis, poſſet eam non reſtituere, compẽſatione vtens, ſi autem hoc eſt verum, ſtatim videtur colligi contra priorem ſententiam, eſſe licitam compenſationem ex parte Petri, quia ſicuti iuxta hanc opinionem, quam Petrus amplectitur vt probabilem, poterit ſibi retinere pecuniam debitam, eaque iniuſtum detractorem priuare; ita & Petrus adhærens probabili opinioni aſſerenti contractum illum initũ cum Paulo fuiſſe vſurarium, & cõſequẽter non fuiſſe aſtrictum vi talis contractus Paulo lucrũ ſoluere, poterit, ſi Paulus nolit reſtituere, cõpenſatione vti. tertio deniq; ſi quis famæ alienæ detrahat, & poſtea infamatus iniuſtè, etiam auferat famam ſui detractoris, plures exiſtimant poſſe vnumquemque titulo compenſationis famam ablatam alterius non reſtituere. ita aliqui quos laudat *Aloyſius Turrianus in 2. 2. S. Thomæ diſp. 53. dub. 5. num. 7.* in iſto caſu ille, qui nolit reſtituere, & vult compenſare, videtur aliquo modo famam alterius apud ſe retinere, id faciens iuxta probabilem quorumdam opinionem; & ſic in alijs ſimilibus: igitur à primo ad vltimum colligimus, quòd, quamuis ſit probabile, me ad reſtituendum Titio minime teneri; nihilominus, ſi probabile etiam ſit me teneri, poſſet Titius occulta compenſatione vti, ſequens opinionem, quæ ſibi fauet; & conſequenter in caſu, de quo in præſentia agimus, Petrus, qui vi contractus, de cuius iuſtitia eſt controuerſum, & vtrũque oppoſitum probabile, ſi ex ignorantia ſoluit lucrum Paulo, non ſoluturus, ſi ſententiam, quæ ſibi fauet, ſciuiſſet, poterit vti compenſatione, retinendo, vel accipiendo ex bonis Pauli tantumdem, quantum ſoluit. his argumentis ſuaderi poterit ſententia iſta.

7 Cæterum omnia exactè perpendendo, exiſtimo priorem ſentẽtiam eſſe amplectendam. Dico igitur Paulum, cui ex ignorantia probabilis opinionis, Petrus lucrum ſoluit, non eſſe aſtrictum ad illud reſtituẽdum, neque Petrum vti poſſe compenſatione. Ducor primo, quia pro hac ſententia Authores inuenio, non autem pro oppoſita, niſi ex quibuſdam alijs caſibus, qui primo aſpectu ſimiles videntur, cum tamẽ ſit diſparitas, vt videbimus. ſecundo, quia translato dominio illius lucri in Paulum, iuſta eſt poſſeſſio ex parte ipſius Pauli, qua nequit ſpoliari à Petro vi ſolius opinionis, cuius probabilitas non fertur in ipſam cõpenſationem, ſed tantùm in id quod probabile eſt, contractum priùs initum fuiſſe illicitum, ſicuti etiam probabile eſt fuiſſe licitum: ex illa autem probabilitate non rectè deducitur probabilem eſſe compenſationem, ſeu, quod in idem recidit, probabile eſſe, Paulum, iuſtè, & legitimè poſſidentem, remoueri poſſe à ſua poſſeſſione, vt fusè oſtendimus *in diſceptationibus moralibus de conſcientia diſcept. 4. cap. 8. num. 4. & cap. 18. num. 3. 4.* expendentes num dari poſſit opinio ſpeculatiuè, & non practicè probabilis, & an ex probabilibus ſententijs ea, quæ poſſeſſori fauet, ſit præferenda.

Ad argumenta, quæ cõtrarium ſuadere videntur, non erit difficilis ſolutio, quia ſi illa attentè conſiderentur, diſſimiles probant caſus.

Ad primum igitur reſpondeo, quòd, quamuis nonnulli admittant vt licitam compenſationem illam, qua legatarius ex bonis teſtatoris occultè legatum ſibi capit; nihilominus alij non recipiunt talem ſententiam, negantes licitam eſſe huiuſmodi compenſationem. ſic *Sanchez lib. 4. conſil. cap. 1. dub. 14. nu. 12. Menochius lib. 1. de præſump. quæſt. 80. nu. 34. Bonacina de contract. diſp. 3. quæſt. 1. punt. 3. n. 10.* ſed quia hoc non eſt ſatis ad diluendum argumentum, quod in vtriuſque opinionis probabilitate fundatur; ideo aliam do reſponſionem magis propriam, negando paritatem, pro cuius intelligentia. 8

Supponendum eſt, valdè controuerſum eſſe apud Doctores, num teſtamentum carens ſolemnitatibus, iure tantùm ciuili requiſitis, atque adeo inualidum in foro externo, ſit etiam inualidum in foro conſcientiæ, nam quamplures negant, licet alij affirment, & de hac re tres refert ſententias *Sanchez lib. 4. conſil. cap. 1. dub. 14.* & ideo cum certum ſit, ſpectando ius naturale, validum eſſe, atque adeo, ſiſtẽdo in eodem iure, competere legatario ius ſibi capiendi legatum, imò & hæredem ab inteſtato aſtringi ad illud ſoluendum, vt colligitur *ex cap. Cum eſſes de teſtam.* & ex alijs iuribus, vt fusè probat *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 19. dub. 3.* controuerſia tamẽ eſt, ſpectando Ius ciuile. 9

Cum igitur legatarius pro ſe aſſiſtentiã iuris naturalis habeat, & non ſit omnino certum per leges ciuiles ita inualidari teſtamẽtum carens his ſolemnitatibus, conſentaneum rationi videtur, vt legatarius, cui voluntas teſtatoris conſtat, poſſit legatum relictum ſecreto ſibi capere, potius enim ius naturale fauet illi, quàm faueat hæredi ius ciuile, quo iure hæres ipſe ab inteſtato nititur: ſed in caſu noſtro longè diuerſa eſt ratio, quia cum ipſum met ius naturale reuocetur in dubium, & probabile ſit, vtrique parti fauere, idcirco Paulus 10

Ius iuſtè poſſidens lucrum acceptum, non tenetur reſtituere;& conſequenter Petrus nullum ius habet, quòd ſibi aſſiſtat ad repetẽdum per occultam compenſationem, quod priùs ſoluit.

11 Ad ſecundum de compenſatione famæ ablatæ reſpondeo, eſto, admittatur ſententia affirmans, aio tamen diſparem eſſe rationem, nam infamatus retinet ius in ſua fama recuperanda, quam detractor nolens reſtituere, quodammodo apud ſe eam retinet, & ideo infamatus adhærens iuri naturali,quod ipſi probabiliter fauet, poterit compenſatione in pecunijs vti.

12 Ad tertium clarior eſt ſolutio, nã fama vtriuſque detractoris cum ſit eiuſdem ordinis, non eſt mirum,poſſe ab vno ex detractoribus, nempe à Petro,veluti retineri apud ſe famam Pauli, ſi ab eodem Paulo viciſſim retineatur fama ipſius Petri,ad eũ fere modum, quo ſi ego tibi debeam cẽtũ, & tu totidem mihi debeas, locus erit cõpenſationis. Cæterum vt ſententia iſta admittens compenſationem vnius famæ cum altera, probabilis reddatur, duæ adhibendæ ſunt limitationes: prima,vt fama vnius nõ excedat ſaltem notabiliter famã alterius, cum qua facienda eſt compenſatio, neque ratione materiæ, neq; ratione perſonæ, & ideo ſi ponatur fama, quam Petrus amiſit per detractionem Pauli,eſſe maioris æſtimationis, non poterit Paulus ſui famam compenſare cum fama Petri, cum ſint inæqualis conditionis. ſecunda limitatio eſt, quod etiã poſita æqualitate inter vnam, & alteram famam, ſi alter ex ipſis detractoribus v.g. Paulus ſit paratus ex parte ſui famam ablatam Petro reſtituere, non poterit Petrus compenſare, ſed obligabitur etiam ipſe famam Paulo reſtituere, ceſſabit enim in tali caſu ratio cohoneſtans compenſationem.

Hæc mihi occurrunt in fauorem huius ſententiæ negatiuæ, quam defendo; cum nihil, quod ſit alicuius ponderis, occurrat pro ſententia contraria affirmatiua; ſi vero poſtea occurret, probabilem etiam exiſtimabo hanc opinionem, quam in præſentia impugno.

13 Ex his autem, quæ dicta ſunt,poſſumus ex noſtra ſentẽtia colligere, ſi quis anceps ſit, num emiſerit votum erogandi eleemoſynam alicui eccleſiæ, & diligenti examine adhibito ad veritatem inquirendam, adhuc perſeuerante dubio, cenſeat in dubijs obligari ad votum adimplendum, vel ex toto, vel ex parte iuxta multorum ſententiam, & ignorans opinionem contrariam, ſecundũ quã omnino liberatur ab obligatione, ſi,inquam, id ignoret, & ſoluat, in tali caſu, Rector illius eccleſiæ ad nihil reſtituendum, ex eleemoſynis acceptis tenetur,neque ille qui de emiſſione voti ambigebat, vti poteſt cõpẽſatione aliqua & hoc ob rationẽ, qua concluſionem ſuperiùs probauimus: cũ enim cõtrouerſum ſit apud Doctores, num ambigens de voto à ſe emiſſo,teneatur illud nec ne adimplere, & aliqui affirment teneri, ſaltem ex parte, alij vero negent, Rector eccleſiæ recipiẽs eleemoſynam,iuſtè illam poſſidet; proinde non aſtringitur ad reſtitutionem,nec ille alius, qui ſoluit, poterit cõpenſatione vti, nullũ enim ius firmum illi fauet, dictans, poſſe in tali caſu iuſtè poſſidentem ſpoliari, & in terminis de voto docet *Sanchez, & Author caſuum Bononiæ loco citato.*

QVAESTIO OCTAVA.

Vxor, Matrimonio ſoluto, ſi Mariti bona non ſuperſunt, teneatur ne rependere debita à viro inope, ad ipſam vxorem, & familiam alendam, contracta?

SVMMARIVM.

Proponitur controuerſia. 1

Refertur prior quorumdam Iuriſtarum ſententia, obligans vxorem, & varijs iuribus probatur. 2

Poſterior ſententia negans talem obligationem in vxore, admittitur ab Authore, & ratione firmatur. 3

Obijcitur in contrarium, & reſpondetur, obligationem mariti in alenda vxore, per inopiam non eſſe extinctam, ſed ſuſpenſam. 4

Explicantur iura ciuilia, quæ contraria videntur. 5

Merces, quæ ingruente tempeſtate proijciuntur in mare, debent pro rata compenſari cum aliorum mercibus, quæ in naui ſaluæ fuerunt. 6

Ex quocumque capite ceſſet inopia mariti, ſtatim reuiuiſcit obligatio alendi vxorem &c. 7

Res empta pro vxore pecunijs alienis, num ſoluto matrimonio ſit creditoribus aſſignanda. 8

CElebrem, magnique momenti controuerſiam aggredior, nempe de obligatione, quæ reperitur in vxore (& idem de filijs aſſero) quando poſt viri mortem bona, vel nulla,vel ſi aliqua, minime tamen ſuffectura, ſuperſunt ad ſatisfaciendum creditoribus, qui tempore vitæ pecuniam mutuo dederunt viro inopi ob alimenta præſtanda eius vxori, filijs, famulis, &c. 1

Quæ-

Quærunt igitur Doctores, num vxor ex proprijs obliganda ſit talia debita perſoluere; & pariter filij &c.

2 Prima ſententia, quam nonnulli Iuriſtæ apud Sanchez tuentur, *l.9. de mat. diſp. 4. n. 28.* ait, vxorē eſſe ad id obligādā. Fundātur Authores huius opinionis primo in eo, quod pecunia illa verſa fuerit ĩ ipſius vxoris vtilitatē, & idem dicũt de filijs: proinde ſi bona relicta à viro, qui eã mutuã accepit, nequeant eſſe ſuffectura ad ſatisfaciēdum, in eorũ defectu, ſeu in ſubſidium, tenetur ipſa vxor, vt colligitur ex vniuerſali doctrina, quæ habetur *in L. Et qui §. Alioquin. C. Quod cũ eo, & in L. his ſolis ff. de condict. indeb. ubi Gloſſ ver. Proficit,* docet, ius repetendi pecuniam mutuo datam, eſſe ſolùm contra recipientem, non autem contra alium, in cuius beneficium fuit conuerſa, ſed addit hoc fallere, quādo recipiens non habet vnde ſoluat, tunc ille alius in ſubſidium erit obligandus, cũ hac tamen conditione, ſi ex cauſſa lucratiua, & non oneroſa, pecunia fuerit in eius vtilitatem conuerſa.

Hanc doctrinam Auctores huius ſentētiæ applicant caſui noſtro. Nam vir eo tēpore, quo pecuniam ab alio recepit, ſupponebatur inops, atque adeo non obligatus ad alendam vxorem, & filios, proinde pecunia data fuit titulo lucratiuo, & non oneroſo, & fuit applicata in beneficium vxoris, quam maritus, ſtante inopia, alere minimè tenebatur, vt habetur *in L. Si quis à liberis, §. de liberis ff. de liberis agnoſc.* & ibi Scribentes, quos ſequitur *Sanchez diſp. cit.* addens, quod ſi vxor eſſet diues, teneretur maritũ inopē alere, *per textum in L. Si cum dotem. §. Si Maritus. ff. ſoluto matrimonio.* ſecundo probant, quia quoties pecunijs alterius, aut alia re, quis ditior effectus fuerit, quamuis apud ſe nec pecuniam, nec rem illam habeat, obligabitur reſtituere id, in quo ditior factus eſt; *ex L. 2. ff. ad L. Dotem §. Si maritus. ff. ſoluto matrim. & ex L. 2. ff. ad L. Rhodiam de iactu.* in caſu autem noſtro Vxor, mortuo viro, cum fuerit alita pecunijs alienis, mutuis ab ipſo viro acceptis, cēſebitur ditior facta. tertio ſtante inopia mariti, vxor diues tenebatur illum alere, vt ſupra diximus, & intantum non aluit, inquantum maritus per mutuum, & ſibi, & vxori alimenta ſubminiſtrauit, proinde vxor videtur obligāda ſoluere mutuatori, pecuniam illam, quam erat expenſura, pro alendo marito. his, & ſimilibus argumentis probant Authores predicti opinionem hanc.

3 Secunda vero ſententia oppoſitum tuetur, videlicet vxorem non eſſe obligandā ad ſoluenda debita contracta à marito, quamuis ea contraxerit occaſione alimentorum exhibitorum, ita plures apud *Sanchez nu. 29.* quibus ipſe aſſentitur, & hæc opinio mihi magis placet. probo eam primo, hac ratione. Si quis pecunias mutuo accipit, vt ſatisfaciat ſuis creditoribus, iudicās poſſe poſtea illas mutuatori reſtituere, ſi fiat impotens ad reſtituendum, non poteſt mutuator illas à creditoribus mutuatarij repetere, quia nullum ius in illos acquiſiuit mediante mutuo, per mutuum enim fuit omnino translatum dominium pecuniarum in ipſum mutuatariũ; igitur à pari, maritus varia contrahēs debita ratione inopiæ ob alendam vxorem, & familiam, dominium perfectum pecuniarum acquiſiuit, quas conſumpſit in alimentis præſtandis; proinde creditores ius ſolùm habent in perſonam, & bona ipſius mariti, non autem in bona vxoris; Non poſſe autem conueniri creditores, quibus ſoluta fuit à debitore pecunia illa mutuo accepta expreſsè habetur *in L. Non aduerſus 15. C. Si certum petatur, & in L. Bum cui 13. eap. de oblig. & act.*

Dices, Maritus, ſtante inopia, non tenebatur vxorem alere, vt diximus; ergo vxor alimenta recepit titulo merè lucratiuo, & non oneroſo, & per conſequens tenetur ſoluere debita, quæ a viro pro hac cauſſa fuerunt contracta.

Reſpondeo cum diſtinctione, Maritus non tenebatur ex ſuppoſitione impotētiæ, concedo, abſolutè nego antecedens, nã, vt rectè animaduertit *Sanchez nu. 29.* in marito inope nõ eſt omnino extincta obligatio illa, qua tenetur ad alendam vxorem, filios &c. ſed ſolùm eſt ſuſpenſa durāte inopia, & impotentia; proinde ea ceſſante, incipit vrgere obligatio, quemadmodum; ſi quis ratione contractus, aut alterius tituli, debeat centum aureos alteri, ob impotentiam, qua actu laborat, non eſt extincta, ſed tantùm ſuſpenſa, & veluti ſopita, obligatio, quæ iterum veluti reuiuiſcit, ſi ipſe debitor fiat potens, ex quocumque capite id eueniat; ſiue ex mutuo, ſiue ex donatione ab altero facta, ſiue ex venditione &c. igitur, poſito quod Maritus habeat potentiam ad alendam vxorem, quamuis talis potentia orta fuerit ex pecunijs mutuo acceptis, non eximitur ab illa naturali obligatione alēdi vxorem, filios, & familiam, ideoque vxor, & reliqui non titulo lucratiuo, ſed oneroſo, & debito, alimenta receperunt.

Ad primum argumentum contrariæ 4 ſententiæ deſumptum *ex legibus illis ciuilibus*, facilis eſt ſolutio ex dictis, nam ibi *in primo paragrapho* ſermo eſt de pecunia mutuo data ſeruo, & ideo diſpoſitione iuris, eo viuente, & intra annum,

post

Digitized by Google

poſt eius mortem mutuator actionem habet in dominum illius ſerui, *in 2. autem paragrapho ver. Alioqui*, loquutio eſt de pecunia, quæ perſonæ liberæ datur non vt procuratori, aut negotiorum geſtori alicuius; quia vt ſic obligaretur Dominus; ſed ſolum datur illi, qui eſt procurator, ſeu negotiorum geſtor, & ideo ſtatuitur in mutuante non eſſe ius agendi contra Dominum niſi pecunia in eius ſit verſa vtilitatem; at in caſu noſtro neutrum ex his habetur, quia maritus non eſt ſeruus vxoris, nec eius procurator, aut negotiorum geſtor, vt ſupponimus. *Ad L. illam His ſolis*; reſpondeo, Gloſſam loqui in caſu, quo pecunia titulo lucratiuo in vtilitatem alterius eſt verſa, & quando mutuatarius eſt impotens ad ſoluendum.

6 Ad ſecundum Reſpondeo, ibi ſermonē eſſe, quando nauis mercibus diuerſorum onuſta ob tempeſtatem periclitabatur, & merces alicuius ad nauem liberandā proiectæ fuerunt in mare, aliorum mercibus ſaluis; tunc conueniens eſt, vt hi quorū merces ſaluæ factæ ſunt pro rata recompenſent; Nam omniū merces ad ſummerſionem nauis concurrebant, & ideo obligatio oritur quaſi ex contractu, proinde caſus eſt diſſimilis.

7 Ad tertium patet ex dictis, videlicet obligationem alendi vxorem non periiſſe in marito, ſed fuiſſe tātum ſuſpenſam durante inopia, quæ ex quocumque capite ceſſet, cōſurgit antiqua obligatio mariti ad alendam vxorem, familiam, &c. obligatio autem vxoris diuitis ad alendum inopem maritum eſt merè per accidens, & durat permanente mariti inopia.

8 Quæres, ſi maritus pro vxore emat alienis pecunijs rem aliquam, & mortuo marito res illa apud eamdem vxorem permaneat, num vxor teneatur eius pretiū creditoribus mariti, quorum pecunijs res empta fuit, perſoluere.

Dubium hoc proponitur *à Sanchez nu. 59. cit. in fine*, & reſpōdet ſe credere vxorem ad nihil teneri, quia creditor pecuniæ non habet ius, & actionem aduerſus rem emptam pecunijs mutuo acceptis, neque res ipſa empta manet hypothecata pro mutuo, ſed ſolùm creditor actionem habet perſonalem in ementem. Verum ſententia iſta eſt contra aliquos, qui putant vxorem teneri ad prædictam recompenſationem. Sed in re hac maior declaratio eſt apponenda, aio igitur eſſe attendendas leges municipales, & locorum conſuetudines, in quibus res, quæ pecunijs mutuo datis emuntur, manent hypothecatæ mutuanti, rurſus in iure communi eſt priuilegium, quando pecunijs pupilli, aut militis res emuntur, tunc manent obligatæ pupillo, aut militi. proinde ſententia, quā Sanchez amplectitur non eſt abſolutè recipienda vide *Vaſquez in opuſc. de pignoribus, & hypoth. cap. 3. §. 1. caſ. 9. & 10.*

QVAESTIO NONA.

Tenetur ne Donatarius realia vota Donantis ſoluere ſi hæreditati vires minime ſufficiant?

SVMMARIVM.

Figuratur caſus. 1
Argumenta, quibus probatur Donatariū aſtringi ad ſatisfaciendum creditoribus donantis. 2
Pars negatiua ab Authore recipitur, & ex principijs vniuerſalibus probatur. 3
Diluuntur oppoſita argumenta. 4
Proponitur quæſitum de obligatione donatarij, ſi donans per donationem fuerit impotens effectus. 5
Solutio Authoris. 6
Quid ſi donatarius conſcius ſit de impotētia debitoris, duæ referuntur ſententiæ contrariæ. 7
Placet Authori ſententia, quæ donatariū obligat. 8
An idem de legatario, & donatario ſit dicendum. 9
Hæres ſuccedens in bona Religioſi profeſſi an teneatur eius vota realia adimplere. 10

AD clarius procedendum ſic formo caſum. Titius liberaliter donet Sorti plura bona abſque vllo onere, ſed antequam donationem hanc inſtituat, aſtrictus inueniatur ad ſatisfaciendum nonnullis votis realibus à ſe emiſſis; mortuo autē Titio, innoteſcat Sorti donatario obligatio illa, qua Titius detinebatur, & pariter eidem conſtet hæreditatem eiuſdem Titij ſufficturā nequaquam eſſe pro votis adimplendis: inquirimus, num Sortes in foro conſcientiæ ſit aſtringendus, ex rebus donatis vota illa perſoluere, quæ contracta fuere à Titio, antequam ad donationem prædictam deuenerit. Poſſumus quæſitum bifariam conſiderari. Primo ex parte ipſius donatarij abſolutè, abſtrahendo à bona, ſeu mala fide, cum qua Sortes bona illa donata recepit: ſecundo ſupponendo Sortem non ignoraſſe impotentiam, in qua Titius donans ſe conſtituerit; his præhabitis à primo exordium ſumimus. 1

2 Et pro parte affirmatiua, quæ vult Sortem donatarium obligandum eſſe; ſic licet argumētari: bona illa, quæ Sorti donata fuerunt, erant priùs Deo obligata; ergo tranſierunt ad Sortem cum eodem onere,

H quam-

quamuis onus illi explicitè minimè fuerit impoſitum; proinde Sortes illa poſſidens, tenebitur vota donantis perſoluere. Et confirmatur, nam ſi quis poſt votum, de aliqua re Deo oblata, eamdem homini promittat, non ſolùm illicita; verum etiã irrita, erit promiſſio illa; ergo a pari, quãuis bona in alterum per donationem trãſlata fuerint, nihilominus Donatarius ratione rerum, quas poſſidet, obligabitur ad onus illud, quod Titius habebat.

3 Sed his non obſtantibus, pars negatiua eſt omnino firmanda, videlicet in caſu poſito, ſortem donatarium eſſe penitus eximendum; ita communiter Doctores *Medina Cod. de reſt. quæſt. 3. cauſ. 8 ad 5. Petrus Nauarra lib. 3. de reſt. cap. 4. in fine dub. vlt. n. 174. Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. de voto cap. 16. n. 10. Sanchez in decalog. lib. 4. cap. 15. n. 34. Bonacina de legib. diſp. 4 quæſt. 2. 1. 5. §. 2. n. 21. Caſtropal. par. 3. de oblig. vot. diſp. 1. 2. 16. n. 14. & alij*. Probatur ex principijs vniuerſalibus in hunc modum, omnis obligatio reſtituendi, oritur neceſſariò vel ratione rei acceptæ, vel iniuſtæ acceptionis, at Sortes donatarius in caſu prædicto ex neutro capite tenetur; ergo abſolutè ad nullã obligationem erit aſtringendus. Maior ſupponitur ex tractatu de reſtitutione. Minor vero probatur; nã non tenetur rõne rei, nempe ratione bonorum donatorum; quia per donationem verè dominium illorum bonorũ acquiſiuit, etenim per votũ non perit in vouẽte dominium rei, de qua eſt ipſum votum; proinde quamuis illicitè, validè tamen dominium rei promiſſæ per votum poterit ipſe vouẽs in alium, nempe in donatarium, transferre, nam vt rectè animaduertit *Suarez nu. 3.* promiſſio Deo facta non priuat promittentem facultate vtendi ad libitum re promiſſa, vt patet in multis alijs, v. g. ſi mulier caſtitatem vouerit per ſimplex votum, & vi illius teneatur corpus ſuum per matrimonium in poteſtatem alterius non transferre, nihilominus ſi matrimonium contrahat, peccabit, at valida erit corporis traditio; imo poſt bimeſtre à iure conceſſum, obligabitur ad debitum viro reddendum, ſimiliter ſi quis per publicum inſtrumentum rẽ alicui venderet, ſi poſtea alteri vẽdat, & tradat, valida, quamuis illicita, erit traditio, & poſſet prior emptor via hypothecaria agere contra ſecũdum emptorem ad rem illam acquirendam: vt probatur *per textũ in leg. Quoties. C. de rei vendicatione*, & ſic in multis alijs; Neq; Sortes donatarius obligabitur, ex ſecundo capite, nempe ratione iniuſtæ acceptionis, tum quia potuit bona fide procedere, acceptando bona illa, tum etiã quia licet mala fide proceſſiſſet, poſſet tamen ex alio capite excuſari, vt mox declarabimus: igitur ex nullo capite ad ſoluenda vota donantis obligabitur, & hoc de priori modo, ſub quo quæſitum conſiderandum proponitur, ſecundo autem modo eſt examinandum, videlicet, ſi donatarius non ignorans impotentiam vouentis, bona illa acceptauerit. Reſpõdeo, etiam in iſto caſu erit immunis à reſtitutione; quia licet Sortes recipiens grauiter peccet cooperans actioni illicitæ Titij, per quam impotentẽ ad ſoluẽda vota ſe reddidit; nihilominus cum actio iſta illicita ſolùm ſit contra Religionem, & non contra iuſtitiam, ſequitur nullã obligationem reſtituẽdi reſultare in ipſo Sorte donatario, nam ſola actio contra iuſtitiam inducit obligationem recompenſandi, vt nunc ſupponimus ex tract. de iuſtitia, & iure.

Ex his diluitur argumentum initio poſitum 4 pro ſententia affirmatiua, nam obligatio iſta oritur ex ipſa perſona vouente, & non eſt obligatio realis ipſis rebus affixa; & ideo non tranſit cum ipſis bonis; proinde ratione poſſeſſionis, per quam donatarius bona retinet, non conſurgit obligatio vlla in ipſo met donatario; ad confirmationem nego paritatem, quia cũ ex vna parte, promiſſio nuda, & ſimplex non ſit apta transferre dominium rei promiſſæ in alium, & ex alia parte ſit illicita, quia obligat promittentem ad agendum contra voti præcedentis obligationem, & executionẽ; idcirco irrita erit: at per donationem dominium transfertur in donatarium, & ideo ſemel facta tranſlatione non obligat ampliùs donantẽ ad faciendũ aliquid contra votum prius emiſſum; proinde quamuis vterq; nempe donans, & donatarius peccent, non erit tamen obligatio ad reſtitutionem in ipſo donatario cum acceptio non fuerit contra iuſtitiam.

Quæres primo, an donatarius obligandus 5 ſit ad ſoluenda debita ipſius donantis ſi per donationem impotens ſit effectus?

Antequam directè reſpondeam ad quæſitum, & Authorum ſententias referam ſuppono ſermonem non eſſe de rebus, quæ hypothecæ ſunt capaces, ita vt de facto per realem hypothecam creditoribus ſint obnoxiæ, tales enim res quando intertiã perſonam tranſeunt, ſemper manent creditoribus affectæ, proinde creditores agere poſſunt via hypothecaria contra donatarium, & donatarius tenebitur illis ex bonis donatis ſatisfacere: ſuppono igitur ſermonem eſſe de rebus, quæ hypothecam non recipiunt, vt eſt pecunia; quibus præhabitis.

Reſpondeo, ex doctrina *Molina tract.* 6 *2. de iuſt. diſp. 328.* Donatarius bona fide

re-

Digitized by Google

pecuniam recipiens ad illam reſtituēdam minimè tenetur, probatur, quia neq; obligatur ratione rei acceptæ, nam pecunia illa erat ſub dominio donantis, proinde poterat illam in alterius dominium transferre, & ſic ceſſat obligatio, quæ ex illo capite prouenire poterat, nam donatarius rem creditorum minimè poſſidet, neque obligatur ratione iniuſtæ acceptionis, cum bona fide, vt ſupponimus, pecuniam illam receperit.

7 Sed quid dicendum, ſi donatarius conſcius ſit de impotētia debitoris, in qua ponitur vi illius donationis? ſunt duæ ſententiæ, quarum primam tuetur *Molina diſp. cit. in 2. 3. 4. concl. & diſp. 330. num. 12. 13. & Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 20. à num. 168.* eximunt enim in tali caſu ipſum donatarium, cum limitatione, videlicet vt ipſe donatarius non incitauerit donātem debitorem ad alienandum, quia cum talis alienatio ſit illicita, & contra iuſtitiam, donatarius excitans ad illam, manifeſtè peccabit lædens ius creditorum, atque adeo ad reſtitutionem tenebitur; cum hac tamen conditione, vt creditores intra annum à die ſcientiæ, qua innoteſcit illis prædicta alienatio, petant à donatario ſatisfactionem; elapſo autem tali anno, liberabitur donatarius à moleſtia creditorum iuxta diſpoſitionem iuris ciuilis *in L. vlt. §. 4. ff. L. quæ in fraudem cred. & L. vlt. C. de reuocand. quæ in fraudem, &c.* Secunda ſententia vult donatarium, qui ſcit donantem per illam donationem reddi impotentem ad ſatisfaciendum creditoribus ſemper obligari ad reſtitutionem etiam poſt annum elapſum: ſic *Rebell. lib. 1. de contrac. in gen. quæſt. 7. n. 21. Ioannes de Lugo tom. 1. de iuſt. diſp. 20. ſec. 6. n. 116. & ſeq.* qui ait ex parte donatarij ſufficere ſcientiam illius impotētiæ cui ſubmittitur debitor per donationem illam; quamuis debitorem minimè excitauerit ad donandum, & *n. 117.* reſpondens ad fundamentum Molinæ aſſerentis acceptationem illius donationis ſupponere totam malitiā iam poſitam ex parte donātis, nec per acceptationem augeri, ſed tantum poni effectum talis malitiæ, reſpondens in quam, docet acceptantem non peccare, quia cooperetur malitiæ debitoris, vel quia illam cauſet, ſed peccare, quia cooperatur læſioni creditorum; & ad iura illa ciuilia reſpondet, quod quamuis actionem non cōcedant creditoribus elapſo anno, hoc tamen faciunt, ne multiplicentur lites, & ne impediantur humana commercia, nihilominus quando mala fide donatarius recipit a debitore impotente, remanet de iure naturæ ſemper obligatus; ad hanc autem malam fidem probandam lex ciuilis ob rationes aſſignatas noluit niſi vnius anni ſpatium concedere.

Hæc vltima opinio mihi placet, & ratio 8
eſt quia donatarius acceptans donationē illam, fuit verè cauſa efficax vt donator, etiam ſi pœniteret, non poſſet creditoribus ſatisfacere. Multa alia circa hoc punctum diſcurrit Delugo ſcitu digna apud quem eadem ſectione legi poſſunt.

Quæres ſecundo vtrum idem dicendum 9
ſit, de Legatario?

Reſpondeo Negatiuè. *ita Caſtropalaus ſ. c. n. 15.* & ratio eſt, quia donatarius per donationem acquirit dominium rei donatæ, ſecùs autem legatarius, qui nequit legatum acquirere vi promiſſionis factæ in teſtamento, quia promiſſio illa cum ſit irrita, vtpote de re mala, inde eſt, vt legatum corruat; hoc autem verum eſt, quādo legatum ſit de re illa in ſpecie, de qua erat votum, ſi autem legatum fiat de re, quæ in ſpecie non erat debita vi voti, Caſtropalaus ibi cenſet veriùs eſſe, neque in hoc caſu ſubſiſtere legatum, ſi vires hæreditatis non ſufficiant; quia poſita tali inſufficientia, Teſtator legans peccauit, reddens ſe impotētem ad votum adimplendū: ſi vero bona fide legauit, putans ſufficere hæreditatem, tunc legatum, cum procedat ex errore, erit etiam irritum.

Quæres tertio, An hæres ſuccedens in 10
bona profeſſi, teneatur adimplere eius vota realia.

Reſpōdeo dupliciter fingi poſſe ſucceſ- 11
ſionem hanc, primo per emiſſionem profeſſionis factæ à vouente; ſecundo per hæreditariam ſucceſſionem; ſi primo modo eueniat cenſeo hæredem ad nihil teneri, quia per ipſam profeſſionem extinguuntur omnia vota profeſſi antea emiſſa non ſolum perſonalia, de quibus non eſt difficultas, ſed etiam realia: ita *Sanchez lib. 4 in decal. ca. 15. n 32.* ſermo autem eſt de votis, quæ in ordine ad ſolum Deum obligāt, non autem, quando eſt ius alteri acquiſitum: ſi vero hæres ſuccedat iure hæreditario, & antequam vota ſint per profeſſionem extincta, vel in eam commutata, tunc tenebitur illa perſoluere, quia hæreditatem accipit cum his oneribus, proinde poſtea etiam ſequuta profeſſione, nō ceſſabit obligatio; ſunt enim vota illa translata ad heredem vna cum hereditate, & profeſſio ſubſequens dum ſupponat hæreditatem tranſlatam cum onere, nihil quantum ad hoc operabitur, ſic *Bonacina 1. cit. n. 7. Caſtropal. 1. illo 16. nu. 7.* qui optimè hanc diſtinctionem ponit dicēs ſi Monaſterium ſit conſtitutū heres ob mortem naturalem vouentis, teneri ad ſoluenda vota, ſecus ſi ob profeſſionem vouentis.

QVAESTIO DECIMA.

Titius impotẽs reſtituere pecuniam, quam à Sorte, abſq; vlla ſcripti fide mutuã acceperat, poſſit ne, à Iudice etiam iuramento coactus, negare illam habuiſſe.

SVMMARIVM.

1 *Formatur caſus.*
2 *Opinio negans refertur, & argumentis ſuadetur.*
3 *Recipitur ſententia aſſirmans.*
4 *Ratione probatur.*
5 *Perſona hominis biſariam ſpectatur in ordine ad obligationem temporalem.*
6 *Deuinctio, incluſio in carceres &c. comprehenduntur ſub corporali læſione.*
7 *In caſu poſito nulla in bonis, aut perſona eſt actualis obligatio, in Titio ad mutuum ſoluendum.*
8 *Titius legitimè interrogatus in eo caſu non aſtringitur ad veritatem manifeſtandam.*
9 *Cauſa ſolum probabiliter excuſans ad veritatem aperiendam, vt ſufficiens admittitur à Sanchez, proponuntur difficultates aduerſus hanc ſententiam.*
10 *Varij explicantur modi, iuxta ſenſum Doctorum, quibus vti poteſt æquiuocans.*
11 *Reſtrictio mentalis, an licita, & qualis eſſe debeat in æquiuocando.*
12 *Quid faciendum, ſi petens iuramentum excludat pariter æquiuocationem.*

1 CAſum, qui non ex rarò contingentibus cenſeri debet, in hũc modum clariùs explico. Titius v.g. vt proprijs ſubuenire queat neceſſitatibus, aliqua pecuniæ ſumma indigens, eam à Sorte petijt, qui Titij integritati fidem præſtans, centũ aureos illi mutuos dedit, in fine anni reſtituendos; interim accidit, vt Titius impotens efficeretur, ideoque tempore ad ſolutionem præſcripto iam elapſo, non valens Sortes aureos illos à Titio recuperare, ad Iudicem confugit, apud quem Titium ipſum compellauit. Iudex verò cũ nequeat Titium cogere vi alicuius cõtractus, aut syngraphæ, quoniam, vt dixi⟨mus⟩, mutuum abſque vllo publico, aut priuato ſcripto mutuum fuerit, debet alia via cauſam proſequi, nempe interrogando, & cogendo Titium, vt iuramento veritatem manifeſtet, an pecuniam illam à Sorte habuerit, nec ne? Titius verò agnoſcens ſuam impotentiam ad ſoluendum, & ſi mutuum accepiſſe fateatur, in carcerẽ à Iudice conijciendum fore, negauit talẽ pecuniam à Sorte habuiſſe, ſub hac forma caſu declarato, quærimus, nũ Titius veritatem tacendo, & iuramento oppoſitum aſſerens periurus ſit cenſendus.

Partem negatiuam docuit *Guttierrez lib. 1. pract. quæſt. 6.* & ſub fortioribus terminis, loquens de eo, qui cum mutuũ verè ſoluerit, & id coram Iudice in foro externo probare non potuerit, ab ipſo Iudice interrogatus, an mutuum habuerit, negauit. poteſt igitur ſententia iſta ſequẽti diſcurſu confirmari. Cum Titius iuris ordine ſeruato à legitimo ſuperiore interrogetur, vt veritatem manifeſtet, videtur aſtrictus in foro conſcientiæ veritatem ipſam ſuo ſuperiori manifeſtare; si enim licitum eſſet in talibus, & ſimilibus circumſtantijs veritatem abſcondere; fere nunquam poſſent creditores quod ſibi debetur, quando fidei ſcriptum non extat, recuperare, & etiam in criminalibus in paribus circumſtãtijs nõ poſſent Iudices veritatem delictorum obtinere: quod tamen eſt maximum inconueniens, & toti communitati pernicioſum. Neque Titius in caſu noſtro redditur immunis à periurio, mutui veritatem celando, quia quando illud accepit, non ſolùm Sorti obligauit propria bona; ſed etiam perſonam, ideoq; Sortes ius habet tum in bona ipſius Titij, tum in eius perſonam; & ſicuti peccaret Titius, & periurus eſſet, ſi abſconderet bona, ex quibus ſoluere poſſet mutuum, & iuraret illud non habuiſſe; ita pariter, quamuis hic, & nunc non habeat bona, vnde ſoluat, iurans mutuum non recepiſſe, videtur iniuſtè ſubtrahere ſuam met perſonam, impediens ius illud, quod habet Sortes creditor cogendi perſonam ipſã Titij debitoris. 2

Et ſi dicas excuſari Titium à periurio, vtentem verbis æquiuocis, & amphibologicis; contra hoc vrgere quis poſſet, ex his ſcilicet tergiuerſationibus magnũ incommodum, vt ſupra oſtendimus, pati bonum communitatis, & quamuis demus Titium, ita iurantem immunem eſſe à periurio; nihilominus nequaquam liber eſſet à peccato contra iuſtitiam; quia illicitè, & iniuſtè prohibet, quin Sortes experiatur ius, quod habet in ipſius Titij perſonam.

At partem affirmatiuam omnino eſſe admittendam cenſeo, videlicet, in prædictis circumſtantijs nullũ committi à Titio aut periurium, aut iniuſtitiam. colligo concluſionem hanc ex communi Authorũ doctrina, ſecundum quam aiunt iurantem poſſe in ſimilibus circumſtantijs æquiuocatione vti, hos authores laudat, & ſequitur *Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 10. nu.* 3

27.

.27. & fusè *lib. 3. in decal. cap. 6. per totū*. *Suarez tom. 2. de relig. lib. 3 de iuram. c. 9. Bonacina de præcept. decal. diſp. 4. quæſt. 1. p. 12. n. 5. caſu 2.*

4 Probari poteſt concluſio tali argumēto. Titius in illis circumſtantijs neque in bonis, neque in perſona actuali obligatione conſtringitur ad ſoluendum mutuum acceptum; ergo æquiuocatione vtens, & negans illud recepiſſe, non erit periurus, neque iniuſtus: patet conſequentia, quia ex ſuppoſitione prædictę immunitatis ius habet æquiuocandi: antecedens probatur, & quoad primam partem nulla eſt, aut eſſe poteſt difficultas, & controuerſia; quia ex ſuppoſitione impotentiæ ceſſat obligatio; ambiguitas autem eſſe poteſt de ſecūda parte, nempe de exemptione perſonali, vt enim diximus, non ſolùm bona; ſed etiam perſona ipſa Titij ratione mutui accepti remanſit obligata; imò cum abſq; contractu mutuum datum fuerit, debitū eſt perſonale; atque adeo immediatiùs ipſa perſona eſt reſtitutioni obnoxia, & per deriuationem à perſona obligatio tranſit in bona: at his minime refragantibus, probatur neque ipſam Titij perſonam actu obſtrictam eſſe ad aliquid.

5 Pro qua re ſupponendum eſt perſonam dupliciter ſpectari poſſe primò ſecundum ſe abſolutè, ſecundò vt quarumdam operationum principium: priori modo accepta eſt in ſuperiori ordine ad omnia bona externa, & per conſequens nullo pretio æſtimabilis, imò ſupra omne pretium, vt rectè notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. ca. 9. dub. 23. numero 141. & 145. in tertia reſpōſione*, & expreſsè colligitur *ex L. vltima ff. de his qui eſſud. & deiec.* vbi textus loquēs de læſione iniurioſa corporis cauſata per cicatricem, aut aliam deformitatem, ſtatuit iniuſtum læſorem eſſe à Iudice damnandum ad expenſas factas in curatione cicatricis &c. poſtea hæc habet verba [*Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æſtimatio; quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem*] ex his verbis manifeſte habemus ſecundum iura corpus hominis non eſſe pretio æſtimabile. Poſteriori autem modo æſtimationem recipit, in ordine tamen ad actiones, & obſequia externa, quorum principium eſt ipſum corpus, ideoque mancipia æſtimabilia ſunt, ſecundum aptitudinem maiorem, vel minorem, quam habent in ordine ad obſequia domino præſtanda. Ex hac doctrina deduco quod, cum homo pecuniam recipit, contrahit perſonalem obligationem; in quātū promittit ſaltem implicitè exercere actiones illas, quæ neceſſariæ ſunt ad ſatisfaciendum creditori laborādo, & omni via curando ſolutionem debiti; quando igitur debitor eſt impotens, durante impotentia, nequit exercere illas actiones, ad quas ſe obligauit, & ipſa met obligatio ceſſat in actu ſecundo, remanens tantum in actu primo.

Ad læsionem autem, & damnum corporis reducitur deuinctio ipsius corporis, inclusio in carceribus, & ſimilia, quæ in iure comprehenduntur ſub læſione corporali: ideo *in cap. ſi quis ſuadente* ſub violēta manuum iniectione continetur iniuſta detentio corporalis, quæ fit in clericum, vt animaduertit *Suarez tom. 5. de cenſuris diſp. 22. ſec. 1. n. 25.* ſi igitur conſtaret creditori impotētia omnimoda ipsius debitoris, proculdubio non poſſet poſtulare à Iudice, vt illum in carcerem conijceret; quia ius, quod habet in perſonam creditoris, in ordine ad exercendas actiones prędictas, licet non ſit extinctum, eſt tamen impeditum, ne exeat in ſuum actum, ſtante debitoris impotentia. 6

Ex his patet probatio pro ſecunda parte concluſionis, videlicet, Titium non ſolùm in bonis, verum etiam in perſona, actu ad nihil teneri, ex eo quod, deficientibus bonis externis, ex quibus ſolutio mutui fieri debet, non ſunt poſſibiles actiones illæ externæ, ad quas Titius ſe obligauit, & conſequenter eius perſona redditur immunis hic, & nunc, ſtante impotētia: quod erat nobis probandum; ſi autē tollitur actualis obligatio, ius habet Titius ad omnem moleſtiam repellēdam pro ſolutione mutui, & ideo etiam ius habet æquiuocandi, ne in carcerem conijciatur, & iurans nullum committit periurium, aut peccatum. 7

Ad fundamentum vero contrarium initio poſitum facilis ex præiactis erit reſponſio ad ſingula, quæ afferuntur. concedo igitur Titium iuris ordine ſeruato à legitimo ſuperiore interrogari, quia iudex, cui non conſtat omnimoda illa impotentia, ſaltem ſecundum allegata, rectè procedit, parte inſtante ad iuramentum illud petēdum; nego tamen ex hoc ſequi, Titium aſtrictum eſſe ad veritatem illam aperiendam, & hoc ob rationes à nobis adductas: ad illa autem incommoda, quæ ex hac ſententia contra bonum communitatis inferri videbantur, reſpondeo, negādo talia ſequi incommoda; quia non ſemper in debitore huiuſmodi reperitur impotentia, & in cauſis criminalibus ſemper in ipſo reo, aut ſaltem in teſtibus inuenitur cauſa legitimè excuſans, ne veritas latens Iudici manifeſtetur, vt in tractatu de reo, & teſtibus agi ſolet. Denique ad id, quod dicitur de obligatione perſonali, liquet reſponſio ex dictis; obligatio enim perſonæ eſt in ordine ad actiones aliquas ex- 8

externas, neceſſarias ad ſolutionem, quãdo autem bona, quæ ſunt talium actionũ terminus, non ſuperſunt, actiones non ſunt poſſibiles: & ſic perſona debitoris nequit in actum exire. & ex hoc non rectè deducitur Titium debitorem iniuſtè ſe ſubtrahere impediendo ius, quod habet Sortes, nam, vt diximus, ob impotentiã ſuperuenientem in Titio debitore, impeditum remanet ius Sortis. & ſic non ſolùm à periurio, æquiuocatione poſita; ſed etiã ab alio peccato Titius iurãs immunis exiſtimabitur: Occaſione autem arrepta ex prædictis, duas alias difficultates, & maioris dubitationis placet examinare. primo vtrum, quæ dicta ſunt in fauorem debitoris, ſint admittenda, quãdo eius impotentia non eſt certa, ſed tantum probabilis. Secundo erit aſſignandus modus, quo exercenda ſit æquiuocatio, in illis caſibus, in quibus permittitur.

9 Circa primum, partem affirmatiuam admittit *Sanchez diſp. 10. cit. de matrim. n. 28. & cap. illo 6. in lib. 3. decal. n. 31. in medio*, & hac ratione nititur, inquantum, ſcilicet, poſita probabilitate cauſæ excuſantis, poteſt iurans illi ſe conformare. Sed hæc opinio non leuem patitur difficultatem; quia non ſemper probabilitas ſpeculatiua eſt ſufficiens ad inferendum iudicium practicè probabile ad operandũ contra aliam ſententiam, vt ex doctrina eiuſdem authoris aperte deducimus, nam *lib. 7. de matr. diſp. 32. nu. 17.* examinãs, an mulier quinquagenaria excuſetur à præcepto ieiunij, & hinc, inde ponderans argumenta, in fine illius diſputationis concludit opinionem excuſantem ſpe-
8 culatiuè eſſe probabilem, in praxi tamen non eſſe tutam: quod idem eſt, ac dicere; practicè non poſſe de illa, probabile ferri iudicium. Difficultas autem, quam prædicta ſententia affirmatiua mihi ingerit, eſt, quia iudex cum ſit in legitima poſſeſſione illius iuris, quod habet ad interrogandum ſibi ſubditum pro veritatis indagatione, ad hanc poſſeſſionem euincendã non videtur ſufficiens ſola probabilitas cauſæ excuſantis eo tempore, quo contrarium eſt etiam probabile; requireretur enim moralis certitudo, quæ excludatur probabilitas partis oppoſitæ, vt idem Sãchez oſtendit *lib. 6. in decal. cap. 3. nu. 6.* loquens de obligatione, qua ſubditus tenetur parere ſuperiori præcipienti, quãdo opinatur rem præceptam eſſe illicitam, & coniux quando opinatur ob impedimẽtũ dirimens matrimonium bona fide contractum, eſſe irritum, tenetur debitum reddere, vt idem Sanchez docet *l. 2. &* lib. *9. de matr. diſp. 44. n. 3. in tertio argumẽto*, & aſſignans huius rei rationem ait nemine

ſpoliari poſſe ſua poſſeſſione, niſi adſit certitudo, rem illam non eſſe poſſidentis. cũ igitur in caſu noſtro Titius debitor nõ ſit certus de ſua impotentia, & conſequẽter, neque ſit certus quod hic, & nunc, in Iudice non ſit ius verum, & reale ad iuramentum petendum, non poterit non obedire, & veritatem non manifeſtare. Et ſi dicas ius ſe tenere ex parte Titij debitoris ſuam libertatem poſſidentis, contra eſt, nã licet poſſeſſio naturalis ſit in ipſo Titio, ciuilis tamen, quæ debet attendi, eſt ex parte iudicis: & clarè probatur, quoniam certum eſt quod iudex fundatam habet intentionem, cum certa ſit eius iuriſdictio in Titiũ; vt autem in hoc caſu particulari Titius eximatur ob aliquam rationabilẽ, & proportionatam cauſam, deberet eam probari, & dum non probatur, præſũptio eſt pro iudice, pro qua videnda ſunt quæ diximus *in tractatu de conſcientia diſp. 5. cap. 5*: vbi firmam tradidimus regulam, ad agnoſcendum pro quo ſtet poſſeſſio, quando de hoc aliqua inſurgit dubitatio, diximus enim *n. 3.* pro eo poſſeſſionem ſtare, pro quo ſtat iuris præſumptio: ius enim nihil temerè præſumit. Et ſi contingat dubitare ex qua parte præſumptio illa habeatur, diximus pro illa parte ſe tenere, quę transfert onus probationum in aliam partem aduerſam: quam regulam ibi & authoritate & ratione confirmauimus ſoluentes etiam oppoſita argumenta: applicando autem regulam hanc caſui præſẽti, ſtatim videbimus ciuilem poſſeſſionem eſſe ex parte iudicis; & hoc ordine retrogrado ſic oſtendo. Titio incumbit probare hic, & nunc ſufficientem habere cauſam, non aperiendi veritatem, etiamſi Iudex legitimè interroget; igitur præſumptio iuris eſt in altera parte, nempe in Iudice; impoſſibile enim eſt, vt præſumptio reperiatur in eo, qui indiget probationibus, quod enim præſumitur eſſe, ſupponitur, & non probatur. Demum ſi præſumptio iuris in iudice reperitur, in eodem debet eſſe poſſeſſio, vt per regulam aſſignatam oſtendimus.

Et ſi contra vrgeas, ſatis eſſe probabilitatem cauſæ excuſantis, ad hoc vt præſũptio, & poſſeſſio dicatur ſe tenere ex parte Titij debitoris: Contra eſt, quia certum ius elidi non poteſt per cauſam non certã, quæ ſit tantum probabilis, vt ſuprà ex ipſo met Sãchez oſtendimus exemplo vxoris opinantis ſe habere impedimentum dirimens; atque adeo irritum eſſe matrimonium; talis autem dubietas, imò & opinio nequit euincere ius illud certum, quod habet vir ad debitum petendũ, quod vxor non obſtante ſua opinione reddere tenetur. & idem de omni alio debitore ſi

Digitized by Google

ſi enim debitum eſt certò contractum, non ſufficit probabilitas oppoſita ad euincẽdũ ius illud, quod creditor habet.

Talis autem diſcurſus difficilem mihi reddit ſententiam Sanchez, nẽpe ſufficere ſolam probabilitatem cauſæ excuſantis aduerſum ius certum iudicis, nam probabilitas iſta ſolùm videtur remanere intra limites ſpeculatiuæ probabilitatis, ex qua nequit inferri probabilitas practica, ſeu iudicium certum de honeſtate actionis, vt in multis ſimilibus docet ipſe met Sãchez, & nos fusè oſtendimus *in trac. de conſcien. diſcept.* 4. *cap.* 8. & hæc de primo puncto.

10 Quoad ſecundum vero, ſupereſt, vt declaremus modum, quo vnuſquiſque ſe gerere debet in praxi, ne æquiuocando erret: poſſet enim contingere periurium ob ignorantiam modi neceſſarij ad falſitatem vitandam; ideoque non erit ab re diſcurrere per varias formas, de quibus Authores diſputant.

Aliqui enim ſuſtinent, illum eſſe licitum modum æquiuocandi, qui conſiſtit in verbis plures habentibus ſignificationes, ita vt loquens proferat ea ſub vna, & ſub altera tamen audiens ea ſumet; non autẽ eſſe licitum modum, quando propoſitio externa vnam tãtum habet ſignificationẽ, ſecundum quam ſi attendatur, eſſet falſa, etiam ſi poſita interna aliqua reſtrictione, ſi ſimul proferatur, eſſet vera; ſic multi docent. v. g. licitus fuit modus ille æquiuocandi, quem Abraham *Gen.* 12. ſubminiſtrauit Saræ, timens enim ne Aegyptij ipſum interficerent, ſi maniſeſtaret Saram eſſe vxorem ſuam ob eius pulchritudinem, admonuit illam, vt diceret eſſe ſororem ſuam. nullum autem in hoc fuit mẽdaciũ, vt aſſeritur *in cap Quæritur*. 22. 9. 2. & notat *ibi Gloſ. v. ſororem*, vox enim illa apud hebræos, duas habebat ſignificationes, quatenus hoc nomen tribui ſolebat mulieribus cognatis, & etiam ſignificabat filiam communis patris. Sara autem dicẽs, eſſe ſororem Abrahæ, accipiebat verbum in priori ſenſu, in ſecundo autem Aegyptij: Rurſus ſi quis æquiuocans diceret: liber iſte eſt Petri; propoſitio eſt ambigua, poſſet enim intelligi, quatenus ſignificet, librum illum eſſe a Petro editum; vel quatenus à Petro poſſidetur; & ſic de alijs ſimilibus duplicem habentibus ſenſum. ratio autẽ, qua probant Authores, modum hunc eſſe licitum, eſt, quia certum eſt in omnium ſententia, abſque peccato mendacij vſurpari poſſe, poſita rationabili, & proportionata cauſa vtendi amphibologia: alium vero modum per ſolam additionem, ſeu reſtrictionem mentalem reijciunt; quia propoſitio externa ſemper eſt falſa, atque adeo mendacium, nam ex vtraque propoſitione externa, & interna, cũ ſint diuerſi ordinis, nequit fieri vnum ſignum ſenſibile, ſeu vna propoſitio; neque manet in libertate noſtra cõnectere duas illas propoſitiones ad vnum ſignificandum; proinde cum vnaquæque maneat in ſua ſignificatione, externa propoſitio erit falſa, quia ſeorſim ab interna, vt ſupponimus, non eſt conformis menti loquentis.

Alij vero, & præſertim *Nauar. in cap. Humanæ aures* 22. *quæſt.* 5. *quæſt.* 1. *&* 2. *Suarez lib.* 3. *de iuram. cap.* 10. *num.* 4. *Sanchez in ſumma lib.* 3. *de iuram. cap.* 6. *num.* 15. *& alij apud ipſum* docent abſq; mendacio vſurpari poſſe verba, quæ neq. ex ſua ſignificatione, neq ex circumſtantijs verum habeant ſenſum; ſed verũ reddant ſenſum ex aliquo in mente proferẽtis retento. fundamentum huius opinionis, quam longè probabiliorem cẽſeo, eſt, quia nulla apparet ſufficiens ratio, cur ex vtraque propoſitione nequeat vnum cõpletũ ſignum reſultare; neque impedit eſſe diuerſi ordinis, ſicuti ſacramentum pœnitentiæ eſt vnum completum ſignum, conſtans ex vna parte ſenſibili, qualis eſt abſolutio, & confeſſio, & altera inſenſibili, qualis eſt contritio interior. ſimiliter Euchariſtia eſt vnum ſignum cõſtans ex ſpeciebus ſenſibilibus, & ex corpore Chriſti inſenſibiliter ibi exiſtentis; ſic etiam in caſu noſtro conſurgere poterit vnum adæquatum ſignum conſtans ex vna propoſitione ſenſibili, & alia inſenſibili: & hanc ſententiam optimè confirmat *Sanchez*, tũ ex varijs locis ſacræ ſcripturæ, tum efficacibus argumentis ex natura rei deſũptis, apud quem legi poſſunt. ex his patet ſolutio ad fundamentum contrariæ ſententiæ.

Aduertunt tamen Authores id, quod mente additur, non debere eſſe ad libitũ, ſed proportionatum, ita vt cum externa propoſitione congruum, & verũ habeat ſenſũ, & nõ incongruum, & reſultet reſpõſio vera in ſenſu intẽto à reſpõdente. Aduertunt etiam pro rudibus, qui ignorant aliquã particularẽ amphibologiã formare ſanum eſſe conſilium in eo ſenſu negare, aut affirmare, in quo propoſitio veritatẽ cõtineat; ſibi vniuerſaliter perſuadẽtes, quod ſi negent rẽ, quã hic, & nunc maniſeſtare non tenentur, poſſe in negatiua propoſitione inueniri aliquem verũ ſẽſũ, illumque intendere. non erit etiam incõueniens admonere, vt iurent in eo ſenſu, in quo ipſe admonens intendit: & tale conſilium ſæpe ego dedi nonnullis mulieribus, quibus cauſa rationabili extante, opus erat vti æquiuocatione in iuramento ab ipsis præſtando, nempe vt iurarent in eo ſenſu, quem ego intendebam. 11

De-

12 Denique addo doctrinam prædictam ſuſtineri poſſe, quamuis petens iuramentum, dicat velle, vt quis iuret omni remota æquiuocatione: tunc enim ſi illicitè petit, poterit iurans dicere, ſe in iuramẽto illo nullam vſurpare æquiuocationem, ſubintelligẽdo interiùs additum aliquod: v. g. nolle æquiuocare modo indebito, vel quid ſimile, ita vt cum ipſo addito propoſitio externa vera reddatur.

Ex his principijs plura ſcitu digna deducit *Sanchez cap. illo 6.* quæ apud ipſum videri poſſunt.

QVAESTIO VNDECIMA.

Nouitius priuſquam in ſua Religione profitetur, à ſe omnia bona abdicauit, ſi poſtea ad laxiorem tranſeat Religionem; num legitima ex bonis paternis ei competat?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur quæſtio.*
2 *Proponitur difficultas.*
3 *Non habet facilem ſolutionem.*
4 *Aperitur mens Authoris*
5 *Quibus proponuntur capita examinanda.*
6 *Nonnulli exiſtimarunt renuntiationem legitimę ipſo iure inualidam eſſe.*
7 *In caſu noſtro ceſſat dubitatio.*
8 *Exponitur caput Quamuis de pactis in 6.*
9 *Renuntians omnia bona intuitu religionis, in qua inuenitur, vel quam ingredi intendit; non cenſetur læſus.*
10 *Renuntians pro ipſa bonorum abdicatione aliquid ſibi reſeruauit.*
11 *Ratio dubitandi, an ipſa renuntiatio tacitam habuerit conditionem de perſeuerantia ipſius Religioſi.*
12 *Statuitur talem conditionem minime habuiſſe.*
13 *Quamuis bona ſint acceſſoria ipſi perſonæ, & cum illa tranſeant; tranſlata tamen perſonam non ſequuntur.*
14 *Religio ex iuſtitia ſubditos alere tenetur.*
15 *In vniuerſali bonorum abdicatione, an comprehendatur legitima, quæ eſt in ſola ſpe.*
16 *Supponuntur duo caſus, in quibus controuerſia eſt dirimenda.*
17 *Deciditur quæſtio.*

1 QVidam filius familias, cuius nomen Titius, decimo ſexto ætatis anno emiſit profeſſionem in approbata Religione, quæ hæreditatis erat capax, antequam profiteretur iuxta Concilium Tridentinum in ampliſſima forma omnia ſua bona renunciauit Bertæ genitrici ſuæ, de conſenſu Sortis ſui Patris, ſe ſpoliando omnibus iuribus ſibi competentibus, & competituris &c. ſibi reſeruando de conſenſu ſui Patris ducentos aureos, de quibus etiam tunc temporis diſpoſuit, illos applicando ad pia legata: Deinde paucis elapſis temporibus Sortes, & Berta eius parentes donatione reciproca, ac irreuocabili donarunt ſibi ipſis omnia ſua bona ſtabilia, & mobilia &c. cum poteſtate tamen, quòd alter ipſorum præmoriens teſtari poſſit; ſuperſtite aſſentiente. euenit autem, vt Titius poſt nonnullos annos è religione illa, in qua erat profeſſus, ob aliquas infirmitates vi cuiuſdam Breuis de licentia Pontificis ad laxiorem Religionem capacem etiam hæreditatis tranſierit: in illo autem Breui Põtificio nihil in alicuius tertiæ perſonæ præiudicium continebatur, ſed ſaluti Titij ſupplicantis tantùm conſulebatur. tali igitur tranſlatione peracta, Sortes pater eiuſdem Titij vita functus eſt, & pro tranſlatione prædicta quamdam commendã pro Religione, in quam Titius tranſiuit, cum redditibus aureorũ centum fundauerat, & donauerat prædictæ Religioni. ex ipſius autem contextu donationis apparet eam factam fuiſſe intuitu ipſius Titij, nam facta eſt cum clauſula, & conditione, quòd non tranſlato Titio ad dictam Religionem donatio ipſa intelligeretur irrita, & deleta. Rurſus teſtator ante ſuũ obitũ in teſtamẽto, & codicillis, quæ condidit cũ conſenſu propriæ vxoris, inſtituit illam hæredem vniuerſalem in omnibus ſuis bonis &c. & poſt eius mortem ſubſtituit in eiſdẽ bonis primam Religionem, ex qua Titius egreſſus fuerat, & vltra commendam ſupradictam legauit ipſi Titio filio ſuo quinquaginta aureos quolibet anno ſoluendos à die mortis ipſius Bertę, & hoc pro omni, & quocumque iure legitimę illi competẽtis, durante eius vita tantum, & dumtaxat.

Quæritur modo, num Titio ad aliam Religionem ingreſſo debeatur legitima de bonis paternis, non obſtante renunciatione prędicta, nec etiam illa donatione reciproca, & irreuocabili facta ab ipſis parentibus, dum ipſe Titius perſeuerabat in prima Religione, ac denique non obſtante ſubſtitutione prędicta, per quam Sortes pater in ſuo teſtamento primam illam Religionem nominauit in hęredem. 2

Præſens quęſitum non ita facile admittit deciſionem, eamque difficiliorem reddunt varia, quę circa hanc materiam ab Authoribus fusè, & obſcurè ſcribuntur. quapropter ex ijs, quę apud eoſdem adnotaui, meam ſententiam aperiam, & capita proponam, ex quibus videtur Titius portionem legitimę ex bonis paternis iu- 3

Digitized by Google

re ſuo petere poſſe; quæ omnia, vt clarius procedam, per paragraphos diſtinguam.

§. I.

Proponitur huius quæſiti deciſio.

4 REſpondendo directè ad quæſitum cẽſeo portionem legitimæ ex bonis paternis Titio ad ſecũdam Religionem trãſlato nequaquam deberi. concluſionem hanc ex principijs vniuerſalibus probandam eſſe puto in hũc modum. Renunciatio, quam Titius ante ſui profeſſionem fecit, fuit de omni iure ipſi Titio competenti, & competituro, & explicitè de ipſa met legitima paterna, eiuſq; ſupplemento, & habuit omnes ſolemnitates à iure ciuili, & canonico, & præſertim à Tridentino requiſitas, vt patet ex ipſo met inſtrumento: Igitur nequit Titius eiuſdem legitimę ſupplementum petere, cum ipſi nequaquam debeatur, quia vi renunciationis eſt ab ipſa legitima excludendus. Cæterum vt hæc concluſio meliùs confirmetur, oportet percurrere præcipua capita, ex quibus poſſet quis deducere renunciationem prędictam, quoad ius legitimæ, ipſi Titio minimè nocere; ideoque ab eius petitione non eſſe excludendum.

5 Capita autem, quæ ſunt nobis exagitãda, ſunt quattuor. Primò eſt inquirendũ, an renunciatio ſit infirma, ex eo quod legitima nequeat renunciari. ſecundo, an ſit reſcindenda ex eo, quod contineat enormem læſionem. tertio, an ex eo, quod inuoluat tacitam conditionem de perſeuerantia ipſius renũciantis in prima religione. quarto, vtrum ex eo, quod tunc tẽporis legitima tantum fuerit ſub ſpe.

§. II.

An legitima poſſit renunciari.

6 QVamuis pactum, quo filij hæreditatẽ parentum, & legitimam renũciẽt, à quamplurimis exiſtimatur ipſo iure nullum, idque colligant ex *Cap. Quãuis pactum; de pactis in 6.* & re vera in aliquo caſu ita ſit dicendum; vt ex multis Authoribus refert *Mol. tom. 3. de iuſt. tr. 2. diſp. 579. à n. 12.* & rurſus ſit valdè controuerſũ, an ſub vniuerſali omnium bonorum, & iurium renũciatione, veniat ius legitimæ;
7 Nihilominus in caſu noſtro ceſſat omnis dubitatio, quia Titius explicitè ipſam legitimam paternam relaxauit, & renuntiationem iuramento firmauit; proinde valida erit ipſa renunciatio, vt notant communiter Doctores; quos laudat, & ſequitur *Tiraquel. lib. de iure primoge. quæſt. 55. n. 3. Surdus conſil. 143. n. 31. 32. Mol. diſp. cit. n. 13. Sanchez in decal. lib. 7. cap. 7. n. 3. & alij apud ipſos.* & hoc expreſsè habetur in iure canonico *cap. Quamuis pactum, ſupra relatum.*

8 Ad argumentum autem deſumptum ex eodem capite, facilè reſpondetur, nam Pontifex ibi ait, quod licet lex ciuilis improbet pactum factum à filia patri ſuo, cũ nuptui tradebatur, vt dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, addit, tamen ſi pactum fuerit iuramento firmatum, & ſine vi, & dolo; omnino eſſe ſeruandum: in caſu autem noſtro pręterquam quod, nullum inter Titium, & Patrem ſuum interuenit pactum, Titius ſpontè, & vt liberiùs Deo in religione ſeruiret, matri renunciauit, & non patri legitimam paternam, & hoc iuramento approbauit: idcirco argumentum contrariũ eſt omnino inefficax, & nihil in fauorem Titij probat. mitto quod etiam ſiſtendo in iure ciuili, pactum prædictum, in multis caſibus cohoneſtari poterit, ſed hoc examinare ad rem noſtram non facit.

§. III.

An ex enormi læſione Titius poſſit legitimam paternam petere, vel eius ſupplementum.

9 ENormis læſio non habet locum in eo, qui renunciat omnia ſua bona, omniaque iura intuitu religionis, in qua inuenitur, vel inquam ingredi intendit: & ideo rectè *Sanchez lib. 4. conſil. cap. 1. dub. 34. n. 20.* inquit, Quidquid ſit in alijs caſibus, at in hoc ſpeciali, quando renuncians ingreditur monaſterium, non poteſt reſcindi renunciatio, exceptione enormis læſionis & eamdem doctrinam tradit *lib. 7. in decal. cap. 6. n. 50.* & ita vniformiter loquuntur alij Doctores. *Decius conſil. 31. v. non obſtat: Aymon. conſil. 160. Couar. cap. Quamuis pactum par. 3. §. 2. num. 5. Mol. tom. 3. de iuſt. diſp. 576. num. 17.* & ratio fundamentalis eſt, quia bonorum temporalium priuatio, vt benè adnotauit *Suarez tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 14. num. 14.* eſt optima diſpoſitio ad religionis ingreſſum; ideoque quo eſt arctior Religio, maior eſſe debet puritas in temporalium refutatione, vt ſic enim religioſus bonis temporalibus ſpoliatus, aptior erit ad perfectionem vitæ ſpiritualis obtinendam, igitur nequit habere locum lęſio in renunciationibus, quæ fiunt intuitu profeſſionis religioſæ; ergo ex iſto capite vana, & inutilis erit petitio Titij, dum ſupplementum legitimæ poſtulat.

10 Denique pro complemento huius pa-

Digitized by Google

ragraphi, nolo prætermittere quod in hac particulari renunciatione, Titius non renunciauit legitimam nihil recipiendo; ſed, vt patet ex lectura contractus, reſeruauit ſibi centum aureos, eiuſque pater in ſuo teſtamēto legauit illi quolibet anno quinquaginta aureos durante eius vita, ſoluendos à die mortis Bertæ matris ipſius Titij, & fundauit commendam in gratiam eiuſdem Titij. Præterea eſt attendenda incertitudo legitimę, nam pater poterat omnia bona conſumere, vel partem notabilem, bona ſua creditoribus hypothecare, vel ſuperuiuere ipſi Titio, & ſic tempore renunciationis nō poterat Titius eſſe certus de ſatura legitima, neque quoad ſubſtantiam, neque quoad quantitatem; proindè immeritò conqueritur de læſione.

§. IV.

An renunciatio iſta imbibitam habeat cōditionem de perſeuerantia ipſius Titij in prima religione; & ob eiuſdē Titij egreſſum euanuerit.

11 Videtur prędicta renunciatio euanuiſſe, quia cum fuerit intuitu profeſſionis in prima Religione, imbibitam habuit conditionem perſeuerantiæ: hoc eſt, ſi Titius perſeueret ſub eadem profeſſione in eadem Religione, proinde videtur ſubſiſtere dependenter ab eadem perſeuerātia: idcirco cum Titius defecerit ab ipſa Religione, conſequenter ceſſauit renunciatio, & omnia iura renunciata redierè ad priſtinum, nempe ad ipſum Titium. Hanc opinionem tuentur aliqui Iuriſtæ, & Canoniſtæ apud *Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 32. n. 4.*

12 Sed his non obſtantibus certiſſima ſententia eſt, in prædicta renunciatione, ſicuti, & in ſimilibus, non includi tacitam conditionem perſeuerantiæ, ſed eſſe renunciationem abſolutam, & independētem ab euentu futuræ tranſlationis in aliā religionem, vel in ſæculum, & ſolùm expectare omnimodam ſui firmitatem à profeſſione emittenda ab ipſo Titio, vt colligitur *ex Conc. Trid. ſeſſ. 25 de regul. cap. 16.* in quo decernitur, renunciationes iſtas ſortiri effectum ſuum ſecuta profeſſione, & ideo ſi Titius profeſſionem non emiſiſſet, vel inualidè eam feciſſet, renunciatio fuiſſet irrita, & nulla: Cum autem Concilium ad valorem renunciationis, & ad eius effectum non præſcribat perſeuerantiam, ſed tantum profeſſionem, debemus conſequenter aſſerere in hac, aut ſimili renunciatione non inueniri tacitam conditionem perſeuerantiæ, ad hoc vt ſuū habeat effectum. & ita docent quamplures Iuriſtæ, & Canoniſtæ contra priorem ſententiam apud *Sanchez cap. cit. num. 8.* inter quos eſt *Nauar. Comment. 4. de regul. v. 24.* & ex Theologis *Rodriq. in qu. regul. tom. 2. queſt. 80. à 2. & tom. 3. qu. 5. a. 5. Mol. ex Soc. Ieſu tom. 1. de iuſt. diſput. 140. Azor. tom. 1. inſt. moral. li. 12. cap. 15. queſt. 3. & cap. 16. queſt. 8. Emmanuel Sà in aphoriſ. v. Religio nu. 15.* & in terminis hanc ipſam cōtrouerſiam exagitantes hoc defendunt *Sanchez cap. cit. Suarez tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 14. n. 5. 10. Ferdinandus Caſtropalaus to. 3. operis moralis d. 3. §. 2.* & hanc ſententiam colligiunt *ex Authent. de Monach. §. Si vero relinquentes &c.* vbi ſtatuitur, quod bona relicta priori monaſterio, ſi religioſus, qui illa reliquit trāſeat poſt profeſſionē ad aliud monaſteriū, maneant bona illa priori monaſterio. & hoc confirmant Sanchez, & Suarez optimo exēplo ex dote monialium: ſi enim mulier aliqua ingrediens monaſterium, ei dotem conſuetam afferat, ibique profiteatur, & poſtea tranſeat ad aliud monaſterium, non trahit ſecum dotem, ſed eam retinet primum monaſteriū. & hoc affirmat *Suarez nu. 15.* fuiſſe ita deciſum in ſacra Congragatione Cardinalium. Ratio pro hac concluſione, præter authoritatem tot doctorum; eſſe poteſt, quia nullo iure ciuili, aut canonico oſtenditur ſimiles renunciationes habere imbibitam conditionem perſeuerantiæ; neq. ex natura rei apparet vlla ratio ſufficiens, quæ hoc ſuadeat, vt fiet manifeſtum, ſoluendo argumenta, quibus prioris ſententiæ Authores nituntur.

Dicunt enim primo: Bona renunciata, cum ſint acceſſoria ipſi perſonæ renūciāti, debere tranſire conſequenter ad ipſam perſonā. ſecundo, dicunt bona iſta tranſire, vt cum illis perſona in alio monaſterio alatur.

Reſpondeo has rationes eſſe parui momenti, ideoque ad primam, aio quod quamuis bona ſint acceſſoria, & tranſeāt cum ipſa perſona, tamen ſemel tranſlata, non ſequuntur ampliùs ipſam perſonam, quando tranſlatio eſt abſoluta, vt euenit in caſu noſtro, idcirco *Suarez cap. cit. nu. 18.* inquit, quod ſi religioſus ex legitima Pontificis licentia reuertitur ad ſæculum ſine vinculo votorum, non poterit ſecum transferre bona illa, quæ abſolutè donauit Religioni. 13

Ad ſecundam rationem dico, quod religio tenetur alere ſuos religioſos ex iuſtitia, & talis obligatio non fundatur ex donatione bonorum temporalium, quę ab ipſo religioſo donata ſunt ipſi religioni, ſed ex profeſſione emiſſa, ideoque ſiue religioſus renunciet, aut donet aliqua bona re- 14

Digitized by Google

religioni in qua profitetur, ſiue nihil illi donet, religio ſemper tenebitur alimentare ſuum religioſum; ergo renunciatio facta monaſterio, non includit hanc conditionem, vt ex bonis donatis, ſeu renũciatis religioſus alatur à monaſterio, cum obligatio alendi ſit omnino indepẽdens à tali renũciatione. Plus dicit Caſtropalaus nam aſſerit quòd, quamuis profeſſus bona monaſterio renunciet, vt ex eiſdem bonis alatur; hoc tamen onus eſt intelligendum, dum religioſus, qui renunciauit, perſeuerat in ipſa religione; at ſi eam deſerat, ceſſet obligatio alendi, manentibus ipſi Religioni bonis renunciatis, cum non fuerint tranſlata cum hac conditione, vt recedẽte ipſo religioſo, & tranſeunte ad aliam religionem, aut ad ſeculum, bona renunciata illi iterum redeant.

§. V.

An vi huius renunciationis, quoad legitimam paternam, quæ erat tantùm in ſpe, excludatur Titius, & conſequenter Monaſterium, in quo ipſe Titius ſecundò profeſſus eſt.

15 CElebris, apud iuris ciuilis peritos, extat controuerſia, an filius renuncians, viuente patre, hæreditatem, ſeu ſucceſſionem paternam, noceat vi talis renunciationis ſuis deſcendentibus: ſolet à Doctoribus quæſtio hæc exagitari *in L. Qui ſuperſtites ff. de acquir. hæred. & in L. finali C. de pactis*. ad hanc vero controuerſiam dirimendam duos caſus conſueuerunt Authores diſtinguere, quorum primus eſt, quando filius, qui renunciauit præmoritur patri; ſecundus, quando è conuerſo, Pater præmoritur filio ſuperuiuenti. hac poſita diſtinctione, procedentes ad deciſionem in primo caſu aiunt, filium renunciantem, nequaquam nocere ſuis deſcendentibus, & ratio, qua nituntur, eſt, quia talis renunciatio implicitam inuoluit conditionem, ſi hæreditas deferatur ipſi renuncianti: & ideo cum filius renuncians præmoriatur patri, numquam ad ipſum delata fuit hæreditas, proinde deficiente conditione illa implicita, deficit conſequenter renunciatio, & ſic deſcendentes ipſius renunciantis ſuccedere poſſunt auo: ita ſentiunt quamplures inferius à me citandi, qui vlterius dicunt, deſcendentes in eo caſu licet ſuccedant auo in loco patris; nõ ſuccedunt tamen in perſona ipſius, ſed ex propria perſona, ſublato patre de medio: ſic loquitur *Paulus de Caſtro L. Pactum dotali, C. de collat. n. 7. Tiraquell. infra citandus, & alij*.

Sed quamuis opinio iſta cenſeatur probabilior quam ſit oppoſita, & magis vniuerſaliter recepta; nihilominus contraria, quæ excludit ab hæreditate deſcendentes ipſius renunciantis non caret probabilitate, eamque latè defendit *Antonius Gomez in L. 22. Tauri n.* 10. ſed quia primus iſte caſus non facit ad rem noſtram, ideo non curo examinare in præſentia veritatẽ vtriuſque ſententiæ. 16

Si autem caſus ſecundo modo contigerit, nempe quod filius renuncians ſuperuiuat, dicunt communiter Authores, non poſſe eius deſcendentes ſuccedere in hæreditate, & hoc ob oppoſitam rationem, quia cum hæreditas, mortuo patre, fuerit iam delata ad filium, qui illam prius renunciauit, ſtatim adimpletur illa implicita, & tacita conditio delationis: proinde excluditur ipſe renuncians, & etiam eius hæredes. & ita communi conſenſu docet *Bald. L. fin. C. de pactis. Alexander conſil. 29. n. 16. lib. 3. Gomez l. c. Rolandus à Valle tom. 1. conſil. 11. n. 8. & ſeq. Tiraq. de iure primi gen. quæſt. 40. n. 113. & 119. Gloſ. in cap. Quamuis pactum de pactis in 6. v. Detrimentum. Francus ibidem nu. 14. Couar. etiam ibi par. 3. §. 2. n. 3. & §. 3. n. 7. Molina de primog. hiſp. lib. 2. cap. 3. Rodericus Suarez in L. Quoniam prioribus, ampliat. 10. à nu. 62. Sanchez in decal. lib. 7. cap. 11 n. 30. & clariſſimè in 4. conſil. lib. 4. cap. 1. dub. 34. n. 39. Vaſquez in opuſ. de teſtam. cap. 6. §. 2. dub. 5. n. 22. 23. & dub. 12. & alij apud ipſos*. Caſus autem noſter eſt omnino ſimilis caſui, quẽ ſecundo loco retulimus, in quo, vt vidimus, communiter Doctores determinant renunciantẽ, eiuſque hæredes eſſe excludendos; imò caſus noſter eſt in terminis fortioribus, vt ſtatim fiet manifeſtum. eſſe autem omnino ſimilem, patet; nam Titius renunciauit inter alia hæreditatem, & legitimam paternam, eiuſque ſupplementũ, dum ſcilicet eius Pater viuebat, & ideo renunciatio erat de hæreditate, & ſucceſſione in ſpe. & ſuper uixerit patri ſuo; proinde legitima paterna ſecundum ius commune fuit ipſi delata, ſed ab illa fuit excluſus vi renũciationis iuratæ, ideoque, vt communiter aſſerunt Doctores prælegati, ſi Titius haberet filios, excluderentur etiam ipſi: ergo à fortiori excludi debet monaſterium, quod non in re, ſed iuris fictione cenſetur filius, nam ſi filij veri excluduntur, multo magis excludendus erit filius fictus: & in hac re eſt valde notãdum illud, quod aduertit *Vaſquez dub. 5. cit.* ſcilicet non eſſe omnino eamdem rationem de filijs ipſius renunciantis, & de monaſterio, nam filij ſuccedunt, vt hæredes diſtincti à patre ſuo; at vero mona-

ſterium nõ vt diſtinctus heres à monacho, in cuius bonis ſuccedit, ſed vt idem heres, monachus enim, & monaſterium reputãtur vt vnus hæres: ex quo concludit quod, quando monachus impeditur à ſucceſſione ob renunciationem iuratam, impediatur etiam & monaſterium, quemadmodum, ſi monachus fuiſſet iure à patre exhæredatus, eodem iure & monaſterium eſſet exhæredatum, & non ſuccederet pro monacho, & ſi monachus eſſet ſpurius, nec monaſterium ſuccederet, & non alia ratione, niſi quia eſt idem hæres cum monacho, ſequens eius conditiones, & inhabilitates. igitur ſi monachus ob renunciationem excluditur, & non ſuccedit, excludetur etiam monaſterium, & non ſuccedit. *Hæc ex Vaſq.* quæ eſt doctrina valdè notanda, nam ex illa apertè colligitur quod neque in primo caſu, videlicet, quando filius renuncians præmoritur patri, monaſterium, in quo filius eſt profeſſus, poterit ſuccedere, quamuis deſcendentes, vt diximus, ſecundum communiorem opinionem, ſuccederent, quia hi cenſentur diſtincti hæredes, & renunciatio in eo caſu iis non nocebit, quia non fuit adimpleta conditio declarationis hæreditatis, &c. at monaſterium cum reputetur idem hæres, cum ſuo monacho renunciante, neque in primo, neque in ſecundo caſu poterit ſuccedere: non in ſecundo, vt oſtendimus ex communi ſententia; neque in primo, quia monachus ipſe ob renunciationem factam ſemper excluditur, ſiue adimpleatur illa conditio delationis, ſiue non: nam ſi adimpletur, iam ſumus in ſecundo caſu; ſi non adimpletur, cùm nõ ſit delata hæreditas, non poterit ſuccedere. hæc eſt mea ſententia, quam peritorum arbitrio volens, ac lubens ſubmitto.

QVAESTIO DVODECIMA.

Poſſit ne iniuſtè infamatus pecuniam detractoris titulo compẽſationis ſibi retinere?

SVMMARIVM.

1 *Quæſitum exemplo declaratur.*

2 *Ante eius deciſionem tres explicantur ſententiæ, de compenſatione famæ ablatæ in pecunia.*

3 *Non determinatur ab Authore, quæ nam ex illis ſit probabilior. ſed eorum omniũ probabilitas ſupponitur, ſed quæritur, an diffamatus poſſit in pecunia ſuam famam ablatam compenſare.*

4 *Iniuſtus detractor tenetur damna ſuborta ex ablatione famæ reſarcire.*

5 *In aliquo caſu licita erit prædicta compẽſatio, & aperitur caſus, & probatur concluſio.*

Difficultas maior reperitur, quando pecunia manet apud detractorem. 6

Si detractor poſſit, & nolit famam reſtituere, læſus poterit tantumdem in pecunia ſecreto capere ex bonis detractoris. 7

Inſtantia in contiarium proponitur, & diluitur. 8

Si detractor fuerit impotens ad reſtituendam famam, non poterit fieri compenſatio. 9

Obiectio ſoluitur. 10

In caſibus, in quibus licita erit compenſatio, quo pacto cautè ſit procedendum ab eo, qui compenſauit. 11

Quæſitum, cui ſatisfit. 12

DEclaratur quæſitum, ſit v. g. Caius, qui falſum crimen, aut ſi verum, occultum tamen, contra bonum nomen, & æſtimationem Sortis, alteri pro palauerit, & nolit famam reſtituere, aut fiat impotens ad illam reſtituendam. Quæritur, num Sortes, qui iacturam ſuæ famæ paſſus eſt, poſſit ſecretò pecuniam, quam Caio infamatori debet, ſibi retinere, in ea quantitate, quæ arbitrio boni viri cenſeatur æquiualens damno illato per ablationem famæ, & hoc titulo cuiuſdam compenſationis. 1

Antequam quæſitum decidatur, duas ſupponere oportet ſententias. Prima enim negat ab iniuſto detractore eſſe neceſſariò, & ex obligatione iuſtitiæ pecunijs famam ablatam eſſe compenſandam. ita *Syluester verb. Detractio quæſt. 4. Bañes in 2. 2. q. Thom. quæſt. 62. art. 2. dub. 10. concl. 2. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 11. dub. 16. Reginal. in praxi lib. 10. n. 342. Bonacina de reſtit. diſp. 2. quæſt. 4. p. vlt. n. 14. Bartholom. à S. Fauſto in ſpec. conf. diſp. 21. quæſt. 24. n. 2. Layman in ſum. lib. 3. ſec. 5. tract. 3. par. 2. cap. 7. n. 3. & nouiſſimè Ioannes Dicaſtillo lib. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 12. par. 3. dub. 13. n. 227. Cardinalis Delugo tom. 1. de iuſt. diſp. 15. ſect. 4. n. 23. & alij.* fundamentum huius ſententiæ multiplex eſt. primò quia pecunia non eſt medium proportionatum ad famã recuperandam, quantumuis enim detractor augeat pecuniam, eamque donet perſonæ læſæ, numquam vi pecuniæ fama deperdita recuperatur. ſecundò quia res ſuperioris ordinis nequeunt compenſari rebus inferioris ordinis, fama autem eſt ſuperioris ordinis, pecunia inferioris, vt ex ſacris litteris probat *Leſſius dub. cit. num. 93.* tertio ſi pecunia eſſet proportionata ad reſarciendam iniuriam contra bonam æſtimationem ſequeretur è conuerſo, per incremẽtũ bonæ famæ, quod poſſet quis cõpenſare damnum in pecunia ab ipſo illatũ, quod tamẽ nemo dixit. 2

Se-

Secunda vero ſententia vult iniuſtum detractorem, ſi nequeat famam reſtituere, poſſe alia via cōpenſare; attamē huius ſententiæ Authores non declarant qualitatē materiæ, in qua fieri debet compenſatio, an debeat fieri in pecunia, aut in alia re, ita *S. Thomas 2. 2. quæſt. 62. art. 2. ad 2. Sotus in 4. diſt. 15. art. 5. quæſt. 3. Riccardus ibidem S. Anton. par. 2. tit. 8. cap. 2. §. 3. Angelus verb. detractio n. 3. Armilla verb. reſtitutio. n. 41.*

3 Alij tamen explicitè declarant compēſationem hanc pecunijs eſſe faciendam, ſic *Sotus de iuſtitia lib. 4. quæſt. 6. ar. 3. ver. Quod autem. Rodriquez in ſumma par. 1. cap. 252. concluſ. 5. Couar. 1. var. reſol. c. 2. n. 8. & regula peccatum par. 1. n. 6. Sayrus in clau. regin. lib. 11. cap. 7. n. 26. & 27. & alij.* Ratio fundamentalis pro hac ſententia eſt quia licet fama ſit altioris ordinis quàm ſit pecunia, nihilominùs ſunt aliquo modo in eodem genere, vtporè cōtenta intra bona fortunæ, ideoque poſsūt compenſationem admittere.

4 Hæ ſunt ſententiæ, quæ apud Auctores de re hac inueniuntur, nolo tamen in hoc loco determinare, quænam ex illis ſit probabilior, ſed ſupponendo vtriuſque probabilitatem, & maximè ob auctoritatem eorum, qui illas tuentur, proſequor ad directam quæſiti deciſionem; videlicet an ſtante probabilitate vtriuſque opinionis, poſſit iniuſtè diffamatus occaſionē habēs, compēſationem famæ deperditæ pecunijs detractoris ſibi ſatisfacere in ea quantitate, quæ ſecundùm prudentum exiſtimationem æquiualeat famæ deperditæ, & incipiendo à certioribus, & facilioribus.

5 Dicendum eſt primo proculdubio iniuſtum detractorem aſtringi ad reſarcienda damna, quæ ſuborta ſunt ex amiſſione famæ, ſiue damnum ſequutum ſit in pecunijs, ſiue in alijs bonis fortunæ, ſiue in honore. Concluſio eſt ab omnibus recepta, ratio eſt manifeſta, nam iniuſtus diffamator cenſetur fuiſſe cauſſa moraliter, & per ſe influens, in damna illa, quamuis ſit aliqua dubitatio apud Doctores, num integrum damnum ſit reſarciendum, quando infamia proceſſit reuelando crimē occultum, ſed verum, ſiue damnum fuerit in bonis acquiſitis, ſiue acquirendis. vide *Leſſium lib. 2. de iuſt. cap. 11. dub. 19. & S. Fauſto diſp. cit. quæſt. 25.*

6 Dicendum eſt ſecundo in aliquo caſu licitam eſſe compenſationem in pecunia, hanc ſententiam expreſsè docet *Leſſius dubit. cit. n. 99.* explicatur caſus, & probatur concluſio, ponamus aliquem, qui in propria fama fuerit iniuſtè læſus, & infamatorem nolle famam ablatam reſtituere, tunc ſi læſus reperiatur debitor ſui detractoris, poterit non reſtituere, ſibique retinere quantum arbitrio prudentis viri cenſetur valere fama deperdita probatur concluſio. Ex vna parte ſententia, quæ vult famam pecunijs compenſari poſſe, & interdum deberi, eſt probabilis vt vidimus; & ex alia parte læſus in fama poneſ ſe habet, pecuniam, quam ipſi detractori ſoluere teneretur, igitur cum ſit in eius poſſeſſione poterit formans ſibi conſcientiam ſequi opinionem hanc probabilem, & compenſationem facere.

Maior difficultas eſt, quando pecunia, 7
in qua ſit compenſatio, non extat apud illum, qui fuit læſus, ſed apud lædentem; in hoc autem caſu, quem Authores non ponunt, videtur non poſſe fieri compenſatio, & ſumi clanculum pecuniam aliquā ex illa, quæ reperitur apud detractorem, quia cum detractor ſit in poſſeſſione ſuæ pecuniæ, & valde probabile ſit non aſtringi ad compenſandum in pecunia, non poterit ſua iuſta poſſeſſione ſpoliari, abſque iniuſtitia, ratio iſta non ita facile eneruari poterit: nihilominus illam diligenter conſiderans, cenſeo adhibita diſtinctione quadam omnia conciliari poſſe, vt mox in ſequentibus patebit.

Dicendum igitur eſt tertio, ſi detractor 8
poſſit, famam reſtituere, nolit tamen, vel ob malitiam, vel ob culpabilem negligentiam non curans, poterit læſus tantumdē capere ex pecunia detractoris, vt ſibi ſatisfaciat. Probatur concluſio, quia licet diffamator ſit in poſſeſſione ſuæ pecuniæ; nihilominùs iniuſtè detinet famam alterius eam non reſtituendo, & ideo rationi conſentaneum eſt, vt læſus ſpoliet iniuſtum detentorem, faciatque compenſationem vnius rei, quam ipſe detractor iuſtè retinet, cum alia re, quam per iniuriam detinet. ita *Leſſius dub. 19. n. 136. De Lugo diſp. cit. ſec. 3. n. 43.*

Vrgebis hoc pacto ſi quis poſſideat prę- 9
dium aliquod, & probabiles rationes habeat illud eſſe ſuum, non poterit ab alio non poſſidente ſpoliari poſſeſſione iuſta, in qua reperitur, ob ſolas rationes probabiles, quas iſte alius habet in contrarium; ergo neque in caſu noſtro poterit læſus in fama vtēs probabili opinione ſpoliare detractorem ea pecunia, quam iuſtè poſſidet, nam poſita paritate rationum pro vtraq; parte, nemo eſt ſua poſſeſſione priuandus, poſſeſſio enim præualet.

Reſpondeo. Negando conſequentiam, eſt enim lata diſparitas inter vnum, & alterum caſum, nam in priori caſu, qui poſſidet prędium, nullam ſupponitur inagaſſe iniuriam contra alium; idcirco iſte alius nequit ſpoliare iuſtum poſſeſſorem; ſed ſolùm poſſet apud iudicem tentans cauſ-

ſam, proponere rationes ſuas; at in caſu noſtro detractator, licet detinendo propriam pecuniam, nullam committat iniuſtitiam contra eum: quem in fama lęsit; nihilominùs quatenùs iniurioſè famæ reſtitutionem omittit, cenſetur iniuſtus detentor famæ alienæ; atque adeo locus datur compenſationi. Addo quod in priori caſu longè facilior eſt via ad recuperandũ prędium, procurando ſententiam à Iudice quam in recuperatione famę, quia detractio illa, per quam lęſa fuit fama, eſt difficilis probationis, proinde pręcluditur aut non facile conceditur lęſo commoditas ſe dirigendi per viam iuſtitię ad recuperandum deperditum, sicuti in illo alio caſu.

10 Dicendum eſt quarto, si detractor velit, quantum eſt ex ſe famam reſtituere, ſed nequeat ex aliquo impedimẽto extrinſeco, vel quia nõ adſunt illi, apud quos fama fuit læſa, vel ex aliquo alio capite rationabiliter excuſante, tũc iudico nõ poſſe à lęſo ſpoliari detractorẽ propria pecunia, & ſecretò compenſationem facere. Ducor, quia ex vna parte non cenſetur in tali caſu, qui detraxit iniuſtus detentor famę alienę, cum ſit impotens ad reſtitutionem; & ex alia parte iuſtè poſſidet ſuã pecuniam, quam ſecundum valde probabilem ſententiam non tenetur ſubrogare loco famę lęſę; igitur non poterit proprijs ſpoliare pecunijs.

11 Dices quamuis poſita impotentia detractor non cenſeatur iniuſtus detentor famę alienę, quia tamẽ ab initio fuit cauſa lęſionis; idcirco poterit lęſus pecuniam capiendo ſibi ſatisfacere.

Reſpondeo. si impotentia fuiſſet pręuiſa argumentum aliquid haberet efficacię, at cum non fuerit pręuiſa, & hoc pręſumatur, quando contrarium non conſtat, proinde ſecreta illa acceptio pecunię non erit licita.

12 Dicendum eſt quinto, in illis caſibus, in quibus admiſſa eſt a nobis occulta compẽſatio, debere ipſum, qui compenſat, cautè procedere, ſeruando indemnem ipſum detractorem, quando ſcilicet ipſe detractor, famam, temporis ſucceſſu reſtitueret, tunc enim teneretur ipſe compenſans, reſtituere pecuniam acceptam; aliter detrahens bis ſatisfaceret pro eodem damno, quod eſt contra iuſtitiam; modus autem talis cautionis in caſibus particularibus erit eligendus, conſideratis omnibus circumſtantijs, & a viro prudenti determinandus; si tamen ob moram reſtituendi famam, aliquod damnum in alijs bonis lęſus ſit paſſus, poterit ex pecunia ęquiualens ſibi retinere, vel aliunde ſibi ſatisfacere.

QVAESTIO DECIMATERTIA.

Sit ne alijs licitum dare Reo carceribus iuſtè detento cõſilium de fuga, aut ad illas infringendas inſtrumenta prębere.

SVMMARIVM.

Licitum eſt Reo per ſe loquendo fugere à carceribus. 1
Nullum eſt peccatum cõſulere Reo fugam, quando eſt licita. 2
Poteſt quis prębere Reo inſtrumenta ad carceres infringendas: licet alij oppoſitum ſentiant. 3
Principium, quo concluſio probatur, impugnat Dicaſtillo. 4
Defenditur ab Authore varia adducte exempla; & etiam ad hominem. 5
Explicantur leges, quæ in contrarium obijciuntur. 6
Concluſio non habet locum in miniſtris iuſtitię. 7
Poteſt Princeps legem condere ne quis Reo inſtrumenta ad fugiendum porrigat, neque conſilium prębeat, nequit prohibere quin Reus fugiat per ſe loquendo. 8
Non eſt licitum alijs carceres infringere.
Ratio dubitandi in oppoſitum. 9
Sub nomine Rei qui comprehendantur. 10
11

MVlta quę de Reo carceribus detẽto exagitant Authores, ſunt in pręſentia à nobis ſupponenda.

Et primo licitum eſſe Reo, per 1
ſe loquendo, aufugere, quando agitur de pœna mortis, mutilationis, aut de alia grauiſſima pœna; ita Doctores communiter affirmãt; immò iuxta ferè omnium ſẽtentiam erit eidem Reo licitum, carceres, vincula effringere, aut parietes rumpere, si id erit neceſſarium ad fugam, quamuis nonnulli apud *Sanchez lib. 6. conſil. c. 4. dub. 9.* id negent, ſed prior opinio eſt omnino tenenda, etiam si ex tali fuga cuſtodi carcerum graue damnum ſequatur, vel cęteri delinquentes in eiſdem carceribus detenti fugam arripiant, hęc enim damna ſequuntur per accidens, cum Reus iure ſuo vſus fuerit, dixi, per ſe loquendo, nam de Religioſis, qui in carceribus detinentur à proprio Prelato, alia eſt conſideratio: addo etiam limitationem, quando 2
videlicet Reus eſſet adeo peruerſus, & facinoroſus, vt ex eius fuga, & liberatione è manibus Curię, vniuerſitatis perturbatio, & ruina timeretur, tunc enim pręualet bonum commune, & puto neque fugam ſuaderi, neque illi auxilium dari poſſe, ſed loquimur de Reis, qui ordinariè

ob delicta communia in carceribus detinentur. Verum dubium aliquod eſt apud Auctores, num Reus carceres, & vincula infringens, vel parietem rumpens aſtringatur reſarcire damnum, quod Reſpublica in tali fractione ſit paſſa. Aliqui affirmant, aliqui negant. videndus eſt *Ioannes de Dicaſtillo de iuſt. lib. 2. tract. 1. diſput. 6. dub. 4. n. 60. & ſeq.*

His omnibus premiſſis, quę modo non ſunt à me decidenda, ſed ſolum ſupponēda pro quęſiti intelligentia, & decisione, deuenio ad ſolutionem.

2 Dico igitur primo, nullum eſſe peccatū Reo, cui licita eſt fuga, conſulere, vt illam arripiat, sic communiter Doctores *Caietanus in 2. 2. quaeſt. 69. ar. 4. dub. 5. Salonius ibidem controu. 3. Sotus lib. 5. de iuſt. quaeſt. 6. art. 4. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 31. dub. 6. n. 40. Azor. par. 3. lib. 13. cap. 24. dub. 5. Bonacina in decal. diſp. 10. qu. 3. p. 2. n. 19. Filliuccius tract. 40. ca. 9. quaeſt. 10. Sanchez cap. cit. dub. 10. n. 1. Ioannes Dicaſtillo vt ſupra n. 82. Trullench. l. c. dub. 8. Ioannes de la Cruz in directorio conſcient. praecepto 8. de iniuſt. Rei dub. 12. concluſ. 4. & alij* contra paucos relatos ab Azorio.

3 Dico ſecundo. Poteſt ſimiliter quis prębere inſtrumenta, quibus Reus carceres, & vincula infringat, aut malleū siue aliud inſtrumentum, quo parietes erumpat. sic docent Authores citati in pręcedente concluſione contra *Syluestrum. v. fugere n. 1. Sotum quaeſt. cit. in ſol. ad 2. arg. Valentiam in 2. 2. diſput. 5. quaeſt. 13. p. 4.* reſpondendo ad quintum argumentum, ſoluendo ſecundam probationem minoris *Toletum lib. 5. cap. 58. n. 10.* probari sic poteſt noſtra concluſio argumento generali, cui licitum eſt finis, eidem licita eſſe debent media ad illum finem, si aliunde non habeant malitiam; igitur si licitum eſt fugam Reo conſulere; erit etiam licitū eidem inſtrumenta prębere ad fugam capeſſendam, quę ſe habet vt finis.

4 Hanc rationem reijcit *Dicaſtillo nu. 68.* quam ex mente aliorum pro ipſo Reo attulerat, putat enim principium illud in antecedente poſitum vniuerſaliter intellectum eſſe falſum, & affert exemplum, si ad morbum aliquem curandum nō ſuppeteret aliud remedium, quàm ſanguis puerorum, vt exiſtimauit Magnus Conſtantinus, tunc quamuis finis, nēpe morbi curatio, ſit honeſtus, nihilominus illud medium erit illicitum, ex eo igitur tantùm capite, quod fuga è carceribus ſit licita tamquam finis, non rectè infertur vi argumentationis, fugam eſſe licitam per illud medium, nempe per carcerum effractionem.

Sed huic inſtantię facilè reſpondere poſſumus, ſuſtinentes vim illius principij, ſi diceremus illud ſano modo eſſe intelligendum, & interpretandū, nempe quando mediū de ſe, vel abſolutè nullā inuoluit malitiam, vel ſaltem reſpectiuè ad circūſtantias, quæ hic, & nunc ſe tenent ex parte ſubiecti, quod in caſu noſtro eſt ipſe Reus, ratione quarum circumſtātiarum medium omni malitia denudatur, declaro ſolutionem, cuius prima pars eſt per ſe manifeſta, quia in illa ſuponitur in medio nullam inueniri deformitatem obiectiuā, & ex hoc apertè ſequitur vſum talis medij futurum eſſe licitum: ſecunda vero pars explicatione indiget aliqua, poteſt enim euenire, vt vſus alicuius medij, quando nulla occurrit neceſſitas, ſit malus, non ita tamen, vt aliqua neceſſitate vrgente nequeat cohoneſtari, vt ſexcentis exemplis id oſtendere poſſemus, non ſolùm in actionibus, quæ abſolutè acceptæ ſunt cōtra ius poſitiuum eccleſiaſticum, ſed etiam contra ius diuinum v. g. exercere opera ſeruilia in diebus feſtiuis eſt ab eccleſia prohibitum, & conſequęnter abſolutè, & ſimpliciter peccatum, nihilominùs ſæpe poteſt occurrere neceſſitas, aut rationabilis cauſſa excuſans operantem, & idem dicendum de ieiunio, comeſtione carniū, &c. in diebus prohibitis, ſimiliter in actionibus lege diuina prohibitis idem accidit, e. c. eſt prohibitum iure diuino, & naturali reddere depoſitum, cum præuidetur ille alius, cui redditur fore illo abuſurus: ad malum finem. & tamen quando depoſitarius ſine graui damno id vitare nequit, tunc redditio illius depoſiti, quæ eſſet mala cohoneſtabitur ratione illius circumſtātiæ, ex parte depoſitarij, quæ eſt periculum proprij damni. Rurſus deponere pecuniam apud vſurarium, præuidendo eius abuſum, nimirum quod vſurarius ſit illam deſtinaturus ad mutuum ſub vſuris, ex ſe eſt illicitum; at poterit ſe offerre cauſſa vrgens, quæ talem depoſitionem cohoneſtet, & ſic in alijs: applicando autem doctrinam hanc caſui noſtro, dicimus quod, & si fractio carcerum, vinculorum &c. ſit abſolutè, & ſimpliciter illicita, inquantū damnum Reip. infert, concurrente tamen graui illa neceſſitate, ex parte delinquentis, qui niſi frangat, & fugam capiat, ſe exponit periculo vitæ, aut graui damno corporali, licita redditur ipſa fractio, nam damnum, quod in fractione patitur Reſpublica cenſetur, quid minimum comparatiuè ad damnum, de quo Reus timet; ſic explicando illud vniuerſale principium, argumentum à nobis factum remanet firmum, videlicet, ſi finis eſt licitus, licitum erit

erit medium ad finem illum aſſequendum, ſubintellige,ſi aliunde medium nō ſit intrinſecè malum, aut ſaltem non habeat malitiam ita inſeparabilem, vt concurrēte rationabili cauſſa cohoneſtari nequeat. Ad hæc addo,quod ipſemet Dicaſtillo debet hoc ipſum aſſerere, nam impugnata prædicta ratione,probat concluſionem in fauorem Rei effringentis, quia, vt ipſe ait, Reus neque iniuſtitiam, neque iniuriam infert, non iniuſtitiam infringendo parietes carceris, vincula &c. quoniam id facit quaſi in extrema neceſſitate cōſtitutus. In tali enim caſu nulla committetur iniuſtitia cōſumando rem alienam ad ſeruandam vitam propriam, & ad graue periculum vitandum: neque committetur iniuria contra Rempublicam, quia Reſpublica, ſeu publica poteſtas non conſiſtit in lapidibus,ſeu in vinculis, ſed in Iudice, vel miniſtris, quibus,vt ſupponitur,nulla fit vis, ſic diſcurrit Dicaſtillo, & nihil aliud implicitè dicit diuerſum ab eo, quod nos aſſerimus, intantum enim excuſat delinquentem carceres infringentem,inquantū reperitur in graui neceſſitate. Ecce quo pacto fractio illa,quamuis ſecundum ſe, & abſolutè illicita, cohoneſtetur occurrente cauſſa rationabili, ob quam exercetur.

6 Inſtabis,ſi Reo licitum erit carceres infringere, cur dantur leges ſtatuentes graues pœnas contra huiuſmodi effractores,& à Iudice puniuntur;reſpondeo cum *Leſſio dub. 5. num. 37.* & alijs, vel id eſſe, quia Legiſlatores ſequuntur aliam ſententiam, quæ eſt probabilis negans id eſſe licitum Reo, vel quia præſumunt quod effractor carcerum vim intulerit cuſtodibus ipſorū carcerum, & ſubdit Leſſius hoc innui per ipſasmet leges,& præſertim *per L. penul. ff. de cuſtodia, & exhibit, & per L. 1. ff. de effractoribus*; vel denique, & melius ſtatutæ ſunt pœne contra effractores, etiā ſi in fractione nulla interuenerit culpa Theologica, ob bonum Reipublicæ, & vt Rei exterriti pœnis impoſitis abſtineant à fractione, & ſic faciliùs in carceribus detineantur, vt eorum delicta caſtigentur.

7 Dico tertio, quæ hactenus diximus de conſilio, quod datur Reo ad fugam, & de inſtrumētorum porrectione,nequaquā locum habent in miniſtris iuſtitiæ, hi enim nullo pacto poſſunt conſulere fugam, aut præbere inſtrumenta ad fugam capiēdam, quando Reus iuſtè carceribus detinetur, ſic vnanimiter de hac re agentes affirmāt Authores, quos ſuperiùs laudauimus,nam ita id concedunt alijs, vt negent aperte miniſtris; & ratio huius concluſionis eſt manifeſta, quia ipſis miniſtris ex officio incumbit diligentiam adhibere, ne Reus fugiat ſed in carceribus detineatur.

8 Dico quarto. Poſſet Princeps legem,ſeu ſtatutum condere, per quod prohibeat,vt nemo fugam ſuadeat, vel inſtrumenta ad fugiendum præbeat: ita *Leſſius dub. citat. nu. 45. Trullench. vt ſupra dub. 8. n. 2. & alij*, nam lex iſta poſſet eſſe iuſta, & tunc ſubditi tenerentur illi parere, & non poſſent Reo iuſtè detento conſulere fugam, vel ad illam auxilium præbere. Cæterum prædicti Authores animaduertunt Reo nō poſſe prohiberi fugam, ita vt in foro conſcientiæ obligetur, ad non fugiendum, & hoc quia reſpectu delinquentis eſſet lex valde dura, & non accommodata fragilitati humanæ naturæ,quę ratio non militat pro alijs.

9 Dico quinto. Non eſſe licitum alijs delinquentem iuuare effringendo carceres, rumpendo vincula,&c.ſic cōmuniter Doctores quos citat *Leſſius n. 44. Tānerus in 2. 2. diſput. 4. quæſt. 4. n. 106. Bonacina vt ſupra n. 19. verſ. ad 3. 1. Trullench n. 3. Dicaſtillo n. 87. Ioannes la Cruz concl. 5. & alij* communiter,& hoc, quia licet Reo id permittatur ob ius, quod habet ad ſeruandā propriam vitam, vel vitādum grauiſſimum damnum, non conceditur tamē alijs, qui tale ius non habent, id enim cederet in graue Reipublicæ damnum, quia nihil iudicibus eſſet firmum, & tutū. hanc rationem aſſignant communiter Auctores.

10 Sed vt fatear imperitiam meam, ratio iſta non videtur mihi magnam vim habere in ſententia prædictorum, quia poſſet retorqueri,probando illud ipſum incommodum in porrectione inſtrumētorum ad eamdem fugam arripiendam, cum in re hac morali parùm diſtare videatur porrigere inſtrumenta ad fractionem, & frangere; ideòque ſi hoc eſt illicitum, etiam, & illicitum erit aliud: verum quia video communem conſenſum Authorū, non audeo ab eorum opinione recedere, nempe peccatum eſſe,ſi aliquis,qui non eſt Reus, carceres, aut vincula infringat, quamuis in inſtrumentis præbendis nulla agnoſcatur culpa.

11 Placet tamen hic referre ſententiā *Ioānis Dicaſtillo nu. 88.* qui ſub nomine Rei comprehendit etiam perſonas coniunctiſſimas cum illo, nempe parentes, vxorem, fratres; & ego addo filios, & ſubdit audiſſe in aliquibus regnis, aut prouincijs, prædictas perſonas adeo coniunctas impunè cōſilium ad fugam dare, vel auxilium, aut pecuniam, &c. Hęc ſententia, ſaluo meliori iudicio, mihi non diſplicet multa enim licet perſonis coniunctis, quæ tamē prohibentur extraneis,vt patet in alijs caſibus. Nam ſolent Doctores excuſare parentes, & alias perſonas ſanguine coniūctas,

tas,

Digitized by Google

tas, ne denuntient, quando ab Ordinario fiunt monitoria, quia politicè cenſentur vna, eademque perſona cum Reo.

QVAESTIO DECIMAQVARTA.

Reus de crimine, cui pœna pecuniaria eſt impoſita, legitimè interrogatus, ſi falſis teſtibus ſe defendens liberetur, teneatur ne pœnam ſoluere?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur caſus.*

2 *Refertur opinio obligans Reum ad pœnam ſoluendam.*

3 *Exponitur contraria ſententia eximens Reum.*

4 *Reus legitimè interrogatus negans veritatem, peccat contra iuſtitiam legalem.*

5 *Tenetur ſoluere expenſas, quas iuſtè fecit aduerſarius.*

6 *Probabilius eſſe non teneri ad ſoluendam pœnam.*

7 *Quamuis vi, & iniurioſè Iudicem impediat ne ferat ſententiam.*

8 *Obiectio in contrarium ex quadam paritate in ſimili.*

9 *Soluitur aſſignando diſparitatem.*

10 *An fiſcus poſſit ſecreto vti compenſatione pro pœna, quæ ſibi fuiſſet applicanda, ſi Reus non impediſſet.*

CAſum, qui non rarò euenit, maioris claritatis gratia ſic formo.

Sit lex, per quam Princeps
1 pro pace inter ciues ſeruanda, & pro pluribus vitandis delictis, prohibeat, ne aliquod armorum genus v. g. paruus ſclopus à priuatis perſonis feratur, ſub pœna ſoluendi mille aureos Regio Fiſco, aut pijs locis applicandos; accidit autem, vt Ioannes, lege prædicta non obſtãte, illũ geſtauerit, & à miniſtris iuſtitiæ deprehenſus in carceres detruſus fuerit: His poſitis, iuris ordine ſeruato à Iudice Ioãnes fuit legitime interrogatus, ad veritatẽ criminis aperiendam, at ille negauit delictum patraſſe, imo falſos adhibens teſtes, probationes in contrarium omnino eneruauit, & ideo ob earum defectum à Iudice fuit penitus abſolutus; quæritur modo num Ioannes in foro conſcientiæ ſit aſtrictus, pœnam ad quam iuſtè erat damnandus, ſoluere fiſco, aut pijs locis ſecundum Principis diſpoſitionem.

Prima, & ſatis probabilis ſententia af-
2 firmat, ita *Sotus lib. 1. de iuſt. quæſt. 6. a. 9. ante quintam concluſionem: ver. Vnũ hic autem. Alphonſus de Caſtro lib. 2. de lege pœn. cap. 12. §. Ex his. Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 95. num. 36. & alij*, quorum fundamentalis ratio eſt, quia Reus iſte iniuſtè impediuit, ne pœna illa fiſco adiudicaretur, qui tamẽ ius ad illam habebat.

Secunda ſententia oppoſitum docet, vi-
delicet Reum hunc nequaquam obligan- 3
dum eſſe ad pœnam illam ſoluendam: ſic *Nauar. in Enchiridion cap. 18. n. 49. Vaſquez in p. 2. S. Thomæ diſp. 175. cap. 2. n. 13. Sanchez lib. 10. de matrim. diſp. 8. nu. 14. & in decal. lib. 2. cap. 22. n. 21. Ioannes Salas de legib. diſp. 15. n. 98. Azor to. 1. inſtit. moral. lib. 5. cap. 8. q. 5. & alibi. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 12. n. 134. Delugo tom. 2. de iuſt. diſp. 37. ſec. 9. nu. 110. & plures alij.* Ducuntur ad hanc opinionẽ, quia ita impediens non peccat contra iuſtitiam commutatiuam in ordine ad fiſcũ, cui pœna illa erat applicanda, ſed ſolùm contra legalem, cuius tranſgreſſio ad reſtitutionem minime obligat. Vtraq; opinio, & authoritate, & ratione ſatis probabilis redditur. Quid autem mihi probabilius videtur, mox aperiam.

Dicendum eſt primo. Reum hunc legi-
timè interrogatum, negando veritatem 4
peccare contra iuſtitiam legalem, ſeu cõtra obedientiam, probatur, quia ſubditus tenetur ſuo ſuperiori inquirenti, veritatem manifeſtare, & præſertim quando nulla ex parte ſubditi habetur ſufficiens ratio eũ excuſandi, vt eſſet v. g. vitare mortem ob delictum infligendam, iuxta aliquorum recentiorum opinionem, quam in præſentia non expendo, aliter vel numquam, vel ferè numquam ſubditus ad hoc aſtringeretur, quod bono communitatis valde noceret, & delicta quamplurima impunita manerent.

Dicendum eſt ſecundo. Aſtringendum 5
eſſe Reum hunc ad reſarciendas illas expenſas, quas iuſte fecit aduerſarius, ita *Sanchez l. c. de matrim. Leſſius dubit. cit. n. 135. in fine*, & ratio eſt manifeſta, quia obligatio ad has expenſas ſoluendas non eſt in pœnam, neque fundatur in iuſtitia legali, ſed commutatiua, contra quam peccauit Reus, nam iniuſtè ſe defendens fuit cauſa, vt pars aduerſa expenſas illas faceret, proinde merito eas reſarcire debet.

Dicendum eſt tertio. Probabiliorem mihi videri ſentẽtiam ſecundo loco relatam; nimirum Reum non eſſe obligandum ad pœnam ſoluendam, hanc concluſionem optima ratione probant Authores citati, nam Reus, etiam ſemiplena probatione poſita, non obligatur vi iuſtitiæ commutatiuæ, ſed tantum legalis ad veritatem Iudici interroganti pateſaciendam, & ſi Iudex petat ab ipſo Reo iuramẽtũ, vt veritatẽ aperiat, obligabitur reus vi religio-

nis.

nis veritatem fateri, Religio autem non obligat tranſgreſſores ad reſtitutionem; ergo Reus celando veritatem non eſt obligandus ad ſolutionem pœnæ ipſi fiſco, aut alteri, cui erat applicanda: nam pœna iſta, aut ſimilis non debetur, niſi poſita ſententia à Iudice, vt communiter dicunt Authores.

7 Dicendum eſt quarto. Etiã ſi Reus violenter, & iniurioſè procedat contra Iudicem, illum impediens minis, ne ſententiã ferat, & in hoc iniuriam committat contra Iudicem ipſum; nihilominus iniuria iſta non eſt in ordine ad illum, cui applicanda eſſet pœna, ſic *Leſſius loco citato*, & ratio eſt quia ille, cui pęna deberetur, nullum habet ius in pœnam, niſi poſita ſententia Iudicis.

8 Sed inſtabis, quamuis Titius v. g. nullũ habeat ius, vt Sortes aliquid ipſi donet, aut legatũ relinquat, ſi tamen Caius fraudibus, aut minis impediat, quin Sortes illi donet, aut legatum relinquat, grauiter peccabit contra iuſtitiam commutatiuam, & tenebitur ad reſtitutionem, vt communiter docent Authores, & animaduertit *Leſſius lib. 2. cap. 12 dub. 18. nu 123. & alibi*, quia Titius licet non habeat ius antecedenter ad donationem, legatum, &c. ſibi à Sorte faciendum; nihilominus ius habet, ne per fraudem, aut violentiam Sortes impediatur ad donandum, legandum &c. ergo à pari, licet fiſcus ante ſententiam Iudicis ius non habeat ad pœnam, habet tamen, ne Iudex fraude, aut minis impediatur ad ſententiam ferendam, & conſequenter Reus fraudibus, aut violentia impediens, non ſolùm faciet iniuriam ipſi Iudici, verum etiam fiſco, proinde tenebitur ad reſtitutionem ipſius pœnæ, par enim vtrobiq; videtur ratio.

9 Reſpondeo, quamuis argumentum primo aſpectu videatur valde moleſtum, & in vtroque caſu paritas currere; nihilominus vtrumque bene perpendendo, poterit diſparitas aſſignari, latum enim diſcrimen reperitur inter donationem, hæreditatem, legatum, & ſimilia, & inter pœnam contra tranſgreſſores à lege impoſitã, fiſco, aut alteri applicandam, quamuis in aliquo conueniant. Vtrumque declaro, Titius v. g. licet nullum ius habeat contra Sortem volentem donationem ipſi facere, niſi poſita actuali donatione, & in hoc ſit paritas cum fiſco nullum ius habente ante poſitam ſententiam, ſaltem declaratoriam criminis; nihilominus in alio diuerſificantur, nam Titius ius habet, ne alius, videlicet Caius, fraude, & dolo iniuſtè remoueat Sortem ab illa volũtate donandi, & impediat effectum talis voluntatis; proinde Caius doloſè, aut vi impediens, lędit ius illud, quod Titius habet, & ideo peccat contra iuſtitiam commutatiuam, & ad reſtituendum tenetur, quantum arbitrio prudentũ donatio illa in ſpe proxima æſtimatur. Contra vero fiſcus, aut alius, cui pœna eſſet applicanda, non ſolùm non habet ius ante latam ſententiã, & in hoc eſt paritas cum Titio ante poſitam donationẽ &c. diſparitas tamen inuenitur, quatenus fiſcus neque ius habet, vt Reus in iudiciũ vocatus, veritatem fateatur, & ſententia à Iudice feratur, & hoc quia Reus non vocatur in iudicium, in gratiam, ſeu vtilitatem fiſci, aut alterius, cui diſpoſitione legis adiudicanda ſit pœna; ſed vocatur ob publicam iuſtitiam, & vt delicta corrigantur, proinde fiſcus indirectè, & mediate ius habet ad pœnam, nempe poſita ſententia, & ideo Reus vi iuſtitiæ legalis, & non commutatiuæ tenetur, fraudibus remotis, veritatem Iudici interroganti nõ celare, & contrarium faciens, peccat contra iuſtitiam legalem, & ſi iuramentum adhibeat etiam cõtra virtutem religionis, at non tenetur ad pœnam ſoluendam.

10 Quæres num fiſcus, ſiue alius, cui pœna illa erat applicanda, ſi conſtaret ſibi Reum legitimè à Iudice fuiſſe interrogatũ, & fraudibus veritatem celaſſe, poſſit tuta conſcientia, vti compenſatione, capiendo pecuniam, aut aliquid aliud, cuius valor pœnæ æquiualens ſit.

Reſpondeo, partem affirmatiuam ſuſtineri à *Molina diſp. cit. ver.* (*Duo ſunt hoc loco.*) & mouetur ad id aſſerendum, ex eo quod Reus iniuſtè negans veritatem impedit, ne ipſe fiſcus pœnam acquirat. Sed iuxta noſtra principia oppoſitum omnino eſt dicendum, tum quia ſententia illa Molinæ de obligatione pœnæ ſoluendæ minùs probabilis nobis videtur: tum etiam quia, licet probabilior eſſet, adhuc non poſſet fiſcus vti compẽſatione illa, vt recte admonet *Sanchez in decal. cap. cit. n.* 14. nam ad compenſationem faciendam requiritur debitum eſſe certũ, & vt inquit ipſe, luce meridiana clarius, non enim licita erit compenſatio, quando res eſt dubia, vel hinc inde ſunt probabiles rationes.

Multa ex concluſione noſtra principali infert *Leſſius dub. cit.* quæ cum omnimodam habeant paritatem cum eo, quod in præſentia determinauimus; idcirco eodem principio omnia ſunt decidenda.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO DECIMAQVINTA.

Petrus ſecreto Pauli negotio per iniuriam cognito, in ſuam vtilitatem cum eiuſdem Pauli damnō vtens, num ad reſtitutionem teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Explicatur caſus.*
2 *Ratio probans Petrum eſſe ad aliquam reſtitutionem faciendam declaratur.*
3 *Non eſt abſolutè Petrus damnandus ad reſtitutionem.*
4 *Si tempeſtiuè non conſignat litteram obligatur ad reſtitutionem: ſecus ſi conſignat.*
5 *Probatur prima pars.*
6 *Probatur ſecunda.*
7 *Soluitur ratio in oppoſitum.*
8 *Deciditur eodem modo caſus ſimilis relatus à Leſſio.*

1 VArijs modis, & ſub diuerſis terminis caſum hunc Authores formare conſueuerunt, ſub vno autem ex illis ego eum proponam ſic. Ioannes in curia Regis commorans epiſtolam quamdam ad Paulum mercatorem, ſibiq; valde familiarem direxit, eum monens de extractione frumentorum mandato Regis quamprimũ facienda ex vrbe, aut regno, in quo Paulus degebat, & in hunc finem de re hac Paulum ipſum certiorem facere voluit, vt priuſquam ſuperueniret frumẽtorum inopia, potuiſſet Paulus ſibi prouidere de magna frumentorum copia, vt penuria adueniente, & conſequenter aucto pretio, frumenta vendẽdo lucraturus fuiſſet; accidit vt caſu epiſtolam Tabellarius amiſerit, & eam Petrus etiam mercator inuenerit, at non obſtante quod clauſa, & obſignata fuerit, illã aperuerit, perlegens contenta, poſtea vero eam iterum obſignãs ad Paulum tranſmiſerit, ſed illum præueniens ingentem frumẽtorum copiam ſibi comparauerit, impediẽs hoc pacto negotiationẽ Pauli in emendis, & vendendis frumentis, & conſequenter lucrum ab eodem Paulo obtinendum, ſi præuentus non fuiſſet. iſte eſt caſus, & de eo quærimus quid iuris, nempe an Petrus, qui per iniuriam, vt ſupponimus, litteram ad Paulum directam fraudulenter, & iniurioſè aperuit, & legit, teneatur ad reſarciendum lucrum, quod Paulus erat adepturus

2 Videtur Petrus obligandus ad aliquam reſtitutionem Paulo faciendam, in quantitate arbitrio prudentum determinanda, penſatis omnibus circumſtantijs, ſecundũ quas exiſtimandum erit lucrum, à Paulo acquirendum, deductis deducendis. & ratio eſt, quia Paulus per iniuriam fuit impeditus ne lucrum illud conſequeretur: quoties enim ego iniuſtè alium impedio, ne aliquod in ſui commodum obtineat, pecco contra iuſtitiam commutatiuam, quæ ad reſtitutionem obligat trãſgreſſores, & confirmatur à ſimili, ſi enim fraudibus impedio, ne quis hæreditatem, aut legatũ conſequatur, teneor reſarcire damnum, quod ille recipit ob impedimentum poſitum, vt communiter docent Authores: igitur idem erit dicendum in caſu iſto, cum eadem ſit ratio.

Cæterum non ita abſolutè damnandus erit Petrus ad reſtitutionem, quamuis cõcedatur grauiter, & contra iuſtitiam deliquiſſe, aperiendo litteram illam obſignatam, & ad Paulum directam, & hoc ſecũdum regulas generales à Doctoribus traditas, quas nunc non examino, ſed potius ſuppono grauem, & nõ leuem interueniſſe culpam in illius litteræ apertione, hoc tamen non obſtante, aio eſſe cum diſtinctione caſum hunc decidendum. 3

Dico igitur primo. ſi Petrus epiſtolam illam tempeſtiuè Paulo non conſignauit, vt interim curaret frumenta emere, impediens hoc pacto, ne ipſe Paulus, ſciens ſuperuenturam inopiam, quam ex lectione eiuſdem epiſtolæ fuiſſet deprehenſurus, eadem frumenta compararet, tunc Petrum eſſe obligandum ad reſtitutionem modo explicato faciendam. ſi vero poſt lectionem epiſtolæ, illam Paulo tempeſtiuè conſignauit, & poſt conſignationem incepit negotiationem, emendo frumentum, &c. tunc non eſſe obligandum ad reſtitutionem. Vtramque concluſionis partem docet *Leſſius lib. 2. de iuſtit. cap. 12. à nu. 131.* aliud tamen ponens exemplũ, nempe de littera, per quam de vacatione cuiuſdam beneficij alius monebatur; & hãc ſecundam partem concluſionis etiam tuetur *Author caſuum conſcientiæ Bononiæ anno 1638. menſe Febr. caſ. 2. ad 2. quæſitum.* Probatur autem concluſio ſecundum vtramque partem, & prima, quæ aſſerit Petrum in eo euentu eſſe aſtringendũ ad reſtitutionem, ſic oſtenditur. ex mora illa conſignandi litteram directè ſequutũ eſt damnum ipſi Paulo: ergo Petrus talis moræ cauſa obligatur ad reſtitutionem, patet conſequentia ex principijs vniuerſalibus, nam quando debitor eſt in mora culpabili, ex qua per ſe creditori damnum obuenit, certum eſt debitorem obligari ad damnum illatum reſarciendum. antecedens vero probatur, quia retentio illa litteræ, fuit cauſa, vt Paulus careret noticia ſu- 4 5

futuræ inopiæ, & conſequenter non potuiſſe eligere medium ad lucrum faciendum, ſcilicet emptionem frumentorum, in qua à Petro iniuſtè litteram retinente fuit præuentus. ergo ex tali mora conſignandi litteram directè conſequutū fuit damnum ipſi Paulo.

6 Secunda vero pars probatur, quia ſi Petrus tempeſtiuè conſignauit epiſtolam, Paulus potuit ſe negotiationi applicare, & quamuis Petrus, conſignatione tempeſtiuè facta, diligentior præuenerit, emendo magnam illam frumentorum copiam, id fuit ex propria ipſius Petri induſtria, & in hoc iure ſuo vſus eſt, & tale ius quod ad ſimilem emptionem habebat, non excludebat ſimile ius in Petro ad eamdem negotiationem peragendam; & conſequenter ad lucrum: neq; officit, applicationem Petri ad hanc negotiationem origenem duxiſſe ex iniurioſa litteræ apertione, & lectione, quia hæ remotè ſe habuere; proxima vero cauſa fuit diligētia illa à Petro appoſita, iniuria autem conſummata fuit in illa litterarum apertione, & lectione, reliqua vero erāt ſub Petri dominio, & ſecundum ſe, & ſecundum ſui vſum.

7 Ad argumentum autem in oppoſitum reſpondeo, negando antecedens, nam impedimentum illud non fuit Paulo iniurioſum, quia proceſſit ex ijs, ad quæ Petrus ius habebat. nempe ex eius diligentia, quæ non impediebat quin Paulus parem, aut etiam maiorem diligentiam non appoſuerit, notitia vero illa, iam acquiſita, quamuis iniuſtè, remotè, vt diximus ſe habuit, & per accidens. Ad probationem vero huius antecedentis, concedo quod, quando ego iniuſtè impedio, ne aliquod commodum alius acquirat, tenear ad reſtitutionem, vt eſt manifeſtum de eo, qui fraudibus impedit, ne quis hæreditatem, aut legatum conſequatur, nego tamen conſequentiam, per quā paritas infertur inter vnum, & alterum caſum, inter quos latum inuenitur diſcrimen, vt oſtenſum eſt.

8 Eodem pacto decidendus eſt caſus ſimilis, quem ponit *Leſſius l. c.* videlicet, ſi quis Romæ exiſtens, litteras ſcribat, eaſq. dirigat ad amicum alibi commorantem, eũque moneat de vacatione cuiuſdam beneficij in menſe pontificio, & hæ litteræ caſu veniāt ad manus alterius, qui illas aperiat, & legat, eaſque poſtea clauſas mittat, ad quem erant directæ, ſed illum præueniens procuret ſibi collationem illius beneficij, & obtineat, tunc caſus iſte eadem diſtinctione reſoluendus erit, nēpe an iſte, ad cuius manus peruenerunt litteræ, ſero eas conſignauerit nec ne ei, ad quem erant miſſæ, an vero tempeſtiuè at primum, obligabitur ad reſtitutionem modo explicato, ſecùs autem, ſi dicatur ſecundum, & ita erit dicendum de alijs ſimilibus.

QVAESTIO DECIMASEXTA.

Ioannes pluris vendidit Petro frumenta quàm eſſet eorũm valor ſciens ab illo alijs diuendenda, teneatur ne exceſſum Petro, an potius alijs emptoribus reſtituere?

SVMMARIVM.

Difficultas, de qua Author conſultus fuit, aperitur, & proponitur prius expendenda abſtrahendo à colonis, de quibus fuit quæſtio. 1

Opinio exiſtimans mercatoribus reſtitutionem eſſe faciendam refertur, & quattuor ſuadetur argumentis. 2

Refellitur præcedens opinio. 3

Probatur primo ex principijs vniuerſalibus. 4

Secundo ex proprijs, nempe primam venditionem frumentorum non cauſſam, ſed occaſionem tantùm fuiſſe ſecundæ venditionis. 5

Declaratur actio, quæ eſt cauſſa mediata damni ſubſequentis. 6

Actio, quam ſequitur alia actio non ex ſua natura, ſed ex interpoſita voluntate alterius eſt occaſio non cauſſa damni. 7

Subminiſtrare materiam, qua præuidetur alius abuſurus, non eſt diſtinctiuum cauſſæ ab occaſione. 8

Impugnatur inſtantia in contrarium. 9

Conſtituere aliquem in morali neceſſitate lædendi tertium eſt commune cauſſæ, & occaſioni, & ideo nequit eſſe vtriuſque diſtinctiuum. 10

Difficillimũ, aut impoſſibile eſt nobis determinare gradũ intenſionis, ſub quo moralis neceſſitas ſit ſatis ad conſtituendũ neceſſitantem, vt cauſſam. 11

Si quis furetur ab aliquo pecuniã, & iſte aliũ lædat, & ſic deinceps, primus lædens non tenetur reſtituere vltimo, qui damnum ab alijs ſuſtinuit. 12

Reſponſio aduerſariorum, & eius reiectio. 13

Adulter præuidens fictam ſuppoſitionem prolis illegitimæ faciendam ab adultera, & damnum inde ſequens, niſi eam procurauerit, aut ſuaſerit, ſecundum aliquos non tenetur ad reſtitutionem. 14

Adulter inuaſus à marito adulteræ, ſi cum moderamine ſe defendens illum interimat, non eſt Reus homicidij, neque tenetur damna ſequentia reſarcire. 15

Contumelioſus ſi à læſo inuadatur, & ſe defendens cum moderamine, non tenetur ad damna ſi illum occidat. 16

Ac-

Digitized by Google

17 *Actio, ex qua vt plurimum, damnum contra tertium ſequitur, eſt in triplici genere, & non diſtinguit cauſſam ab occaſione.*

18 *Ioannes mercatoribus reſtituens, eximitur ab obligatione erga Petrum.*

19 *Nequit Ioannes, ſi mercatores non compareant, vti compenſatione virtute cruciatæ, ponitur quidam exceptio.*

20 *Soluitur primum argumentum, quo probatur contraria ſententia.*

21 *Diluitur ſecundum argumentum, oſtendẽdo in exemplo adducto eſſe diſparitatem cum caſu, de quo agimus.*

22 *Petrus bis recipiens exceſſum pretij tenetur Mercatoribus vnum ex illis reſtituere, & ſic corruit tertiũ argumentũ.*

23 *Non eſt eadem paritas inter inſtrumẽtum latroni petenti porrectum ad aperiendũ arcã, & inter frumẽtum, quod Ioannes Petro vendidit, & ita ſatisfit quarto argumento.*

24 *Petrus emendo frumentum pro colonis, bifariam poteſt ſe gerere.*

25 *Si emat illud nomine colonorum, colonis à Ioanne facienda erit reſtitutio.*

26 *Si proprio nomine ſecùs erit dicendum.*

1 DIfficultas, quam pertractandã aggredior, & de qua paucis retro diebus conſultus fui, non eſt leuis momenti, ſed ardua, ac difficilis, eam autem declaro eo prorſus modo, quo propoſita fuit. Ioannes plures habens fruméti menſuras, quarum pretiũ quinque aureos pro vnaquaq; non excedebat, illas Petro cuiuſdam prædij domino vendidit, ſed vltra pretiũ rigoroſum, videlicet quinque cum dimidio, ſciens illas à Petro pro terris ſerendis colonis eodem iniuſto pretio diuẽdendas fore, vt de facto euenit, poſtea vero agnoſcens Ioannes ſe aſtrictum ad exceſſum pretij reſtituendum, poſtulauit à me, & à nonnullis alijs Theologis, num reſtitutio Petro, an vero colonis eſſet facienda. Hæc eſt difficultas, quæ prius expendenda erit, abſtrahendo ab emptorum conditione, quia ſi præſens dubitatio ſpectetur in ordine ad emptores, inter quos, & Petrũ nulla reperiebatur connexio, facilior erit ſolutio, difficilior tamen, ſi reſtringatur ad tales emptores, i. e. ad colonos, cum quibus Petrus aliqualem videtur habuiſſe connexionem, quæ, vt fiet manifeſtum, longè difficiliorem reddit huius cõtrouerſiæ deciſionem, proinde gradatim procedendo, exordium ſumo à facilioribus, ſcilicet ab alienatione frumentorum, quæ à Petro fit in alios vt ſic, quos in progreſſu quæſtionis ſub mercatorum nomine comprehendam, vt tandem deueniam ad alienationem factam in colonos, de quibus principaliter eſt difficultas; quæ cum plura diſcutienda requirat, vt diſtinctiùs, & clariùs progrediar, diuerſis paragraphis omnia complectar.

§. I.

Refertur, & rationibus ſuadetur ſentẽtia aſſerens Mercatoribus pretij exceſſum eſſe reſtituendum.

EXiſtimarunt aliqui reſtitutionem hanc Mercatoribus à Ioanne eſſe faciendam, & ad hoc decidendum tum authoritate, tum ratione mouebantur, eundem enim caſum, aut ſimilem, paucis mutatis, proponit, & determinat *Sanchez lib. 1. conſil. cap. 7. dub. 12. Aloyſius Turrianus in 2. 2. S. Thomæ diſp. 141. de iuſt. n. 30.* & nouiſſimè *Cardinalis Delugo tom. 2. de iuſt. diſp. 26. ſect. 5. num. 76.* quamuis illum obiter pertractauerint, & pauciſſimis ab illo ſe expedierint. Hi autem Authores determinant reſtitutionem vltimis, & mediatis emptoribus, non primis, & immediatis, eſſe faciendam, quorum opinio varijs ſuadetur rationibus, diſcurrendo ſuper caſum, quem expoſui, & prius in ordine ad emptores nullam cum Petro ſecundo venditore connexionem habentes. 2

Primo ſic. Venditio illa inter Ioannem, & Petrum fuit Mercatoribus iniurioſa, eiſque damnum intulit; ergo illis à Ioanne eſt facienda reſtitutio; patet conſequentia, nam qui damnum alicui intulit, eidem reſtituere debet, in caſu noſtro damnum proueniẽs à vẽditione prædicta ad mercatores tandẽ integrũ peruenit. Antecedens probatur, quia illa actio, ex qua, vt plurimũ, iniuſtè ſequitur dãnũ cõtra tertiũ, eſt illi tertio iniurioſa; vt communiter docet Theologi, & notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 9. dub. 15. nu. 102. & dub. 16. n. 111. & 113.* ſed venditio illa eſt talis, vt ex ipſa iniuſtè, vt plurimum ſequatur damnum contra tertium, vt ſunt Mercatores in caſu noſtro; ergo eſt illis iniurioſa. Minor, quę tantùm probatione eget, ſic oſtenditur. Per illam venditionem emptor cõſtituitur à venditore in quadam morali neceſſitate vendendi alijs frumenta eodem pretio ſupra rigoroſum, vt ſe indemnem reddat; ergo eſt talis, vt ex ipſa iniuſtè, & vt plurimum ſequatur damnũ contra tertiũ, &c.

Secundo. probatur argumento, quod oretenus Pater Thomas Tamburinus noſtræ Societatis vir ſcholaſtica, moralique theologia perſpicuus, & mihi amicitię vinculo valde coniunctus, paritate quadam ductus, hoc modo propoſuit. Si Titius iniuſtè alium occidat, & homicidium Cato im-

imputetur, qui cogatur hæredibus interfecti ſoluere expenſas factas in curatione occiſi ante mortem, quas in foro conſciẽtiæ ſoluere debebat Titius, tunc ipſe Titius aſtringeretur expenſas illas ſoluere Caio innocenti, & non hæredibus defuncti, quia ipſi eas iam à Caio receperunt, & ita docet *Molina par. 4. tract. 3. diſp. 86. initio. Rebellius par. 1. de oblig. iuſt. qu. 11. n. 15. Bonacina de reſt. diſp. 2. quaſt. vlt. p. vlt. verſus finem, Delugo tom. 1. de iuſt. diſp. 8. ſect. 6. nu. 84. & alij*: ergo à pari, quamuis Ioannes immediatè Petrũ læſerit, qui frumenta emit; nihilominus cum Petrus eadem frumenta alijs mercatoribus poſtea vendiderit, & eodem pretio, ſequitur tantumdem recepiſſe, quantũ ſoluerat, ideo Ioannes non ipſi Petro, ſed Mercatoribus exceſſum pretij reſtituere debet.

Tertio probatur ex abſurdo, quod ex oppoſita ſententia deducitur. Si enim Ioannes reſtitueret exceſſum illum Petro, cum ipſe Petrus per venditionem factam mercatoribus ſibi compenſauerit damnũ, bis eumdem reciperet exceſſum, videlicet & à Ioanne, & à Mercatoribus; quod eſt iniuſtum, & abſurdum.

Quarto probatur à pari. ſi Ioannes ſciat à fure peti inſtrumentum, vt aperiat arcã, & ſurripiat pecuniam Sortis ibi latentem, proculdubio Ioannes tale porrigẽs inſtrumentum, cenſeretur cooperari furto, atq; adeo teneri ad reſtituendam Sorti pecuniam ſublatam, si latro non reſtituat: igitur à pari Ioannes ſciens à Petro emi frumentum, iniuſto pretio mercatoribus diuendendum, cenſetur cooperari iniuſtæ venditioni; proinde tenebitur reſarcire damnum, quod Mercatores emendo paſſi ſunt, caſu, quo Petrus non reſtituat, nam frumentum ipſum ſe habuit velut inſtrumentum, quod latroni ſubminiſtratur, ad iniuſtam peragendam venditionem.

His argumentis ſuaderi poterit ſententia iſta, quam nonnulli ex Theologis noſtræ Societatis oretenus à me conſulti abſolutè tuentur; cæterum ſupereſt, vt quid in hac cõtrouerſia decidenda mihi videatur, in medium afferam, meam explicando ſententiam.

§. II.

Refellitur præcedens opinio.

3 QVamuis relata ſententia, argumentis prædictis confirmata aliquibus arriſerit, ego vero illis ſubſcribere nequeo, proinde contrariam admittendã eſſe cenſeo.

Dicendum igitur eſt, Ioannem non eſſe aſtringendum mercatoribus, ſed Petro immediato emptori pretij exceſſum perſoluere. Concluſio duas continet partes, negatiuam vnam, affirmatiuam alteram, negat. n. exceſsũ eſſe neceſſariò reſtituẽdũ mercatoribus, & affirmat Petro eſſe reficiẽdum: ex negatiua autem clarè deducitur affirmatiua, nam Ioannes cum certò, & ſemel reſtituere debeat, ſi mercatoribus non tenebitur, Petro obligabitur, probo igitur priorem partem negatiuam ad inferendam affirmatiuam, argumenta vero in eius fauorẽ per ſequentes paragraphos diſtribuam.

§. III.

Prima ratio à priori ex principijs vniuerſalibus formatur.

AD meam confirmandam ſententiam primo loco procedam, argumentum deducendo ex principijs communibus, & in hunc modum illud formo. 4

Ioannes neque ratione rei acceptæ, neque ratione iniuſtæ acceptionis, neque ratione contractus tenetur Mercatoribus aliquid reficere; ergo abſolutè exceſſum pretij, quod à Petro recepit, illis reſtituere minime tenetur, euidens eſt conſequẽtia, quia in antecedẽte excluduntur omnia illa capita, ſeu radices vniuerſales, ex quibus communiter Theologi in tractatu de iuſtitia colligunt omnem obligationem reſtituendi, quod nunc, vt certum ſuppono: tota ergo difficultas in antecedente cõſiſtit, proinde illud per ſingula oſtẽdam, & quoad primum caput, res eſt manifeſta, quia eo tempore, quo Ioannes vendidit frumentum, & pretium à Petro recepit, nihil à Mercatoribus habuit, nam pretium, vt ſuppono, erat ex bonis Petri, & non mercatorum, & conſequenter in illud Mercatores nullum ius habebant. Quoad ſecundum vero caput probatur, quia licet prima illa venditio fuerit iniuſta in ordine ad Petrum, non fuit tamen in ordine ad Mercatores, ad quos ex ſe non ordinabatur, & tantùm extrinſecè dirigebatur ad illos ex intentione Petri ementis, cuius directio per accidens ſe habebat reſpectu huius primi contractus, & reſpectu Ioannis primi venditoris, vt in ſolutione argumentorum demonſtrabo, poterat enim Petrus ad ſui libitum frumẽtum illud alteri negotiationi applicare; in qua lucrum habiturus fuiſſet ęquale illi pretio, quod ſoluit Ioanni, vel pretio iuſto frumentum illud vendere. Demum quo ad tertium caput, videlicet Ioannem non teneri Mercatoribus ratione contractus, res eſt clara, quia ipſe Ioannes neq; inijt,

Digitized by Google

iniſt, neq; inire voluit contractum cum mercatoribus, neq; vt ſuppono, Petrus contraxit, & emit nomine Mercatorum, ſed ſuo proprio, & ideo cum nulla fuerit ex parte Ioannis intentio contrahendi niſi cum Petro,& non cum alijs,& nulla etiā intrinſeca connexio fuerit vi huius primi contractus cum Mercatoribus,non potuit obligatio ratione talis contractus reſultare in Ioanne.

§. IV.

Secunda ratio ex proprijs procedit, nempè ex eo quod prima venditio, occaſio tantùm, & non cauſa fuerit ſecunda venditionis.

5 HActenus noſtram ſententiam ex cōmunibus principijs probauimus,nūc vero ex proprijs illam confirmabimus, videlicet ex eo quod prima illa venditio inter Ioannem, & Petrum non fuerit cauſa, ſed tantum occaſio alterius vēditionis inter Petrum, & Mercatores, in hoc autem magnam vim faciunt aduerſarij; exiſtimātes vi primæ venditionis, Ioannem influxum habuiſſe in ſubſequentem venditionem, hoc autem debet, vt res non leuis momenti diligenter ponderari, ex eius enim deciſione maxime dependet ſolutio huius controuerſiæ, nam ſi Ioannes influxum illum habuit in ſecundam venditionem, & fuit verè illius cauſa, neceſſariò inferretur eius obligatio erga mercatores, at ſi occaſio ſolùm, & non cauſa fuit,nulla in illo dabitur erga mercatores obligatio, quia vt communiter dicunt Doctores, per exhibitionem ſolius occaſionis non aſtringitur, qui eam exhibet ad reſarciendum damnum,quod ſequitur contra tertium, etiam ſi præuideatur, ſecùs autem ſi occaſionem præbens ſit etiam cauſa, ita *Molina tom. 4. trac. 3. diſp. 83. initio. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 12. dub. 18. n. 130. Ioannes Delugo tom. 1. diſp. 8. ſect. 6. nu. 83.* imo *Leſſius eod. lib. cap. 9. num. 113.* id affirmat, quamuis damnum præuiſum intendatur à præbente occaſionem, & tali intentione occaſio illa exerceatur, quia ſola intētio, vt ipſe inquit contra aliquos oppoſitum tuentes, non facit opus eſſe iniuſtum, ſi exterius ſecundum ſe tale non ſit. Verum quicquid ſit de hoc, certum eſt apud Theologos illa duo inuicem diſtingui, nempe eſſe cauſam damni,& eſſe tantùm occaſionem, nam ex illa ſequitur obligatio reſarciendi damnum, nequaquā ex iſta: debemus igitur in hoc determinando pauliſper ſiſtere, diſcutiendo num Ioannes vi prioris venditionis cauſa, aut ſola occaſio fuerit iniuſtitiæ contra Mercatores, vt ex eius deciſione, controuerſia iſta determinetur. Cæterum cum illa duo maximam inter ſe inuoluant affinitatem, & ſimilitudinem, valde difficile redditur aſſignare verum, & proprium conſtitutiuum, & diſtinctiuum vnius ab alio, conabor tamen illud declarare, & ſuppono prius non eſſe ſermonem de cauſa immediata, de hac enim nulla eſt difficultas, videlicet de ea, vi cuius ponitur ipſum dānum, vt eſt v. g. homicidium, furtum & ſimiles actiones, ſed ſermonem eſſe de cauſa mediata, de illa nimirum, quæ vi alterius ſubſequētis actionis damnum infert. His pro faciliori intelligentia præhabitis.

Dicendum eſt primo: actionem illam cenſendam eſſe cauſam mediatam damni, ex qua per ſe, vel vt plurimum ſequitur actio damnificans, ita *Leſſius lib. cit. cap. 9. dubit. 15. & 16.* v. g. ſi quis ad interficiendum inimicum vtatur gladio Sortis, & notum ſit apud alios gladium eſſe Sortis, vel ad ſe occultandum furetur veſtes proprias eiuſdem Sortis illo inuito, & ex tali ſimulatione, homicidium Sorti imputetur, & ideo plura illi obueniant damna in bonis externis, tunc verus homicida cenſebitur cauſſa, & non ſolum mera occasio illorum damnorum, nam tum vſus illius gladij, tum vſus veſtium eſt ex ſe aptus generare in hominum mente, quamdam non leuem, & temerariam, ſed grauem, & prudentem credulitatem, ſeu perſuaſionem, qua iudicetur homicidium illud à Sorte fuiſſe patratum, & ex tali credulitate per ſe ſequuntur damna illa contra Sortem, nam vi prædictorum inditiorum in iudicium vocatus tamquam Reus,in ſui defēſionem plures oportet expenſas facere. 6

Hæ autem actiones ſunt ex ſe connexæ, & ſemper, vel vt plurimum damna contra tertium inferunt, proinde prima illa actio, nempe vſus gladij, & veſtium non ſolùm fuit iniurioſa Sorti ſecundum ſe, quatenus abſque ipſius Sortis cōſenſus fuit, verum etiām inquantum medijs alijs actionibus illi damnū intulit ratione homicidij imputati: ſimiliter ſi Titius iniuſtè denigret famā Caij apud collatorem alicuius beneficij,aut alterius dignitatis, detractio iſta apta eſt ex ſe ingerere in mente collatoris credulitatem de indignitate Caij ad obtinendum beneficiū, aut dignitatem, & ſi propter hoc Collator non conferat beneficium, tenebitur Titius ad reſarciendum damnum, quod Caius paſſus eſt, quia tum credulitas illa prudens, vt ſuppono, tum reiectio illa à beneficio, ſeu dignitate ſunt ex ſe connexæ cum detractione facta apud collatorem,& con-

conſequenter cauſa illius damni, quod Sortes reiectus paſſus eſt, quia detractio illa ſuapte natura vim habet generandi in mente collatoris malam exiſtimationem de ipſo Caio ad beneficium obtinendum, & ex tali exiſtimatione per ſe ſemper, aut ferè ſemper ſequitur reiectio, ex reiectione damnum, &c. & ſic in alijs ſimilibus; proinde, qui primam exercet actionem iniuſtã præuidens ea, quæ ex illa ſequuntur, cenſebitur ſaltem interpretatiuè, ſeu implicitè velle ea omnia, quæ per ſe cum tali actione connectuntur, atq; adeo eſſe illorum cauſſa.

7 Dicendum eſt ſecundo. Actionem, ex qua per ſe non ſequitur actio damnificãs, ſed ſolùm ex libera, & praua alterius voluntate, non eſſe cauſſam damni, ſed ſolùm occaſionem; concluſio iſta, quamuis non ſit ita manifeſta ſicuti præcedens, nihilominus, ni fallor, eſt valde probabilis, validiſque confirmari poterit argumentis: probatur igitur primo, quia niſi conſtitutiuum proprium, & diſtinctiuum occaſionis à cauſſa non ſit hoc aſſignatũ, non apparet, in quo conſiſtere poſſit, & ſi hoc aduerſarijs nõ placeat, aſſignẽt aliud, ſanè à me non cognoſcitur, vt melius, confirmando concluſionem, videbitur. probatur ſecundo, diſcurrendo per ea, de quibus dubitatio eſſe poterit, quæ tria ſunt, nimirum, ſubminiſtrare materiam, qua alius abutens damnum tertio infert, conſtituere aliquem per iniuriam in morali quadam neceſſitate lędendi tertium, vt ſe indemnem reddat: denique quando effectus, ſeu damnum, aut ſemper, aut vt plurimum ſequitur ex priori actione, aliud non percipio, quod aſſignari poſſit: ſed nullum ex his tribus erit ſufficiens diſtinctiuum inter cauſſam, & occaſionem: ergo nihil aliud erit, niſi illud in concluſione poſitum, minor iſta, in qua tota reſidet difficultas, demonſtratur per ſingula; & vt clariùs appareat diſtinctè illa examinabo.

§. V.

Subminiſtrare materiam, qua alius eſt abuſurus, non diſtinguit ſufficienter cauſſam ab occaſione.

8 NEquimus per ſubminiſtrationem materiæ habere adæquatũ diſtinctiuũ cauſſæ ab occaſione; probatur, quia iuxta probabiliorem, & communiorem opinionem, ſi Titius deponat, aut vi alicuius cõtractus pecuniam ſubminiſtret vſurario, aliam non habenti, præuidens quod ille ſub vſuris eã alijs ſit daturus, & ipſe ſubminiſtrator abſq; ſufficienti ratione id faciat, quamuis peccabit contra charitatem ratione ſcandali, non peccabit contra iuſtitiam, & conſequenter ad reſtitutionem non tenebitur, ita *Molina tract. 2. de iuſtit. diſp. 331. n. 4. Salas de contract. trac. de vſur. dub. 44. à n. 4. Rebell. de obligat. iuſt. lib. 8. quæſt. 16. ſec. 4. Leſſius lib. 2. cap. 20. dub. 21. Sanchez lib. 1. in decal. cap. 7. n. 36. Cardinalis Delugo tom. 2. de iuſt. diſp. 25. n. 217. Bonacina de contr. diſp. 3. quæſt. 3. p. 15. num. 12. in fine*, & apud ipſos *Caiet. Bañes, Aragonius, & alij*: hoc autem aſſerunt ex eo quod ſubminiſtrator pecuniæ non ſit cauſſa illarum vſurarum ſubſequentium, ſed ſolùm occaſio: Igitur ſola ſubminiſtratio, vt ſic, non erit ſufficiens diſtinctiuum inter cauſſam, & occaſionem, cum ſit vtriq; communis, & nulla res poteſt ab alia diſtingui per illud, quod cõmune habet cũ illa vt de ſe patet. Dixi ſubminiſtrationẽ vt ſic nõ eſſe ſufficiens diſtinctiuum, nam aliqua ſubminiſtratio determinatæ materiæ conſtituit ſubminiſtrantem in ratione cauſſæ, quando autem id eueniat, & quæ regula ad id diſcernendum ſit aſſignanda alibi eſt tractandum, nobis ſatis erit rationem genericam ſubminiſtrationis ſatis nõ eſſe ad hãc diſtinctionem, vt patet in exemplo poſito, & in alijs ſimilibus, ex quo colligitur, quod ſubminiſtratio illa frumentorum, qua Ioannes vendidit Petro frumenta cũ præuiſione alterius iniuſtæ venditionis, non fuit ſufficiens ad conſtituendum Ioannem, vt cauſam ſecundæ venditionis.

Neque ad hanc eneruandam paritatem dicas diſparem eſſe rationem, quia Titius ſubminiſtrans pecuniam vſurario, rem gratam facit mutuatarijs, quibus ab vſurario danda eſt pecunia, nam ipſi ea indigentes, niſi hanc mutuam haberent, non poſſent proprijs neceſſitatibus ſubuenire, at mercatoribus non eſt grata negotiatio inter Ioannem, & Petrum, per quam frumenta vltra iuſtum pretium venduntur, quia ex hoc ſequitur eodem pretio ab ipſis fore emenda.

Sed contra eſt primo. quia non video, 9
quid faciat ad conſtituendam cauſſam, aut occaſionem, negotiationem eſſe gratam, aut moleſtam, cum hoc vtriq; conuenire poſſit, ſicuti enim cauſſa alicuius effectus poteſt eſſe alicui tertio grata, & moleſta, ita, & occaſio, vtraq; enim infert eumdem effectum, circa quem verſari poterit tum cauſſa, tum occaſio.

Secundo. dico eſſe paritatem, quia ſicuti mutuatarijs grata eſt ſubminiſtratio pecuniæ ob rationem tactam, moleſta tamen obligatio, & ſolutio vſurarum; ita grata erit Mercatoribus ſubminiſtratio frumentorum facta à Ioanne, licet moleſtus

Digitized by Google

ſtus eiſdem ſit exceſſus in pretio ; & ſic vtrobiq; currit paritas.

§. VI.

Neq; conſtituere aliquem in morali neceſſitate lædendi tertium eſt diſtinctiuum.

10 IN hac morali neceſſitate, in qua per actionem iniuſtam aliquis conſtituitur, putarunt nonnulli conſiſtere diſtinctiuũ, de quo agimus, & ideo si Titius lædens Sortem non conſtituat illum in tali neceſſitate, & anguſtijs, eumdemque moueat ad alios lædendos, ſi hoc non obſtante Sortes ſua praua voluntate inducitur ad iniuriam tertiæ perſonæ faciendam, tunc Titius diceretur ſolùm exhibuiſſe occasionem Sorti ad peccandum: si vero moralem neceſſitatem inducat, vt Sortes excitetur, vt ſe indemnem reddat, ad tertiæ perſonæ iniuriã inferẽdã, tũc Titius cauſſa, & non ſola occasio ſubſequentis iniuriæ cenſeretur. ita diſcurrere poſſunt aduerſarij.

11 Verum, quæ ab his aſſeruntur non placent, primo, quia difficillimum, ne dicam humano intellectui impoſſibile eſt determinare gradum huius moralis neceſſitatis, requiſitum ad conſtituendum aliquem in ratione cauſſæ potiùs quàm occasionis, cùm enim certum ſit per occasionem hominem etiam excitari ad malum magis, & minus iuxta qualitatem materiæ, & diſpoſitionem ſubiecti, nequimus ſignare gradum talis excitationis, qui requiritur ad rationem cauſſæ, ita vt minor intenſio infra talem gradum non ſufficiat, vt ille, qui materiam excitãtem ſubminiſtrat, dicatur occasio, & non cauſſa, imo interdum magis excitatur, & quodam modo neceſſitatur homo vi occasionis datæ quàm cauſæ, v. g. magis mouebitur latro ad furandum, quando illi præbetur opportunitas, quæ ſit occasio, quàm per ſimplex conſilium ad furandum, quod eſt cauſa moraliter influens. igitur cum quocumque gradu excitationis aſſignato, ignoremus num ſit ille, qui requiratur ad rationem cauſæ, numquam determinare poſſemus, numille, quia ita per exhibitionem alicuius materiæ excitauit latronem ad furandum, fuerit cauſſa, an vero tantum occasio, & conſequenter, neque poſſemus decidere, num excitans teneatur, nec ne ad reſtitutionem rerum furto ablatarum: ſecundo argumẽtor efficaciter contra hanc explicationem tali pacto.

12 Neque in hoc conſiſtere poteſt diſtinctiuum cauſſæ proximæ ab occasione, quia in alijs caſibus, qui ſunt valde ſimiles, oppoſitum exiſtimatur à Doctoribus, & exẽplum affero deductum ex doctrina *Leſſij li.* 2. *de iuſt. cap.* 32. *dub.* 4. *n.* 30. vbi ipſe quærens, an officia ſæcularia vendi poſſint, & partem affirmatiuam docens, ſpectando rationes aliquas, quæ in officijs ſæcularibus reperiuntur, declarat nonnullas conditiones, quæ requiruntur, vt huiuſmodi venditio licitè fieri poſſit, & inter alias, vt pretium moderatum eſſe debeat, ne detur occaſio emptori multa iniquè extorquendi, vt quotidiana docet experientia: poſtea vero petit vtrum is, qui pretio immoderato occaſionem prębuit emptori iniuſtè exigendi à ſubditis, teneatur ad reſtitutionem damni, si emptor ipſe non reſtituerit: reſpondet non teneri, quia illa venditio, ſolùm eſt cauſſa remota illius damni, & ſubdit hæc verba [*Non enim ſi tibi aliquid vendidi immodico pretio, & ita; vt ſoluas furtum committas, ego cenſeor cauſſa furti, ſi tamen Princeps vendidit tenetur illud damnum ſarcire, non præcisè, quia occaſionem dedit, ſed quia cum teneretur impedire ex officio, non impedit*] *Hæc Leſſius*, cuius doctrinã etiã ſequutus eſt *Aegidius Trullench lib.* 7. *in decal. cap.* 20. *dub.* 21. *num.* 10. Notanda igitur eſt paritas, ne dicam identitas inter vnum, & alium caſum, differẽtia enim aliqua, quæ reperitur, ſolùm materialis eſt non diuerſificans caſus; eadem enim eſt ratio, ſiue merces, quæ venduntur ſint frumenta, ſiue quæcumque alia res vendibilis, & ideo ſi Ioannes vendat officium ſæculare pretio immoderato, & vt ſic detur occaſio emptori, iniquè extorquendi ab alijs, vt indemnem ſe reddat, ſi de facto eueniat, vt emptor extorſiones faciat, hoc nõ obſtãte, Ioãnes exiſtimatur cauſa remota, ſeu pura occaſio, & cõſequẽter non aſtringitur ad damnum cõtra alios illatum reſtituere, ita pariter ſi loco officij ponatur frumentum, quod idem Ioannes vendat pretio iniuſto, etiam si emptor, vt indemnem ſe reddat, diuendendo frumentum, pretium iniuſtum exigat ab alijs emptoribus, Ioannes cenſebitur ſolùm cauſſa remota, ſeu pura occaſio iniuſtitiæ, quam emptor committet; atque adeo ſicuti vẽdendo officium, non iudicatur cauſſa proxima, neque aſtrictus ad reſarciendum damnum contra alios illatum ex defectu huius conditionis præciſe; ita neque vendens pretio iniuſto frumentum, etiam ſi emptor per iniuriam alijs irrogatam, damnum ſibi compenſaret, iniuſtam exercens frumenti venditionem, eadem enim eſt paritas, neque percipio ſufficiens diſcrimen inter vnum, & alium caſum.

13 Et ſi aduerſarij ne huic argumento ſuccumbant, dicant in vtroque caſu iniuſtum venditorem, à quo incœpit læſio, teneri reſtitutionem facere non illi, qui fuit im-

mediatè læſus, ſed alijs, ad quos damnum vltimò peruenit, ſi inquam hoc aſſerant, eſſet ab ipſis hoc probandum, & ſaltem negari ab eiſdem non poterit oppoſitum, quod prædicti Authores ſuſtinent, eſſe valde probabile, & conſequenter valde probabile etiam eſſe id, quod nos tuemur in caſu noſtro, cum vtrobique eadem currat paritas inter venditionem officij, & venditionem frumenti.

14 Ad pleniorem etiam confirmationem noſtræ ſententiæ addo, gratis aſſeri hanc neceſſitatem moralem in Mercatoribus, in quos Petrus frumenta alienauit, poterant enim Mercatores illa non emere, aut peracta emptione agere cõtra Petrum actione quanti minoris ad recuperandum exceſſum pretij, vel frumenta applicare iuſtæ negotiationi, & lucrum cõſequi æquale illi damno, quod paſſi fuerunt, & ſic illud ſibi reſarcire, proinde cum hæ ſecũdæ venditiones per ſe connexæ minimè ſint cum prima venditione facta à Ioanne, & ſolum ſequutæ fuerint ex libera, & interpoſita voluntate Petri, & ipſorum Mercatorum, recte dicimus Ioannem per primã venditionem non cauſſam, ſed tantum occaſionem fuiſſe ſecundarum emptionũ; atque adeo non teneri reſtitutionem facere Mercatoribus, ſed Petro, qui fuit immediatè læſus.

15 Nonnullis alijs exempiis ex diuerſis caſibus deductis poſſemus noſtram ſententiam confirmare, quibus placet obiter vnũ aut alterum percurrere, & inter alia eſt tritum illud de adultero, qui ſi agnoſcat prolem genitam ſuam eſſe, & prævideat ab adultera eam ſupponẽdam ſore marito, vt delictum occultet, & ex tali fictione damnum ſequuturum filijs legitimis in bonis paternis, quatenus illegitimus partem eorumdem bonorum ſit adepturus; nihilominus ſi adulter ſimulationem hanc non procurauerit, nec illam adulteræ ſuaſerit, ſuſtinent aliqui Doctores non teneri damna illa reſarcire, quia non cauſſa, ſed ſolùm occaſio fuit prædictorum damnorum, & tamen ſuo adulterio poſuit adulteram, quamuis liberè volentẽ, in his anguſtijs, & in quadam morali neceſſitate exercẽdi fictam illam ſuppoſitionem, qua non obſtante, aliqui graues Authores eximunt adulterum ab obligatione reſtituendi, ex eo quod per adulterium remotè tantum ſe habuerit ad ſubſequens damnum, & in hac ſententia eſt *Sotus lib. 4. de iuſt. quæſt. 7. a. 2. circa finem. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 21. nu. 3. & apud ipſum Peña*, & probabilem putat hanc opinionem, licet eam non ſequatur, *Barthol. à S. Fauſto in ſpec. cõſ. diſp. 23. quæſt. 8. n. 10. Diana par. 2. trac. 3. miſcel. reſol. 55. & alij*, quidam recentiores, quos tacito nomine laudat *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 10. nu. 43.* Neque dicas adulteram in eo caſu nõ cenſeri conſtitutam in tali neceſſitate morali, quia poſſet extra propriã domum mariti prolem enutriendam alijs committere; ideoq; rarò & per accidens in tali neceſſitate inueniri: ne dicas hoc, quia ex adulterio, & prole genita ſæpe, & non rarò ſimilia damna ſequi ſolent, & præſertim inter mulieres, quæ honeſtæ exiſtimantur apud alios, hæ enim omni via curant partum celare, proinde ſi dicatur poſſe ab adultera occurri alia via prædictis incommodis, & conſequenter non conſtitui in ea morali neceſſitate: ita etiam, & ego dicam poſſe à Petro emptore, qui immediatè fuit læſus à Ioanne, alio modo quàm per iniuſtas venditiones occurri damno, quod ſuſtinuit, nempe frumentum illud alteri iuſtæ negotiationi applicare, & lucrum damno æquiualens conſequi, ſanè non deſunt ſimiles negotiationes, atque adeo ego dicerem Petrum ementem non fuiſſe in ea morali neceſſitate conſtitutum, in qua volunt aduerſarij, & ſi ipſi affirment, etiam & ego de adultera idem affirmabo.

Rurſus eſt alius caſus, in quo reperitur talis neceſſitas, nempe ſi quis alium contumelijs afficiat, & ab illo inuaſus ſe defendens occidat inuadentem, & ex homicidio damnum in bonis externis obueniat filijs occiſi, in tali autem caſu contumelioſus, vt docet *Leſſius lib. cit. cap. 9. num. 137.* non aſtringeretur damna illa reſarcire, quia, vt idem Author ait, contumelijs afficiens non fuit cauſſa, ſed ſolùm occaſio mortis, & tamen contumelijs poſuit in neceſſitate morali inuadentem, qui licet iniurijs affectus exceſſerit limites iuſtę defenſionis procurando occidere cõtumelioſum; nihilominus contumelioſus per iniuriam in tali neceſſitate illum cõſtituit. Multa alia exempla adducere poſſem, in quibus ea moralis neceſſitas reperitur ad alios iniuſtè lædendos, & tamen ille, qui alium in ea neceſſitate conſtituit à Doctoribus excuſatur ab obligatione reſtituendi, ex eo quod vt occaſio, & remotè tantum ſe habuerit. Igitur hoc præcisè, quod eſt conſtituere aliquem in tali neceſſitate, nequit eſſe diſtinctiuum adæquatum inter cauſſam proximam, & occaſionem, cum ſæpe in vtraq; reperiatur. 16

§. VII.

§. VII.

Actio,ex qua vt plurimum damnum iniuſtum ſequitur,non diſtinguit cauſſam ab occaſione.

17 IN hoc magnam vim faciunt aduerſarij, putantes ſufficienter per hoc diſtingui cauſſam ab occaſione.

Sed dicendum eſt, actionem, ex qua modo explicato ſequitur damnum, poſſe eſſe puram occaſionem, & ideo habens hoc, vt quid commune cum cauſſa, per illud nequit à cauſſa ſeiungi.

Pro qua re triplex diſtinguo genus actionum, ex quibus vt plurimum ſequitur damnum contra tertium. Primum genus cōtinet actiones illas, quæ ex ſe, ſeu phyſicè loquendo trahunt actionem damnificantem, vel ſemper, vel ferè ſemper; & affero exemplum poſitum in Iure ciuili nempe in *L. 1. ff. Si quadrupedes pauperium*, v.g. ſi ego equum catenis deuinctum ſoluam, prauidens quod alienas ſegetes ſit paſturus, tunc prior illa actio, ſolutio ſcilicet è catenis in his circumſtātijs, vt plurimum trahit actionem damnificantem, nempe comeſtionem ſegetum faciendam ab equo; ſimilis erit alia actio, vt ſi tu ponas ignem in apotheca, in qua eſt magna pulueris nitrati quantitas, appoſitio ignis in talibus circumſtantijs erit actio, ex qua vt plurimum phyſicè ſequitur damnum, nempe incendium, &c.

Secundum genus includit actiones, quæ licet phyſicè non trahant damnum, ciuiliter tamen, vt plurimum id habent v. g. accuſatio iniuſta coram Iudice trahit hoc, vt accuſatus ad iniquam repellendam accuſationem, plures faciat expenſas,& alia patiatur damna.

Tertium denique genus cōtinet actiones, quæ neque phyſicè, neque ciuiliter ex ſe habent inferre damnum, ſed id habent ex praua voluntate alterius interpoſita, & huius generis ſunt exempla ſuperius adducta §. *præcedente*, & alia ſimilia. his poſitis.

Dicendum eſt, ſi quis exercet actionē aliquam primi, aut ſecundi generis erit cauſſa moralis damnorum, quæ ſequuntur, probatur, quia ille, qui vult rem aliquam, cenſetur interpretatiuè velle id, quod ex natura rei ſequitur ex re illa prius volita, vel ſaltem ſequitur ciuiliter, ſi vero exerceat actionem, ex qua neque phyſicè, neque ciuiliter coniunctam habet actionem damnificantem, ſed ſolum ex libera, & mala voluntate alterius,tunc non erit cauſſa, ſed ad ſummum occaſio damni ſubſequentis,quia non cēſetur neq. interpretatiuè velle malum illum effectū, qui non ſequitur ex natura illius actionis, vt oſtendunt exempla ſuperiùs poſita; & ideo in caſu noſtro, actio illa,qua Ioannes vendidit Petro triticum, neque ex natura rei, neque ciuiliter trahebat venditiones illas iniuſtas factas Mercatoribus, ſed illæ fuerunt ex libera voluntate Petri, & Mercatorum, & ideo Ioannes ſolùm occaſio, & non cauſſa fuit talium venditionum: & confirmatur doctrina iſta, ſecundum quam dicimus vt plurimū ſequi malum effectum conuenire poſſe occaſioni,nā ſi illam deſcribere velimus, debemus in eius deſcriptione frequentiam effectus apponere, & ideo *Nauar. in man. cap. 3. n. 14.* occaſionem propinquam peccati declarans,ait eſſe illam, quæ vel numquam, vel rarò eſt ſine peccato; cum igitur hoc commune ſit cauſſæ, & occaſioni, nequimus per hoc rectè diſtinguere vnā ab alia.

Ex his omnibus colligitur verum, & adæquatum conſtitutiuum, & diſtinctiuū cauſſę ab occaſione ſimplici eſſe id ſuperius à nobis aſſignatum, videlicet, actionē, quæ ex ſe trahit aliam actionē damnificātem per iniuriam contra tertium; ſimplicem vero occaſionem eſſe actionem illā, quæ non ex ſe, ſed ex interpoſita iniqua alterius voluntate damnum contra tertiū infert.

§. VIII.

Vtrùm Ioannes mercatoribus reſtituens, ſuæ obligationi ſatisfaciat.

POnamus quod Ioannes primus venditor, quamuis non teneatur,velit tamen exceſſum pretij ſoluere Mercatoribus, qui damnum ſuſtinuerunt à Petro, num per talem ſolutionem liberetur ab obligatione illa, quam erga Petrum probauimus habere.

Dicendum eſt omnino liberari. probatur concluſio ex principijs valde receptis, 18
nam quando non eſt reſtituenda talis determinata numero res,poteſt debitor ſoluere creditori ſui creditoris, & ſe eximere ab obligatione, qua detinebatur, ſuppono tamen vtrumq. creditum eſſe certum, & liquidum, ſed in præſenti caſu, Mercatores habent creditum contra Petrum, & Petrus contra Ioannem: & vtrumque eſt certum, & liquidum: igitur Ioannes ſoluens mercatoribus eximit ſe ab illa obligatione, qua erga Petrum detinebatur, maior in qua poteſt eſſe dubitatio deſēditur communiter, & ſententiam in ea poſita docent *Medina Cod. de reſtit. quæſt. 3. cauſa 5. Rodriquez in ſumma par. 2. ca. 43. cōcl. 3. Leſſius li. 2. cap. 16. dub. 9. & alij.*

19 Aduerto tamen hic, quod ſi emptores, quibus Petrus frumentum vendidit, omnes, vel aliqui ſint incerti, & non compareant, etiam morali adhibita diligentia ad illos inueniendos, non poterit Ioannes ad ſe liberandum vti medio illo, quod Sanchez, & Delugo proponunt, videlicet reſtitutionem pauperibus facere, iuxta regulas generales, quas Authores præſcribunt pro debitis incertis, & conſequēter neque poterit vti compenſatione virtute Bullæ Cruciatæ, euidens eſt concluſio, quia regula de reſtitutione facienda pauperibus, & de beneficio compoſitionis, quando debita ſunt incerta, locum habet in eo, qui eſt neceſſarius, & verus debitor creditoris incerti, at Ioannes reſpectum mercatorum non eſt verè debitor: ergo nequit vti prædicto medio. Et confirmatur nam alias ſequeretur quod ſi Ioãnes Sorti debeat, poſſet inquirere creditores incertos eiuſdem Sortis, ſi fortè illos habeat, & ſi ita inueniet, ſoluendo exiguam illam eleemoſynam, quam cruciata præſcribit poſſet ſe eximere ab omni obligatione erga Sortem, quod tamen nō eſt dicendum, quia Ioannes vt sic ſibi vſurparet ius illud, quod Sortes habet ſe componendi pro eo, quod debet incertis creditoribus, quod tamen eſt valde incōueniens, neque Ioannes liber effectus fuiſſet. Cæterũ in caſu noſtro ſi Petrus ceſſiſſet mercatoribus ius illud, quod habet in Ioãnē, tũc tali ceſſione facta, Mercatores inciperent eſſe veri, & immediati creditores ipſius Ioannis, & Ioannes verus eorum debitor, & ſi poſtea Mercatores, quibus tale ius fuit ceſſum, eſſent incerti, poſſet Ioannes, vel pauperibus reſtituere, vel beneficio cruciatæ ſe componere.

§. IX.

Diluuntur Aduerſariorum argumenta initio poſita.

20 AD primum argumentum, in quo dicebatur quod vēditio illa inter Ioãnem, & Petrum fuit Mercatoribus iniurioſa, &c. diſtinguo antecedens, fuit iniurioſa Mercatoribus ſecundum ſe ſpectata, & ex parte Ioannis vendentis, nego; fuit iniurioſa Mercatoribus extrinſecè, & ex parte Petri ementis, & emptionem illam dirigentis ad venditionem iniuſtam faciendam Mercatoribus, concedo antecedens, & nego conſequentiam, ad hoc enim vt Ioannes Mercatoribus obligaretur reſtituere, deberet venditio illa eſſe iniurioſa ex natura ipsius, ſeu ex parte Ioannis. Ad probationem antecedentis, cum dicitur actio illa, ex qua vt plurimum ſequitur damnum contra tertiũ, eſſe illi iniurioſa, eſt etiam diſtinguēdum iuxta varia actionum genera, ex quibus vt plurimum ſequitur damnum, vt ſupra fusè declarauimus paragrapho antecedēte, videlicet vt plurimum ex natura ipsius actionis, ſeu physicè, aut ciuiliter, & cōcedo, vt plurimum ex voluntate alterius liberè interpoſita, & nego, vt ibidem diximus, & probauimus, & in hoc ſenſu exponendi ſunt Authores citati in argumento: minor autem huius ſyllogiſmi in probationem prædicti antecedentis eſt abſolutè neganda, & ad eius probationem, aio quod quamuis Petrus emptor conſtituatur per illam venditionem, in quadam morali neceſſitate vendendi alijs eodem pretio, &c. nihilominus, vt ſupra oſtēdimus, moralis iſta neceſſitas reperiri poteſt cum ratione cauſſæ, & cum occaſione pura, proinde quamuis demus Petrum conſtitui in illa neceſſitate, &c. non infertur neceſſariò eſſe cauſa, cum etiam eſſe poſſit occaſio, & ideo tum antecedens, tum cōſequens eſt negandum. Demum addo non videri tantam moralem neceſſitatem, vt putant aduerſarij, nam ex eo quod aliquis parùm ſuæ conſcientiæ timoratus iniuſtitiam vendendo committat, non ſequitur per neceſſariam conſequentiam, etiam moraliter, emptorem eſſe pariter malæ conſcientiæ, & ſimilem iniuſtitiam exercere; plures enim inueniuntur, qui neceſſitate coacti ſub vſuris pecuniam capiunt, quam tamen iuſtæ negotiationi applicant, & ad reſarciendum damnum ſibi illatum ab vſurario, non ſolent per fas, & nefas ſe indemnès reddere, non debent igitur aduerſarij hanc moralem neceſſitatem ita conſtanter admittere, quasi ſēper, aut ferè ſemper omnis, qui iniuſtum damnum patitur, debeat alteri ſimile damnum inferre.

21 Ad ſecundum argumentum, quod mihi amiciſſimus Tāburinus obiecit, & quod valde moleſtum videtur, reſpondeo primo. In ordine ad praxim nullius ferè roboris eſſe, quia vel loquimur pro foro externo, vel pro interno conſcientiæ; ſi primum numquam ſolēt Iudices cogere Reũ, quem corporaliter puniunt ad ſoluendas expenſas factas in curatione interfecti, ſed ſolent omnia in ſupplicium illud corporale commutare, & ita apud nos docet praxis, imo non deſunt aliqui, qui cenſent Reum non teneri in foro conſcientiæ ad has expenſas, ſubeundo pœnam corporalem, ſed hanc ſententiam non admitto: ſi ſecundum dicatur, caſus eſt impoſſibilis, quia ille, cui delictum imputatur, ſciens ſe eſſe innocentem, ſcit etiam nullo iure conſtringi ad expenſas illas ſoluendas, pro-

Digitized by Google

proinde numquam ex ſe mouebitur ad illas reſarciendas. Sed quicquid ſit de hoc, reſpondeo ſecundo, negando paritatem, nam cauſſa ſoluendi has expenſas cum ſit eadem numero, nempe idem homicidium patratum, ille, cui imputatur ſoluit, vt ſuſtinens perſonam Rei, qui verè homicidium commiſit, & loco illius ſoluens, intentionem habet ſaltem implicitam procurandi tempore opportuno illas repetere ab ipſo Reo, proinde eidem, qui ſoluit, & non alijs perſonis, quibus compenſatū fuit damnum, reſtitui debent expenſæ. Cæterum in re noſtra cauſa damnificans Petrum eſt diſtincta à cauſa damnificante mercatores, quia reſpectu Petri eſt prima venditio frumentorum facta à Ioanne, reſpectu vero mercatorum eſt altera venditio facta à Petro, & vnaquæque venditio eſt ex ſe completa ſine ordine intrinſeco ad aliam, eſſet autem caſus ſimilis, quando vi eiuſdem numero venditionis damnū pateretur Petrus, & pariter Mercatores, & tunc refectio damni Mercatoribus, & non Petro eſſet facienda, quod tunc contingeret, quādo Petrus emeret vel vt procurator, vel vt geſtor negotiorum eorumdem mercatorum, & ſolueret pretium animo repetendi illud à mercatoribus.

22 Ad tertium reſpondeo, ſi Petrus bis reciperet exceſſum pretij, nempe à Ioanne, & à Mercatoribus, non poſſet in foro conſcientiæ vtrumque ſibi retinere, ſed deberet alterum mercatoribus reſtituere: imo in foro externo daretur actio, quāti maioris, per quā Mercatores petere poſſent à Petro, vt redderet exceſſum, ſicuti etiam poteſt eadem actione Petrus petere à Ioāne, & ſi contingeret à Petro vtrumque ſibi retineri, id oriretur ex eius praua voluntate, & non ex natura actionum.

23 Ad quartum neganda eſt paritas, nam inſtrumentum illud, quod latroni petenti à Petro ſubminiſtratur eſt cauſa immediata, ſeu complens cauſſam immediatam furti, quatenus mediante tali inſtrumento fraudulenter arca aperitur, ad pecuniā alienam capiendam, frumenta autem, vt materia primæ venditiones, valde remotè ſe habent ad ſecundam venditionem, & ideo non ſe habent tamquam inſtrumentum ſecundæ venditionis, licet ſi conſiderentur vt merces huius ſecundæ venditionis, ſe habeant vt materia iniuſtitiæ contra Mercatores.

§. X.

Quid dicendum ſi Petrus emat frumenta, vt illa eadem pretio colonis diuendat.

IN præcedentibus conſiderauimus venditionem frumenti in ordine ad emptores, inter quos, & Petrum venditorem nulla erat connexio, nunc, vt initio quæſtionis promiſimus, eadem quæſtio erit expendenda in ordine ad emptores aliqualem habentes cum Petro connexionem, vt ſunt coloni, de quibus propoſita fuit dubitatio, cuius deciſio difficilior redditur.

Pro ſolutione ſupponendum eſt, duplici modo potuiſſe Petrum ſe gerere emendo frumentum à Ioanne; primo illud emendo nomine ipſorum colonorum, & ex illorum commiſſione, etiam ſi in contractu de illis nulla mentio facta fuiſſet: vel abſque mandato, & commiſſione, ſed illud emendo in vtilitatem ipſorum colonorum, & veluti geſtor negotiorum, putans emptionem vtilem futuram ipſis colonis. ſecundo potuiſſe moueri ad emendū indepēdēter à colonis, ſed proprio ſuo nomine, quamuis intentionem habuerit frumentum eiſdem colonis vendere, ſi illi voluerint illud emere, & eodē pretio ſupra rigoroſum. His præhabitis. 24

Dicendum eſt primo, ſi Petrus emit frumentum à Ioanne priori modo, tunc reſtitutio illius pretij colonis à Ioanne erit facienda. ita docet *Azor. in ſimili par. 3. lib. 4. cap. 26. in fine. Hieronymus Pharaonius in prāct. trac. 2. de reſt ſeſ. 29. caſ. 6.* loquūtur. n. hi Authores, quādo quis vēdit triticū cōmunitati vltra iuſtum pretiū taxatum, & ex tali tritico panis confectus ciuibus fuit venditus ab eadem communitate eodem pretio, vt ſe indemnem redderet, hoc poſito quærūt hi Authores, cui nam ſit facienda reſtitutio, & reſpondent ciuibus eſſe faciendam, quia communitas illorum nomine frumentum emit. probatur concluſio ratione, nam in tali caſu, communitas emens nomine ciuium ſe habet veluti quidā procurator faciens vnum cum ciuibus, quorum negotium geſſit; igitur reſtitutio facienda eſt ciuibus, qui dānum ſenſerunt, non autem communitati, quæ damnum ſuſtinuit non ratione ſui, ſed ſuorum ciuium. 25

Dicendum eſt ſecundo. Emptio frumētorū ſi à Petro facta fuit nomine ſuo proprio, & indepēdēter à colonis, licet intentionem habuerit eadem frumenta alienādi in colonos, tunc puto Ioannem eſſe aſtrictum Petro, quem læſit damnum reficere. probari poterit concluſio iſta eiſdem argumentis, quibus hoc ipſum probauimus ſupra, loquendo de Mercatoribus, nam in caſu iſto coloni ſe habēt quemadmodum quicumque alij extranei emptores, qui nullam habent connexionem cū venditore. Neque obſtat intentio illa, quam Petrus habuit, vendendi frumenta colonis, qui vi talis intentionis nullum ius in frumenta acquiſierunt, & hu- 26

Digitized by Google

ius rei ſignum eſt, quod in poteſtate Petri poſitum erat, frumenta illa, vel alijs vendere, vel alteri negotiationi applicare, & quamuis iuxta conſuetudinem ſoleant, qui prædium habent ſerendum, eius partes in aratores, ſeu colonos diſtribuere, & aliquod ſubſidium eiſdem dare, nihilominus, vel hoc eſt poſitum in arbitrio Domini, iuxta variorum locorum conſuetudinem, vel ſubſidium poterit eſſe in ſola pecunia; quod ſignum eſt frumenta illa empta, eſſe ſub dominio ipſius ementis, & non colonorum.

Hæc mihi viſa ſunt de iſta difficultate valde obſcura dilucide expendere, paratus ſapienti prudentũ iudicio acquieſcere.

QVAESTIO DECIMA SEPTIMA.

Vnius ſacri promiſſio in gratiam alterius, num ſub lethali culpa promittentem aſtringat?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur ſenſus quæſtionis.*
2 *Prima opinio cum ſuis fundamentis explicatur.*
3 *Secunda ſententia refertur.*
4 *Ratio adducta ab Alphonſo de Leone non probatur.*
5 *Opinio Authoris aperitur.*
6 *Ratio, quæ à Sanchez affertur debet meliùs confirmari.*
7 *Præſupponuntur varia rerum genera.*
8 *Res in vno genere non debet comparari in ratione magni, aut parui cum rebus alterius generis.*
9 *Nonnullis exemplis oſtenditur.*
10 *Damnum ſpirituale ſequens ex omiſſione vnius ſacri non cenſetur abſolutè, & ſimpliciter graue.*
11 *Diſparitas inter votum, & promiſſionem hominibus factam.*
12 *In quibuſdam circumſtantijs omiſſio vnius ſacri erit grauis culpa etiam in ratione promiſſionis humanæ.*

1 SErmo eſt de promiſſione ſpectata ſolùm in ordine ad materiam, circa quam verſatur, & quærimus, an vnum dumtaxat ſacrum, ſi reliquæ concurrãt conditiones, nempe intentio ſe obligandi ex parte ipſius promittentis, & acceptatio ex parte promiſſarij, ſit ſufficiens ad obligandum ſub graui culpa; an potiùs prædictis conditionibus non obſtantibus, cenſeatur leuis materia; ita vt quantumuis promiſſor voluerit ſe obligare, & alius acceptare; nihilominus tranſgreſſio promiſſionis, nempe ſacri omiſſio, non excedat venialem culpam.

Prima opinio ſuſtinet eſſe peccatum mortale nõ ſeruare promiſſum vnius Miſſæ, ſic *Petrus Nauarra lib. 2. de reſtit. ca. 1. dub. 7. nu. 329. Trullench lib. 7. in decal cap. 17. dub. 6. n. 4. Ioannes Dicaſtillo de iuſtit. lib. 2. tract. 4. diſp. 1. dub. 8. nu 97. Bonac de contractibus diſp. 3. qu. 11. p. 2. nu. 8. ver. Sed mihi probabilius.* Hæc ſententia duplici, ſed moleſto argumento ſuaderi ſolet. primo, quia fructus ſpiritualis, quem per ſacri celebrationem lucrari ſperat promiſſarius, eſt magnæ æſtimationis, proinde ſi illo priuetur, per eiuſdem ſacri omiſſionem, notabile patietur detrimentum ſpirituale, atque adeo celebratio vnius tantùm ſacri iudicanda erit grauis materia, & ſub culpa lethali obligare. ſecundo. Votum, de vno dumtaxat ſacro cenſetur de materia graui, & per conſequens iuxta communem opinionem obligare vouentem ſub mortali; igitur idem erit aſſerendum de eiuſdem ſacri promiſſione hominibus facta. Et confirmatur, quia votum obligans ſub culpa lethali non conſtituit, ſed ſupponit grauitatem materiæ, circa quam verſatur, & non differt à promiſſione, niſi inquantum, iſta fit homini, votum autẽ fit Deo; proinde res promiſſa non variatur, quoad leuitatem, & grauitatem materialem, per ordinem ad illum, cui fit, ſed quantum ad hoc immutata remanet; Nam ſi habitudo ad Deum faceret, vt res ſecundum ſe leuis euaderet grauis, ſequeretur quod votum erogandi in opus pium vnum obolum, obligaret ſub mortali, quod communiter rejcitur ex paruitate materiæ; Igitur ex eo, quod promiſſio rei ſecundum ſe leuis terminata ad Deum non acquirit grauitatẽ, licet eleuetur ad virtutem excellentiorẽ, nempe ad religionem, retinet tamen ſuã leuitatem, quam ante talem eleuationem habebat.

Secunda, & cõtraria opinio negat omiſſionem vnius ſacri promiſſi, etiam cum animo ſe obligandi, eſſe peccatum lethale, ſed ait eſſe tantum veniale. ſic *Sanch. lib. primo de matrim. diſp. 5. n. 25. & in decal. lib. 4. cap. 12. nu. 16. Barthol. à S. Fauſto de ſacris indulg. lib. 1. quæſt. 70. Fagundez in precept. eccleſiæ lib. 3 cap. 8. num. 11. & 12. Rodriquez in ſumma tom. 4. cap. 107. num. 4. Malderus in 2. 2. S. Thomæ tract. 1. cap. 9. dub. 8. Diana par. 2. tract. 3. miſcell. reſol. 9.* cui (*Hinc etiã*) *Alphonſus de Leone de offic. Capellani qu. 1. ſect. 3. nu. 28. in fine ver Probatio huius ſententiæ*, &c. licet auctor iſte non recte poſtea ſubdat hanc ſententiam fundari in doctrina communi in materia de obligatione promiſſionis acceptatæ, & id declaret, quærens num liberaliter promittens

tens aſtringatur, ad ſeruandum promiſſũ ex ſola fidelitate, vel an ex iuſtitia, & quia promiſſionem liberalem *nu. 32. in fine*, cenſet obligare tantùm ex fidelitate, & veracitate; ideo concludit promiſſionem vnius ſacri, quando non agitur de voto, vel de alia obligatione iuſtitiæ, quam habeat promiſſarius, non obligare ſub graui culpa, vt patet ex toto eius diſcurſu.

4 Sed Author iſte prędictam aſſignans rationem, deſtruit totum ſtatum controuerſię; proinde nequimus abſolutè illum citare pro hac ſecunda ſententia, quando enim diſputatur à Doctoribus, num liberalis promiſſio vnius ſacri ſit materia grauis, ſufficiens quantum eſt ex ſe ad obligandum ſub culpa lethali, non eſt quæſtio de virtute, ex qua oritur obligatio ſeruandi promiſſum, vtrum ex ſola fidelitate, an vero ex iuſtitia, ſed poſito quod ex iuſtitia rigoroſè dicta nos aſtringat, inquiritur, num promiſſio vnius tantùm ſacri ſit de materia adeo graui, vt obliget promittentem ſub mortali nec ne?idcirco Author iſte examinat quęſtionem ſub terminis alienis à noſtris. His vero omiſſis.

5 Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quę mihi probabilior videtur, ſcilicet liberalem promiſſionem vnius ſacri non obligare ſub graui culpa. Difficultas tamẽ eſt in aſſignanda ratione, quę concluſionẽ efficaciter probet, & primo loco ſe offert argumentum, quo Barthol. à S. Fauſto vtitur, probat autem ipſe hanc opinionem recurrens ad ſtipendium temporale, quod taxari ſolet pro quolibet ſacro faciendo, & iuxta valorem huius ſtipendij, inquit, eſſe attendendam grauitatem, aut leuitatem materię, de qua fit promiſſio, non autem eſſe attendendam in ordine ad bonũ ſpirituale, quod ex miſſa acquiritur, & quia ſtipendium vnius ſacri, eſt leuis materia, ſequitur promiſſionem vnius ſacri non obligare ſub mortali. Verum ratio iſta omnino inefficax eſt ad concluſionem probãdam, quia in hac quęſtione non conſideratur ſacrum in ordine ad ſtipendium tẽporale, ſed in ordine ad bonum ſpirituale, quod per ipſum ſacrum comparatur, ideo ratio adducta inepta eſt ad intentum ſuadendum.

Secundo autem loco ſe offert ratio à Sanchez, & ab alijs aſſignata, aiunt enim omiſſionem vnius tantùm ſacri in genere damnorum ſpiritualium nõ eſſe tanti momenti, vt iudicanda ſit lethalis, ſecùs autem in voto, quod ad Religionem pertinet, ordinaturque ad Deum, & ideo ſtrictiùs obligat, & hoc Sanchez exemplo cõfirmat; ſi enim quis votum emitteret recitandi tertiam calculi virginei partem, eãq. ſemel omittens, mortaliter peccaret, at ſi alteri homini eamdem recitationem promitteret, vna vice illam omittens, non cenſeretur grauiter delinquere.

Ratio hæc, quam Sanchez, cæterique 6
noſtræ ſententiæ fautores aſſignant, propriùs ad veritatem accedit quàm aliæ, nihilominus, niſi aliud addatur, facilè ab aduerſarijs eliditur, quia negarent omiſſionem vnius ſacri in genere damnorum ſpiritualium eſſe leuis momenti, proinde remaneret probandum à Sanchez, & alijs id, quod in probatione ſupponere videntur, nimirum omiſſionem illam eſſe leuem in genere damni ſpiritualis.

Cæterum vt ratio prædicta concluſionẽ 7
efficaciter ſuadeat, nonnulla declaranda, & ſupponenda ſunt. Et primo pro dilucidatione veritatis attendenda ſunt diuerſa rerum genera, & ex ijs, quæ continentur in illis, aliquid reputatur modicum, ſeu minimum, aliquid vero æſtimatur magnum, ſeu graue; & hoc deſumitur per ordinem ad communem hominum exiſtimationem, quæ ſummopere confert ad iudicium de vna quaque re ferendum quo ad magnitudinem, & paruitatem in moralibus, & politicis.

Secundo. poſſe varia rerum genera in hac materia ſpectari, quorum aliqua ad hominum vtilitatem, alia vero ad honorem, & Dei cultum directè, & ſpecialiter pertinent, vt videbimus.

Tertio. quæ ſunt in aliquo genere non 8
debent quoad magnum, aut modicum conſiderari reſpectiuè ad ea, quæ ſunt in alio genere, nam comparatio iſta ſæpe fallit, proinde rectè *Sanchez l. c. de matrim.* ait quod ad iudicandum, num ſit graue, aut leue damnum ſpirituale conferri debet temporale cum temporali, & ſpirituale cum ſpirituali, aliter inferretur damnũ aliquod in rebus ſpiritualibus, quod abſque controuerſia eſt leue, eſſe graue comparatiuè ad damnum corporale, vt mox declarabimus inductione.

Quarto. inferre alapam viro illuſtri in genere damni corporalis eſt quid leuiſſimum, at in genere honoris graue reputatur, ſic etiam de bono, quod huic malo opponitur, nam carere illa inflictione alapæ eſt minimum bonum corporale, ſed eadem carentia ſpectata in genere honoris eſt magnum bonum: contra vero vulnus in capite, quod præliando vnus miles recepit ab hoſte, in genere mali corporalis eſt graue damnum, ſecùs in genere honoris, & famæ, & idem proportionaliter de bono oppoſito, carentia enim talis vulneris magnum bonum corporale reputatur, & leue bonum in honore, & ſic in multis alijs; igitur ad iudicandum, num aliquod ſit magnum, aut modicum malum, ſeu bonum,

mum, non debet comparatio fieri ſumendo aliquid vnius generis, & illud referre ad aliud diuerſi generis, nam ſæpe vt vidimus. falſum deduceremus: applicando autem totam hanc doctrinā præſenti materiæ, dicimus quod omiſſio alicuius bonę operationis cōſiderata in ordine ad dam-num ſpirituale hominis, poterit eſſe culpa leuis, ſpectata tamen in ordine ad diuinū obſequium cenſenda erit grauis culpa, & ſic omiſſio ſacri promiſſi alteri homini non reputatur graue damnum in genere damni ſpiritualis, imo nec omiſſio duarum miſſarum, neque dicas eſſe graue detrimentum, quia per omiſſionem promiſſarius priuabitur gratijs illis, quæ erant a Deo conferendæ, ne dicas. hoc, primo. quia, incertum adhuc eſt, an de facto gratiæ illę fuiſſent a Deo concedendæ, requirunt enim varias diſpoſitiones, tum in ſacrificante, tum in eo, cui erat ſacrificium applicandum, quæ diſpoſitiones interdum deſunt, ſecundo, quia gratiæ illę, vel ſpectantur comparatiuè ad bona temporalia; vel ad bona ſpiritualia ſupernaturalia: ſi primum, proculdubio eſſent magni momenti, non ſunt tamen hoc pacto conſiderandæ, aliter ſequeretur, quod omiſſio vnius orationis angelicæ recitādæ ab homine iuſto pro alio homine eſſet magnum damnum, quia per talem omiſſionem iſte alius priuaretur magno bono, & conſequenter omiſſio talis orationis promiſſæ eſſet peccatum mortale, vtpotè cauſſatiua grauis damni ſpiritualis, quod tamen nemo dixit, aut ſomniauit; ſimiliter ſi quis committeret vnum peccatum veniale, vel alteri illud ſuaderet grauiter peccaret, quia malum illud ſpirituale, quod ſequitur ex tali peccato comparatum cum quocumque malo temporali, eſt grauiùs, hæc autem ſunt abſurda, & apertè falſa: ergo gratiæ illę conſequendæ per celebrationē miſſæ, comparandæ ſunt, ſitendo intra genus proprium ipſarum, nempe ſpiritualium, & tunc intra tale genus æſtimari nō debent magni momenti, & conſequenter omiſſio ſacri priuans alium hominem his gratijs, non eſt moraliter cenſenda grauis; cæterum loquendo de omiſſione in ordine ad aliud genus, videlicet ad diuinum obſequium, dicendum erit oppoſitum, nempe eſſe grauem, quia obſequium conſiſtēs in ſacrificio eſt maximum, & ideo votum de vno ſacro erit de graui materia, & obligabit vouentem ſub culpa lethali; & ne reſtringam doctrinam ad ſolum ſacrificiū, idem aſſero de alia actione, quæ in ordine ad diuinum honorem cenſetur grauis, vt eſt v. g. ſumptio Euchariſtiæ, aut confeſſio Sacramentalis, ex his, aut ſimilibus actionibus magnus in Deum honor reſultat, & ſic recitare coronam B. Virginis, eius officium, ſeptem pſalmos pœnitentiales cōſtituunt grauem materiam in ordine ad votum, & ideo interdum præcipiuntur ab eccleſia, vel imponuntur in ſatisfactionem ſacramentalem à Confeſſario, at ſi alteri homini, vnum ex prædictis promittatur, non reputabitur adeo grauis materia, vt conſtringat promittentem ſub culpa mortali, quia bonum, quo promiſſarius per talem omiſſionem priuatur in genere ſpiritualium bonorùm non æſtimatur magni momenti, vt ſupra oſtendimus, & ſic patet quo modo ratio fundamentalis ſuperiùs à nobis relata, & à ſectatoribus noſtræ ſententiæ communiter aſſignata efficaciter concluſionem probet. Et in hac re magni ponderis cēſenda erit, hominum exiſtimatio, & non eſt quærenda ratio phyſica.

10 Et ex his etiam patet ſolutio ad duo illa argumenta, quæ pro contraria opinione adduximus; Ad primum enim negamus, quod damnum ſpirituale ſequēs ex omiſſione vnius ſacri promiſſi ſit graue damnum, intra genus damni ſpiritualis, licet comparatiuè ad damna temporalia grauitatem habeat, ſed talis comparatio fieri non debet, vtpotè fallax ſicuti vidimus.

11 Ad ſecundum argumentum manifeſta eſt diſparitas inter promiſſionem vnius ſacri factam Deo per votum, & promiſſionē eiuſdem ſacri homini factam, quia cum ſacrum in ratione obſequij diuini, ſit quid magnum, eius omiſſio erit priuatio magni obſequij Deo promiſſi. cæterum in ratione boni ſpiritualis, quod homini forſitan erit allaturam, quid leue æſtimatur.

12 Hęc autem dicta ſunt conſiderando res promiſſas ſecundum ſe, & præſcindendo à circumſtantijs, ſecundum quas interdum poſſent ſumere grauitatem ſufficientem ad peccatum mortale, v. g. ſi Titius inſtāte morte indigeret ſpirituali ſubſidio, vel ſi in aliquo imminenti vitæ periculo reperiretur, aut grauiſſima tentatione excitaretur ad peccatum, & ipſe, vt ab his malis ſe liberaret, peteret a Caio Sacerdote, vt ſacrum Deo in hunc finem vellet applicare, Caius vero id promittat, ſed poſtea abſque vlla rationabili cauſſa, ſacrum promiſſum omittat, in talibus circūmſtantijs cenſeo illum grauiter peccaturum, non ſolùm ratione generali, qua interdum charitas nos obligat, vt proximum in graui neceſſitate conſtitutum orationibus iuuemus, ſed etiam ſpecialiter ratione promiſſionis, nam in talibus circumſtantijs mediante ſacrificio Deus poterat moueri ad auxilia ipſi Titio præſtāda, proinde omiſſio etiā vnius ſacri in his circumſtantijs grauis culpa debet oxiſtimari, & ſic dicendum

cendum in alijs caſibus, qui arbitrio prudentum ſunt attendendi.

QVAESTIO DECIMAOCTAVA.

Debens rem aliquam vni ex pluribus, num ab aliquo ex illis pecuniam licitè recipiat, vt ipſi potiùs, quàm alteri rem conferat?

SVMMARIVM.

1 *Caſus varijs modis formari poterit, ſed figuratur in materia particulari.*
2 *Opinio refertur, quæ negat peccare eligẽtem mediante pecunia, & ratione probatur.*
3 *Alia ſententia docet iniuſtitiam in electione inueniri.*
4 *Electio bifariam committi alteri poterit.*
5 *Si ſubſtantia electionis alterius voluntati relinquatur, eligens mediante pecunia non peccabit.*
6 *Secùs dicendum ſi ſola determinatio perſonæ commiſſa fuerit.*
7 *Soluitur ratio pro ſententia contraria.*
8 *An elector recipiens pecuniam, non à perſona electa, ſed ab alio tertio, peccet.*
9 *Author oſtendit eamdem eſſe paritatem in vtroque caſu.*
10 *Aſſertur titulus, quo probatur accipi poſſe pecuniam ab alio tertio.*
11 *Impugnatur efficaciter.*
12 *Aſſignatur regula vniuerſalis, qua dignoſcitur, quando ratione alicuius formalitatis, actio vendibilis reddatur.*
13 *Impotẽs ſatisfacere omnibus creditoribus, ſi vni ſoluat, relictis alijs, nequit ab iſto pecuniam recipere.*
14 *Obiectio in contrarium proponitur, & ſoluitur.*

1 VArijs modis, & in diuerſis materijs caſus formari poterit: ſingamus v. g. quod Titius vel ratione ſuſceptæ hæreditatis, vel fidei commiſſi, aut alterius tituli teneatur centum aureos ſoluere alicui Puellę ex tali familia, & electio ex pluribus ſit in ipſius Titij libertate, tunc ſi idem Titius conueniat cum aliqua ex illis, vt det ſibi decem, ſi eligi velit, aliter ſit paratus aliam eligere, & puella deſignata aſſentiatur conuentioni, & ſoluat Titio decem, à quo poſtea recipiat legatum. Quærimus, num in hac conuentione ſit iniuſtitia, atque adeo Titius non ſolum grauiter peccet; verum etiam ad reſtitutionẽ illorum decem aſtringatur; quod de pecunijs dictum eſt, applicari etiam poterit cuilibet alteri rei, quæ pretio ſit æſtimabilis, nam de rebus, quæ talem non habent æſtimabilitatem, non agimus, vt ſunt res præſertim ſpirituales, pro quibus ſi pecunia ſoluatur, proculdubio in crimen ſimoniacum contrahentes inciderent: loquimur igitur de rebus, quæ venales ſunt, & pecunijs æſtimabiles. his, pro maiori huius quęſtionis intelligentia, præhabitis.

Pars negatiua, videlicet, Titium neque peccare, neque ad reſtitutionem teneri, ita ſuaderi poterit. Per hanc conuentionem nemini ſit iniuria, igitur nulla in tali conuentione inuoluitur iniuſtitia: Antecedens, in quo manet difficultas, probatur diſcurrendo per ſingulas perſonas, de quibus poſſit eſſe dubitatio, an iniuria per talem conuentionem fiat, & primo nõ ſit iniuria illi, qui inſtituit legatum, ſeu fide commiſſum, nam per ſolutionem illorum decem, quos Titius recipit, nullum patitur detrimentum, cum ex eius bonis non extrahatur aliquid ſupra centum: neque ſit iniuria ipſi perſonæ electę, quia conuentio illi prodeſt, vtiliùs enim eidem erit ſoluere decem, & pro illis recipere centum, quàm non ſoluere decem, & nihil ex fidei commiſſio habere; neque demũ ſit iniuſtitia alijs puellis, quę eligi poterãt, nam electio perſonæ determinatę, vt ſupponimus, totaliter dependet à voluntate Titij. Pręter iſtas perſonas enumeratas nulla alia aſſignanda erit, cui iniuria fieri poſſit; ergo à primo ad vltimum dicendum eſt, per illam conuentionem nemini iniuriam irrogari, & per conſequens Titium ad reſtitutionem illorum decem minimè eſſe obligandum. 2

Pars autem affirmatiua, quæ aſſerit à Titio iniuſtitiam in cõuentione illa committi, atque adeo ad reſtitutionem teneri, defenditur communiter, & in terminis à *Paulo de Caſtro in L. Vnum ex familia ff. de legatis 2. & ab alijs Iuriſtis, eamdem legem explicantibus*, quos ſequitur *Sotus l. 3. de iuſt. quæſt. 6. art. 4. Molina de primog. Hiſp. lib. 3. cap. 4. à num. 10. & cap. 5. num. 3. & ſeq. Cordubæ in tract. de caſ. conſ. quæſt. 176. Sanchez lib. 2. conſil. cap. 1. dub. 56. num. 3. Delugo tom. 1. de iuſt. diſp. 18. ſec. 3. num. 63. verſ. Hinc eſt: & alijs.* Ducuntur autem hi Authores ad hanc ſententiam, quia nemo poteſt aliquid recipere pro eo, quod ex obligatione iuſtitiæ tenetur facere, vel omittere in gratiam eiuſdem donantis. 3

Pro deciſione autem huius quæſiti, & vt omnis æquiuocatio de medio tollatur, aduerto electionem bifariam poſſe Titio committi: primò, si in ipſius voluntate collocata fuerit ſubſtantia electionis; ſecundo, si ſubſtantia fuerit omnino determinata, & voluntati eiuſdem Titij relicta ſit electio perſonæ. Hæc duo eſſe inter 4

ſe valde diuerſa eſt manifeſtum, idque teſtatur *L. Vtrum* §. *Cum quidam ff. de reb. dub.* ſic enim in fine illius paragraphi dicitur: [*Plurimum enim intereſt vtrum in poteſtate eius, quem teſtator obligare cogitat, facit, ſi velit dare, an impoſita neceſſitate dandi, ſoli ei diſtribuendi liberũ arbitrium concedat.*] his premiſſis.

5 Dicendum eſt primo, ſi alicui ex neceſſitate non committitur ipſa diſtributio, ſed eius libertati relinquitur, in conuentione predicta, nulla prorſus interuenit iniuſtitia, & Titius aliquid pro electione à perſona electa recipiens, ad nullã reſtitutionem eſt aſtringendus. Probatur concluſio, quia cum omnia predicta dependeãt etiam quoad ſubſtantiam, ſeu exiſtentiam à voluntate Titij, ſicuti abſque vlla iniuſtitia poſſet Titius nullam facere electionem; ita ſine iniuſtitia poterit aliquid recipere, vt ad electionem deueniat: & in hoc puncto nulla eſt difficultas.

6 Dicendum eſt ſecundo, ſi electio vt ſic, non fuit relicta liberæ Titij voluntati, ſed ſolum determinatio perſonę, tunc in conuentione predicta eſt iniuſtitia, & Titius recipiens intuitu electionis pecuniam à perſona electa, tenebitur illam reſtituere, vt afferunt Authores partis affirmatiuę ſuperiùs citati. Concluſionem hanc probare poſſumus eadem ratione fundamentali, qua eius defenſores nituntur, videlicet nõ poſſe à nobis aliquid recipi pro actione, ad quam ex iuſtitia tenemur. Cum igitur Titius teneatur ex iuſtitia integrè centum ſoluere, ſi decem accipiat, non ſoluit niſi nonaginta, & ſic non ſatisfacit plenè ſuæ obligationi: & hoc expreſſe ſtatutum eſt in lege illa (*Vnum ex familia*) §. *cit.* proinde licet non aſtringatur potiùs hanc perſonam, quàm aliam eligere; tenetur tamen aliquam eligere, & perſonæ electę integram facere ſolutionem.

7 Ad rationem in contrarium nõ erit difficile reſpondere, & ad argumentum, cum dicitur, per conuentionem illam nemini fieri iniuriam; negandum eſt hoc antecedens; quia licet Titius non aſtringatur hanc potiùs, quàm aliam perſonam eligere, cui ſoluat centum; obligatur tamen ex iuſtitia perſonam determinare, & eidẽ integrè centum aureos tradere: & non eligens, aut nimium electionem procraſtinans, grauiter peccabit: nam licet nulla in particulari ex perſonis eligibilibus ius perfectum habeat in illos centum; nihilominus aliqua indeterminatè, ſeu collectio perſonarum eligibilium ius habet, vt fiat electio, quod ius dilatione nimia læditur: & quamuis prima facie videatur vtiliùs perſonæ electę conuentioni aſſentiri, quàm non aſſentiri, quia non aſſentiẽdo, nihil à Titio eſt receptura; hoc tamen oritur ex praua ipſius Titij voluntate, & perſona electa ad vexationem tollendam aſſentitur conuentioni.

Queres an idem ſit dicendum, ſi Titius non ab ipſa perſona electa, ſed ab alio pecuniam recipiat, vt hanc numero electionem faciat? 8

Reſpondeo caſum hunc proponi à *Ioanne Delugo diſp. illa 18. ver. Aliter ego*; & diſtinguit, nam perſona illa tertia bifàriam poſſet moueri ad pecuniam Titio tribuendam: primo, in gratiam perſonę eligendę, ne ſcilicet vexetur ab ipſo Titio in electione: ſecundo, in beneficium ipſius met Titij, ne videlicet, non eligendo, peccet, & committat crimen contra iuſtitiam, aut ne ſe exponat periculo infamię, aut alterius pœnę. hac poſita diſtinctione, ait Delugo, quod ſi Titio ſoluatur pecunia ingratiam perſonę eligendę, tunc recipiens tenebitur reſtituere acceptum. & ratio eſt, quia Titius in tali caſu reciperet pretium pro re, ad quam ex iuſtitia obligatur, & ad quam ius habet perſona eligenda: & licet dans pretium careat omni iure ad rem illam, nempe ad centum aureos; nihilominus ius habet, ne ille alius eligendus, ſibi amicus, vel conſanguineus, cuius negotium gerere intendit, vexetur in proprio iure; ſi vero Titio ſoluatur pecunia à tertia perſona poſteriori modo, nempe ingratiam ipſius Titij, quia ſcilicet nõ curat ille, qui ſoluit, de indemnitate perſonę eligendę, ſed ſolùm intendit vitare damnum Titij, tunc dicit Delugo, Titium non eſſe obligandum ad reſtitutionem, quia ſoluens pretium non habet ius aliquid ad vtilitatem, ſiue ſpiritualem, ſiue temporalem ipſius Titij. Neque Titius tenetur ex iuſtitia procurare bonum erga ſe ipsũ, cum iuſtitia ſit ad alterum, & non ad ſe ipſum, ergo ille tertius non ſoluit Titio pecuniam, pro re aliqua, quę alteri ex iuſtitia ab ipſo Titio debeatur, quemadmodum, ſi quis recipiat ab aliquo pecuniam, vt abſtineat à fornicatione, vel ebrietate, vel ſi Petrus deſiderans, vt Paulus abſtineat à latrocinijs, illi offerat, & ſoluat expenſas ad vitam neceſſarias, Paulus non tenebitur expenſas illas reſtituere. Hęc ex Ioanne Delugo, qui confirmat doctrinam hanc ex *Vaſquez opuſc. de reſtit. cap. 7. dub. 5. nu. 49.*

Sed difficile eſt, quod aſſeritur, neque inter vnum, & alterum caſum videtur ſufficiens diſparitas; atque adeo, puto in vtroque caſu eſſe obligationem reſtituendi, nam licet quod venditur à Titio, ex iuſtitia propriè dicta alteri non debeatur, poſito tamen quod res ſit inuendibilis, nihil prodeſt, fieri in gratiam huius, vel al- 9

tertius

Digitized by Google

terius hoc enim non reddit illam vendibilem: &, vt benè *Leſſius lib. 2. cap. 14. n. 67.* argumentatur, ſi ſufficeret ad pretium recipiendum, opus aliquod de ſe inuendibile, fieri ingratiam alterius; ſequeretur poſſe à mutuante recipi pretium, ex eo præcisè, quòd mutuum detur ingratiam alterius, ſic Parochus miniſtrans ſacramẽtum, quod tenetur miniſtrare, poſſet recipere pecuniam intuitu adminiſtrationis ſub formalitate, quod actio illa exerceatur ingratiam alterius tertij, quia ex doctrina eiuſdem Authoris, vendibilitas, aut inuendibilitas obſequij, menſuratur ex eo quod opus ſit dignum, vel non dignum pretio.

Rurſus, ſi quis ſit paratus occidere iniuſtè hominem, & tertius det pecuniam, ne occidat, poſſet ille, qui paratus erat homicidium committere, pecuniam, ne occidat, recipere, omittens occiſionem ingratiam alterius, quæ omnia ſunt abſurda. Cum autem in caſu noſtro Titius ex iuſtitia teneatur eligere, & determinare perſonam eligendam, & ipſa electio, & determinatio ſit debita, redditur inuendibilis; atque adeo inuendibile erit obſequium, quod ponitur conſiſtere in eo, quod determinatio fiat ingratiam alterius: & addo aliquid plus eſſe in caſu noſtro, nam totũ obſequium eſt in ipſius Titij beneficium, fit enim, vt ſupponimus, ne Titius peccãdo patiatur dãnum ſpirituale, vel aliquod damnum temporale infamiæ, aut corporis: proinde potius, vt ita dicam, Titius tenetur proemium dare alteri operanti in bonum ipſius Titij, quàm è conuerſo. Maneat igitur, non poſſe per electionem prędictam aliquid ab eligente recipi.

10 Sed quis poſſet ingratiã Cardinalis De Lugo ſic diſcurrendo, probare licitam eſſe pecuniæ acceptionem in caſu poſito, quãdo ſcilicet non ab ipſo electo, ſed ab alio tertio offertur in bonum, aut ſpirituale, aut temporale ipſius Titij, nempe ſi pecunia detur, & recipiatur non propter electionem, ſed præcisè ad fugiendum id, quod malum eſt, quemadmodum poteſt aliquis iuſtè recipere pecuniam, ne committat peccatum v. g. fornicationem, ne frangat ieiunium ex præcepto &c. ita à pari in illa electione poſſumus duas veluti formalitates ſpectare, vnam quatenus eſt actio alteri debita, alteram verò, inquantum eſt impeditiua peccati, & damni, quod ipſi Titio poteſt prouenire, & ideo quamuis demus ratione primæ formalitatis electionem eſſe inuendibilem; atque adeo, ſi Titius ob illam recipiat pecuniam, ad eam reſtituendam aſtringi, nihilominus nihil videtur prohibere, cur ratione ſecundæ formalitatis explicatæ nequeat pecuniam ſumere, ita vt ſaltem non peccet contra iuſtitiam, quicquid ſit de peccato contra aliam virtutem. hoc poteſt confirmari varijs exemplis, & caſibus, in quibus ſimiles formalitates mente abſtrahimus, & ratione vnius, vt docent Doctores, poſſe pecuniam accipi, non autem ratione alterius: v. g. in rebus ſacris, pro quibus abſque ſimoniæ labe pecuniã accipere nequimus. ſi quis promittat alteri, & ſe obliget ſacrũ peragere ob ſtipendium, ſi hoc fiat ſub formalitate venditionis, & emptionis, vterque non liberabitur à peccato ſimoniæ contra ius diuinum: ſi verò ſub formalitate eleemoſynæ, & ſuſtentationis, licita erit obligatio. ſimiliter in mutuo, ſi mutuans velit lucrari ob pecuniam mutuo datam ſub formalitate mutui, vſuram cõmittet, at ſub formalitate compenſationis pro lucro ceſſante, aut damno emergẽte, aut denique titulo gratuitæ remunerationis, omni peccato erit immunis: & ſic in multis alijs ſimilibus, ita non debet mirum videri, ſi in caſu noſtro, in electione illa diſtinguamus varias formalitates, & ſecundum vnam dicamus, iniuſtitiam eſſe eam facere ob pecuniam, ſecùs ſecundum aliam.

Reſpondeo metaphyſicus iſte diſcurſus, doctrinam continet in praxi omnino relegandam, aperit enim viam fraudibus, & illicitis negotiationibus: faciliè enim humana cupiditas ex qualibet actione, quãtumuis debita, formalitates fingeret, eaſque abſtrahendo, vendibiles æſtimaret, atque pretium pro illis poſtularet. Vt autem impugnemus directò diſparitatem in vtroque caſu intentam, ad quam aſtruendam diſcurſus prædictus fuit excogitatus, nẽpe quando pecunia offertur à perſona eligenda, & quando offertur ab alia tertia non eligenda arguo, oſtendens vtriuſque caſus paritatem: & vt clariùs id explicetur, ſuppono, vt certum in omni contractu, ſiue permutationis, ſiue venditionis, vt ſeruetur æqualitas, & honeſtas actionis, id quod ab vno ex contrahentibus permutatur, aut vẽditur, & pro illo aliud recipitur, debere eſſe quid ipſius permutãtis, aut vẽdẽtis, & rurſus quid vẽdibile ad hoc, vt licitè recipere poſſit aliquid aliud ab alio cõtrahẽte. Hoc autẽ præſuppoſito ſic arguměntor. Vitatio illa dãni, aut ſpiritualis, aut temporalis, pro qua Titius elector pecuniam à tertia perſona recipit, vel eſt quid ipſius Titij, & quid vendibile, vel non: ſi hoc ſecundum dicatur, iniuſtitia, & conſequenter reſtituendi obligatio, erit manifeſta, quia pro pretio nihil ab ipſo Titio vendẽte daretur, & non ſeruaretur æqualitas; ſi primum, ſic argumentum proſequor. Vitatio damni eſt quid Titij, & vendibilis, 12

ergo Titius poterit illam cuicumque perſonę vendere; etiam ipſi met perſonæ eligendæ, quia nihil illi daret, quod eius eſſet, & quod vendibile non eſſet; ergo paritas in vtroque caſu reperitur, nulla enim ſe offert ſufficiens ratio, cur poſito quod vitatio illa dãni ſit quid Titij, & quid vendibile, nequeat vendi perſonæ eligendę.

Ad exempla autem adducta in confirmationem prędicti diſcurſus, facilis erit ſolutio oſtendendo diſparitatem, & ad primum continens promiſſionem ſacri, Reſpondeo promiſſionem illam nullo iure eſſe debitam; proinde titulo eleemoſynę licitã, & honeſta redditur receptio ſtipendij, ſecùs ſi eſſet ſacrum illud aliunde debitum.

Ad aliud exemplum ferè eodem modo reſpondeo, ſi mutuans teneretur alio titulo mutuum dare, ob nullam formalitatem in eo incluſam poſſet pretium accipere, at quando non eſt debitum, licet pro ipſo mutuo nefas ſit lucrum poſtulare; nihilominus ratione alterius tituli coniuncti, nempe lucri ceſſantis &c. iuſtè recompenſatio petitur. & ſic in alijs ſimilibus.

11 Regula igitur vniuerſalis aſſignatur. quoties realitas actionis ex iuſtitia debe-
12 tur, tunc nequimus ob aliquam formalitatem eidem annexam pretium accipere; quando vero non eſt debita poterit inueniri formalitas, ratione cuius tota illa realitas vendi poſſit.

Ex hac autem doctrina colligi poteſt iniuſtitiã
13 cõmitti ab eo, qui cũ nomine â Regius, vt diſpẽſator debeat ſoluere pecuniã varijs creditoribus, ęquè priuilegiatis, & nõ valens omnibus ſatisfacere; ſoluat vni potiùs, quàm alteri, & ab eo, ex pacto pręuio, aliquod munus accipiat, quia ipſe, cum ſit merus, & purus diſpenſator, & ob huius officij exercitium ſtipendium habeat, tenetur abſque vllo alio dono officium ſuum exercere: & licet ſupponeremus ſtipendium à Domino non habere, neque poſſe à creditoribus pro ſoluendis creditis quicquam accipere; quia ipſis non incũbit ſtipẽdium dare miniſteris ſui debitoris; ſed poſſet ipſe miniſter diſpẽſator compẽſationem facere, clandeſtinè, & ex bonis Domini ſibi ſatisfacere iuxta quãtitatem, & qualitatem obſequiorum, arbitrio boni viri, niſi aliundè obligatus fuerit gratis tale ſeruitium exhibere. Dixi, ex pacto pręuio non poſſe miniſtrum ſoluentẽ aliquid à creditoribus accipere, nam ſi nullo pręcedente pacto, creditor ob gratitudinem aliquid donaret, nulla interueniret iniuſtitia ex parte miniſtri, neque rem acceptam aſtringeretur reſtituere ipſi donanti.

14 Sed contra hoc corollarium difficile ſe offert argumentum deſumptum ex venditione officiorum temporalium, hoc pacto. ſi quis ius habet eligendi aliquẽ ex multis in tale, vel tale officium, & potiùs vnum, quam alium eligendo, ab eo, intuitu electionis, petat, & recipiat pecuniam, officium illud venderet abſque iniuſtitia, quibuſdam poſitis conditionibus; ergo à pari, neque erit contra iuſtitiam, ſi diſpenſator iſte horum bonorum, eligens potius aliquos, pro electione ab eiſdem pecuniam recipiat, vtrobiq. enim par videtur ratio.

Reſpondeo, hoc argumentum nobis celebrem, & valdè implicatam ſubminiſtrat controuerſiam, de ſęcularium officiorum venditione, ideoque illam examinare intendo: verum eligam, quę principaliora ſunt, & ad pręſentem ſpectant materiam, & vt id commodiùs fiat, ſequentem inſtituo quæſtionem.

QVAESTIO DECIMANONA.

Quatenus licita ſit ſæcularium officiorum venditio?

S V M M A R I V M.

Dubitatio eſt de officijs ſæcularibus, iuriſdictionem habentibus. 1
Quæſtio expenditur in ordine ad tria perſonarum genera. 2
Ex natura rei prędicta officia vendibilia ſunt. 3
Inſtantia in contrarium ex vtroque Iure ſoluitur. 4
Declarantur conditiones, quæ requirũtur ad licitam horum officiorum venditionem, ſpectato ſolùm iure naturali. 5
In praxi eſt valdè periculoſa talis vẽditio. 6
Refertur opinio aſſerens, à Magnatibus cognoſcentibus ſuperiorem temporalem, vendi poſſe, ſiſtendo intra ius naturæ. 7
Magnates prędicti dominium habent horum officiorum. 8
Prohibitam eſſe Magnatibus talem venditionem per ius poſitiuum. 9
Probabile eſt peccare cõtra iuſtitiam Magnates, abſque licentia Regis talia officia vendentes. 10
Probabilius eſt non peccare contra iuſtitiã commutatiuam, ſed tantùm contra legalem. 11
Obiectio probãs delinquere contra iuſtitiã commutatiuam, eiuſq. ſolutio ponitur. 12
An illi, qui ſunt meri, & ſimplices Diſpẽſatores vendendo talia officia peccent cõtra iuſtitiam commutatiuam? 13
Perſona priuata obtinens facultatem conferendi alteri tale officium ab eodem 14

ali-

aliquid recipiens non aſtringitur ad acceptum reſtituendum.

15 *Seruare bonum communitatis pertinet ad Principem.*

16 *Recipiens pretium pro venditione talis officij tenetur illud poſt ſententiam reſtituere, & ita leges Regni Siciliæ explicantur.*

17 *Sit ne aſtrictus vendens reſtituere pretiũ, ſi emens ob ſuam indignitatem illo priuetur?*

18 *Quid dicendum, ſi emens in pœnã priuetur.*

19 *Si vendatur pretio immoderato, & emēs, vt ſibi reſarciat exceſſum, extorſiones faciat in adminiſtratione; num vendēs teneatur damna reficere.*

20 *An perſona priuata teneatur pretium acceptum reſtituere ſaltem ex virtute obedientiæ.*

SErmo eſt de officijs Sæcularibus habẽtibus adminiſtrationem, ſeu iuriſdictionem, nam eccleſiaſtica proculdubio vẽdi nequeunt, in eorum enim vẽditione ſimoniæ crimen inuoluitur: neque eſt ſermo de officijs ſæcularibus, quæ annexam iuriſdictionem non habent, ſed nudum dumtaxat miniſterium, vt eſt officium tabellionis, ſcribæ, & ſimilium, hæc enim nullo iure vendi prohibentur, vt notat *Maſtrillus de magiſt. tom. 1. lib. 2. cap. 20. num. 28.* Difficultas igitur, & quæſitum ſolùm reducitur ad officia ſecularia, quæ iuriſdictionem includunt, vt ſunt eſſe Prætorem, Iudicem, &c.

2 Quæſtio examinanda erit in ordine ad tria perſonarum genera, nempe ad Reges, & alios Principes, qui ſunt abſoluti, & tẽporalem ſuperiorem non agnoſcunt. ſecundo ad alios Magnates inferiores, vt Duces, Marchiones, & Comites in ſuis ditionibus, & oppidis, qui ſuperiorem habent. Tertio denique in ordine ad perſonas priuatas, quæ ſæpè facultatem à Dominis obtinent conferendi, ſeu transferendi officium aliquod ex dictis in perſonam ſibi beneuiſam, & intuitu electionis, vel interceſſionis recipiunt à perſona electa pecuniam, vel aliquid loco pecuniæ, his omnibus præhabitis,

3 Dicendum eſt primò. Ex natura rei prædicta officia à Regibus, & Principibus abſolutis licitè venduntur, quibuſdam poſitis conditionibus mox explicandis: eſt cõtra paucos, nempe *Adrianum in 4. de reſtit. §. Ex his; Medinam Cod. de reſtitut. quæſt. 4. de vſuris; Turrianum in 2. 2. S. Thomæ diſp. 23. dub. 2. num. 5.* qui vt probabiliorem amplectitur ſententiam huic oppoſitam; quam nos tuemur, eam tamẽ ſequuntur communiter Doctores, Iuriſtæ, Canoniſtæ, & Theologi *S. Thomas* interrogatus de hoc puncto à Ducilla Brabãtiæ *opuſc. 21.* docet id non eſſe illicitum, quãuis addat non eſſe expediens. *Sotus lib. 3. de iuſt. quæſt. 6. art. 4. & expoſitores in 2. 2. quæſt. 63. art. 2. vt Salon. Arag. Bañes, Valentia, Tannerus, Sanchez, li. 2. conſil. cap. 1. dub. 37. & 38. Leſſius, de iuſt. lib. 2. cap. 32. dub. 4. num. 39. Azor. par. 3. lib. 8. cap. 7. 9. Delugo tom. 2. de iuſt. diſp. 34. ſec. 2. Fagundez eodem trac. lib. 5. cap. 23. num. 4. del Caſtillo lib. 2. tract. 2. diſp. 8. dub. 5. à nu. 113. Diana par. 2. trac. 5. miſcel. reſol. 209* & quamplures alij apud ipſos. Probatur concluſio, quia ex vna parte officia iſta ex natura rei ſunt temporalia, & habent annexam quãdam præminentiam, & pariter lucrum, atque adeo ſunt pretio æſtimabilia: ex alia vero parte Princeps habet horum officiorum plenum dominium à Republica trãſlatum, vt patet per textum *in L. 1. ff. de conſt. Principũ*; igitur ex natura rei licitè vendi poſſunt, ſi hæ conditiones concurrant, primo, vt dignis conferantur; ſecundo, ſi modico pretio; tertio, ob aliquam, vel Reipublicæ, vel Principis neceſſitatem. hę autem conditiones, & à S. Thoma, & ab alijs ponuntur;

Dices venditio iſta tum iure ciuili, tum canonico eſt reprobata; igitur Princeps nequit licitè talia officia vendere. Antecedens probatur, & quod attinet ad Ius ciuile, extat *lex vnica Ad leg. Iul. de amb. & Authent. Vt Iud. ſine quoq; ſuffrag. §. Hæc autem omnia.* vbi Imperator Iuſtinianus expreſsè ſtatuit dignitates, & adminiſtrationes gratis eſſe conferendas. Habetur etiam Ius canonicum, per quod id prohibetur *in Cap. Sanctimus 1. quæſt. 7. & in Motu proprio Pij V. anno Domini* 1571. quem refert per extenſum *Nauar. in ſumma cap. 25. n. 7. & alij*, per quem Pontifex damnat, & interdicit acquiſitionem officiorum, quæ habent iuriſdictionem, fieri mediante pecunia, ergo cum omni iure talis vẽditio prohibeatur, vt eſt oſtenſum, nequit eſſe licitum Principibus talia officia vendere. 4

Reſpondeo, quod ſpectat ad iura ciuilia abrogari poſſe à Principe ſupremo, qui eſt ſupra tales leges, cum ſuperiorem temporalem nõ agnoſcat, vt habetur *in L. Princeps ff. de legib.* & vt docet praxis; ſecundum quam videmus à Principe huiuſmodi officia, in quibuſdam locis vendi ſolere; Ad ius autem canonicum reſpondeo, in *cap. illo Sanctimus*, eſſe ſermonem de regimine, & adminiſtratione eccleſiaſtica, quæ, ſi mediante pecunia detur, erit ſimonia, vide ibi *Gloſ. Turrecrem. & alios ſcribentes*, proinde nihil contra nos cum 5

aga-

Digitized by Google

agamus de officijs tantùm ſæcularibus: Denique ad Motum illum Pij V. aio, vel per conſuetudinem contrariam abijſſe in deſuetudinem, vel ſolùm obligaſſe in locis Pontifici temporaliter ſubiectis, vt notat *Fragoſus de reg. Reip. par. 1. lib. 1. diſp. 2. num. 130.* & cum non ſit talis venditio cōtra legem naturalem, & diuinam; licitum erit Principibus huiuſmodi officia vẽdere, ſi conditiones requiſitæ ſeruentur, atque adeo cum ſpectet venditio iſta ad politiam temporalem, Pontifex non ſe intromittit extra ſua dominia.

5 Conditiones autem, quæ venditionem hanc cohoneſtant ſunt plures, eaſque aſſignat *Leſſius l. c. n. 29.* prima eſt, vt ille, qui vendit habeat authoritatem ad vendendum: ſecunda, vt ille, cui venditur ſit quantum fieri poterit dignior: tertia, vt pretium ſit moderatum: quarta, vt venditio iſta fiat ob publicam neceſſitatem. Hæ ſunt conditiones, quas Doctores requirunt, vt ſæcularium officiorum vẽditio cohoneſtetur.

6 Dicendum eſt ſecundo, cum in praxi valdè periculoſæ ſint hæ venditiones; idcirco abſolutè, & ſimpliciter loquendo, debent cenſeri illicitæ; proinde de illis agens *Caietanus in ſumma ver. ſæcul. offic. vendere, &c.* rectè inquit ſpeculatiuè eſſe licitas, illicitas tamen moraliter: & ideo niſi magna occurrat neceſſitas Reipublicæ, & alius modus ſubueniendi non ſuppetat, debent Principes, & Reges abſtinere ab his venditionibus, nam, vt benè notauit *S. Thomas opuſc. illo 21.* licet ex natura rei non ſint malæ; nihilominùs non expedit eas exercere, niſi in neceſſitate cum conditionibus prædictis. & hæc quo ad primum perſonarum genus.

7 Dicendum tertio. Magnates, ſeu Duces, Marchiones, ſeu Comites &c. qui ſuperiorem in temporalibus agnoſcunt, ſecundum aliquos Doctores, poſſunt ſiſtendo in iure naturali, talia officia cum eiſdẽ conditionibus vendere: ita *Cordubæ in tract. de caſ. quæſt. 127. Bañes art. cit concluſ. 4. Vaſquez in opuſc. cap. 2. de beneficijs §. 3. duo. 16. num. 11. Turrianus de iuſt. diſp. 33. dub. 2. in fine. Delugo eodẽ trac. diſp. 34. ſect. 3. num. 31. ver. Dicendum videtur*, & in eadem ſententia, ni fallor, eſt *Nauarrus in ſumm. lat. ca. 25. num. 7.* cum dicit dominos, qui ſuperiorẽ agnoſcunt, peccare vendentes huiuſmodi officia, ſi id prohibeatur per legem, quæ ſub mortali obliget, quaſi dicat, poſſe, niſi prohibeatur. Fundantur hi Authores in eo, quod putent in his magnatibus eſſe dominium horum officiorum, quæ ex natura ſua ſunt vendibilia, ſed alij oppoſitum cenſent, videlicet non poſſe ab his magnatibus officia iſta vendi, ſine Regis licentia: ſic *Aragonius, Sotus, Bañes, Leſſius, Sãchez locis citatis, & alij apud Maſtrillum vbi ſupra num. 45. 46. Bobadilla lib. 1. polit. cap. 14. per totum D. de Ponte deciſ. 16. num. 26. 27. Fabius Capicius de officiorum, ac Regalium prohibita commutatione, & alienatione*, vbi longiſſimo tractatu per varia capita probat officia iſta abſque Regis authoritate vendi non poſſe: idque confirmat varijs iuribus tum generalibus, tum municipalibus, & nouiſſimè hoc ipſum probat *Paulus Staibanus in ſuis deciſionibus reſolutionum forenſium reſol. 100. per totam à num. 42.* oſtendens etiam de iure, venditionem horum officiorum exoſam eſſe, Fundamentalis ratio huius aſſertionis eſt, quia magnates iſti nõ habent dominium horum officiorum ſicuti habent Reges.

Sed vt verum fatear, nulla mihi ſubminiſtratur ſufficiens ratio, cur Magnates iſti dominium non habeant horum officiorũ, nam contrarij Authores citati, id dicunt, ſed non probant; at quod ego aſſero faciliùs probari poterit, ex eo, quia Rex abſolutè transferens dominium oppidorum in Magnates, conſequenter cenſetur etiã tranſtuliſſe dominium officiorum in eoſdẽ, concedens liberam facultatem eligendi in officium perſonam illam, quam maluerint; proindè ſi aliundè huiuſmodi facultas non eſſet per leges tum communes, tum municipales reſtricta, & ſolùm ſpectaremus ius naturæ, idem diceremus in re hac, de Rege, & de alijs magnatibus, nempè cum ſupranumeratis conditionibus, eos licitè vendere poſſe huiuſmodi officia. 8

Dicendum quarto. De facto id prohibitum eſt Magnatibus non ſolum in Regnis Hiſpaniarum, per varias leges, quas Authores adducũt; ſed etiam in Regno Neapolitano, vt refert *Maſtrilli num. 12.* citans *Carol. Tap. in conſt. Regni tit. 1. de offic. & de Ponte trac. de Poteſt. Pror. tit. de elect. in rubric. num. 11.* & etiam id expreſſe ſub grauiſſimis pœnis interdictum eſſe in noſtro Regno Siciliæ, & multa de re hac extant Capitula, videlicet *Capitulum 357. ſub Alphonſo Rege; & ſub Ferdinando cap. 100. & ſub Carolo V. cap. 56.* In his autem capitibus Reges irritant ipſo facto has venditiones, & ſtatuunt ementes eſſe ipſo iure priuatos officijs emptis, eoſque incapaces, & inhabiles reddunt ad alia officia obtinenda, & etiam eos infames declarant: & in eaſdem pœnas Ferdinandus decreuit incurrere eum, qui pecuniam accipit. Denique extat *pragmatica 1. & 2. tit. 34. de ambitu*, per quas prohibitio cum eiſdem pœnis confirmatur; proinde nemo dubitare poterit non poſſe 9

a Ma-

Digitized by Google

à Magnatibus huiuſmodi officia vẽdi. dixi, ſine licentia Regis, quam tamen eſſe tacitam, & implicitam ſatis eſt, vt benè inquit *Sanchez dub. cit. nu. 9. Delugo l. c. & alij*, qui varijs modis explicant tacitam, & præſertim quando Rex officium aliquod concedit tali perſonæ, quam ſcit non poſſe per ſe ipſam illud exercere, vt euenit, quando concedit fœminæ nobili v. g. officium Prætoris, Iudicis, & ſimilia.

10 Dicendum quinto. ſi quis abſque vlla expreſſa, aut tacita licentia Regis vendat officium, probabile eſt peccare contra iuſtitiam, & teneri ad pretium reſtituendũ. ita *Sotus art. 4. cit. circa ſolutionem ad ſecundum argumentum. Salonius controu. 3. cit. concluſ. 4. ver. Peritiſſimi noſtri*. aſſeritur etiam *Tello in L. 29. Taur. n. 13.* & in eadem ſententia eſt *Molina tom. 2. de iuſt. diſput. 91. ver. Secundo obſerua*; loquens de legibus Luſitanis ſimiles venditiones irritantibus: & ratio, qua nituntur, eſt, quia venditio iſta eſt de re, quæ non eſt ſub dominio vendentis, & vẽditur abſque licentia illius, qui eſt verus dominus, proinde irrita erit venditio, & pretium reſtituendum.

11 Dicendum ſexto. probabilius mihi videtur, ita vendentem abſque licentia non peccare contra iuſtitiam commutatiuam, ſi vendat alicui idoneo, & pretio moderato, & conſequenter non aſtringi ad pretiũ reſtituendum. ſic *Lopez lib. 1. de contrac. cap. 6. ver Inſuper ſi perueniamus*. citatur etiam Henriquez in manuſcriptis, & alij iuniores apud *Sanchez num. 17.* qui probabilem hanc ſententiam appellat, & nouiſſimè eam ſuſtinet *Cardinalis Delugo n. 36.* qui licet doceat, quando res eſt in fieri, eſſe reuocandam, ſi fieri poſſit; nihilominùs ſubdit, cum venditio ſortita iam eſt effectum ſuum, nec reuocari poterit, venditorem non aſtringi ad pretium reſtituẽdum, ex hoc præciſo capite quod lege vẽditio ſit prohibita. Neque fundamentum oppoſitæ ſententiæ deijcit me ab hac, quã ſequor, tum quia cenſeo Magnates eſſe veros horum officiorum Dominos; tum etiam quia, licet demus tali dominio carere, poſſunt tamen vendere actionem eligendi, cuius ſunt veri domini, vt *Delugo* animaduertit *num. 37.* quæ actio eſt pretio æſtimabilis ob vtilitatem, quam trahit. dixi non peccare contra iuſtitiam commutatiuam, puto enim peccare contra iuſtitiam legalem, & obedientiam, nam leges iſtæ ſunt de materia graui, & valde conferunt ad bonum commune, nam hæ venditiones trahunt grauiſſima inconuenientia, & damna contra Rempublicam ita vt merito *Gregorius Toloſanus de Rep. li. 4. cap. 5. num. 27.* dixerit, venditiones iſtas eſſe omnium ſcelerum fontem.

Sed obijcies, quando electio eſt debita, nequit eligens pro electione quidquam accipere, v. g. ſi alicui commiſſa ſit facultas diſtribuendi centum aureos inter aliquos ex pluribus conſanguineis pauperibus teſtatoris, nõ poterit ab his aliquid accipere, vt potiùs hos quàm alios eligat, quia hoc eſſet contra voluntatem teſtatoris, vt rectè notat *Delugo l. c. nu. 35.* intentio enim teſtatoris fuit, vt illi centũ aurei integrè, & gratis ſoluerentur. Igitur à pari in caſu noſtro, cũ electio ad tale officium ſit neceſſaria, & debita, nequit eligẽs pro electione aliquid accipere à perſona eligenda. 12

Reſpondeo, electionem eſſe debitam interdum ipſis eligendis, interdum alteri v. g. Reipublicæ; quando eſt priori modo debita, tunc elector nihil prorſus accipere poteſt à perſona electa, ſecùs, ſi alteri ſit debita, ſeu ex alio titulo obligetur elector eligere: tunc ſi aliquid à perſona electa recipiat, nullam ei iniuriam facit. ita aſſerit *Vaſquez dub. illo 16. n. 112. Delugo num. 37.* proinde dico diſſimilem eſſe caſum, quem in præſentia exagitamus, ab eo, qui in obiectione affertur, nam in caſu præſenti neceſſitas eligendi non eſt in gratiam eligendorum, ſed in gratiam Reipublicæ, quæ miniſtris indiget, idcircò princeps neceſſitatur illos eligere; & quia in venditione horum officiorum vt plurimum grauia contra bonum communitatis ſequuntur damna, inde eſt, vt Princeps ad talia damna vitanda debeat ab huiuſmodi venditionibus abſtinere, niſi neceſſitas communis ſit adeo grauis, vt nequeat Princeps opportunè illi occurrere, ſine venditione horum officiorum; in caſu autem poſito, electio eſt in gratiam eligendorum, ideoque nequit ab illis elector in ſtipendium electionis aliquid accipere, tunc enim ageret contra mentem teſtatoris, aut alterius eligẽtis diſpenſatorem illarum pecuniarum, & diſponentis, vt centum inter perſonas talis generis diſtribuantur. dum autem facultatem præbet alicui ad diſtribuendum, eius intentio eſt, vt centum erogentur. paritas vero curreret inter vnum, & alterũ caſum, ſi elector in caſu electionis officialium, aliquid ex communibus bonis vniuerſitatis exigeret: tunc enim peccaret cõtra iuſtitiã, & teneretur acceptũ eidẽ vniuerſitati reſtituere, quia eligens facit id, ad ꝙ tenetur in gratiã ipſius Reipublicæ.

Dicendum ſeptimo. Res eſt magis dubia reſpectu eorum, qui ſunt meri, & ſimplices diſpenſatores horum officiorum, & nullo pacto domini, vt ſunt v. g. Senatores Vrbium: & ideo *Sanchez n. 17.* probabi- 13

bi-

bile cum exiſtimauerit eos, qui licentiam habent transferendi officium, non teneri ad reſtitutionem pretij accepti, nec grauiter peccare; nihilominùs *nu.* 18. & 19. id negat de diſpenſatore, idque probat ex eo, quod diſpenſator neceſſitatem habens eligendi, non cenſetur electo conferre beneficium pretio æſtimabile, cum beneficium potiùs ab Inſtitutore conferatur. Cardinalis tamen Delugo *num.* 33. impugnat diſparitatem inter Magnates, & Diſpenſatores, quibus electio committitur, quia tam illi, quam iſti neceſſitatem habent eligendi, & electio non eſt in gratiã ipſorum eligendorum, ſed in bonum cõmunitatis, & *num.* 4. probat rationem illam Patris Sanchez nimium probare, quia etiam militat reſpectu Regis, qui ex debito ſui muneris obligatur ad eligendum, & non intuitu electi, ſed communitatis, proinde vtrobique probat eamdem eſſe rationem de Magnatibus, & Senatoribus, ſeu mere diſpenſatoribus. Vtraque ſententia eſt probabilis: Cæterum probabilior mihi videtur opinio Sanchez; puto enim aliquod inter vtrumque, nempe inter magnatem, & diſpenſatorem inueniri diſcrimen, quod facilè deprehenditur, ſi opinionem, ſecundum quam diximus à magnatibus, ſpectato ſolum iure naturæ, vendi poſſe huiuſmodi officia, non fundemus tantùm in eo, quod electio non ſit in gratiam eligendorum, nam ratio iſta, niſi aliud addamus, vniformiter ſe habet reſpectu vtriuſque, videlicet Magnatis, & diſpenſatoris; ſed aliquid plus addimus, nempe dominium, quod habent magnates in officijs illis, & rurſus carentiam neceſſitatis ad eligendum, quæ eſt longè maior in magnate. Declaratur. Dynaſta v. g. Comes, ſeu Baro ſi vellet, poſſet per ſe ipſum exercere vnum, aut alterum officium ex illis, quæ alteri committit, proinde ſine vlla iniuſtitia poſſet paciſci cum electo de lucro diuidendo, vt docet *ipſe met Sanchez num.* 20. ſimplex autem diſpenſator nequaquam id facere poteſt, ideoque ſimpliciter alium eligere tenetur, & ſic patet diſparitas, quam Delugo non agnouit inter magnatem, & purum diſpẽſatorem, nempe ratione dominij, & ratione carentiæ neceſſitatis ad eligendum; & quamuis Dynaſta occupationibus alijs detentus, non valens per ſe ipſum exercere officium illud, aſtringatur ad eligendum, hoc tamen eſt per accidens, & non per ſe, & primario, ſicuti eſt in diſpẽſatore.

14 Dicendum octauo. ſi perſona priuata obtineat a domino facultatem conferẽdi aliquod officium alteri, qui ſibi placuerit, vel intercedat pro tali perſona determinata, aliquid accipiens ab electo, non obligabitur illud reſtituere, neque interdum peccabit ſiſtendo ſaltem intra ius naturale. Concluſionem hanc ſub his terminis ab alijs pertractatam minimè inuenio, niſi ad ſummum vnico, aut altero verbo, & obiter. probari tamen poterit à fortiori, nam ſi magnates non aſtringantur ad reſtitutionem ſecundum ius naturæ, licet illis ſtrictè incumbat proſpicere bono Reipublicæ in diſtribuendis huiuſmodi officijs, quod onus non habent perſonæ priuatæ; multo magis hæ erunt ab obligatione reſtituendi immunes: & id cõfirmatur valdè efficaci ratione, nam ſi tenerentur, maximè ob iniuriam, ſeu iniuſtitiam, quę alteri irrogaretur, ſed nemo aſſignari poterit, cui talis irrogetur iniuria; igitur erũt ab onere reſtituendi immunes, euidens eſt maior, nam obligatio ad reſtitutionem fundatur in aliqua iniuria illata: minor inductione ſuadetur, non enim fit iniuria perſonæ, cui officium confertur, quia illa nullum ius in officium habebat, imo beneficium, & magni momenti fit illi: neque fit iniuria communitati, nam communitas ſolum videtur exigere electionem perſonę idoneæ, hanc autem electionem fieri gratis, aut mediante pecunia non lædit cõmunitatem ipſam: neque fit iniuria domino concedenti talem facultatem, quia, cum ipſe abdicauerit à ſe facultatem hanc in ordine ad tale officium, amiſit etiam omne ius, ſeu ſpem lucrandi ex collatione talis officij: præter iſtos, aſſignari nequit alius, cui fiat iniuſtitia.

Dices læditur communitas, quatenus ex huiuſmodi venditionibus plura, & magna pati ſolet incommoda, & damna. 15

Reſpondeo. Bonum communitatis illæſum ſeruare, occurrendo damnis imminentibus pertinere ad Principem, qui eſt cuſtos Reipublicæ, non autem pertinere ad perſonam priuatam, quæ officium cõferre poteſt, recipiendo mercedem, pro libera collatione, dummodo pretium ſit moderatum, & perſona, cui confertur, ſit digna.

Dices ſecundo. In iure noſtro Siculo, vt 16 vidimus, ementes officia ipſo facto ſunt illis priuati, & redduntur inhabiles ad illa retinenda, & ad alia acquirenda; igitur venditio, & emptio eſt ipſo iure nulla, atque adeo, qui pretium accepit, tenebitur, illud ſtatim reſtituere.

Reſpondeo, argumentum longum peteret examen de effectibus, quos habent leges, pœnam imponentes, ſeu leges priuatiuæ; de quibus fusè diſſeritur in tract. de legibus; in præſentia vero ſatis mihi erit, ea tantum aperire, quæ neceſſaria videntur ad argumenti ſolutionem, non probando, ſed potiùs ea ſupponendo. Aio

igitur,

Digitized by Google

igitur, quamuis Ius illud, quod in argumento proponitur, & habetur in capitulis, & pragmaticis Regni, priuet ipſo facto ementes officijs illis; nihilominus id intelligi debet poſt ſententiam declaratoriã criminis; proinde, quamuis verba illa, ipſo facto, ipſo iure, &c. non egeant ſentẽtia condenatoria, indigẽt tamẽ declaratoria, & ideo ante hanc ſententiam non tenebitur in foro conſcientiæ, qui officium abſque licentia emit, illud renuntiare, & per conſequens neque vendens reſtituere pretium, quod autem ante declarationem non aſtringatur renuntiare, ſuſtinent grauiſſimi Doctores, Canoniſtæ, & Theologi, triginta ſeptem enumerantur à *Sanchez*, quorum ſententiæ, vt longè probabiliori, adhæret *lib. 2. ſum. cap. 22. num. 7.* quibus addo *Farinac. in ſua pract. tom. 1. par. 1. tit. de delic. & pœn. quæſt. 25. à num. 60. Suarez lib. 5. de legibus cap. 8. nu. 5. Caſtrop. tom. 1. trac. 3. diſp. 2. p. 16. nu. 2. & ſeq. Laym. lib. 1. trac. 4. cap. 15. Merol. to. 2. diſp. 4. cap. 5. à num. 98. & deinceps; & alios*. rationes vero, quibus Authores citati hanc probant ſententiam, ſunt plures: breuiter tamen placet eas percurrere: videlicet, per clauſulas illas, ipſo facto, ipſo iure, & ſimiles, ſufficit aliquos haberi effectus, qui non habentur, cum leges clauſulas illas non continent, & ita vi prædictarum clauſularum excluditur ſententia condemnatoria, & poſita declaratoria, retrotrahitur ad antecedentia, & Reus a die patrati criminis amittit dominium bonorum, quæ poſſidet, & quibus ipſo facto priuatur: & ſic in caſu noſtro, qui officium, mediante pecunia obtinuit; non tenebitur illud ſtatim renunciare, niſi præcedat ſententia declaratoria ipſius delicti; imò etiam poſita tali ſententia, plures ex laudatis Authoribus, quos citat, & ſequitur *Sanchez num* 8. addunt, non eſſe Reum aſtringendum poſitiuè ad offerenda bona, quibus priuatur: proinde dicimus non obligari ad renunciandum, ſed ſolum teneri non reſiſtere, licet alij oppoſitum exiſtiment. Confirmari ſolet opinio principalis, quę aſſerit per leges illas non excludi ſententiam declaratoriam, ex communi praxi, ſecundum quam iura illa ita explicari ſolent, vt rectè animaduertunt Authores eiuſdem opinionis. ex hoc tamẽ non negamus aliquas dari poſſe leges modo explicato priuatiuas, quę obligent delinquentem ad pœnam ſubeũdam abſque alia ſententia: quod tunc euenit, quãdo in ipſa met lege legiſlator id declarat, & vt volunt aliqui, his, aut ſimilibus verbis (ſit ipſo iure priuatus abſque alia declaratione.) tunc enim per priora verba (ipſo iure) niſi aliud adderetur, nõ excluderetur neceſſitas ſententiæ declaratoriæ; at per ſubſeqaentia verba, quæ aliquid plus debent operari, ne ſint fruſtratoria, clarè excluditur. At alij, his verbis non obſtantibus, ſuſtinent adhuc deſiderari ſẽtentiam declaratoriam, & varijs modis explicant effectum, quem verba illa prædicta cauſant, ne ſint inania. vide *Sanch. num. 10. Merollam l. c. num. 86. & deinceps*. ſed quidquid ſit de hac re, ad noſtrã materiam eam examinare, non ſpectat, cum ſatis ſit dixiſſe per verba illa (ipſo facto, ipſo iure &c.) non excludi neceſſitatem declarationis, quamuis concedamus per alia verba ſuperaddita in quibuſdam caſibus ſine alia declaratione incurrere Reum in priuationis pœnam. Ad completam autem principalis difficultatis notitiã nonnulla ſunt quærenda.

Quæres primo. Quid dicendum, ſi particularis vendat officium perſonæ indignæ, & ob ſuam indignitatem eo officio priuetur, an vendens in eo caſu, ſit obligandus ad reſtitutionem pretij? 17

Reſpondeo negatiuè, quia non ipſe vẽditor contractum reſcindit, nec ipſe priuat emptorem officio illo; ſed cauſa huius priuationis eſt indignitas, qua emptor eſt affectus, & cum ſuam agnouerit conditionem, ipſe met fuit huius priuationis cauſa. ſic *Trullench. lib. 7 in decal. cap. 20. dub. 21. num. 9. Ioannes de Dicaſtillo de iuſt. lib. 2. trac. 2. diſp. 8. dub. 6. nu. 118. Vaſquez de benef. cap. 2. §. 3. n. 109. Delugo de iuſt diſp. 34. ſec. 4. n. 48.*

Quæres ſecundo. ſi emens officium à perſona particulari, poſtea in pœnam priuetur à Principe, num vendens teneatur illi reſtituere pretium? 18

Reſpondeo ſecluſo dolo, aut fraude, vẽditorem non obligari ad pretium reſtituendum, quia nec culpa, nec facto ipſius vendentis emens illo officio priuatur, & hoc aſſero ob eamdem rationem præcedẽti quæſito datam; ſciebat enim emptor pœnas iſtas, & ideo, ſi illis non obſtantibus, voluit tali periculo ſe exponere, ſibi imputetur. dixi, ſecluſo dolo &c. quia ſi vẽdens aliquo modo decẽpit ementem, dicens poſſe officium emi, aut non eſſe leges id prohibentes, aut quid ſimile, & emens his verbis ductus deuenerit ad emptionẽ, tunc proculdubio teneretur vendens ad reſtitutionem pretij: & idem dicerem etiã ſi vendens poſitiue non deceperit, ſed ex ignorantia inuincibili alius emere voluerit; tunc perinde eſſet, ac ſi venderẽtur merces cum vitio, quod hic, & nunc reſpectu ementis eſſet occultum; obligaretur vendens reſarcire damnum, vt diximus alia occaſione, cum ageremus de contractu venditionis, & emptionis: ſecùs autem,

Digitized by Google

ſi ignorantia ementis fuiſſet craſſa, tunc illi eſſet imputandum damnum ſubſequens ex re empta.

19 Quæres tertio, ponamus quod Titius, qui eſt perſona priuata pretio immoderato vendat Sorti officium: ſi Sortes, vt ſibi exceſſum pretij reſarciat, in adminiſtratione officij plurimas extorſiones exerceat; an Titius in defectu Sortis obligandus ſit ad compenſanda damna prædicta?

Reſpondeo, ex vna parte videtur affirmatiuè reſpondendum, quia exceſſus ille in pretio fuit cauſſa, vt emptor multas efficeret extorſiones: ſed contrarium puto eſſe dicendum cum *Trullench. l. c. nu.* 10. & *Leſſio lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 31. nam venditio illa etiamſi fuerit iniuſta per exceſsũ in pretio, nihilominùs cenſetur cauſſa valdè remota illarum extorſionum. & potius pura, & ſimplex occaſio, quàm cauſſa. At ſi venditio fuerit facta à Principe, tunc, vt benè notant prædicti Authores, ipſe Princeps teneretur reſarcire damna illa, non quia talium extorſionum fuerit cauſſa, ſed quia ex officio ad ſe ſpectabat impedire, & non impediuit. aduertendum tamen eſt, Titium eſſe aſtringẽdum ad reſarcienda damna, ſi cognita ineptitudine emptoris, illi officium vendidiſſet, obligatus enim erat non vendere illud perſonæ indignæ.

20 Quæres quarto, Vtrum perſona priuata accipiens à Magnate facultatem eligendi, quem ſibi placuerit eligere in tale officium, teneatur ſaltem ex virtute obediẽtiæ reſtituere pecuniam ab electo receptã? videtur enim teneri; quia cum plures dẽtur leges prohibentes huiuſmodi venditiones, ſubditi aſtringuntur ad eas ſeruãdas, atque adeo elector, ne ſit inobediẽs, deberet pretium reſtituere.

Difficultas iſta proponitur à *Cardinali Delugo in ea ſec.* 3. *nu.* 37. & cum diſtinctione reſpondet, atque, ſi res adhuc ſit integra, nempe reperiatur in eo ſtatu, vt electio facta reſcindi poſſit, & iterum gratis fieri per electionem eiuſdem, vel alterius idoneæ perſonæ; tunc elector deberet pretium reſtituere, & reſcindere electionem: ſi vero id fieri nequeat, quia electio reſcindi non valeat; non videtur elector obligandus etiam ex obedientia ad pecuniam acceptam reſtituendam, quia tunc virtus obedientiæ aſtringit ad pretium reſtituendũ, quando eo non reſtituto, omitteretur opus a lege præceptum, & eo reſtituto fieret: ſed in caſu poſito, hoc non euenit, nam opus à lege præceptum eſt gratuita electio perſonæ idoneæ: hæc autem, etiamsi pretium reſtituatur, obtineri non poteſt, quia, vt ſupponimus, res non eſt integra, ita vt noua electio fieri queat, & ſemel facta retractari; Igitur opus, quod lex præcipit, nempè gratuita electio fieri non poteſt. Neque dicas per reſtitutionem pretij ſaltem haberi, vt officium deinceps gratis poſſideatur à perſona electa, ne dicas, inquam, hoc, quia id, quod lex prohibet, eſt ne electio fiat mediante pretio: reſtitutio autem non facit, vt electio non fuerit ex pretio. hoc totum idem Author exemplo actionis simoniacæ confirmat: si quis v. g. inquit, rem ſpiritualem, mediante pretio, concedat, quamuis poſtea pretium reſtituat, non tollitur, quin posita fuerit actio simoniaca, quæ in venditione illa consiſtit; proinde, si in iure naturæ ſiſtamus, & præſcindamus à legibus poſitiuis humanis, non eſſet obligatio reſtituendi pretium acceptum ex simonia: ita in caſu noſtro, facta iam venditione officij, eſt adæquatè posita turpitudo illa, quam leges prohibent; idcirco ſubſequens reſtitutio non confert intentioni legum. sic diſcurrit Delugo, in cuius doctrina aliqua mihi ſe offert difficultas, quia leges prædictæ ita prohibent has venditiones officiorum, vt velint in emptore carentiam officij, nam emptorem ipſo iure priuant tali officio: proinde emptor electus continuans in officio, ſi illud non renunciat, reſcindendo contractum, videtur legibus opponi, retinens rem illam, cuius priuationẽ leges intendunt. igitur, ne ſit inobediens, deberet reſcindere contractum. Neque exemplum de actione ſimoniaca paritatẽ ſuadet, eſt enim manifeſta diſparitas, quia ſimonia ita eſſentialiter in actione illa cõſiſtit, vt ea tranſacta, ampliùs non remaneat, etiamſi res, quæ ſimoniacè fuit empta, retineatur, v. g. ſi quis, mediante pecunia, beneficium eccleſiaſticum, aut aliã rem ſacram obtineat, acquisitio iſta erit ſimoniaca; at retentio talis non erit, & ideo abſtrahendo à iure poſitiuo Canonico; per quod non ſolum acquiſitio beneficij, verum etiam retentio prohibetur, qui beneficium turpiter acquisiuit, non teneretur iure naturali, aut diuino illud renuntiare: imò in illo continuans nullũ committeret peccatum; at leges prædictæ non ſolum prohibent venditiones, & emptiones officiorum, verum etiam vlteriùs progrediuntur, diſponentes, vt emptor ſit ipſo iure priuatus; ideoque non valet paritas. & quamuis continuans in officio, quod emit, non peccet contra iuſtitiam commutatiuam; videtur tamen continuãdo agere contra obedientiam, niſi curet ceſſare ab officio, & pariter venditor reſtituere pretium; tranſacto autem tempore, quo officium durat, tunc ad nihil aliud erit obligandus: & in hoc valet paritas inter

ter ementes ſimoniacè, & ementes officium ſeculare. Hæc mihi occurrunt breuiter dicẽda circa materiam hanc, adeo difficilem, & implicatam, libenterque omnia ſupradicta Doctorum correctioni ſubmitto. Et ex his omnibus patet ſolutio ad argumentum vltimo loco poſitum in præcedente quæſtione contra corollarium ibidem appoſitum.

QVAESTIO VIGESIMA.

Sit ne præferenda vxor pro ſuis dotibus in ſupellectilibus viri, emptis aliena pecunia, & an gener, cui pars ſupellectilium dotata fuit, teneatur eam reſtituere.

SVMMARIVM.

1 *Quæſtio explicatur; & in duo quæſita diuiditur.*
2 *Vxor pro dote recuperanda in caſu poſito, præfertur.*
3 *Supellectilia videntur veluti fructus pecuniæ, quæ fuerunt empta.*
4 *Bona empta pecunijs etiam furtiuis ſunt ipſius ementis, ponitur limitatio.*
Quando dicitur Res ſuccedere loco pretij.
5 *Inſtantia in contrarium diluitur.*
6 *Deciſio ſecundi quæſiti difficilior dependet*
7 *ex deciſione alterius controuerſiæ.*
8 *De hac re loquentes Doctores, in quibus conueniant?*
Et in quibus diſſentiant?
9 *Aliqui putant generum, ceſſante bona fi-*
10 *de, teneri ad aliquam reſtitutionem.*
Alij abſolutè illum eximunt.
11 *Opinio Authoris.*
12 *Vxor mortuo viro ad reſtitutionem ſupel-*
13 *lectilium tenetur.*
14 *An contractus dotalis reſpectu filiæ dotatæ ſit vndequaq; gratuitus?*
15 *An mortuo viro, ſi filij ſuperſint, vxor aſtringatur reſtituere bona mobilia dotata.*
16 *Vtrũ vxor gaudeat beneficio vſucapionis.*

1 IOannes vt procurator, ſeu adminiſtrator Sortis exegit nonnullas pecuniarum ſummas, quarum dominus erat ipſe Sortes, animo tamen, & intentione eas reſtituẽdi, quando peruenerit ad pinguiorẽ fortunam, quamuis crediderit ſe numquam futurum potentem ad ſatisfaciendum, pecunijs igitur prædictis emit nonnulla ſupellectilia, quorum partem dotauit Frãciſco intuitu matrimonij initi inter Bertã filiam ipſius Ioannis, & Franciſcum; reliquam vero partẽ domi ſibi retinuit. Euenit, vt Ioannes in grauem inciderit morbum cum ſuæ vitæ periculo: idcirco duo à me quæſita fuere, primo; Vtrum in ſupellectibilibus, quæ Ioannes in propria domo habebat, ſit præferenda Iulia vxor ipſius Ioannis pro ſatisfactione, & reſtitutione ſuarum dotium, in quibus ipſa Iulia erat anterior, quàm fuerit obligatio contracta à Ioanne pro prædictarum pecuniarum appropriatione: an vero ex pecunijs, quę prouenirent ex ſupellectilibus vendendis, ſit ſatisfaciendum Sorti, ex cuius nummis empta fuere ipſa ſupellectilia. ſecundo; quæſitum fuit, an Franciſcus Gener teneatur reſtituere ſupellectilia, quæ in dotem accepit, cum primum ſciuerit empta fuiſſe pecunijs alienis, nempe pecunijs Sortis.

Ad primum queſitum reſpondeo, in caſu poſito Iuliam vxorem Ioannis pro dote recuperanda eſſe præferendam. ſuppono autem quod Iulia vxor non fuerit cooperatrix fraudis factæ à Ioanne. Ducor ad hoc aſſerendum, quia Sortes non habet maius ius in ſupellectilibus illis, quàm haberet, ſi mutuam dediſſet Ioanni pecuniã ad emẽda ſupellectilia iſta: at in caſu mutui iura diſponunt, vt vxor pro ſuis dotibus, ſi eſt anterior præferatur illi, qui mutuum dedit: ergo in caſu noſtro Iulia vxor eſt præferenda Sorti in ſupellectilibus prędictis emptis pecunia ipſius Sortis. 2

Maior videtur certa, quia in vtroque caſu ſupellectilia videntur eſſe veluti fructus pecuniarum, & in earum locum ſuccedere: imò ſi ſupellectilia empta fuiſſent ex mutuo viderentur magis obligata Sorti mutuanti quàm Sorti non mutuanti, licet ex eius pecunijs empta, nam in rebus emptis ex pecunia in hunc finem mutuo data, manet tacita hypotheca, ſecundum iurium diſpoſitionem, & priuilegium prælationis, vt patet *ex L. 1. ff. Qui potior in pign. & Authent. de æqualitate dotis, & propter nupt. don. collat. 8. §. His conſequens, & ſeq.* & interdum ex conuentione inter mutuantem, & mutuatarium datur expreſſa, & ſpecialis hypotheca: at nullũ ex his inuenitur in caſu noſtro, quoniam ſupellectilia nõ fuerunt empta ex pecunia, quam Sortes dare voluit mutuam ad emẽda ipſa ſupellectilia, & multo minùs fuit pactum hypothecæ, inter Ioannem, & Sortem, cum Sortes nihil ſciuerit de pecuniarum applicatione: ergo veriſſima eſt illa maior, ſcilicet Sortem non habere maius ius in ſupellectilibus, quam habuiſſet, ſi modo prædicto illam pecuniam mutuã dediſſet: imò multo minus ius habet. 3

Minor autem oſtenditur, nempe iura in caſu illo mutui diſponere, vt vxor cuius ius eſt anterius, ſit præferenda. ita habetur *L. Aſſiduis, in Authent. Quo iure C.*

de ijs, qui potior : in pign. hoc ipſum docent quamplures ex Doctoribus Iuriſtis, & Theologis. *Couar. lib. 1. var. reſol. c. 7 n. 2. & apud ipſum Accur. ſpecul. Bar. Alber. Salic. & alij*, & ex Theologis *Molina to. 2. diſp. 428. n. 8. Rebel. 2. p. oblig. iuſt. lib. 6. quæſt. 10 n. 4. Leſſ. lib. 2. c. 15. n. 29. Arag. 2. 2. quæſt. 62. a. 8. de ordine reſtit. concl. 4. Sayrus in clau. reg. li. 10. tr. 5. n. 4. Bonacina de contrac. d. 1. quæſt. 8. pũnc. 2. n. 3. & alij*. omnes autem hi docent vxorem in caſu illo mutui eſſe preferendam, quando eſt anterior; ergo multo magis in caſu noſtro.

Obijcies primo ſupellectilia illa cũ fuerint empta ex pecunijs Sortis vidẽtur eſſe ſub dominio ipsius Sortis, & per cõſequẽs illi, & non Iuliæ vxori Ioannis, eſſe applicanda, nam res proprio domino reſtitui debet.

4 Reſpondeo negando antecedens, nam bona acquisita, & empta pecunijs alienis etiam furtiuis, ſunt ipſius ementis, si ſuo proprio nomine illa emat. ita expreſsè ſtatuitur *L. Qui vas : ff de furtis*. colligitur *ex L. Si ex ea C. de rei vendicat : L. Ad probationem. C. de probationibus*. & ita apertè docent doctores *Molina d. 326. 327. Sotus lib. 6. quæſt. 1. art. 4. concl. 2. Medina de rebus per vſuram acquiſitis quæſt. 4. Syluest. V. vſura 6. quæſt. 2. Leſ. lib. 2. cap. 20. n. 161. 162. Salonius 2. 2. quæſt. 78. art. 3. contr. 3. 4.* qui addit *eſſe figmẽtum aſſerere huiuſmodi bona acquiri domino pecuniarum. Sayrus in claui regia cap. cit. n. 11. Reginal. in praxi lib. 10. n. 417.* & exemplificat in vſurario, depositario, & fure. Ioannes autem in caſu noſtro, aut ſe habuit veluti depositarius, vel ad peius, vt fur: proinde cum ſupellectilia illa nomine ſuo emerit, eorum dominium acquiſiuit, licet pecunijs Sortis ea emerit, patitur hæc reſponsio limitationem, quando emuntur bona pecunijs Ecclesię, vel pupilli, &c. quod non facit ad caſum noſtrum.

Obijcies ſecundo res ſuccedunt loco
5 pretij: ergo ſi pretium, nimirum pecunia, erat ſub dominio Sortis, etiam ſupellectilia, quæ tali pecunia fuerunt empta, debent eſſe ſub eiuſdem Sortis dominio.

Reſpondeo axioma illud locum habere ſolum in vniuerſalibus, vt in fidei commiſſo, hæreditate, dote &c. vt optimè notauit *Sanchez in ſum. lib. 2. c. 23. n. 25. Molina tom. 2. d. 323. ad 3. ex Bartolo L. Qui vas : & L. Si, & rem, & pretium. ff. de petit. hæred. Sayrus l. c. & alij*.

6 Dices, id locum habere pro foro externo, non autem in conſcientia. Contra quia cum iura id diſponentia non fundẽtur in præſumptione, ſed in ęquitate naturali, ſunt iuſtiſſima; proinde in foro cõſcientiæ eodem modo eſt procedendum. Et hæc de primo quęsito.

Secundum autem quęsitum non ita fa- 7
cilè admittit decisionem, nam ſolutio magna ex parte dependet ex illa controuerſia, videlicet, an debitor validè alienet bona in fraudem creditorum, & ille, qui ea recipit, teneatur ad reſtitutionem: pro qua re ſuppono alienationem tũc in fraudem creditorum fieri; quando ipſe met debitor ſcit, & aduertit ſe impotentem reddere, ita alienando, quamuis non hac intentione id faciat. sic *Molina diſp. 328. initio, & Filliucius tract. 25. cap. 8. quæſito 7. n. 195.* & expreſſe aſſeritur *in L. Si quis cum haberet : ff. Quæ in fraud. cred.* Addit etiam Filliucius id regulariter ita ſe habere, nam excipitur manumiſſio mancipij, quæ vt dicatur fieri in fraudem: requiritur, vt tali intentione fiat, & hoc in fauorem libertatis.

Suppono rurſus ſermonem eſſe de alienationibus rerum, quæ non sint hypothecatæ, habeantq; onus reale, nam res iſtæ, quæ hypothecam habent, quacumq; facta alienatione, tranſeunt cum illa hypotheca, eodemq; onere: his pręſuppositis.

Aio Doctores in hoc conuenire, quod 8
debitor ita alienãs, ſi fiat impotens ad ſatisfaciendum creditoribus, & ille, in quem fit alienatio, ignoret impotentiam, quæ reſultat in alienatione, & bona, quę alienantur, recipiat contractu oneroſo, in tali caſu Doctores inquiunt, ita recipientem; neq; in foro externo; neq; in foro conſcientiæ teneri ad reſtituenda bona illa, ſed ſtatim, alienatione facta, acquirere dominium rerum alienatarum, & creditores illius, qui alienauit, non habere actionem aduerſus ipſum recipientem. sic *Leſſius lib. 2. cap 20. num. 168. Molina tom. 2. de iuſt. diſp. 328. num 8. Reginal. in praxi lib. 10. num. 420. Bonacina de reſt. diſp. 1. quæſt. 8. p. 2. n. 27. Filliuc. trac. 34. nu. 128. & tract. 35. num. 199. & apud ipſos Syluest. Sotus, Caiet. & alij.* Non teneri recipientem in foro fori, probatur, quia nullum datur Ius id pręcipiens, imò oppositum ſtatuit, vt patet ex iuribus proximè citatis *in rubrica Quæ in fraud. cred.* Non teneri in foro conſcientiæ oſtenditur hac ratione fundamentali, quia neque ratione iniuſtę acceptionis, nam, vt ſupponimus, bona fide recepit, neque tenetur ex re accepta, quia bona illa erant ſub dominio alienantis, & nemini realiter hypothecata, & iuſto titulo facta fuit alienatio, videlicet vi alicuius contractus, denique neque obligatur ratione contractus, quia inter ipſum recipentem, & creditores illius, qui alienauit nullus

con-

contractus interceſſit. igitur ſic acquirens non aſtringitur in foro conſcientię ad reſtitutionem, quamuis poſtea ſciuerit alienationem illam fuiſſe in fraudem creditorum.

Vlterius Doctores conuenire videntur in hoc, quod ſi alienatio fiat contractu ſolùm lucratiuo ex parte recipientis, tunc ſi ipſe recipiēs etiam bona fide procedat, nō tenetur ad reſtitutionē bonorum, ſi extāt, & ſi non extant, ad id, in quo ditior eſt factus, hac tamen conditione, vt creditores petant reſciſſionem alienationis infra annum à die ſcientiæ illius alienationis, & hoc probant per textum *in L. Qui autem §. Simili modo. ff Quæ in fraud. &c. & in L. fin.* C. *eod. tit.*

9 Cæterum in hoc videntur diſcrepare, nam *Leſſius dub. cit. n. 169. Molina diſp. illa 328. n. 12. 13. & quidam alij* dicunt quod ſi recipiens erat conſcius de fraude, teneri in conſcientia ad reſtitutionem, dummodo infra annum reſciſſio petatur à creditoribus à die ſcientiæ, elapſo autē anno nō aſtringitur, at Bonac, *l. c. ver. Dixi bona fide*, plures alios adducens defendit oppoſitum, ſcilicet recipientem teneri etiam elapſo anno.

Hæc autē apud Authores inuenio de his alienationibus: ex quorū doctrina venio ad deciſionē huius ſecūdi quęſiti, nēpe an Gener, cui ſupellectilia prędicta dotata fuerunt, aſtringatur illa in fauorem creditorum reſtituere.

10 Prima opinio, vult quod ſi Gener bona fide recepit ſupellectilia, dotata à ſocero in fraudem creditorum, tunc ceſſante ipſa bona fide, poſſe Generum ſibi tantum retinere, quantum eſt neceſſarium ad vxorē alendam, quæ inter alios creditores ipſius Ioannis numerari debet, ſic *Reginaldus in praxi lib. 10. num. 427.* quam opinionem etiam ſequitur *Bonacina p. cit. n. 28.*

11 Secunda opinio ſine tali reſtrictione loquitur, & aſſerit Generum, ſi bona fide procedit, non teneri ad reſtitutionem bonorum. ita Doctores mox citandi. His præhabitis.

12 Dicendum eſt primo. ſi Gener bona fide recepit bona illa, non obligatur ea reſtituere, neque in externo foro, quia nulla extat lex id præcipiens, neque in foro interno, quia ex nullo capite ad id obligatur videlicet neque ratione acceptionis, quia bona fide recepit, neque ratione rei acceptæ, cum bona illa fuerint donantis, & nullam habuerint hypothecam; & deniq; Gener illa recepit contractu oneroſo ad ſuſtinenda onera matrimonij, nam contractus matrimonij ex parte viri eſt oneroſus vt notat *Rebell. lib. 5. quæſt. 1. nu. 13.* & id nunc ſuppono. concluſionem hāc expreſſe docet idem *Rebell lib. 8. eiuſdem partis quæſt. 16. ſec. 3. n. 14. Molina diſp. 328. cit. n. 4. Malderus in 2. 2. S. Thomæ tract. 5. cap. 3. dub. 22. concl. 5.*

Dicendum eſt ſecundo. Berta vxor Frāciſci, & filia Ioannis, poſt mortem ſui viri tenetur ad reſtituendum ex bonis dotatis, ea, quæ extāt, vel id, in quo facta eſt ditior. ita Authores citati, & ducuntur, quia reſpectu filiæ dotatio fuit contractus lucratiuus, & gratuitus, nam dos dari debet ex ijs, quę ſuperſunt deducto ęre alieno, & grauitijs: proinde cum alienatio facta fuerit in fraudem creditorum, vt ſuppono, obligat gratuito accipientem ad reſtitutionem. idcirco *Molina tom. 2. diſp. 330. n. 15.* poſtquam locutus eſt de alienationibus iſtis factis in fraudem, & expendit obligationem, quę reperitur in accipientibus tum bona, tum mala fide, contractu oneroſo, non gratuito, ait [*In dote filię, & donatione filio ad nuptias plus eſſe difficultatis, quam in alijs alienationibus: ratio eſt, quoniam de bonis paternis deducendum prius eſt totum aes alienum ſi dotem, aut donationem ad nuptias deducere velis &c.*] & poſt pauca ſic ſubdit [*Quo fit, vt in conſcientiæ foro filius, aut filia ſoluere teneatur inde debita, quæ parens habebat, quando dotem, aut donationem dedit, ſi parenti tunc ſufficientia bona nō remanebant ad ea debita ſoluenda*.] Hęc ille: & eum ſequitur *Malderus dub. 22. citato circa finem*. 13

Hęc colligere potui circa hoc ſecundum quęſitum ex mente doctorum; cęterum tria mihi videntur conſideranda.

Primo. an cōtractus iſte dotatis reſpectu filię cenſeri debeat vndequaque gratuitus, nam hoc eſt fundamentum, quo nituntur Authores ad aſſerendum filiam dotatam, poſt mortem viri obligari ad reſtitutionem modo explicato: ratio autem dubitandi facit; quia non obſtantibus creditoribus, pater videbatur teneri ad alēdam filiam, ſi eam in matrimonium non copulaſſet, & ſi filia non habuiſſet vnde poſſet ſe alimentare; & hoc communiter docent Authores loquentes de filijs vſurarij: idcirco cum Ioannes, in caſu noſtro, Bertam filiam ſuam matrimonio coniunxerit, licet ex ſua parte viſus fuerit alienaſſe bona aliqua mobilia, ea dotando; ex alia tamen parte abſtinuit ab expēſis, quas facere debuiſſet, cum Bertam innuptam domi retinuiſſet, & ideo dotatio iſta non videtur vndequaque contractus lucratiuus, etiam ex parte ipſius Bertę filię. hoc propono non decidendo, ſed vt expendatur. 14

Secundo. quæri poſſet, an mortuo Frāciſco viro ipſius Bertę, ſi filij, aut filię ſuper- 15

perſuerint ex Franciſco; teneatur Berta reſtituere bona mobilia dotata, ſi extent, &c. dubium hoc mouet ſolus *Molina*, quantum ego videre potui, *diſp.* 328. *nu.* 4. illudque ſoluit eximens filiam, & inquit [*Interim enim, dum illi viuerent, nempe filij, reuocare dotem quaſi factam in fraudem creditorum, redundaret in detrimentum eorum, nempe filiorum, atque adeo viri defuncti, qui eam dotem titulo oneroſo accepit.*] hæc Molina.

16 Tertio. dubitare quis poſſet, an Berta filia gaudere valeat beneficio vſucapionis, ſi viuente marito lapſum ſit tempus, quod à lege requiritur ad præſcriptionem rerum mobilium.

Reſpondeo, videtur quod decurſus temporis requiſiti ad talem præſcriptionem, viuente marito, non ſit ſufficiens, vt ipſa Berta poſſit retinere prædicta bona mobilia in præiudicium creditorum titulo præſcriptionis. ratio eſt, quia ille poteſt gaudere beneficio præſcriptionis, qui, ſi ceſſet bona fides, tenetur reſtituere; at in caſu noſtro maritus Bertæ etiamſi notitiam habuiſſet, alienationem, ſeu dotationem fuiſſe factam in fraudem Sortis creditoris, non tenetur ad reſtitutionem ob rationem aſſignatam in prima concluſione: ergo, etiamſi eo viuente labatur tempus à Iure requiſitum ad præſcribenda bona iſta mobilia, tamen non videtur Berta in ſui fauorem præſcribere: vt autem ipſa poſſit præſcribere, exigitur, vt tempus prædictum labatur poſt mortem ſui viri, etiam currentibus ſimul reliquis conditionibus, quæ ad iuſtam præſcriptionem poſtulantur.

Hæc omnia dicta ſint ſecundum Ius commune Cæſareum, nam ſi locis particularibus aliæ ſeruentur leges, & ſtatuta iuxta illorum præſcriptionem erit iudicandum.

QVAESTIO VIGESIMAPRIMA.

Filius Spurius ſi naſcatur poſt donationē bonorum alteri à Patre factam; Num poſſit contra donatarium agere, vt alimenta ſibi ſoluantur.

S V M M A R I V M.

1 *Nomine ſpurij quis veniat.*
2 *Proponitur caſus.*
3 *Spurius ad alimenta acquirenda poteſt agere contra Donatarium.*
4 *Limitatur concluſio.*
5 *Inſtantia in contrarium ſoluitur.*
6 *Obligatio alendi filium, ſi parentes ſint inopes tranſit ad aſcendentes.*
7 *Limitatio poſita à Vaſquez remittitur ad Iuriſtas.*

SVb nomine ſpurij comprehendimus filium quocumque modo illegitimum, nam, vt aduertit *Paleot. de Nothis, & Spur. cap. 16.* nomen hoc bifariam ſumi poteſt, genericè, & ſpecificè, priori modo vult ſub illo contineri, quemlibet filium ex illicito coitu, quo pacto non differt ab illegitimo: poſteriori autem modo ſumit illum, quatenus eſt natus ex mulieribus, ad quas publicè patebat aditus; at in alia ſignificatione magis propria per ſpurium intelligimus natum ex coitu dānato, videlicet ex his parentibus, quorum coniugium erat prohibitum. His vero ſignificationibus omiſſis; quæ videri poſſunt apud *Paleotum loc. c. & Couarruuiam de matr. p. 2. cap.* 8. §. 4. & 5. ſatis erit in præſentia per ſpurium intelligi à nobis quemcumque filium illegitimum, de quo ſic caſum formamus. 1

Titius v. g. nullum habens filium, donationem faciat Sorti extraneo omnium bonorum, quæ poſſidet, vt in illis tamquā hæres poſt ipſius Titij obitum ſuccedat, poſtea ex coitu illicito ex Titio procreetur Caius ſpurius. Quærimus, vtrum Caius ius habeat agendi poſt mortem Patris contra Sortem donatarium, ad effectum conſequendi alimenta, & vt iuriſtarum vtar terminis, an poſſit reuocare donationem prædictam, vſque ad iuſtam, & legitimam alimentorum quantitatem. 2

Dicēdū eſt primo poſſe agere cōtra Sortē donatariū ſui Patris, vt ex bonis donatis alimenta percipiat, ita *Couarruu. ca. illo* 8. *cit.* §. 7. *nu.* 14. *Surdus de alimen. tit.* 8. *quæſt.* 8. *Paleot. tract. cit. cap.* 34. *num.* 10. *Vaſquez in opuſc. de teſtam. cap.* 5. §. 7. *dub.* 16. Ratio eſt quia, iure naturali tenetur Pater filium alere: ideoque quæcumque bonorum diſpoſitio, ſiue per donationem, ſiue per teſtamentum, trāſit ad alios cum hoc onere, ac proinde donatarius, ſeu hæres prædictorum bonorum, tenebitur legitima alimenta filio ſpurio ipſius donantis præbere. 3

Dicendum eſt ſecundo: concluſio præcedens intelligenda eſt, quando bona illa tranſeunt ad alium titulo lucratiuo, ſeu gratioſo: ſi vero tranſeant, titulo oneroſo, v. g. per venditionem, tunc poſſidens bona illa non aſtringetur alere filiū illius, cuius bona diſtracta fuerunt, ſic *Vaſquez dub. cit. n.* 157. & rectè, quia in tali euentu emens bona illa, aut alio titulo oneroſo ea acquirens, ſoluit pretium loco bonorum venditorum, quod ſuccedit in hoc, loco ipſorum bonorum, & ex pretio illo filius erat alendus. 4

Dices bona à Patre vendita, deueniunt 5

ad

ad ementem cum hypotheca, vt ex ipſis alimenta filio erogentur; ergo quamuis tranſeant ad tertium titulo oneroſo, remanent tamen cum hypotheca prædicta.

Reſpondeo, negando antecedens; nam bona illa, non erant reali, ſed tantum perſonali obligatione hypothecata pro alimentis ſoluendis, inquantum erāt ſub dominio ipſius Patris, in quo primò, & per ſe reſidebat obligatio alendi filium; proinde cum venduntur non trahunt ſecū obligationem hanc.

6 Dicendum eſt tertio, ſi parentes nequeant ob inopiam filium ſpurium alere, tunc in eorum locum, ſubintrant alij aſcendentes, nimirum Aui, & Proaui, quia obligatio iſta naturalis, ordine quodam tranſit in aſcendentes ipſos, ita docet *Couarr. §. 6. cit. n. 16. Vaſquez vt ſupra ver. Notandum tamen.*

7 Obligationem hanc, quam in aſcendētibus agnoſcimus, limitat *Vaſquez ver. (Circa illud)* caſu, quo Auus aſſignauit filio ſuo partem illi debitam, de qua liberè diſponere poterat, & tunc ſi extant alij filij, quibus debita eſt legitima, non tenebitur Auus alere nepotem ſuum ſpurium, ex reliquis bonis hæreditarijs, ſecùs autem, ſi non extant filij. ſic *Vaſquez*, ſed de puncto iſto nihil aliud dicam, remitto tamen illud ad Iuriſtas, & ad leges proprias municipales, ſeu conſuetudines regionum.

QVAESTIO VIGESIMASECVNDA.

Vtrum vxori liceat ſe alere ex bonis per iniuriam à marito acquiſitis, ſi ille non habeat vnde creditoribus ſoluat?

SVMMARIVM.

1 *Refertur quæſitum.*
2 *Vxor nequit, per ſe loquendo, ſe alere ex bonis ſub alterius dominio manentibus, etiamſi à marito poſſideantur.*
3 *Quibuſdam poſitis conditionibus licitè id facit.*
4 *Ex bonis ſub dominio mariti extantibus abſque peccato, & obligatione reſtituendi ſe alit.*
5 *Ponitur caſus particularis.*
6 *Idem aſſeritur de filijs.*
7 *Et etiam de famulis cum quadam limitatione.*
8 *Et de illis, qui in infirmitate Debitori ægroto inſeruiunt, & neceſſaria ſubminiſtrant.*

A Quodam pio viro noſtræ ſocietatis de hoc caſu interrogatus, ſolutionem, quam illi oretenus dedi, placet nunc vberiùs declarare; Ideoque caſum formans pono exemplum in vſurario, de quo frequentiùs loquuntur Authores, idem intelligendo de fure, & quocumq; alio debitore non habente alia bona, niſi ea, ex quorum pretio deberet creditoribus ſatisfacere. his poſitis ſic caſum figuro. Titius negotiator multa iniuſtè lucratus eſt per vſuram, & tandem deueniens ad egeſtatem, nihil aliud apud ſe habeat, niſi ea, quę neceſſaria eſſent ad ſoluendum ijs, à quibus vſuras extorſit; quęritur, num eius vxor licitè poſſit inſumere partem ex bonis, quę apud maritum inueniuntur, vt ſe ſuſtentet. 1

Dico primò, ſi bona, quorum partem vxor, vt ſe alat, inſumit, ſunt in propria ſpecie, vt loquuntur Iuriſtę, ſeu in indiuiduo, reſtituenda, vxor, per ſe loquendo, non poterit talia bona conſumere. Cōcluſio eſt certa, & communis, eamq; docet *Syluest. V. Vſura. 8. quæſt. 2. Molina to. 1 de iuſt. diſp. 330. n. 8. Vaſquez opuſc. de reſtit. cap. 11. dub. 3. n. 78. ver. Ex ijs ſequitur, Cardinalis Delugo diſp. 20. de iuſt. ſec. 6. n. 127. & alij.* Ratio eſt manifeſta, quia in bona illa, quę adhuc manent ſub dominio alterius, & non mariti, nullum ius habet vxor, ſiue ſint vſu conſumptibilia, ſiue inconſumptibilia, vt notat idem *Molina diſp. cit. n. 4.* proinde vxor bonis illis vtens, & conſumens, vſurpat alienum inuito domino, & ideo vtens, & conſumens peccat, & ad reſtitutionem tenetur. 2

Dico ſecundo. ſi vxor ob neceſſitatem, qua laborat inſumit partem prædictorum bonorum, quantum neceſſitas poſtulat, vſus talium bonorum nō erit illicitus, ſed, vt rectè aduertit Delugo, neceſſitas eſſe debet in eo gradu, vt licitum ſit vſurpare aliena, cum illis tamen conditionibus, quibus iuſtificari poterit vſurpatio, videlicet vt inſumatur quantum moraliter iudicabitur eſſe neceſſarium, & cum intētione reſarciendi vero Domino, quod in vtilitatem propriam fuit conſumptum: Ratio autem eſt, quia conſumptio iſta cum non ſit de rebus mariti, ſed de rebus alienis, vxor illis vtens excuſabitur titulo grauis neceſſitatis, quę iuxta probabilem ſententiam, (licet aliqui diſſentiant, id ſolùm admittētes in extrema, & nō in graui neceſſitate,) eſt ſufficiens ad eximendum hominem à peccato, non autem ab obligatione reficiendi quod conſumptum fuit; quando conſumens deuenerit ad pinguiorem fortunam, nam obligatio iſta oritur ex re accepta, vt benè notat *Molina l. c.* & ideo re- 3

remanet debitum reſtituendi, quando vſurpatio præſupponit ſcientiam, quod res ſit aliena.

4 Dico tertio. ex ſuppoſitione, quod bona ſint ſub dominio mariti, tunc quamuis maritus alens ex illis vxorem reddatur impotens ad reſtituendum, & vxor hoc etiam agnoſcat; nihilominus vxor ipſa inſumens partem horum bonorum pro ſuis alimentis neque peccabit, neque ad reſtitutionem tenebitur. ita Authores citati, quibus addo *Rebell. par. 2. de obligat. iuſtit. lib. 8. quæſt. 16. n. 12. Turrianum de iuſt. diſp. 19. n. 18. Fagundez in prec. decal. lib. 4. cap. 9. n. 13. Dicaſtillo de iuſt. lib. 2. trac. 2. diſp. 10. dub. 3. n. 77. Trullench in decalog. lib. 7. cap. 19. dub. 19. n. 17. & alios*. Probatur concluſio quoad vtramque partem. & primo. quod vxor non peccabit, sic, maritus ex iuſtitia obligatur vxorem alere in ſui obſequio manentem, vt plurium authoritate confirmat *Surdus de alim. tit. 1. diſp. 32.* & præſertim si vxor dotem ipſi marito dederit, quæ datur pro oneribus matrimonij, inter quæ eſt debitum alendi vxorem, vt habetur in *L. Si is qui §. ibi dos, & L. Dotis fructus. ff. de iur. dot.* imò maritus plus tenetur vxori; quàm alijs creditoribus: igitur poterit vxor abſque vllo peccato, quantũ neceſſitas poſtulabit iuxta decentiam ſtatus ſe alere ex bonis mariti. ſecunda autem pars, in qua dicebatur vxor ex tali conſumptione, nón aſtringi ad reſtitutionem, sic oſtenditur. Non obligatur neque ratione rei acceptæ, neque ratione acceptionis, neque alio titulo; ergo abſolutè libera erit à tali obligatione; Antecedens, in quo reſidet difficultas probatur per ſingula: non tenetur ratione rei acceptæ, quia res, quas conſumpsit erant ſub dominio mariti, qui ex iuſtitia vxorem alere obligabatur, neque ratione acceptionis, nam iure ſuo vtens nemini iniuriam fecit, & nullus eſt alius titulus, in quo fundari poſſit talis obligatio; ergo abſolutè ad nullam aſtringitur obligationem, quamuis maritus ex tali inſumptione reddatur impotens, aut minùs potens ad reſtituendũ, nihilominus neceſſitas illa vxoris cohoneſtat cõſuptionem, nam sicuti ipſe maritus, qui eſt principalis debitor inſumens bona, quæ poſſidet, excuſatur ob indigentiam, quam habet ad ſe ſuſtẽtãdum, multo magis excuſabitur vxor, quæ non eſt debitrix, & conſumens vtitur ſuo iure.

Ex his colligitur in ordine ad praxim, & ad caſum indiuidualem, de quo fui interrogatus, quod si maritus pecunijs per vſuram, aut per furtum acquiſitis, emerit cibos, eos comedendos ſibi, & vxori præparet, & ponat, poſſe vxorem de illis cibis edere, sicuti etiam de alijs bonis mariti, quæ ſunt ſibi neceſſaria appropriare. Animaduertit tamen Molina, & etiã alij, quæ in hac concluſione dicta ſunt, locum habere, quando matrimonium celebratum fuit contractu dotis, & arrharum, nam si fuerit celebratum contractu medietatis bonorum, vt fit in Lusitania, tunc debita, quæ à marito contrahuntur poſt celebratum matrimonium, ad vtrumque coniugem ſpectant; proinde vxor, ſoluto matrimonio, erit aſtricta ad medietatem bonorum, quæ ſoluenda ſuperſunt, & præſertim si ipſa inſumpſerit partem illorum bonorum, vnde debita reſultarunt. 5

6 Dico quarto. quæ de vxore dicta ſunt, locum etiam habent in filijs, si aliunde non habeant, nec poſſint ſua induſtria victum quærere, nec alijs inſeruire sine proprij ſtatus dedecore, tunc licitè ex bonis paternis ali poſſint, etiam si pater alendo impotentem ſe reddat ad ſatisfaciendum creditoribus. sic *Nauar in ſum. cap. 17. nu. 269. Vaſq. Mol. & alij ſuperius citati* concluſio iſta eadem ratione, qua præcedentes, erit probanda.

7 Dico quinto. hanc doctrinam alij extendunt ad famulos, qui vel simpliciter ſunt ipſi Debitori neceſſarij, vel abſque ignominia sine illis viuere nequeat. ita *Vaſquez dub. cit. n. 83. & alij, quos ſuprà laudauimus*, dicunt enim poſſe ab his famulis conſuetum ſtipendium à debitore recipi, non obſtante prędicta impotentia, quia debitor non obligatur ſoluere creditoribus, cum graui indecentia propriæ perſonæ.

8 Idem etiam aſſerit *Vaſquez ibidem ver. (Tertia eadem)* de medico, pharmocopola, & alij, qui Debitori ægrotanti ſubminiſtrant neceſſaria ad ſalutem recuperandam, vel eidem inſeruiunt, hi enim, & pretium rerum, quæ vendunt, & mercedem obſequiorum, quæ præſtant, recipere poſſunt ab ipſo Debitore, qui non tenetur illis ſe priuare cum periculo vitæ, aut graui damno corporali, vt alijs ſatisfaciat.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS

DE VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

TRactatio vltimarum voluntatum adeo eſt ampla, rerumque multitudine, & difficultatibus implicata, vt ad eam perfectè enodandam integra quis poſſet edere volumina, hoc autem non eſt iuxta inſtitutum meum; proinde pauca quædam, de quibus ferè omnibus conſultus, & in varijs occaſionibus quæſitus fui, ſeligere, et in hoc Libro decidenda proponere, optimum duxi.

QVAESTIO PRIMA.

Poſſit ne hæres in teſtamento minùs ſolemni inſtitutus, capiens hæreditatem, legata in eo contenta, vel legatarijs, vel hæredi ab inteſtato ad ſui libitum perſoluere?

SVMMARIVM.

1 *Præſens quæſtio procedit ex ſuppoſitione alterius controuerſiæ.*
2 *Status quæſtionis explicatur.*
3 *Refertur ſententia, quæ in arbitrio ipſius hæredis ex teſtamento relinquit, cui ſolui debeant legata hæredi ab inteſtato, an legatarijs.*
4 *Opinio contraria negatiua proponitur.*
5 *Diſcurſus, quo nitūtur aliqui, indiget maiori confirmatione.*
6 *Nequit eſſe in facultate hæredis ex tali teſtamento ſoluere, aut non ſoluere legata, vel ſoluere, cui placuerit, &c.*
7 *Obiectio in oppoſitum.*
8 *Diluitur.*
9 *Satisfit rationi adductæ pro priori ſententia.*
10 *Hæres ab inteſtato non poteſt propria authoritate ſibi capere hæreditatem, aut aliqua bona ex illa vſurpare.*

DIfficultas, quam in quæſtionis titulo proponimus, celebrem illam ſupponit controuerſiam, an teſtamētum carens ſolemnitatibus iure ciuili requiſitis, non ſolùm pro externo, verum etiam pro interno conſcientiæ foro ſit irritum. v. g. ſi non adfuerit numerus teſtium, quem Ius præſcribit, vel non fuerint omnes puberes, vel non omnes rogati, &c. ex quorum defectu irritū in Iure ciuili teſtamentum cenſetur. Hanc controuerſiam nunc non exagitamus, cum enim ſit valde vulgaris, paſſim apud Authores reperitur, ſed partem aliquam eligimus ex ea dumtaxat, quæ non ita frequenter diſcutitur, & non leuem habet dubitationem: & ſic declaratur: Si hæres vi illius teſtamenti minùs ſolemnis hæreditatem capiat, ſequens opinionem, quæ aſſerit, leges irritantes tale teſtamentum pro foro tantum externo efficaces eſſe, & non pro interno, an poſſit in ſoluendis legatis, eligere potius hæredem ab inteſtato, illum nimirùm, qui ius ſuccedendi haberet, ſi teſtator nullum teſtamentum condidiſſet, & ſic mortuus fuiſſet, quàm eligere ipſos legatarios, vel è conuerſo eligere legatarios, omiſſo hærede illo, loquimur autem in tota hac quæſtione de legatis profanis; nam teſtamentum carens ſolemnitatibus Iure ciuili requiſitis, eſt omnino validum quoad legata pia, vt eſt communis Doctorum opinio, imo ſi principaliter eſt ad legata pia, & acceſſoriè ad profana, ſecundum omnia erit firmum, & validū, vt multi opinātur; his præſuppoſitis. 1 2

Prima ſententia affirmat in voluntate 3

ipſius hæredis ex teſtamento eſſe poſitam electionem prædictorum, ita *Sanchez in conſ. lib. 4. cap. 1. dub. 14. n. 10. & apud ipſum Burgos De Paz*, quem videre non potui. pro hac ſententia probanda nullam Sanchez affert rationem: poſſet tamē probari ex eo quod opinio, quæ docet huiuſmodi teſtamentum eſſe irritum etiam in foro conſcientiæ, atque adeo hæreditatem eſſe aſſignandam hæredi ab inteſtato, eſt probabilis; propterea sicuti hæres ab inteſtato tuta conſcientia ſuccedere potuiſſet in totam hæreditatem, & excludere legata, vtpote relicta per teſtamentum irritum, ita multo magis poterit recipere partem illam hæreditatis, quæ legatarijs erat ſoluenda.

4 Secunda opinio eſt omnino contraria, negans eſſe in voluntate hæredis ex teſtamento illo minùs ſolemni optionem prædictam, ſed ipſum teneri legata ipſis legatarijs ſoluere, ita *Cardinalis Delugo tom. 2. de Iuſt. diſp. 22. ſec. 9. n. 261.* qui hanc ſententiam probat ex iniuſtitia, quæ ſequeretur ex oppoſita ſententia, idque oſtendit declarando modum, quo fieri poſſet optio. ſit v. g. Caius, qui in ſuo teſtamento minùs ſolemni inſtituat Titiū ſuum conſanguineum, & non Sortem fratrem ſuum, ad quem perueniret [illegible] hæreditas, ſi Caius mortuus fuiſſet ab inteſtato; Rurſus grauet Titium hæredē inſtitutum onere ſoluēdi legata coniugi ipſius teſtatoris; poſtea defuncto iā Caio, Titius vi teſtamēti minùs ſolēnis capiat hęreditatē, & nō ſoluat legata, quæ iuxta mentē defuncti erant ſoluenda eiuſdem coniugi, ſed quantitatem illam, quæ erat ipſi coniugi legatarię ſoluenda, eligat ſoluere Sorti ipſius teſtatoris fratri: iſte modus continet iniquitatem, quia eſt contra legem, & cōtra mentem teſtatoris; probatur aſſumptū eſt contra legem, quatenus Sortes non conſequitur totam hæreditatem, in quam tanquam hæres ab inteſtato erat ſucceſſurus, ſed conſequitur partem, nempe legata tantùm: leges autem ciuiles diſponūt, vt teſtamentum carens ſolemnitatibus ſit ipſo Iure irritū, & conſequenter vt in totā hæreditatem ſuccedere debeat ille, qui ab inteſtato eſſet ſucceſſurus. ēſt etiam contra mentem teſtatoris; qui voluit, vt Titius non haberet totam hæreditatem, ſed ex ea partem daret coniugi: igitur cum modus iſte ſit contra legem, & teſtatoris mentem, continet iniquitatem. non enim videtur rectæ rationi conſentaneum, vt Titius approbet voluntatem Teſtatoris quoad lucrū, & non quoad onus, & huius rei rationē ipſe Delugo reddit, remittens ſe ad ea, quæ dixerat *diſp. 13. de Euch. ſec. 3. à n. 49.* & ego etiam examinaui *in tract. de conſcientia* cum agerem de conſc. probabili *Diſcept. 4. cap. 14. per totum.* & cōfirmat hæc omnia idem Delugo hac ratione, nam ſi Titius haberet in ſua poteſtate optionem illam, ſequeretur, quod ſi Caius priùs condidiſſet aliud teſtamentū cum debita ſolemnitate à iure requiſita, & cum onere legatorum, & poſtea illud mutaret, aliud condens minùs ſolemne, per quod Titium hęredem inſtitueret grauatum ſoluere quædā legata diuerſis perſonis ab illis, quibus in primo teſtamento fuerunt relicta, poſſet Titius in tali caſu, accipiens hæreditatem vi huius ſecundi teſtamenti minùs ſolemnis, ſoluere illa legatarijs primi teſtamenti, qui forſitā erant filij ipſius Titij, quibus poſtea Caius nihil legauit per ſecundum: hanc autem variationem manifeſtè patet eſſe contra mentem Caij teſtatoris, qui noluit ſimul Titium eſſe hæredem, & eius filios eſſe legatarios. his rationibus Cardinalis Delugo impugnat ſententiam Sanchez. Verum diſcurſus iſte, & argumenta, quamuis veritatem contineant, nihilominus niſi meliùs confirmentur, poſſent ab aduerſarijs facilè eludi; nam id, in quo ſit vis, vt paucis comprehendam, conſiſtit in eo, quod modus ille adeundi hæreditatem, & ſoluendi legata, ſit contra leges, & teſtatoris mentem: quoad leges, argumenta nullam habent vim, quia aduerſarij conueniunt in hoc, quod aditio hæreditatis ex parte Titij ſit contra leges ciuiles irritantes teſtamentum minùs ſolemne, licet in foro conſcientiæ probabile, & tutum ſit accipi poſſe hæreditatē ab hærede ex tali teſtamento, vt fatetur ipſemet Delugo, qui ſolum impugnat optionē illam quoad legata ſoluenda. ſi vero ſermo ſit de ſecundo membro, nempe de voluntate teſtatoris, contra quam operatur Titius, ſi legata ſoluat ſuo arbitrio alteri quàm legatarijs, fateor hoc eſſe contra mentem teſtatoris, ſed eſſet vlterius oſtēdendum hoc eſſe illicitum, & iniuſtum: nam quis poſſet reſpondere, id non eſſe illicitum, quia cum Ius ciuile reſiſtat volūtati teſtatoris in tali teſtamēto declaratæ, & probabile ſit etiam in foro conſcientiæ, tale teſtamentum eſſe inualidum, poſſe à Titio vtramque opinionem admitti, & operari quoad aliqua iuxta vnam ſententiam, nempe iuxta illam, quæ aſſerit in foro conſcientiæ eſſe validum teſtamentū, & huic opinioni adhęrens, accipere hæreditatem: poſſe etiam adhærendo opinioni contrariæ, iudicare probabile eſſe in foro conſcientiæ irritum eſſe teſtamentum, & conſequenter legata illa non pia poſſe nō ſoluere legatarijs, eaq; ſibi retinere, quod ſi hoc eſſet verum, poterit de illis diſpo- 5

nere

Digitized by Google

nere ad ſui libitum, atque adeo ſoluere Sorti hæredi ab inteſtato. Et ſi vrgeas hoc videri abſurdum, videlicet vti teſtamento tanquam valido quoad vnam partem, & non quoad alteram in prẹiudicium tertij; reſponderet aduerſarius, hoc eſſe probandum, & pariter prẹiudicium, ſeu damnum tertio obueniens eſſe contra Iuſtitiā, quod, ni fallor, non videtur ſufficienter, & plenè probatum diſcurſu illo, & argumento, quod pro ſe attulit Cardinalis Delugo. his autem omiſſis.

6 Dico non eſſe in facultate Titij hẹredis ex teſtamento prẹdicto non ſoluere legata, aut ſoluere cui ipſe maluerit, ſed teneri ea ſoluere legatarijs; proinde eſſe omnino recipiendam hanc ſecundam ſententiam, quam defendit Delugo contra Sāchez. probo concluſionem per ſingula: & primo, quod nequeat Titius omittere ſolutionem legatorum, patet, & in hoc, & Sanchez, & Delugo conueniunt, nam Titius nullo Iure prẹtendere poteſt partem legatarijs relictam, nam ſi attendamus Ius ciuile non ſolùm nequit Titius prẹtendere partem illam, ſed prorſus nihil, quia ſecundùm hoc ius irritum eſt teſtamentum; neque ſi Ius naturale, & diuinum ſpectemus, quia ſecundum hoc Ius poteſt tantùm prẹtendere reliquum hẹreditatis, & non partem legatam: Ius autem poſitiuum canonicum de hoc puncto non agit: Altera vero pars, in qua tota reſidet difficultas, oſtenditur ſupponēdo priùs, non poſſe quempiam licitè hẹreditatem adire, niſi aliquo Iure ſuffultum, & cum tale ius nequeat eſſe poſitiuum, vt probauimus, conſequens eſt, vt ſit naturale, inquantum nititur voluntati teſtatoris, ita de ſuis bonis diſponentis, ex quo colligimus, Titium adiuuari per ius naturale mediante teſtatoris voluntate, cui probabiliter ipſum ius aſſiſtit: hoc poſito, ſic oſtendo hanc poſteriorem quẹſtionis partem: Titius hẹres inſtitutus illud tantùm ex bonis hẹreditarijs accipere poteſt, quod ſibi fuit relictum à teſtatore, & ea forma, qua relictum fuit: ergo non erit in ſua facultate ſoluere legata, cui maluerit, ſed tenebitur legatarijs à teſtatore nominatis illa aſſignare: antecedens probatur, quia ſuum ius totum fundat in voluntate teſtatoris, tanquam menſura eiuſdē Iuris, proinde nequit aliud accipere prẹter relictum, & eo modo, quo fuit relictum. conſequentia vero probatur: ſi legata alteri, & non legatarijs ſolueret, non ſeruaret formam, & modū, quo teſtator diſpoſuit.

7 Et ſi dicas poſſe ſeruare formam in vno, & non in alio, ſicut diximus impugnando diſcurſum, & argumentum Cardinalis Delugo; cōtra eſt, quia apparet manifeſta diſparitas: nam Caius teſtator inſtituit Titium hæredem cum hoc pacto; & onere ſoluendi legata talibus determinatis perſonis; proinde eo ipſo, quo Titius vi teſtamēti hẹreditatem capit, aſtringitur Iure naturẹ ad pacta, & onera ſibi impoſita; atque adeo non eſt ſibi liberum accipere lucrum, & non ſeruare pactum ſoluendi legata perſonis nominatis. At ſi fundemus concluſionē in ea ratione prẹciſa, nēpe, quod vtēs teſtamēto tanquam valido pro capienda hẹreditate, teneatur etiam ſeruare illud quoad reliqua; verū quidē aſſeritur, ſed huius rei rationem aſſignare debemus, quẹ, ni fallor, non videtur aſſignata in illo argumento ſolitariè ſpectato.

Rurſus contra ſententiam P. Sanchez cenſeo efficaciter vrgeri poſſe eodem fundamento, quo ipſemet Sanchez pro ſe vtitur *n.* 11. immediatè ſequenti. ait enim, non poſſe hẹredem retinere hereditatem, & Legata non ſoluere, quaſi vtentem vna opinione, ſcilicet iudicando, ad ſui commodum, validum eſſe teſtamentum, & vtētem contraria opinione, quoad non ſoluēda legata, iudicando inualidum eſſe teſtamentum, & aſſignat huius rei rationem his verbis (*Quia vbi ſemel vult vti illo teſtamento tanquam valido, tenetur omnia eius legata implere, ſaltem vel dando legatarijs, vel hæredi ab inteſtato.*) *hæc Sāchez*, cuius ratio contra ipſum retorqueri poterit, nam ſi ideo hæres tenetur ſoluere legata, quia vtitur teſtamento tāquam valido, tenebitur etiam ſeruare formam, ſoluendi eo modo, quo teſtator in teſtamento prẹſcribit, videlicet ſoluendo legata perſonis nominatis: nulla enim maior ratio eſt, quare vſus talis teſtamenti tanquam validi obliget hẹredem vtentem ad adimplenda legata vt ſic, & eumdem non obliget ad ſoluenda legata perſonis nominatis. 8

9 Ad rationem autem pro contraria ſententia initio huius quẹſtionis poſitam, reſpondeo concedendo, probabilem eſſe opinionem illam, quẹ docet teſtamentum illud minùs ſolemne eſſe irritum, etiam in foro conſcientiẹ, & ideo hẹreditatem aſſignandam eſſe hẹredi ab inteſtato, nego tamen probabile eſſe portionem illam relictam legatarijs, poſſe ab hẹrede relicto in eodem teſtamento, ſi illo vtatur, vt valido, ſolui hẹredi ab inteſtato, & hoc ob rationem ſuperiùs allatam; nego etiam poſſe inſtitutū hẹredē vi teſtamēti ſuccedere in totam hẹreditatem; quia ex ſuppoſitione quod vti velit teſtamento, obligatus eſt ſeruare ea omnia, quæ à teſtatore per teſtamētum prẹſcripta fuerit.

O 2 Ex

Digitized by Google

10 Ex his colligitur non poſſe hæredem ab inteſtato neque propria authoritate capere hæreditatem, quam actu poſſidet heres teſtamentarius, neque occulte aliquid ex bonis eiuſdem hereditatis vſurpare, quia cum hæres teſtamentarius licite poſſideat iuxta probabilem opinionem, nequit ſpoliari tali poſſeſſione ab alio, niſi ſequatur Iudicis ſententia, per quam declaretur irritum teſtamentum, & hereditas aſſignetur heredi ab inteſtato: data enim ſententia, heres relictus etiam in foro conſcientiæ tenebitur relinquere hereditatem, & nihil vi eiuſdem teſtamenti ſibi vſurpare ex bonis hæreditarijs, quę ab alio poſſidentur.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum hæres ex teſtamento minus ſolemni licitè occultare poſſit teſtamentum, nè manifeſtato defectu, compellatur à Iudice hæreditatem reſtituere?

SVMMARIVM.

1 *Supponitur deciſio præcedentis quæſtionis.*
2 *Aperitur mens cuiuſdam Authoris partē affirmatiuam docentis.*
3 *Altera opinio negat.*
4 *Hæc ſententia negans recipitur.*
5 *Soluitur fundamētum alterius opinionis.*
6 *Declaratur mens Molinæ non rectè intellecta à contrarijs.*

1 Præſens quæſtio ſupponit id, quod in præcedente innuimus videlicet, valdè probabile eſſe, hæredem ex teſtamēto minùs ſolemni poſſe tuta conſcientia hæreditatem adire, quia carentia talis ſolemnitatis ſolùm pro foro externo irritat teſtamentum, non autem pro foro interno: huic autem opinioni hæres ex teſtamento adhęrens, tuta conſcientia hæreditatem poſſidebit: hoc inquam ſuppoſito, dubium inſurgit, nùm prædictus heres poſſit occultare teſtamentum in hūc finem, nè defectus ſolemnitatis manifeſtetur, & nè Iudex per legitimam ſententiam declaret eius inualiditatem, cogatq; ipſum hæredem, vt reſtituat bona hæreditaria hæredi ab inteſtato.

2 Hunc caſum proponit *Author caſuum conſcientiæ in diœceſi Bononienſi diſcuſſorum, anno 1636. menſe Martio caſ. 1. in 2. reſponſione*, & partem affirmatiuam tuetur, cuius ratio hæc eſt: probabiliſſimum eſt, hæredem ex teſtamento v. g. Titium, poſſe adire illam hereditatem, eamque, vt ſuam poſſidere; ergo poterit licitè abſcondere defectus illius teſtamēti, cuius virtute ſumpſit hæreditatem: hæc eſt fundamentalis ratio, qua prædictus Author hanc ſententiam probat, quam confirmat à pari, imò à fortiori, quia, vt dicunt Doctores, hæreticus, & alius quicumque Reus, etiam medijs illicitis, nempè mendacijs, falſis teſtibus, impediens ne detur ſententia condemnatoria, ex qua ſequitur bonorum confiſcatio; non tenetur ad reſtitutionem pœnę: igitur à pari Titius occultans teſtamentum illud minus ſolemne, & vt ſic impediens, ne detur à Iudice ſententia, per quam hereditas adiudicanda foret heredi ab inteſtato, non peccabit contra Iuſtitiam, & per conſequens neque tenebitur ad reſtitutionem. pro hac ſenētia prædictus Author *Molinam* abſolutè citat, *tom. 1. trac. 2. de Iuſt. diſp. 81. nu. 22. ver.* (*Quod ſi hæc fuerit*) ſed immeritò, vt videbimus.

Secunda opinio docet oppoſitum, negat enim poſſe ab hærede ex teſtamento occultari defectum, ſeu teſtamentum ipſum, & ſi id faciat, teneri ad reſtitutionem. ita *Sanchez lib. 4. conſil. cap. 1. dub. 14. n. 13.* & videtur etiam docere *Bonacina de contrac. diſp. 4. quæſtione 1. punc. 3. nu. 11.* 3

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſentētia, quæ mihi certa videtur, & ratio eſt, 4 quia heres ab inteſtato Ius habet petendi in iudicio hereditatem illam, tale autem Ius nequit per fraudem impediri, & ideo quamuis hæres ſcriptus non aſtringatur illi hæreditatem adiudicare, quoniam eā iuſtè poſſidet ex valde probabili opinione; nihilominus non habet ius impediendi, ne alter experiatur proprium ius.

Ex hac autem ratione fundamentali diluitur argumentum adductum pro ſententia contraria, 5 quamuis enim probabiliſſimum ſit hæredem ex teſtamento minùs ſolemni tuta conſcientia adire poſſe hereditatem, nihilominus non eſt probabile per fraudem impedire poſſe, ne heres ab inteſtato iura ſua experiatur.

Ad confirmationem autem nego paritatem, nam vt precedente lib. quęſtione 14. oſtendi, in legibus pœnalibus Titius, ſeu quilibet alius, cui eſſet pœna applicanda, nullum habet ius ad pœnam illam ante ſententiam latam; neque hereticus, aut alius Reus tenetur ex iuſtitia commutatiua, etiam legitimè interrogatus, veritatem fateri, ſed ſolùm ex iuſtitia legali, & obedientia, vt ibi fuſiùs probaui: at in caſu preſenti non eſt ſermo de pœnali lege, ſed de Iure illo, quod habet hæres ab Inteſtato, quod abſque iniuſtitia fraudulenter impediri non poteſt, & ideo illud impediens, peccabit contra iuſtitiam cōmutatiuam, & conſequenter ad damna reſarcienda tenebitur.

Denique placet hic aduertere non rectè 6

Digitized by Google

tè Molinam citari pro priori ſententia, quaſi eam abſolutè docentem, nam ſi benè & attentè *diſputatio illa* 81. legatur, videbitur ipſe eam ſententiam tueri non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione finis, ob quē conditę fuerunt hę leges irritantes, ſeu non admittentes in iudicio teſtamentum carens ſolemnitatibus, quæ iure ciuili pręſcribuntur; & ad hoc, vt meliùs id cognoſcatur, eſt attendendus diſcurſus, & intentio Authoris: ibi enim *à nu.* 16. *ver.* (*vt in hac graui*) inquirit motiuum, ſeu finem, quo legiſlatores moueri potuerint ad has leges condendas, & quatuor motiua, ſeu fines aſſignat, & examinat, & in tertio motiuo notat intentum legiſlatorum eſſe potuiſſe, non irritas reddere voluntates teſtatorum minùs ſolemnes, & impedire ne ex illis naturalis emanet obligatio, neque irritas illas declarare ex pręſumptione falſitatis, ſed dumtaxat non admittere illas in iudicio tanquam legitimas; ad probandum talem fuiſſe teſtatoris voluntatem, & id probat ex alio ſimili, quod in Luſitanię regno ſeruatur poſtea vero proſequitur ad id ex varijs iuribus confirmandum vſque ad *nu.* 22. vbi conditionatè loquens ait, quod ſi hęc fuerit legiſlatoris mens, ſeu finis, poterit hęres inſtitutus in minùs ſolemni teſtamēto non ſolùm hęreditatem capere, verum etiam celare defectum, & remoto ſcandalo, occultam facere compenſationem, ſi hæreditas in foro externo adiudicata fuerit hæredi ab inteſtato, &c. ex hoc autem diſcurſu manifeſtè colligitur, Molinam nō docere abſolutè priorem ſententiam, ſed ex hypotheſi quod hę leges ciuiles conditę fuerint non ad irritandum tale teſtamentum, neque ad impediendam obligationem naturalem, quę ex illis oritur, ſed propter bonum commune, ſolùm non admittere illud, vt legitimum in foro externo; quod ſi ità eſt, nulla remanet difficultas, quin hęres ſcriptus, cui clarè conſtat mens teſtatoris, poſſit ſecretò occultare defectum, ſeu teſtamentum minùs ſolemne; quia ex ſuppoſitione illa hęres ab inteſtato non habet ius ſuccedendi, imò vt notat Molina ibidem, ſi ipſe ſibi perſuaderet, aut meritò perſuadere deberet, teſtatoris voluntatem illam fuiſſe, quę in teſtamento minùs ſolemni continetur, mortaliter peccaret petēdo in iudicio hęreditatem ſibi adiudicari. hęc, & alia docet ibi Molina, ex quibus patet non debuiſſe abſolutè adduci pro prima ſētētia ab Authore illo: quęnā vero fuerit mēs, & finis legiſlatorū in cōdēdis prędictis legibus, nō eſt meū hìc expendere, quia in pręſentia ſolùm examino aliud, ſupponendo vtriuſque ſententię probabilitatem quo ad validitatem, aut inualiditatem teſtamenti habentis defectum ſolemnitatis, quam ius ciuile pręſcribit, & tali ſuppoſita probabilitate, inquiro, nam hęres ſcriptus poſſidens hęreditatem celare poſſit teſtamentum, ne hęres ab inteſtato in iudicio petat hęreditatem ſibi adiudicari, & id fieri non poſſe dixi ob rationem aſſignatā in concluſione principali.

QVAESTIO TERTIA.

Quid ſit legatum pium, & quomodo in dubio præſumatur.

SVMMARIVM.

Deſcribitur pium legatum, vt contradiſtinctum à profano. 1
Pietas in legato ex duplici titulo prouenit, & vterque explicatur. 2
Requiritur pietas ex vtroq. titulo copulatiuè, vt legatum ſit pium. 3
Pietas in legato magis ex qualitate perſonæ, cui fit quàm ex verbis teſtatoris attendi debet. 4
Legatum factum conſanguineo pauperi, ſecundum aliquos titulo paupertatis cenſetur factum. 5
Alij vero titulo conſaguinitatis eſſe, autumant. 6
Nonnulli præſumunt legatum eſſe pium, ſi hoc pacto valor actus, ſeu legati ſuſtinetur. 7
Aliqui id colligunt ex ordine, ſecundum quem de titulo fit mentio. 8
Hæ opiniones ſunt probabiles. 9
Sententia Authoris declaratur. 10
Proponitur, & ſoluitur contraria inſtantia. 11
Legatum factum conſanguineo diuiti non eſt pium; ſed profanum. 12
An legatum magnæ quantitatis factum pauperi præſumatur titulo pietatis inſtitutum? 13
Legatum factum diuiti, etiam ſi dicatur fieri amore Dei, &c. non eſt pium, niſi largè. 14
Si legatum fiat pauperi, etiam ſi expreſsè non dicatur fieri motiuo pietatis, præſumitur pium. 15
Legatum relictum meretrici, vt ſe ad meliorem vitam redeat, eſt pium. 16
Quid dicendum ſi cum illa Teſtator carnalem copulam habuerit? 17
Quando penſatis omnibus res eſt dubia, an legatum præſumatur cauſſa pietatis inſtitutum, nec ne? quid decidendum? 18
Quædam apponuntur limitationes. 19

Digitized by Google

1 VT à notione vocabuli exordium ſumamus, legatum pium, prout à profano diſtinguitur, eſt illud, quod pietatem inuoluit, vt ait *Ioannes Nouarius in praxi priuil. miſerabilium perſonarum priuil.* 44. *n.* 1. & aduertit debere eſſe pium non ſolùm nomine, ſed etiã ſubſtantia veritatis, nempè tale eſſe oportet, vt re ipſa pietatem contineat; denique *ex Tuſco cõcl.* 106. concludit illud eſſe legatum pium, quod pro ſalute animæ inſtituitur. his pręhabitis pro nominis declaratione.

2 Dico primo, legatum ſortitur pietatem ex duplici titulo, videlicet ex perſona, cui fit, & ex cauſſa, ob quam fit. ita *Baldus in L. illud. n.* 1. *C. de ſacr. ſanct. Eccl, Sanchez lib.* 1. *de matr. diſp.* 4. *n.* 9. *Menoch. lib.* 4. *præſump.* 115. *n.* 2. ſub nomine perſonæ comprehenditur vera, & ficta, atque adeo non ſolùm pauperes, viduæ, pupilli, orphani, &c. ſed etiam illa, quæ iuris fictione habetur tanquam perſona, vt eſt locus pius, monaſterium religioſorum, hoſpitale, & ſimilia, quæ videri poſſunt apud *Tiraquellum in præfatione de priuil. piæ cauſſæ. Menoc. l. c. Baltaſſarem Tomasiũ tract.* 10. *de diſpoſit. ad pias cauſſas tit.* 1. *cap.* 6. ſub nomine autem cauſſæ intelligitur motiuum, quo teſtator mouetur ad legandum, quod pium eſſe debet.

3 Dico ſecundo. vterquè titulus copulatinè concurrere debet, vt legatum cẽſeatur pium ſtrictè ſumptum, & non tantùm in foro externo, verum etiam in interno, & ita alterutro deficiente, ceſſabit pietas in legato. e. g. ſi quis centum leget alicui pauperi, ſed id faciat titulo conſanguinitatis, aut amicitiæ, legatum non erit piũ. ita *Sanchez l. c.* & ratio eſt in promptu, nã pietas in actione pręcipuè ex intentione operantis emanat, quatenus mouetur ex aliquo affectu pio, & ideo ſi cauſſa, aut motiuum legandi non erit pro ſalute animę, aut pro amore Dei, aut denique pro exercenda aliqua virtute, licet verſetur circa perſonam, in qua eſt pietas obiectiuè, nimirũ qualitas apta ad mouẽdũ animũ operãtis ad pietatẽ; nihilominus legatum formaliter non erit pium; ſimiliter ſi affectus eſt pius, non autem obiectum, vt ſi teſtator relinquat legatum diuiti, & id faciat pro amore Dei, vel pro exercenda aliqua virtute, legatum diceretur honeſtum, & non pium, niſi largè, quatenus pia appellari poterit omnis operatio moraliter bona; & hæc de prima parte quæſtionis: de ſecunda vero mox dicemus.

4 Pro qua re aduertendum eſt, id, quod notat *Maſcardus concl.* 1172. *vol.* 3. *n.* 4. *& alij apud ipſum*, videlicet pietatem in legato magis ex qualitate perſonæ legatarię, quàm ex verbis ipſius teſtatoris eſſe attendendam, & quia interdum plures in legatario concurrunt qualitates, quarum vna, & non altera reddit legatum pium, & teſtator non ſe explicauit, intuitu cuius qualitatis ex illis ductus fuit ad legãdum, tunc inſurgit dubitatio, & idcirco ad præſũptiones in eo caſu recurrere debemus, ſcilicet ſpectando, quænam qualitas ex illis pręualeat, & potuerit de facto magis mouere teſtatoris animum ad legatum faciendum: igitur circa hanc ſecundã quæſtionis partem determinandum eſt à nobis, quænam qualitas ſit potentior, & pręualeat in concurſu alterius, & ideo nonnullos caſus propono. Et primo ſe offert caſus de legato relicto pauperibus conſanguineis, de quo ambigunt Doctores, an ſit titulo paupertatis, atque adeo pium, an potiùs titulo conſanguinitatis, & conſequenter non pium, ſed profanum in hac re quatuor inuenio ſententias.

5 Prima vult eſſe pręſumendum factum fuiſſe titulo paupertatis, & eſſe pium, in qua ſententia ſunt plures Canoniſtæ apud *Menoch. præſumptione* 115. *numer.* 9. quibus addo *Antonium Leoncillum de priuil. paup. p.* 2. *priuil.* 388. *n.* 2. *& ſequ. & Genuenſem in practicab. quæſt.* 574. *nu.* 2. *Mantic. de coniec. vlt. vol. l.* 6. *tit.* 3. *n.* 25. *& ſeq.*

6 Secunda eſt directè oppoſita, contrariũ affirmans, ſcilicet pręſumi eſſe factum titulo conſanguinitatis, & non eſſe pium, ita *Bald. in authen. ſimiliter. num.* 5. *Romanus ibi n.* 3. *Decius conſil.* 120. *num.* 4. *Alciatus conſil.* 213. *n.* 13. *Cephalus conſil.* 216. *à num.* 17. *vſq. ad* 25. *Simon de Prætis cent.* 1. *conſil.* 83. *à num.* 32. & multi apud eumdem Menoch. quibus adhęret *Sanchez lib.* 1. *de matr. diſp.* 4. *n.* 9. *Bonacina de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 17. *p.* 8. *§.* 2. *n.* 2. *& alij apud ipſum.*

7 Tertia ſententia media diſtinguit, si legatum ob defectum alicuius ſolemnitatis iudicaretur inualidum; nisi eſſet pium, tunc ad ipſum actum, ſeu legatum ſuſtinendum, pręſumi deberet intuitu paupertatis factum, & eſſe pium. Ratio autem huius pręſumptionis eſt, quia vnuſquiſque pręſumitur velle, vt diſpoſitio ab ipſomet facta ſit valida, & ideo Ius pręſumptionem illam admittit, per quam actus firmatur, sic *in L. Quoties in ſtipulationibus. ff. de verb. ſignif. & in L. Quoties. ff. de rebus dubijs*. si autem vtroque modo legatum ſuſtineatur, dicendum eſt factum eſſe intuitu conſanguinitatis, & non eſſe pium. ita *Menoch. præſump.* 115. *cit. n.* 9. *Maſcard. concl.* 1172. *num.* 11. *Tomaſius tit. cit. cap.* 9. *n.* 151. *& plures apud ipſos.*

8 Quarta opinio aliam adhibet diſtinctionem,

nem, recurrens ad ordinem, quo de vtro-
que titulo ſit mentio in teſtamento, aut
alio contractu, videlicet ſi priori loco ſit
mentio de paupertate, tunc eius titulo
præſumitur factum legatum, & ſic erit piũ;
si vero prius ſit mentio de conſanguinita-
te, tunc præſumitur ipſam conſanguinita-
tem fuiſſe titulum, & legatum non eſſe
pium; ita *Gutierrez conſil. 26. nu. 8. apud
Leoncillum priuileg. cit. n. 16.*

9 Hæ opiniones ſunt probabiles: quænam
tamen ex illis mihi probabilior videatur,
aperiam.

10 Dico tertio, legatum factum pauperi cõ-
ſanguineo præſumitur potiùs titulo con-
ſanguinitatis inſtitutum fuiſſe quàm pau-
pertatis, atque adeo non eſſe pium, ſed
profanum, & in hoc ſequor ſententiam
ſecundo loco relatam: probatur: quia per
ſe loquendo magis homines moueri ſolẽt
affectu naturali, qualis eſt ille, quo co-
gnati diliguntur quàm affectu erga pau-
pertatem: & confirmatur ex *cap. Requiſi-
ſti de teſtam.* vbi Põtiſex determinat, quod
ſi extraneus relinquat aliquid Epiſcopo,
legatum cenſetur Eccleſiæ relictum, ſecùs
tamen si relinquens sit ipsi Epiſcopo pro-
pinquus, ita & ego dicam de legato relic-
to pauperi conſanguineo, niſi aliud pro-
betur, præſumitur relictum non intuitu
paupertatis, ſed conſanguinitatis, quem-
admodum enim in caſu illo, de quo ſit
mentio *in cap. Requiſiſti*, propinquitas,
ſeu conſanguinitas præualuit ad præſumẽ-
dum legatum illud non Eccleſiæ, ſed per-
ſonæ conſanguineæ factum fuiſſe: ita in
caſu noſtro conſanguinitas præualet ad
præſumendum legatum relinqui intuitu
conſanguinitatis, & non paupertatis.

11 Dices preſumptio contraria ex titulo
paupertatis videtur validior quàm præ-
ſumptio ex titulo cõſanguinitatis, quia illa
magis fauet animæ teſtatoris quàm iſta.

Reſpondeo ex doctrina *Menoch. præ-
ſumpt.* 112. *num.* 4. ex vna parte teſtato-
rem non obligari ad donandum Eccleſiæ,
atque adeo legans Epiſcopo intuitu perſo-
næ, nullam cenſetur inferre iniuriam ipsi
Ecclesię, neque aliquid agere contra pro-
priam ſalutem, ex alia vero parte ſangui-
nis affectio eſt maxima hominibus conna-
turalis, & ideo cenſetur naturaliter ma-
gis pręualere: & vt ait *Simon de Praetis
conſil. cit. n. 34. ex Paulo de Caſtro*, præ-
ſumptio à conſanguinitate inducta prefer-
tur omnibus alijs pręſumptionibus. Addo
affectum ex titulo conſanguinitatis eſſe
poſſe moraliter honeſtum, imò, & meri-
torium; proinde pręſũptio ex titulo pau-
pertatis non cenſetur pręualere, niſi alię
habeantur coniecturæ.

12 Ex hac cõcluſione colligitur primo à for-
tiori, legatum, quod ſit conſanguineo di-
uiti, non eſſe pium, quia ex vtroque capite
deficit pietas, nempè ex parte perſonæ, &
ex parte cauſſæ, ita communiter DD.

Secũdo colligitur, legatum magnæ quã- 13
titatis, etiam ſi ſiat pauperi, iuxta ſenten-
tiam, quam docet *Maſcard. concl. cit. nu.
16. 17.* non eſſe pium, & hoc probat à ſi-
mili *ex L. Vtrum. ff. de donat. inter vir: &
vxor:* eamdem ſententiam ſequitur *To-
maſius cap. 9. cit. n.* 147. quãuis de hoc du-
bitet, & alijs relinquat definiendum *Leon-
cillus priuil. cit. n.* 17.

Tertio colligitur, legatum factum diui- 14
ti, etiam ſi legans dicat ſe id facere pro a-
more Dei, pro ſua anima, & ſimilia, non
eſſe pium, ſed profanum, ita *Leoncillus
par. 2. priuil.* 320. *n.* 5. *Maſcard. concl.*
2172. *n.* 13. loquendo de ea pietate, de
qua hic eſt ſermo, nempè ſtrictè ſumpta,
non autem largè, quatenus pia dici poteſt
omnis operatio bona moraliter.

Quarto colligitur, ſi quis legatum re- 15
linquat pauperi, quamuis non dicat ſe le-
gare pro anima, aut amore Dei; legatum
præſumitur pium, ita *Leoncillus priuil.* 320
n. 6. *Nouar. priuil.* 20. *n.* 2. & ratio eſt,
quia cum ex parte perſonæ ſit motiuum
tantùm pietatis, & non aliud, legans non
alio motiuo præſumitur ad legandum du-
ci, quam motiuo pietatis.

Dico quarto, legatum relictum meretri-
ci, vt ad meliorem ſrugem redeat, eſt piũ, 16
ita ex mente Tiraquelli, & aliorum aſſerit
Menochius præſumpt. cit. n. 26. & *Tomaſi-
us tit. cit. cap.* 10. quia inuenitur pietas ex
parte perſonæ, & cauſſæ.

Dico quinto, ſi teſtator legauit meretri- 17
ci, cum qua rem habuit, legatum non
præſumitur pium, ita *Menoch. ibid. & nu.*
27. & hoc, quia ob blanditias præſumitur
fuiſſe relictum; ſi autem diu ceſſauit tur-
pis familiaritas cum illa, ita vt omnis ſi-
niſtra opinio deſierit, tunc legatũ cenſe-
bitur pium, Hæc & multa alia ſimilia ex-
pendit *Tomaſius tit. cit.* diſcurrendo per
varios caſus, in quibus pietas in legato lo-
cum habet, & apud eũdẽ videri poſſunt.

Dico ſexto, ſi omnibus perſpectis, res 18
eſt dubia, præſumendum eſt pro cauſſa pia,
& hoc affirmo cũ limitationibus mox ap-
ponendis. ita communiter D. D: *Nouar.
priuil. 20. cit. n. 3. Syluеſ. ver. legatum
1. quaſt. 10. Mantica de coniect. vltim.
volun. lib. 5. tit. 5. in fine. Couar. cap. 1. n.
11. de teſtam. Molina de Iuſt. diſput. 249.
in fine. Sanchez in ſum. lib. 4. cap. 11. nu.
35. Bartol. in l. Pater S. Tuſculanus. ff. de
legatis 3. Abbas cap. nos quidem num. 14.
de teſtam. Leoncillus ead. par. 2. priuil.
97. n. 2.* & id confirmat *ex L. Sunt perſo-
næ: de relig. & ſumpt. funer. Nouar. pri-
uil. 78. per totum.* Li-

Digitized by Google

19 Limitationes autem ſunt, ſi nimirum agitur de præiudicio Tertij, vel in caſibus in iure non expreſſis. ita *Tomaſius cap.* 23.

Et hæc breuiter dicta ſufficiunt de legatiþij deſcriptione, & de eo quod præſumendum ſit, quando in dubio verſamur an ſit pium nec ne.

QVAESTIO QVARTA.

An legatum, & præſertim pium ad aliquẽ vſum à teſtatore relictum, ſi adimpleri nequeat, conuertendum ſit in alium vſum, an vero caducum efficiatur.

SVMMARIVM.

1 *Sermo eſt vniuerſalis de omni legato, præcipuè de pio.*

2 *Impoſſibilitas adimplendi legatum ex duplici titulo prouenit.*

3 *Quando eſt ordinatum ad vſum illicitum eſt reprobandum, & non eſt locus commutationis.*

4 *Legatum profanum quando nequit adimpleri fit caducum.*

5 *Si legatum eſt pium, & ſit perſonis incapacibus, fieri caducum aliqui exiſtimarunt, ſecus per eos quando ſolus vſus eſt impoſſibilis.*

6 *Refertur opinio Thomæ Sanchez cum limitatione loquentis.*

7 *Alij communiter docent eſſe commutandũ in aliud pium opus, & hæc ſententia admittitur ab Authore.*

8 *Probatur ratione.*

9 *Commutatio debet fieri, quamuis teſtator in teſtamento dixerit non poſſe in aliud conuerti, &c.*

10 *Debet fieri authoritate Epiſcopi, & hæredis conſenſu.*

11 *Quid ſi hæres renuat irrationabiliter conſenſum præſtare?*

1 PRæſens quæſtio procedit vniuerſaliter de omni legato, quamuis ſpecialiter petat deciſionẽ de legato pio; idcirco de vtroque quæſtionem exagitabo.

2 Pro cuius intelligentia ſupponendum eſt, impoſſibilitatem adimplendi legatum eſſe in duplici differentia, vt communiter notant Authores: *Sanchez in conſil. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 4. *Barboſa de Iure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 46. nam alia dicitur de iure, alia vero de facto. illa reſultat inquantum ius prohibet tale determinatum opus, & hoc bifariam, vel ideo prohibet, quia opus illud ſecũdum ſe eſt moraliter malum, v. g. legatum pro ſicarijs, vel pro fœminis meretricibus, dum manent in meretricio, vel quamuis opus non ſit ſecundum ſe malum, ſit tamen malum, quia prohibitum per ius poſitiuum, vt legatum pro conſtituendo ſanctimonialium monaſterio extra vrbem, quod prohibetur per *Conc. Triden. ſeſſ.* 25. *de Reg. & mon. cap.* 5. vel ad faciendos ludos theatrales in Eccleſia, quod vetant ſacri canones, *cap. cum decorem de vit. & honeſt. cleric.* & ſimilia, in quibus impoſſibilitas eſt de Iure poſitiuo: impoſſibilitas autẽ, quæ eſt tantũ de facto, reperitur quando vſus, ad quem fuit legatum inſtitutum, eſt licitus, & nullo iure prohibitus, ſed ob defectum alicuius conditionis, ſeu circũſtantiæ impeditur, ne executioni mandetur, v. g. legatũ fuit ad monaſterium ædificandum, ſed locus non inuenitur, vel deeſt pecunia, quia relicta à teſtatore non eſt ſufficiens, tunc dicitur impoſſibilitas de facto, & non de iure. denique impoſſibilitas interdum eſt vtroque modo, nẽpe de facto, & de iure, vt euenit, quando opus de iure eſt prohibitum, & rurſus etiã ſi prohibitum non eſſet; adhuc reperiretur impedimentum ne fiat.

Supponendum eſt ſecundo, legata alia eſſe profana, alia vero pia, vt ſupra vidimus; quibus omnibus ſuppoſitis.

Dicendum eſt primo, quando legatum eſt impoſſibile de iure in priori acceptione, videlicet, cum ad vſum illicitum ordinatur, tunc fit omnino caducum, quia diſpoſitio illa teſtatoris, cum ſit impia, eſt prorſus reprobanda, atque adeò legatum in alium vſum etiam honeſtum non eſt neceſſariò conuertendum, quoniam ſi ex obligatione ab hærede, vel exequutore eſſet in aliud opus deſtinandum, id foret, vt voluntas teſtatoris præſumpta adimpleretur, ſed cum finis, ob quem ipſe teſtator legatum ordinauit, ſit moraliter malus, ceſſat omnis præſumptio de intentione alterius finis honeſti, non enim eſt credibile, vt teſtator voluerit prauum finem aſſequendum mediãte legato, & quod ſimul voluerit ordinare legatum ad alium finem moraliter bonum, & de hac concluſione nulla eſt difficultas; & controuerſia apud Authores, eamque expreſsè docent *Syluest. verb. legatum* 4. *quæſt.* 11. *Angelus ver. legatum* 2. *n.* 11. *Armilla eodem ver. n.* 54. *Tabiena ibidem n.* 11. *Sanchez dub. cit.* 3

Dicendum ſecundo, ſi impoſſibilitas eſt de iure in ſecunda acceptione, aut de facto, & legatum eſt profanum, fit caducũ, & inutile, & deuoluitur ad hæredem, v. g. Titius in ſuo teſtamento legatum reliquit Bertæ in gratiam ipſius Bertæ, vt nubere poſſit: ſi antequam nubat, moriatur, legatum 4

tum ſit caducum, & ad hæredem Titij deuoluitur. ita *Panorm. cap. Nos quidem n. 14. de teſt. Anchar. in Clem. Quia contingit, de Relig. domib. Mantica de coniecturis vlt. vol. lib. 8. tit. 5. n. 24. Riccius in addit. ad priuil 35. pia cauſſæ. Delugo diſp. 24. de iuſt. ſect. 13. nu. 305. & alij*, quibus ſubſcribit *Sanchez vbi ſup. num. 7.* ratio eſt, quia intentio Titij legantis adæquatè directa fuit ad talem perſonam indiuiduam, & intuitu matrimonij, proindè cum finis totalis redditus ſit impoſſibilis ob mortem ſuperuenientem ipſius Bertæ, legatum remanet inutile, & caducum: atque adeo ſicuti debuiſſet deuolui ad Titiū ſi ſuperuixiſſet; ita, eo mortuo, debet ad eius hæredem redire, & de hac concluſione nequit eſſe dubitatio, aut difficultas. Quæ tamen reperitur, quando legatum eſt pium, & non profanum, vt eueniret ſi Titius legatum illud feciſſet non contemplatione Bertæ, ſed ex motiuo pietatis, nēpe ob paupertatē, quā ipſa Berta laborabat. tunc certum eſt legatum eſſe pium; cum reperiatur pietas tum ex parte perſonæ, cui fit legatum, quæ pauper eſt, tum ex parte cauſſæ, ſeu motiui, quod eſt ſubuenire miſeriæ, vel ſi legatum feciſſet annuū religioſis incapacibus, nempe minoribus de obſeruantia, aut ſimilibus, qui ex proprio inſtituto nequeunt retinere annuales redditus, in hoc caſu eſt difficultas, quam præcipuè in hac quæſtione expendere propoſui; & de illa aliquam diuerſitatem reperio apud Authores.

5 Prima igitur opinio, quam docuit *Angelus conſil. 224. & Iacob. de Vberſill. apud Genuenſem in praxi ... ſ. 440.* cum diſtinctione procedit, & vult legatum relictum incapacibus, eſſe prorſus iuribus vacuum, & haberi pro non ſcripto, & id probat *ex l. 1. & l. Si in metallum ff. de his, quæ pro non ſcriptis habentur*, vbi ſtatuitur haberi pro non ſcripta hæreditatem, ſeu legatum, quando ille, qui hæres inſtituitur, vel cui legatum relinquitur, ſcripſit teſtamentum: rurſus diſponitur in altera lege, quod ſi damnatis ad metallum fiat aliud legatum præter legatum alimentorum, habeatur pro non ſcripto. ex his iuribus colligit vniuerſaliter Angelus quod ſi legatū fiat perſonis incapacibus, ſtatim euaneſcat, & habeatur pro non ſcripto. At ſi legatum non ſit iure prohibitum, & legatarius ſit capax, ſed vſus duntaxat eſt interdictus, vel ſi non eſt interdictus, adimpleri tamen nequit; tunc docet hæc eadem ſententia legatum in alium vſum eſſe conuertendum. hæc eſt doctrina Angeli, quam Genuenſis refert.

6 Secunda ſententia eſt, quam docet *Sanchez in decalogum lib. 7. cap. 26. n. 48. 49. & ſequentibus* vbi proponens quintam ſuam difficultatem, quærit num in ijs caſibus, in quibus Fratres minores non ſunt capaces legati annui, teneatur tamen hæres, vel quicumque alius grauatus, in foro conſcientiæ teſtatoris volūtatem adimplere, ſoluendo Fratribus minoribus legatum illud. ponit partem affirmatiuam, *& num. 49.* negatiuam, quam ipſe ſequitur, tanquam probabiliorem, & addit legatum illud eſſe prorſus nullum, & inutile, idque probat varijs iuribus, & aliorum authoritate confirmat: nihilominus *n. 50.* monet, hæredem, cui impoſitum fuit onus ſoluendi fratribus minoribus legatum ad ſacra facienda, teneri curare, vt ea ſacra celebrentur, ſi fieri poterit in Eccleſijs, & altaribus à teſtatore deſignatis. *& num. 51. immediatò* refert: quamdam Nauar. ſententiam, quod ſi ex eleemoſyna illa, ſoluto Miſſarum ſtipendio, aliquid ſupererit; eſſe erogandum alijs monaſterijs pauperibus, quia mens teſtatoris videtur fuiſſe nullam partem illius eleemoſynæ hæredi remanſurā. hanc Nauarri ſententiam Sanchez piam vocat, ſed illam refellit concludens id non eſſe neceſſarium, ſed illud ſuperfluum ipſi hæredi cedere, quia legatum fuit caducum, & irritum; ideoque hæredi ſolam obligationem adimplendi onus manere, & quod ſupereſt, poſſe ſibi retinere. hæc eſt opinio Sanchez, quia docere videtur, non opus eſſe legatū pium vniuerſaliter, quando adimpleri nequit, totum in alium vſum conuerti.

Denique alij ſine limitatione docent legatum pium, quod ſiuè de Iure, ſiue de facto adimpleri nequit, eſſe neceſſariò conuertendum in alium pium vſum, modo nūc explicando, & ob rationem aſſignandam. 7

Dicendum igitur eſt tertio cum hac ſententia, quam communiter ſequuntur Authores. *Panor. in cap. Nos quidem. cit. n. 14. Tiraquellus priuil 38. pia cauſſa. Molina tom. 1. de Iuſt. diſp. 249. nu. 10. Sanchez dub. cit. Bonacina de contract. diſpu. 3. p. 17. punc. 8. §. 9. ver. Sexto ſequitur. Card. Delugo l. c. & alij Theologi, & Canoniſtæ*, quos *Sanchez* laudat *l. c.* probatur concluſio primo *ex cap. illo Nos quidē.* & expreſſius *in l. Pater filiam. §. Tuſculanus. ff. de leg. 3. & in l. legatum ff. de vſu fruc. leg. & ex Concil. Trident. ſeſſ. 25. de refor. cap. 8.* vbi præcipit, vt fructus hoſpitalium inſtitutorum ad ſuſcipiendos peregrinos, infirmos, &c. ſi huiuſmodi perſonæ non reperiantur, applicentur in aliū vſum pium, qui eorum inſtitutioni proximior fuerit, niſi aliud in fundatione, aut inſtitutione expreſſum fuerit.

Probatur ſecūdo ratione quia primarius 8

finis per ſe intentus ab Inſtitutore eſt ſpirituale beneficium propriæ animæ, ſecundarius vero finis, & acceſſorius eſt vtilitas corporalis illorum, in quorum gratiam inſtituitur legatum, aut locus pius; igitur etiam ſi ceſſet, aut impediatur finis iſte ſecundarius; in ſuo vigore manebit primarius; proinde cum iſte ſit acquiſibilis, tenebitur hæres, aut exequutor, inſtituentis adimplere voluntatem, &c. & eo modo, qui ſimilior, & conformior fuerit inſtitutioni, vt *Concilium l. c.* aduertit.

9 Dicendum quarto, commutatio iſta in alium vſum pium fieri debet, quamuis teſtator in teſtamento clauſulam appoſuerit negatiuam, nempè quod legatum illud in alium vſum præter aſſignatum minimè cõuertatur. ita ex multis notat *Sãchez dub. cit. n. 5.* & hoc quia teſtatoris voluntas interpretanda eſt juxta Ius commune, quod vult legatum pium caducum non fieri, & clauſula illa intelligi debet, quando vſus ab ipſo teſtatore præſcriptus adimpleri poteſt: ſecùs vero eſſet dicendum, ſi teſtator diſpoſuiſſet, vt legatum cederet in beneficium hæredis, vel alterius, ſi vſus deſignatus adimpleri non poſſet; tunc enim ita ſeruandum erit, vt inquit *Sanchez ibi: nu. 6. & alij apud ipſum*.

10 Dicendum eſt quinto, quando legatum in aliud opus pium commutari debet, id faciendum erit authoritate Epiſcopi, adhibito etiam conſenſu hæredis. ita *Mol l. cit. & Sanchez dub. 13. & quamplures apud ipſum*. requiri autem Epiſcopi authoritatem eſt certum: nam id ſtatutum fuit *per Trident. ſeſſ. 22. de refor. cap. 6.* & communiter id confirmant Authores citati: requiri etiã aſſenſum hæredis, probatur per *tex. in l. legatum ſuperiùs citat.* & plures id confirmant *apud eumdem Sanchez n. 2.* alias commutatio erit inualida. & hoc rationabile videtur, quia cum commutatio iſta fiat ſecundum præſumptam teſtatoris voluntatem, & cum ipſe non ſit in humanis, debet determinatio operis fieri accedente conſenſu hæredis, qui perſonam teſtatoris repræſentat.

11 Dicendum eſt ſexto, ſi hęres irrationabiliter, & ſine iuſta cauſſa renuat præſtare aſſenſum, tunc recurrendum eſt ad Iudicem competentem, vt Authores aſſerunt apud *Sanchez nu. 3.* & eius authoritate facienda erit commutatio; ideoque placet quod docet *Felinus cap. Acceſſiſſent, n. 20, de conſtit.* videlicet, quando cauſſa commutationis eſt neceſſaria, etiam ſi hæres non det aſſenſum, ſatis erit Epiſcopi Authoritas; & hoc probat ex quadam Rotæ deciſione. ex quo colligitur in caſu noſtro, cum applicatio legati ad vſum deputatum à teſtatore ſit impoſſibilis, & legatum pium caducum fieri nequeat: commutationem eſſe neceſſariam: atque adeo ſi hęres irrationabiliter non aſſentiatur, fieri poſſe ab Epiſcopo.

QVAESTIO QVINTA.

Si Teſtator legatum inter ſuos conſanguineos pauperes diſtribuendum relinquat, num in diſtributione conſanguinitas potiùs quàm paupertas ſit attendenda.

SVMMARIVM.

Duplicem ſenſum habet quæſtio. 1
Diſtributio legati relicta ad libitum executoris non exigit, vt potius qualitati conſanguinitatis quàm paupertatis attendatur. 2
Corollarium quorumdam Iuriſtarum. 3
In poſteriori ſenſu continetur bimembris difficultas. 4
Si diſtributio non fuit voluntati executoris commiſſa, quo pacto ſit facienda. 5
Potius conſanguinitas quàm paupertas eſt attendenda. 6
Quædã ex cõcluſione Authoris deducũtur. 7

DVplicẽ ſenſum habere poteſt quæſtio præſens; primus quidem eſt, ſi Titius v.g. teſtator electionem perſonarũ cõmittat hæredi, ſeu executori: ſecundus vero eſt, ſi non committat illi talem electionem, ſed abſolutè, & ſimpliciter dirigat legatum immediatè in ipſas perſonas conſanguineas pauperes, quibus ab hærede, vel exequutore legatum eſt aſſignandum: hi autem modi diuerſi ſunt, atque adeo diuerſos pariunt effectus, vt videbimus: ſub vtroque igitur modo quæſtio erit diſcutienda. 1

Dicendum eſt primò, ſi Titius teſtator electionem conceſſit executori, poterit iſte ad ſui libitum indiſcriminatim eligere ad conſecutionem legati perſonam, quam maluerit, non attendendo magis ad conſanguinitatem, quàm ad paupertatem, nõpè eligendo minùs coniunctam, ſed pauperiorem, vel è conuerſo minùs pauperẽ, at proximiorem in gradu, ita *Lopez inſtruct. p. 1. cap. 137 ver. addimus etiam, Gutierez lib. 2. pract. quæſt. cap. 67. nu. 3. Sanchez lib. 4. conſil. cap. 1. dub. 62. n. 1. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 8. tit. 12. n. 23. & alij Iuriſperiti apud ipſos*. Probatur *per tex. expreſſum in l. vnum ex familia. § ſi de Falcidia. ver. itaque ff. de leg. 2. & in Gloſſa. ver. (vni)* & alij ſcribentes, cuius rei ratio eſt; quia cum electio ſit in libertate executoris, ſeu hæredis, & Teſtator nil aliud præſcripſerit ſpectandum in perſona eligenda, niſi conſangui- 2

Digitized by Google

guinitatem, & paupertatem, ſi in perſona electa hæc duo concurrerint, nihil aliud videtur requirendum, vt teſtatoris mens adimpleatur; quæ per voluntatem executoris applicanda eſt perſonæ particulari.

3 Ex doctrina huius concluſ. & ex nonnullis Iurisperitis colligit *Sanc.n.4.* quod ſi diſtributio legati fieri debeat inter clericos pauperes, poſſe ab executore eligi clericos ſola prima tonſura initiatos, quamuis ſint alij ſacris ordinibus, & ſacerdotio inſigniti, pauperiores; & hoc propter eamdē rationem, quia teſtator ſolùm clericatum præſcripſit eligendum, qualitas enim iſta ſufficienter ſaluatur in eo, qui eſt ſolùm tonſuratus, & ideo executor facultate ſibi conceſſa poterit hunc eligere cæteris omiſſis: & hæc quoad priorem quæſtionis ſenſum.

4 Quod vero attinet ad poſteriorem ſenſum, aduerto bimembrem eſſe difficultatem: nam poteſt dubitari, an executor obligetur, quando non eſt electio ſibi commiſſa, eligere ſtrictiorem in gradu cum teſtatore, & pauperiorem. Rurſus dubitari poteſt, quid Iuris in concurſu, quādo duo concurrunt, quorum alter magis propinquus, ſed minùs pauper, alter magis pauper minùs vero propinquus, quiſnā ex ijs ſit præferendus?

5 Dicendum eſt ſecundo, ſi electio nō fuit voluntati executoris relicta, ſed teſtator ſimpliciter diſpoſuit nominādo conſanguineos pauperes; tunc tenebitur executor eligere proximiorē in gradu ipſi teſtatori, & pauperiorem. ita *Gomez in L. Tauri 40. nu. 41, Lopez, Mantica locis cit. Sanchez l. c. n. 2. & alij*, & ita ſtatuitur in *L. vlt. de verb. ſignif & in L. Cum ita. §. In fidei commiſſo. ff. de leg. 2.* probari poteſt concluſio, quia quando legatum ſimpliciter relinquitur, perſona particulari non expreſſa, præſumitur teſtatoris voluntas eſſe, vt ſui conſanguinei admittantur ad legatum eo ordine, quo venirent, ſi ab inteſtato illi ſuccederent, atq; adeo, vt proximiores præferantur.

6 Dicendum eſt tertio, in caſu prædicto magis conſanguinitatem quàm paupertatem eſſe attendendam, & ideo legatum propinquiori in gradu, quāuis minus pauperi, eſt adiudicandū ita *Gomez, Lopez, & Mantica locis cit. Sanchez dub. illo 62. n. 10.* probatur concluſio, quia concurrētibus duabus cauſſis, accidentali vna, altera naturali, in dubio effectus præſumitur potiùs prouenire à cauſſa naturali quàm accidentali; & ex hoc principio ductus eſt Pontifex *in cap. Requiſiſti. de teſt.* ad decidendum Epiſcopo, qui erat teſtatori propinquus, fuiſſe relictum legatum, & non Eccleſiæ, vt præcedente quæſtione conſiderauimus. cauſſa enim naturalis eſt inſeparabilis; ſeparabilis vero accidentalis: in caſu autem noſtro conſanguinitas eſt cauſſa naturalis, & paupertas accidentalis, & ideo ipſa conſanguinitas eſt præferenda.

Ex hac vltima concluſione colligitur cū *Sanchez n. 10. & alijs ibi relatis*, quod ſi teſtator legatum relinquat diſtribuendum inter Clericos pauperes, & electionem non committat hæredi, vel executori; tunc in diſtributione erit præferendus, qui eſt in gradu ſuperiori, & digniori, & ex illis, qui in eodem ſunt gradu is, qui maiori paupertate laborat eſt eligendus. ſecùs autem diceretur ſi electio eſſet ipſi executori commiſſa, vt ſupra oſtendimus. 7

QVAESTIO SEXTA.

Legatum annuum mulieri relictum, vt matrimonium contrahat ſub conditione honeſtè viuendi, num per vnam, aut alteram fornicationem deperdatur.

SVMMARIVM.

Varij modi, quibus legatum inſtitui poterit. 1
Refertur prima opinio. 2
Aperitur ſecunda. 3
Explicatur tertia. 4
Sententia Authoris quādo legatum ab extraneo relictum fuit aperitur. 5
Reſponſio aduerſariorum diſtinguentium nomina verbalia non ſignificantia delictum ab illis, quæ delictum important. 6
Impugnatur diſtinctio. 7
Inſtantia in contrarium. 8
Soluitur inſtantia. 9
Probatio concluſionis deducta ex paritate. 10
Inſtantia aduerſariorum 11
Reſponſio Authoris. 12
Alia contraria inſtantia 13
Diluitur. 14
Vniformiter iuxta mentem Authoris eſt diſcurrendum, ſiue legatum inſtitutum ſit ab extraneo, ſiue à conſanguineo. 15
Et idem aſſerendum, quamuis relictum ſit conſanguineæ determinatæ. 16
Impugnatur Sanchez primo. 17
Sequitur impugnatio. 18
Obiectio contraria. 19
Solutio. 20
Caſtitas, quæ exigitur à marito inſtitutæ legatum pro vxore ſi caſtè viuat, eſt ſtrictior, quàm ſi exigatur ab alio. 21
Quæ dicta ſunt de legato relicto à marito, intelliguntur etiam de legato relicto à filijs. 22
Secunda obiectio. 23

Digitized by Google

24 *Eius ſolutio.*
25 *Tertia obiectio.*
26 *Diluitur.*

1 VArijs modis legatum iſtud inſtitui poterit, & ſecundum diuerſitatē inſtitutionis diuerſimodè reſpondent Authores. primo enim poterit relinqui determinatè, & non vagè, nempè tali perſonæ indiuiduali. Secundo poterit vagè relinqui, videlicet ſingulis annis ſoluēdum mulieri, in qua conditiones in titulo enumeratæ inueniuntur, ſcilicet honeſtas vitæ, & contractio matrimonij: tertio poterit inſtitui pro quibuſcumque fœminis nō ſolùm conſāguineis ipſius teſtatoris, ſed etiam extraneis: quarto conſanguineis tantùm, his ad intelligentiam tituli præhabitis.

2 Prima opinio putat non amitti legatum, ſi mulier, cui eſſet aſſignandum vnam, aut alteram patrauerit fornicationem, ſed ad illud amittendum requiri frequentiam actuum. ita in ſimili de vidua docet *Emanuel Coſta in cap. ſi Pater à n. 38. Alphonſus de Azeuedo lib. 5. noua recopil. tit. 1. l. 4. n. 19. Ioannes Matienzo in lib. 5. recopil. legum hiſpan. tit. 9. l. 5. Gloſ. 8. n. 6. 7.* loquens de priuil: quibus viduæ fruuntur: differentiam ponit inter viduam luxorioſè viuentem, & ſemel ſtuprum committentem, & hanc etiam ſententiam ſequuntur quidam viri docti apud *Sanchez lib. 7. de matr: diſp. 91. n. 31.* quibus, ex parte ſubſcribit ipſe *n. 1.*, & in eadem debent eſſe illi, qui exiſtimant legatum relictum pro Virginibus maritandis poſſe peti ab ea, quæ eſt corrupta, ſi communiter Virgo exiſtimatur, niſi contrarium conſtet de mente teſtatoris relinquentis legatum; & ita docet *Lara de anniuer: cap. 21. n. 90. Layman lib: 3. tract: 3. p. 2. cap 3. n. 5. §. Sed ſtatuamus. Vidal in opere morali de legatis inquiſ 2. nu. 28. & alij.* Ducuntur ad hanc ſententiam, iſti Authores, quia denominatio illa, honeſtè viuendi, non deperditur per vnicum actum contrarium, ſed per frequentiam actuum, per quam acquiritur oppoſita denominatio.

3 Secunda ſententia contrarium docet, videlicet per vnicam tantùm fornicationem amitti legatum, nam vnica ſufficiens eſt ad hoc, vt mulier legataria conditionem in teſtamento appoſitam non ſeruet; & in hac ſententia eſt *Syluester ver. legatū 1. q. 5. n. 9. & leg. 2. in fine. Vega p. 2. ca. 15. caſ. 2. Menoch. lib. 4. præſumpt. 187. n. 12. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 11. tit. 19. n. 25. Thomas Pellicionius in quæſt. vtriuſque iuris. quæſt. 16. cap. 5. ver. (& procedit) & alij antiquiores*, quos prædicti Authores laudant.

Tertia ſententia, quæ eſt media cum diſtinctione procedit, & ait, ſi legatum relictum fuerit perſonæ conſanguineæ, cuius fornicatio redundaret in ipſius teſtatoris ignominiam, tunc ſatis eſſe vnicū fornicationis actum, vt talis mulier legatum amittat, quia & ſi ſpectata proprietate verborum, ſub quibus legatum inſtitutum fuit, mulier inhoneſta, aut inhoneſtè viuens appellari nequeat, nihilominùs ex præſumpta voluntate teſtatoris illi denegari poterit, atque adeo neque ipſa mulier illud petere; præſumitur enim noluiſſe Teſtator relinquere legatū tali perſonæ conſanguineæ, niſi ſub conditione omnimodæ, & ſpecialis honeſtatis, & caſtitatis, vt ſic honori ſuæ familiæ proſpiceret. Ceterum ſi legatum ſit relictum ab extraneo, cui iniuriam non infert fornicatio illa, tunc ad legatum amittendum erit neceſſaria frequentia actuum: ita vt verè dici poſſit illius mulieris vita impudica, & inhoneſta: hanc ſententiam cum prædicta diſtinctione docet *Sanchez diſp. illa 91. n. 33.* quam magis declarat, aut modificat *n. 36.* aſſerens vnam fornicationem ſatis eſſe ad amiſſionem legati, quando legatum factum fuit alicui perſonæ cōſanguineæ ſpeciali: non autem quando fuit relictum conſanguineis in perpetuum, nam ex priori diſpoſitione conijcitur teſtatorem voluiſſe ſpecialem honeſtatem, & pudicitiam, vt proſpiceret honori ſuæ familiæ: ex poſteriori autem non ita, quia conſanguineæ vltra quartum gradum habentur tamquam extraneæ, nec earum fornicatio redundat in dedecus teſtatoris, aut eius familiæ, proinde non videtur ipſe teſtator exegiſſe ſpecialem honeſtatem in conſanguineis præ externis. Sic diſcurrit *Sanchez*, ſuamque ſententiam conatur ſuadere ratione, & authoritate, cui adhæret *Fagundez lib. 6. de iuſt. cap. 5. nu. 41.* quid autem mihi dicendum videtur hac in re aperiam in ſequentibus. 4

Dico primo, ſi legatum ſub illa conditione honeſte viuendi factum ſit ab extraneo, probabilior cenſenda eſt ſententia primo loco relata, videlicet non ſufficere vnicum, aut alterum actum fornicationis ad deperdendum legatum, & hoc ob fundamentum, quo Authores eiuſdem ſententiæ nituntur, nempè ex communi modo loquendi, ſeu verborum proprietate, quod inductione oſtendi poteſt; nemo enim appellatur talis abſolutè, & ſimpliciter per exercitium vnius actus v. g. non ſolet quis appellari pauperum benefactor, ſi vna, aut altera vice eleemoſynam pauperibus erogauit: neque ſobrius nuncupatur, qui ſemel, aut iterum ſobrietatem exercuit, aut diuino cultui ad- 5

dic-

zed by Google

dictis, qui ſemel, aut bis actum religionis fecit, ſimiliter in actibus indifferentibus: non dicitur negotiator, aut mercator, qui vna vice, aut altera mercaturam exercuit, & sic in multis alijs similibus.

6 Reſpondent Aduerſarij, nomina verbalia eſſe in duplici differentia, nam aliqua importans officium, ſeu exercitium, ſeu alium actum honeſtum; alia vero delictũ important: illa priora non verificãtur vnico actu, ſed frequentiam requiruut, at ea, quæ delictum significant, vt Præuaricator, Adulter, vnicum requirunt actum ad ſui verificationem. ita habetur ex *Bart. in prooem. ff. vet. n.* 10. & idem notant alij vt *Françus cap.* 1. *de vita, & honeſt. cleric. n.* 2. 3. 6. *Dominicus ibi n.* 8. *Panor. ca.* 1. *n.* 38. *de Iudic.* in exemplis autem á nobis allatis pro noſtra ſententia nomina ſunt primi generis, vnde non eſt mirum, si vnicus actus non ſufficiat ad ipſorum verificationem: porro nomina, quæ ad rem noſtram faciunt, & de quorum proprietate, & significatione hic agimus ſunt ſecundi generis, delictum namque important, vnde ad illorum verificationem ſufficiet vnicus actus, & sic mulier per vnum fornicationis actum rectè inhoneſta appellari poterit, & per conſequens legatum minimè conſequi valebit, cum in ea honeſtè viuendi conditio non adimpleatur.

7 Contra eſt primo. quia etiam in ijs nominibus, quæ delictum significant, verum non eſt, quod ſemper vnico actu denominent, nam si quis v. g. mendacium vnum, aut alterum protulit, non ſtatim homo mendax appellari conſueuit, nec qui ſemel, aut bis ieiunium fregit intemperantis nomen incurrit, & sic in quampluri-mis alijs casibus: ſecundo etiam si *Bartol.* ibidem, & alij ex nominibus, quæ delictum important aliqua excipiant, vt eſt hoc nomen, Abigeus, Plegiarius, Fugitiuus, quæ iuxta mentem ipsius Bart. vnico tantum actu contenta non ſunt, diſcrimen tamen inter hæc, & alia nomina delictum significantia non aſſignant; cenſeo igitur hoc ex communi vſu, & conſuetudine loquendi eſſe colligendum, & indiſcriminatim, siue nomina significent actum bonũ, siue malum, siue indifferentem; & ita qui diſcredit etiam ſemel vni tantum myſterio fidei ſanctæ, hæreticus denominatur, & qui etiã ſemel recedit ab Eccleſię obedientia appellatur ſchiſmaticus, & qui fratrem ſuum occidit, fratricida: contra vero aliqua ſunt nomina, quæ licet delictum significent, per exercitium tamẽ vnius actus non denominant hominem talem abſolutè, & ſimpliciter, ſed requirunt habitum, ſeu frequẽtiam actuum, vt patet in nominibus ſuperiùs in exemplum adductis, nempe, mendax, intemperans, &c. quibus addi poſſunt hæc alia, contentioſus, legum contemptor, & alia similia, quæ vt patet non denominant hominem contentioſum, ſeu legum contemptorem ob vnicam contentionem, vel vnicum legum contemptum: igitur non rectè ex nominibus delictum importantibus, ſtatim colligitur per vnum, aut alterum actum aliquem abſolutè, & ſimpliciter appellari talem. Iam vero in caſu noſtro non ſolent homines denominare inhoneſtam, ſeu inhoneſtè viuentem mulierem, quæ vnum dumtaxat inhoneſtum actum patrauit, & ideo per vnicum talem actum denominationem oppositam non amittit, honeſtè ſcilicet viuendi.

8 Dices vnicus actus luxurię eſt veriſſimè, & propriſſimè actus turpis, & inhoneſtus: ergo mulier, quæ illum patrauit inhoneſta denominari debet, nam talis eſt denominatio, qualis eſt forma denominans, ita homo denominatur calidus, & albus à calore, & albedine.

9 Reſpondetur. Actus denominans conſiderari poteſt, vel phyſicè, vel ciuiliter, si phyſicè conſideretur, ſufficiens erit ad tribuendam denominationem, ob rationem in argumento adductam: si vero ciuiliter ſpectetur, non erit ſemper ſufficiens, proinde vnicus actus inhoneſtus phyſicè denominat perſonam inhoneſtam; non autem ſemper denominat ciuiliter ſumptus; ciuilis enim denominatio deſumitur ab vſu, & conſuetudine hominum in modo loquendi: Exemplum vero illud de calore, & albedine nihil probat, non ſolùm quia nequeunt niſi tanquam formæ naturales cõſiderari, ſed etiam quia ſunt formæ permanentes, & non tranſeuntes, ſicut ſunt actus humani, & ideo denominãt ſubiectũ pro eo tantùm tempore, quo illi inhærent.

10 Probatur ſecundo concluſio à pari, nam valde probabilis opinio eſt, quę aſſerit legatum relictum pro virginibus maritandis recipi, & retineri poſſe à puella, quæ eſt corrupta, si communiter exiſtimatur virgo: ita docent plures, inter quos eſt *Perez de Lara de anniuerſ. lib* 1. *cap.* 21. *n.* 90. *Layman in ſum. lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 3. *n.* 5. *ver. ſed ſtatuamus. Merolla tom.* 2. *diſp.* 6. *cap.* 8. *dub.* 27 *n.* 160. *Vidal in ſuo opere morali de legatis Inquiſ* 2. *n.* 28. *& alij.* nisi tamen conſtaret teſtatorem noluiſſe legatum dare, nisi puellis talem habentibus qualitatem virginitatis, quod rarò euenit, vt notat Lara, nam tunc non poſſet puella corrupta legatum retinere: praſcindendo autem ab hoc caſu, in quo de mente teſtatoris clarè conſtat; paritas optimè currit, nam sicutì legatum pro puellis virginibus maritandis

dis relictum, niſi aliud obſtet, ex quo oppoſitum deducatur, exponitur à prædictis Authoribus de puellis, quæ adhuc matrimonium non contraxerunt, & quæ communiter Virgines exiſtimantur, & Virgines appellantur; ita etiam legatum relictum pro mulieribus honeſtis, ſeu honeſtè viuentibus, ad matrimonium contrahendum, intelligi debet de illis, quæ ita communiter exiſtimantur, & appellantur, quãuis vna, vel altera vice deliquerint.

11 Dices, argumẽto prædicto nimium probari: ex illo enim ſequitur, quod ſi mulier, cui legatum eſt relictum luxurioſè viueret, ſed occultè, ita ut ab alijs honeſta reputaretur, poſſet retinere legatũ, quod mulieribus caſtè viuentibus fuit relictum; hoc autem eſt omnino falſum, & apertè contra teſtatoris mentem in diſpoſitione expreſſam: currit paritas, quia ſicut in illo caſu, quãuis in puella non ſit virginitas, ſufficit tamen vt pro virgine ſit habita in communi exiſtimatione, ad hoc vt conſequatur legatum, ita & in caſu noſtro, quamuis non ſit in muliere honeſtas, & caſtitas, ſatis erit ſi pro caſta habeatur.

12 Reſpondeo negando paritatem, quia niſi aliud teſtator explicet in diſpoſitione, per quam inſtituit legatũ pro puellis virginibus, ſub nomine virginis in dubio ex communi vſu loquendi veniunt etiam puellæ, quæ matrimonium adhuc non contraxerunt, at caſtè viuere nullo modo appropriari poterit mulieri luxurioſè viuenti, quamuis occultè.

13 Sed vlterius vrgebis: ſi puella, quæ ſolùm putatiuè eſt Virgo, poſſit legatum pro Virginibus relictum ſibi retinere, nulla ſe offert ratio, quare mulier etiam ſi luxurioſè viuat, ſi tamen communiter honeſta, & caſta exiſtimetur, nequeat legatum pro honeſtè, & caſtè viuentibus ſibi retinere, quemadmodum enim præſumpta virginitas ſufficiens eſt per nos ad obtinendum legatum pro Virginibus, ita ſufficiens cenſeri debet ad conſequendum legatum pro caſtè viuentibus communis exiſtimatio caſtitatis.

14 Reſpondetur negando ſequelam, & paritatem: æquiuocatio enim reperitur in illa dictione (exiſtimatio,) quæ bifariam ſumi poteſt, primo pro illa exiſtimatione, quæ fundatur in errore, & ignorantia; ſecundo pro illa, quæ non fundatur in errore, ſed in communi modo loquendi, ſi ſermo ſit de exiſtimatione in priori acceptione; currit paritas inter eã, quæ putatur virgo, & inter eã quę putatur caſta: at loquendo de exiſtimatione in poſteriori acceptione eſt diſparitas, nã vt aduertit *Perez de Lara l.c.* ſimplex diſpoſitio, per quã relinquitur legatũ ꝑ puellis virginibus maritãdis, explicari debet de illis, quæ nõdum matrimoniũ cõtraxerũt, quæ hominũ opinione Virgines putantur, & appellantur, opinio, & exiſtimatio iſta non fundatur in errore aliquo, ſed in vſu loquendi iuxta quam declarari debent verba illius legati, niſi aliunde conſtet teſtatorem voluiſſe relinquere legatum pro virginibus ſtricto modo acceptis, quia tunc illa, quæ non eſt Virgo non poteſt legatum retinere, at ſi talis voluntas teſtatoris non conſtet, præſumendum erit contrarium, proinde diſpoſitio intelligenda erit tum de Virginibus propriè dictis, tum de illis, quę ex vſo ita appellantur. Iam vero in vſu loquendi non habemus quod mulier illa, quæ inhoneſtam vitam ducit occultè, honeſta appelletur, atque adeò ſolùm vocabitur caſta, ſeu honeſta falſa exiſtimatione fundata in errore hominum ignorantium eius delicta, & ſic patet diſparitatem eſſe inter vtrumque caſum.

Dico ſecundo, quamuis legatum relictum fuerit pro conſanguineis ipſius teſtatoris legantis, idem puto aſſerendum eſſe, nimirum poſſe tale legatum recipi, & retineri à conſanguinea, quæ communiter exiſtimatur honeſtè viuere, licet turpem actum fornicationis ſemel, aut iterum commiſerit: ab hac ſententia non diſſentit Sanchez, nam eam expreſsè amplectitur n. 36. ver. (*verum re attentius conſiderata*) dummodo legatum non ſit relictum alicui particulari conſanguineæ, ſed conſanguineis in perpetuum, vt ſupra retulimus: & in eadem ſententia eſt *Pagũdez loco ſuperius cit. & nouiſſimè Stephanus à S. Gregor. tract. de diuina pietatis vinculis cap.* 116. *n.* 14. & hoc ob eamdem rationem, qua probabatur præcedens cõcluſio; nullum enim inter has duas concluſiones ſufficiens diſcrimẽ apparet, quare mulier extranea non amittat honeſtatis nomen ob vnam, vel alteram fornicationem, amittat vero conſanguinea. 15

Dico tertio, hoc ipſum puto eſſe dicendum, etiam ſi legatum tali particulari cõſanguineæ eſſet relictum; eſt contra *Sanchez l. c. & alios*, probatur cõcluſio, quia ſenſus illorum verborum, iuxta communẽ loquendi vſum, idem omnino eſt reſpectu cuiuſcumque perſonæ, ſiue ſit determinata, ſiue indeterminata, non enim ſenſus diſpoſitionis variatur, ſiue legatum ſit inſtitutum pro tali cõſanguinea nominatim expreſſa, ſiue pro alijs in perpetuũ, nam hoc quod eſt honeſtè viuere à moribus, & non à perſonis, aut à tempore ſuã deſumit ſignificationem, vt de ſe patet, nam quæ eſt honeſtas, aut inhoneſtas reſpectu talis mulieris viuentis, erit etiam ho- 16

Digitized by Google

honeſtas, aut inhoneſtas reſpectu alterius, & alterius mulieris naſcituræ: igitur ſi reſpectu conſanguinearum in futurum, fatente ipſomet Sanchez, verba illa, nempè, honeſtè viuere, non deperdunt proprium ſignificatum, neque illud deperdent reſpectu particularis conſanguineæ. Videns autem Sanchez argumenti efficaciam deſumptam ex verborum proprietate, recurrit ad coniecturas indicantes contrariam teſtatoris voluntatem, & ideo ait, quando legatum eſt factum conſanguineæ particulari, requiri à teſtatore ſpecialem honeſtatem, & pudicitiam, secùs quando eſt pro conſanguineis indeterminatè, & in perpetuum, nam conſanguineæ vltra quartum gradum habentur pro extraneis, in quibus teſtator non requirit ſpecialem honeſtatem, ſed communem.

17 Cæterum hæc, quæ à Sanchez dicuntur vim, & efficaciam noſtri argumẽti nequaquam eneruant; & primo, quia non aſſignat coniecturas, ex quibus colligendum ſit talem fuiſſe teſtatoris voluntatem, cum enim in arbitrio ipſius teſtatoris fuerit apponere conditiones quaſcumque, & facilè id facere potuerit, ſi non fecit, imò verba in eorum proprietate reliquit, præſumendum eſt legatum non fuiſſe relictũ ſub conditione ſpecialis honeſtatis, ſed illius honeſtatis, quam ſonant ipſa verba in communi vſu loquendi, ſub quibus inſtitutum fuit, & ipſi Teſtatori erit imputandum, ſi intendens hanc ſpecialem honeſtatem clariùs ſuam mentem non explicauerit, & quamuis daremus talem reuera fuiſſe teſtatoris mentem, nil tamen obſtat, quia cum eam non aperuerit, non variat externam diſpoſitionem, quæ ſpecialem illam honeſtatẽ minimè ſignificat.

18 Secundo non videtur Sanchez cohærẽter loqui, ponendo diſcrimen inter legatum pro conſanguinea particulari, & pro conſanguineis in perpetuum; ſi enim coniectura præſumendi volũtatem de ſpeciali honeſtate eſt dedecus, quod ex fornicatione illius cõſanguineæ reſultat in Teſtatorem, eiuſque familiam, hoc ipſum nõ euitatur in legato inſtituto pro cõſanguineis in perpetuum, quoniam etiam ſi demus conſanguineas vltra quartum gradũ ſe habere, vt extraneas, atque adeo per earum fornicationem non cauſari ignominiam prædictam in Teſtatorem, nihilominus intra ſeriem harum conſanguinearũ reperiuntur illæ, quæ ſunt proximæ ipſi teſtatori, & quarum inhoneſtas illi dedecus inducere poteſt; proinde cum motiuum petendi ſpecialem caſtitatem æquè ſe habeat tum quãdo legatum relinquitur pro vna determinata, vt eſt v.g. filia, nepos, &c. tum quando pro omnibus in perpetuum, iam inter iſtas reperiri poſſunt filia, nepos, &c. igitur deberet eodem modo applicari legatum in vtraque diſpoſitione, vel ſaltẽ illud cum expreſſione ſpecialis caſtitatis relinquere proximis conſanguineis.

19 Obijces primo: legatum relictum vxori à viro ſub conditione caſtè, & honeſtè viuendi deperditur, ſi vxor tranſeat ad ſecundas nuptias: & hoc, quia diſpoſitio ſub tali forma, & à tali perſona explicari debet de illa caſtitate, cuius oppoſitum grauiter Teſtatorem offendit: talis autem caſtitas non ſolùm excludit actum fornicationis, ſed etiam tranſitum ad ſecundas nuptias, quæ ſunt priori viro valdè odioſæ: igitur quamuis forma illa honeſtè viuendi iuxta proprietatem verborum, habitũ fornicãdi ſolùm excludere videatur, nihilominus pro vt fit à tali perſona conſanguinea, debet explicari de ſpeciali caſtitate.

20 Reſpondetur, ſententiam in antecedente poſitam non admitti ab omnibus: quamplures enim, & graues Authores canoniſtæ, & Theologi apud *Sanchez diſp. 91. cit. n. 14.* ſuſtinent per tranſitum ad ſecundas nuptias, niſi aliter conſtet de mente Teſtatoris, non deperdi legatum à marito factum ſub conditione caſtè viuendi: nam ſtatus coniugalis in iure canonico appellatur honorabilis, & caſtus, vt aſſeritur *in cap. Nicæna diſt. 31.* & ideo ſi hanc amplecteremur ſententiam, prædictum argumentum corrueret, quia in vtraque diſpoſitione curreret paritas; at retenta ſẽtentia contraria, quam ego ſequi non teneor, quæ aſſerit legatum factum à marito vxori ſub conditione caſtè viuendi deperdi per tranſitum ad ſecundas nuptias: hoc non obſtante, ſufficiens poſſum aſſignare diſcrimen inter vtrumque caſum.

21 Pro qua re ſuppono caſtitatem requiſitam à marito, qui legatum reliquit vxori, eſſe ſtrictiorem, & excellentiorem ea, quã teſtator poſtulat à cõſanguineis, pro quibus legatum inſtituit, & hoc quia cum vna effecta fuerit caro cum viro, iniens ſecundum matrimonium, quandam facit ſuæ carnis diuiſionem, & ſic priori coniugi fidem non ſeruat, irritam illam faciens, vt inquit *Lucas de Peña in l. mulieres, verſus finem C. de incolis lib.* 10. & ideo non immeritò Tiraquellus de muliere ad ſecũdas nuptias tranſeunte dicit, eam non poſſe appellari caſtè viuentem in ordine ad priorem virum, ita in *l. Boues §. hoc ſermone ff. de verborum ſignif. num.* 149. 150. *& ſequent.* vbi fusè hac de re agit, & ſanè mulier, vt pudica reſpectu prioris mariti dicatur, debet caſto amore ita illũ diligere, vt nihil de ſecundis nuptijs cogitet, ſed eius memoriam in præcordijs fixã re-

retinere, ita vt in ipſa adhuc viuere cenſeatur, & ideo ſi contrarium faciat, denominationem caſtæ vitæ amittit in ordine ad priorem maritum; imò dicitur incontinenter viuere: proinde *Panorm. cap. Vxoratus n. 2. de conuerſ. coniug.* æquiparat hæc duo, nempe, incontinenter viuere, & tranſire ad ſecundas nuptias. Cæterum in ordine ad alios, caſtitas non ita ſtrictè ſumitur, proinde mulier ſecundo nubens, appellatur caſtè viuens, quatenus per ſecundum matrimonium, nullam frangit fidem in ordine ad alios; idcirco quoad cõſecutionem legati relicti ſub illa conditione caſtè viuendi, nihil contrarium ponitur per ſecundum matrimonium.

22 Quæ dicta ſunt de marito relinquẽte legatum vxori ſub conditione, &c. eadem dici poterunt, quando legatum fuit à filijs ipſius mariti, aut à filijs vxoris, nam ex communi vſu, cum ſecundæ nuptiæ filijs ſint valdè odioſæ, quando propriæ matri legatum relinquunt, ea intentione præſumuntur illud inſtituere, vt mater non nubat, ſed fidem patri ſeruet. ad argumentum autem in forma, transeat antecedens: nego tamen conſequentiam. non enim eadem eſt ratio de vtraque diſpoſitione, nam caſtitas, quam vir requirit ab vxore ſua, eſt omnimoda, & ſtrictiſſima, & ideo ab ipſo viro prolata, intelligi debet, vt excludens quamcumque incontinentiam, etiam licitam, at prolata ab alijs, niſi aliud ex verbis, & coniecturis colligatur, intelligenda eſt juxta communem vſum, nempe de ea, quæ ſufficit ad denominandam mulierem caſtè viuentem, vt ſupra declaratum eſt.

23 Obijcies ſecundo. Nemo ſanæ mentis poterit ſibi perſuadere, quod maritus, ſeu alij, qui ex fornicatione viduæ inhonorantur, dum explicitè legatum inſtituunt ſub conditione caſtè, &c. ſolùm petant, ne ipſa vidua meretrix efficiatur; ergo intelligendi ſunt de omnimoda, & ſpeciali caſtitate.

24 Reſpondetur concedendo, à marito, ſeu ab alijs legatum pro vidua inſtituentibus non peti id ſolum: nempè vt mulier legataria meretrix non efficiatur, ſed aliquid aliud, vt nunc declaro: nam nomine meretricis intelligitur illa, cuius publicè venalis eſt turpitudo, *per tex. cap. Meretrices 32. q. 4.* ſeu vt inquit *Barboſ. de appellat. verb. vtr. Iur. appell.* 150. venit mulier illa, quæ ſine delectu corpus ſuum proſtituit, & hoc pluriũ Canoniſtarũ authoritate confirmat, & hoc pacto certum eſt aliquid plus requiri à teſtatore, dum vitam caſtã, & honeſtam petit, quam vt mulier meretrix non euadat, hoc autem erit, ne frequẽs, ſeu multoties inhoneſtum actum exerceat, etiam ſi id meretricio modo non faciat, quod eueniret, quando eſſet occulta, & non cuicumque ſui copiam faceret, ſed vni ſoli v. g. ad argumentum igitur conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia.

Obijcies tertio. grauitas rei interdum cogit nos recedere à proprietate verborũ, vt habetur *ex l. Marito 26. ver. Quæſtum ff. ad legem Iuliam de Adul.* vbi ſtatuitur, virum quæſtum facere, ſiue pluries, ſiue ſemel permiſerit adulterium propriæ vxoris pretio recepto, & ideo à pœnis ea lege impoſitis, non eſſe eximendum, & tamen tunc vir propriè quæſtum ex adulterio facit, quando ob pretium permittit vxorem meretricio modo adulterari, vt declaratur ibidem; nihilominus ob rei grauitatem Iuriſcõſultus recedit à verborum proprietate: igitur à pari cum in caſu noſtro de re grauiſſima agatur, nempè de iniuria, quæ ex fornicatione coniugis redundat in virũ, & alios conſanguineos, debemus recedere à proprietate locutionis, nam & ſi caſtè, & honeſtè viuere dicatur mulier, quæ ſemel, aut bis fornicationem commiſerit, grauitas tamen iniuriæ exigit, vt recedamus à proprietate iſta verborum, & intelligamus per caſtitatem, quam petit maritus, omnimodam caſtitatem. 25

Reſpondetur, quamuis ille propriè dicatur quæſtum facere, qui permittit, vt modo meretricio vxor adulteretur, nihilominus negari non debet, etiam ſi ſemel vir mediante precio permittat propriæ vxoris adulterium, quin certò quodam modo quæſtum faciat, & pœnis in ea lege impoſitis ſit puniendus, & ſi textum attentè conſideremus, videbimus quod ibi non dicatur abſolutè quæſtum facere, ſed cum addito, ſcilicet, quæſtum facere videtur de vxoris adulterio; ly, videtur, non importat rem talem eſſe abſolutè, & ſimpliciter, ſed quodammodo, addo etiam aliã explicationem non contemnendam, nam in ea lege quatuor habentur propoſitiones diſtinctæ, punctis interiectis. primo enim dicitur, qui quæſtum ex adulterio vxoris ſuæ fecerit, plectatur: ſecundo dicitur, quæſtum ex adulterio vxoris facere videtur, quidquid acceperit, vt adulteretur vxor: tertio, ſiue enim ſæpius, ſiue ſemel accepit non eſt eximendus à pœnis: quarto quæſtum de vxoris adulterio facere propriè ille exiſtimandus eſt, qui aliquid accepit, vt vxor pateretur adulterari meretricio quodam genere. Hæ ſunt propoſitiones, & quælibet independenter ab alia, proprium habet ſignificatum: in prima enim ſtatuitur eſſe puniendum illum, qui quæſtum facit: in ſecunda declaratur eſſe quæſtum quidquid accipitur, vt vxor adulteretur: in tertia dicitur etiam ſi ſemel vir 26

acci-

accipiat, eum eſſe puniendum, attamen in hac propoſitione non dicitur quod vnica acceptio ſit quæſtus, ſed quod accipiens ſit puniendus, quamuis ſemel acceperit. in quarta denique decernitur illum propriè quæſtum facere, qui accipit aliquid, vt vxor meretricio quodam genere adulteretur, nempè permittendo, vt vxor proprij corporis indiſcriminatim copiam faciat; hoc autem pacto legem illā declarando, nulla videtur eſſe verborum extorſio, imò potiùs videtur eſſe ſenſus verbis legis accomodatus, proinde nihil ex illa contra noſtram ſententiam deduci poterit. Hæc mihi occurrunt contra opinionem, quam tuetur Sanchez, cuius ſunt tria iſta argumenta, quæ contra concluſionem allata ſunt.

QVAESTIO SEPTIMA.

Legatum relictum pro patrimonio, quod aſſignari debeat pauperibus ad ordines promouendis; num conferri poſſit Clerico non habenti ætatem requiſitam ad illos, percipiendum tamen tempore promotionis?

SVMMARIVM.

1 *Explicatur caſus, & tria dubia, quæ ex illo emergunt.*

2 *Non potuit hæres legatum aſſignare Clerico ætatem ad ordines non habenti, & ratione probatur.*

3 *Reſponſio cuiuſdam Recentioris impugnatur.*

4 *Fit altera inſtantia, & diluitur; triplicem afferendo ſolutionem.*

5 *Aſſignatio illa inualida eſt, & qua ratione.*

6 *Sunt reſtituēdi fructus à Clerico illo percepti.*

7 *Obiectio in contrarium ſoluitur.*

8 *Dubitatio de perſona, cui fructus prædicti ſint reſtituendi.*

9 *Diſtinctione quadam adhibita, mens Authoris aperitur.*

10 *Quid ſi facta aſſignatione Clerico idoneo, conferatur illi beneficium, an legatum renuntiandum ſit?*

11 *Argumentatur paritate ducta ex diſpenſatione pontificia ad contrahendum matrimonium, quæ ceſſat, ceſſante cauſa antequam diſpenſatio ſortita ſit ſuum effectum, & ſoluitur argumentum.*

12 *Secundo argumentatur ex diſpenſatione ad ieiunandum, & reſpondetur.*

13 *Afferuntur Iura in contrarium, & explicantur.*

EVenit caſus, vt Petrus in hæreditatē Ioannis ſucceſſerit cum onere, vt ex bonis eiuſdem hæreditatis tot annuales redditus ſolueret Clericis inopia laborantibus, pro illorum patrimonio, & ſufficienti titulo ad ſacros ordines recipiēdos, hac tamen lege, vt aſſignentur vni Clerico habēti conditiones ad omnes ordines à ſacro Concilio Tridentino requiſitas, vt initiari poſſit, & eo mortuo, alteri Clerico in eumdem finem aſſignētur, & ſic ſucceſſiuè in infinitum. Contigit autem, vt Petrus hæres redditus prædictos per publicum inſtrumentum aſſignauerit cuidam Clerico pauperi, deficienti tamen in ætate, quā Ius canonicum ad primum ordinem ex maioribus, nempe ad ſubdiaconatum, poſtulat; cum enim ætas ad talem ordinē à *Tridentino ſeſſ. 23. de reformat. cap. 12.* ſit vigeſimus ſecundus annus, ſaltem inceptus, ipſe tamen Clericus non egerit niſi decimum nonum cum dimidio; deſiderabantur enim menſes decem, & octo, vt habilis redderetur ad prædictum ordinem ſuſcipiendum: aſſignatis autem redditibus, poſt aliquod tempus eidem Clerico collatum fuit beneficium quoddam, quo etiam tempore fuit ipſe ad minores ordines promotus. His omnibus circa facti contingentiam præhabitis, tria emerſerūt dubia. primo; an aſſignatio illa legitima, & licita fuerit. ſecundo, ſi illegitima, & illicita, an ſaltem valida. tertio, ſi inualida, num fructus interim percepti ſint reſtituendi, & cui nā reſtitui debeant. Quoad primum dubium. 1

Dicendum eſt primò, non potuiſſe ab hærede aſſignari legatum illud Clerico nō habenti ſufficientem ætatem ad ſubdiaconatum. Probtur, quia non inſtabat tunc cauſa illa, quam teſtator in ſua diſpoſitione appoſuit: ergo aſſignatio illa fuit illicita: patet conſequentia, quia fuit difformis voluntati teſtatoris; antecedens probatur ex communi doctrina, quā Authores tradunt loquentes de huiuſmodi legatis; dicunt enim eſſe aſſignanda tempore habili, nimirum quando inſtat, & vrget cauſa, ob quam relicta fuerunt, ſic loquentes in re ſimili, videlicet de legato relicto pro puellis maritandis; aiunt legatum conferri non poſſe, niſi tempore, quo puellæ ſūt nubilis ætatis, nempe, quando duodecimum annum compleuerint. ita *Bartol. in L. Titio centum. §. Titio genero. ff. De condit. & demonſtr. Baldus in L. Sancimus. C. de Nuptijs: Couar. de teſtament. cap. 3. num. 11. in fine, ver. Poſtremo in hac quæſtione. Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 91. nu. 61. Genuen. in practicabilib. quæſt. 205. num. 1. & in manuali paſtorum cap. 73. num. 14. Moneta de commut.* 2

Digitized by Google

vlt. vol. cap. 5. *num.* 55. *Didacus Narbona de ætate, anno* 12. *quæſt.* 3. *num.* 2. *Trullench in decal. lib.* 7. *c.* 18. *dub.* 12. *numer.* 15. *Bonacina de contract. diſput.* 3. *quæſt.* 17. *p.* 8. *§.* 4. *num.* 9. *Mantica de coniect. vlt. vol. lib.* 11. *tit.* 21. *num.* 5. *Fagundez de iuſt. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 41. *in fine. V. legatum autem. Diana par.* 2. *tract.* 16. *reſolut.* 52. *ver. Aduerte etiam.* Eſt contra Baldum Nouellum, & aliquos apud Sanchez, & Couar. qui volunt tale legatum ſtatim deberi puellæ etiam non nubilis ætatis, cautione tamen data. hos authores affert, & impugnat *Couar. l. cit.* & probari ſolet *ex lege Nec ſemel.* *§. Si in habitationem. ff. Quando dies leg. ced.* vbi ſtatuitur legatum annuum relictum intuitu cuiuſdam certæ neceſſitatis, ſoluendum eſſe tempore neceſſitatis; & clariſſimè *l. Quod pupillæ eod. tit.*

3 Sed reſpondit mihi quidam doctus recentior, negando paritatem inter legatum relictum pro puellis maritandis, & relictum pro pauperibus ad ordines promouendis: diſparitas autem, quam aſſignabat, erat, quia ordinandus, ſi legatum recipiat antequam ad requiſitam ætatem perueniat, poterit meliùs animum adijcere ad earum rerum ſtudia, quæ neceſſariò ſunt adijcienda ad dignam ordinis promotionem: quod non ita diligenter faceret, ſi legatum non haberet, quia non alliceretur ad ſtudium, niſi legatum fuiſſet ſibi aſſignatum, ſed tale motiuum non reperitur, quando legatum eſt pro maritandis puellis.

Contra eſt, quia poſſet ſatis congruenter dici, legatum pro matrimonio ineundo, videri aſſignandum, vt præparentur ea, quæ ſunt neceſſaria ad nuptias: vt enim benè aduertit *Perez de Lara de anniuer. l.* 3. *cap.* 21. *num.* 15. 20. 21. loquens de legato relicto ob matrimonium in eo caſu, quo antecedenter eſt ſoluendum, vt benè inquam aduertit *nu.* 2. in diſpoſitione alicuius actus faciendi, cenſeri debent ineſſe antecedentia neceſſaria, quod ex quibuſdam iuribus probat, & ſic par videtur ratio de legato relicto ob promotionem ad ordines, & de relicto ob nuptias.

4 Inſtabis iterum: nullum apparet Ius præſcribens pro huiuſmodi legatis aſſignādis, eſſe mathematicè attendendum tempus illud, in quo vrget cauſa, ſufficit enim, vt moraliter id attendatur; igitur ſi præuentio non erit nimia, cenſebitur hæres ſatisfacere ſuæ obligationi, & teſtatoris voluntati, vt accidit in caſu noſtro, nam legatum fuit eo tempore aſſignatum; quo vnus tantum annus cum dimidio deſiderabatur ad completam ætatem pro ſubdiaconatu recipiendo: in hac autem materia tale tempus non debet nimium exiſtimari. & confirmatur, nam tempus vnius anni non iudicatur nimium in eo, qui electus fuit ad beneficium parochiale ante ſuſceptum ſacerdotium, vt habetur *in cap. Licet de elect. in* 6. igitur neque nimium cenſeri debet tempus vnius anni cum dimidio ad recipiendum ſubdiaconatum, vt legatum conferatur ei, qui talem defectum ætatis habet.

Verum aduerſus hanc inſtantiam efficaciter vrgeo ex manifeſta inter vtrumque caſum diſparitate, nam tempus vnius anni in eo, qui ad parochiale beneficium eſt promotus, permittitur expreſsè in iure canonico, & per hoc nemini infertur præiudicium, & cum ſit de iure poſitiuo, dependet à beneplacito Pontificis, qui ita diſponēs, licitam reddit talis beneficij collationem: cæterum in caſu noſtro, cum ſermo ſit de adimplenda voluntate teſtatoris, qui legatum inſtituit, vrget ius naturale dictans, vt diſpoſitio iſta ad vnguem ſeruetur, & oppoſitum non ſolum erit cōtra mentem teſtatoris; verum etiam in præiudicium illorum, qui omnes conditiones requiſitas ad legatum illud percipiendum habent.

Rurſus addo tempus illud, in quo hæres præueniens, aſſignauit legatum, non cēſeri paruum, ſed notabile: & hoc probo ex eo, quod ſi ponatur ſe offerre perſona habilis ad tale legatum recipiendum, & hæres potens illud aſſignare differret per annum; nemo excuſabit illum à graui peccato: ſecus autem eſſet, ſi per duos, aut tres dies illud differret: & confirmatur, nam intra tale tempus facilè occurrere poterant perſonæ habentes qualitates à teſtatore requiſitas: idcircò hæres tenebatur ſuſpendere aſſignationem vſque ad tēpus habile, ſi pro tunc alia perſona idonea non ſe offerebat.

Præterea non aberraret quis à veritate, ſi in hac materia, ſicuti in alijs ſimilibus, tempus requiſitū ad aſſignationem huius legati ſumeret mathematicè, nempe pro illo momento, quo Clericus aſſignatarius compleuit vigeſimum annum, & attigit vigeſimum primum, quod eſt tempus præſcriptum per ſacros canones ad ſubdiaconatum.

Et hæc de primo puncto, ex cuius deciſione facilis nobis aperitur via ad reliqua duo decidenda.

Dico igitur ſecundo: aſſignationem illā factam Clerico nō habenti ætatem ſufficiētem ad ſubdiaconatum, puto inualidam fuiſſe, quia legatum aſſignatum fuit tempore, quo Clericus habilis non erat ad id, cuius intuitu teſtator legatum reliquit, nempe ad ordines ſacros recipiendos; ad quos idoneitas ordinādi neceſſariò requiritur: 5

ritur: proinde cum talis idoneitas defuerit in clerico iſto, non ſolùm non debebatur illi legatum; verum etiam eo tempore aptus non erat ad illud, quatenus impleri non poterat cauſa finalis, ob quam legatũ relictum fuit à teſtatore, ideoque per aſſignationem non poterat ius aliquod conferri tali clerico, vt in ſimili aſſerit *Narbona de ætate anno duodecimo quæſt. 3. nu. 6. in fine*, ſicuti ſi quis nominetur, & præſentetur ante decimum quartum annum ad canonicatum, nulla erit præſentatio ex defectu ætatis, ita & in caſu noſtro irrita erit aſſignatio illius Patrimonij facta perſonæ pro eo tẽpore inhabili ad ſacros ordines, & forsitan relinquendo alios clericos pauperes, qui ætatem iure præſcriptã, cæteraque requiſita ad ſacros ordines habebant. & hæc quo ad ſecundum punctũ.

6 Dico tertio: in foro conſcientiæ eſſe obligationem reſtituendi fructus perceptos, quia clericus verè non potuit illos ſibi appropriare ob rationem allatam: ſed ſi bona fide illos conſumpſerit; tenebitur ſolùm in eo, in quo ditior eſt effectus iuxta regulas generales, quæ in materia reſtitutionis à Doctoribus traduntur: Hæres tamen in defectu, quo clericus non reſtituat, ſiue ex impotentia, ſiue ex quocũque alio capite, obligabitur fructus illos exactos reſtituere. ducor ad hoc, quia bona fides in caſu iſto non fauet ipſi hæredi, nam hæreditatem adiens, implicitè, & quaſi ex contractu ſe obligauit ad adimplendam teſtatoris voluntatem circa ea, quæ in teſtamento continebantur, & ad quæ hæreditas erat ſuffectura, deductis deducendis.

7 Dices patrimonium, de quo eſt ſermo, fuit aſſignatum, non vt actu tunc percipiendum, ſed tempore, quo aſſignatarius ſacris ordinibus erat initiandus; igitur legitima, & licita videtur aſſignatio.

Reſpondeo: negando conſequentiam, quia tempore illo intermedio, nempe à tempore aſſignationis, vſque ad tempus promotionis poterat in aſſignatario deficere aliqua ex requiſitis conditionibus ad legatum conſequendum, ſicuti de facto euenit, nam cum inter alias conditiones fuerit paupertas, ceſſauit iſta intra tempus illud medium, quoniam, vt exponitur in narratione, beneficium, quod illi aſſignatũ fuit ad promotionẽ, & ad cuius titulũ clericus ille promotus fuit, ſufficiens erat. tenebatur igitur hæres, ſi clericos idoneos non inueniſſet, ſuſpendere aſſignationem patrimonij vſque dum ipſi ſe offerret perſona idonea, ad quam reperiendam moralis inquiſitio, & diligentia adhibenda erat, & ideo clericus iſte habens aliunde, cum illegitimè, nempe tempore inhabili, legatum receperit, tenebitur illud renunciare, ſed remanet inquirendum cuinam fructus percepti ſint reſtituendi.

Vt clariùs quęſito ſatisfaciam, conſidero duo perſonarum genera, quæ ad rem hãc pertinere videntur. primo. clericos, qui nunc actu ſe offerunt, & ſunt idonei: ſecundo. clericos, qui idonei reperiebantur tempore, quo aſſignatum fuit patrimoniũ clerico non idoneo. his poſitis, ex vna parte videtur in fauorem horum poſteriorum clericorum eſſe decidendum, quia ſicuti mortuo Cappelliano, ſtatim, qui eo tẽpore idonei reperiuntur, aliquale ius acquirunt ad electionem: ſic irrita exiſtente aſſignatione prædicta, clerici, qui habiles eo tempore reperiebantur, ius acquiſierunt, vt alicui ex ipſis legatum aſſignaretur. & cõfirmatur ex doctrina, quam ex nonnullis Doctoribus amplectitur *Sanchez diſp. 91. cit. num. 66. in fine*: ibi enim cum priùs dixiſſet, legatum conſanguineis maritandis à teſtatore relictum, conferri non poſſe conſanguineæ, quæ tempore teſtamenti inuenitur nupta: & hoc ob rationem, quam ipſe Author aſſignauerat *nu. 64.* nempe diſpoſitionem de legato fuiſſe pro maritandis, nupta autem non eſt maritanda; nihilominus, ſi puella nuberet poſt mortem teſtatoris, ait poſſe legatum conſequi, nil obſtante matrimonio priùs inito, tum quia legatum videtur relictum perſonis non omnino incertis, ſed de ſanguine teſtatoris, tum quia mortuo teſtatore, conſanguinea illa adhuc non maritata aliquale ius acquiſiuit in legatum, & cum poſtea nupſerit, legatum vi talis iuris recipere poterit. Huius Authoris doctrinam applico caſui præſenti, nam inualida exiſtente aſſignatione, ſtatim clerici, qui eo tempore exiſtebant idonei aliquod ſortiti ſunt ius in patrimonium ipſis conferendũ: ideoque fructus intermedij temporis, nempe à die aſſignationis inualidæ vſque ad nouam, & legitimam aſſignationem patrimonij, videntur applicandi vni ex clericis illis idoneis, quem hæres maluerit, ad ipſum ſpectante electione. Ex alia vero parte videntur fructus illi applicandi clerico, cui de nouo ſit patrimonij collatio: & hoc, quia, cum non conſtet, num aliquis ex clericis illis, qui aderant tempore aſſignationis verè voluerit ad ordines ſacros aſcendere, & ob defectum patrimonij id non præſtiterit: ideo poſita tali incertitudine, incertum redditur illud aliquale ius, quod dicebantur habere in legatum prædictum; at clerici nunc ſe offerentes, cum velint actu promoueri, certum retinent ius ad idem legatum, atque adeo ob certitudinẽ talis iuris præferendi ſunt illis alijs, quorũ ius ponitur incertum. Rurſus habemus di-

ſpoſitionem non fuiſſe à teſtatore initam, ob aliquam ſpecialem affectionem in perſonas; ſed ſolùm ob affectum miſericordiæ ratione paupertatis: proinde omnes Clerici pauperes æqualiter in hoc ſe habent, & ideo cuilibet ex illis detur patrimonium, & fructus, ſatisfit primariæ intentioni teſtatoris. Inter caſum autem, quem ponit Sãchez, & noſtrum eſt diſparitas, quia legatum illud, conſanguineis maritandis relictum, non fuit intuitu paupertatis, ſed ſoliùs conſanguinitatis, vt patet legenti totam doctrinam, quam ibi tradit Sanchez, ideoque non debet eſſe mirum, ſi ipſe iudicauerit legatum conferri poſſe conſanguineæ teſtatoris nubenti poſt eius mortem, nam morte ſequuta, integra vigebat cauſa finalis, nempe conſanguinitas, & matrimonium contrahendum, & ſic potuit mulier ipſa ius ad legatum acquirere, quod ius non fuit extinctum ob ſubſequens matrimonium. Et ad maiorem huius ſententiæ firmitatem addo, quod forſitan tunc nõ concurrebant aliæ conſanguineæ maritãdæ, proinde mulieri huic, de qua loquimur, erat de rigore iuſtitiæ legatum aſsignandum: cæterum in caſu noſtro res non ita ſe habet, nam in Clerico aſſignatario erat inhabilitas temporis, & adueniente tempore habili, defecerat in ipſo Clerico paupertas, quam finaliter reſpexit teſtator in legato inſtituendo: & ſic diuerſa eſt vtriuſque caſus ratio.

9 Fateor pro vtraque parte eſſe rationes, verum difficultatem hanc, quibuſdam adhibitis conditionibus, cenſeo eſſe dirimendam. dico igitur, ſi ex coniecturis ſufficiẽter conſtiterit intẽtio illorum Clericorum, qui reperiebãtur idonei tempore aſſignationis ipſos verè voluiſſe aſcẽdere ad ordines ſacros, & nõ potuiſſe ob carẽtiam patrimonij; tunc exiſtimarem, & patrimonium ipſum, & fructus prædictos alicui ex illis eſſe applicandos, quia aliquale ius ad ſui electionem obtinuerunt, & cum ſint priores tempore, videntur præferendi his Clericis, qui actu ſe offerunt, & eo tempore non aderant. ſi vero intentio illorum Clericorum ſufficiẽter innoteſcere non poſſit, exiſtimo fructus iſtos intermedios eſſe applicandos eidem Clerico, cui patrimonium confertur: & ratio eſt, quia vt ſic aſſignatur perſonæ habenti qualitates omnes à teſtatore requiſitas, atque adeo eius menti hæres conformabitur, & nullus ſe offert, qui ſit neceſſario præferendus: proinde nihil videtur contra hoc opponi poſſe.

Hæc mihi occurrunt pro iſta ſoluenda difficultate, quæ tamen omnia ſubmitto meliori prudentum iudicio.

10 Quæres quid dicendum, ſi facta aſsignatione Clerico habenti qualitates præſcriptas, & tempore habili, poſtea conferatur illi beneficium, vel aliunde diues efficiatur, teneatur ne legatum renuntiare?

Reſpondeo, videri aſſignationem illam eſſe renuntiandam, quia omnino ceſſat cauſſa finalis, ob quam teſtator ductus fuit ad legatum inſtituendum, nempe egeſtas Clericorum, ne mendicare cogantur cum ordinis dedecore: igitur ſi aliunde diues ſit factus, aut tot bona acquiſierit, vt ſimpliciter, & abſolutè pauper appellari nequeat, non videtur retinere poſſe legatum intuitu paupertatis relictum.

Sed oppoſitum cenſeo eſſe dicendum; nam etiamſi Clericus aſſignatarius aliunde acquirat, ita vt ceſſet paupertas, propter hoc deſinere non debet legatum. probatur, quia legitima aſſignatione facta, legatarius plenum in eo legato ius acquirit, quo acquiſito, firmiter in ipſo radicatur, & vt meliùs hanc ſententiam explanemus, oportet duo tempora diſtinguere: primum eſt, quando hæres tempore habili aſſignat legatum perſonæ legitimæ, vt poſſit ſacris ordinibus inſigniri, ſed antequam ordinem recipiat, ſuperueniant illi, aut per donationem, aut per ſucceſſionẽ alia bona: ſecundum vero tempus conſiderandum, eſt ſi donatio, ſucceſſio, &c. contingant ordine ſacro iam ſuſcepto; de hoc ſecundo nulla eſſe poteſt rationabilis dubitatio, quia cum effectus à teſtatore intentus ſit vndequaque cõpletus, & conſũmatus: nequit deficere legatum, etiamſi eius cauſa finalis deſierit. ita Doctores loquentes de diſpenſatione, aut gratia conceſſa, communiter affirmant. *Tiraquell. tract. Ceſſante cauſa. &c num.* 89. 92. & fusiùs *limit.* 12. *per totum*, vbi varijs iuribus vniuerſaliter loquendo id comprobat; idem docet *Couar. var. reſol. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 5. *Guttier. quæſt. canon. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 22. *& lib.* 2. *c.* 15. *num.* 131. *Garcia de benef. par.* 6. *cap.* 2. §. 2. *numer.* 291. *&* 292. *Nouarius in quæſt. for. par.* 1. *quæſt.* 67. *num.* 11. 12. *Suarez lib.* 8. *de leg. cap.* 30. imò aliqui loquentes de Clerico paupere, cui legatum eſt relictum, vt ad ordines ſacros promoueatur, aiunt quod, etiamſi poſt donationem receptam eidem Clerico conferatur Epiſcopatus à Summo Pontifice, non ideo ceſſabit legatum: quod varijs iuribus probãt: & reſpondẽtes ad fundamẽtum contrariæ ſententiæ, negãt cauſam finalem eſſe, ne Clericus mendicare cogatur; ſed aiũt eſſe promotionem ad ordines, quæ totaliter adimpleta fuit, & ideo ſufficit, vt actus ſemper firmus maneat. Sic hi diſcurrunt: & valde rationabiliter, & in fauorẽ noſtræ ſentẽtiæ,

&

& de hoc puncto nulla eſt difficultas, quę tamen aliqua reperiri poſſet, quando priori tempore ceſſat cauſa, nempe poſt receptam aſſignationem legati, ſed ante promotionem actualem, v. g. ponamus clericum pauperem, qui intra paucos dies, inſtante ordinatione generali, velit promoueri, & ſibi deficienti patrimonium, ab hærede aſſignetur: elapſis autem pauciſſimis diebus ſuccedat clericus iſte in aliqua hæreditate, vel conferatur illi aliquod beneficium ſufficiens ad promotionem; quærimus num legatum debeat in illo ceſſare: videtur deſinere, quia, cum effectus cauſę finalis non ſit omnino completus, videtur totaliter ceſſare cauſa finalis, ob quam teſtator legatum inſtituit; proinde clericus aſſignatarius eſt aſtringendus ad legatum renuntiandum. pro hac ſententia citari poſſent omnes, qui in alia ſimili materia loquentes, dicunt deprauari pontificiam diſpenſationem, quamuis ſit completè obtenta; nempe cum, & Pontifex, & pariter Ordinarius, cui cauſa fuit commiſſa diſpenſarũt, quando non eſt ſuum vltimatum effectum ſortita. *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 30. num. 14 15. Bonacina de legib. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 10. §. 1. n. 5. Merolla tom. 2. diſp. 5. cap. 6 nu. 331.* qui multos citãt canoniſtas, vt videre eſt apud *Sanchez loco citato*, quorum principaliora argumenta inferiùs proponemus, à pari autem poſſet quis arguere in caſu noſtro, probando prædicti legati aſſignationem totaliter extingui, deſinente cauſa finali in ipſo clerico aſſignatario, nempè paupertate, ob ſuperuenientem donationem, ſeu ſucceſſionem.

Sed contrarium eſſe omnino amplectẽdum cenſeo, nimirum firmam perſiſtere aſſignationem, nullum afferente impedimentum ipſa donatione, aut quacunque alia ſucceſſione. hanc vero concluſionem admittere debent omnes, qui regulam illam, ceſſante cauſa ceſſat effectus; non recipiunt in ea generalitate, ſecundum quam defenditur à nonnullis, vt eſt *Suarez de leg. lib. 8. cap. 30 per totum, & quã plures alij* & præſertim cum ſit longè maior ratio in caſu noſtro, vt videbimus, probari poterit concluſio tali pacto.

Per aſſignationem illam factam tempore legitimo, & perſonæ habili radicatur dominium reddituum legatorum in ipſo aſſignatario: igitur etiam ſi poſtea ante actualem ordinationem ceſſet cauſa finalis, firma manebit aſſignatio. Antecedens patet, quia nil aliud videtur eſſe neceſſarium ad dominium acquirendum, nam aſſignans, qui in caſu noſtro eſt hæres, facultatem habet transferendi dominium illorum reddituum: aſſignatarius vero nõ ſolum eſt capax recipiendi, ſed etiã qualitates à teſtatore intentas habet, & ideo dominium radicatur in aſſignatario tamquam in perſona omnino habili: conſequentia vero ex tali antecedente illata facilè oſtenditur; quia noua acquiſitio, aut ſucceſſio, ſeu donatio nequeunt auferre dominium, ſaltem quoad ſubſtantiam, quod aſſignatarius habet: dominiũ enim non deperditur niſi vel per tranſlationem, ſeu renunciationem factam à domino, vel per ablationem factam à lege, vel à Principe, quæ varijs modis contingit: nullus autem modus ex his in caſu noſtro reperitur, neque deperditur quoad vſum licitum, quia aſſignatio non fuit cõditionalis, ſed abſoluta, neque dici poterit, nouis bonis acquiſitis, incipere aſſignationem ipſam eſſe contra mentem teſtatoris, volentis, vt redditus relicti ſint pro pauperum clericorum ſubſtentatione. Ad hoc autem reſpondeo intentionem teſtatoris fuiſſe, vt redditus clerico egeno in patrimonium pro ordinibus recipiendis traderentur; quod iam patratum fuit: neque retionabiliter præſumi poterit talis mens teſtatoris, quia in ſimilibus non attenditur id, quod rarò, & contingenter euenit, hoc enim eſſet valde ſcrupuloſum, & ex eo plura ſequerentur incommoda: v. g. ſi quis actu indigenti det eleemoſynam, ſi poſtea, qui prius egebat, deueniat ad pinguiorem fortunam, teneretur reſtituere donanti eleemoſynam illam, quod nemo dixit: ſufficit igitur tempore largitionis fuiſſe indigentiam, quia de futuris euentibus non habetur ratio. ita & in re noſtra ſatis erit, ſi tempore debito cauſa finalis a teſtatore intenta inueniatur in aſſignatario, quidquid ſit de caſibus fortuitis, qui accidere poſſunt; aliter etiã poſt ordines ſuſceptos; ſi clericus diues fiat, aſtringeretur refutare legatum: hoc autem à neminè aſſeritur, neque ab ipſis aduerſarijs, qui fatentur poſt acquiſitum vltimum effectum, quamuis ceſſet cauſa motiua, non ceſſare diſpenſationem, ſeu priuilegium, idem ego dicam de aſſignatione.

Sed in contrarium varijs argumentis vr-
geri poſſet, & primo à pari in hunc modũ: 11
ſit mulier, quæ petat à Pontifice diſpenſationem contrahendi matrimonium cum Sorte ſibi conſanguineo, & ob motiuum, ſeu cauſam diſpenſandi alleget paupertatem, aut inſufficientiam dotis, qua labotat, committat Pontifex cauſam Epiſcopo, vt veritatem inueſtiget, & ea inuenta, diſpenſet: ſi completè obtenta diſpenſatione antequam matrimonium ineatur, mulier deſinat eſſe pauper ob ſuperueniẽtem aliquam hæreditatem; non poterit abſ-

Digitized by Google

abſque noua diſpenſatione matrimonium cum Sorte contrahere, quia ante executionem diſpenſationis, cauſam non exiſtebat amplius: ergo à pari, ſi poſt factã aſſignationem, antequam aſſignatarius ordinem ſacrum recipiat, diues fiat, vel ſaltem ſufficiens habeat patrimonium, ad cuius titulum ordinibus inſigniri valeat; debet corruere aſſignatio ob defectum cauſæ ante executionem.

Reſpondeo primo: ſi ſequamur ſententiam nonnullorum, qui aiunt in caſu illo non deprauari diſpenſationem obtentam, licet mulier, antequam matrimonium cõtrahatur, diues efficiatur; argumentum eſſet prorſus inefficax, quia negaremus antecedens. in hanc ſententia eſt *Garcia par. 6. de benef. cap. 2. §. 2. num. 291. & ſeq. Caſtropalaus tom. 1. tract. 2. diſp. 4. p. 15. num. 7. poſt medium.* volunt enim ex eo quod paupertas, quæ fuit cauſa diſpenſandi, ceſſet, diſpenſationem viribus non deſtitui, neque ſuſpenſam manere, vt putauit *Sanchez l. cit. num.* 14. & in ſui fauorem nonnullos laudat.

Reſpondeo ſecundo: quamuis ſententiam Sanchez ſequamur, de cuius veritate, & probabilitate nũc nõ diſputamus, cõceſſo antecedente, negamus conſequentiam ob diſparitatem inter vnum, & alterum caſum: in primo enim caſu mulier illa ante matrimonij cõtractionem nullum acquiſiuit ius in Sortem, ſed ſolum vi diſpenſationis reddita fuit capax contrahẽdi: proinde si ante executionem cauſa finalis deſijt, diſpenſatio cum effectum ſortita minimè fuerit, corruet, aut ſaltẽ ſuſpenſa manebit: ideoque his ſtantibus non poterit mulier nubere cum Sorte. In ſecundo autem caſu vi aſſignationis, clericus aſſignatarius plenum acquiſiuit ius, & dominium illius legati: idcirco cauſa deficiente, cum dominium inueniatur radicatum in clerico, non poterit aſſignatio irrita reddi.

12 Dices ſecundo: Prælatus diſpenſans, vt Petrus ob aliquam infirmitatem, qua ipſe Petrus actu laborat, non ieiunet in quadrageſima: ſi quibuſdam elapſis diebus, Petrus priſtinam recuperet ſanitatẽ, ceſſante diſpenſationis cauſa, ceſſabit ipſa diſpenſatio: atque adeo Petrus tenebitur in reliquis diebus quadrageſimæ ieiunare, quia ieiunium illud tractum ſucceſſiuum habet, & in plura ieiunia eſt diuiſibile, quot ſunt dies quadrageſimales; igitur legatum, quod clerico aſſignatum eſt, cum etiam tractum ſucceſſiuum includat (eſt enim annuum) erit multiplex, vt expreſſe ſtatuitur *in l. ſi in ſingulos annos & l. cũ in annos ff. de ann. leg.* & affirmat *Sanch. lib. 7. in decal. cap. 13. num. 54. & quamplures alij*: ergo ſe habet in ordine ad diſpenſationem ſicuti ieiunium quadrageſimale, & ideo debet etiam ceſſare deſinente cauſa.

Reſpondeo. omiſſis aliorum ſolutionibus, quæ difficultatem omnino nõ tollũt, diſpenſationem illam in ieiunio ex praxi, & communi hominum exiſtimatione intelligi durante infirmitate; aſſignationem vero, cum ſit de legato perpetuo, ſaltem durante vita aſſignatarij, intelligi de toto legato, quatenus includit annuas ſolutiones: & ideo legatarius acquirit dominiũ non ſolum ſuper capitale, verum etiam ſuper fructus ſingulis annis reſpondentes, proinde acquiſito iam dominio, deſitio cauſæ nequit obſtare.

Dices Tertio: aliqua extant iura canonica, & ciuilia, quæ à *Sanchez loco citato, & ab alijs* adducuntur, ex quibus videtur 13 manifeſtè colligi priuilegium ceſſare, eius cauſa ceſſante: ergo à pari ceſſare debet aſſignatio legati, ceſſante eius cauſa: nulla enim videtur afferri poſſe diſparitas. Antecedens roboratur referendo iura illa, & primo aperiuntur canonica *cap. Generaliter 16. quaſt.* 1. in quo conceditur priuilegium immunitatis ab omni tutela, & cura cuiuſcumque generis, omnibus clericis, & nonnullis alijs perſonarum generibus non diuagantibus, ſed permanentibus in ſuis eccleſijs, & monaſterijs, vbi *Gloſ. ver. Non diuagantes* id probat ex eo, quod ceſſante cauſa ceſſet tale priuilegium: Rurſus *ex cap. Tua fraternitatis, de clerico non reſid.* conceditur enim canonicis abſentibus cauſa ſtudiorum percipere fructus beneficij: at ſi ſe transferant in alias villas, & caſtella, in quibus nullum, vel minus competens eſt ſtudiorum exercitiũ, priuilegium prædictum illis non competere determinat Pontifex, ideoque ceſſante cauſa priuilegij ceſſare priuilegium. Praeterea *cap. Abbate S. His igitur*, conceſſa fuit facultas cuidam Monaſterio eligẽdi Abbatem ex monachis alterius monaſterij, quandiu in monaſterio illo viguerit obſeruantia regularis, vt idonea perſona inueniri in ipſo poſſit.

Ex iure ciuili hoc ipſum oſtenditur *ex L. Ex facto ff. de vulg. & pupil. ſubſtitut.* vbi priuilegium Patri conceſſum ſubſtituendi alium pro filio furioſo, dicitur ceſſare, ſi filius ſanæ mentis efficiatur, *& ex L. Vranius 72. Ver. Sed cum duo ff. de fideiuſ. & man.* dicitur quædam fideiuſſio extingui: cuius ratio redditur, quia ea, quæ alias incipere nõ poſſunt, ita nec remanere, igitur ſi tempore aſſignationis in clerico noſtro non fuerit paupertas, non poterat in ipſo incipere, hoc eſt illi fieri aſſignatio: ergo ſi poſtea deſinat paupertas, non poterit

Digitized by Google

eadem aſsignatio remanere.

Pro ſolutione prædictorum, & ſimilium iurium eſt aduertendum, in diſpoſitione (& idem dico de priuilegio) duplicem interdum inueniri poſſe conditionem, ſiue explicitè, ſiue implicitè, vnam, quæ reſpiciat perſonam, in cuius gratiam fit diſpoſitio, quatenus requirit qualitatē quādam in ipſa perſona, vt fiat habilis ad aſſequendam rem, circa quam verſatur diſpoſitio, alteram vero conditionem, quæ tēdit ad ponendum aliquid à diſponēte primario intentum, quod ſe habeat vt cauſa finalis: inter vtramque conditionem eſt diſcrimen, nam prima ſolum requiritur, niſi aliud ex mente diſponentis colligatur, vt perſona fiat habilis ad recipiēdam rem, de qua fuit diſpoſitio, & talis conditio verificari poterit in momento temporis, ita vt, ſi poſtea ceſſet, remaneat habilitas: contrarium eſt dicendum de ſecunda conditione, cuius effectus neceſſario debet permanere, & eo deſinente euaneſcit diſpoſitio. Natura autem vtriuſque conditionis declaratur varijs exemplis ab Authoribus, & nos aliqua ſuperius attulimus, reſtringendo autem doctrinam hanc ad materiā, de qua loquimur, dicimus cōditionem ex parte perſonæ eſſe paupertatē, quam in Clericis ordinādis requirit teſtator; promotionem autem ad ordines eſſe cauſam finalem huius diſpoſitionis, quæ conditionem imbibitam habet de actuali promotione: prima, quamuis deſinat, nequaquam nocet legatario poſt aſsignationem, & ius quæſitum, ſufficit enim extitiſſe in momento aſſignationis, vt in ſimili diſcurrunt Doctores, & habetur *in L. Si quis hæredem. C. de inſtit. & ſubſtit. & L. vlt. C. de indic. vid. toll.* quod fuſe declarat *Menoch. L. 4. præſump. 187. & Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 11. tit. 19. à n. 17* v. g. ſi quis legatum mulieri relinquat cum vidua erit, non eſt neceſſe ad conſequendum, & retinendum legatum, vt maneat ſemper in viduitate, ſufficit enim, vt tempore conſecutionis legati fuerit vidua, licet poſtea nupſerit: ſecùs, ſi teſtator dicat: vſque dum vidua erit, vel ſi permanſerit, ſeu perſeuerauerit in viduitate: ſic in noſtro caſu ſufficit, vt Clericus tempore aſſignationis fuerit pauper, nam teſtator ſimpliciter poſtulauit paupertatem, & non dixit, vſque dum erit pauper, &c. Altera vero conditio, quæ reſpicit effectum principalem, neceſſario debet adimpleri, & permanere. ſi v. g. quis inſtitueret legatum in hunc finem, vt legatarius celebret in tali Eccleſia, ſi conditio iſta deficiat, euaneſcet legatum. in re autem noſtra eſt promotio, quæ neceſſario debet fieri, & permanere non ſolum ex eo, quod character eſt indelebilis; ſed etiam ex vi diſpoſitionis ſic eſſe debet: ita vt ſi per impoſſibile poſſit legatarius ordinem ſuſceptum relinquere, amitteret legatum: intentio autem teſtatoris fuit, vt legatarius maneat Deo conſecratus. His præhabitis, reſpondeo ad iura in contrarium allata, & aio tria illa capita in iure canonico eſſe conditionata, nam primum requirit permanentiam in Eccleſia, ſecundum vero ſtudiorum exercitia: tertium denique obſeruantiam, ideo non eſt mirum, ſi his deficientibus, priuilegium euaneſcat. ad primum ex iure ciuili idem dico: requirebat enim ad priuilegium ſubſtituendi, vt filius maneret in amentia. ad ſecundum ex *L. Vranius.* dico defeciſſe obligationem, quia incœperat eſſe iniqua, nam creditor ſuccedens vni ex debitoribus, nequit cogere fideiuſſorem, quoniam ipſa ſucceſſio eſt quædam veluti ſolutio, & non poteſt idem apud eumdem, & pro eodem eſſe fideiuſſor, vt ibi exponit Bartol. & alij ſcribentes. nōnulla autem iura, quæ obijci poſſunt, nihil contra nos probant. videri poſſunt ſolutiones apud *Caſtrop. tom. 1. trac. 3 diſp. 4. punc. 15.* Et hæc pro deciſione huius quæſtionis dicta ſint ſatis.

QVAESTIO OCTAVA.

Num legatum relictum pauperibus ad domum Teſtatoris confluentibus, applicari poſſit infirmis in Hoſpitali manentibus.

SVMMARIVM.

Aliqui partem affirmatiuam tuentur. 1
Negatiuam vero alij. 2
Præſupponuntur duo diſcutienda. 3
Quando nulla datur cauſſa rationabilis, neq. Pontifex, licitè ſaltem, poteſt commutationem hanc facere. 4
Obiectio ex Clementina. 5
Reſpondetur. 6
Alij Pontifice inferiores ſine facultate data ab ipſo Pontifice nequeunt abſolutè commutare legatum pium, nulla exiſtente cauſſa proportionata. 7
Quando executio eſt impoſſibilis de Iure, aut de facto, poteſt Epiſcopus commutationem facere. 8
Quando in executione legati eſt magna difficultas Epiſcopus poteſt illud commutare. 9
Idem dicendum quando voluntas teſtatoris ſolùm ex parte adimpleri poteſt. 10
Poſſe etiam fieri ab Epiſcopo commutatio, quando Eccleſia non indiget rebus præſcriptis à teſtatore, ſed indiget alijs. 11
Ex eo præciſa, quod opus, in quod commutari 12

Digitized by Google

tari intenditur ſit melius, nequit fieri commutatio.

13 *Proponitur inſtantia in contrarium, & diluitur.*

14 *Neq. ſatisfit voluntati teſtatoris, ſi commutatio fiat in æquiualens quomodocũq.*

15 *Deciditur directè quæſitum.*

HVius quæſtionis titulus nulla indiget declaratione, cum ſit ſatis manifeſtus; ideoque præmiſſis Authorum ſententijs, ad deciſionem erit deueniendum.

1 Prima opinio affirmat id fieri poſſe. ita *Ioan. Nouar. in praxi aurea priuil. miſerabilium, priuil. 71. n. 10.* hac ratione ductus, quia finis à teſtatore intentus æquè bene habetur, applicando legatum illud infirmis in hoſpitali manẽtibus, finis enim præfixus non eſt niſi indigentium leuamẽ, pauperes autem infirmi maiori premuntur indigentia, quàm illi, qui oſtiatim mendicant.

2 Secunda ſententia oppoſitum docet, nempè legatum relictum pauperibus ad domum teſtatoris confluentibus, applicari non poſſe infirmis in hoſpitali manentibus, ita *Genuenſis in practicabil. Eccleſ. tricen. 8. qu. 215. ver. In contrarium eſt*, & id probat ex eo quod voluntas teſtatoris honeſta, & rationabilis, quando impleri poteſt, non debet conuerti in aliud opus etiam pium, & confirmat hoc authoritate, & à ſimili: hæ ſunt opiniones, quas inuenire potui de hac re.

3 Pro cuius deciſione ſuppono duo eſſe diſcutienda: primò abſolutè, & ſimpliciter, an diſpoſitio teſtatoris in melius mutari poſſit, quamuis in propria forma nullum ſe offerat impedimentum, quominus adimpleatur: ſecundo, quod magis ad rẽ facit, num applicatio illa pro pauperibus infirmis in hoſpitali commorantibus comprehendatur ſub voluntate teſtatoris, modo explicato, legatum inſtituentis. His præhabitis.

4 Dicendum eſt primo. nulla exiſtente cauſſa rationabili, neque à Summo Pontifice, ſaltem licitè, poſſe vltimas voluntates commutari, quamuis nonnulli cenſeant etiam ſine cauſſa fieri id poſſe à Pontifice, vt refert *Moneta de commut. vlt. vol. cap. 5. n. 152.* abſolutè meam ſententiam docet *Sanchez lib. 4. conſ. cap. 2. dub. 1. n. 3. Delugo diſp. 24. de iuſt. ſec. 13. n. 312. ver. Primæ etiã ſententiæ, & alij quàplures:* ratio eſt, quia Pontifex non eſt abſolutè Dominus, ſed diſpenſator cauſſarum piarum, diſpenſator autem nequit ad ſui libitum diſpenſare: ſed in diſpenſatione fidelis eſſe debet.

5 Dices *in Clem. Quia contingit de Relig. dom.* Pontifex ſtatuens pias defunctorũ voluntates non poſſe ad alium vſum, præter eum, ad quem deſtinatæ fuerunt commutari, apponit limitationem dicens [*Salua quidem Sedis Apoſtolicæ authoritate*] quibus verbis videtur velle poſſe abſque cauſſa à Pontifice in alium vſum conuerti.

Reſpondetur, quamuis in Clem. illa cõmutatio legati in aliud opus pium diuerſum ab eo, ad quod à teſtatore fuit deſtinatum, reſeruetur Sedi Apoſtolicæ; nihilominus nõ excluditur cauſſa iuſta ad talem faciendam commutationem, & ſi quis interroget, vnde nam hoc colligatur? reſpondeo, quia cum ſit valde conforme iuri naturali ſeruare vltimas volũtates, ne fruſtratoriæ ſint, debent, quando fieri poteſt, adimpleri, aliter abſque vlla rationabili cauſſa mutando licitam, & honeſtam volũtatem teſtatoris, fieret illi iniuria; quia vnuſquiſque eſt bonorum ſuorum arbitrer, & moderator *ex L. 1. C. de ſacr. ſanct. Eccleſ.* rurſus vltima voluntas ſe habet, vt lex, vt dicitur *in Auth. col. 5. de nuptijs §. Primo, ver. Diſponat,* & quamuis ſi à Summo Pontifice mutaretur ob ſupremam poteſtatem, quam habet, validè id fieret, non tamen licitè: igitur quando in Clementina commutatio reſeruatur Sedi Apoſtolicæ, intelligi id debet modo licito, & ideo ſine cauſſa neque à Pontifice fieri poterit, vt rectè animaduertit *Couar. lib. 3. var. reſolu. cap. 6. n. 7. ver. Sic iuriſconſultus. Moneta de commutatione vlt. vol. cap. 3. n. 33. & cap. 5. n. 152. Sanchez lib. 4. conſil. cap. 2. dub. 1. n. 3. & 4. & plures apud ipſum.* & quamuis nonnulli, quos laudat, & ſequitur *Quintil. Mand. in praxi ſign. grat. verb. comm. vlt. volũt. verſ. (Plures concludunt)* dicant poſſe id fieri à Pontifice, etiam ſine cauſſa, attamen aliqui ex relatis non excludunt omnino cauſſam, vt aduertit Moneta: alij vero, quamuis abſolutè videantur loqui, nihilominus ſunt explicandi de validitate commutationis, nam licitè id non fit, nulla enim ratio ſuadere poteſt, inuertere diſpoſitionẽ factam à teſtatore de re propria ſine vlla cauſſa, eſſe licitum.

Dicendum eſt ſecũdo, præciſa facultate, & authoritate habita à Põtifice, neminem ipſo Pontifice inferiorem poſſe abſolutè, & ſimpliciter, niſi in quibuſdam caſibus inferius explicandis, vltimas teſtatorum voluntates commutare: ita fusè probat *Moneta cap. 5. incipiens à quæſito quinto, vſque ad vndecimum*, diſcurrẽdo per varia perſonarum genera; ab vndecimo vero capite probat hoc ipſum de Epiſcopo, in prima tamen cõcluſione excipit quoſdam caſus, de quibus agit in ſecũda cõcluſione. hanc etiam ſententiam ſequitur *Molina*

ſina de Iuſtitia diſp. 249. *n.* 5. *Sanchez in conſil. cap. cit. dub.* 2. *n.* 5.6. *& plures Canoniſtæ apud ipſum*; probatur primo *ex Clem. cit.* vbi commutatio ſedi tantum Apoſtolicæ reſeruatur, & id pariter colligitur *ex Iure antiquo, cap. tua de teſtamentis, & ex Iure nouo in Trident. ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 8. vbi iniungitur Epiſcopis, vt pias defunctorum voluntates executioni curẽt mandare, nequit igitur Epiſcopus illas cõmutare, quando honeſtè adimpleri poterunt, hanc ſententiam nonnulli videntur limitare, aſſerentes poſſe ab Epiſcopo ex iuſta cauſſa talem commutationem fieri. ita aliqui, quos *dub. cit. n.* 3. *adducit Sanchez*. Alij vero diſtingunt, & aiũt legatum commutari poſſe ab Epiſcopo antequam executioni mandatum ſit, ſecus poſtea, quia facilius impediuntur facienda nè fiant, quàm iam facta, ita aliqui Canoniſtæ apud eũdem *Sanchez n.* 4.

8 Dicendum eſt tertio, in quibuſdam caſibus poteſt legatum ab Epiſcopo cõmutari, & primo ſine dubio id fieri poterit, quando legatũ de iure, vel de facto adimpleri nequit, & tunc erit commutandum in aliud opus pium, quantum fieri poterit, ſimile operi, pro quo ipſum legatum à teſtatore inſtitutum fuit. Sic *Sanchez cap. cit. dub.* 6. *n.* 2. *Delugo, vt ſupra n.* 307. *& alij*; & hoc expreſsè colligitur *ex Trident. ſeſſ.* 25. *de refor. cap.* 8. vbi ſtatuitur quod ſi non inueniantur perſonæ, quarum beneficio hoſpitalia inſtituta fuerunt, debent fructus hoſpitalium in alium vſum pium vtiliorem, & inſtitutioni ipſorum proximiorem conuerti, quod idem importat, ac conuerti in opus ſimile, &c. Secũdo, idem puto eſſe dicendum, quando executio legati non eſt ſimpliciter impoſſibilis; neque de iure, neque de facto, ſed notabiliter difficilis, hoc ſuſtineri debet à fortiori ab ijs, qui putant ex quacumque cauſſa rationabili poſſe ab Epiſcopo commutationem hanc fieri: ſi enim honeſtas cauſſæ eſt ſufficiens ad hanc commutationem, procul dubio erit ſufficiens nimia difficultas in executione: nam difficultas iſta maximè reddit cauſſam commutationis rationabilem: igitur à fortiori, qui ad hunc effectum contenti ſunt de cauſſa rationabili vt ſic, coguntur id aſſerere de cauſſa, quæ in notabili difficultate fundatur: hos Authores vide apud *Sanchez dub.* 2. *cit. n.* 3.

9 Commutationem hanc fieri poſſe ab Epiſcopo quando adeſt difficultas, probatur in hunc modum: illud quod eſt valdè difficile æquiparatùr impoſſibili in iure, vt inquit *Felinus cap. Eccleſ. Sanct. Mar. n.* 86. *poſt ſecundum notabile de conſtitut. Farina in fragm. crim. p. p. n.* 144. *Barboſa de Axiom Iuris* 818. *n.* 8. *& alij*: Ergo ſi executio prudentum arbitrio cenſebitur notabiliter difficilis, æquiparabitur impoſſibili: atque adeo de vtroque ferendũ erit idem iudicium: proinde cum Epiſcopus conuertere poſſit legatum pium in alium vſum pium, quando executio eſt impoſſibilis, poterit etiam id facere quando executio erit notabiliter difficilis, quãuis ſimpliciter non ſit impoſſibilis.

Tertio, poteſt ab Epiſcopo fieri commutatio, quando voluntas teſtatoris ſolùm ex parte, & ſecundum aliquam circumſtantiam non ſeruaretur. ponit exemplũ *Sanchez dub.* 7. ſi legatum fuerit relictum pro anniuerſario faciendo, & immineret neceſſitas reparandi Eccleſiam, cui ſubueniri alia via non poterit, in tali caſu poterit Epiſcopus applicare legatum illud pro Eccleſiæ reparatione. *Sic Sanchez ibi, & alij*, quos ipſe citat: requiritur tamen conſenſus hæredis: Imò vt ait Felinus, ſi cauſſa ſit omnino neceſſaria, poterit Epiſcopus id facere etiam inuito patrono. Ratio autem horum Doctorum deſumitur ex præſumpta voluntate Teſtatoris: valdè enim veriſimile videtur, quod ſi teſtator interrogatus fuiſſet de hac re, ita, ſicut dictum eſt, diſpoſuiſſet. 10

Quarto, ſi teſtator pecuniam reliquit pro aliqua capella conſtruenda, vel pro monaſterio faciendo, & tamen in Eccleſia plures inueniuntur capellæ, & in ciuitate plures ſunt eccleſiæ, quæ reparatione indigent; tunc vult *Sanchez ex multorum ſententia n.* 4. *illius dubij*, poſſe ab Epiſcopo pecuniã applicari pro Eccleſiæ reparatione, ſed hoc non ita facile concederem, quia cum teſtator pecuniam reliquerit, vt conſtruatur capella, apponendo inſignia familiæ ipſius teſtatoris, & pro ſui memoria retinenda; non videtur poſſe præſumi oppoſitum, nempè eſſe iuxta teſtatoris mentem, & voluntatẽ, mutare opus relictum in aliud, nam finis intentus ab ipſo teſtatore nõ obtineretur, aut notabiliter variaretur: quia finis conſtruẽdi capellam modo explicato, licet præſumatur primario fuiſſe in obſequium Dei, aut alicuius ſancti, & beneficium ſpirituale animæ ipſius teſtatoris; nihilominus notabiliter diminueretur intentio teſtatoris, ſi capella non conſtrueretur, quia paucis tranſactis annis eius memoria deperderetur, & non ſeruaretur, ſicuti ſeruaretur conſtructa capella cum nomine, & inſignibus familiæ, & hoc redundaret in detrimentum ſpirituale ipſius teſtatoris, nam eius memoria deperdita, non funderentur preces pro eius anima, ſicuti funderentur exiſtente capella cum inſignibus, &c. proinde in hoc caſu non ita facile erit concedendum poſſe ab Epiſcopo mutari volun- 11

ratem teſtatoris: ſed omnia diligenter ſunt attendenda, examinando neceſſitatem eccleſiarum, beneficium ſpirituale teſtatoris, &c. & ſic in caſibus ſimilibus erit dicendum.

12 Dicẽdum eſt quarto, ex eo præciſè quod vſus, in quem fit commutatio ſit melior eo, in quem teſtator legatum inſtituit, non poterit Epiſcopus vſum præſcriptum commutare, etiam cum hæredis conſenſu. concluſio eſt contra nonnullos, quos citat *Sãchez dub. 3. n. 1.* qui aſſerunt id fieri poſſe, quibus adhæret *Ceſpedes tract. de exempt. Regul. cap. 1. dub. 18.* putat enim hanc sẽtentiam eſſe probabilem ſicut oppoſitam, & vtramque cuilibet licitum eſſe ſequi, ſed concluſionem defendunt alij, videlicet *Cardin. in Clem. Quia contingit, ſuperius cit. quæſtione 4. & 5. Panorm. in cap. tua. n. 4. de teſtam. Molina diſp. 249. initio, & n. 5. Sanchez dub. cit. n. 2. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 83. n. 3. Moneta de comm vlt. vol. cap. 5. conſil. 6. n. 54.* ratio autem fundamentalis eſt, quia volũtas teſtatoris eſt habenda tanquam lex, proindè quando adimpleri poterit, & eius variatio non præſumitur conformis menti teſtatoris, debet omnino in ſpecifica forma adimpleri.

13 Dices: mutatio in melius cedit in beneficium animæ teſtatoris, ergo fieri poteſt. Reſpondeo, argumentum ſi haberet vim probaret fieri etiam poſſe ab hęrede inconſulto Epiſcopo, quia ratio illa motiua de maiori vtilitate animæ teſtatoris militaret reſpectu hæredis, quod tamen nemo dicit, directe tamen reſpondeo quamuis in maiorem vtilitatem ſpiritualem animæ cederet commutatio, quia tamen maiorem illam vtilitatem noluit teſtator, idcirco non poteſt fieri contra eius voluntatem expreſſam in diſpoſitione relicta.

Dices iterum, ſatis videtur ſatisfieri vo-
14 luntati teſtatoris per vſum æquipollẽtem, nam hoc conceditur in forma mandati *per leg. fin. ff. mandati* cæterum regulam de æquipollentibus quando conditio, quæ in legato appoſita fuit adimpleri debet in forma ſpecifica, non admittit *Gomez de legat. n. 77.* & id probat *ex leg. qui hæredi ff. de condit. & demonſt. ex Gloſ. & alijs Authoribus*. ſed reſpondet Sanchez regulam de æquipollentibus valere, quando res sũt omnino æquipollentes, ſecus quando non ſunt tales, & ſic v.g. ſi teſtator inſtituit legatum vt fundetur hoſpitale, non poterit loco hoſpitalis fundari monaſterium religioſorum, quamuis ſit melius, quia nõ ſunt æquipollentia, ſed diuerſæ qualitatis, & naturæ.

15 Ex his autem, quæ vniuerſaliter dicta ſunt, patet deciſio ad illud, quod primo expendendum propoſui, proinde deuenio ad alterum ſecundo loco propoſitum, & quod in titulo quæſtionis habetur, nempè commutationem illam fieri non poſſe, ſed legatum diſtribuendum eſſe pauperibus confluentibus ad domum teſtatoris: & ſi quis vrgeat probando vſum, in quem legatum commutatur, eſſe omnino æquipollentem, & hoc ob rationem, quam attulimus pro confirmanda priori ſententia; negandum eſt eſſe æquipollentem, & hoc quia præſumendum eſt diſpoſitionem illam factam fuiſſe à teſtatore cum illa reſtrictione, nẽpè in ordine ad pauperes concurrentes ad domum propriã, ſic enim memoria ipſius teſtatoris melius conſeruaretur, & etiam quia ipſi Pauperes deuenientes in cognitionem talis legati, excitarẽtur ad orãdum pro anima ipſius teſtatoris, talis enim memoria non haberetur, ſi legatum applicaretur pauperibus infirmis in hoſpitali cõmorantibus, quia legatum facilè confunderetur cum alijs redditibus hoſpitalis, & ſic non retineretur memoria illa particularis de teſtatore, & ex his patet ſolutio ad rationem contrariæ ſententiæ, & pariter manifeſtè colligitur quo pacto applicatio facienda pauperibus hoſpitalis non cõprehendatur ſub diſpoſitione teſtatoris, quod erat ſecundum à nobis diſcutiendum.

QVAESTIO NONA.

Legatum perpetuum oneri miſſarum ſubiectum tranſeat ne in beneficium Eccleſiaſticum, ſi legatarij authoritate Epiſcopi in eo inſtituantur?

SVMMARIVM.

Declaratur caſus. 1
Legatum pro miſſis celebrandis vt ſic, non eſt beneficium eccleſiaſticum. 2
Res incorporea non apprehenduntur per poſſeſſionem, ſed per quaſi poſſeſſionem. 3
Per vnicum actum acquiri poterit quaſi poſſeſſio. 4
In rebus incorporalibus actus immediatè verſans circa ſubſtantiam rei, æquiualet actui corporali, per quem capitur poſſeſſio. 5
Res, de qua agimus, eſt capax præſcriptionis. 6
Ad hanc præſcriptionem aliqui putant ſufficere decennium. 7
Alij poſtulant tempus quadragenarium. 8
Et hæc ſententia recipitur ab Authore. 9
Inſtantia in contrarium proponitur, & ſoluitur. 10
Præſcriptio quadragenaria non requirit titulum. 11
Ad interrumpendam præſcriptionem completam, idem lapſus temporis requiritur 12
qui

qui poſtulatur ad illam acquirendam.

13 *Reſignatio legati in manibus Pontificis nõ interrumpit præſcriptionem hanc.*

14 *Legatum in inſtitutione facta ab Epiſcopo tranſit in beneficium.*

15 *Controuerſia apud Doctores eſt de tempore, quod exigitur, vt vi inſtitutionis legatum tranſeat in beneficium, quando cõſtat in fundatione non fuiſſe erectum in beneficium.*

16 *Probatur concluſio paritate quadam.*

17 *Obiectio contraria.*

18 *Duplex datur ſolutio.*

19 *Contra ignorantem currit præſcriptio ſecundum aliquos.*

20 *Epiſcopus declarans legatum illud non eſſe beneficium, an ſatis ſit, vt ipſum legatum amittat ſtatum beneficij.*

1 Vt præſens quæſitum declaretur, pone quod Titius v. g. per ſuum teſtamentum reliquerit legatum, cui addiderit onus celebrãdi ſingulis diebus miſſam in ſubſidium ſpiritualem animæ ſuæ: & in eodem legato nominauerit Sacerdotem aliquem, eique dederit etiã facultatem, vt alium eligeret tanquam ſucceſſorem poſt ſui mortem, & iſte eodẽ modo alium, & ſic ſucceſſiuè in perpetuũ. Poſtea verò Epiſcopus, aſſentientibus, aut petentibus ipſiſmet legatarijs, nonnullos ex illis inſtituat in eodem legato. Hic eſt caſus, quem examinandum propono: & quia multa includit, quæ ſpectare poſſunt ad deciſionem quæſiti principalis, ideò omnia diſtinctè expendam, & primò, num legatum prædictum ipſa ſui fundatione fuerit beneficium eccleſiaſticum. Secundò, num Epiſcopus vi inſtitutionis conſtitutus fuerit in poſſeſſione inſtituendi. Tertiò, quantum temporis ſpatium requiratur ad hoc, vt Epiſcopus præſcribat ius inſtituendi. Quartò, num interrumpatur præſcriptio, ſi aliquis ex legatarijs nominatis poſſeſſionem legati abſque Epiſcopi inſtitutione capiat. Quintò, verum legatũ ſi in fundatione non fuerit beneficium, vi inſtitutionum epiſcopalium ſortitum fuerit rationem beneficij. hæc omnia per diuerſos paragraphos ſtringam.

§. I.

An legatum, cui miſſarum onus eſt annexum, ſit eccleſiaſticum beneficium?

2 Dicendum eſt, ſi inſtitutor legati abſque vlla Epiſcopi, aut alterius Prælati authoritate illud fundauerit, legatum non erit beneficium eccleſiaſticum, ſed merum, & ſimplex legatum pium, quod anniuerſarium etiam appellari cõſueuit, imò aliqui ex Authoribus citandis tale legatũ vocant temporale, & profanum, inquantum non habet rationem beneficij eccleſiaſtici, & caret ſpiritualitate illa, quæ haberetur, ſi Epiſcopi authoritas interueniſſet; requiri autem epiſcopi interuentum, ad beneficium erigendum, communiter teſtantur Doctores, *Belinus cap. ex parte 2. num. 2. de reſcrip. Gregorius in ſyntamag. iuris par. 2. cap. 29. num. 5. & ſeq. Garcia de benef. par. 1. c. 2. num. 104. Leſſius lib. 2. de iuſtitia c. 34. num. 4. Gonzales ad reg. 8. cancell. gloſ. 5. numer. 20. Nouar. lib. 3. conſil. 5. num. 1. & conſil. 7. num. 1. de præbend. Barboſa de iure eccleſ. l. 2. cap. 4. num. 15. & 31. & quamplures apud ipſum*: & merito id aſſerunt, quia niſi Prælati authoritas interueniat, nequeunt fructus ſpiritualitatem ſortiri ex annexione cũ officijs eccleſiaſticis, vt rectè notat *Leſſius l. c.* & de hac concluſione nemo dubitat.

§. II.

Num Epiſcopus vi inſtitutionis conſtitutus fuerit in quaſi poſſeſſione inſtituendi?

Svpponimus quod detentio, ſeu apprehenſio illa, quæ reſpectu corporalium rerum à Doctoribus appellari conſueuit ſimpliciter poſſeſſio, reſpectu incorporaliũ, vt ſunt iura, & actiones, nuncupari ſolet quaſi poſſeſſio, licet interdum etiam poſſeſſio vocetur. ſic *Molina* illam explicat *tom. 1. de iuſt. diſp. 22. num. 4.* & ideo indiſcriminatim vtramque ſumemus in diſcurſu huius quæſiti. Hoc præmiſſo, dicendum eſt Ordinarium debuiſſe conſtitutum in quaſi poſſeſſione inſtituendi legatarios in legato prædicto. Probatur concluſio ex doctrina communiter recepta: aiunt enim Doctores non ſolum per plures, verum etiam per vnicum actum acquiri quaſi poſſeſſionem, & loquentes de beneficijs, aiũt per vnicam collationem, aut præſentationem, ſeu electionem ad beneficiũ acquiri quaſi poſſeſſionem conferendi, præſentandi, eligendi, &c. ad idem beneficium: ſic *Abbas cap. fin. de conſuet. num. 17. cap. Cum eccleſia num. 24. de cauſ. poſſeſſ. Couar. in pract. quæſt. cap. 14. num. 2. ver. Tertium. Lambertinus de iure patr. lib. 2. quæſt. 7. art. 11. Rochus de Curte eod. tr. verbi Competens num. 29. 30. 34. Pariſius de reſign. benef. par. 3. cap. 5. num. 37. Viuianus in praxi de iure patr. par. 2. lib. 5. cap. 4. num. 2. Menochius conſil. 90. num. 113. vol. 2. Barboſa in cap. Conſultationes num. 6. de iure patr. & cap. Cum de beneficio num. 16. in 6. Alphonſus de Leone de*

offic. capellani quæſt. 4. praxi 4. num. 20. 30. & ſeq. Macer. var. reſol. lib. 1. reſolu. 55. num. 10. & alij. communiter apud ipſos, qui etiam adducunt plures deciſiones Rotæ: quæ autem ipſi exemplificantes dicunt de collatione, & alijs actibus, locum habent in inſtitutione, tum quia continetur ſub collatione, vt recte notant Doctores. *Abbas cap. ex frequentibus. num. 7. de inſtitut. Rebuff. in praxi beneſ. tit. de collatione*, num. 1. *Garcia de beneſ. par. 4. cap. 1. num.* 4. & ſolum differunt, vt aduertit *Rebuffus ibidem num. 1. & 2.* inquantum ea, quæ fit neceſſario, nimirum reſpectu perſonæ à patrono præſentatæ, dicitur inſtitutio; quando autem fit voluntarie, appellatur nomine communi, nempe collatio; tum etiam quia eadem prorſus eſt ratio de vtraque ſine vllo diſcrimine.

5 Solet concluſio varijs iuribus probari, & præſertim *ex cap. Conſultationes de iure patr. & cap. Cum de beneficio de præbend. in 6.* ratio eſſe poteſt, quia in rebus incorporalibus actus immediate verſans circa ſubſtantiam ipſius rei, æquiualens eſt actui corporali, per quem capitur poſſeſſio rei corporeæ, vt eſt poſitio pedis, tactus alicuius inſtrumenti, &c. in caſu autem noſtro ſunt ipſi actus conferendi, inſtituendi, &c. multiplicati non ſolum bis, verum pluries longiſſimi temporis ſpatio, atque adeo dubitari non poteſt Ordinarium loci fuiſſe in poſſeſſione inſtituendi.

§. III.

Quantum temporis ad ius inſtituendi præſcribendum requiratur.

6 ALiud, quod ſecundo loco examinandum propoſui, eſt temporis lapſus requiſitus ad præſcriptionem iuris inſtituendi in legato illo. ſupponit autem præſens quæſitum Ius inſtituendi, de quo agimus eſſe materiam præſcriptionis, quod à fortiori oſtenditur; nam iuſpatronatus, ius eligendi ad beneficium, vel illud conferendi, poſſunt præſcribi, vt communiter aſſerunt Doctores *Couar. reg. poſſ. par. 3. §. 10. num. 1. & ſeq. Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 7. num. 1. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 6. dub. 13. Lambert. de iur. patr. lib. 3. par. 2. quæſt. 11. art. 5. per totum; Rocchus de Curte eod. tract. cap. Ipſe; vel ſi, à quo, n. 81. 82. 83. & 86.* vbi citat *Baldum L. 2. C. de ſeru. & aqua*, docentem omnia iura ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa præſcribi poſſe, quod intelligendum eſt, poſita habilitate ex parte præſcribentis, nam laici incapaces ſunt talium iurium, atque adeo ab ipſis ſpiritualia nequeunt præſcribi, vt colligitur *ex cap. Cauſam, de præſcrip.* His præſuppoſitis, quærimus tempus, quod præterire debeat ad hoc, vt epiſcopus præſcribat ius inſtituendi in legato aliquo pio.

7 Aliqui putant ſufficiens eſſe tempus ordinarium, nempe decennium inter præſentes, & vicennium inter abſentes: & ita ſentit *Perez de Lara de anniu. & capell. li. 2. cap. 1. num.* 50. idemque aſſerit de iure patronatus *ſub num. illo 86.* & plures laudat canoniſtas. Probat autem Perez ſententiam hanc ex eo quod ſpatium quadraginta annorum ſolùm requiritur, quando præſcribuntur res contra eccleſiam, non autem contra laicos, vt euenit in caſu iſto, in quo legatum eſt quid profanum. appellatur autem profanum, non quia pium nõ ſit, ſed quatenus eſt quid temporale, non inſtitutum authoritate Prælati eccleſiaſtici, à quo habet ſpiritualitatem.

8 Alij vero poſtulant quadragenarium tempus. ita *Azor par. 1. inſtit. moral. lib. 10. cap. 3. quæſt. 5. in fine*, loquens de præſcriptione, qua capellania ex ſua inſtitutione profana, & non ſacra, tranſeat in collatiuam, ſeu in beneficium eccleſiaſticum. idẽ tempus requirit in legato pio *Alphonſus de Leone de officio capell. quæſt. 3. ſec. 8. num. 39. 40. & quæſt. 5. ſec. 11. num. 184. ver. Ex hac doctrina, & deinceps. Garcia de benef. par. 1. cap. 2. num. 116. & alij apud ipſum*, qui volunt legata pia æquiualere rebus eccleſiaſticis.

9 Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quæ eſt iuri conformior, & expreſſè habetur in iure ciuili *in Auth. §. Pro temporalibus de eccleſ. tit.* & hoc ob rationem aſſignatam, nempe ex eo quod ſit pia cauſa.

10 Sed inſtabis hoc pacto: Vi inſtitutionum, quæ ſiunt à Prælato eccleſiaſtico, legatum non tranſit ex vno in alium ſtatum, nempe ex pio non fit non pium; quia tunc eſſet neceſſarium tempus quadragenarium, vt legatum amitteret eſſe pium; ſed tranſit in ſtatum meliorem, quatenus interpoſita Prælati authoritate ſpecialem acquirit ſpiritualitatem; ergo ad præſcriptionem hanc inducendam, videtur ſatis tempus ordinarium. Reſpondeo, negando conſequentiam, quia quando agitur de cauſa pia, idẽ tempus ad preſcriptionem poſtulatur, quod eſt neceſſarium ad præſcribendas res eccleſiaſticas. nã eccleſia, & cauſa pia æquiparantur in hoc, vt rectè docet *Tiraquellus de priuilegijs piæ cauſæ priuil. 140. 141.* & ſicuti quando aliqua Eccleſia contra aliam præſcribit, illa res, circa quam verſatur præſcriptio, non mutat formaliter ſtatum, cum ſemper remaneat eccleſiaſtica, nihilominus cum ipſa met res ſit eccleſiaſtica, iura, & communiter Doctores ad eius præſcriptionem requirunt tempus qua-

quadragenarium ſita, & in caſu noſtro licet legatum non mutet ſtatum, cum remaneat pium, imò vt probat argumentũ, acquirat ſpecialem ſpiritualitatem; nihilominus cum ſit cauſa pia, quadragenarium ad ſui præſcriptionem tempus requirit.

11 Queres vtrum in hac præſcriptione titulus poſtuletur?

Reſpondeo, titulum nõ eſſe neceſſarium in præſcriptione longiſſimi temporis, qualis eſt quadragenaria, vt aſſerit *Baldus de præſcript. par. 3. quæſit. 6. Leſſius cap. cit. dub. 8. num. 23. Molina tract. cit. diſp. 72. num. 6.* & hoc quando ius commune non reſiſtit, vel præſumptio iuris non eſt contra ipſum præſcribentem, vt docet *Couar. lib. 1. var. reſol. cap. 17. num. 7.* & Authores adducti; in caſu autem, de quo loquimur, ſupponimus ius commune minime reſiſtere, neque contra Prælatum præſcribentem eſſe præſumptionem iuris, ideo titulus non exigitur quadragenario tempore elapſo, adhibitis reliquis conditionibus ad præſcriptionem poſtulatis.

12 Queres ſecundo, vtrum interrumpatur præſcriptio, ſi mortuo vno legatario, alius ſuccedens abſque inſtitutione poſſeſſionem legati capiat?

Reſpondeo, quamuis legatarius iſto modo prędicto legatum acquirat, & exerceat actum præſcriptioni contrarium, & ſufficientem ad interrumpendam præſcriptionem inchoatam, non erit tamen ſufficiens ad extinguendam completam; quia, vt ſatis erudite animaduertit *Ancharanus cap. fin. num. 1. de præſcrip. & Francus ibidem num. 2.* ad perfectam, & completam præſcriptionem delendam idem temporis lapſus requiritur, qui ad eandem perficiendam eſt neceſſarius; proinde in caſu, de quo agimus, cum fuerit neceſſarium quadragenarium tempus, ad hoc vt Epiſcopus præſcribat ius inſtituendi, tali iure perfectè acquiſito, ad illud deperdendum, requiritur aliud quadragenarium tempus.

13 Queres tertio, an præſcriptio iſta interrumpatur, ſi aliquis legatarius reſignet legatum, iam mutatum in beneficium, in manibus Pontificis.

Reſpondeo, licet videatur interrumpi conſuetudo inſtituendi reſpectu Epiſcopi, ſi labatur tempus iam ſtatutum ad extinguendam præſcriptionem; nihilominus præſcriptio in ordine ad Prælatum eccleſiaſticum, vt ſic, non eſt interrupta, nam Pontifex eſt ſummus omnium Prælatorum, & ideo legatum non mutat ſtatum beneficij, ſed magis in illo firmatur. dixi, ſi labatur tempus: nam ante talem temporis lapſum mortuo legatario, cui Pontifex beneficium contulit, poterit Epiſcopus alium inſtituere legatarium; quia beneficium licet ex eo quod Pontifex manus in illo impoſuerit, fuerit affectum; nihilominus cum prouiſio pontificia pro illa vice ſortita fuerit effectum; poſtea tamen liberum relinquit beneficium in priori ſtatu, & ius, quod Epiſcopus acquiſierat.

§. IV.

An vi inſtitutionum, quæ ab Ordinario fiunt, legatum tranſeat in beneficium eccleſiaſticum?

Quod quinto loco propoſuimus, tamquam primario intentum, in hoc paragrapho examinabimus. Dico igitur, legatum vi prædictarum inſtitutionũ tranſire in beneficium eccleſiaſticum: 14 ſic docent de legatis, in quo legatarij inſtituuntur ab Epiſcopo, *Azor par. 1. inſtitut. mor. lib. 10. cap. 3. quæſit. 9.* cuius verba infra referam. *Perez de Lara de anniuerſ. lib. 2. cap. 1. num. 50. 51. Garcia de beneficijs part. 1. cap. 2. num. 115. 116. Viuianus in praxi de iure patr. par. 1. lib. 1. cap. 3. num. 134. Alphonſus de Leone de officio capellani quæſt. 13. num. 39. 40. & quæſt. 5. ſect. 11. num. 186. 187.*

Hi omnes conueniunt in hoc, quod vi inſtitutionum tranſeat in beneficium; ſed 15 diſcrepant in aſſignando tempore, quod præterire debet ad hoc, vt ſufficiẽter præſcribatur, quod eſt neceſſarium, quando conſtat in fundatione legatum non fuiſſe erectum in beneficium: Azor, & Garcia, & Alphonſus de Leone quadragenarium tempus requirunt; at Perez cenſet ſatis eſſe tempus ordinarium, nempe decennium, quando præſcriptio fit contra laicos: Viuianus autem requirit tempus immemorabile.

Verba autem Azorij hęc ſunt [*Præterea ſi certo annorum, ſiue decem, quadraginta annorum ſpatio quater, terue, aut minimum bis capellaniam Epiſcopus contulerit, vel in ea inſtituerit clericum nominatum, & ab latum à laico, haberi debet pro eccleſiaſtico beneficio, quoniam conſuetudine poteſt Eccleſia contra laicum præſcribere. Vnde etiam ſi cappellania in prima ſua inſtitutione, & origine beneficium nõ fuerit, progreſſu tamẽ tẽporis in beneficium eccleſiaſticum trãſire poteſt*] Hæc Azor, qui nil clarius ad rem noſtram ſcribere poterat. eiſdem fere verbis loquuntur alij. Ratio autem huius, quamuis eam prędicti Authores non aſſignent, eſſe poteſt, quia Epiſcopus conferens, aut inſtituens, cenſetur ſua authoritate interpoſita, approbare fundationem illam, atque adeo, ſicuti initio, ſi eius authoritas interfuiſſet, conſenſu fundatori concurrente, nil defuiſſet,

ſuiſſet, vt legatum illud ratione beneficij ſortiretur; ita etiam, ſi poſtea eadem authoritas interponatur, eumdem cauſabit effectum, ſufficit enim, vt poſt factum interueniat; vt aſſerit *Garcia de benef. par. 12. cap. 2. num. 109. & alij apud ipſum*: & quamuis voluntas fundatoris non adſit, loco tamen illius habetur præſcriptio temporis, quę non ſolũ eſt efficax, quando inſtitutor legati negatiue ſe habuit in ordine ad approbationem Ordinarij, verum etiam ſi poſitiue contrarium diſpoſuiſſet, ſcilicet vt Ordinarius nequeat ſe intromittere, vt docet *Perez de Lara cap. 1. cit. num.* 51. alios laudans, quia conditiones in fundatione appoſitę tolli poſſunt vi pręſcriptionis.

16 Secundo probatur concluſio à pari, nam beneficium regulare ſi per ſpatium quadragenarium poſſideatur à laicis, tranſit in ſeculare, & è conuerſo, vt docet *Pace Iordanus in ſuis lucubrationionibus lib. 1. tit. 1. num. 375. Francus cap. Cum de beneficio in fine de preb. in 6 Barboſa ibi num. 1. 2. 5. 6 Nauar. conſil. 3. num. 1. de preb. Gonzales ad reg. 8 cancell. per totam, & alij*; ergo ſi idem fuerit temporis lapſus, legatum quod prius non fuit beneficium, poſitis prędictis conditionibus, ſtatum mutans tranſit de profano in eccleſiaſticum, eadem enim eſt vtrobique ratio.

17 Dices primo, vt legatum tranſeat in beneficium, eſt neceſſarius lapſus temporis immemorabilis, vt docuit Viuianus ſupra citatus: at quadragenarium tempus non eſt immemorabile: ergo non eſt ſatis ad mutandum legatum pium, quod non erat beneficium, in beneficium eccleſiaſticum.

18 Reſpondeo, opinionem illam Viuiani ab alijs Authoribus, vt vidimus, non fuiſſe receptam, quia minus tempus requirunt, & ad ſummum quadragenarium.

Reſpondeo ſecundo, Viuianum locutum fuiſſe quando fundator noluit expreſſe id eſſe beneficium; in eo enim caſu viſum illi fuit, eſſe neceſſarium ſpatium temporis immemorabilis, quia tunc pręſcriptio directè fuiſſet contra mentem ipſius fundatoris, atque adeo congruum videtur longiori tempore complenda eſſe pręſcriptio.

Dices ſecundo, quid determinandum eſſet, ſi ex ignorantia inſtitutiones proceſſiſſent.

19 Reſpondeo, etiam contra ignorantes currere pręſcriptionem quadragenariam, docent quamplures, vt *Baldus de preſcr. quæſ. 2. num. 8. & quæſt. 28. num. 3. 4. Panor. cap. Vigilanti num. 31 de preſcrip. Couar. reg. poſſeſ. par. 3. §. 10. num. 9. & §. 3. per totum; Molina tract. 2. diſp. 80. num. 5. & alij*. item habetur *in L. fin. C. de preſcrip. long. temp.* quamuis controuerſum ſit, vtrum detur reſtitutio in integrum ei, contra quem proceſſit pręſcriptio, & hinc, inde varię ſint Authorum ſententię, quas examinat *Couar. §. 3. cit.* & qui illam admittunt, requirunt ignorantiam inuincibilem eſſe debuiſſe.

§. V.

Num legatum prædictum amittat ſtatum beneficij eccleſiaſtici, ſi Epiſcopus declaret beneficium non eſſe.

Contra ea, quę diximus de qualitate, & ſtatu huius legati, determinantes per legitimam pręſcriptionem vi inſtitutionum tranſire in beneficium eccleſiaſticum, ſe offert in contrarium difficultas in caſu quodam mihi relato, nam Epiſcopus, qui ius inſtituendi acquiſierat, poſtquam vi inſtitutionum, vt diximus, legatum tranſlatum fuit in beneficium eccleſiaſticum, declarauit per publicum inſtrumentũ, non eſſe beneficiũ, ſed pium legatum: quid igitur dicendum ſtante tali declaratione, amittit ne legatum ſtatum illum beneficij eccleſiaſtici? Hac declaratione Epiſcopi poſita, videtur omnino corruere pręſcriptio illa, quia cum pręſcriptio fuerit in fauorem ipſius Epiſcopi, & ab eodem proceſſerint inſtitutiones in legato, videtur vi huius declarationis cedere iuri ſuo, & per conſequens legatum redire ad ſtatum illum primęuum, quem initio ſuę fundationis habuit. 20

Reſpondeo, inſtantia propoſita in hoc peculiari caſu mihi videtur non leuem continere difficultatem, ita vt me ancipitem reddat ad eam diluendam, & ideo vellem ab alio, qui in hac materia eſt verſatus, eam plenè edoceri: nihilominus interim dicam quid ſentiam, quamuis non definitiue id aſſerere intendam: aio igitur 21 declarationem illam, poſtquam pręſcriptio fuit perfectè completa, non videri ſufficientem, quia ſi concedamus legatum iam tranſijſſe in beneficium, declarare illud tale non eſſe, non tollit in illo rationem beneficij, quam ſortitum eſt: neque declaratio iſta eſſet ipſi rei conformis; debuiſſet autem Epiſcopus potius renunciare illud ius inſtituendi, quod acquiſiuit, atque etiam declarare ſuę intentionis eſſe, vt legatum remaneat in eo ſtatu, quem habuit initio fundationis; & tunc, ſi hoc pacto Epiſcopus diſpoſuiſſet, poſſet quis dubitare an validè id feciſſet, poſito quod Eccleſia ius perfectè acquiſiuerit, cuius ipſe non erat abſolutus dominus, ſed merus admi-

adminiſtrator. Hæc autem relinquo ab alijs prudentibus, & in hac materia verſatis determinanda, quorum doctrinę libenter me ſubijcio.

QVAESTIO DECIMA.

Titius Sacerdos ignorans onus ratione legati ſibi impoſitum, de applicandis miſſis pro anima teſtatoris; eas diuerſa intentione peregit, poſtea in notitiam prædicti oneris deueniens, quæſiuit, num ſacra omiſſa ſupplere teneretur.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur caſus.*
2 *Deciſio difficultatem continet.*
3 *Afferuntur rationes legatarium eximentes de præterito.*
4 *Controuerſia priùs in vniuerſali proponitur diſcutienda.*
5 *Sententia obligans recipitur ab Authore, & probatur.*
6 *Idem aſſeritur in caſu præſenti indiuiduali.*
7 *Probatur ſpeciali ratione.*
8 *Soluitur argumentum pro ſententia contraria adductum.*
9 *Alius caſus præcedenti expenditur.*

1 DE caſu poſito interrogatus fui paucis ab hinc diebus ab ipſo met Titio ſacerdote, cui præteritis annis legatum ab hærede teſtatoris fuit aſſignatũ. huius autẽ legati fructus erant octo circiter aurei annui, ſeu ſcuta, quibus annexum erat onus celebrandi, & applicandi ſacrum vnum in vnaquaque hebdomada pro anima fundatoris; tale autem onus ignorabatur ab ipſo legatario, qui in ſua pacifica poſſeſſione manens, exigebat fructus, eoſq; in ſui commodum conſumebat. rebus igitur ſic ſtantibus occaſione quadam innotuit ipſi onus de applicatione miſſæ in ſubſidium animæ fundatoris; proinde poſtulauit, num ſatisfaceret ſuæ obligationi, ſi à die ſcientiæ applicaret ſacrum iuxta mentem inſtitutoris; an vero aſtringeretur ad ſupplendas miſſas, quas de præterito ob inuincibilem ignorantiam non applicauit.

2 Deciſio huius caſus non ita facile occurrit, & præſertim quia apud Authores illũ exagitatũ minimè iuenire potui, niſi obiter apud Alphõſũ de Leone vt infra videbitur.
3 Ex vna parte videtur dicẽdũ, Titiũ, cum ex fructibus perceptis; & iam bona fide conſumptis ditior factus non fuerit, non eſſe obligandum, niſi à die notitiæ. probatur, quia ex nullo capite videtur aſtringendus ad miſſas præteritas ſupplendas; non ratione rei acceptæ, neque ratione iniuſtæ acceptionis: non primum, quia licet fructus perceperit; nihilominus bona fide illos conſumpſit, & locupletior non euaſit, vt nunc ex eius relatione ſuppono: neque ſecundum dici poterit, quia iniuſta acceptio nõ reperitur abſque culpa, quæ tamen non fuit cum Titius inuincibiliter ignorauerit onus annexum, igitur ex nullo capite videtur obligandus ad ſacra prædicta explenda, atque adeo ſatis erit, ſi in poſterum ſingulis hebdomadis ſacrum pro anima fundatoris applicet.

Cæterum antequam directè ad caſum hunc particularem reſpondeamus, & quid ſit ſentiendum determinemus, placet priùs abſtrahendo à caſu iſto, decidere quid ſit vniuerſaliter ſtatuendum in caſu ſimili. 4

Dico igitur primo. Legatarius omittẽs
applicare ſacra, ad quæ ratione legati 5
obligabatur, quamuis ob ignorantiam, fuerit à culpa excuſatus; nihilominus, ſi fructus legati ſint correſpondentes oneri eiuſdem legati, cenſeo non eſſe liberandũ à ſupplemento miſſarum. concluſionem probo ex caſu ſimili, ne dicam eodem, quem refert *Alphonſus de Leone de offic. cappell. quæſt. 5. ſec. 14 n. 240.* Ait enim per Curiam Archiepiſcopalem Bononiẽſem fuiſſe deciſum tum in prima, tum in ſecunda inſtantia, quod Canonici Collegiatæ S. Ioannis in Perſiceto aſtringerentur ad ſupplendas miſſas ſingulis hebdomadis debitas, & per viginti nouem annos nunquam celebratas, nam cum ipſi ſtipendio viginti quinque aureorum obligati reperirentur vi publici inſtrumenti celebrare in quodam hoſpitali quatuor ſacra in qualibet hebdomada, & per viginti nouem annos non celebrauerint niſi tria tantùm, fuit deciſum prædictos canonicos eſſe aſtrictos reſpectu præteriti temporis, & etiam in futurum omnia ſacra celebrare: ergo idem erit dicendum quando legatarius miſſas non applicet, &c. & quamuis Alphonſus de Leone nõ exprimat ex ignorantia inuincibili ſacra illa omiſſa fuiſſe à Canonicis, hoc tamen manifeſtè colligitur ex toto diſcurſu, quia ſi omiſſio non fuiſſet ex ignorantia oneris quatuor miſſarum, nullum prorſus dubiũ eſſe potuerit, nec fuiſſet neceſſarium per ſententias caſum decidere, quia obligatio fuiſſet euidens, & omiſſio non ex ignorantia, ſed ex malitia fuiſſet, ergo dicendum eſt, miſſas debitas non fuiſſe celebratas ex inculpabili ignorantia, atque adeo caſus, quem refert de Leone eſt idem, aut ſimilis cum noſtro.

Dico ſecundo, deueniendo ad caſum particularem, de quo agimus, & de quo interrogatus fui, Titium legatarium obli- 6

ga-

gari ad ſupplenda ſacra, quæ omiſſa fuerunt. Probatur primo, quia eadem eſt ratio de caſu iſto indiuiduali, & de alio, quē refert Alphonſus de Leone, & de quo proceſſerunt duæ ſententiæ iudiciales, proinde sicuti Canonici illius Collegiatæ condemnati fuerunt ad ſupplendas miſſas, ita Titius aſtringendus eſt ad ſupplendas miſſas ab ipſo relictas, si fructus legati reſpondeant oneri, nam si onus excederet emoluméta, tunc non videretur Cappellanus obligãdus ad omnes miſſas, quas omiſit, ſed tantũ pro rata, quia cũ ignorauerit onus, non præſumitur voluiſſe illud legatũ cum tali onere excedente acceptare.

7 Probatur ſecundo alia ſpeciali ratione; quæ militat in caſu noſtro, nam comparando fructus huius legati cum onere, remanet aliquod lucrum pro ipſo Titio legatario, vt patet manifeſtè computum facienti, nam valor legati importat octo aureos, ſeu ſcuta, vt initio diximus, eleemoſyna autem pro quolibet ſacro eſt vnus tarenus, qui eſt duodecima pars vnius ſcuti ex moneta noſtri Regni, & cum quilibet annus cõtineat quinquaginta duas hebdomadas, erunt in illis celebrandæ totidem miſſæ, pro quibus in eleemoſynam reſpondebunt tareni etiam quinquaginta duo, qui important in moneta huius Regni aureos, ſeu ſcuta quatuor, & quatuor tarenos, quibus deductis ex fructibus legati, remanent pro ipſo Titio aurei, ſeu ſcuta tria, & tareni octo. & si placet eleemoſynam currentem eſſe tarenum vnum cum dimidio pro quolibet ſacro, reſpondeo, quòd, quamuis ſoleat etiam eleemoſyna in tanta quantitate erogari; nihilominus ſolitum eſt etiam currere eleemoſynam vnius tareni. ſed eſto pro Titio cõcedamus eleemoſynã illã rigoroſã, remanet tamen pro illo aliquod lucrũ, nã eleemoſyna, si ponatur eſſe vnius tareni cum dimidio, pertinget ad tarenos ſeptuaginta duo, qui importãt ſex aureos, ſeu ſcuta cũ dimidio. maneat igitur ex dictis Titiũ eſſe obligãdũ ad ſupplenda ſacra omiſſa à die recepti legati, & non tantùm à die notitię prædicti oneris.

8 Ad rationẽ vero dubitãdi in cõtrarium reſpõdeo, Titiũ in caſu poſito nõ eſſe aſtrictũ ad ſupplẽdas miſſas ex alterutro ex illis duobus capitibus, videlicet ratione rei acceptæ tantũ vt sic, neq; ratione iniuſtę acceptionis, vt rectè vi argumẽti oſtenditur; ſed ratione cõtractus: quando enim legatum fuit ipſi aſſignatum, acceptauit illud cũ oneribus annexis, quãuis non explicitè, implicitè tamẽ: & licet onus eo tẽpore ipsũ legatariũ latuerit; nihilominus cũ nõ fuerit tale grauamen, vt nullũ traheret emolumentum, idcirco præſumitur in ipſo Titio volũtas acceptandi legatum cum onere ſupradicto, & colligitur ad euidentiam, nam ſi Titius plùs abhorreret ab onere, quàm æſtimaret emolumentũ, proculdubio renũtiaret legatũ, cũ tamẽ illud ſibi velit retinere, ſignũ igitur eſt minus ſibi diſplicere onus, quàm placeat lucrum. hæc eſt mẽa ſentẽtia, quã libenter prudentum iudicio ſubmitto.

9 Occaſione autem arrepta ex hac quæſtione, inquirere poſſumus oppoſitũ illius, quod ſupra determinauimus, vtrum, videlicet; legatarius, qui per plures annos miſſas quotidie celebrauit, exiſtimans per errorem ad illas peragendas eſſe aſtrictum ex tenore inſtitutionis eiuſdem legati, cũ reuera vi inſtitutionis non teneatur quotidiè celebrare, ſed tantùm ter, aut quater ſingulis hebdomadis; obligetur poſtea errorẽ agnoſcẽs in futurũ celebrare pro anima fũdatoris ter, aut quater, iuxta diſpoſitionem in teſtamento expreſſam.

Reſpondeo negatiuè, quia celebrans quotidiè, & miſſas applicans ad intentionẽ fundatoris, perindè ſe habet, ac ſi per anticipationem ſacra, quæ erant in poſterum celebranda ſingulis hebdomadis, peregiſſet, atque adeo poterit cum miſſis futuris compenſationem facere, vſque dum miſſæ, quæ omittũntur, ſint tot, quot fuerunt miſſæ anticipatæ, & compenſatione iam facta, tenebitur poſtea miſſas continuare iuxta voluntatem teſtatoris.

Sed dices hęc compenſatio videtur eſſe contra mentem teſtatoris, quia ſi ipſe voluiſſet miſſas ſimul pro ſua anima celebrari, aut breuiore tempore, proculdubio id expreſſiſſet, quod tamen non fecit: imò potius elegit ſucceſſiuã continuationẽ, & hoc meritò intẽdere potuit, quia vt ſic cultui diuino cõtinuaretur obſequiũ. Neq; obſtat error Cappellani, ſeu legatarij, nã id illi imputari debet, & prefertim quia, vt ſuppono, error non fuit facto ipſius teſtatoris.

Reſpondeo: quamuis teſtator continuatam elegerit miſſarum celebrationem, ter, aut quater in ſingulis hebdomadis; nihilominus ſi ſpectemus ſpiritualem vtilitatem ipſius fundatoris; ſiue cultum diuinum; non videtur per anticipatã hãc celebrationẽ aliquid detractũ Iuſtitiæ, & religioni: nã quoad vtilitatẽ ſpiritualẽ animę illius, hęc anticipatio nihil videtur auferre, quoniã miſſę æqualẽ fructũ, & ſatisfactionẽ ſunt aptę cauſſare, ſiuè quotidiè, ſiue interpollatis diebus, celebrẽtur, & forſitan per anticipationẽ citiùs liberabunt animã defuncti, & earũ executio certior reddetur: & ſic anticipatio non fuit cõtra iuſtitiam, quod vero ſpectat ad cultũ diuinũ, vel nõ video diminutionẽ, vel ſaltẽ nõ notabilẽ: nã honor ille, qui ſucceſſiuè, & cultui magis exteſiuè erat preſtãdus, magis intẽſiuè exhibitus fuit; proindè concludimus, niſi alia ſit circũſtantia, efficax ad variãdũ hoc iudiciũ, poſſe à Cappellano cõpẽſationem prædictam licitè fieri.

QVAE-

Digitized by Google

QVÆSTIO VNDECIMA.

Vtrum Religioſi ſint teſtes idonei ad teſtificandam vltimam teſtatoris voluntatem in bonum propriæ Religionis.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur caſus.*
2 *Pars affirmatiua admittitur.*
3 *Probatur primo ex iure canonico.*
4 *Confirmatur ratione.*
5 *Soluitur obiectio probans neminè eſſe teſtem idoneum in cauſa propria.*
6 *Bonum monaſterij multipliciter redundare poteſt in bonum particularium.*
7 *Num eadem ſit ratio de hæreditate, & de legato.*
8 *Referuntur conditiones neceſſariæ ad hoc vt religioſi ſint teſtes idonei pro ſua religione.*
9 *Proponitur, & ſoluitur quædam popularis inſtantia.*

1 NOn multis ab hinc temporibus caſus euenit, quem maioris claritatis gratia ſic explico. Titius morti proximus volens ſuum vltimum teſtamẽtum facere, infirmitate valdè laborans non potuit, quo tandem defuncto, duo Religioſi inter quos alter fuerat proprius eius Confeſſarius; teſtãtur vltimam ipſius Titij voluntatem fuiſſe, relinquere, ſeu legare quamplurima ex ſuis bonis mobilibus, & ſtabilibus eidem monaſterio, cuius erant prædicti duo Religioſi; proinde conſanguinei eiuſdem teſtatoris erant excludendi. fuit cauſſa iſta delata ad Iudicem, & lis vertebatur inter monaſterium, & Sortem fratrem Titij, qui prętendebat ſuccedere tãquã hæres ab inteſtato in omnia Titij bona: atque adeo allegabat teſtes illos, vtpote ſuſpectos, non fuiſſe idoneos; nam videbantur teſtificari in cauſſa propria; quia ſi monaſterium ſuccedebat, ſucceſſio redundabat in bonum, ſeu vtilitatem ipſorum teſtificantium. De hac re per quamdam priuatam epiſtolam conſultus fui à quodã Religioſo eiuſdem Religionis, & Monaſterij, vt meam aperirem ſententiam, & hac occaſione nonnulla alia annexa ſunt mihi determinanda.

2 Dico igitur vtilitatem proprij monaſterij, vt ſic, non obſtare, quin Religioſi de familia eiuſdem monaſterij poſſint eſſe teſtes idonei; atque adeo eorum teſtimonium admitti in iudicio. concluſio, vt iacet, eſt communis apud omnes tum iuris peritos; tum canoniſtas, tũ etiam Thelogos. *Bartol. in l. in tantum n. 1 ff. de rer. diuiſ. Bald. cap. tertio loco n. 3. ver. Regularis, & n. 4. ver Fratres. de probat.* Ioannes Campeg. *de Teſtib. reg. 94 fallen. 1. & reg. 95. 96. fallen. 2. 3. nonnullos laudat noſter Sanchez in decal. lib. 6. cap. 12. n. 102. quibus ipſe ſubſcribit plures Barboſa in Collect. cap. inſuper de Teſtib. & alibi. & Farinac. de Teſtib. q. 60. à n. 463. & q. 62. n. 125. & ſeq.*

Probatur 1. concluſio ex iure canonico in quo id vel ſimile expreſsè ſtatuitur de Clerico, qui teſtificatur pro ſua Eccleſia, vel de alijs teſtificantibus in fauorem vniuerſitatis, cuius ſunt pars, vel denique de religioſo pro ſuo conuentu, ſeu collegio. ita *cap. inſuper, & ca. tertio loco* ſuperius citatis *cap. cũ nuntius cap. nuper de Teſtib. & atteſt. cap. ſuper prudentia 14. q. 2. & ibi omnes ſcribentes.* 3

Probatur 2. ratione, q̃a nullũ extat ius, ſiue naturale, ſiue poſitiuũ q̃ prohibeat teſtimoniũ religioſorũ in bonũ ſuę Religionis tanquam minus idoneum: ergo poſſunt in caſu prædicto eſſe teſtes: quamuis eorum teſtimonium cedat in vtilitatem proprij Monaſterij. patet conſequentia, quia ſi id vetaretur, neceſſario eſſe deberet ob alicuius iuris prohibitionẽ. antecedens autẽ, quod attinet ad ius poſitiuum, certum eſt: quia tantum abeſt, vt detur lex poſitiua id prohibens, vt potiùs habeatur lex id approbãs; vt manifeſtè deciditur per iura canonica ſuperiùs allata: neque obſtat ius naturæ, quia poſito quod Religioſi teſtificãtes non careant reliquis conditionibus ad teſtium idoneitatem à iure requiſitis; nulla apparet ratio, cur ob ſolam proprij monaſterij vtilitatem ſint repellendi: & hoc clarius fiet, ſi ſoluantur aliqua, quæ in cõtrarium obijci poſſunt. 4

Obijcies 1. nullum eſſe teſtem idoneum in cauſa propria, vt habetur *in l. omnibus C. de Teſtib. & cap. ſi Teſtes. 4. q. 2. §. ſi nullus, & §. Omnibus.* proinde cum Religioſus teſtificetur in re proprij monaſterij, cuius ipſe eſt pars; videtur eſſe teſtis in propria cauſa, quod in iure ciuili, & canonico reprobatur. 5

Reſpondeo ex eo quod Religioſus teſtificetur in bonum monaſterij, cuius ipſe eſt pars; non rectè infertur, eum eſſe teſtem in propria cauſa. Pro quã re animaduertẽdum eſt, quod aliud eſt vniuerſitas, ſeu monaſterium ipſum, aliud vero ſinguli de vniuerſitate, vt bene admonet *Felinus ſup. inſuper cit. n. 1.* nam iuris fictione vniuerſitas eſt veluti quędam alia perſona à ſingulis diuerſa. ita notat *Mandoſius de Priuileg. ad inſtar Gloſ. 7.* & ideo Religioſus teſtificans in bonum Monaſterij, ſeu vniuerſitatis, non dicitur eſſe teſtis in propria cauſa, & ita præter *Felin. & Mandoſ.*

hoc ipſum docent alij : *Ioan Andr. Archid. Menoch. &c.* Ea autẽ dicitur cauſa propria ex qua emolumentum, vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet. ſic declaratur *in cap. Biduum §. Palam 2. q. 6. Gloſ. ibi ver. Palam*. at cauſa iſta, de qua agimus, ſit nomine totius monaſterij, & nõ alicuius particularis, qui teſtificatur : igitur falſum eſt aſſererẽ Religioſum teſtificantem in bonũ ſui monaſterij, eſſe teſtem in propria cauſa.

6 Obijcies 2. ſi in fauorem monaſterij Iudices ferant ſententiam, procul dubio aliqua redundabit vtilitas in ipſum Religioſum teſtificantem : atque adeo commodũ illud reddit teſtem ipſum ſuſpectum, & eius teſtimonium ineptum ad fidẽ faciendam in iudicio.

Reſpõdeo circa hoc punctum vario modo loquutos eſſe Authores, quorũ dicta breuiter referam. Nam aliqui cenſent eorum teſtimonium non eſſe admittendum, etiam ſi commodum mediatè, & conſequenter illis obueniat; & videntur id docere *Menoch. caſu 106. cit. n. 21. & clarius Felin. cap Inſuper n. 6. Maſcard. de probat. concl. 1414. n. 5. & 6.* Alij vero affirmant eorum teſtimonium admittendum eſſe ita *Alexand. conſil. 68. n. 14. vol. 2. Abbaſ. Panor. cap. inſuper cit. n. 2. & alij.* verum in re hac mihi videtur ratiocinãdum cũ quibuſdam. Commodum, ſeu vtilitas bifariã in ordine ad ſingulos ſpectari poteſt: primo ſi pertineat principaliter, & immediatè ad ipſam Vniuerſitatem, ſeu monaſterium, licet de reliquo mediatè, & conſequenter deueniat ad particulares eiuſdem Vniuerſitatis : ſecundo, ſi principaliter, & immediatè reſpiciat perſonas ipſas ſingulares : ſi priori modo res ſe habet, tunc cenſeo teſtes eiuſdem vniuerſitatis non eſſe repellẽdos : ſecùs autem ſi poſteriori modo : quia tunc dicerentur teſtificari in propria cauſa. Exemplis totum hoc illuſtrari poterit, & varia ſolent ab Authoribus adduci : ipſe vnum, aut alterum afferam. ſi v. g. res aliqua relinquatur alicui monaſterio abſque ſcriptura, vel de validitate teſtamenti ſit controuerſia, & res illa legata fuerit, vt ex eius pretio veſtes vnicuique Religioſorum eiuſdem monaſterij conficerentur, quod eſt exemplum adductum *à Sãchez cap. illo 13. num. 102.* tunc legatum principaliter, & immediatè reſpiceret vtilitatem ſingulorũ; atque adeo nullus ex ijs Religioſis poſſet eſſe teſtis in re hac: contra vero, ſi legatum fiat monaſterio, & eius pretium applicetur à prælato in victum, & veſtitum ſubditorũ; tunc immediatè, & principaliter reſpiceret communitatem, cuius eſſet tam proprietas, quàm vtilitas legati : quamuis conſequenter ſubditi commodum ſentirent : & tunc ſubditorum teſtimonium non eſſet repellẽdum. Aliud eſt exemplum appoſitum à *Farinac. de teſtib. q. 60. num.* 500. ſi controuerſia ſit de Molendino, cuius fructus ad vniuerſitatem pertinent : vel ſit de nemore, vel de paſcuis, in quibus animalia ſingulorum paſcuntur; ſi vnuſquiſque ex illa vniuerſitate ius habet incidendi ligna, aut paſcendi; cauſa eſſet ſingulorum, & propria, & eorum teſtimonium repellendum; at ſi neque incidere ligna, neque animalia ad ibi paſcendum adducere poſſent ſine licentia Gubernatoris, aut abſque eo quod ſoluant gabellam publicanis; tunc cauſa immediatè ad vniuerſitatem pertineret, & teſtimonium ſubditorum non eſſet repellẽdum. Alia exempla vide apud eumdem Farinac. eodem loco. ſolùm aliquam ingerit difficultatem exemplum ab eodem Authore allatum *n.* 504. ait enim, quando agitur de prædio, aut vinea, ex cuius fructibus ſinguli de Vniuerſitate viuunt, & aluntur; tunc cauſam ad ſingulos ſpectare: proindè nullum ex ipſis eſſe idoneum teſtem, & aliquos citat : ex hoc videtur inferri poſſe, quod ſi monaſterium ſit legatarium in vinea, aut ſimili prædio fructifero, ex cuius introitibus alantur Religioſi eiuſdem monaſterij; ipſos non poſſe eſſe teſtes idoneos, ſi controuerteretur de validitate legati, &c. hoc enim exẽplum à Farinac. allatum videtur contradicere exemplis à me ſuperius adductis, quæ probant ſimilia legata ſpectare ad cõmunitatẽ, quãuis cõmodũ in victu, & veſtitu cõſequenter ſentirẽt particulares: & ideo ne ſit cõtradictio in eadẽ quæſtione ipſius Farinac & ne hoc vltimum exemplum pugnet cum alijs à me allatis; placet illud explicare, quod tunc pertineret cauſa illius vineæ, ſeu prædij ad ſingulos; quando immediatè, & principaliter fructus reſpicerent particulares perſonas, & non tantum monaſterium : & hoc pacto intellectum exemplum non contradicit exemplis à Farinac. & à me allatis.

Quæres, num idem ſit dicendum de hæreditate, ac de legato; nempè an ſicuti eſſe poteſt teſtis Religioſus in teſtamento, in quo vel ipſi, vel eius monaſterio relinquitur legatum; ita cum eodem modo relinquitur hæreditas. 7

Reſpondeo ſupponendo ius prohibens, ne ille, qui in teſtamento ſubſcribitur ſit hæres, vt expreſſè habetur *inſtitut. de Teſtam ordinan. §. Sed neque hæres ſcriptus:* hoc poſito: *Bordonus recentior Author reſol. moral. tõ. 2. reſol. 55. n. 22. verſ quartum,* cum prius docuiſſet Religioſum nõ poſſe eſſe teſtẽ, quando hæres inſtituitur ipſe, vel conuentus. *At n.* 23. affirmat Religioſos idoneos teſtes eſſe in teſtamento, in quo ipſis, vel cõuentui aliquid legatur, & ſic diſcrimen ponit inter eſſe hæredem

& legatarium in ordine ad hoc punctum:
idque probat, quia inſtitutio redundaret
in ipſorum Religioſorum commodum, ſeu
vtilitatem: proinde ſi eorum teſtimonium
admitteretur; eſſent teſtes in propria cau-
ſa, & re ſua, quod in vtroque iure prohi-
bitum eſt: quoniam nomina monaſterij, &
Eccleſiæ non ſumuntur materialiter: eſſet
enim ridiculum ſumere illa pro ędificijs:
nam ędificium eſt incapax hæreditatis: ſed
ſumuntur formaliter pro ipſis Religioſis
ſimul iunctis, & habitantibus in monaſterio.
Et confirmat iterum, quia ſi omnes, vel
eorum pars adhiberetur in teſtes; generare-
tur, ſuſpicio, quod teſtatorem decepiſſent,
aut coegiſſent ad relinquendam hæredita-
tem monaſterio: & quamuis id, quod com-
mune eſt, non ſit proprium huius, vel il-
lius Religioſi; nihilominus ſinguli habent
commodum, ſi non vt proprietarij, quia
ſunt incapaces, vt vſuarij tamen, vtilitatē
ſentiunt: nam ex illa hæreditate viuunt,
veſtiuntur &c. ita Bordonus diſcurrit.

Sed oppoſitam ſententiam tuetur *Ro-
driq. in 99. regul. tom. 3. q. 71. art. 2. &
in ſuo comp. reſol. 135. n. 15. Surdus deciſ.
229. initio, & n. 9. ver. quidquid tandem
ſit, Natta in Repet. §. Ex imperfecto n. 181.
Mandoſius de priuil. ad inſtar Gloſ. 7. n. 6.
& 7. tract. tom. 18. & alij*: & cum his puto
eſſe dicendum; quia inter monaſterium,
quod ſe habet vt perſona ficta, & perſonas
ſingulares, eſt ſufficiens diſcrimen, vt Reli-
gioſi, & ſingulares perſonæ eſſe poſſint teſ-
tes in teſtamento, in quo hæres inſtituitur
ipſum monaſterium, vt bene probat ibidē
ipſe Mandoſius.

Ad rationes autem, quibus nititur Bor-
donus, facilis erit ſolutio: non enim vi-
deo ſufficiens diſcrimen inter vnum, & al-
terum caſum: ſi enim concedatur poſſe
Religioſum teſtem adhiberi in eo teſtamē-
to, in quo legatum monaſterio relinqui-
tur; poterit etiam admitti, vt teſtis, quan-
do monaſterium inſtituitur hæres: ſuſpicio
enim proprij commodi tam ex vno quàm
ex altero ſequitur: imò interdum maior
ſuſpicio habetur; ſi relinquatur legatum,
quod poteſt eſſe hæreditate pinguius: & ſi-
cut teſtis in teſtamento, in quo eſt legatū,
non dicitur teſtificari in propria cauſa; ita
pariter quando in eo teſtamento monaſte-
rium inſtituitur hæres: & ratio eſt, quia
in vtroque caſu monaſterium, & particu-
lares ſe habent tanquam diuerſæ perſonæ.

Ad illud aliud, quod dicitur de nomine
concedo appellatione monaſterij non ve-
nire ædificium, ſed perſonas, quę tamen
dupliciter poſſunt ad inuicem comparari
primo quatenus faciunt indiuiſibiliter vnā
determinatam communitatem collectiuè,
ſecundo diſtributiuè, vt ſingulares: & ideo
comparatę hoc poſteriori modo cum ſe ip-
ſis priori modo; habent ſufficiens diſcrimē,
& ita ſecundo modo ſpectatæ poſſunt ad-
hiberi, vt teſtes idonei reſpectu ſui ipſarū,
vt facientium collectionem. Ad confirma-
tionem reſpondeo, ſuſpicionem illam eſſe
leuem, & iuramento purgari, vt notat
Felin. in cap. inſuper cit. n. 1. & ideo emo-
lumentum, quod conſequenter, & media-
tè ſentiunt non officit.

Denique, vt finem imponam huic quæ- 8
ſtioni, aliquas conditiones propono conſi-
derandas. Prima eſt, vt Religioſi non ſint
teſtes idonei, ſi alij ſint non illius religionis
qui oppoſitum teſtificētur: nā in tali caſu
his, & non Religioſis eſſet fides adhibenda,
vt notat *Panorm. cap. inſuper n. 2.* etiam
ex mente aliorum: quia illud emolumen-
tum conſequens, quod ipſi Religioſi vi
ſententiæ fauorabilis ſperant; eſt cauſa,
vt aliquantulum deficiant ab integritate, &
puritate teſtium, & ideo concurrentibus
alijs idoneis in pari cauſa, illis eſt creden-
dum. Secunda eſt, vt requiratur licentia
Superioris ad hoc vt Religioſi in iudicio
teſtificentur: nā licet probabiliùs ſit nul-
lam requiri licentiam de iure communi, vt
Religioſus ſit teſtis taſtamentarius, ſiuè,
vt ſit teſtis in alio inſtrumēto, vt ex mul-
tis iuriſperitis, & canoniſtis rectè probat
Sanchez cap. 13. cit. nn. 105. & 106. nihil-
ominus vt ſit teſtis iudiciarius, ſeù vt tan-
quam teſtis deponat in iudicio; neceſſario
requiritur licentia ſuperioris, vt ex multis
oſtendit idem *Sanchez cap. illo 13. num.*
103. & ratio eſt manifeſta, quia Iudex ille,
qui iuramentum petit ab ipſis tanquam
teſtibus, non eſt eorum legitimus ſuperior
neque ipſi Religioſi poſſunt ſpontè illi
ſe ſubijcere ad teſtificandum, niſi interce-
dat Superioris licentia. In noſtra autem
ſocietate ſuperiores admonentur, ne talē
licentiam concedant, niſi in cauſis ſpectā-
tibus ad catholicam Religionē, vel in cau-
ſis pijs, quæ ità vni parti faueant, vt alte-
ri non noceant, vt habetur in *conſtit. p. 6.
cap. 3. nu. 8. & in declar. littera E, cum
limitatione ibidem poſita.* maior autem
difficultas fieri poterit, an teſtimoniū Re-
ligioſorum coram Iudice ſęculari, vel alio,
qui ipſorum Religioſorum minimè ſit ſupe-
rior, abſque licentia ſuperiorum, ſit vali-
dum. Aliqui apud *Sanchez n. 107.* ſuſtinēt
eſſe irritum, ſed meliùs cum eodem *San-
chez, & alijs n. 108. & ſeq.* dicendum eſt,
tale teſtimonium validum eſſe, quia, cum
nullibi irritetur, eius valor eſt ſuſtinendus.

Sed vulgari argumento vrgebis, ex doc-
trina poſita ſequi videtur poſſe duos Reli- 9
gioſos ſemper teſtificari pro ſua religione ad
conſequendam hæreditatem, ſeu legatum,
etiam cū falſitate, hoc autē videtur maximū
inconueniens.

Reſpondeo hoc inconueniens euitari, ſi teſtes Religioſi adhibeantur, vt ſint omni exceptione maiores, & præcedat licentia Superioris, & non adſint teſtes contrarij idonei vt ſupra diximus; quemadmodum in alijs cauſſis etiam criminalibus idoneitas duorum teſtium eſt ſatis.

QVÆSTIO DVODECIMA.

An Mulier conſequi poſſit legatum relictū ſub conditione, vt contrahat cum nobili, ſi nubat ei, qui eſt nobilis ex priuilegio.

SVMMARIVM

1 *Pars affirmatiua refertur.*
2 *Alia negatiua ſententia proponitur.*
3 *Affertur opinio Merollæ.*
4 *Intentio teſtatoris ex circumſtantijs eſt colligenda.*
5 *In dubio præſumendum eſt à teſtatore intentam fuiſſe nobilitatem ex ſanguine.*
6 *Confirmatur.*
7 *In aliquo caſu per accidens oppoſitum præſumitur.*
8 *In ſententia Merollæ in dubio recurritur ad controuerſiam an legatum ſit fauorabile, an vero odioſum.*
9 *Soluitur primum argumentum pro priori ſententia.*
10 *Soluitur ſecundum.*
11 *Diluitur tertium.*
12 *Satisfit obiectioni probanti nobilem ex priuilegio gaudere omnibus priuilegijs, quæ habent nobiles ſecundum genus.*
13 *Quid ſit dicendum ſi teſtator ſit inferioris notæ.*
14 *Quid decidendum ſi mulier legataria ſit teſtatori extranea.*
15 *Non ſemper valet argumentum à ſtatuto ad vltimam voluntatem.*

1 AFfirmātem opinionem tuetur *Greg. Lopez in legibus Hiſpaniæ p. 2. l. 3. tit. 21. Gloſ. l. cum vellans*. *Paſqualigus in quæſt moral. centur. 2. queſt. 192. n. 11.* Rationes autem illam ſuadentes variæ ſunt. Prima eſt, quia hæ duæ nobilitates, nimirū ex ſanguine, & priuilegio in omnibus ipſo iure æquiparantur, proindè cum argumentum ab æquiparatis valeat, vt Iuriſtæ dicunt, *Euerardus in Topicis, loco à ſimili ver. hoc tamen. Alciatus in Rubr ff. de libe. & poſt.* conſequens erit vt quod eſt de vno diſpoſitum, intelligatur etiam de altero diſpoſitum Secunda ratio deſumitur à pari: ſicuti nomine Ciuium in fauorabilibus comprehenduntur tùm originarij, tùm ciues ex priuilegio; ita nomine nobilium veniunt nobiles ex ſanguine, & ex priuilegio. Tertiā, reſcriptum Principis loquens de nobilibus, extenditur ad nobiles etiam ex priuilegio, & hoc pacto ipſemet explicans facultatem Commiſſarij *Cruciatæ* in explicatione *bullæ p. 3. tract. 4. cap. 3.* circa licentiam dandam perſonis nobilibus de audiendo, aut celebrando ſacro per horam ante lucem, vel poſt meridiem; dixi appellatione nobilium non comprehendi ſolùm nobiles ex genere, ſed etiam alios: ergo idem erit dicendum ſi exponatur legatum ſub cōditione prædicta conſtitutum, par enim eſt ratio.

Sed alij negatiuam ſententiā defendunt, videlicet non ſatisfieri voluntati teſtatoris, ſi mulier contrahat matrimonium cum nobili ex priuilegio, & non ex ſanguine: ita *Melchior Paliez à Merez de maior. p. p. queſt. 51. n. 62. & ſeq.* cui adhærere videtur *Philippus Paſcalis de virib. patr. poteſt. p. 4. cap. 2. n. 43.* & in eadem ſententia *debent eſſe Bonus Cortilius tract. de nobili. p. 6. cap. 3. n. 17. Ioan. Axe de otalora eodem tract. p. 2. cap. 3. n. 17. Gironda de explicat. n. 1581. Perez de Lara de anniuer. lib. 2 cap. 4. n. 106. & 107.* quatenus dicunt appellatione nobilitatis ſimpliciter venire nobilitatem ex genere, quod clarius explicat Perez docens in ſimili nō ſufficere qualitatē hanc eſſe priuilegiatiuam. 2

Alia opinio ponitur à *Merolla in ſua Theologia morali tom. 3. diſp. 6 cap. 8. dub. 8. n 33.* cum enim prius docuiſſet in re hac mentem teſtatoris ex coniecturis eſſe inquirendam, ſpectando qualitatem perſonæ, cui fuit legatum, quantitatem legati, & ſimilia; addit veriſimilem intētionē in hoc caſu fuiſſe, vt mulier legataria contraheret matrimonium bene conditionatum: proinde ſi vir, cui ipſa mulier nubere intendit, eſſet diues, Marchio, & melioris conditionis, quam ſit alius ex genere nobilis; in tali caſu ſatisfieri videtur voluntati teſtatoris, & per conſeqens admitti poterit ad legatū. Cæterum ſi ſpectatis omnibus, dubia remanet intentio teſtatoris, & colligi nequit; tunc Author iſte deciſionē remittit ad aliā controuerſiā, nempè, an legatum vt ſic, ſit fauorabile, an vero odioſum. ſi primum, erit largè interpretandum, proindè nobilitas adiecta ipſi legato, amplè erit explicanda, & extendenda ad nobilitatem ex priuilegio, & ſic mulier conſequi poterit legatum: ſi vero ſecundum dicatur, ſcilicet legatum ex ſua natura eſſe odioſū; ſtrictè erit explicandum, & nobilitas adiecta ipſi legato ſolum contineret nobilitatem ex ſanguine & ideo niſi mulier contrahat cum perſona nobili iure ſanguinis, legatum nō acquiret. Hæ ſunt opiniones. quas apud Authores 3

in-

Digitized by Google

inueni. remanet, vt meam aperiam ſententiam: cenſeo enim aliquid ex ſingulis eſſe accipiendum.

4 Dico igitur primo intentionem teſtatoris, eſſe omnino inueſtigandam, penſatis circumſtantijs, eamque inuentam eſſe ſeruandam, ſiuè in ſoluendo, ſiuè non ſoluendo legatum: & de hac concluſione nemo dubitare poterit, neque eſſe poterit difficultas, quia id, quod primario, & principaliter attendi debet in executione teſtamenti, eſt voluntas Teſtatoris, & conformitas cum eadem. Difficultas autẽ reſidet in decidendo quid præſumere debeamus, quando perſpectis omnibus dubia remanet voluntas teſtatoris, & in hoc ſenſu procedit præſens quæſitum.

5 Dico 2. ſi res ſit dubia, præſumendum eſſe potiùs teſtatorem, per ſe loquendo, reſpexiſſe veram nobilitatem, quæ eſt ex genere, quàm ciuilem, quæ eſt ex priuilegio. & in hoc aſſentior Authoribus ſecundæ opinionis, quam primò ſic probo, verba ſimpliciter prolata, quando ſunt ambigua, ſumi debent pro ſuo principali ſignificato, vt rectè animaduertit *Mantica de coniecturis vlt. volun. lib. 5. tit. 1. n. 6. Barboſa in axiom. iuris 222. num. 25.* qui ex varijs iuribus, & plurium authoritate id confirmat: at principale ſignificatum huius nominis, eſt nobilitas ex ſanguine, vt patet ex communi vſu loquendi: igitur nobilitas, quam requirit Teſtator relinquendo legatum modo explicato, eſt nobilitas ex ſanguine.

6 Confirmatur, quia verba in teſtamentis intelligi debent naturaliter, non autem ciuiliter, vt aſſerit *Baldus conſ. 372. n. 8. vol. 1. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 3. tit. 4. num. 15. Perez de Lara vt ſupra num. 107. & num. 109. & ſeq.* vbi refert ita fuiſſe deciſum in regali Cancellaria Pinciana, vbi exagitabatur cauſſa quædam inter quemdam Licentiatum, & ciuitatem de Longrono: ille enim prætendebat promoueri ad decurionatum eiuſdem ciuitatis, ad quem non ſolebant admitti niſi nobiles ex ſanguine: cum autem ipſe Licentiatus careret tali qualitate; deciſum fuit non eſſe admittendum, & per conſequens non ſufficere nobilitatem ciuilem. Hęc autem dicta ſint per ſe loquendo.

7 Dico tertio in aliquo caſu per accidens ex præſumpta teſtatoris voluntate ſuſtineri poſſe opinionem priori loco relatam, ſcilicet poſſe mulieri aſſignari legatum, quãuis nubat perſonæ nobili ex priuilegio v. g. ſi ponamus expediens, & conueniens eſſe, vt mulier illa non procraſtinet nuptias, & non inueniat nobilem ex ſanguine, ſed ſolùm ex priuilegio, qui bonas habeat qualitates; tunc poſſet cum tali perſona contrahere: & non videtur in hoc fieri contra mentem teſtatoris, qui non præſumitur ita rigorosè nobilitatem ex genere reſpexiſſe, vt voluerit etiam in talibus circumſtantijs mulierem legatariam remanere innuptã, vel longius quam par ſit differre matrimonium, ſi qua conuenientia vrgeat, vt nubat. Et à fortiori idem erit dicendum, ſi vir ille dignitatem aliquam habeat, quæ apta ſit nobilitare perſonam, vel ſi titulum Comitatus, aut Marchionatus de nouo acquiſierit. qualitates autem iſtæ ſunt initiũ veræ nobilitatis ex ſanguine; & progreſſu tẽporis, ſi cõtinuantur, reddunt familiã, ſeu proſapiam illuſtrẽ, & nobilẽ ex genere.

8 Dico quarto ſiſtendo in ſententia illa, quam amplectitur Merolla, recurrens in dubio ad controuerſiam, an legatum de natura ſua ſit fauorabile, an potius odioſũ, in caſu iſto legatum eſſe odioſum, atque adeo ſtrictè interpretandum, vt nobilitas in conditione poſita, intelligatur de nobilitate ſanguinis, & non ex priuilegio. Probo concluſionem, quia, vt ipſemet dixi, ſermonem habens de *cõſcientia dubia diſtept. 6. cap. 10. §. 22.* legatum profanum preſsè eſt explicandum, quia odioſum, vt ibidem probaui, ſecùs legatum pium. Legatum vero illud, vt patet, eſt profanũ: proinde in diſtinctione prædicta, quæ placuit Merollæ; aio nobilitatem requiſitam à teſtatore vi diſpoſitionis factæ, intelligẽdam eſſe nobilitatem ex ſanguine.

9 Ad argumenta autem pro priori ſententia, quatenus contra hàs concluſiones faciunt, reſpondeo, & ad primum negando illa duo in omnibus æquiparari, quia nobilitas ex genere eſt qualitas veluti naturalis fundata in iure ſanguinis; nobilitas vero ex priuilegio eſt omnino accidentalis ſolùm fundata in voluntate Principis ſine alio adminiculo, vt ex *Sanchez habetur lib. 2. decal. cap. 29. nu. 2. & 5.* & quamuis *Merolla cap. 8. cit. dub. 42. num. 283.* impugnet Thomam Sanchez, non agnoſcẽs diſcrimen hoc inter vtramque nobilitatẽ, quia vt ipſe Merolla inquit, neutra eſt à natura, quoniam omnes homines ſtando in iure naturæ ſunt æquales; non rectè tamen impugnatur Sanchez, quia, cum ipſe dicat nobilitatem ex genere eſſe naturalẽ; ſenſus non eſt, quaſi velit qualitatem hãc eſſe ab ipſa natura; nam, cum eadem ſit omnium hominum natura: omnes eſſent nobiles; ſed ſenſus eſt, nobilitatem ex genere non fundari in ſola Principis voluntate; ſed eſſe qualitatem, quæ prouenit à claritate ſanguinis in progenitoribus: definitur enim qualitas illa, quam cum Sanchez naturalem appellamus à *Bono Curtilio eod. tract. p. 2. num. 49.* hoc pacto, *eſt qualitas quædam proueniens à coruſcatione clari ſanguinis, à parentibus originem ſumens, & in liberos legitimos per carnẽ*

con-

Digitized by Google

continuata. Eamdem ferè definitionem tradidit *Talora tract. cit. de nobil. p. 2 cap. 4. num.* 1. & alij, quos ipſe laudat. At nobilitas ex priuilegio non eſt talis qualitas: imò per nobilitatem ex priuilegio hominē non fieri verè, & ſimpliciter nobilē, aſſerit eruditiſſimus *Don Franciſcus Salernus in ſuis conſilijs lib.* 1. *conſ.* 2. §. 5. *n.* 38. examinās axioma illud iuris, ſcilicet, par eſſe ſi e natura, vel priuilegio qualitas habeatur, & ad hoc confirmandum affert dictū Sigiſmondi Imperatoris, qui cuidam ignobili nobilē fieri petenti, reſpondit his verbis (*facillimè poſſem te diuitem efficere, nobilem vero minimè poſſum*) Rurſus filij per crimen lęſæ maieſtatis diuinæ, aut humanæ à patre commiſſum, non deperdunt nobilitatem ex ſanguine, ammittunt vero nobilitatem ex priuilegio à patre deriuatam vt ex multis docet *Sanchez loc. cit. & Merolla cap. illo* 8. *dub.* 42. *n.* 276. 277. idem affirmat, quadam adhibita limitatione. Præterea nobilitas ex priuilegio poteſt renunciari ab ipſomet nobili, cui fuit conceſſa vt colligitur *ex l.* 1. C. *de his, qui ſponte lib.* 10. & aſſerit *Merolla dub.* 15. *n.* 82. at nobilitas ſanguinis renūtiari nequit, cum fundetur in claritate progenitorū: ergo falsū eſt has duas nobilitates in omnibus æquiparari.

10 Ad ſecundum negant plures id eſſe vniuerſaliter verum, vt rectè probat idem *Salernus conſ.* 2. *cit.* §. 3. *nu.* 19. *& Barboſa de appell. verborum* 48. *num.* 5. qui id plurium authoritate confirmat: & ſuaderi poterit à pari, nam ſicuti nomine filij non venit niſi ille, qui ex ſua natura eſt filius, & non venit adoptiuus, vt habetur *per tex. in l. ſi ita quis.* § *fin. Is cui. ff. de leg.* 2. *& l. fideicommiſſum Gloſ. ibi, & alij*; ſic à pari, ciues ex priuilegio non ſunt veri, & ſimpliciter ciues.

11 Ad tertium reſpondeo; non ſemper in reſcriptis appellatione nobilium venire nobiles ex priuilegio, ſed attendēdā eſſe materiā, circa quam verſatur reſcriptum, & ſimiliter attendendū eſſe, an extenſio ad nobilem ex priuilegio redundet in damnū alterius nec ne. Quod vero additur de illa explicatione à me ipſo tradita in Bullam Cruciatæ, vbi docui illā facultatem, quæ reperitur in Commiſſario extendi ad quoſcumque nobiles; aio eſſe diſparem rationem, quia ſi loquamur de legato, cui adiecta fuit conditio nubēdi cū nobili, ſi tale legatū relictum fuit cōſanguineis ipſius teſtatoris, vel de eius familia, vt communiter euenit, quando legatum ſub tali conditione inſtituitur, non parùm confert ad eiuſdem familiæ decorem, vt mulier legataria nubat nobili viro: & etiam ſi mulier non eſſet conſanguinea teſtatoris; nihilominus, ob aliquod motiuum in bonū alterius duci ſolent homines ad legatum ſub tali forma relinquendum: proindè ne mens teſtatoris fraudetur, appellatione nobilium veniunt nobiles ex genere. Sed audire, aut celebrare ſacrum per horam ante lucem, vel poſt meridiem, nemini iniuriam, aut damnum in bonis, vel in honore inferre poteſt: Idcircò nomen nobilium in explicatione Cruciatæ valdè probabiliter applicare potui nobili etiam ex priuilegio. Addo; hoc priuilegium commiſſario conceſſum, cum importet poteſtatem relaxandi, & non inducat actualem diſpenſationem, eſt fauorabile; atque adeò latè interpretandum, vt ſunt alia ſimilia priuilegia, quæ amplam habent explicationem, vt probaui *ibidem p. p. tract.* 1. *cap.* 5. 12

Sed obijcies. Nobilis ex priuilegio gaudet omnibus illis priuilegijs, quibus gaudent perſonæ, quæ ſunt nobiles ſecundum genus, & ſanguinem; ergo mulier nubens cum perſona, cuius nobilitas eſt ex priuilegio, ſatisfacit menti teſtatoris, & conſequitur legatum. Antecedens ponitur à nōnullis, quos laudat, & ſequitur *Merolla cap.* 8. *cit. dub.* 39. *num.* 263. *Maſtrilli de magiſtr. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 105. & probatur, quia cum vtraque nobilitas à Principe ſupremo originem trahat; indè eſt, vt Princeps nobilem efficiens, conſtituat illū in eo ſtatu, in quo eſt nobilis ex ſanguine, atque adeo ambo ijſdem gaudebunt priuilegijs. conſequentia vero ex tali antecedente illata, ita oſtenditur, vir, cui mulier legataria nubit beneficio priuilegij exiſtimandus erit tanquam nobilis ex genere, & conſequenter mulier illi nubens ſatisfacit menti teſtatoris, & acquirit legatum.

Reſpondeo, antecedens non videtur eſſe vniuerſaliter verum, ſed eſto admittatur, nego conſequentiam, ad cuius probationē, aio, diſparem eſſe rationem inter ſtatutū Principis concedentis priuilegia, præeminentias, & prerogatiuas nobilitatis, quando ignobilem facit nobilem, & inter diſpoſitionem priuatam teſtatoris inſtituentis legatum ſub conditione prædicta de matrimonio ineundo cum nobili, & ideo non oportet, vt mens teſtatoris in hoc conformetur cum intentione, quam habuit Princeps nobilem per ſuum ſtatutum efficiens: nam Princeps concedens alicui priuilegiū nobilitatis, vel illud negans, nullum ſui, ſuæque familiæ honoris detrimentum patitur: contra vero teſtator, ſi in ſua diſpoſitione comprehenderet nobiles etiam ex priuilegio, eoſque non excluderet, potiùs videretur detrimentum pati in ſua familia ſi claritatem generis haberet, & legataria eſſet ſibi ſanguine coniuncta: nam per matrimonium cum aliquo ignobilis generis,

li-

Digitized by Google

procul dubio ſplendor ille, quem teſtatoris familia habet diminueretur.

13 Dicea quid ſi teſtator ſit inferioris notæ, tunc nullum ſuæ familiæ irrogaret damnũ; ſi legatum relinqueret ſub conditione matrimonij contrahẽdi cum perſona etiã nobili ex priuilegio: imò potius nouum videretur addere honorem, ſi mulier legatataria, eius conſanguinea nuberet cum tali perſona.

Reſpondeo, quamuis in eo caſu familia teſtatoris nullum pateretur detrimentum, ſed potius honorem aſſequeretur; nihilominus nõ acquireret maiorẽ illum honorem quem eſſet adeptura, ſi matrimoniũ contraheretur cum perſona nobili ex ſanguine: hunc autem maiorem honorem teſtator præſumitur intendiſſe in ſua diſpoſitione, quia verba abſolutè prolata, niſi aliud ex circumſtantijs colligeretur, ſuum primarium ſignificatum important: & merito, quia cum legatum teſtator inſtituerit ex affectu erga legatariam, eiuſdem legatariæ maius bonum eum reſpexiſſe præſumendum erit.

Vrgebis iterum. quid, ſi mulier legata-

14 ria non ſit ipſi teſtatori conſanguinea, aut affinis ſed extranea; tunc enim ceſſat motiuum illud maioris honoris propriæ familiæ, atque adeo deſinere debet etiam præſũptio prædicta de vera, & propria nobilitate intenta.

Reſpondeo, &ſi motiuum illud ceſſaret reſpectu familiæ teſtatoris, non ceſſaret tamen omnino, quia poſſet remanere reſpectu familiæ ipſius legatariæ, cuius etiam maius bonum præſumitur intentum fuiſſe à teſtatore, niſi ex circumſtãtijs aliud colligeretur, vel in aliquo caſu per accidens aliud nõ præſumeretur vt in tertia concluſione declarauimus.

Ex his omnibus infero non ſẽper valere

15 argumentum à ſtatuto ad vltimam voluntatem, niſi ijdem effectus haberentur, tunc enim valere poteſt.

QVAESTIO DECIMATERTIA.

An legatum à Teſtatore relictum ſingulis annis inter pauperes diſtribuendum poſſit executor totum ſimul illis erogare.

1 *Declaratur caſus.*

2 *Controuertitur apud DD. an hæres poſſit præuenire tempus à teſtatore deſignatum, &c.*

3 *Opinio negatiua à pluribus defenditur, eaque triplici argumento probatur.*

4 *Sententia affirmatiua ab alijs defenditur.*

5 *Vtraque ſententia vt iacet non admittitur ab auctore.*

6 *Proponitur duplex forma ſub qua legatum inſtitui potuiſſet.*

7 *Si legatum fuit inſtitutum ſub priori forma probabilior eſt ſecunda ſententia.*

8 *Si purus eſt executor ad præueniendum indiget conſenſu hæredis.*

9 *Si legatum fuit relictum pro die determinato non poteſt hæres illum diem præuenire.*

10 *Legatum annuum nequit totum ſimul diſtribui.*

11 *Nulla pauperibus irrogatur iniuria ſi hæres præueniat ſoluendo legatum relictum ſub priori forma.*

12 *Præuentio iſta non eſt contra mentem teſtatoris.*

13 *Soluitur argumentum deſumptum ex l. Cum pater, declarando textum.*

IN ſuo teſtamento Titius relinquit v. g. mille aureos, vt ab hærede, ſeù executore emantur tot redditus annuales, & pauperibus erogentur pro anima ipſius teſtatoris. Defuncto iam Titio, executor, ſeù hæres (de vtroque enim indiſcriminatim loquor) vult totam mille aureorum ſũmam ſemel pauperibus diſtribuere, quæritur, num id fieri licitè poſſit. Vt autem ad quæſitum exactam demus ſolutionem, oportet illud ſub diuerſis, & vniuerſalioribus terminis expendere, & decidere. 1

Solent Authores celebrem illam controuerſiam hinc indè expendere, videlicet, num hæres poſſit præuenire tempus à teſtatore deſignatum ad reſtituendum fideicommiſſum; ſicut ſi Titius inſtituat vxorem ſuam hæredem, eamque grauet vt poſt mortem reſtituat, ſeu diſtribuat bona hæreditatis pauperibus, an eo caſu vxor hæres poſſit, dũ adhuc ipſa eſt in viuis præueniendo tempus à teſtatore coniuge deſignatum, eligere pauperes illiſque diſtribuere ea bona? Bipartita eſt ſententia, & vtraque ſatis communis. 2

Partem negatiuam defendit *Barthol. in l. Cum pater, §. A filia, ff. de leg. 2. & in l. Poſt mortem num. 2. de fideicommiſſis, & ibi, Iaſon num. 7. Decius conſ. 416. n. 20. & ſeq. Ruin. conſ. 24. num. 2. lib. 2. Pariſ. conſ. 23. lib. 3. num. 22. & alij, quos citat Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 8. tit. 5. num. 20.* Probatur primo hæc ſententia, quia dilatio illa temporis in diem incertũ non fuit adiecta in fauorem hæredis, ſed pauperum futurorum poſt mortem hæredis; ergo præuentio cedit in eorumdem pauperum præiudicium. ſecundo, quia præuentio eſt contra mentem teſtatoris, & eius diſpoſitionem, quæ cum ſit poſſibilis, & honeſta, non debet mutari. tertio, principaliter probatur per *tex. in l. Cum pater, §. A filia, ff. de leg. 2.* vbi refertur quod Titius 3

tius pater inſtituit filiam, à qua petijt, vt prædia relicta poſt ſuam mortem ipſa relinqueret, cui voluerit ex ſuis liberis nepotibus ipſius teſtatoris; At filia viuens elegit vnum ex ſuis filijs, cui prædia donauit. in ea igitur lege declaratur validam non fuiſſe eam donationem ob diem incertum fideicommiſſi: vnde deducitur quod cum alicui committitur electio, nequeat ille ante tempus cum effectu eligere, & ſic in caſu noſtro hæres Titij, qui poſt ſuam mortẽ debebat legatum in pauperes diſtribuere, non poterat præueniẽdo ante diem ſignatum, diſtributionem facere.

4 Sed affirmatiuam partem tuentur alij graues, & non minoris notæ Doctores *Bal. in l. Poſt mortem: Fulgoſius ibidem nu. 2. Ancbar. conſ. 202. num. 4. Abbas conſ. 31. num. 1. Gomez in l. Tauri 17. nu. 7. Guttierrez lib. 5. pract. quæſt. 76. n. 11. Couar. cap. Tua num. 5. de teſtam. Mantica l. c. Gonzales de Altern. Gloſ. 2. numer. 48. & ſeq. Grat. in diſcept. foren. cap. 73. num. 1. Antonius Leoncillus de priuileg. pauper. p. 2. priuil. 384. & quamplures alij.* Verum *Simon de Pratis de interpret. vlt. vol. lib. 3. num. 2. interpret. 1. num. 74.* quamuis priorem ſententiam negatiuam ſuſtineat, & præſertim in executore teſtamentario ob defectum authoritatis, & mandati, vt ipſe ait, quod ante tempus deſignatum nõ habet; nihilominus *nu. 76.* faciliùs id admittit in hærede.

5 Cæterum neutra ex his ſententijs, vt iacet, videtur eſſe admittenda. Antequam vero quæſtionem hanc decidam; oportet præſupponere tanquam certum principiũ, quantum fieri poteſt, eſſe, ſaltem ex coniecturis, inquirendam mentem teſtatoris, & iuxta illam eſſe procedendum.

6 Hęc autem mens coniectari maximè debet ex forma, ſub qua legatum, ſeu fideicommiſſum à teſtatore relinquitur, & vt reſtringam rem ad pauca; poterit legatum relinqui ſoluendum totum ſimul poſt mortem ipſius teſtatoris aliquo determinato tempore tranſacto v. g. poſt ſex menſes, poſt annum, &c. aut poſt mortem hæredis: vel ſucceſſiuè tali die feſtiuo, aut denique in perpetuum ſingulis annis. Ex his autem diuerſis diſpoſitionibus, diuerſa teſtatoris intentio colligitur: idcirco quid ipſe ſentiam per nonnullas concluſiones declarabo.

7 Dicendum eſt primo. ſi legatum relinquitur priori modo, nempè ſoluendum ab hærede poſt aliquod tempus, probabiliorẽ exiſtimo ſecundam ſententiam, ſi ex alijs extrinſecis circũmſtantijs oppoſita voluntas teſtatoris non præſumatur. Probatur concluſio, tum quia principalis intentio teſtatoris inſtituentis tale legatum præſumitur fuiſſe ſalus propriæ animæ, cui magis conducit citiùs eleemoſynam dari; tum quia non videtur teſtator ad illud legatum faciendum ductus fuiſſe ob affectionem erga præſentes potiùs quàm futuros pauperes, ſed reſpexiſſe genus pauperum, vt ſic, & ideò eius mens adimpletur quicũque eligantur pauperes: tum quia dilatio illa temporis adiecta videtur in gratiam hæredis, qui poteſt iuri ſuo cedere. Poteſt etiam concluſio confirmari per *tex. in l. Vxorem, §. Sceuola, ff. de leg. 3. & in l. Poſt tempus C. de fideicommiſſis.*

Dicendũ eſt ſecundo, ꝙ hæc eadem ſen- 8
tentia amplectenda eſt in ordine ad purum executorẽ, qui nõ eſt hæres ſi tamen hæres præſtet cõsẽſũ, quatenus præuẽtio aliquod præiudiciũ illi poterit irrogare. Concluſio hæc eſt ſpecialiter contra Simonem de Pratis ſuperius citatum. Ratio, qua moueor eſt; quia præuentio iſta in caſu poſito præſumitur conformis voluntati teſtatoris; nã dilatio, vt pręcedente cõcluſione probaui, adiecta fuit in gratiam hæredis, & nõ vt forma, hæres autem, vt dixi, poteſt renunciare fauorabilem hanc dilationem in ſui cõmodum adiectã. Neque recurras ad id, quod ſupra aſſeruimus, videlicet voluntatem teſtatoris, quãdo eſt poſſibilis, & honeſta; non poſſe etiam in melius ab hærede, ſeu executore commutari; ne recurras, inquã, ad hoc, quia tunc locum non habet commutatio in melius, quando diſpoſitio ſub tali, vel tali modo, non eſt in gratiam alterius, ſed eſt ex ſolo beneplacito teſtatoris, qui ità voluit: iſta vero dilatio in prædictis circumſtantijs cenſetur data in beneficium hæredis, proindè hærede ipſo aſſentiente, nil prohibet quominus in melius commutetur.

Dicendum eſt tertio ſi legatũ relictũ fuit 9
vt diſtribueretur tali die feſtiuo determinato V. G. die puriſſimæ cõceptionis Virgineæ; non poterit hæres præuenire, quia ex tali coniectura infertur teſtatorem peculiarem reſpectum habuiſſe ad tempus, & legatum inſtituiſſe ob deuotionem Deiparæ ſub tali forma ita *Gratian. diſcep. cit. n. 2. Leõcillus vt ſup. n. 4.* & hoc oſtẽdit quotidiana praxis in diuerſis Eccleſijs, in quibus diſpoſitio teſtatoris, exactè ſeruatur.

Dicendum eſt quarto legatum relictum 10
vt ſingulis annis inter pauperes diſtribuatur, nequit totum ſimul diſtribui. Concluſio iſta directè reſpondet quæſito, quod in titulo huius quæſtionis habetur. Eam vero probo ex recepto illo principio, nempè in dubijs voluntatem teſtatoris ex coniecturis eſſe colligendam, & inuentam certò, aut præſumptiuè, eſſe omnino ſeruandam: hoc principio præhabito, probo concluſionem hanc: nam illa annualis diſtributio vide-

tur

tur fuiſſe intenta à teſtatore non in gratiã hæredis, ſed vt ipſius memoria progreſſu temporis melius conſeruetur, & quo longior erit temporis dilatio, eo fortior erit iſta præſumptio: vnde fortiſſima erit, ſi legatum fuerit perpetuum; vt ſic enim non cenſetur ſucceſſiuam diſpoſitionem feciſſe in gratiam hæredis, cũ perſeuerare debeat poſt eius mortem eiuſque hæredes. & hæc mihi videntur probabilius dicenda de his, aut ſimilibus diſpoſitionibus. ſupereſt vt argumenta adducta pro priori ſententia negatiua initio relata diluamus, quatenus faciunt contra has concluſiones à nobis poſitas, & præſertim contra primam.

11 Ad primum reſpondeo, nullam inferri iniuriam pauperibus futuris, quia, vt oſtẽdi, teſtator diſponendo ſub illa forma, non fuit motus affectione aliqua erga hos potius, quam alios pauperes, ſed motiuum eius fuit paupertas in genere; atque adeo nullum maius ius acquiſitum fuit ab illis determinatis pauperibus quam ab alijs in ordine ad tempus.

12 Ad ſecundum aio præuentionem non eſſe contra, ſed potius iuxta mentem teſtatoris vt probaui in ſecunda concluſione.

13 Ad tertium argumentum deſumptum *ex l. Cum pater, §. A filia*, diuerſas tradunt Authores ſolutiones, quas in particulari hic referre non curo: expeditius tamẽ mihi videtur dicendum, varia inter vnum, & alterum caſum diſcrimina inueniri. & primo in caſu illo relato in *l. Cum pater*. diſpoſitio teſtatoris erat tacitè conditionalis, nempè ſi filij ipſius fideicommiſſariç exiſterent tempore mortis eiuſdem fideicommiſſariæ, & tunc vni eorumdem filiorum erat reſtituendum fideicommiſſum, & quia incertum erat an futuri eſſent fideicommiſſariæ ſuperſtites filij, idcircò non poterat fideicommiſſaria vi teſtamenti reſtituere fideicommiſſum alicui ex filijs tãquam vocatis à teſtatore, nam ſi obijſſent ante mortem matris hęredis; fideicommiſſum effectum fuiſſet caducum, & ab eiſdẽ filijs tranſmitti non potuiſſet: incertitudo autem iſta cõditionalem reddebat diſpoſitionem: & quamuis filia teſtatoris inſtituta hæres, viuens potuerit aſſignare rem, quæ erat ſub fideicommiſſo vni ex ſuis filijs, donando illi commoditatem, ſeu vtilitatem medij temporis, quæ ad ipſam ſpectabat; nihilominus, vt aduertit *Gloſ. ibi, v.* [*Non eſſe electionem*,] & alij ſcribentes talis donatio non fuit irreuocabilis, poterat enim reuocari, neque fuit reſtitutio vi diſpoſitionis, quæ facienda erat in morte hæredis, quia euenire potuiſſet, vt filius electus moreretur matre adhuc viuente, vt ait *Paulus de Caſtro in l. illa poſt mortem*. & ſic ſi donatio fuiſſet irreuocabilis, nõ potuiſſet, filio donatario pręmoriente, ipſa filia fideicommiſſaria tranſmittere fideicommiſſum ad alium filium exiſtentem tempore ſuæ mortis, iuxta diſpoſitionem teſtatoris. ſed in caſu noſtro, perſona, cui fieri debet reſtitutio deficere nequit, eſt enim collegium pauperum, quod in perpetuum durat, imò vt inquit *Baldus in l. Poſt mortem n.* 10. *Gonzales loc. cit.* & alij, eſt ipſe Deus, in cuius obſequium dirigitur legatũm. ſecundò, in caſu illius legis agitur de reſtitutione fideicommiſſi, vt ibidem notat Bartol. in caſu autem noſtro agitur de electione pauperum, hæc vero duo ſunt valdè diuerſa, vt aduertit *Ancbar. conſ. illo cit. n.* 5. explicans mentem Bartoli. tertio in caſu illo, tempus poſt mortem filiæ fuit adiectum intuitu certarum perſonarum, nẽpè filiorum hæredis, nepotum teſtatoris: in caſu autem noſtro tempus fuit adiectum in fauorem hæredis, ne ſcilicet feſtina ſolutione nimium grauaretur, proinde hæres ipſe iuri ſuo cedere poterit, & eligere ante tempus, vt celerius anima teſtatoris ſuffragio eleemoſynæ adiuuetur. & ex his maniſeſtè apparet diſparitas inter vnum, & alterum caſum. eſſet tamen paritas, ſi dilatio temporis in caſu noſtro non fuiſſet in fauorẽ hæredis, ſed intuitu pauperum, qui poſt mortem hęredis exiſterent; tunc enim non poſſet fieri præuentio, quia tenderet in præiudicium eorum pauperum.

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

Num error in nomine irritet legatum

SVMMARIVM.

Refertur opinio, quam diſtinctione adhibita defendit Gomez. 1

Nomina appellatiua eſſe à natura, quo pacto in iure ſumatur. 2

Limitatio appoſita prædictæ opinioni. 3

Quando nomen legatarij eſt æquiuocum quid faciendum. 4

Error in nomine non reddit caducum legat ũ piũ, quod ſi in Dei cultũ fuit relictum eſt applicandum Eccleſiæ, in cuius confinio teſtator habebat domiciliũ. 5

Si teſtator nominauit Eccleſiam alicuius ſancti, & in eadem ciuitate plures ſunt Eccleſiæ eiuſdẽ ſancti, ad coniecturas eſt recurrendum. 6

Deficientibus coniecturis aliqui ſentiunt pauperiori Eccleſiæ eſſe aſſignandum; alij verò id beneplacito Epiſcopi remittunt. 7

Aliqui exiſtimant eſſe inter eaſdem Eccleſias diuidendum, & hæc ſententia placet Authori. 8

T Si

Digitized by Google

9 *Si legatum eſt profanum aliqui iuriſtæ cenſent fieri caducum.*

10 *Oppoſitum in foro conſcientiæ placet Authori, nimirum non fieri caducum, ſed eſſe diuidendum inter eos, de quibus eſt incertitudo.*

11 *Teſtator voluit hæredem priuare legato illo.*

12 *Quamuis legatum in ordine ad legatarios vitiaretur, deberet in pauperes diſtribui.*

13 *Si eſt opinio æquè probabilis, cuinam ex duobus ſit aſſignandum legatum, eſſe poſitum in voluntate hæredis eligere alterutrum exiſtimauit Cardinalis Delugo, ſed non placet Authori, & impugnatur.*

1 Hanc dubitationem proponit *Antoninus Gomez in comment. variarũ reſolutionum tom.1.cap.11.n.9.* & reſpondet cum diſtinctione, & rectè, videlicet ſi error ſit in nomine proprio ad beneplacitum impoſito, tunc non vitiari legatum, ſi vero nomen illud ſit appellatiuum, & impoſitum à natura, vel iure gentium, tunc irritum eſse legatum. de vtroque caſu manifeſta ponuntur exempla: v.g. teſtator legatum faciat de quodam fundo, quod ex placito hominum vocatur Cornelianum, at in diſpoſitione ex errore dicatur Sẽpronianum, ſed conſtet ex confinibus de corpore ipſo legato, aut quia nullum aliud teſtator habuerit fundum; tunc validum erit legatum, non obſtante nominis errore. ratio autem eſt, quia cum nomen ſit ex placito, & voluntate, poterit nomen ab eadẽ voluntate mutari, atquè adeò cum conſtet de corpore, parum refert ad valorem legati ſi teſtator alio nomine illud vocet. contra vero ſi erret in nomine appellatiuo impoſito à natura, vt ſi dicat lego v. g. bouem, & ſit equus, aut dicat lego vineam, & tamen res legata ſit aliquod mobile, vt vinum, frumentum, &c. ratio autem eſt, quia cum nomen illud ſit impoſitum à natura, vel iure gentium, non eſt mutabile per teſtatoris voluntatem; & hanc ſententiam docet *Sanchez* alia occaſione *lib.8. de mat. diſp.21.n.33. Vaſquez opuſc. de teſtam. cap. 8. §.4. dub.1. Ioann. Delugo tom.2. de iuſt. diſp.24. ſect.9 n.249.*

2 Si quis autem objiciat probãdo ex vniuerſali Philoſophorum doctrina omnia nomina eſse ad placitum, & dependere ab hominum voluntate, atque adeò vanam cenſeri prædictam diſtinctionem de nomine proprio, quod dicitur imponi à voluntate, & appellatiuo, quod habetur à natura, nam omnia, ſiuè propria, ſiue appellatiua à voluntate imponuntur. reſpondetur cum dicitur nomina appellatiua eſse à natura, non ſumi in eo rigore philoſophico, ſed quatenus ita ſunt impoſita ab initio, vt nõ poſſit quilibet ſuo arbitratu variare illa. v.g. hoc nomen, equus, ab initio apud latinos impoſitum fuit ad ſignificandum tale animal, nempè hinnibile, & non rugibile; non eſt autem in poteſtate particularium, animal, quod eſt equus, vocare bouem, & vice verſa. ſecus in nominibus proprijs, nã dominus alicuius prædij poteſt ad ſui libitum ſub quocumque nomine prædium illud vocare. hanc reſponſionem colligo *ex Gloſ. in ea lege* exponendo caſum.

3 Huic ſententiæ adhibenda eſt limitatio, quam ponit Gomez videlicet locum habere quando res legata non eſt pręſens teſtatori leganti, ſi autem ſit præſens, ita vt ad oculum demonſtretur, & teſtator, dicat lego hunc bouem, quem præſentem habeo, cum tamen ſit equus; tunc validum erit legatum, & error, ſiue in nomine proprio, ſiue appellatiuo non eſt ſufficiens ad irritandum ipſum legatum, nam res ſub oculis poſita tollit errorem, vt docet *Gloſ. in l. Quæ extrinſecus, ff. de verb. ſignif. ver. appellatione*, & plures quos ipſe met Gomez laudat in fine illius numeri, paria enim ſunt rem aliquam, vel perſonam in præſentia demonſtrari, ſiuè proprio, ſiue appellatiuo nomine vocetur.

4 Quæres, quid faciendum cum nomen legatarij eſt æquiuocum, nempè quando duo eodem nomine appellantur v.g vocẽtur, Petrus, & teſtator non ſe declarauit; cuinam ex his duobus legatum relinquere voluerit. reſpõdeo caſum ſimilem expreſſum haberi in iure ciuili, ſcilicet *in l. Duo ſunt Titij, ff. de teſtam. tut.* ibi enim proponitur duos eſſe, nempe patrem, & filium eiuſdem nominis videlicet Titij, & datum fuiſſe in tutorem Titium non explicando quem nam ex duobus. hic eſt caſus ſimilis, quęritur modo, nũ perſonę nomẽ vitiet diſpoſitionẽ, & in caſu noſtro legatum? aio igitur prius eſſe recurrendum ad coniecturas, vt de illis deprehendatur voluntas teſtatoris, nempè ſi vnus ex illis duobus fuerit amicitia, aut conſanguinitate coniunctus, aut ſtrictior, quã alius, vel ex alijs coniecturis, ex quibus veritate quantum fieri poteſt comperta, ei aſſignandum eſſet legatum, quem probabiliter nominare voluerit teſtator: ſi autem etiam omnibus penſatis, non poſſet deueniri in notitiam voluntatis teſtatoris; cenſent iuriſtæ legatũ illud irritum fore, & neutri aſſignandum, & hoc quia vt dicitur in lege prædicta, non quia ius deficiat, ſed quia deficit probatio iuris: quid autem in re hac dicendum, mox aperiam, exordium ſumens à legatis pijs.

5 Dicendum eſt primo cum canoniſtis, ſi de legato pio agatur non fieri caducum, ſed

igitized by Google

ſed ſi in Dei honorem relictum fuerit, eſſe applicandum illi Eccleſiæ, in cuius confinio teſtator legans habebat domicilium:
6 ſi vero teſtator nominauerit Eccleſiam alicuius ſancti, & in eadem ciuitate reperirentur plures Eccleſiæ eiuſdem ſancti; dandũ eſt illi Eccleſiæ, cui ex coniecturis colligeretur legatum relinquere voluiſſe teſtatorē, cõiecturæ autē plures eſſe poſsēt. v. g. vel ſi talis particularis Eccleſia eſſet intra parochiã teſtatoris, vel quia ſæpe in illa orare conſueuerat, vel quia ibi ſepulchrum ipſius teſtatoris ſit conſtructum, vel quia teſtator ſine addito talem eccleſiam nominare ſoleba, talias vero cum addito, & ſimilia. deficientibus vero coniecturis, aſſi-
7 gnandum eſſe pauperiori ex illis. ita aſſerit *Molina de iuſt. diſp. 197. num. 3. Delugo ſect. cit. num. 250. & hoc ex Authent. coll. 9. de eccleſias. tit. 55. ſi quis in nomine magni Dei. Panorm. cap. Indicante n. 4. de teſtam. Couar. ibidem n. 2. loco cit. Medina loc. cit.* Sed alij ſentiunt quod ſi nihil conſtare poterit; & res maneat omnino dubia, poſſe ab Epiſcopo legatum aſſignari illi eccleſię, cui voluerit ipſe. ita *Sanchez lib. 4. conſil. cap. 2. dub. 8. num. 2.* & apud ipſum *Syluester*, *& Roſel.* quam opinionem etiam ſequitur *Diana p. 3. tract. 5. miſcel. reſol. 58. ver. notandum eſt.*

8 Rurſus alij cenſent legatum diuidendum eſſe inter eccleſias prædictas, ita *Couar. c. Indicante nu. 2. de teſtam.* ſequens opinionem *Barbatij eod. loc.* tanquam veriorem, cui etiam adhæret *Molina diſp. cit. n. 3. in fine, & Ioan Delugo. ſect. cit. n. 251. in fine.* ſententia iſta mihi placet, eamque puto eſſe omnino recipiendam, & huic ſententiæ fauet *tex in cap. Cum quis de ſepult. in 6.* vbi pontifex decicit canonicam portionem diuidendam eſſe inter duas eccleſias parochiales, in quibus ille, qui defunctus eſt ſolebat domicilium habere. Et hæc ſatis ſint quoad legata pia, ſupereſt tamen aliquid dicendum de legatis profanis. Quę
9 iuxta mentem quorumdam iuriſtarum, inualida efficiuntur quando eſt incertitudo legatariorum: quod colligunt tum ex *l. cit. duo ſunt Titij, tum ex l. ſi fuerit ff. de reb. dub.* tum etiam ex alijs iuribus, quę adducuntur à Molina initio prædictæ diſputationis.

10 Sed oppoſita ſententia in foro conſciẽtiæ eſt omnino amplectenda, vt rectè docet noſter *Molina diſp. cit. n. 2. Ioan. Delugo ſect. illa 9. num. 251.* dicunt enim, non obſtante incertitudine prædicta legatarij, legatum eſſe validum, & ab hærede retineri non poſſe, ſed eſſe diuidendum inter ipſos legatarios, de quibus dubitatio habetur, cuinam ex illis teſtator voluerit illud relinquere. Probatur primo, quia iuriſconſulti in legibus allatis propriam voluerũt declarare ſententiam, non autem condere legem, cum talem legem efficere non potuiſſent, quia ius naturæ contrariũ præſcribit, & in hoc iuriſtæ illi decepti ſunt. & confirmatur, quia Paulus iurecõſultus oppoſitum expreſsè aſſerit in *l. ſi quis ſeruus § ſi inter duos ff. de leg. 2.* vult enim quod quando ignoratur, cui nam ex duobus legatum ſoluendum ſit, poſſe ab ipſo, cuius eſt onus ſoluendi, eligi quem voluerit ex illis duobus: ergo cenſet legatum non eſſe irritum, neque cedere ipſi hæredi, quamuis non rectè ſentiat, relinquendo electionem arbitrio hæredis, qui, vt dixi tenetur legatum illud diuidere inter eos, de quibus eſt dubitatio, & poteſt etiam confirmari ex illa *lege, duo ſunt Titij*, vbi iureconſultus non dixit irritam eſſe diſpoſitionem, imo oppoſitum affirmat, dicens ius non deficere, ſed probationem.

Probatur ſecundo. quia voluntas teſtatoris fuit priuare hæredem ſumma illa, quę legata fuit, proinde nequit illa cedere ipſi hæredi, ſic enim fieret contra mentem teſtatoris. 11

Probatur tertio. quia etiam ſi demus legatum vitiari in ordine ad legatarios; cum tale vitiũ eſſet ratione incertitudinis perſonæ legatariæ, deberet ſaltem pauperibus erogari tale legatum in beneficium animę teſtatoris, vt fieri ſolet, quando debitum eſt certum, creditor autem incertus. 12

Addit tamen Delugo in fine illius *nu. 251.* quod ſi vtrinque eſſet opinio æque probabilis de perſona legataria, in voluntate hæredis poſitum fore, quem vellet ex illis duobus eligere: verum huic doctrinæ non ita libenter aſſentior, nã ſicuti quando eſt dubium, vt fatetur ibi ipſe Delugo, aſtringitur hæres ad diuidendum, & non alia ratione, niſi quia pares ſe habent duo illi, de quibus eſt dubitatio: ita etiã ſi ęqualis eſt probabilitas de vtroque, cum etiam pares ſe habeant, videtur legatum eſſe diuidendum, iuxta proportionem probabilitatis, & ſi vni tantum aſſignaretur totum, ius illud probabile alterius læderetur, proinde licet ſit opinio probabilis quod iſte ſit intentus à teſtatore, nihilominus non cẽſeo probabile poſſe ab hærede ipſi ſoli totum legatum aſſignari, concurrente probabilitate oppoſita, cum nemo ex illis ſit in poſſeſſione, quæ ſi adeſſet, faueret ipſi poſſidenti, & tunc nihil officeret probabilitas oppoſita, vt latè demonſtraui in *tract. de conſcientia probabili diſcep. 4. cap. 18.* hæc mihi videntur dicenda contra hanc doctrinã Ioan. Delugo, omnia tamen aliorum iudicio ſubmitto. 13

Digitized by Google

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

An teſtatore legante omnia, quæ in tali cubiculo continentur, veniant etiam chirographa, in quibus plura ipſius teſtatoris credita continentur? & quid de rebus poſtea inuectis.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur legatum relictum à teſtatore, & proponitur dubitatio.*
2 *Pars affirmatiua ſuadetur ratione.*
3 *Negatiua vero eſt omnino amplectenda, & probatur.*
4 *Satisfit oppoſitæ rationi.*
5 *Per legatum omnium, quæ ſunt in tali loco, ſi ibi ſint tantum chirographa, cenſentur legata iura, & actiones, quæ in chirographis continentur.*
6 *Quæ poſt inſtitutionem legati in eumdem locū aſportantur per voluntatem legatarij, aut alterius inſcio teſtatore, non comprehenduntur in legato, ſecus ſi voluntate ipſius teſtatoris.*

1 Titius in ſuo ſolemni teſtamento reliquit Sempronio omnia ea bona, quæ in quodam paruo cubiculo reperiebantur, in eo autem erant pecuniæ in quadam arca, veſtes, periſtroemata, & ſimilia, prętere in eadem arcâ ſeruabantur nonnulla chirographa, in quibus continebātur iura quædā, & actiones eiuſdem teſtatoris in aureis cētū cōtra aliquos debitores. quętitur num in legato prædicto chirographa iſta, & iura in eiſdem contenta comprehendantur?

2 Pro parte affirmatiua ratio videtur eſſe, quia intentio teſtatoris, ea diſpoſitione videtur legare voluiſſe Sempronio omnia bona mobilia, quæ in eo loco ſeruabantur, inter mobilia autem enumerari debēt iura, & actiones, proinde chirographa illa videntur comprehendi in legato illo.

3 Sed his minime obſtantibus, oppoſitum eſt omnino dicendum, videlicet in legato illo non comprehendi ea chirographa. Ita *Emanuel Coſta in cap. Si Pater p. 1. verb. Bonis à n. 6. Aries Pinel. in rubr. de bonis maternis par. 1 à n. 10.* & alij quos citat, & ſequitur noſter *Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 202. n. 6. & ſeq.* Fundamentalis ratio pro hac concluſione eſt, quia iura, & actiones ſunt res incorporales, atque adeo loco corporali minimè continētur, & ideo cum legatum relictum à Titio ſit de rebus in tali loco contentis, ſolum comprehendit bona mobilia corporalia ibidem ſeruata, non autem iura, & actiones, quæ in illis chirographis habentur, niſi dicamus venire papyrum, quatenus eſt quoddam ſcriptum, & in eodem loco contentum, ſed papyrus iſta ſecundum ſe, & materialiter nullius, aut perexigui valoris eſt, vt rectè aduertit Molina *eadem diſp. n. 11. 12.*

4 Ad rationem autem in contrarium reſpondetur, quamuis controuerſum ſit, num ſub bonis mobilibus, vel immobilibus cōprehendantur iura, & actiones, an vero faciant tertium bonorum genus; nihilominus alia via procedo ad ſoluendum argumentum, & aio quod licet concedam comprehendi, non veniunt tamen ſub tali legato, quia ſunt bona, quæ loco non comprehenduntur, vt dixi, & ideo non continentur ſub eodem legato, quatenus ſunt quædam inſtrumēta, & probationes, quibus vti poteſt creditor ad recuperandum id, quod ſibi debetur.

Quæres primo, quid autem dicendum ſi Titius ita legaſſet: relinquo Sempronio, quæ in tali arca continentur, & in ea non reperiantur niſi chirographa? 5

Reſpondetur, tunc præſumendum eſſe legari iura, & actiones declaratas in eiſdē chirographis. ita *Molina nu. 14. Emanuel Coſta, & Aries Pinel locis cit.* ratio eſt, quia aliter legatum eſſet irritum, & ideo ne dicamus inutiliter diſponere voluiſſe teſtatorem, ius præſumit in caſu iſto legaſſe iura, & actiones, quę in chirographis cōtinentur, quod autem ius ita ſtatuerit, patet *ex l. Quoties 2. ff. de reb. dub.* vbi dicitur, quod quando oratio eſt ambigua, conueniens eſt, vt intelligatur in eo ſenſu, ſecundum quem res, de qua eſt ſermo, magis valeat, quam pereat.

Quæres ſecundo, num in eodem legato cenſeantur relicta ea, quæ poſt inſtitutionem legati in idem cubiculum illata ſunt? 6

Reſpondeo, ſi introducta ſunt inſcio teſtatore non cenſentur legata, quia præſumitur legare ſolum voluiſſe id quod ex ſuo conſenſu explicito, vel implicito introductum fuerit in illud cubiculum, ſic *Gomez n. 49. Molina n. 14. & ex l. Cum ita legatur, ff. de leg. 2.*

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

Poteſt ne hæres, vi cruciata, circa legatum, pro pecunijs mutuò acceptis, relictū, ſe componere, ſi neque legatarius, neque alius eius hæres inueniatur?

SVMMARIVM.

Declaratur caſus. 1
Difficilis eſt quæſtio, quæ proponitur. 2
Author reſtrictè procedit. 3
Rationes pro fiſco proponuntur. 4
Proponuntur argumēta in fauorem pauperum. 5
Confirmatur à ſimili. 6

Pro-

7 *Probatur ſententia pro pauperibus argumento deſumpto ex authoritate Pontificis.*

8 *Inſtantia in contrariū proponitur, & dupliciter ſoluitur.*

9 *Argumentum ex obiecto, in quod tendit bulla compoſitionis.*

10 *Confirmatur à fortiori.*

11 *Obiectio contraria proponitur, & duplici ſolutione diluitur.*

12 *Probatur eadem ſententia pro pauperibus ex amplitudine priuilegij bullæ compoſitionis.*

13 *Remittit Author iudicio doctorum definiendam quæſtionem hanc.*

14 *Proponitur quædam doctrina Authoris data in explicatione cruciatæ non rectè intellecta ab alijs.*

15 *Defenditur eadem doctrina.*

16 *Declaratur intentio Authoris in eadem doctrina.*

1 DEclaratur caſus in hunc modum, Petrus condidit ſuum ſolemne teſtamentum, in quo Paulum hæredem inſtituit vniuerſalem in omnibus ſuis bonis ſtabilibus, & mobilibus, plura relinquens debita, & inter alia Ioanni centum aureos pro totidem ab illo receptis, quos voluit ſtatim, vt ei ſoluerentur: defuncto iam Petro, hæreditatem cum omnibus illis oneribus Paulus inijt; & intendens ſatisfacere id, quod Ioanni fuit relictum, agnouit ex hac vita illum deceſſiſſe: ideoque diligenter eius hæredem inquiſiuit, & facta diligentia morali, nullum Ioannis hæredem inuenire potuit; quapropter caſum Theologis proponens, petijt ab illis, num poſſit centum illos aureos pauperibus erogare, vel ſuper eiſdem ſe componere virtute bullæ cruciatæ? ſuppono enim Paulum inueniri in illis locis, in quibus viget priuilegium cruciatæ.

2 Difficilis ſeſe offert controuerſia, & valdè quidem implicata, ad quam enodandā, oportet priùs, quantum ad rem præſentem facit, diuerſa bonorum genera præſupponere, quædam enim talia ſunt, vt ipſorum dominus, etiam præmiſſa diligentia ignoretur; & hæc vocantur à doctoribus bona incerta, quæ pauperibus ſunt diſtribuenda iuxta diſpoſitionē iuris canonici per textum *in cap. Cum tua de vſuris*, adiuncta explicatione doctorum extendentium textū ad alia debita etiam ratione diuerſorum delictorum, in his autem bonis locum habet compoſitio virtute bullæ cruciatæ, & de hac re in præſentia non ago, quia in explicatione eiuſdem cruciatæ fusè de eadem re ſermonem habui *par. 3. trac. 5.* alia autem bona, de quibus poteſt eſſe dubitatio, & controuerſia, appellantur vacantia, quatenus ſub nullius dominio manent, & ideo dicuntur vacare, hæc autem bona sūt in multiplici differentia, eaque declarat *Franciſcus de Alfaro de offic. fiſcalis Gloſ. 20. §. 9. n. 119. & ſequent.* & apud ipſum *Platea in l. 1. cap de bon. vacan.* ex his autē bonis, alia dicuntur de iure, & de facto vacare, inquantum ſub nullius dominio eſſe poſſunt, cuiuſmodi ſunt res ſacræ, vt habetur *§. Nullius, inſtit. de rer. diuiſ.* alia vero dicuntur de facto, & non de iure vacare, quatenus poſſunt alicuius dominio ſubijci, licet nunquam ſubiecta fuerint, & tales ſunt lapilli, gemmæ, quæ in littore maris reperiuntur, & pariter feræ, & ſimilia. *§. Feræ inſtit. de rer. diuiſ.* hæc autem cum inueniuntur fiunt primò occupantis. alia vero fuerunt de præterito ſub dominio alicuius, actu autem non ſunt, vt animalia illa manſueta, quæ amiſerunt conſuetudinem reuertendi, atque adeo in priſtinam libertatem redierunt; ad hæc bona pertinent theſauri propriè dicti, quorum dominium diuturnitate temporis deperditum fuit, ideò primò inuentori ſecundum ius naturæ acquiruntur, præciſis tamen legibus particularium locorum. denique ſunt bona vacantia illa, quorum dominus ex hac vita decedens nullum habet hæredem vſque ad decimum gradum, iuxta diſpoſitionem iuris ciuilis *in l. 1. de iure fiſci, & l. vacantia, cod. de bon. vacant. lib. 10* quamuis *Alfaro gloſ. cit. à n. 126.* intendat decimum gradum apud iuriſtas, eſſe quintum apud canoniſtas, nam vario modo ipſi ſumunt lineam, & numerum perſonarum gradum conſtituentium, ſed de hoc puncto nihil in præſentia eſt agendum, cum potius ſit præſupponendum: in prædictis autem iuribus diſponitur bona vacantia vltimi generis pertinere ad fiſcum, quod etiam communiter docent Authores, quibuſdam tantum caſibus exceptis, quos declarare non curo, cum non faciant ad rē præſentem.

His omnibus præhabitis. quæſtionem hanc reſtrictè exagitabo, ſupponendo defacto nullum hæredem Ioannis creditoris inueniri, & conſequenter ius petendi legatum, ſeu pecuniam receptam à Paulo, eſſe vagum, ſeu vacans, ſub nomine enim bonorum mobilium, ſtabilium, &c. comprehēdo etiam iura, & actiones, niſi aliud in diſpoſitione locutionem reſtringente notetur. Quæritur ergo, num Paulus deficientibus hæredibus Ioannis creditoris, poſſit pecuniam debitam, vel pauperibus applicare, vel in illis ſe componere virtute cruciatæ, ſi autem ponatur ſolutionem fieri poſſe pauperibus, manifeſtè ſequitur locum eſſe compoſitioni, vt probaui in *explic. ipſius cruciatæ l. c.* diſcutienda igitur 3

eſt

Digitized by Google

eſt quæſtio in ordine ad pauperes, qui in præſenti diſſertatione quaſi contendere videntur cum fiſco, vnuſquiſque enim ipſorum intendit pecuniam ſibi eſſe ſoluendam. quæſtionem quidem hãc, ſub his terminis, nempe reſpectu bonorum vacantiũ huius vltimi generis, quæ propriè vacantia appellari ſolent, apud neminem exagitatam hactenus vidi; proponam autẽ rationes pro vtraque parte.

Pro fiſco quidem extant manifeſta iura ſuperius citata *nempe l. 1. de iure fiſci, & l. vacantia Cod. de bon. vac.* quæ apertè diſponunt bona iſta vacantia, eidem fiſco
4 adiudicanda, & hoc iuſtè à Principe diſponi potuit, quia bona particularis ciuis, qui eſt pars totius Reip. ipſo deficiente, manere debent ſub arbitrio, & diſpoſitione ipſius Reip. ac proinde Princeps, qui eſt caput eiuſdem Reip. poterit, vel ſibi, poſita cauſſa rationabili, vel cui voluerit applicare bona illa, & quia leges illæ non ſunt pœnales, ſed diſpoſitiuæ; ideo obligare videntur ante iudicis ſententiam: proinde Paulus debitor in foro etiam conſcientiæ adſtrictus erit ſoluere centum illos aureos fiſco, vel alteri perſone, cui à Principe bona iſta vacantia fuerint applicata, & ideo non poterit Paulus illos pauperibus erogare.

5 Cæterum pro pauperibus ſunt argumẽta, & non contemnenda. Primo quia bona iſta ſi non poſſent pauperibus applicari, maxime quia obſtaret diſpoſitio legalis ſuperiùs relata, ſed illa nõ obſtat; ergo bona iſta poſſunt pauperibus applicari. maior eſt certa; quia non alia ratione ab Auctoribus probatur bona iſta fiſco eſſe adiudicanda, niſi ratione illa, quæ eſt deſumpta ex diſpoſitione iuris ciuilis: minor autem ſuadetur in hunc modum. bona quædam vacantia, quæ Hiſpani vocant, Moſtrẽcos, vt ſunt bona ſe mouentia, vt bos, equus, ouis, pecus, & ſimilia, & quæ Domino carent, ſunt à Rege applicata ordini Sanctæ Mariæ de Mercede, aut ordini Sanctiſſimæ Trinitatis pro redemptione captiuorum; ideoque inuenta ſtatim debent ſecundum aliquos auctores ab inuentore aſſignari alterutro ex illis ordinib', quę, tñ bona nulla facta diſpoſitione, fuiſſent fiſco regio applicanda; nihilominus non deſunt auctores, qui dicant conuerti poſſe in ſubſidiũ pauperum, vel in alios vſus pios, & ita docet *Petrus Nauarra lib. 4. de reſtit. cap. 2. nu. 75. & ſeq. Trullench in expoſit. cruc. lib. 3. caſ. 14. nu. 13. in fine, Couarruuias in reg. peccatum. par. 3. §. 1. num. 6.* vbi varijs argumentis probat leges, quæ diſponunt de rebus inuẽtis, & nõ in vtilitatẽ Domini ignoti, non eſſe ſatis equas, quãuis in fine eiuſdem numeri dicat forſitan defendi poſſe in animæ iudicio, modo res inuenta Domino petenti reddatur, etiam poſt præconia, & ſententiam iudicis, &c. limitat tamen Trullench ſententiam Nauarri caſu, quo conſuetudo recepta, & in conſcientia communiter approbata, aliter non præſcribat: ſi igitur talia bona ſecundum aliquos auctores, non obſtante lege, poſſunt in foro conſcientiæ pauperibus applicari. idem ſecundum prædictorum mentem dici debet de alijs bonis vacantibus non ſe mouentibus; eſt enim paritas imo identitas, parum enim facit ad præſentem quæſtionem, bona, quæ vacant ſe mouere, aut non ſe mouere.

Et confirmatur à ſimili, nam in multis 6
prouincijs extat lex, ſeu conſuetudo, per quam theſauri inuenti Regi, ſeu Principi reſeruantur, & tantum quarta pars conceditur inuentori, & nihilominus putant aliqui doctores non obligari ſubditos in conſcientia ad aſſignandum Regi theſaurum inuentum. ita *Syluester* loquens de conſuetudine iſta, quam dicit ex violentia, & ſine populi approbatione eſſe introductam *ver. Inuentum n. 13. Sotus de iuſt. lib. 5. qu. 3. art. 3. ad ſecundum, Trullench in cruc. lib. 3. caſ. 14. n. 10. Lopez in inſtruc. par. 2. cap. 2.* qui docet inuentorem non obligari antequam exigatur, & in hanc ſententiam inclinat *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 5. nu. 66.* in fine, vbi referens conſuetudinem, vt theſaurus, in quocunque loco inuentus principi aſſignetur, addit à multis iudicari in conſcientia non obligare, & licet ſubdat interdum iuſtam eſſe cauſſam, vt pars aliqua Principi aſſignetur, videlicet ad ſuſtinenda Reipublicæ onera; concludit tamen videri durum, valde difficile, & iuri naturali diſſonum totum theſaurũ applicari ipſi Principi, licet contrarium dicat non eſſe improbabile. ex his autem infero eſſe probabile quod leges de bonis vacantibus nõ obligent in foro conſcientiæ ad tradenda bona ipſi fiſco, antequam petantur: eadem enim videtur paritas de omnibus his legibus. profecto leges prædictæ de bonis vacantibus non videntur habere maiorem vim ad obligandum, quam habeant leges tributorum, quæ iuxta multorum ſententiã non obligant in conſcientia quando ſaltẽ ſunt ſuper rebus ad vſus proprios neceſſarijs.

Secundo probatur hæc ſententia in fa- 7
uorẽ pauperũ argumẽto deſũpto ex ſuprema Põtificis auctoritate; quã habet ſupra omnem humanam, & ſecularem poteſtatẽ, in his, quæ ſpectant ad conſcientiam fidelium, & in ordine ad finem ſupernaturalem. vt autem argumentum ex tali Pontificis auctoritate formamus, ſupponere debemus bona, quæ incerta appellantur manere ſub libera Reip. diſpoſitione, quia bo-

Digitized by Google

bona, quæ iure gentium diuiſa fuere, quando ipſorum dominus non inuenitur reuertuntur ad priſtinum ſtatum, ideoque eorũ diſpoſitio pertinet ad communitatem, quæ in tali caſu ſuccedit in bonis propriorum ciuium; hæc autem facultas diſponendi de his bonis transfertur ab eadem communitate in Principem, qui eſt caput ipſius communitatis: nihilominus Summus Pontifex, qui eſt ſupra omne ius humanum in ijs, quæ ad conſcientiæ ſecuritatem, & tranquillitatem attinẽt, non obſtante facultate illa, quam habet communitas, ſeu Princeps diſponendi de his bonis, poteſt illa pijs operibus applicare in commune bonum totius Chriſtianæ Reipublicæ, vel in vtilitatem ſpiritualem Domini, & ſic bona ipſa cenſentur in finem ſupernaturalem ordinata; imo poteſt Pontifex horum bonorum diſpoſitionẽ ſibi reſeruare, facultatem diſponendi auferendo à Principibus ſæcularibus, vt notat *Azor. part. 3. inſtit. moral. lib. 4. cap. 28. quæſito 8. ver. in hoc Papa, Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 14. dub. 6. n. 40. Aloyſius Turrianus eodem tract. d. 41. dub. 2. n. 5. & 6.* Igitur ſicuti Summus Pontifex ob fines prædictos poteſt facultatem diſponendi de incertis ſibi reſeruare; ita etiam de bonis, quæ vacantia ſpecialiter nominãtur, eadẽ enim eſt ratio.

8 Sed dices: quamuis Pontifex tanquam vniuerſalis Paſtor Chriſtianæ Reip. poſſit omnium prædictorum bonorum diſpoſitionem ſibi reſeruare, & bona ipſa in vſus pios conuertere, vt de facto diſpoſuit de bonis incertis; nihilominus de bonis vacãtibus diſpoſitionẽ Pontificiã nõ habem⁹; proinde pro talibus bonis remanere debet diſpoſitio iuris ciuilis, & ita non valet argumẽtũ à bonis incertis, ad bona vacãtia.

Reſpondeo primo, quod quamuis daremus nullam vſque adhuc diſpoſitionem Pontificum emanaſſe ſuper bonis vacantibus; atque adeo ſolum extare diſpoſitionem iuris ciuilis applicantis fiſco bona prædicta, nihilominus, non obſtante diſpoſitione iuris, non improbabiliter, ſecundum quorumdam doctrinam ſuſtinetur bona iſta vacantia poſſe diſtribui pauperibus, aut applicari alijs pijs operibus, quemadmodum de alijs bonis, de quibus habetur lex ciuilis in contrarium, oſtendimus pauperibus applicari poſſe.

Reſpondeo ſecundo probabiliter, ni fallor, à Pontifice diſpoſitionem horum bonorum vacantium dici poſſe comprehenſam fuiſſe ſub diſpoſitione ſuper bonis incertis, ad quod aſſerendum triplici ducor ratione, primo, quia motiuum, quo Pontifex ductus fuit ad diſponendum de bonis incertis, ꝙ ponitur in procemio bullæ cõpoſitionis, vim habet etiam pro bonis vacantibus, declaratur enim ibi à Pontifice concedi bullam hanc ad ſecuritatem conſcientiæ fidelium, & vt ipſi excitentur ad reſtitutionem aliquam faciendam de bonis iſtis incertis, idem motiuum vrget etiã ad diſponendum de vacantibus, nempè ſecuritas cõſciẽtiæ fideliũ, & excitatio eorũdẽ ad aliqualẽ reſtitutionẽ faciẽdã quam ſine tali excitamento ſæpe non facerent.

Secundo ducor, quia obiectum, in quod tendit bulla iſta compoſitionis, quando dominus bonorum ignoratur, eſt incertitudo dominij, at incertitudo iſta æqualiter ſe habet, tum ad bona, quæ appellantur incerta, prout contradiſtincta à vacantibus, tum ad ipſa bona vacantia; ergo poſſumus aſſerere ſub diſpoſitione illa facta à Pontifice vtrumque bonorum genus comprehendi, nam diſpoſitio eſt generalis, & nullã habet limitationẽ ab ipſo Põtifice; proinde neque à nobis limitatio illi eſt adhibẽda. 9

Tertio confirmatur totum hoc à fortiori, nam communiter Authores extendunt facultatem componendi commiſſario cõceſſam, non ſolum ad bona, quando ſunt incerta, ſed etiam ad certa, ſi tamen dominus longè abeſt, & magni ſumptus eſſent neceſſarij ad reſtitutionem hanc faciendã: ita docet *Henriquez lib. 7. cap. 33. n. 1. Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 1. Ludou. à Cruce in bul. cruc. diſp. 3. dub. 6. n. 2.* aliqua tamen adhibita diſtinctione. *Truſſench in bullam compoſit. lib. 3. caſ.* 10. & communiter alij, & hoc aſſerunt quamuis in bulla ipſa Pontifex concedat compoſitionem, quando Dominus ignoratur poſt adhibitam diligentiam ad illum inueniendum, nihilominus authores citati dicunt abſentiã ipſius Domini æquiualenter ſe habere ad incertitudinem; ita à fortiori dicere poſſum ego, bona vacantia, quando non reperitur Dominus non ſolum æquiualenter ſe habere bonis incertis, ſed propriiſſime eſſe bona incerta, imo longe maiori proprietate dicuntur contineri ſub incertitudine vt ſic, quã contineantur bona certa, quando Dominus eſt abſens: ſicuti igitur authores non dubitant comprehendere ſub diſpoſitione pontificia incertitudinem per æquiualentiam, qualis eſt abſentia Domini; ita potiori ratione nõ eſt nobis dubitãdũ cõprehẽdi poſſe incertitudinẽ bonorũ vacãtiũ, nã vacatio incertitudinẽ nõ tollit. 10

Sed vrgebis in contrarium, oſtendendo ſufficientem eſſe rationem excludendi à diſpoſitione prædicta bona vacantia, quia nõ præſumitur voluiſſe Põtificẽ per talẽ diſpoſitionẽ præiudiciũ inferre regio fiſco, cui ꝑ leges ciuiles cõcedũtur huiuſmodi bona. 11

Reſpondeo primo propriè non inferri præiudicium, quia Pontifex ius habet ob fines ſuperius allatos ſibi reſeruandi, & applicandi bona prædicta, quemadmodũ ius habet ad diſponendum de incertis, licet ipſa incerta ſubiaceant diſpoſitioni Reipublicæ, ſeu Principis.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo ſecundo nullum eſſe præiudicium contra Regium fiſcum, quia diſpoſitio iſta per compoſitionem, etiam bonorum vacantium, redundat in beneficium Regis cui à Pontifice applicatur pecunia, quæ in compoſitione ſoluitur à debitore, & hoc in ſubſidium ipſius Regis contra infideles, quod etiam reſultat in bonum Chriſtianæ Reipublicæ, nam poſſidentes talia bona compoſitione ipſa allecti facilius reducuntur ad partem reſtituendam; ablato tamen refugio compoſitionis, raró fieret reſtitutio, vt bene aduertit *Turrianus d. 41.cit.dub.1.n.12.& Cardinalis Delugo d. 21.de iuſt.ſect.7.n.92.* qui addit hoc eſſe expediens ad præcauenda peccata ob periculum non reſtituendi, ſtante hominum fragilitate; proinde maius bonum cenſendum eſſe in ordine ad vtilitatem ſpiritualem fidelium compoſitionem hanc, quam relinquere in ipſis fidelibus integrã obligationem reſtituendi omnia fiſco regio.

12 Tertio probatur principaliter ſententia iſta, quia niſi dicamus comprehẽdi ſub diſpoſitione facta à Pontifice, & facultate cõceſſa cõmiſſario cruciatę bona vacãtia; raró eueniret caſus, in quo licita eſſet cõpoſitio de incertis ob ambiguitatẽ, an bona illa ſint purè incerta, an etiã vacãtia, nã incertitudo domini cauſſari poteſt, tũ ex eo quod re vera nõ exiſtat, tũ etiã ex ignorãtia quę habetur de ipſo domino; proinde poſſidẽs bona iſta nõ poſſet determinare, ex quo capite oriatur incertitudo, & ſic dubitãs ſi ſe cõponeret, exponeretur periculo retinẽdi bona vacãtia, quæ licitè, ſecũdũ opinionẽ aduerſariorũ, retinere nequit; atq; adeo ſępiſſimè ſe abſtineret à cõpoſitione, hoc autẽ eſſet derogare magna ex parte priuilegio põtificio, illudq; ferè inutile reddere, & ideo ne hoc dicam', debemus aſſerere ſub diſpoſitione illa põtificis omnia bona incerta comprehendi, ex quocumque capite oriatur incertitudo.

13 Hæc mihi viſa ſũt probabiliter expẽdere de hac difficillima, & implicata quæſtione; ſubmitto tamẽ omnia virorũ doctorum iudicio, ſi quid melius pro aſtruẽda veritate repererint, qui perpẽſis omnibus definiãt quid in rei veritate ſit dicẽdũ, & hãc opinionẽ nõ improbabilẽ iudicant aliqui viri docti à me cõſulti, & inter alios P. Tho. Tãbur. noſtræ Soc. amiciſſimus vir, & ingenio, & omni literatura clarus, vt oſtẽdũt eius opera moralia in lucẽ nuper edita vniuerſali omniũ applauſu recepta; & nõnulla alia, vt ſpero edẽda. Pro coronide huius

14 quęſtionis, placet quãdã referre doctrinã à me ipſo poſitã in explic. cruc. *par.3.tr.5.c. 5.ſec. 2. n. 13.* ibi enim agẽs de caſibus, in quibus admittitur cõpoſitio ſuper incertis, ſic loquutus ſũ, [*Dico 3. poteſt fieri cõpoſitio ſuper poſſeſſis, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè habita ſint; ſic ex Rodriq. in expl. huius bull. dubit.1.n.2.& in declarat. huius caſ.15.n. 75. vbi vniuerſaliter docet in omnibus, in quibus obligat reſtitutio, fieri poſſe cõpoſitionẽ, ſi dñus adhibita requiſita indagine nõ cõpareat, & ſit ignotus: v.g. ſi Titi' depoſuit cẽtũ aureos pœnes Sortẽ, & poſtea moriatur, & nullus inueniatur heres, certũ illi aurei pauperib' ſũt erogãdi, ſed beneficio bullæ poterit Sortes ſe cõponere ſuper his licitè habitis: verũ ſi per furtũ, aut vſuras aliquid habuerit poterit eodẽ modo adiuuari beneficio compoſitionis.*]

Hæc ibi dixi: caſus autem accidit; nam quidam voluit ſe componere ſuper depoſitũ prius ab alio receptum, qui poſt eius mortẽ nullũ inuenit hæredẽ, cui reſtitueret, cęterũ à cõmiſſario cruciatę nõ fuit ad cõpoſitionẽ admiſſus, quia vt ipſemet cõmiſſarius aſſerebat, ius ad illud debitũ erat vacãs, atq; adeo fiſco regio acquiſitũ. debitor vero inſtabat allegãs prędictã meã doctrinã, putabat enim, quãdo ego dixi in exẽplo allato (*& nullus inueniatur heres*) per hęc verba me ſignificare voluiſſe nullũ ſuperſtitẽ eſſe heredẽ, pro eodem ſumẽs duas has ꝓpoſitiones: hoc tamẽ nõ obſtãte nõ fuit admiſſus ad cõpoſitionem.

Cæterum pro defenſione meæ doctrinæ in primis dico, illa duo nõ eſſe pro vno, eodẽq; ſumẽda; nã authores cũ agũt de cõpoſitione faciẽda ſuper incertis, & de eiſdem agũt, prout cõtradiſtingũtur à bonis vacãtibus, eãdẽ formã loquẽdi, qua ego vſus ſũ, vſurpãt: dicunt enim eſſe locũ cõpoſitioni ſuper incertis, quãdo nullus hęres inuenitur, & ita loquitur *Lud. à cruce in proœmio huius bullæ, Trul. in eãd. bul. caſ.14. n. 11. Bonac. de reſt. diſp.1 q.3 pũ.4.n.3. Pilliuc. tr.32.c.4.n.99. Barthol. à S. Fauſto in ſpec. conſ. diſp.4.q.12.n.1. Cardinalis Delugo t.1. de iuſt. diſp.6.ſec.52. initio n.132.& 134.* & alij authores paſſim. & quod maius eſt eodẽ modo loquitur cõmiſſarius generalis explicãdo caſus, in quib' fieri poteſt cõpoſitio loquẽs de cõpoſitione faciẽda ſup legatis. 15

Secundo dico idẽ eſſe nullũ inueniri dominũ, & illũ ignorari; profecto quod ignoratur, dũ ignoratur, inueniri nequit. igitur modus loquẽdi, quo ego ſũ vſus in explicatione bullæ, nõ eſt reijciendus, neq; trahẽdus ad aliũ ſẽſũ diuerſũ ab illo, q à me fuit intẽtus: re vera in eo loco per illa verba [*ſi nullus inuenitur hæres*] nihil aliud à me fuit intellectũ, niſi illud ipſũ, quod eſt, ignorari heredẽ, & nihil ibidẽ agere volui de bonis vacãtibus; ſciebã enim quãdo nullus verè ſuperſtes eſt hęres vſq; ad certũ, & determinatũ gradũ, bona vacãtia, ſecũdũ ius cõmune eſſe fiſco applicãda, & nihil incontrarium ibi docere volui; nũc vero in hoc opere occaſione accepta pro declaratione doctrinæ *in explicat. cruc. l.c.* traditę, placuit hãc etiã cõtrouerſiã de bonis vacãtibus exagitare, remittẽdo tamẽ finalẽ huius cõtrouerſię deciſionẽ iudicio doctorũ. 16

Digitized by Google

LIBER TERTIVS

DE BENEFICIIS, ET DE OBLIGATIONE ECCLESIASTICORVM In eorumdem beneficiorum fructibus diſtribuendis.

TErtium in noſtris Libris locum iure ſuo ſibi aſciſcunt Selectæ Quæſtiones de Beneficijs, & Beneficiariorum obligatione circa fructuum expenſionem: Eæ enim ad Iuſtitiæ materiam aliquo pacto ſpectare videntur, atque ex earum occaſione quidam ſpecialis caſus, in quo nullitas collationis beneficij ob prætenſam ſimoniam fusè exagitatur.

QVAESTIO PRIMA.

Patrono præſentanti ad beneficium ſi præſentatio ſuum effectum minime ſit ſortita, an concedatur nouum, & integrum tempus ad iterum præſentandum.

SVMMARIVM.

1 *Quando electio ſuum effectum non ſortitur, cenſetur vacare beneficium.*
2 *Si præſentatio ante inſtitutionem non habuit effectum: quia præſentatus renuntiauit, vel mortuus eſt, integrum patrono conceditur tempus ad præſentandum.*
3 *Idem dicendum eſt, ſi executio impedita fuerit ob crimen occultum præſentati.*
4 *Si vero fuerit ex indignitate præſentati nota ipſi patrono, ſi eſt eccleſiaſticus priuatur pro illa vice ad iterum præſentandum.*
5 *Qualis debeat eſſe indignitas iſta.*
6 *Si patronus erit laicus, aliqui exiſtimant eum etiam priuari facultate iterum præſentandi, & probant ex Iure.*
7 *Probabilius eſt oppoſitum.*
8 *Declaratur Ius quod affertur pro contraria ſententia.*

1 SI ſermo eſſet de electione, rem in terminis deciſam haberemus in *cap. Si electio, de elec. & elec. pot. in 6.* vbi ponitur caſus, quando electio ſuum effectum non habuit, vel quia electus noluit præbere conſenſum, vel quia poſt acceptationem renunciauit, vel quia mortuus eſt, vel denique ob aliquem occultum defectum, qui confirmationi impedimentum præſtat: tunc Pontifex ſtatuit in caſu aliquo ex enumeratis, exiſtimari, ac ſi noua eſſet vacatio, & electoribus concedi tempus integrum ad aliam peragendam electionem, dũmodo nulla interceſſerit fraus: ſi igitur loqueremur de electione, res eſſet abſque controuerſia, quoad eius ſubſtantiam, at loquendo de præſentatione, quæ fit à patrono coram Ordinario, rem in terminis deciſam non habemus, & ambigere poſſumus, num eadem militet ratio in præſentatione, ac in electione, ſunt enim modi diſtincti collatio beneficiorũ, præſentatio, & electio: proinde non rectè videtur inferri paritas ex vno modo ad alium.

Dicendum tamen eſt primo; ſi effectus 2
ſecutus non ſit, vel ob renunciationem, vel ob mortem præſentati ante inſtitutionem; tunc patrono, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue laico integrum competit tempus ad nouam præſentationem, videlicet Eccleſiaſtico ſex menſes, quatuor vero laico, & in hoc par eſt ratio de electione, & præſentatione. ita canoniſtæ *in cap. illo Si elec.* extendentes deciſionem illius textus ad præſentationem, cum vtrobique par ſit ratio, & ſic tanquam definitum à Rota *deciſ. 8. de iure patron. in nouiſ.* refert *Barboſa de iure eccleſ. L. 1. cap. 19. & alibi.* in eadem etiam ſententia eſt *Lambertinus de iur. patr. lib. 2. par. 2. quæſt. 1. a. 17. & num. 1. 2. 3. & articulo 18. nu. 10. Gonzales in reg. 8. cancell. gloſ. 45. §. 3. num. 6. Azor par. 2. inſtit. moral. lib. 6. cap. 27. quæſt. 7. Sanchez in conſil. lib. 2. cap. 3. dub. 63. num. 1.* Probatur autem concluſio, quia cum patronus fecerit to-

Digitized by Google

tum illud, ad quod ſecundum iura tenebatur, & per ipſum non ſteterit, quin præſentatus inſtitueretur, deficiente executione, ex voluntate, ſeu facto ipſius præſentati, perinde ſe habebit præſentatio illa, ac ſi effectum habuiſſet, & poſtea vacaſſet beneficium, quo vacante integrũ patrono conceditur tempus: nam defectus iſte ſecundum iuris fictionem in tali caſu exiſtimatur vacatio. & hanc rationẽ videtur Pontifex aſſignaſſe *in eo cap. Si electio*, loquendo enim de electoribus ſic ait [*Iam fecerant quod ſpectabat ad ipſos infra iuris terminum eligendo*] & ex hoc infert integrum tempus concedi ad aliam celebrandam electionem, ac ſi noua vacatio eſſet.

3 Dicendum eſt ſecundo, ſi præſentatio non habuit effectum, ob aliquod crimen occultum perſonæ præſentatæ; tunc ſi patronus eſt eccleſiaſticus habebit iterum ſemeſtre, laicus vero quadrimeſtre: ſic diſponitur *in cap. illo: Si electio*. & licet ibi ſit ſermo de electione; nihilominus ob identitatem rationis idem dicendum eſt de præſentatione, ac de electione: congruentia autem eſt, quia cum defectus inuincibiliter lateat patronum, non videtur abſque culpa ſuo iure priuandus.

4 Dicendum eſt tertio, ſi perſona præſentata eſt indigna, & indignitas non ignorabatur à patrono, eſt diſtinguendum, cũ enim diuerſa ſit in hoc ratio inter vtrumque patronum, nempe inter patronum eccleſiaſticum, & ſæcularem; ſi eſt primi generis, pro ea vice nequibit amplius præſentare, & hoc in pœnam negligentiæ: ſic diſponitur *cap. cum cunctis* §. *fin. cap. Iuuenis, cap. perpetuo de elect. in 6.* vbi imponuntur etiam contra eligentes ſciẽter indignum aliæ pœnæ, oportet autem ab eligente indignum ſcienter eligi, vt patet *ex cap. Innotuit*, & *cap. Quamquam eodem tit.*

5 Indignitas iſta non eſt quæcunque, ſed debet eſſe vel in defectu natalium, vel in ſcientia, aut ætate, aut deniq; in moribus, quia de his tantum defectibus cauſantibus indignitatem ſit mentio in prædictis textibus. ita aſſerunt *Syluest. ver. Suſpenſio, quæſt. 6. Nauarrus in ſumma cap. 17. nu. 155. Sanchez lib. 2. conſil. cap. 1. dub. 6. n. 18.*

6 Si vero patronus præſentans eſt laicus, nonnulli exiſtimarunt etiam priuari poteſtate eligendi pro ea vice, idque probãt tanquam deciſum *in* §. *Si quis oratorij Auth. de ſanc. epiſ. coll. 9.* & cum lex iſta ciuilis non reprobetur à iure canonico, eſt illi adhærendũ: ſic plures canoniſtæ apud *Sanchez dub. proximè citat. numer. 23.*

7 Sed contrarium eſt omnino amplectendum, quia in iure ſolum in patronos eccleſiaſticos inuenitur talis pœna impoſita; vt patet ex textibus ſacrorum canonum ſuperius adductis; & ideo cum pœnæ huiuſmodi non ſequantur delictum ex natura rei, ſed ſolum ex iure poſitiuo; proinde cum in iure non reperiantur impoſitæ, ideo non debemus illis ſubmittere patronum laicum. hanc ſententiam quã plures ſequuntur *apud Sanchez ibi n. 24.*

Ad Authenticam autem reſpondeo, ibi 8 non eſſe ſermonem de patrono laico, neque expreſſe haberi pœnam hãc de amiſſione iuris nominandi pro ea vice, ſed ſolùm haberi quod ſi ab electoribus nominentur indigni ad ordines, debeãt repelli ab ordine, & Epiſcopus curet ordinare quos meliores iudicauerit, quod intelligi poteſt, vt aduertit Sanchez, ſollicitando patronum, vt dignos eligat. Si vero quis inquirat huius diuerſitatis cauſam inter vtrumque patronum, dicam eſſe, tum quia laici breuius habent tempus ad nominandum, ſeu præſentandum, quàm eccleſiaſtici, tum quia laici communiter, & per ſe loquendo minorem habẽt experientiam de eccleſiaſticarum rerum miniſterijs, quàm eccleſiaſtici: ſaltem per ſe res ita ſe habet, & talis eſt præſumptio, quãuis aliquando fallat, id vero per accidens erit cenſendum.

QVAESTIO SECVNDA.

Beneficium Eccleſiaſticum eo duntaxat animo recipiens, vt fructibus diues effectus, ad laicalem ſtatum tranſeat: num grauiter peccet, & ad reſtitutionem fructuum teneatur?

SVMMARIVM.

De intentione illius, qui beneficium recipit plura agunt Authores. 1

Recipiẽs beneficium parochiale intentione non aſcendendi ad ſacerdotium infra annum lethaliter peccat. 2

An ſit obligandus ad reſtituendos fructus perceptos, ſi intra annum intentionem mutet. 3

Quid dicendum ſi conditionatam habeat voluntatem aſcendendi ad ſacerdotium, niſi aliud ſibi magis gratum occurrat? 4

Recipiens beneficium animo dubio aſſumẽdi ordinem ſacerdotalem grauiter delinquit. 5

Quid quoad reſtitutionem fructuum?

Fructus caſu, quo ſunt reſtituendi, cui 6
facienda ſit reſtitutio. 7

Quæ dicta ſunt de habente beneficium curatũ an militent etiam in habente canonicatum. 8

Pro-

9 *Promotus ad beneficium nō requirens ſacrum ordinem, an peccet ſi habeat voluntatem permanendi in ſtatu clericali, & non ſumendi ordinem ſacrum.*

10 *An aſtringatur ad fructuum reſtitutionem.*

11 *Inſtantia contraria, & eius ſolutio.*

1 De qualitate intentionis ex parte illius, qui beneficium eccleſiaſticum recipit, plura conſiderant Doctores, & ideo, vt diſtincte procedamus, diuidimus ipſum beneficium, pro vt ad rem noſtram ſpectat, in curatum, 2 ſeu Parochiale, & ſimplex, & hoc eſt duplex, nam aliquod annexum habet ordinem ſacrum, aliud vero minimè: & iuxta hanc tripartitam beneficij conſiderationem, quæſitum examinabimus, exordiū ſumentes, à beneficio curato, ſeu Parochiali, circa quod varia eſſe poteſt intentio recipientis, & antequam deueniam ad caſus particulares, ſuppono tanquam fundamentum dubiorum proponendorum, 3 Beneficium Parochiale requirere, vt qui ipſum recipit, infra annum aſtringatur ad ſumendum præsbyteratum, iuxta cap. *Licet canon, cap. Commiſſa, de elect. in 6. & Clementina Vt ij, qui de aet. & qualit. ordin. & nouiſſimè ex Tridentino ſeſſ. 22. cap. 4. de reform.* hoc poſito, nonnulla facienda ſunt quæſita.

4 Quæres primo, ſi quis Beneficium Parochiale recipit intentione non aſcendendi 5 ad gradum ſacerdotalem, intra tempus à iure præſcriptum, num grauiter peccet, & fructus perceptos reſtituere teneatur?

Reſpondeo grauiter peccare contra præceptum Eccleſiæ, incluſum in iuribus allatis, decipit enim Eccleſiam, quæ ſub hac conditione intelligitur velle beneficia iſta curata, non ſacerdotibus conferre, 6 nimirum, vt ſaltem intra annum à die collationis curent promoueri ad ſacerdotium, & quia materia eſt grauis, idcirco eius tranſgreſſio non poteſt non eſſe grauis, & hæc ſententia eſt communis apud ſcribentes *in cap. illo Licet, & cap. Commiſſa*, eamque etiam docet *Azor par. 2. lib. 6. cap. 8. quæſt. 2. & lib. 7. cap. 16. qu. 11. Garçia de benef. part. 3. cap. 4. nu. 4. Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 45. nu. 4. Squillante de oblig. cleric. p. 1. nu. 202. & alij apud ipſum.* tenetur etiam iſte talis ad reſtituendos fructus perceptos, & ante omnem Iudicis ſententiam vt notat *Garçia, ibidem num. 5. Sanchez, & alij*. ita ſtatuitur *cap. illo. Commiſſa*: cuius diſpoſitio licet videatur pœnalis, & odioſa, nihilominus non eſt ad reſtitutionem hanc faciendam expectanda ſententia, quia oritur quaſi ex contractu, nam ſub hoc pacto implicitè conſertur beneficium.

Quæres ſecundo, num ſit obligandus ad reſtitutionem fructuum perceptorum, ſi quis ante elapſum annum mutet voluntatem circa ſuam promotionem, nempe, 7 ſi nunc retineat talem voluntatem, poſtea vero illam mutet, vel è conuerſo.

Reſpōdeo cum mutatio illa varijs modis contingere valeat, idcirco non vna, ſed multiplici reſponſione ſatisfacimus quæſito: primo enim poſſet euenire, vt tempore receptionis ipſe non recipiens rectam, & ſinceram habeat intentionem aſcendendi intra tempus præſcriptum ad ſacerdotium, at poſt aliquod tempus ex aliquo motiuo mutet voluntatem, proponens non aſcendere ad ordinem illum; vel è contrario prius non habeat rectam intentionem, qua omiſſa, rectam habeat. Rurſus eſt etiam attendendum ſi non obſtantibus prædictis mutationibus, ante elapſum annum ſit, nec ne, ipſe promotus? Denique eſt pariter videndum, an omiſſio cauſſata fuerit ex aliquo ſuperueniente impedimento. His omnibus bene perſpectis, aio, ſi caſus priori modo contingat, videlicet, quod ab initio recipiens rectum habuerit animum, quem poſtea mutauerit, ſed tandem iterum mutans voluntatem prauam in bonam, intra annum ſacerdotio ſit inſignitus, tunc cenſeo non teneri ad reſtituēdos fructus exactos, tempore quo caruit intentione aſcendendi ad ordinem: eſt contra *Sotum lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. art. 3. ante ver. Præcentatoris*, & contra *Tuletum in ſum. lib. 5. cap. 5. num. 5.* qui putant eſſe reſtituendos fructus illos. probatur tamē noſtra ſententia ex eo quod textus vi cuius oritur obligatio eſt, *cap. Commiſſa: verſ. cæterum*. At ibi Pontifex obligat beneficiatum ad reſtitutionem ſolum, quando voluntate praua minimè variata Beneficiarius fructus lucratur, at in caſu isto ponitur mutata praua illa voluntas, ac proinde non cēſetur purificata conditio illa, quam requirit textus, ad reſtitutionem hanc faciendam; neque valet explicatio Soti, vult enim verba illa textus, intra parenteſim incluſa, ſcilicet [*niſi voluntate mutata promotus fuerit*] referri ad fructus in poſterum recipiendos, & non ad perceptos; quia iſtos non acquiſiuit: non placet reſponſio, quia ſi attentè verba legātur, videbitur poſt parenteſin illam, textus proſequi eumdem ſermonem, & ſic ſubdere [*teneberis ad reſtitutionem fructuum eorumdem, cum eos receperis fraudulenter*] ly eorumdem, referri nequit ad fructus percipiendos, ſed ad illos, qui fraudulenter anteà recepti ſunt, dum recipiens voluntatem retinebat non ſumendi ordinē

Maior autem difficultas eſt ſi beneficiarius cum effectu minimè ſit promotus, & elapſum ſit tempus præſcriptum; num ſcilicet ſit obligandus ad reſtituẽdos fructus, quos recepit tempore, quo prauam habuit voluntatem, & ad id teneri dicunt Sotus, Toletus, cum in caſu iſto à fortiori militet ratio obligans ad reſtitutionem, & ita ſentiunt quamplures, nempe *Leſſ. l. 2. de iuſt. cap. 34. dub. 26. num. 134* & etiam *Squillante num. 104. & alij*, quos laudat *Sanchez diſp. illa num. 11.* quamuis ipſe oppoſitum tueatur, videlicet non teneri, quia textus *in cap. Commiſſa*, ſolùm obligat, quando quis recipit beneficium ſine intentione promotionis ad ſacerdotium, at iſte tempore receptionis habebat talem intentionem, proinde non comprehenditur ſub caſu illo, in quo textus obligat, & hanc ſententiam plures defendunt apud eundem Sanchez: denique ſi omiſſio promotionis cauſata fuerit, ex aliquo legitimo impedimẽto ſpirituali, vt ſi ante elapſum annum beneficiarius in aliquã incurrerit irregularitatem, tunc abſque dubio percipiens fructus, non erit ad aliquam obligandus reſtitutionem, ſi curet obtinere diſpenſationem, vt bene docet *Rebuffus in praxi beneficiorum par. 2. tit. de nõ promotis intra annum n. 80. 1. limit. Azor par. 2. lib. 7. cap. 16. quæſt. 11. Vgol. de officijs Epiſcop cap. 15. §. 2. in ver. Non priuatur*, *Garçia cap. illo 4. num. 7. & 8.* & idem eſt dicendum ſi impedimentum ſit corporale, vt infirmitas corporis, quæ impedit promotionem, vt ait Garçia *num. 9.* referens deciſionem S. Gregorij. Et demum idem eſt aſſerendum, ſi Epiſcopus diſpenſet, & proroget tempus aſſumendi ſacerdotium per ſeptennium ſtudiorum cauſſa, dummodo intra annum beneficiarius ſubdiaconatum recipiat. ſic *Rebuffus in praxi benef. tit. de non prom. &c. num. 43. & 44.* citat *Oldradum conſil. 203. & deciſ. Rotæ 187. Sanchez diſp. illa num. 8.* & hoc etiam ſuſtinetur quamuis Epiſcopus diſpenſet vltima die anni, quando beneficiarius nequeat ſacerdotium recipere, poſſe autem Epiſcopum, vel ſuperiorem diſpenſare modo prædicto, expreſſe conceditur *cap. Cum ex eo, de elect. in 6.*

4 Quæres tertio, quid dicendum ſi quis recipiens beneficium curatum habeat cõditionalem voluntatem aſſumendi ordinem, videlicet, niſi aliquod felicius in ſæculo contingat, v. g. primogenitura, aut ſucceſſio aliqua, &c.

Reſpondeo non teneri ad reſtitutionem fructuum. ſic *Nauarrus in ſum. cap. 25. num. 118. Rodriquez in ſumma tom. 1. cap. 30. concluſ. 7. Leſſius cap. illo 34. nu. 131. Sanchez lib. 6. in decal. cap. 7. n. 17. & de matrim. diſp. illa 45. num. 10. & alij contra Sotum art. 6. cit. verſ. Et nota. Gutierrez lib. 2. quæſt. canon. cap. 5. n. 22.* *Nam textus in cap. Commiſſa*, procedit quando recipiens beneficium habet voluntatem non aſſumendi ordinem intra tempus præfixum, at de illo qui habet voluntatem conditionalem nõ poteſt dici quod abſolutè, & ſimpliciter careat voluntate aſſumendi ordinem, & ideo retinens talem voluntatem conditionalem non contrauenit textui, qui cum ſit pœnalis ſtrictè eſt explicandus, nimirum pro voluntate abſoluta non aſſumendi ordinem.

Quæres quarto, vtrum recipiens beneficium animo dubio aſcendendi ad ordinẽ ſit obligandus ad reſtitutionem. 5

Reſpondet affirmatiuè *Sanchez, nu. 10. in fine, & apud ipſum Gutt. Lopez Rodriquez, Vega, & alij*; & ratio eſt, quia dubitans non dicitur habere intentionem exequendi rem illam, de cuius executione ambigit.

Quæres quinto, vtrum idem ſit dicendum quoad fructuum reſtitutionem, ſi quis recipiat beneficium curatum animo non ſe promouendi; at non ad finem lucrandi fructus, ſed ad alios fines. 6

Reſpondeo cum *Garçia nu. 58. & alijs*, teneri, quia deciſio illa *in cap. Commiſſa, §. Cæterum*, procedit ſtante quocunque fine, voluntas non aſſumendi ordinem habeatur, nullo exiſtente impedimento, & diſpenſatione.

Quæres ſexto, quando fructus ſunt reſtituendi, cui ſunt applicandi? 7

Reſpondeo, vel fabricæ Eccleſiæ, in qua eſt beneficium, vel pauperibus. ſic *Garçia cap. cit. in fine dub. 7. num. 59.* diſcurrens de his fructibus ſicuti de illis, qui reſtituendi ſunt à beneficiario horas canonicas non recitante.

Quæres ſeptimo, num id, quod diximus de habentibus beneficium curatum, qui elapſo anno, & eorum culpa non ad ſacerdotium promoti, ipſo facto ſunt eo beneficio priuati, militet etiam de habentibus dignitates canonicatus, aut alia beneficia, quibus eſt annexus ordo ſacer. 8

Reſpondeo negatiuè, nam *in cap. Licet canon*, ſermo eſt ſolùm de parochialibus, & cum in odioſis verſemur, pœnæ non ſunt extendendæ, ſed verba, vt ſonant, & ſtrictè ſunt explicanda, & ſic docent quamplures, quos citat, & ſequitur *Garçia; vt ſupra num. 11. 12. & Squillante nu. 103.* hi enim beneficiarij non ſunt ipſo iure priuati, quamuis poſt monitionem ſint priuandi, ſed non habent vocem in capitulo, & vt ait *Garçia nu. 14.* intelligitur de actiua, quamuis *Leſſius cap. illo 34. num. 105.* dicat eſſe priuatos etiam

voce

Digitized by Google

voce paſſiua, & tertiam diſtributionum partem amittunt, vt notant præfati Authores, intellige de his, quæ propriè diſtributiones vocantur, nempe illæ, quæ diuiduntur inter eos, qui interſunt horis canonicis, & diuinis officijs, non autem de extraordinarijs, quæ pro funeribus dãtur, & alijs ſimilibus, quæ largè diſtributiones vocantur. & ſatis dictum ſit de intentione, qua recipiuntur beneficia, quæ requirunt ſacrum ordinem; ſupereſt, vt aliqua dicamus de recipientibus beneficiũ ſimplex, ſacrum ordinem minimè requirens.

9 Quæres octauo, ſit ne culpa lethalis recipere beneficium ſimplex, ſacrum ordinẽ non requirens, ſine animo permanendi in ſtatu clericali?

Reſpondeo, eſt quorundam opinio, hos cum tali intentione recipientes, grauiter peccare, ſic *Nauarrus miſcell. 49. de orat. num. 112. in antiqua editione. Sotus lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. art. 6. col. 4. ver. (At vero) Toletus lib. 5. cap. 5. n. 5.* alij vero negant eſſe p. m. *Vaſquez in opuſc. de beneſ. cap. 3. §. 2. dub. 1. nu. 38. Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 45. num. 17.* quam opinionem *Leſſius cap. illo 34. num. 134.* non improbat *Nauar.* ſibi contrarius *lib. 3. conſil. de preben. conſil. 1. verſ. Secundo, quod his non obſtantibus. Squillante vt ſupra n. 112. Garçia cap. illo 4. n. 43. & alij.* quibus, & ipſe aſſentior; nullibi enim præcipitur, vt tale beneficium recipiatur cum eâ intentione, ſed ſufficit, vt beneficiarius dum illud retinet, ſatisfaciat ſuo muneri præſtando ea, quæ requiruntur ab ipſo beneficio. & confirmatur, nam Eccleſia permittit, hos tranſire ad ſęculum, vxorem ducere, &c. ergo neque implicitè vult tales obligare ad retinendum ſtatum clericalem.

10 Quæres ſecundo, vtrum iſte talis obligetur ſaltem ad fructus, quos recipit, manente ea intentione tranſeundi ad ſæculum.

Reſpondeo non obligari; ita *Sotus art. illo 6. col. 4. verſ. De alijs autem; Angles 2. p. quæſt. de cler. reſt. obnox. diff. 3. Gutierrez lib. 2. quæſt. canon: cap. 5. num. 27. Emmanuel Sà in Aphoriſ verſ. Beneſ. nu. 38. Sanchez diſp. illa 45. num. 13. Leſſius in cap. cit. n. 132. Vaſq. loco citato. Squillante vt ſupra num. 113. & alij.* probatur concluſio, quia ex vna parte, iſte talis tempore, quo retinet beneficium pręſtat ea munera, quæ requiruntur, vt ſupponimus, ex alia vero parte nullum habetur ius obligans ad talem reſtitutionem: igitur non eſt iſte talis obligandus. concluſio iſta eſt contra *Gabrielem in 4. diſp. 15. qu. 8. dub. 2. articul. 3. & Adrianum in 4. de reſt. quæſt. de eccleſiaſt. conſti. red. &c. §. Pro reſponſione ad quæſitum ver. Ex qua concluſione*, qui docent hos teneri ad reſtitutionem; citari etiam ſolet *Rebuffus tit. prædicto num. 83.* ſed ipſe loquitur de beneficio ſimplici annexum habẽte ordinem ſacrum, vt attentè illum legenti erit manifeſtum.

Dices, videtur aſtringi ex quaſi cõtractu; nam confertur beneficium cum hoc pacto, vt maneat in ſtatu eccleſiaſtico. 11

Reſpondeo loquendo de his beneficijs ſimplicibus, nullum habentibus annexum ordinem ſacrum, tale pactum neque implicitè, neque explicitè haberi, imò oppoſitum colligi: nam eccleſia permittit, vt iſti tales poſſint tranſire ad ſæculum; non ita in his, qui ſtatum perpetuum, & immobilem requirunt, qualis eſt ordo ſacer.

QVAESTIO TERTIA.

Habens valde tenue beneficium, acquirat ne domicilium in ea Diœceſi, in qua tale beneficium eſt erectum, ita vt poſſit ab Epiſcopo illius Diœceſis ad ordinem promoueri?

SVMMARIVM.

Non rarò caſus accidit. 1
Refertur opinio negans, eiuſque ratio explicatur. 2
Ponitur ſententia affirmans. 3
Hæc vt probabilior recipitur ab Authore. 4
Soluitur ratio oppoſita. 5
An opinio Authoris ſit vera quando beneficium reſidentiam non requirit. 6
An etiam quando id ſit in fraudem ad fugiendam iuriſdictionem Epiſcopi domicilij. 7
Num promotus ad ſubdiaconatum, qui eſt annexus tali beneficio, poſſit ab eodem Epiſcopo beneficij promoueri ad reliquos. 8
An Epiſcopus iſte poſſit diſpẽſare in interſtitijs cum habente tale beneficium. 9
Vtrum beneficium erectum in vna diœceſi, ſed exiſtens in alia, det iuriſdictionem Epiſcopo huius diœceſis vbi eſt beneficium conferendi ordines. 10
Quid iuris de penſione, aut Cappellania. 11

FRequens, & practicabilis eſt caſus, quem ſic propono, & declaro. ſit Titius Clericus, & habeat beneficium valde exiguum trium, aut quatuor aureorum, & ſit erectum in Diœceſi Mõtis Regalis, Titius autem Panormi commoretur, & intendens aſcendere ad ordines ſacros, vult ab Archiepiſcopo Montis Regalis ordinari abſque dimiſſorijs ab 1

Ar-

Archiepiſcopo Montis Regalis ordinari abſque dimiſſorijs ab Archiepiſcopo Panormitano habitis, aſſerens id fieri poſſe, nam ſtante beneficio illo Archiepiſcopus Montis Regalis cenſetur legitimus ordinarius ipſius Titij, iuxta diſpoſitionem *in cap. Cum nullus de tempore ordin. in 6.* vbi ad hunc effectum tres Epiſcopi aſſignantur, nempe Originis, Domicilij, & Beneficij, & ex hoc cap. præciſe non eſſet dubitandi locus, niſi exiguitas beneficij obſtaret. quærimus igitur, quid iuris in re hac.

2 Prima opinio negat id fieri poſſe. sic *Riccius in praxi fori eccleſ. de ſacro ordinis reſol. 301. §. Cæterum. Quaranta in ſumma Bullarij ver. Ordo §. Circa ſecundum. Piaſecius in nouo praxi epiſcoporũ par. 1. cap. 1. art. 2. n. 8. Vgolinus de offic. & poteſt. Epiſcopi cap. 26. §. 3. in fine. Squillante de priuil. cler. cap. 4. nu. 238.* & ratio qua nituntur eſt, quia *Cõcil. Trident. ſeſ. 21. cap. 2. de refor.* requirit beneficium ſufficiens ad honeſtè viuendum. Non longè abeſt ab hac ſententia *Philibertus Marchinus de ſacramento ord. tractat. 2. p. 6. cap. 6. difficul.* 2. cum ait non poſſe aliquem ordinari ab Epiſcopo beneficij abſque litteris dimiſſorijs Epiſcopi patriæ. Igitur aſſerens requiri licentiam, per dimiſſorias ab Epiſcopo Originis, videtur conſequenter velle quod beneficiũ in aliena diœcesi ſitum non det iuriſdictionem Epiſcopo illius loci, in quo eſt beneficium, si enim iuriſdictionem daret, non exigerẽtur dimiſſoriæ ab alio, ratio autem, qua mouetur Marchinus ad id denegandum eſt præſumptio, qua præſumitur id fieri ad declinãdam iuriſdictionem proprij Epiſcopi, ſuſpicionem autem vult augeri, si beneficium illud, proximè collatum fuerit ordinando, hæc ex Marchino.

3 Secunda opinio eſt contraria, videlicet nõ obſtante tenuitate beneficij, poſſe illud pacifice poſſidẽtem ordinari ad eius titulũ, si cõcurrãt alia requisita ad promotionẽ, & ita ſentit *Henriquez lib. 10. cap. 22. §. 1. Barboſa de poteſt. Epiſ. par. 2. alleg. 4. n. 44. & ſeq. & in collect. ad ius Canonicũ cap. cum nullus cit. & de iure Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 13. n. 37. Marius Antonius lib. 1. var. reſol. 112. caſ. 28. Diana par. 4. tract. 4. reſol. 51. & part. 8. tract. 2. reſol.* 20 & ab hac opinione puto non recedere *Squillantem*, nam & ſi *in tract. de priuil. Clericorum, vt ſupra vidimus*, priori ſẽtentiæ adhæſerit; nihilominus *in tract. de obligationibus clericorum, par. 1. nu. 26.* triplex beneficium diſtinguit; nempe ſufficiens, tenue, & tenuiſſimum, & quamuis dicat beneficium tenue, illud eſſe, quod ſummam ſeptem florenorum, minime excedit; addit tamen quod ſi inſufficientia huiuſmodi beneficij ſuppleatur per patrimonium, tunc præberet iuriſdictionem, vt illud habens, promoueri valeat ab Epiſcopo loci, in quo reperitur ipſum beneficium, & hoc negare nequeunt Authores huius ſecundæ ſententiæ, qui non loquũtur de beneficio in ordine ad congruam, & decentem ſubſtentationem, ſed in ordine ad iuriſdictionem conſtituendam; proinde Squillãte poteſt merito inter Authores huius ſecũdæ opinionis enumerari, cuius rationem mox præſtabimus, & idẽ dico de Marchino, qui *tract. 1. par. 5. cap. 8.* vtramque volens reconciliare ſententiam, ait Authores primæ ſententiæ negantes, poſſe aliquem ordinari ab Epiſcopo loci, in quo eſt tenue beneficium, loquuntur; quando tenuitas aliunde non ſuppletur Authores vero poſterioris ſententiæ admittentes poſſe ordinari, intelligunt poſito ſupplemento, ſed ni fallor decipitur, in hoc Marchinus, quia etiam ſi demus aliquem ex Authoribus contrarijs loqui cum tali limitatione, nihilominus, si hoc pacto explicarentur, ceſſaret tota controuerſia, quia nemo eſt, qui dicat ad ſolum titulum beneficij inſufficientis poſſe aliquem ordinari; ſed punctum controuerſiæ eſt, vtrum tenuitas beneficij det iuriſdictionem in ordine ad hunc effectum, licet de reliquo exigantur aliæ conditiones, inter quas eſt congrua ſubſtentatio, & vt rectè animaduertit *Garcia par. 2. cap. 4. num. 9.* quamuis aliquis nequeat ordinari ad titulum beneficij tenuis, poterit tamen ratione illius ordinari ſupplendo defectum quãtitatis ad congruam ſubſtentationem.

Dicendum eſt hanc ſecundam opinionem eſſe probabiliorem: probatur *ex cap. Cum nullus citato*, vbi Pontifex abſolutè, & sine reſtrictione decidit aliquem fieri Diœceſanum, & ſubditum Epiſcopi, vel ratione originis, vel domicilij, vel denique beneficij, & à quouis ex his ordinari poſſe, & non limitat quantitatem beneficij; ergo abſolute in ordine ad debitam ſubiectionem, & ad promotionem ſufficit quodcunque tenue beneficium, si aliunde tenuitas beneficij ſuppleatur. 4

Ex his ſoluitur ratio, qua ducuntur Authores primæ ſententiæ, deſumpta ex Concil. Tridentino, ſoluitur inquam, quia Concilium requirit ſufficientiam ad honeſtam ſubſtentationem, & ideo rectè diſpoſuit neminem ordinari poſſe ad titulum beneficij, nisi illud ad victum honeſtè ſufficiat, & pacificè poſſideatur; at in caſu noſtro conſideratur beneficium, non in ordine ad congruam ſubſtentationem, 5

ſed

Digitized by Google

ſed ad requiſitam ſubiectionem pro ordinibus ſuſcipendis.

6 Quæres primo. Num doctrina prædicta locum habeat, etiam ſi beneficium in eadem Diœceſi reſidentiam non requirat.

Reſpondeo affirmatiuè, vt docet *Barboſa ll. cc. & Sanchez in opuſc. lib. 7. cap. 1. dub. 23. n. 7. & multi apud ipſos:* nam *in cap. Cum nullus*, vbi ſtatuitur, vt habens beneficium in aliqua Diœceſi ordinetur ab Epiſcopo eiuſdem Diœceſis, vel ab alio ex eius licentia, non fit mentio de reſidentia. Et confirmatur, quia in eodem cap. vt contradiſtincta numerãtur habitatio, origo, & beneficium, ſi autem in beneficio requireretur reſidentia confunderetur vnum membrum cum alio, nempe domicilium cum beneficio.

7 Quæres ſecundo, num poſſit quis ordinari titulo beneficij exiſtentis in aliena Diœceſi, ſi id fiat in fraudem ad fugiendam iuriſdictionem Epiſcopi domicilij, quod tunc eueniret; quando quis fundaret beneficium hac intentione, vt poſſet ab alio Epiſcopo promoueri, vel præſumptiuè ita exiſtimaretur. v. g. ſi de proximo tempore ante ordinationem fundaret beneficium, & maximè tenuiſſimum, vt duorum, aut trium aureorum in aliena Diœceſi, vel id ex alijs cõiecturis colligeretur.

Reſpondent communiter doctores, etiã illi, qui ſunt in ſecunda ſententia, in fraudem fieri non poſſe ſic *Barboſa alleg. cit. n. 45. 57. Squillante de priuil. cler. n. 239. ver. Et à fortiori*, quibus videtur aſſentire *Diana par. 9. in fine illius reſolutionis 22.* quia fraus nemini patrocinari debet *cap. Sedes, & cap. Ex tenore de reſcrip.* ſed vt verum fatear ratio iſta apud me vim non facit, quia iure ſuo vtens, nequaquam fraudem committere videtur, vt habemus *ex regulis iuris. 56.* & colligitur *ex L. Quod, & lex Flauia. §. Pland. ff. de lib. hom. exhibito*, nam bona, aut mala intentio, quamuis faciat ad fugiendum, vel patrandum peccatum, nequit tamen irritare actum externum, ſi aliundè actus ille in iure ſubſtineretur, quia intentio eſt actus occultus, & internus, & ideo ſi actus externus non eſt contra iuſtitiam, quamuis operans intentionem malam habeat, non poteſt vi talis intentionis obligari ad reſtitutionem, vt notat *Sãchez in caſu de matrimonio celebrando lib. 3. diſp. 18. num. 9.* proindè ſi lex canonica ſtatuit Epiſcopum illius loci, in quo eſt beneficium, in ordine ad hunc effectum promouendi, eſſe legitimum, & proprium, & cum vnicuiq; liberum ſit inſtituere beneficia eccleſiaſtica in quacunque Diœceſi, non video cur intentio illa occulta fugiendi iuriſdictionem Epiſcopi domicilij, poſſit tollere iuriſdictionem ab Epiſcopo beneficij ea intentione fundati, & illicitam reddere promotionem factam ab Epiſcopo beneficij, etiam ſi beneficium ſit nouiter inſtitutum, aut collatum in illum finem; & quamuis intentio illa inſtituendi beneficium ob ſupradictum finem, poſſit eſſe mala, ob aliquam adiunctam circumſtantiam, non erit tamen mala ex hoc præciſo capite, quod ab alio Epiſcopo, & non à proprio ordines recipiantur; nam *in cap. illo Cum nullus, &c.* non ponitur talis limitatio, ſed ſolùm requiritur, vt quis beneficium canonicè obtineat, ad hoc vt poſſit ordinari ab Epiſcopo loci, in quo eſt beneficium, & ideo hanc ſententiam libenter reciperem; ſed quia non habeo adhuc Auctorem pro illa, idcirco pro modo ſuſpendo iudicium, vſque dum meliùs aliorum placito dicta ſẽtentia confirmetur.

Quæres tertio, ſi beneficio ſit annexus ſolum ſubdiaconatus, vtrum habens tale beneficium poſſit recipere Diaconatum, & preſbyteratum ab Epiſcopo beneficij. 8

Reſpõdeo affirmatiuè: ſic docet *Dominicus in cap. cum nullus n. 9. & Francus ibidem n. 3.* quos ſequitur *Garçia cap. cit. num. 14.*

Quæres quarto. Num Epiſcopus iſte, qui eſt ſuperior ſolùm ratione beneficij, & nõ domicilij, poſſit diſpenſare in interſtitijs, cum ipſo promouendo. 9

Reſpondeo ab aliquibus id negari, vt à *Mario Antonino vt ſupra caſ. 28.* qui citat *Nauarrum de temp. ord. lib. 1. conſil. 26. n. 1.* at Nauarrus de hoc puncto ibi nihil habet, immò in toto illo titulo, quem percurrere volui, non agit de hac diſpenſatione: ratio autem adducta ab Antonino, eſt quia ad diſpenſandum in interſtitijs cum requiratur neceſſitas, aut vtilitas Eccleſiæ, quæ eſt in loco vbi diſpenſandus domicilium habet, nequit Epiſcopus alienus tale iudicium ferre, & ideo de hoc iudicare pertinet ad Epiſcopum Domicilij; ſed alij oppoſitum ſentiunt, videlicet poſſe in hoc diſpenſari ab Epiſcopo beneficij, etiam ſi non ſit Epiſcopus domicilij. ſic *Garçiã loc. cit. n. 15. Barboſ. de offic. Epiſ. alleg. 4. n. 54.* ducuntur, quia ratione beneficij promouẽdus cõſtituitur ſubditus, proinde poteſtas Epiſcopi beneficij cum detur ad ordines conferẽdos, extendetur etiam ad ea omnia, quæ ad ordines ipſos ſpectant; & hæc ſententia mihi videtur probabilior: ad fundamentum vero contrariæ opinionis. Reſpondeo negando non poſſe fieri iudicium ab Epiſcopo iſto de neceſſitate, aut vtilitate alterius Eccleſiæ, quamuis non ſuæ; quia

vel

vel loquitur de iudicio priuato ex eo præciſè quod nequeat ſcire ea, quæ pertinent ad alienam Eccleſiam; vel de iudicio iuridico: ſi de primo, hoc eſt merè per accidens; & tunc non poſſet diſpenſare, non ex defectu poteſtatis, ſed ex defectu cauſæ ignoratæ ſufficientis ad diſpenſandum: ſi de ſecundo, quamuis Eccleſia illa non ſit ſua; nihilominus per accidens ratione promouẽdi, qui iam eſt effectus ſubditus, poterit Epiſcopus iudiciũ legitimũ ferre; unde eſt, vt idem *Garçia ibidem* dicat poſſe etiam diſpenſare in illegitimitate ad minores ordines, ſicut poteſt Epiſcopus domicilij.

Quæres quinto. Vtrum beneficiũ erectum in vna Diœceſi, ſi ſubiectum ſit Epiſcopo alterius Diœceſis, det iuriſdictionẽ, vt illud poſſidẽs promoueatur ab Epiſcopo loci, in quo ſitum eſt beneficium?

10 Reſpondet affirmatiuè *Barboſa de poteſt. Epiſ. par. 1. alleg. 4. n. 52. Quaranta ver: Ordo S. Secundo intelligi. Garçia de beneſ. par. 2. cap. 4. n. 15. Marchinus de ord. tract. 1. par. 5. cap. 8. nu. 7. & alij*; quia ratione beneficij poſſidens fit ſubiectus Epiſcopo loci, limitant tamen Quaranta; & Marchinus ſententiam hãc, quando beneficium eſſet ſubiectum alteri Epiſcopo quoad iura Epiſcopalia, quia tũc ad hunc, & non ad Epiſcopum loci, ſpectaret facultas dandi licẽtiam ad ordines ſuſcipiendos.

Quæres ſextò. Vtrum penſio, aut Cappellania in aliena Diœceſi det ſufficientẽ iuriſdictionem Epiſcopo vt ordines conferat tanquam legitimus Superior ei, qui alibi retinet domicilium.

Reſpondeo negatiuè, quia neque penſio, neque Cappellania eſt beneficium, ſic *Garçia cap. cit. n. 7. & Marchinus capite illo octauo n.* 10. In iure autem canonico nempe *cap. cum nullus cit.* quando aſſignatur vt proprius Epiſcopus triplex ille, videlicet domicilij, originis, & beneficij, non fit mentio de penſione, aut cappellania, quæ non ſit Beneficiũ; proinde cum penſio, & cappellania vt ſic nõ ſint beneficium, ideo non dant ſufficientem iuriſdictionem ad ordines conferendos, verba enim illius canonis non ſunt extendenda vltra proprium ſignificatum.

QVAESTIO QVARTA.

An beneficium de ſe inſufficiens ad congruam ſubſtentationem, ſi ſufficiens ſperetur ex adiunctis eleemoſynis futuris, legitimum fundet titulum ad ſacros ſuſcipiendos ordines.

SVMMARIVM.

Ratio pro parte affirmatiua. 1
Opinio negans eſt omnino recipienda, & probatur. 2
An promiſſio Epiſcopi ad ſupplendam inſufficientiam beneficij ſit ſatis. 3
Sententia quadam pro eo tempore, quo eſt ſacerdotum penuria. 4
Diluitur ratio pro contraria opinione. 5

De hoc puncto paucis ab hinc diebus interrogatus fui, quid de illo ſentirem, non defuit, qui partem affirmatiuam tueretur, ratio autem, qua ſententia iſta fulciri poſſet eſt, quia ſufficientia patrimonij, aut beneficij, cum in hunc dumtaxat finem à Tridentina Synodo requiratur, ne videlicet Sacerdos emendicare cogatur, & ſtatus ille ſacer vilipendatur, nil videtur referre, ſi congrua, & decens ſubſtentatio ex vno, aut pluribus capitibus, ex his, aut illis reſultet, dummodo verè habeatur, & cõfirmari poterit ex quadam Sacræ Congr. declaratione: quam adducit *Barboſa in Con. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. verſ. An Clericus*, per quam ſtatutum fuit ſatis eſſe ad promotionem ſacrorum ordinum iuxta mẽtem ipſius Concilij, ſi congrua ſubſtentatio coaleſcat ex beneficio, quamuis tenui, & ex patrimonio adiuncto; ergò à pari licet patrimonium, aut beneficium, ad cuius titulum quis promoueri intendit, inſufficiens ſit ad prædictum effectum; ſi tamen poſtea ob eleemoſynas, ſeu ſtipẽdia Miſſarum, aut aliorum obſequiorum ſufficiens reddatur, habebit promotus vnde honeſte, & congruè ſubſtentari valeat, & per conſequens nil obſtare videtur, quin ad titulum talis patrimonij, ſeu beneficij ſacros ordines recipere queat. 1

Sed his minimè refragantibus omnino contrarium eſſe amplectendum cenſeo, ſcilicet beneficium illud (& idem dico de patrimonio, ſi de ſe congruam non attingit ſubſtentationem, & ad illam pertingat ex adiunctis eleemoſynis, quas promotus eſt lucraturus pro miſſis, aut alijs obſequijs celebrandis) non poſſe ad titulum huiuſmodi beneficij iuxta Concilij Triden- 2

Digitized by Google

dentini diſpoſitionem licitè promoueri, & ita in terminis aſſerunt *Barboſa loco ſuperius citato Garçia de benef. part. 2. cap. 5. num.* 125. 126 *Vgolinus de poteſt. Epiſc. cap.* 26. §. 12. *num.* 2. *ver. Secùs autem Marchinus de ſacr. ord. tract.* 2. *par.* 3 *n.* 27. qui plures citat, vt *Zerolam Ianuenſem, Stephanum Quaranta*, apud quos nihil inuenio circa hoc punctum. probatur autem concluſio primo *ex deciſ. Sacræ Cõgreg.* quam refert Barboſa, cum enim aliqui requiſiuerint à Sacra Congregatione, an habens patrimoniũ, aut beneficium inſufficiens, modo explicato, poſſit ad titulum illius ordinari, reſpondet [*Si cum beneficio, aut patrimonio inſufficienti iungantur pitantia, aut eleemoſynæ, congregatio reſpondit non poſſe*] Ratio autem pro hac concluſione non eſt niſi quædam congruentia, nempe vitare periculum mendicitatis, qua ſtatus eccleſiaſticus dedecore afficeretur, nam poſſent eleemoſynæ illæ deficere, vel quia fideles illas non erogẽt, vel quia Sacerdos in aliquem incidens morbum reddatur ineptus ad celebrãdum, vel ad exercendum aliquod ſacrum munus, ob quod ſtipendium tradatur, & tunc in paupertatem deueniens eleemoſynas quæritare cogeretur; ad hæc autem, aut ſimilia incommoda vitanda, rectè ſe gerũt Ordinarij ſtatuentes Patrimonium, aut beneficium tale eſſe debere, vt præſcindẽdo ab eleemoſynis, & ſtipendijs; promoti decenter viuere queant, & hæc eſt congruẽtia, ob quam Sacra Congregatio prudenter ſe gerens, declarauit patrimonij, aut beneficij ſufficientiam, non eſſe deſumendam ex adiunctis eleemoſynis, quas promotus ſperat, & in hoc maximè fauet diſpoſitio Tridentina *loco citato*, per quã ſtatutum fuit, neminem ex clericis ſęcularibus, quamuis idoneum ad ſacros ordines eſſe promouendum, niſi priùs legitimè cõſtet pacificè poſſidere beneficium eccleſiaſticum, ad honeſtè viuendum ſufficiens, per illud autem verbum, *prius*, non obſcurè deducitur ſufficiẽtiam beneficij iuxta ſenſum Concilij debere prius conſtare, & haberi ante promotionem, atque adeo non ſatisfieri intentioni Concilij, ſi ſufficientia prædicta ex eleemoſynis habendis poſt ordinationem compleatur.

3 Rurſus eſt adnotandum, neque beneficium alias inſufficiens cenſeri ſufficiens, per hoc, quod Epiſcopus ſe obliget ad ſuppeditandum, vſque dum promotus habeat vnde viuat, & ita idem *Barboſa loc. citat.* refert fuiſſe deciſum à Sacra Cõgregatione, hoc autẽ intelligo ſi ſolùm oretenus promittat Epiſcopus ſupplementum; nam ſi publico inſtrumento ad illud ſe obliget, tunc proculdubio poſſet fieri promotio, & beneficium, ratione adiuncti antecedenter ad ordinationem; redderetur ſufficiẽs, tunc enim perinde ſe haberet, ac ſi promouendus integraret ſufficientiam ex ipſo beneficio, & proprio patrimonio. Notant 4
tamen aliqui quod ſi adeo magna eſſet penuria ſacerdotum, poſſent aliqui promoueri ſub alimentorum promiſſione. ſic *Barboſa de poteſt. Epiſcopi par.* 2. *alleg.* 19. *n.* 37. citans *Flaminium de reſig. lib.* 2. *quæſt.* 6 *nu.* 11 *& alios*, quibus addo *Marchinũ difficultate citata nu.* 35. *at Garçia eo cap.* 5. *nu.* 97. ait eſſe neceſſariam Pontificis diſpenſationem.

Ex his difficile nõ erit ſoluere rationem 5
pro contraria ſententia initio poſitam; aio igitur verum eſſe, quod quantitas patrimonij, aut beneficij requiratur à Concilio ob finem honeſtæ ſubſtentationis, ſed ipſa ſufficientia debet eſſe certa, & non dependere ex futuro euentu eleemoſynarum, & ſtipendiorum, ſed debet antecedere promotionem ipſam, vel ſaltem debet eſſe certum, quod ſit futura poſt promotionem, vt euenit, quando quis fit ſacerdos ad titulũ ſufficientis beneficij, cuius fructus non eſt lucraturus, niſi poſt promotionem ad pręſbyteratum, vt notat *Garçia cap. illo.* 5. *n.* 100. aſſerens etiam declarationem Sacræ Congregationis, & paſſim alij, quotidiana praxi id docente. Ad confirmationem vero deſumptam ex declaratione Sacræ Congregationis reſpondeo potiùs pro me, quã pro aduerſarijs facere, quamuis enim declarauerit poſſe aliquem ordinari, ſi poſſideat beneficium ex ſe inſufficiens, ſi illi adiungatur proprium patrimonium, quia tunc ſufficientia ſubſtentationis licet reſultet ex pluribus rebus, erit tamen certa, & ideo eſt diſpar ratio, quare rectè Congregatio declarauit, in eo caſu poſſe quenquam ordinari non autem in iſto.

QVÆSTIO QVINTA.

An Canonicus, nulla legitima interueniente cauſa, ſuâ Eccleſia diu abſit, grauiter peccet?

S V M M A R I V M.

Quatuor ſunt præſupponenda. 1
Diuturnam abſentiam ſine legitima cauſa, eſſe culpam lethalem cenſent plures. 2
Probatur varijs rationibus. 3
Alij putant, per ſe loquendo non eſſe grauem culpam. 4
Fundamentum huius ſententiæ. 5
Abſentia vnius, aut alterius diei non eſt grauis culpa. 6
In decreto Concilij, & in alijs iuribus præceptum continetur. 7

8 *Enumerantur capita, ex quibus grauitas culpæ deduci poterit.*

9 *Opinio priùs relata eſt communior, & tutior.*

10 *Poſterior vero, quatenus negat abſentiam eſſe graue peccatum, quibuſdam adhibitis conditionibus, videtur probabilior.*

11 *Inſtantia contraria proponitur, & ſoluitur.*

12 *Diluuntur argumenta contraria pro ſententia priore.*

1 VT Quæſitum ſub terminis maiorem difficultatem, & dubietatem ingerentibus proponamus, nonnulla ſunt animaduertenda: primò non eſſe ſermonem de abſentia pro illis tribus menſibus à *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 12. permiſſis, ſed de reliquis: ſecundò quæſitum procedere, quamuis Canonicus abſens remittat diſtributiones, quas aſſiſtendo diuinis officijs lucraturus fuiſſet: tertiò nos loqui, quando nullum ab Epiſcopo, ſeu ab alio ſuperiore latum extat præceptum de aſſiſtentia ob aliquem honeſtum, & rationabilem finem: quartò denique quæſitum fieri, quando in Eccleſia ſufficiens remanet numerus Canonicorum pro officio decenter perſoluendo; nam tali deficiente numero proculdubio grauiter peccaret Canonicus abſque legitima cauſa abſens. His omnibus præhabitis deuenio ad ſententias Doctorum.

2 Prima igitur eſt eorum, qui ſub graui culpa obligant canonicum prædictum, ne diu abſit à propria Eccleſia: ſic *Garçia de benefic. par.* 3. *cap.* 2. *num.* 321. *Diana par.* 2. *trac.* 12. *reſol.* 31. *& par.* 4. *trac.* 4. *reſol.* 217. licet priori loco oppoſitam ſententiam probabilem exiſtimet: *Vaſquez opuſc. de benef. cap.* 4. *§.* 2. *num.* 183. *Suarez to.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de hor. can. cap.* .. *nu.* 17. *& cap.* 13. *num.* 9. hoc ipſum inſinuat *Santarell. var. reſol. quæſt.* 4. *nu.* 24. *Bonacina de hor. can. diſp.* 2. *quæſt.* 1. *punc.* 2. *num.* 1. *Squillante de obligat. cler. par.* 1. *num.* 114. *Barthol. à S. Fauſto de hor. can. lib.* 2. *quæſt.* 183. *Eſcouar de hor. can. qu.* 3. *num.* 3. *Caſtropalaus tom.* 2. *diſp.* 3. *pũc.* 2. *num.* 3. *Barboſa de Canon. & dignit. ca.* 20. *num.* 8. licet *cap.* 4. *num.* 9. videatur aliquantulum à rigore huius ſententiæ recedere: & in eadem ſententia ſunt plures antiquiores à relatis Authoribus citati: ſolent enim alij adduci, ſed eos omitto, quia non loquuntur clarè, cum tantùm dicant Canonicum iſtum, & ſimiles, qui vltra tempus à Conc. Trid. præſcriptum diù abſunt, incurrere in pœnas ab eodem Concilio impoſitas: alij vero dicunt peccare, ſed non declarant leuiter, an grauiter. hi autem ſunt *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 34. *dub.* 29. *ver. Dico* 6. *Leo in Theſauro par.* 3. *ca.* 33. *num.* 9. *Riccius in praxi rer. quotid. reſol.* 397. *num.* 2. *Filliucius trac.* 23. *cap.* 4. *num.* 140. fundamenta pro hac opinione ſunt plura quorum aliqua hic adducam.

Primo eſt auctoritas *Concilij Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform. §. Praterea*, vbi ſtatuitur non licere obtinentibus dignitates, aut canonicatus, &c. in cathedralibus, aut collegiatis abeſſe ab eiſdem Eccleſijs vltra tres menſes vigore cuiuſcunque ſtatuti, conſuetudinis, &c. & contra tranſgreſſores ipſum Concilium imponit pœnas conſiſtentes in priuatione medietatis fructuũ primo anno, poſtea in priuatione omnium fructuum, & demum ſi contumacia creſcat procedendum eſſe contra illos iuxta ſacrorum canonum conſtitutiones, per quas habemus poſt amiſſionem fructuum modo explicato, & poſt debitam monitionem clericum eſſe beneficio priuandum, vt patet *ex cap. Conquerentes: ex cap. Ex parte, & alijs*, quæ ſequuntur *in rubr. de cler. non reſid.* extant etiam tres declarationes Sacræ Congregat. quas tranſcribit *Garçia cap. cit. num.* 322. *& ſeq.* per quas determinatur canonicos teneri ad reſidentiam, etiamſi quotidianas diſtributiones amittere velint, & non excuſari, quamuis tertiam fructuum partem deperdant, compelli poſſe ab Epiſcopis, &c. 3

Secundo probatur: Canonici lege iuſtitiæ tenentur Eccleſiæ inſeruire; ergo ſi abſque legitima cauſa notabiliter absũt, grauiter peccabunt; patet conſequentia, antecedens vero probatur, quia recipientes & acceptantes beneficia ſe adſtrinxerunt ad obſequium in Eccleſia præſtandum.

Secunda ſentẽtia ſuſtinet hos canonicos etiam diù ab Eccleſia abſentes per ſe loquendo grauiter non peccare, poſitis quibuſdam animaduerſionibus, ita *Syluester v. hora*, *§.* 10. *num.* 12. *Caiet. eodem verbo §. Quoad quintum de loco*: *Valentia in* 2. 2. *S. Thom. tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 2. *punc.* 10. *§.* 7. *Reginal. in praxi lib.* 18. *num.* 276. & nouiſſime *Michael Ferro in quæſt. moral. part.* 1. *quæſt.* 50. *& alij.* 4

Huius ſententiæ fundamentum multiplex eſt, & præcipue ex eo, vt ipſi aiunt, quod neque in Concilio, neque in Iure Canonico extat textus, qui ſub peccato mortali obliget prædictos ad aſſiſtendum, ſed ſolum ad pœnas amiſſionis diſtributionum, & fructuum: & ſi in contrarium adducas *Tridentinum cap. cit.* vbi prohibens abſentiam canonicorum ab Eccleſia, in qua habent beneficium vtitur verbo, non liceat, quod verbum æquipollet præcepto, vt notat *Sanchez in ſumma lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 38. reſpondet *Michael Ferro quæſt. cit. num.* 4. id non officere; quia illud verbum, 5

bum, non liceat, referri poterit ad forum externum, de quo procedit diſpoſitio illa Concilij. ſecundò ſi Concilium voluiſſet obligare in foro conſcientiæ, ſanè poſt prohibitionem addidiſſet pœnam aliquam ſpiritualem, vt pœnā excommunicationis, aut ſuſpenſionis. & de facto vbi voluit eam imponere declarauit, quando prohibet Epiſcopis, & Parochis abſentiam à propria Eccleſia vltra tres menſes *ſeſſ. 23. de refor. cap. 6.* Tertiò eſt controuerſum apud Doctores, vtrum lex pœnalis mixta, vt eſt lex, de qua loquimur, prohibens abſentiam ſub pœna amiſſionis fructuum, obliget ſub peccato, & aliqui affirmant; aliqui vero negant. Hęc ſunt præcipua argumenta, quibus huius ſententiæ fautores illam probant. Quid autem in re iſta ſit definiendū, mihi eſt valde dubium, pro vtraque enim parte, & authoritas, & rationes ſunt magni ponderis: nollem enim liberas Canonicis, alijſque ſimilibus dignitatibus laxare habenas, immunes illos à culpa reddēdo, neque contra conſcientię anguſtijs eos premere; idcirco quantum fieri poterit vtramque ſententiam varijs cōcluſionibus lenire conabor.

6 Dicendum eſt primò. vno, aut altero die abeſſe ab Eccleſia, ſeu choro, etiam ſine vlla legitima cauſa, non eſſe per ſe loquendo graue peccatum, quia eſt res leuiſſimi momenti, ita *à S. Fauſto diſp. 183. citata verbo, Hinc non eſt*, ſed Author iſte non debebat ibidem ita liberè aſſerere, nō eſſe audiendum *Patrem Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. de horis, &c. cap. 13. n. 8. & 9.* quaſi dixiſſet ſolū excuſari a mortali vnius diei abſentiam; Suarez enim non eſt ita loquutus, vt patet ex textu, nam in fine prioris numeri cū retulerit opinionē quorumdā, qui voluerunt ſemel, aut bis deeſſe à choro, non eſſe peccatum mortale, ait non videri improbabile: & quamuis *numero ſequenti* noluerit eſſe huius licentiæ fautor, neque ſuum iudicium in hoc interponere, id ſolum dixit, vt conſuleret ne tam frequenter talis licentia ſumatur, conſilium ſanè viri pij, & teneræ conſcientiæ. dixi per ſe loquendo.; nam ſi plures deſint, ita vt officium decenter in choro celebrari nequeat, non dubito in tali caſu, qui eſt per accidens, ſingulos grauiter peccaturos, etiamſi abſentia ſit vnius diei, vt concedit ipſemet *à S. Fauſto queſt. 181. verbo, Ex quo infertur*, eſt enim contra præceptum Eccleſiæ *ex cap. vltimo diſt. 92. & ex cap. 1. de celebratione miſſarum*, vt ponderat *Suarez cap. illo 10. num. 2. & alij*.

7 Dicendum eſt ſecundò. probabiliùs cenſeo præceptum contineri in decreto Concilij Trid. immo etiam in iure canonico, ne Canonici, alijque dignitatem habentes diù abſint à propria Eccleſia. eſt contra Michaelem Ferro ſuperius citatum, qui cenſet in Concilijs, & in iure canonico nō extare tale præceptum; & à Concilio initium ſumendo id clarè probo; nam *cap. illo 12.* quamuis expreſsè non vtatur verbis præceptiuis, ſeu in actu ſignato, vtitur tamen verbo æquipollenti, cum ait. non liceat canonicatum habentibus, &c. hoc enim verbum neceſſitatem aſſiſtendi importat, & per conſequens prohibitionem de oppoſito, nempe de abſentia; tale autem eſſe verbum illud, non liceat, ex multis docet *Sanchez vt ſupra*, & nouiſſime *Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 3. dub. 12. nu. 117.* ſi igitur ex Concilio habemus non licere vltra tres illos menſes abeſſe, abſentia erit illicita, ſaltem ex præcepto eccleſiaſtico, atque adeo vi alicuius præcepti prohibita, & præſertim vi decrèti ipſius Concilij, dirigi autem ad forum externum, vt explicat Ferro vanum omninò videtur, quia Concilia cum abſolutè dicunt aliquod eſſe licitum, aut non licitum, id intelligunt in ordine ad forum conſcientiæ, quod primariò reſpiciunt; & colligitur ex fine, quē ſibi præfixit Concilium in eo decreto ad ſtatuendam aſſiſtentiam, & præſertim in Cathedralibus. finis autem ille fuit conſeruatio, & augmentum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, vt dicitur initio illius capitis.

Extare autem præceptum illud in iure canonico colligitur *ex capite Clericus penultimo diſt. 91.* vbi ſi Clericus in nundinis, vel in foro inutiliter ambulet, ſtatuit, vt deponatur ab officio: depoſitio autem iſta eſt grauis pœna ſpiritualis, quæ inflicta ſub ratione pœnæ neceſſario ſupponit culpam contra præceptum aſſiſtendi. dubitare igitur rationabiliter nemo poteſt, legem, qua prohibetur abſentia, continere præceptum. maior autem difficultas eſt in decernendo num abſentia iſta, vt ſic præſcindendo ab alijs circumſtantijs, ex obiecto ſuo ſit peccatum lethale, nec ne, nam eſſe veniale, quando nulla eſt proportionata, & ſufficiens cauſa abſentiæ, vltro conceditur ab Authoribus huius ſecundæ ſentētię.

Vt autem determinemus num diuturna abſentia, quando nulla legitima interuenit cauſa, ſit ſufficiens materia ad peccatum lethale, eſt diligenter attendendum caput, ex quo ipſius materiæ grauitas reſultat, & duo ſe mihi offerunt capita: primò ratione iuſtitiæ, inquantum Canonicus beneficium acceptans, ſe obligauit ſaltem implicitè ad officium canendum in choro, & alia obſequia præſtanda in Eccleſia, in qua Canonicatum habet. ſecundò ratione virtutis religionis, quatenus ob diuturnam abſentiam diuinus cultus notabiliter minui- 8

tur. aliud caput non video, ex quo grauitas iſta deſumi valeat. his præhabitis.

9 Dicendum eſt tertiò. priorem opinionē non ſolùm eſſe communiorem, ſed tutiorem, & in praxi omnino conſulendam, idque ſuadent argumenta, quæ ab eius defenſoribus excogitata, & ſuperiùs à nobis relata ſunt; & quamuis daremus per rationes allatas non probari ſufficienter grauitatem culpæ in diuturna abſentia; ſatis erit ad hanc opinionem practicè ſuadendam, culpa ſaltem venialis, quam in tali abſentia agnoſcimus.

10 Dicendum eſt quarto. probabiliorem mihi videri poſteriorem ſententiam, quæ liberat Canonicum abſentem à peccato mortali. concluſionem autem ſic probo. diuturna abſētia vnius Canonici ex obiecto nequit moraliter exiſtimari grauis materia: ergo Canonicus diù abſens grauiter non peccabit; patet conſequentia, quia paruitas materiæ inſufficiens eſt ad graue peccatum conſtituendum. Antecedens vero, in quo difficultatis cardo verſatur, poterit ſuaderi diſcurrēdo per illa duo aſſignata capita grauitatis materiæ: & quoad primum caput, nempe ratione iuſtitiæ probatur, nam licet Canonicus, eo tempore, quo beneficium recepit, ſe obligauerit ad officium in choro canendum, & ad alia obſequia Eccleſiæ; nihilominus ex ſuppoſitione, quod remittit fructus beneficij tēpori abſentiæ reſpondentes, & cultus diuinus non patitur detrimentum, quatenus Canonici remanentes ſufficienter, & decenter officium in choro recitant, abſentia vnius adeo parum minuit obſequium, vt de illa non ſit habenda conſideratio in ordine ad decentiam cultus. v. g. ponamus omnes officiantes in choro, tum canonicos, tum alios eſſe triginta, vnius tantum defectus eſt tam leuis momenti, vt moraliter cultus in recitando nullum videatur pati detrimentum, quis enim notat diſcrimen inter viginti nouem, & triginta?

11 Dices poſſet, immò debet Epiſcopus monere canonicum abſentem, vt redeat ad Eccleſiam, & exerceat munus, ad quod ſe aſtrinxit, & ſi contumax fuerit deberet illum priuare beneficio, vt in decretis ſuperiùs citatis habetur; igitur videtur Canonicus diù abſens eſſe in mora grauiter culpabili non aſſiſtens.

Reſpondeo concedendo debitum illud in Epiſcopo, & ſi Canonicus monitus non reſideat, ſed maneat in ſua contumacia, grauiter peccare, ſed ideo peccat, quia non obedit Prelato iuſtè præcipienti, & in materia quæ ſit ſufficiens ad præceptum obedientiæ ſub mortali conſtituendum, & in tali caſu non procedit quæſitum, neque concluſio noſtra, quæ locum habet, quādo non eſt præceptum, neque aliquid aliud inconueniens ſequitur. maneat igitur ex dictis Canonicum in caſu prædicto, quando ſcilicet ipſe illegitimè abſens remittit fructus beneficij, & nullum detrimentum magnæ cōſiderationis patitur diuinus cultus, neque extat ſuperioris præceptum, non eſſe damnandum de graui peccato.

Supereſt, vt argumenta in fauorē prioris ſententiæ adducta ſoluamus. Ad locum Concilij Tridentini reſpondeo, ex illo decreto nihil aliud colligi, niſi illicitam eſſe abſentiam diuturnam abſque rationabili cauſa, eamque puniri amiſſione fructuum; talis autem pœna non arguit obligationē ſub graui peccato. quod confirmo non ſolùm ex eo, quod multi Authores nō ignobiles cenſent legem pœnalem etiam mixtam, ſiue ciuilem, ſiue canonicam, non obligare ſub culpa mortali, niſi pœna ſit valde atrox, qualis eſt pœna mortis, mutilationis; & ſimiles; ſed etiam quia, ſi ex pœna impoſita licet colligere culpam, procul dubio ex pœna prædicta nequimus grauem, ſed ſolùm leuem culpam deducere, nam amiſſio illa fructuum in ratione pœnę leuis eſt: pœna autem priuationis beneficij, quæ à ſacris canonibus ſtatuitur pro tranſgreſſoribus, & in contumacia perſiſtentibus, ad quos canones ſe remittit Cōcilium in eo decreto, quamuis ſit grauis infligitur ob contumaciam, & inobedientiam, qua Canonicus poſt ſufficientem monitionem ab Epiſcopo nolit parere, & ideo meritò tali pœna multatur. 12

Ad ſecundum deductum ex legibus iuſtitiæ reſpondeo, quod quamuis ratione pacti, ſaltem implicitè interuenientis in receptione beneficij, Canonicus ſe obligauerit obſequia prædicta in Eccleſia præſtare, quorum intuitu ſtipendium habebat; nihilominus læſio iſta in ordine ad iuſtitiā eſt leuis, dum Canonicus fructus remittit, & diuinus cultus ferè nullum patitur detrimentum: quemadmodum ſi Princeps plures habeat famulos aſtrictos etiam vi contractus ad ſui obſequium, eiſque ſtipendium daret, ſi aliquis ex illis vellet remittere ſtipendium, & per annum Principi non inſeruire, poſſet vtique Princeps illum cogere, vt ſtaret contractui, ſed id non faciens cenſeretur nullum pati in obſequijs detrimentum, aut adeo leue, vt moraliter pro nullo exiſtimaretur, ſic & in caſu noſtro. hæc mihi occurrunt pro hac ſecunda ſententia, quæ prædictis adhibitis modificationibus probabilior, quamuis non communior, cenſetur.

QVÆ-

QVÆSTIO SEXTA.

An defectus ſcripturæ irritet præſentationem, & inſtitutionem ad beneficium, & an transferat ius iterum præſentandi ad Superiorem primo quadrimeſtri elapſo?

SVMMARIVM.

1 *Enarratur caſus, in quo duo inuoluuntur decidenda.*

2 *Præſentationem, & inſtitutionem, non obſtante defectu ſcripturæ, fuiſſe validas.*

3 *Ratione fundamentali probatur.*

4 *Ius præſentandi in caſu prædicto non fuiſſe deuolutum.*

5 *Facta hypotheſi inualiditatis, fuiſſet ne ius præſentandi deuolutum ad Epiſcopum, an ad hæredes patroni.*

6 *In hac re probabilius eſt ignorantiam præſumendam, & notitiam probandam.*

7 *Directè reſpondetur ad duo quæſita propoſita.*

1 CAſus de facto euenit, de quo per priuatas epiſtolas conſultus fui: talis autem erat. Quidā Antonius fundator, & patronus laicus præsētauit Pompeium ad Eccleſiaſticū beneficium, qui poſteà more ſolito Epiſcopus, ad quem pertinebat, prouidit, vt inſtitueretur: ob incuriam tamen ipſius electi in prouiſione omiſſa fuit diei annotatio, & Bullæ non fuerunt ab eodem Epiſcopo firmatæ, & expeditæ. interim accidit, vt Antonius patronus ex hac vita deceſſerit, & ideo eius hæredes prætendentes nullitatem tum præſentationis, tum etiam inſtitutionis, volebant alium præſentare; & etiam dubitatio emerſit, num data inualiditate prædictarum actionum, & tranſacto interim primo quadrimeſtri, quod eſt tempus iure præſcriptum pro præſentatione facien-
2 da à laicis, ius præſentandi deuolutum fuerit ad Epiſcopum: de vtroque puncto interrogatus reſpondeo.

Ad primum igitur aio, & præſentationem, & inſtitutionem fuiſſe validas, & nō irritas, non obſtante defectu inſcriptionis diei, & ſubſcriptionis, ſeu firmæ ab Ordinario faciendæ. probatur, quia eſt certum, inualidas non eſſe ſi ius naturæ ſpectemus, nam iuxta tale ius non requiritur ad valorem diſpoſitionis, quæcumque ſit, exterior ſcriptura, cum ſufficienter fiat medijs verbis explicantibus voluntatem diſponentis, vt rectè animaduertit *Sanchez lib. 3. de matr. diſp. 35. num.* 10. quod probat ex *Gloſ. cap. Rom. de cenſ. in 6. ver. In ſcriptis*, & authoritate *Decij in rubr. de conſtit. in prima lect. num.* 26. *Suarez* idem docet *lib. 8. de legibus cap.* 2. *num.* 1. *&* 2. loquens de conceſſione priuilegiorum, & gratiarum, aliarumque diſpoſitionum; & apud eoſdem multi etiam laudantur.

Ratio autem fundamētalis ſuperiùs tac-
ta eſt, quia cauſa effectiua cuiuſcumque 3
diſpoſitionis cum ſit voluntas illius, in quo reſidet poteſtas diſponendi, ſatis erit, ſi eadem voluntas exteriùs ſigno aliquo ſenſibili innoteſcat: cum igitur hoc tanquam indubitatum ab omnibus concedatur, meritò illud omittamus. deueniendo tamen ad ius poſitiuum humanum, res difficultatem patitur, nam quamplurimæ, ſecundum tale ius, irritantur diſpoſitiones, quibus externa deſit ſcriptura: Cæterum loquendo de præſenti diſpoſitione, cum in iure nulla extet lex, aut Pontificis decretum irritans ipſo facto præſentationem, aut inſtitutionē factam ab Epiſcopo, quando per publicam ſcripturā non oſtenditur, conſequens eſt, vt dicamus inualidas minimè fuiſſe; & loquendo de collatione, quæ eſt ab Epiſcopo, quamplures id docent, vt *Io. Selua de benef. par.* 3. *quæſt.* 92. *Flamin. de reſign. benef. lib.* 8. *quæſt.* 2. *nu.* 8. 21. *Azor par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 2. *quæſt.* 5. *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 26 *quæſt.* 5. *& lib.* 7. *cap.* 1. *quæſt.* 1. *Filliucius in ſumma trac.* 41. *cap.* 6. *quæſt.* 1. *num.* 3. Quod autem hi Authores dicunt de collatione facta ab Epiſcopo, quando ipſe nominat, ego dicam de præſentatione facta à patrono, & inſtitutione facta ab Ordinario, cum eadē prorsùs ſit ratio, & nulla ſit diuerſitas, niſi quod illa ſit motu proprio Epiſcopi, ideoque à Doctoribus collatio gratioſa nuncupatur, iſta vero, nempe inſtitutio non ſit motu proprio, ſed pſentatione idonei præſuppoſita, cogente Ordinarium ad inſtitutionē, quando præſentatus eſt idoneus; proinde appellatur collatio obligatoria, & non libera. ita loquitur *Caſtropalaus tom.* 2. *trac.* 13. *diſp.* 2. *punc.* 1. *num.* 2. *& punct.* 3. *num.* 1. *Barboſa de iure eccleſ. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 2. qui addit ſub nomine collationis venire electionem, præſentationem, confirmationem, & inſtitutionem, idque probat ex *Clem. unica Gloſ. adiuncta. verbo, conferantur, in fine de rerum permut. Gonzales ad reg.* 8. *cancel. gloſ.* 15. *nu.* 8. & loquendo explicitè de inſtitutione id in terminis docet *Lambert. de iur. patr. par.* 2. *lib.* 2. *quæſt.* 3. *art.* 12. *& par.* 3. *lib.* 2. *quæſt.* 11. *art.* 2. *&* 3. vbi ait ad inſtitutionem non eſſe neceſſariam ſcripturam; ſed ſufficere eam teſtimonijs probare. & hæc pro primo quæſito ſint ſatis.

A d ſecundum vero dubium dico, faci- 4
lem eſſe deciſionem, eamque colligi ex dictis,

Digitized by Google

dictis, nempe Ius præſentandi non eſſe deuolutum in caſu poſito ad ſuperiorem, videlicet ad Epiſcopum; quia, vt oſtendimus, vtraque actio valida fuit. Verum ad pleniorem doctrinam prodeſt ex ſuppoſitione inualiditatis in præſentatione, & inſtitutione decidere quæſitum, & ideo tali
5 hypotheſi facta adhuc ſuſtinemus ius præſentandi non eſſe ad Epiſcopum, ſeu ad alium ſuperiorem deuolutum, ſed manſiſſe apud hæredem patronum: & ratio eſt, quia nunquam ius illud deuoluitur, niſi à die vacationis cognitæ à patrono iuxta probabiliorem Doctorum ſententiam, quam ſequitur *Sanchez lib. 2. conſil. cap. 3. dub. 60. num. 10. Barboſa lib. de iure eccleſ. citato cap. 12. num. 168. & de poteſt. epiſ. alleg. 72. num. 134. Tiraquel. de retract. tit. 2. §. 35. num. 7 Garçia de beneſ. par. 10. cap. 2. num. 34. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 34. dub. 6. num. 27. Caſtropalaus tom. 2. trac. 13. diſp. 2. punc. 5. num. 3. & alij*: imò *Barboſa* addit *alleg. cit. num. 13. 135. 136. & de iure eccleſ. loc. cit.* in dubio præſumptionem eſſe in fauorem patroni, & ideo dum non probatur, in eo præceſſiſſe notitiam vacationis, præſumitur non adfuiſſe, & hoc ipſe confirmat ex *Menochio de præſumpt. lib. 6. quæſt. 77. num. 14.* & etiam *ex deciſione Rotæ apud Farinacium deciſ.* 120. attamen quod ab his authoribus de præſumptione hac ſuſtinetur, non placet alijs, qui contrarium cenſent: ſcilicet cum ignorantia non probatur præſumi notitiam fuiſſe, & ſic tuetur *Sanchez in*
6 *conſil. lib. 2. cit. dub. 59. num.* 21. nihilominus prior ſententia, quæ eſt communior, mihi magis arridet, quia cum vacatio ſit quid facti, & tempore ſtatuto non præſentare habeat quamdam delicti ſpeciem, non præſumitur, ideoque ignorantia erit præſumenda.

7 Ex his omnibus patet directa reſponſio ad vtrumque quæſitum: nempe illas duas actiones irritas non fuiſſe: quapropter hæredes prædicti Antonij abſolute loquendo inaniter prætendunt nullitatem præſentationis, & inſtitutionis. Rurſus etiam poſita nullitate non poteſt ab Epiſcopo prætendi deuolutio, ſed ius præſentandi eſt apud hæredes ipſius Antonij. Et hæc occurrunt dicenda de vtroque caſu, quæ omnia prudentum iudicio libenter ſubmitto.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Inquiſitores contra hæreticam prauitatem habeantur ne, vt præſentes ad lucrandas quotidianas ſui beneficij diſtributiones?

SVMMARIVM.

Ratio difficultatis in hac quæſtione deſumitur ex Iuris diſpoſitione. 1

Spectando ius commune Inquiſitoribus nō debentur diſtributiones quando officijs non interſunt. 2

Proponitur, & ſoluitur inſtantia contraria. 3

Vi priuilegiorum debentur Inquiſitoribus diſtributiones etiam ſi abſint. 4

Priuilegia non fauent Inquiſitoribus habentibus beneficium curatum. 5

In priuilegijs prædictis non comprehendūtur ſub nomine diſtributionum mortuaria, & anniuerſaria. 6

HVius quæſiti difficultas deſumi de- 1
bet tanquam ex fundamento, in diſpoſitione iuris, per quod ſtatutum eſt diſtributiones, quæ ſunt veluti quotidianum ſtipendium, non eſſe conceſſas, niſi ijs Clericis, qui in Cathedralibus, aut Collegiatis diuinis officijs aſſiſtūt, vt patet per textum *in cap. vnico de cler. nō reſid. in 6.* quod ibi communiter confirmat expoſitorum authoritas; & oppoſita conſuetudo omnino reprobatur. Difficultas inquam, huius quæſiti in eo textu fundatur; cuius diſpoſitio cum ſit vniuerſalis, quibuſdam perſonarum generibus exceptis, quæ ibi declarantur, videtur comprehendere omnes, atque adeo etiam Dominos Inquiſitores habentes, aut Canonicatus, aut alias dignitates in Cathedrali, aut Collegiata. his ſuppoſitis, quid in re hac dicendum ſit in medium affero.

Dicendum eſt primo, ſi ius commune 2
ſpectemus præſcindendo à Priuilegijs, nequeunt Domini Inquiſitores realiter abſentes ab Eccleſia, in qua habent beneficium, fictione iuris, vt præſentes cenſeri; atque adeo diſtributiones lucrari. concluſio certa videtur ex iacto fundamēto, nam *in cap. illo vnico*, ſermo eſt generalis, & caſus excepti non comprehendunt Inquiſitores, & confirmatur *ex deciſ. Sacræ Cōgregationis*, quæ explicitè id declarat, & declarationem ad verbum refert *Garçia de beneſ. p. 3. cap. 2. num. 356.* his verbis [*Congregatio Concilij iam dudum conſulta reſpondit Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis minimè ius eſſe percipiendi diſtribu-*

butiones quotidianas Canonicatuum, Dignitatum, aut aliorum beneficiorum, eo tempore, quo beneficijs prædictis non deſeruierint.&c.]

Dices in eodem *cap. vnico cit.* in quo
3 ſtatuitur diſtributiones non acquiri ab ijs, qui abſunt, excipiuntur, qui ob euidentẽ eccleſiæ vtilitatem nequeunt intereſſe, cũ igitur Inquiſitorum abſentia, à proprijs locis, in quibus habent Canonicatus, vel dignitates, ſit in vtilitatem totius Eccleſię; ergo inferre debemus, ex iure communi Inquiſitores, non eſſe excludendos, etiam quando abſunt, à perceptione quotidianarum diſtributionum, nam in eodem *cap.* in quo diſpoſitum fuit, diſtributiones tantùm à præſentibus acquiri, limitatur reſpectu abſentiæ pro bono Eccleſiæ, & ſicuti Canon facit ius commune ratione primi; ita etiam ratione ſecundi.

Reſpondeo, limitationem illam eſſe intelligendam, non reſpectu Eccleſiæ vniuerſalis, ſed illius tantum, in qua, quis habet dignitatem, beneficium, &c. vt rectè explicat *Moneta de diſtrib. par. 2. quæſt.* 11. nam cum *num.* 2. nomen Eccleſiæ tripliciter ſumi poſſe oſtendat; *nu.* 22. conciliando quædam iura quæ contraria vidētur, concludit *num.* 24. *in cap. illo vnico*, nomine Eccleſiæ intelligi eam, cui quis eſt adſcriptus, & cuius eſt Canonicatus dignitas, &c. is enim abſens propter ſuæ Eccleſiæ vtilitatem congruum fuit, vt diſtributiones lucraretur, & non amitteret, & cēſeatur, vt præſens ſuæ Eccleſiæ, vt colligitur etiam *ex cap. ex parte 2. de cleric. non reſid.*

4 Dicendum eſt ſecundo, ratione priuilegiorum Inquiſitores lucrantur diſtributiones Canonicatuum, aut dignitatum, quas habent, quamuis actu illis non deſeruiant, habentur enim in fauorem fidei, vt præſentes in ſuis beneficijs, ita conceſſit illis *Paulus III. & Pius V.* vt refert *Rojas de priuil. Inquiſ. num.* 420. *Garçia loc. cit. Barboſ. de canon. dignit. cap.* 24. *num.* 2. *& de poteſt. Epiſcopi alleg.* 53. *nu.* 156. & apud ipſum *Armendarius in addit. recopilat. legum Nauarra lib.* 1. *tit.* 3. *nu.* 91. *Santarel. var. reſol. quæſt.* 11. *num.* 3. *& alij*, idque etiam deciſum fuit à Sacra Congregatione in declaratione ſuperiùs citata: poſtquam determinauit Inquiſitores non habere ius percipiendi diſtributiones ſuorum beneficiorum, niſi ſint præſentes, eiſdemque beneficijs inſeruiant, ſtatim limitat declarationem hāc, his verbis, [*Quam deciſionem Inquiſitores Hiſpaniarum veriti ne læderentur eorũ priuilegia à diuerſis Romanis Pontificibus ad tempus conceſſa, & à fel. record. Gregorio XIV. prorogata, vt eis prædicto muneri vacātibus liceret diſtributiones quotidianas percipere, ad Congregationem adierũt illorumque tenore exhibito, declarari petierunt eam deciſionem ex Iure communi depromptam, ad eorum priuilegia nequaquam pertinere. Itaque Congregatio, priuilegiorum exemplo diligẽter inſpecto Iuri conſentanea, Inquiſitores poſtulare cenſuit, atque adeo declarauit deciſionem à ſe editam de diſtributionibus quotidianis in abſentia non percipiendis, non habere locum vbi ſpecialibus priuilegijs, aut indultis Apoſtolicis Inquiſitoribus, ſeu alijs Sancti Officij miniſtris fuerit conceſſum, vt quotidianas diſtributiones quantumuis abſentes lucrentur, tunc enim priuilegia, & indulta huiuſmodi, quæ ad tempus, pro quo fuerunt conceſſa durent, eo firmiùs eſſe cuſtodienda, quò præſtantius, & vtilius eſt Chriſtianæ Reip. Inquiſitorum officium ad conſeruationem, & propagationem Orthodoxæ fidei conſtitutum. Ita die 6. Iunij* 1594.] Hæc habet Sacra Congregatio in fauorem Inquiſitorum, & meritò, nam ipſi tanquam vigilantes cuſtodes sūma diligentia prouident, ne zizania à cōmuni hominum hoſte in agro S. Eccleſiæ superſeminentur, & bonæ fruges ſuffocentur, laborantes igitur in ſeruanda illæſa Fide Catholica iure optimo non debent priuari æmolumentis illis, quæ ex beneficijs, ſi præſentes eſſent lucrarentur.

Dicendum eſt tertio, ſi beneficium, quod 5
poſſidet Inquiſitor eſt Curatum: tunc priuilegia prædicta illis non fauent: eſt contra *Spino in ſpecul. teſtam. Gloſ.* 3. *initio num.* 78. qui vult priuilegia Inquiſitorum in hac materia ſe extendere ad quæcumque beneficia, quamuis curata; concluſionem tamen tuentur reliqui *Ceuall. in pract. quæſt.* 581. *num.* 12. *Gonzales ad reg.* 8. *Cancell. Gloſ.* 43. *num.* 164. qui ait, ita fuiſſe deciſum, & eum ſequitur *Barboſa alleg. cit. num.* 187.

Dicendum eſt quarto, ſub priuilegio, 6
per quod abſenti cōceduntur diſtributiones quotidianæ, cenſeo non venire mortuaria, & anniuerſaria, ſic expreſsè docet *Nauarrus lib. 3. conſil. num.* 2. *Lapus alleg.* 34. 36. *Zabarell. in Clement. vt ij, qui de æt. & qualit. ordi. Moneta de diſtrib. p. 2. quæſt.* 14. *num.* 22. *Bonacina de hor. canon. diſp. 2. quæſt.* 5. *p.* 4. *n.* 5. *& ſequ.* contrarium docet *Quaranta in bull. ver. Diſtributiones in ampliat.* 2. *Tuſcus lit. D. concluſ.* 511. *nu.* 2. *& alij*. probatur concluſio, quia cum Priuilegium lucrandi diſtributiones, non obſtante abſentia, ſit valde odioſum, tum quia eſt contra Ius commune, tum quia minuit quantitatem eleemoſynæ reſpectu illorum, qui interſũt, nam cum diſtribui debeant etiam in abſen-

ſentes, neceſſe eſt vt minùs ſit lucrum reſpectu præſentium: igitur cum ſit odioſum ſub nomine diſtributionis, quando agitur de præiudicio tertij, non debent comprehendi mortuaria, & anniuerſaria, & nomen debet ſumi cum omni rigore, certum enim eſt nomen hoc, nempe diſtributionem quotidianam, non poſſe adaptari, niſi fructibus, qui quotidiè diſtribuuntur: mortuaria autem, ſeu anniuerſaria, non ſunt quotidiana; proinde in odioſis ſub nomine quotidianarum diſtributionum non comprehenduntur, nisi de ipſis in Priuilegio ſpecialis fiat mentio.

Si igitur res ita ſe habet, loquendo de Inquiſitoribus aio, in priuilegijs, quæ ipſis ſunt conceſſa anniuerſaria, nequeunt contineri ſub nomine diſtributionum: niſi de ipsis fiat mentio: priuilegiorum autem formas non vidi, proinde ad illas lectorem remitto.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrum Petrus habens beneficium curatũ, poſſit illud Paulo ita renuntiare, vt ipſe Paulus renuntiatarius ſe obliget ſoluere Petro renuntianti congruam ſubſtentationem, habita licentia à Summo Pontifice.

SVMMARIVM.

1 *Aliqua pro deciſione ſupponuntur.*
2 *Secundum Ius antiquum probabilis eſt vtraq; opinio contraria.*
3 *Spectando Ius nouum illicita eſt talis renuntiatio.*
4 *In illa probabile eſt ſimoniam inueniri.*
5 *An cohoneſtetur ſi beneficiarius reſignet in manibus Prelati.*
6 *Vtrum poſſit ſaltem ſignificare patrono, vt talem determinatam perſonam præſentet.*
7 *In ſupplicatione, quæ fit ad Summum Pontificem totus tractatus antecedens eſt exponendus.*
8 *Non ſolet Pontifex abſque cauſſa iuſta, & proportionata penſionem imponere beneficio laicorum, ſine conſenſu patroni.*

1 PLura inuoluit, & ſupponit præſens quæſitum, de quo paucis ab hinc diebus interrogatus fui, vt meum aperirem ſenſum: ideo ſingula breuiter ſunt decidenda: & primò id, quod directè exprimitur in titulo, videlicet, an huiuſmodi renuntiatio sit licita: ſecundò, an in ſupplicatione, quæ fit Pontifici, explicandus sit tractatus initus antecedenter inter ipſum renuntiantem, & renuntiatarium: Tertiò, vtrum ex hypotheſi, quod prædicta renuntiatio ſit licita, poſſit Pontifex concedere onus penſionis imponendum, cum beneficium ſit Iuriſpatronatus laicorum. Antequam autem deueniam ad deciſionem, ſuppono beneficium renũtiari à Petro non ſimpliciter, & purè, ſed in fauorem Pauli: & ideo quæri poteſt, nũ talis renuntiatio ſit ſimoniaca, an ſaltem illicita ex alio capite.

Dicendum primo. ſi ſpectetur Ius antiquum, quamuis plures exiſtiment eſſe illicitam talem renuntiationem, & hos laudet *Sanchez in conſil. lib. 2. cap. 3. dub. 36. num.* 11. quorum opinionem ipſe *nu. 16.* ſatis probabilem appellat, probabilis tamen eſt oppoſita, quam ipſe Sanchez ſequitur ibidem, vt probabiliorem, rationes vide apud eumdem. 2

Dicendum eſt ſecundo. ſpectando Ius nouum editum à Pio V. per conſtitutionẽ, quæ incipit [*Quanta Eccleſia Dei*] quæ extat in Bullario, & eſt 58. nullo pacto renuntiationem prædictam fieri poſſe, niſi tantùm in manibus Summi Pontificis, proinde à nullo inferiori recipi validè poſſe, ita communiter Doctores; aliquos recenſeo. *Sanchez num.* 21. *& ſequentibus cit. dubit. Pariſius lib.* 5. *de reſign. q.* 6. *num.* 1. *Barboſa de iure eccleſ. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 53. *& ſequentibus præſertim n.* 62. *Fillincius tract.* 41. *cap.* 10. *nu.* 4. *Bonacina de ſimonia qu.* 4. *§.* 14. *num.* 5. *Caſtropalaus p.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 6. *pun.* 2. *§* 1. *num.* 5. *& p.* 3. *diſp.* 3. *pun.* 17. *num.* 3. *& in eadẽ ſententia videtur eſſe Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 35. *dub.* 16. *num.* 96. vnica pro hac concluſione ratio eſt voluntas Pontificis nolentis ob varias congruentias huiuſmodi renuntiationes admitti ab alio Prælato. 3

Dicendum tertiò: valdè probabile eſſe in tali reſignatione ſimoniam contineri, quam ſententiam communem vocat *Caſtropalaus diſp. illa* 3. *num.* 4. attamen *nu.* 5. non eſſe ſimoniacam, indicat non carere probabilitate, & aliquos citat, quibus adhæret *Barboſa cap. cit. num.* 54. 55. ſed quidquid ſit de hoc, certum eſt eſſe illicitam, & vt ait idem *Barboſa,* eſſe ſacris canonibus inimicam, & à iure reprobatam; proinde à Prælatis Pontifice inferioribus non admittendam ob conuentionem, quam inuoluit, quę à Iure non permittitur. 4

Sed quid ſi reſignatio liberè fiat in manibus Prælati? num vt ſic, cohoneſtari poſſit? Reſpondeo negatiuè: tum quia reuera eſt in fauorem tertij, tum etiam, quia videntur illi contradicere verba, quæ habentur in conſtitutione Pij: ſic enim habet [*Caueant autem Epiſcopi, & alij prædicti, itemque omnes Electores, Præſen-* 5

ſentatores, & Patroni tam Eccleſiaſtici, quàm laici, quicunque ſint, ne verbo quidem, aut nutu, vel ſigno futuri in huiuſmodi beneficijs, & officijs ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut alijs eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur: aut de his aſſumendis promiſſio inter eos, vel etiã intentio qualiſcumque intercedat] hæc Pontifex: ex cuius verbis, quãuis ad Epiſcopos directis, colligitur manifeſtè quantùm abhorreant Iura ab huiuſmodi conuentionibus, & præſertim in caſu noſtro, in quo conuentio de penſione imponenda fit per publicum inſtrumentum: & ideo vt benè notat *Caſtropalaus diſp. 3. cit. nu. 7.* Petrus ita reſignans poteſt ab Epiſcopo puniri.

6 Quæres; an Beneficiarius liberè reſignans, poſſit ſignificare Patrono, vt ad beneficium præſentet Paulum. Reſpondeo hunc caſum, loquendo de Collatore, proponi à *Sanchez num. 23. dub. cit.* qui primo refert quorumdam iuniorum opinionem dicentium, ſi hoc fiat ante renunciationem ſcrupulo non carere, quia Pontifex intendit euitare omnem modum ſucceſſionis: ſecùs ſi fiat poſt renunciationẽ: addit tamen Sanchez, non videri contra motum propriũ Pontificis ſignificare Prælato Collatori ſucceſſorem; relinquendo tamen prouiſionem in eius voluntate. quod dicit Sanchez de Collatore, quando ad ipſum pertinet electio perſonæ: Idem ego aſſero de patrono, ad quem ſpectat præſentatio: nam eadem eſt ratio quantum ad hoc, de vtroque: & hæc ſatis de primo puncto. quoad ſecundum.

7 Dicendum eſt quarto. in ſupplicatione, quæ Romæ fit, vt Pontifex concedat penſionem neceſſariò erit explicandus totus tractatus, & pariter renunciatio facta, & recepta cum poſſeſſione, aliter ſurreptitium eſſet proculdubio reſcriptum, quia ſuppreſſio alicuius circumſtantiæ, qua expreſſa, Pontifex, vel non concederet gratiam, vel difficilius illam concederet, vitiat reſcriptum, vt habetur *cap. ſuper literis de reſcrip.* & ibi *Felinus ver. exprimenda*, & alij ſcribentes: circumſtantia autem iſta in caſu præſenti, eſt tractatus ille antecedens, & renunciatio illa facta ſub pacto futuræ penſionis: vt ſic enim non cenſetur pura, vt præſcribunt ſacri canones, & hæc de ſecundo puncto.

8 Dicendum eſt quinto. quamuis Pontifex de plenitudine ſuæ poteſtatis derogare poſſit Iuripatronatus etiam laicorum, imponendo penſionem abſque conſenſu patroni; nihilominus abſque graui cauſſa, nunquam id facit. prior pars huius concluſionis eſt indubitata: nam omnia beneficia ſubduntur Iuriſdictioni Summi Pontificis: & id communiter affirmant Doctores, quos refert, & ſequitur *Caſtropalaus p. 2. tract. 13. diſp. 1. pun. 11. §. 2. nu. 7.* ſecunda vero pars aſſeritur *ab Azor. p. 2. inſtit. moral. lib. 8. cap. 8. q. 3. Sanchez in conſil. lib. 2. cap. 3. dub. 58. num. 2.* & ratio eſt, quia non parùm derogatur Iuri præſentandi, quod habet patronus laicus, qui fundauit beneficium: nam viuente penſionario, ſemper durat penſio iſta etiam mortuo beneficiario: atque adeo ſucceſſor, quem patronus præſentat diminutos habet fructus. concludo igitur directè reſpõdendo ad quæſitum principale, renuntiationem hanc eo modo, quo proponitur, non eſſe puram, & ſimplicem, & ideo fieri non poſſe, niſi præcedente facultate habita à Summo Pontifice, cui omnia, quæ inter ipſos contrahentes tractata ſunt, explicari debent, vt vitium ſurreptionis euitetur: & addo eſſe etiam petendum conſenſum patroni, quia non adeſt cauſſa, ob quam Pontifex inuito, aut inſcio patrono, penſionem imponere debeat. & hæc eſt mea ſententia, quam alijs libenter ſubmitto.

QVÆSTIO NONA.

An ſi Titius præſentet Sortem, qui aliud incompatibile poſſidet beneficium, & interim tempus quatuor menſium elabatur, Ius præſentandi ad Epiſcopum deuoluatur.

SVMMARIVM.

Quæſitum declaratur, caſum formando. 1
Ius præſentandi in caſu poſito non deuoluitur ad Superiorem. 2
Facta præſentatione prædicta, non currit tempus ad iterum præſentandum. 3
Non incumbit patrono procurare, vt præſentatus inſtituatur. 4
An ad inſtituendum, tempus præſcribatur. 5
Patronus præſentans indignum, & incapacem num amittat ius præſentandi alium. 6
An patronus laicus præſentans indignum, ſi interim labatur ſpatiũ quadrimeſtre, poſſit alium dignum præſentare. 7
Vtrum patronus intra tempus conceſſum poſſit variare in præſentando. 8
Num variare poſſit quoties voluerit. 9
An ſi præſentatus renunciet, integrum tempus concedatur patrono ad iterum præſentandum. 10

Digitized by Google

1 PRo maiori huius quæſtionis intelligentia, ita caſus figuratur: Sit Titius, qui Ius præſentandi habeat ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum, tanquam patronus laicus, & mortuo Caio beneficiario, intra tempus à ſacris Iuribus præſcriptum, quod eſt quatuor menſium pro ſæculari patrono, circa finem horum menſium, præſentet Sortem, qui pacificè poſſideat aliud beneficium incompatibile cum illo, ad quod præſentatur à Titio, & præſentatione coram Ordinario facta, poſt aliquot dies labatur tempus, Quæritur num Titius, non obſtante temporis lapſu, poſſit alium præſentare, an potiùs Ius præſentandi ſtatim ac tempus præterijt, ſit ad Epiſcopum deuolutum: caſus iſte annis præteritis de facto euenit, & ad me fuit delatus, vt meum aperirem ſenſum. Videtur enim Ius præſentandi deuolutum eſſe ad Epiſcopum, & Titium illud amiſiſſe, quia ſibi imputare debuit, cum præſentauerit Sortem inhabilem ad beneficium, ratione incompatibilitatis ad vtrumque beneficium retinendum, ſed oppoſitum tunc determinaui.

2 Dico igitur primo. Ius præſentandi nullo modo eſſe deuolutum ad Epiſcopum, ſed adhuc remanere in ipſo Titio. probatur, quia Titius præſentauit tempore congruo, & ſibi à ſacris canonibus præfixo, quod reſpectu ipſius eſt ſpatium quadrimeſtre à die vacationis poſt obitum Caij, & præſentauit perſonam habilem. Neque obſtat huic præſentationi poſſeſſio plurium beneficiorum incompatibilium, quæ poſſidebātur tempore præſentationis à Sorte, nam incompatibilitas beneficiorum non reddit ſubiectum incapax ad recipiendum nouū beneficium, & multò minùs ad paſſiuam præſentationem, ſed ad ſummum ad ſimultatem retentionis eorumdem beneficiorum, quod ex ipſiſmet Iuribus facilè ſuadetur, nam ex Iuribus colligimus quod habens aliquod beneficium, ſi aliud recipiat incompatibile, vel ſtatim ipſo Iure vacet primum, vel ſaltem teneatur ipſe beneficiarius alterum dimittere: ita determinatur *in cap. Cum de multa de præben. & in extrauag. Ioan. 22.* quę incipit *Execrabilis.* & confirmantur hæc ex iure nouo *Concilij Trid. ſeſſ. 24. cap. 17. & ſeſſ. 7. cap. 4 de refor.* & hoc ipſum notant communiter Doctores *apud Sanchez in conſil. lib. 2. cap. 2. dub. 7. n. 4.* tum Canoniſtæ, tum Theologi. Aduertunt tamen Doctores, beneficia incompatibilia eſſe in duplici differentia: nam alia vocant incompatibilia primi generis, vt ſunt Curata, Dignitates, Perſonatus, & beneficia ſimilia, quando ſunt ſub eodem tecto, ideſt, in eadem Eccleſia: alia vero beneficia minora, etiam ſi reſidentiam requirant, vel ſi illam non poſtulant, excedunt tamen congruam, & decentem ſubſtentationem beneficiarij; appellant ſecundi generis. ita *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 34. dub. 27. à num. 140.* quibus poſitis, dant diſcrimen inter vtrumque beneficiorum genus, & aiunt incompatibilia primi generis, ita ſe habere, vt per adeptionem, & pacificam poſſeſſionem ſecundi, vacent ipſo Iure abſque alia renuntiatione, aut ſententia, &c. At beneficia ſecundi generis per adeptionem, & pacificam poſſeſſionē ſecundi aiūt, nō vacare ipſo Iure, ſed teneri in conſcientia beneficiarium relinquere alterum. ita *Leſſius cap. cit. n. 144.* & citat *Nauar. lib. 3. conſil. conſil. 29. de præben.* quoad primam partem: ſecundam vero partem probat authoritate *Concilij Trid. ſeſſ. 24. cap. 7. cit.* cæterum quoad incompatibilitatem remittit ſe ad conſuetudinē.

Ex his colligo Sortem non fuiſſe incapacem præſentationis factæ à Titio, eo quod alia incompatibilia tunc habuerit beneficia.

Dico ſecundo. Titium nunc, tranſacto tempore legitimo, poſſe alium eligere ad 3
illud ipſum beneficium, ſed modo infra explicando: quia facta illa præſentatione in perſona Sortis, tempus non currit, adimpleuit enim id ad quod tenebatur vi canonum; & ita hoc in terminis docet *Lamber. de Iure patron. lib. 2. p. 2. qu. 2. ar. 5.* *folio mihi* 118. his verbis. [*Patroni poſſunt præſentare extra tempus, ſi præſentatus acceptauit præſentationem, & poſtea renuntiauit, vel mortuus fuerit ante inſtitutionem*] rectè dicit ante inſtitutionem, quia facta inſtitutione, præſentatio completè, & vltimatè ſortitur effectum ſuum: proinde, niſi beneficium iterum vacet, nequit patronus alium præſentare.

Dico tertio. Titium non eſſe aſtrictum 4
curare, vt Epiſcopus inſtituat Sortem in beneficio illo, ad quod fuit præſentatus, quia in Iure non eſt lex, quæ ad hoc obliget præſentantem: nam eius obligatio ſolùm eſt præſentare, non autem inſtare pro confirmatione, ſeu inſtitutione. ita *Lamber. lib. 2. p. 2. quæſt. 1. à nu. 13. fol. 109. & q. 8. n. 2. fol. 160.*

Quæres primo. an habenti poteſtatem 5
inſtituendi præfigatur à Iure tempus ad inſtituendum, ſicut præfigitur patrono ad præſentandum.

Reſpondeo non præfigi. ita *Azor. tom. 2. inſtit. moral. lib. 6. cap. 22. q. 13. Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 72. n. 191. Lamber. p. 3. lib. 2. qu. 2. num. 6. 7. Rochus de Curſi de Iure patron. ver. Honorificum, num. 55. Riccius in praxi reſol. 260. & alij.* proindè ſi Ordinarius differat in-

Digitized by Google

inſtitutionem, beneficium, quoad ius inſtituendi, non deuoluitur ad ſuperiorem. ita refert decium *Garçia de benef. p. 5. cap. 6. num. 20.* ſed hæc ſententia eſt limitanda, nam verificabitur, quando inſtitutio non eſt ex Iure deuoluto ob negligentiam patroni; vt notat idem *Barb. loco cit. n. 194. Abb. in cap. Cauſſam. numer. 6. de elect. Roccbus de Curſi loco cit. ver. Honorificū. n. 32. Rietius in praxi* 184. *& alij.* Ideoque cum inſtitutio eſt ex Iure deuoluto, currit tempus à Iure præfixum, nempè ſpatium ſemeſtre, intra quod Epiſcopo non inſtituente, deuoluitur Ius inſtituendi ad
5 alium ſuperiorem. limitanda eſt ſecundo, cum ſuperior deſignat tempus: tunc enim, qui habet ius inſtituendi, niſi intra illud tempus inſtituat, fit deuolutio. ita *Barb. ex multis n. 193.*

6 Quæres ſecundo. an Titius patronus præſentans perſonam incapacem, repulſam ab Epiſcopo, amittat Ius præſentandi alium pro illa vice.

Reſpondeo cum diſtinctione: ſi patronus eſt Eccleſiaſticus præſentãs inhabilem, ſtatim pro illa vice amittit Ius præſentandi alium. *Gloſ. cap. Cum eos. de offic. ordin. verb. Minus idonea: Gratianus in diſcep. forenſ. cap. 58. nu. 11. Genueſ. variar. reſol. lib. 1. reſol. 39. num. vlt. Barb. de Iure Eccleſ. lib. 3. cap. 12. num. 144.* at *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 34. dub. 1.* putat valde probabile non ipſo facto eſſe priuatum, ſed fore priuandum, & ad iura, quę pro contraria opinione allegantur, reſpõdet, loqui de Electione, & Electoribus, & non de præſentatione, & patronis: & ideo cum illa iura ſint pœnalia, non debent extendi, ſed potius reſtringi. in eadem ſententia eſt *Caſtropal. tract. 13. diſp. 2. punc. 7. num.* 8. cæterum ſi patronus eſt laicus, quamuis Innocen. & Hoſtien. cenſeant eãdem eſſe rationem de laicis, & eccleſiaſticis patronis; nihilominus communiter Doctores oppoſitum ſentiunt, videlicet patronum laicum, etiam ſi præſentet indignum, non priuari illa vice Iure præſentandi alium; & ſic aſſerunt *Leſ. loco citato Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 22. q. 6. Barb. de Iure Eccleſ. loco cit. Caſtropal. & alij.* ratio autem diſparitatis inter vtrumque patronum deſumitur ab Authoribus ex eo, quod non ita ad laicum, quemadmodum ad Eccleſiaſticum patronum ſpectare videtur inquiſitio habilitatis, & idoneitatis perſonæ præſentatæ. Aduerte quod pœnæ prædictæ habent locum quando patronus Eccleſiaſticus præſentaret habens notitiam indignitatis perſonæ.

7 Quæres tertio, an laicus præſentans indignum, & non idoneum, elapſo ſpatio quadrimeſtri, poſſit idoneum præſentare.

Reſpondeo non poſſe, quia perinde ſe habet præſentare incapacem, ac nullum præſentare; quapropter ſicuti ſi nullum præſentaret, elapſo termino, non haberet ius præſentandi pro illa vice, ita neque habebit præſentando incapacem, & ſic ius deuoluitur ad ſuperiorem. & ita docent *Azor, & Caſtropal. locis cit.* ſed in caſu ſuperius exagitato, nempè de eo, qui præſentatus poſſidebat beneficium incompatibile, &c. hoc non euenit, quia Titius non præſentauit incapacem, aut inhabilem, vt ſupra oſtendimus: proindè ante inſtitutionem poterit nouam facere præſentationem, ratio autem eſt, qua ipſe Titius intra tempus habile validè præſentauit, & functus eſt officio ſuo.

Quæres quarto. an patronus poſſit intra tempus præfixum à ſacris canonibus, variare in præſentatione.

Reſpondeo primo, poſt inſtitutionem minimè poſſe, vt omnes fatentur. *Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 21. q. 13. Gutier. p. 3. de iuram. confir. cap. 13. num. 1. Caſtropal. tract. 13. cit. diſp. 2. punct. 6. num. 1. & alij.* ratio eſt, quia accedente inſtitutione, præſentatio eſt completa, & ſortita ſuum effectum, & præſentatus acquirit ius in re in beneficio, idcirco nequit ſine cauſſa excludi, & per conſequens patronus nequit in præſentatione variare. 8

Reſpondeo ſecundo, ante inſtitutionē, ſi patronus eſt Eccleſiaſticus, facta ſemel legitima præſentatione, nequit variare. *cap. Quod autem. cap. Paſtoralis de Iure patroni. Lambert. 2. p. lib. 2. q. 7. Flamin. de reſign. lib. 2. q. 23. num. 12. Caſtropal. vt ſupra:* ſi vero eſt laicus poteſt variare, ita prædicti Authores. ratio diſcriminis fundatur in eo, quod ad Eccleſiaſticos datum eſt intelligere dignitates, & qualitates eorum, qui nominantur: & pro hoc citat *Caſtropal. leg. 7. Hiſpaniæ tit. 15.*

Quæres quinto. an patronus laicus intra ſpatium quadrimeſtre poſſit toties, quoties variare?

Reſpondeo, cumulatiuè poſſe, hoc eſt non excludendo priùs nominatum: ſed in hoc eſt varietas apud Doctores: nam aliqui putant ſolum altera vice poſſe præſentare, & non tertia vice. ita *Lamber. 2. p. lib. 2. q. 7. num. 21. Tiraquellus l. Boues. §. Hoc ſermone reg. 25. Garçia de benef. p. 5. num. 215. Barb. alleg. cit. nu. 172. Nauar. cap. Si placuit de pœnitentia diſt. 6. n. 167. & 171. & alij.* fundant ſuam ſententiam, quia cum variatio ſit odioſa, & temeritatem ſapiat, vt ait *Bald. l. Ius ciuile. ff. de iuſt. & iure*, eſt reſtringenda: 9

 pro-

proinde ius variandi, quod canones concedunt patrono laico, eſt coarctandum ad ſecundam vicem tantùm: & confirmāt, quia facultas conceſſa, quando eſt odioſa, finitur primo actu iuxta *l. Dotis promiſſio ff. de Iure dotium: l. Bonet. §. Hac ſermone. ff. de verbor. ſignif.* at alij exiſtimāt patronum laicum non ſolùm bis, ſed ter, & quater variare poſſe intra tempus. ſic affirmat *Gloſ. in Clem. Plures de iure patr. §. fin. ver. Plures: & ver. Præſentare: Abb. cap. Quanto de iudicijs: Decius ibi nu.* 2. *Azor. tom.* 2 *lib.* 6. *cap.* 21. *q.* 13. *Caſtropal. loco cit. num.* 4. ratio eſt, quia variare cumulatiuè, & non excluſiuè non eſt odioſum, ſed valdè vtile Eccleſiæ: dum enim plures æquè digni præſentantur, liberum erit Epiſcopo confirmare, quem voluerit. & ex his patet reſponſio ad fundamentum contrariæ ſententiæ, videlicet, variationem iſtam, vtpotè cumulatiuam, non eſſe odioſam: ſed potius fauorabilem, eoq; non
9 limitari ad primum actum. Aduerte quod doctrina de variatione cumulatiua admittit quaſdam limitationes, quando inter patronos vertit lis. vide *Caſtropal. loco citato.*

10 Quæres ſexto, an facta renuntiatione canonica à primo præſentato, tempus præſentandi incipiat de nouo integrè currere in fauorem patroni?

Reſpondeo affirmatiuè. habetur *ex cap. Si electio de elect. in 6. & ibi Ioannes Andr. Francus. Domino. Lamber.* 2. *p. l.* 2. *q.* 1. *articulo* 17. *num.* 1. 2. 3. *Sanchez in conſil. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 63. limitandum tamen eſt hoc; niſi præſentatio in fraudem fiat vltima die temporis legitimi, & eadem die renunciatio, ita aduertit *Lamber. loc. cit.* Rurſus ſi præſentatio non eſt valida ex crimine, aut defectu præſentati, tunc ſi patronus eſſet Eccleſiaſticus, & ſciret defectum, eſſet priuatus illa vice, ſi eſt laicus; poterit durante quadrimeſtri, at iſto tranſacto, non poterit amplius præſentare, vt ſupra diximus; ita *Sanchez loco cit,* qui nonnulla addit.

QVÆSTIO DECIMA.

De Eccleſiaſticorum obligatione in bonis temporalibus diſtribuendis.

SVMMARIVM.

1 *Præſens quæſtio celebris eſt apud Doctores.*
2 *Declarantur varia bonorum genera.*

1 Celebris, & perantiqua apud Theologos, & Canoniſtas verſatur Quæſtio de obligatione, quam habent Eccleſiaſtici in eleemoſynis, aliiſque pijs operibus efficiendis ex bonis, quæ poſſident. Præſens autem difficultas eſt adeo implicata, vt *Sotus* vir alioquin doctiſſimus, & pijſſimus *lib.* 10. *de iuſtit. quæſt.* 4. *ar.* 1. dixerit potius aliorum velle audire, quam propriam proferre ſententiam: Quapropter ſatius duxi doctorum placita, & nonnulla alia ad hanc materiam ſpectātia in medium afferre. & ne huius quæſtionis prolixitas moleſtiam legentibus afferret; placuit eam in plures ſectiones diuidere. Antequam vero difficultates aggrediamur ſupponenda ſunt varia bonorum genera.

Solent enim Doctores hac de re diſſerentes, vt diſtinctius, clariuſque procedant temporalia bona, quæ apud Eccle- 2
ſiaſticos inueniuntur, in tres veluti claſſes diuidere, nempe in patrimonialia, in quaſi patrimonialia, & in Eccleſiaſtica. ita *Nauar. lib. de reddit. eccl. quæſt.* 1. *monit.* 19. Patrimonialia appellantur ea, quæ ſine vllo ordine ad eccleſiam, vel adminiſteria eccleſiaſtica ipſis Clericis contingunt eo modo, quo laicis, vt ſunt ea, quæ proueniunt ex hæreditate, donatione, labore proprio. &c. Quaſi patrimonialia vocantur, quæ dicunt reſpectum ad actiones eccleſiaſticas: at non dantur intuitu eccleſiæ, ſed in ſtipendium, aut ſubſtentationem ratione proprij laboris, & talia ſunt ſtipendia pro celebratione Miſſarum, pro concionibus, confeſſionibus audiendis, pro aſſiſtentia in funeribus, &c. Ad hæc bona ſecundi generis reuocat *Petrus de Lorca* 2. 2. *q.* 32. *ar.* 9. *diſp.* 4. *membro* 1. illa ſubſidia, quæ à Summo Pontifice Cardinalibus pauperibus ad melius talem dignitatem ſeruandam conferri ſolent. Bona autem tertij generis dicuntur ſimpliciter eccleſiaſtica, vt Beneficia, & quæ titulo beneficij acquiruntur, vt Decimæ, primitiæ, diſtributiones, & omnes redditus beneficiorum.

Noſter autem ſermo non eſt de bonis primi, & ſecundi generis, quia in ordine ad hæc bona, eadem eſt ratio de Clericis, ac de laicis; proinde in illis clerici habent perfectum, & abſolutum dominium, vt expreſſe aſſeritur *cap. Epiſcop. cap. Sint manifeſta* 12. *q.* 1. quamuis aliqui quoad obligationem faciendi eleemoſynas, & expendendi in opera pia, eodem modo loquantur de bonis merè eccleſiaſticis, & de bonis quaſi patrimonialibus acquiſitis intuitu alicuius miniſterij eccleſiaſtici: tamen non rectè, vt ex multis oſtendit *Sanchez lib.* 2. *conſil.* 1. *dub.* 45. controuerſia igitur præſens ſolum reſtringitur ad bona tertij generis, quæ ſunt merè eccleſiaſtica.

SEC-

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Qua ratione, & quo tempore ortum habuit quadripartita illa bonorum eccleſiaſticorum diuiſio; & an hodie vigeat.

SVMMARIVM.

1 *Redditus eccleſiaſtici in quatuor partes olim diſtributi fuerunt.*
2 *Oſtenditur cauſa finalis huiuſmodi partitionis.*
3 *Creſcente fidelium numero, ceſſauit viuendi modus in communi inter laicos, & eccleſiaſticos.*
4 *De tempore, quo cœpit prædicta diuiſio, variæ referuntur ſententiæ.*
5 *Explicatur Authoris opinio.*
6 *An hodie vigeat diſpoſitio iſta.*
7 *Corollarium Patris Valentiæ explicatur.*
8 *Circa diuiſionem prædictam ſeruanda eſt conſuetudo loci.*
9 *In noſtris regionibus non viget conſuetudo diuidendi redditus eccleſiaſticos in quatuor partes.*
10 *Non placet opinio Caietani.*

1 SVpponit quæſitum redditus eccleſiaſticos varijs Summorum Pontificum decretis in quatuor partes diſtributos fuiſſe, quarum vna Epiſcopo erat deſignata: ſecunda Clericis ad ſe ipſos alendos: tertia fabricę eccleſiæ: quarta pauperibus. ita habetur 12. *q.* 2. ferè per totam, *& alibi.* Hoc ſuppoſito inquirendum primo loco proponitur, qua ratione quadripartita iſta diuiſio facta fuerit.

2 Ad inueniendam cauſſam finalem prędictæ diuiſionis, ſciendum eſt, initio primitiuæ eccleſiæ, quando charitas inter fideles feruebat, & omnes erant cor vnum, & anima vna, vt dicitur *Act.* 4. ver 32. modum viuendi fuiſſe communem, & nihil tanquam proprium ab ipſis fidelibus poſſeſſum fuiſſe; nam prædia, & poſſeſſiones vẽdebant, vt eorum pretium ad Apoſtolorum pedes, delatum per diaconorum manus ſingulis pro vniuſcuiuſque indigentia diuideretur; immò multi ad hanc viuendi formam ſe aſtringebant emittentes paupertatis votum, vt notat *noſter Molina tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 142. *§. Non immerito.* Huiuſmodi commune viuendi genus reſtrinxit Cornelius à Lapide ibidem ad eos tantum, qui Ieroſolymis reperiebantur, non autem ad eos, qui erant in alijs gentilium prouincijs, quibus S. Paulus pręedicabat, vt idem author ex varijs ſcripturæ locis colligit. cęterum *Sotus lib.* 10. *de iuſt. quæſt.* 4. *a.* 3. ait illud inſtitutum Ieroſolymis ortum habuiſſe, ſed poſtea inualuiſſe in Chriſtianiſmo.

Verumtamen creſcente fidelium multitudine, non poterat amplius commodè talis viuendi modus ſeruari, ideoque laici cœperunt bona propria retinere, ſolùm inter eccleſiaſticos vigente communi viuendi modo; proinde vt fideliùs ipſis met clericis bona diſpenſarentur, tradita fuit poteſtas diſtribuendi Epiſcopis, vt aſſeritur *cap. Videntes, cap. Epiſcopus, cap. Præcipimus* 12. *q.* 1. 3

At poſtea, ſiue ob charitatis remiſſionẽ, & diminutionem primi feruoris, vt aiunt aliqui; ſiue ob clericorum multitudinem in dies creſcentium, vt dicunt alij; ſiue ob vtrumque, vt ego probabilius cenſeo, difficile exiſtimatum fuit, omnes clericos vitam tranſigere in tali communitate, & ideo diſcedere cœperunt ab hoc communi viuendi modo, & propria bona cœperunt retinere *c. Certe ego ſi* 12. *q.* 1. poſtea vero fuerunt diuiſæ parochiæ, & aſſignatæ clericis titulo beneficij, vt refertur *cap. Eccleſias ſingulas* 13. *q.* 1. *cap. Paſtoralis de his, quæ à Prælatis fiunt ſine conſenſu capituli.* demum creſcente cupiditate, & infidelitate Epiſcoporum in eccleſiaſticis bonis diſpenſandis, oportuit deuenire ad quadripartitam diuiſionem, vt ceſſarent iuſtæ querelæ clericorum indigentium, & pauperum, quorum neceſſitates non ita benè ſubleuabantur ab Epiſcopis, ſicuti fiebat in exordio naſcentis eccleſiæ. Idcirco ad euitanda huiuſmodi incommoda, & ad tollendas fraudes, quę accidebant in horum bonorum diſpẽſatione Summi Põtifices ſtatuerunt, vt ex toto cumulo bonorum eccleſiaſticorum vna pars aſſignaretur pro Epiſcopo; ſecunda pro clericis, tertia pro fabrica, & ſuppellectili eccleſiæ, quarta demum pro ſubſtentandis pauperibus; & hęc fuit prędictæ diuiſionis cauſſa finalis.

Circa ſecundam partem quęſiti, nempe: Quo tempore fuerit decreta prędicta diuiſio, inuenio aliquam varietatem apud authores; nam *Sotus loc. c. & Lorca,* quos poſtea ſequuti ſunt. *Molina tom.* 1. *de iuſtit. diſp.* 142. *Vaſq. de redd. eccl. cap.* 2. *§.* 2. *dub.* 1. *num.* 17. 18. *Sanchez in conſilijs moralibus lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 37. *nu.* 6. *& alij,* dicunt primò factam fuiſſe à Simplicio Papa, nam illam præcipit in epiſt. ad Florent. vt refertur *cap. de redd.* 12. *qu.* 2. *ſed Valentia* 2. 2. *diſp.* 10. *q.* 3. *p.* 7. *§. Poſt hunc, Franciſcus Syluius ibidem qu.* 185. *a.* 7. *§. Quam diuiſionem, & Granado cõtr.* 3. *de charit. ſect.* 1. *diſp.* 3. aiunt cœpiſſe tempore Sylueſtri, qui fuit primus huius nominis erectus in Pontificatum anno Domini 314. die 28. Decembris. 4

Sim-

Simplicius autem ſucceſſit poſtea anno
467.

5 In hac varietate mihi videtur dicendú,
certiſſimum eſſe prędictam diuiſionem
primò non fuiſſe decretam à Simplicio: ſed
à Syluestro; nam ponitur in ſecundo con-
cilio Romano cap. 4. quod celebratum
fuit ſub Syluestro. at cenſeo tempore Sim-
plicij confirmatam fuiſſe, & forſitan am-
pliatam ad alias mundi partes, & conti-
nuatam tempore Gelaſij, & Gregorij Ma-
gni, vt colligitur *ex cap. Vobis. cap. Vul-
terranea, & alijs capitulis in eadem cauſ-
ſa, & quaeſtione*, & de illa agit *Gregorius
epiſt.* 11. *& epiſt. ad Auguſtinum Epiſco-
pum Anglorum*, vt refertur *cap. Cognoui-
mus. cap. Mos eſt* 12. *q.* 2. colligo totum
hoc ex *Baronio in annalibus eccleſiaſticis
tom. 6. anno 476. & octauo poſt electionem
Simplicij num.* 42. vbi aſſeritur Gauden-
tium Epiſcopum Auſinienſis Eccleſiæ pri-
uatum fuiſſe à Simplicio Papa omni reddi-
tuum eccleſiaſticorum adminiſtratione,
quia illos male diſpenſabat, & non more
eccleſiæ conſueto, nempe in quatuor por-
tiones modo explicato; dum enim dicitur,
Gaudentium more conſueto eccleſię fruc-
tus non diſtribuiſſe, ſignificatur diſtribu-
tionem ſecundum quotam prędictam an-
tea cœpiſſe; ſi enim tunc tempore Simpli-
cij initium habuiſſet, non rectè diceretur
fuiſſe ſecundum morem conſuetum; nam
mos importat longam conſuetudinem.

6 Quod vero attinet ad tertiam, & vlti-
mam partem huius quęſiti, ſcilicet, an ho-
die vigeat prædicta diſpoſitio; placet hic
referre aſſertum illud *Baronij loco citato*,
nimirum nullam fermè inueniri eccleſia-
ſticam ſanctionem adeò frequentem, vt
iſtam, editam, iteratam, & inculcatam,
& quæ minùs, auaritia hominum reſiſten-
te, noſcatur ſeruata, & cuſtodita. Dico
igitur cum *Valentia p. cit.* hanc diſtribu-
tionem non ſtatim, eodemque modo vbi-
que receptam fuiſſe; nam aliqui Epiſcopi,
non obſtante tali diuiſione ducebāt adhuc
vitam illam cum ſuis clericis communem,
& colligitur expreſsè ex *S. Auguſtino in
ſer. de communi vita clericorum*, & refer-
tur *cap. Certè ego* 12. *quaeſt.* 1. Rurſus in
quibuſdam locis, non quarta, ſed tertia
contingebat Epiſcopo pars bonorum, vt
habetur *cap. Requiſiſti de teſtamentis* his
verbis [*Requiſiſti de his, quæ teſtator pro
anima ſua legat in vltima voluntate, qua-
liter ſint inter Epiſcopum, & eccleſiam
diuidenda, & quidem regulariter verum
eſt, quod Epiſcopus debet de his ſecundum
diuerſam conſuetudinem tertiam, vel
quartam portionem habere*] & clarè ſta-
tuitur *cap. Conſtitutum* 16. *q.* 1. vbi tertia
pars aſſignatur Epiſcopo tum de oblatio-
nibus, tum de tributis, tum denique de
frugibus terræ.

Aliquando verò eorum quę offereban-
tur à fidelibus medietas Epiſcopo contin-
gebat, vt aſſeritur *in concil. Aurelianenſi
relato cap. Antiquas* 10. *q.* 1.

Ex his colligit noſter Valentia vix in 7
aliqua eccleſia inueniri illam quartam
partem pauperibus deſignatam, cùm bo-
na eccleſiaſtica videantur in aliquibus lo-
cis diuiſa in tres, & in alijs locis in duas
portiones, ita vt portio pauperum non
ſit à reliquis ſegregata. cęterum *Sotus lib.*
10. *de iuſt. quaeſt.* 4. *a.* 3. ait pręſumendum
probabiliter eſſe ex illa portione pauperi-
bus deſtinata plura erecta fuiſſe Beneficia,
Hoſpitalia, vel alijs ſimilibus operibus pijs,
partem illam applicatam fuiſſe; & ita te-
net *Sanchez dub. cit. nu.* 9. At *Sarmentus
de reddit. eccl. par.* 4. *cap.* 2. *num.* 10. in-
quit, fieri potuiſſet, vt conſuetudine ſci-
ta, & tolerata abrogata fuiſſet quota pau-
peribus per ſacros Canones deputata: at-
tamen hoc non obſtante remanere in Epi-
ſcopis iuris naturalis, & diuini erga pau-
peres obligationem. & ad vtramque opi-
nionem inclinat *Vaſquez de redd. eccl. ca.*
1. *§.* 3. *dub.* 1. *v. Ea ergo ratione*. At no-
ſter *Petrus Hurtado* nouiſſimè *in* 2. 2. *diſp.*
160. *ſect.* 3. vult quartam hanc euanuiſſe,
& addit occupatam fuiſſe à laicis, quorũ
multi fruuntur tertijs decimarum parti-
bus.

His pręmiſſis circa varia Doctorum pla- 8
cita mihi videtur dicendum, in hac re ſer-
uandam eſſe locorum conſuetudinem, vt
affirmat *Gloſ. cap. Conſtitutum cit. §. Ter-
tiam*, nam cum prędicta diuiſio quoad
quotam ſit de iure humano poſitiuo, fa-
cillimè poterit contraria conſuetudine le-
gitimè pręſcripta, & variari, & abrogari.

Pręterea aſſero, quod ſi inſpiciamus prę- 9
ſens tempus, puto in noſtris regionibus
amplius non vigere cum illo rigore, ſaltem
quoad omnia, canones, & decreta à di-
uerſis Summis Pontificibus edita circa hāc
diſtributionem; nam hodie clerici eccleſię
cathedrali inſeruientes, habent ſuas prę-
bendas, & ipſiſmet eccleſijs pro fabrica, &
ſupellectilibus applicati ſunt quamplures
redditus, & oblationes, vt etiam aduertit
Barboſ. de iure eccleſ. lib. 3. *cap.* 17. *n.* 7. 8.
& ideo ſubdit vigorem illum de quarta
parte fructuum eroganda remitti. At pars
illa, quæ deputata fuit pauperibus, cen-
ſeo eſſe permixtam cum portionibus con-
tingentibus Epiſcopo, & clericis, ea, au-
tem quę aſſerit Sotus, Sarmentus, & Hur-
tado non videntur firmo fundamento ni-
ti; & licet poſſibile ſit, ita accidiſſe, nem-
pe portionem illam pauperibus erogandā
applicatam fuiſſe pijs operibus, ſicuti ip-

ſi

ſi affirmant; nihilominus non habemus vnde certo colligamus ea, quæ dicunt; & ideo dum authenticè non conſtant, probabilius loquimur aſſerẽtes portionem pauperum eſſe cõfuſam cum illa Epiſcoporum, & clericorum; nam ea, quæ dicunt prædicti Doctores, cum dependeant ex facto, niſi factum probetur, nequeunt iuridicè præſumi.

10 Neque placet, quod dicit *Caiet. in comment. 2. 2. a. 7. q. 185.* videlicet, quartam portionem pauperibus debitam, eſſe confuſam, & permixtam cum parte Epiſcopo contingente, & non cum portione debita clericis; non placet, inquam, hoc, quia ſine ſufficienti fundamento eximuntur clerici, & totum onus Epiſcopis imponitur, & fundamentum, cui ipſe Caietanus innititur non eſt ſolidum; colligit enim ipſe ſuam ſententiam ex abundantia redditũum, quos poſſident Epiſcopi, qui videntur pinguiores eis, quos habent clerici, non videtur, inquam, ſolidum hoc fundamentum, quia ſi comparabimus omnes præbendas, quas poſſident clerici cum portione illa Epiſcopi, videbimus interdum prębendas Clericorum excedere portionem Epiſcopi; interdùm verò eſſe ęquales; interdùm denique minores; proinde exceſſus ille, quem aliquando habet portio Epiſcopi ſupra præbendas clericorum, non eſt ſignum ſufficiens ad indicãdum portionem pauperum contineri ſolùm in portione Epiſcopi; ſicuti neque nos colligimus portionem pauperum inueniri in præbendis tantùm clericorum, quando præbendæ excedunt portionem Epiſcopi; & ideò meritò Sotus, & Valentia hanc Caietani ſententiam non approbant, & inter vtramque portionem, videlicet Epiſcopi, & Clericorum, quoad continentiam portionis pauperum diſcrimen minimè agnoſcunt. his expeditis circa originem illius quadripartitę diuiſionis toties in ſacris canonibus inculcatæ, antequam ingrediamur praxim circa facultatem, quam habent Epiſcopi cæterique Beneficiarij, diſponendi bona temporalia eccleſiaſtica, agendum nobis erit de dominio, quod habent in eiſdem bonis.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Epiſcopi, ſicuti, & alij Eccleſiaſtici dominium acquirant ſuorum beneficiorum redditunm, ſeu fructuum.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur difficultas quæſtionis.*
2 *Refertur prima ſententia.*
3 *Explicatur fundamentum, cui nititur quidam recentior.*
4 *Exponitur ſecunda ſententia.*
5 *Aperitur tertia ſententia.*
6 *Ab Authore recipitur ſecunda ſententia.*
7 *Probatur primo ex S. Thomã.*
8 *Proponitur explicatio S. Thomæ data ab Epiſcopo Cephaludenſi contra Valentiã.*
9 *Defenditur Valentia.*
10 *Probatur ſecundo opinio Authoris ex Cõcilio Tridentino.*
11 *Confirmatur ex iure canonico.*
12 *Refertur, & impugnatur reſponſio Nauarri, & aliorum.*
13 *Probatur tertio ſententia Authoris ratione.*
14 *Erectio beneficij eſt quædam deputatio.*
15 *Soluitur argumentum contrarium adductum à recentiore.*
16 *Soluitur inſtantia deſumpta ex Tridentino.*
17 *De quibus bonis Beneficiarij teſtari poſſũt*
18 *Beneficiarij retinent dominium de parte debita pauperibus permixta alijs bonis.*
19 *Bona Eccleſiaſtica iure diuino, & naturali ſunt affecta onere alendi pauperes, licet determinatio ſit de iure Eccleſiaſtico.*
20 *De bonis applicatis Beneficiarij ſolam habent adminiſtrationem.*
21 *Corollarium ex prædicta doctrina.*

1 Difficilem, & diù exagitatam aggredimur controuerſiam, an Epiſcopi, (& idem aſſero de reliquis Beneficiarijs) ſint veri domini illorum redditũum, quos percipiunt ex eccleſiaſticis beneficijs, an ſint tantùm diſpenſatores. Quæſtio hæc non eſt adeò parui momenti, ſicuti aliqui exiſtimant, nam ex eius determinatione pendet reſolutio alterius difficultatis, nempè: An Epiſcopi in profanos vſus inſumentes ea, quæ excedunt eorum congruam, & decentem ſuſtentationem, ſint reſtitutioni obnoxij; quemadmodum etiam donatarij, qui ab eiſdem Epiſcopis non titulo paupertatis, ſed conſaguinitatis, aut amicitiæ recipiunt magnam pecuniarum ſummam. cæterum antequam, & Doctorum ſententias, & quid tenendum ſit, aperiam: aduerto in hac quæſtione me non loqui de religioſis habentibus paupertatis votum, quando promouentur ad Epiſcopatum, vel ad aliud beneficium extra ſuam religionem; nam de his infra erit ſermo.

2 Prima ſententia aſſerit non eſſe dominos, ſed ſolùm diſpenſatores, proinde ſi ex ſuperfluis propriæ ſuſtentationi erogent in alios vſus, quam in ſubueniendis pauperibus, vel in alijs pijs operibus, peccabunt contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem

nem tenebuntur. Hanc opinionem quāplures tum ex Canoniſtis, tum ex Theologis defendunt *Archidiac. d. 44. initio., cap. Epiſcopus 12. q. 1. & in cap. Statutū. §. Aſſeſſorem. num. 8. de Reſcriptis in 6. Innoc. cap. Indecorum de ætat. & qual. ord. 1. & 2. Panor. cap. Cum eſſes de teſtam. à nu. 21. Nauar. de redd. eccl. q. 1. mon. 21. & in apolog. nu. 1.* in quibus locis pluſquā cæteri acriter pugnat pro hac ſententia; & ex Theologis *Alexander de Ales par. 3. q. 36. memb. 5. ar. 2. 3. Palud. in 4. diſp. 25. q. 3. art. ult. Riccard. d. 45. a. 3. q. 1. S. Anton. 2. p. tit. 2. cap. 2. d. vlt. & 3. p. tit. 15. c. 1. §. 19. Vualden. tom. 1. de doctrina fidei lib. 4. c. 43. & ſequentib. Angelus v. clericus 3. n. 4. Syluest. v. ludus q. 11. v. clericus 4. q. 15. & ex recentioribus Comitolus in reſponſ. moral. lib. 1. q. 70. & 71. Tannerus tom. 3. diſp. 4. q. 6. dub. 8. à num. 215.* demum *Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dom. Petrus Corſettus*, olim in hoc Siciliæ Regno Regij Patrimonij Præſes benemerentiſſimus, & in Hiſpanijs ſupremi conſilij Italiæ Regens oculatiſſimus: nouiſſimè hanc defendit opinionem, *In Epiſcoporum Idea*, in qua omnia, quæ in optimo, & perfecto Epiſcopo deſiderantur mira quadam breuitate perſtrinxit.

3 Vnicum, & præcipuum fundamentum, quo huius ſententiæ Authores nituntur; ſunt variæ locutiones Conciliorum, Pontificum, & Patrum aſſerentium bona iſta Eccleſiaſtica nō eſſe ipſorum Beneficiariorum, ſed pauperum: Beneficiarios autem eſſe diſpenſatores, procuratores, &c. ita *cap. Quod autem 23. q. 7. cap. Decimæ 16. q. 1. cap. Res Eccleſiæ 12. q. 1. & alibi. rurſus S. Clemens lib. 2. cap. 29. de conſtitut. apoſtol.* ait decimas, & primitias eſſe cum iuſtitia viduis, orphanis, & egenis diſtribuendas. verbum illud, *ex Iuſtitia*, denotat præceptum non ex charitate, ſed ex virtute Iuſtitiæ, ſuperfluum in pios vſus eſſe erogandum, demum *S. Bernardus epiſ. 2. ad Fulconem*, inquit eſſe rapinam, & ſacrilegium aliquid vltra neceſſarium ex his bonis accipere. ex quibus, & ſimilibus etiam aliorum Patrum locutionibus colligitur dominium horum bonorum non eſſe penes ipſos Beneficiarios.

4 Secunda ſentētia eſt extremè oppoſita, aitque Epiſcopos, cæteroſque Clericos veros eſſe dominos omnium redditúum, quos ex proprijs Eccleſiaſticis beneficijs acquirunt. & hæc opinio non pauciores, neque inferiores habet patronos, tum Canoniſtas, tum Theologos, quam habeat prior. *Couar. cap. cum in officijs n. 6. de teſtam. Sarmentus de redd. eccl. p. 4. c. 6. num. 2. Garçia de benef. p. 2. cap. 1. nu. 5. Squillante de oblig. cler. par. 2. num. 28. Barboſa de iure eccleſiaſt. l. 3. cap. 17. nu. 12.* & ex Theologis *Adri. in 4. tract. de reſtit. quæſt.* quæ incipit: *Pro clariori intelligentia: Sotus lib. 10. de iuſtit. q. 4. ar. 3. Bañes 2. 2. q. 32. ar. 6. dub. vlt. Arag. ibidem, Valentia tom. 3. diſp. 10. q. 3. p. 2. Molina tom. 1. de iuſtit. diſp. 142. Suarez de charitate diſp. 7. ſec. 2. num. 3. Lorca in 2. 2. S. Thomæ diſp. 40. ſec. 4. memb. 1. num. 21. & ſequen. Paus Iordanus in elucubrationibus tom. 1. lib. 2. tit. 1. nu. 69. Franciſcus Amicus tom. 5. diſp. 4. ſect. 6. num. 63. Leſs. lib. 2. de iuſtit. cap. 4. dub. 6. num. 42. 43. Sanchez in decalog. lib. 2. cap. 20. num. 24. & in conſil. moral. lib. 2. c. 2. dub. 37. Vaſquez de redd. cap. 1. §. 2. dub. 1. Reginal. lib. 30. in ſua praxi num. 78. Syluius in 2. 2. qu. 185. a. 7. concl. 4. Malderus in ſum. Theol. morali tract. 6. cap. 10. num. 42. Filliuc. in ſum. tract. 43. c. 4. Bonac. de oblig. benef. diſp. 4. p. 1. n. 5. Gaſpar Hurt. de eleemoſ. diſp. 5. diff. 18. Granado in 2. 2. contr. 3. de char. ſect. 1. diſp. 3. num. 5. Vincentius Candidus in ſuis diſquiſitionibus moralibus* nuper editis *tom. 1. diſp. 18. ar. 6. d. 3. & 4* loquendo poſt erectionem beneficiorum; & alij apud ipſos.

5 Tertia ſententia media eſſe poteſt, quam tuetur *Caiet. in 2. 2. quæſt. 185. ar. 7.* videlicet illius portionis, quæ eſt neceſſaria ad decentem ſuſtentationem Epiſcopi eſſe ipſum Epiſcopum verum dominum: at reſpectu exceſſus non eſſe, niſi diſpenſatorem, & huic opinioni ſubſcribitur etiam *Azor par. 2. lib. 7. cap. 8. § Quod attinet ad hanc controuerſiam.* poſſent etiā referri aliæ ſententiæ mediæ, ſed hæ, quas retulimus ſunt principaliores, & ideo aliæ videri queunt apud Sarmentum, & Barboſam.

6 Dicendum eſt primo ex his ſententijs probabiliorem eſſe ſecundam, eamque amplectendam, tertiam verò opinionem mediam eſſe minus probabilem, eamque ſimul cum prima impugnabimus, oſtendētes noſtræ ſententiæ veritatem.

7 Et primo probatur auctoritate S. Thomæ, cuius doctrina ſi attentè perpendatur, videbitur illud ipſum docere, quod nos affirmamus (nam *quod lib. 7. q. 7. ar. 12.* & præſertim *ad tertium, & 2. 2. q. 185. ar. 7.* comparans bona patrimonialia cum bonis eccleſiaſticis deputatis vſui Epiſcoporum, & Clericorum eodem modo loquitur de bonis vtriuſque generis quoad facultatem diſponendi, & ideo cum certū ſit apud omnes dominium bonorum patrimonialium inueniri in ipſis eccleſiaſticis, dicendū conſequenter erit in eiſdē eccleſiaſticis eſſe dominium fructuum bonorum ec-

Digitized by Google

eccleſiaſticorum; nam dominium, vt habetur ex Iure eſſentialiter eſt facultas quædam diſponendi de re &c. ergo ſi S. Thomas vniformiter eſt loquutus de facultate diſponendi de prædictis bonis, ſupereſt vt dicamus, in ratione dominij nō eſſe diſcrimē iuxtà eiuſdem S. Doctoris mentem inter vtriuſque generis bona.

8 Sed Epiſcopus Cephaledenſis nuper relatus; impugnans Valentiam, quatenus aſſerit S. Thomam eſſe in hac ſententia, reſpondet, S. Doctorem in *quodlib. cit.* ſolùm poſuiſſe diſcrimen in præbendis, quę in Clericorum ſuſtentationem cedere debent, & has præbendas adæquare voluiſſe bonis patrimonialibus in hoc, quod Clericus eodem modo peccare poteſt circa prædictas præbendas, ſicuti circa bona patrimonialia, nempè ratione ſolius abuſus, & non ex conditione ipſorum bonorum; ſed quoad dominium inter ipſas præbendas, & bona patrimonialia diſcrimen agnouiſſe, quia tum *quodlibeto cit.* tum *in* 2.2. expreſsè ait, Epiſcopos, & alios Clericos non eſſe dominos, ſed tantum diſpenſatores bonorum eccleſiaſticorum.

9 Cæterum cum Valentia, & reliquis noſtræ ſententiæ ſectatoribus, dicimus S. Thomam non eſſe enumerandum inter doctores contrariæ opinionis, ſed inter eos, qui defendunt ſententiam, quam nos tuemur. Pro quare placet hic ante oculos proponere doctrinam S. Doctoris; quærens enim ipſe in articulo illius quodlibeti, vtrum Clerici peccent mortaliter, ſi ea, quæ ſibi ſuperfluunt, in eleemoſynas non erogent, in corpore articuli diſtinguit duplex illud bonorum genus, nempè patrimoniale, & eccleſiaſticum, & ſubdit, docendo circa bona, quæ à Clericis poſſidentur, biſariam cōtingere poſſe peccatū, vel ex conditione ipſius rei, vel ex parte dumtaxat inordinati affectus, quatenus Clericus aut per exceſsū, aut per defectū, poterit male vti bonis, quæ poſſidet. hac poſita diſtinctione, inquit, circa patrimonialia non contingere peccatum, niſi ſecundo modo, videlicet per inordinatum affectum: at circa eccleſiaſtica contingere peccatum etiā ex conditione ipſarum rerum, quoniam Clericus, cum non ſit Dominus, ſed diſpenſator horum bonorum, ſi infideliter ſe gerat, auferendo id; quod eſt alterius, peccabit vtroque modo; Reſpondens autem *ad tertium argumentum*, in quo obijciebatur, clericos obligandos eſſe ad reſtitutionem, niſi ſuperfluum dent pauperibus, quia bona clericorum ſunt ipſorum pauperum, reſpondens inquam, ſoluit argumentum, ponendo diſcrimen etiam inter ipſamet bona eccleſiaſtica; nam aliqua ex illis ſunt primario diſtribuenda inter pauperes, ſubueniendo eorum neceſſitatibus, & ſecundariò, ſeu conſequenter ſunt ordinata ad ſubleuandas neceſſitates miniſtrorum, & talia ſunt bona hoſpitalium, & ſimilia: aliqua verò bona ſunt primò deputata vſui ipſorum miniſtrorum, vt ſunt præbendæ, & alia huiuſmodi, de primis bonis docet peccatum accidere non ſolùm ex abuſu, verum etiam ex ipſorum bonorum conditione, cum aliquis Clericus ſibi appropriat id, quod eſt alteri deſignatum: at de bonis ſecundi generis ait peccatum non committi, niſi per abuſum, ſicuti dictum eſt de bonis patrimonialibus. Hæc S. Thomas docuit reſpiciens quadripartitam illam diuiſionem bonorum, de qua ſupra egimus, per quam vnicuique erat aſſignata propria portio ex cumulo bonorum eccleſiaſticorum, qua aſſignatione facta, vnuſquiſque ex aſſignatarijs acquirebat ius in portionē ſibi deputatam, ideòque ſi alius vſurpaſſet partem alteri aſſignatam, vel aliquid illius, pecccaſſet vtroque modo, & ex inordinato affectu, & ex conditione ipſarum rerū, quatenùs abſtuliſſet alienum, ſed circa propriam portionem, nēpè circa partem ipſi Clerico applicatam ad propriū vsū, nō poterat accidere peccatum, niſi ex inordinato affectu, quemadmodum contingere ſolet circa bona propria patrimonialia. quibus poſitis, manifeſtè colligimus ex hac doctrina in ſententia D. Thomæ, clericos habere dominium in illis bonis, quæ proprio vſui ſunt applicata, quemadmodum idem dominium habent in bonis patrimonialibus, nam ſi tale dominium non haberent circa partem ſibi aſſignatam non ſolum poſſent circa illam peccare ex inordinato affectu, ſed etiam ex cōditione ipſorū bonorum; quemadmodum peccare poſſunt circa bona aſſignata pauperibus, Eccleſiæ &c. Eumdē diſcurſum facit idem *S. Doctor in* 2.2. loquens ſolum de Epiſcopis, de quorum ſtatu ibi ſermonem inſtituit, & *in corpore articuli ſeptimi illius quæſtionis* 185, explicitè ponit quadripartitam illam diuiſionem, & partem vnicuique applicatam, idcirco ſic inquit. *Si ergo diſtincta ſint bona, quæ debent in vſum Epiſcopi cedere, ab his, quæ ſunt pauperibus, & miniſtris, & cultui Eccleſiæ eroganda, & aliquid ſibi retinuerit Epiſcopus de his, quæ ſunt pauperibus, eroganda, vel etiam in vſum miniſtrorum, aut in cultum diuinum expendenda, non eſt dubium, quod contra fidem diſpēſationis agit, & mortaliter peccat, & ad reſtitutionē tenetur. De his autē, quæ ſunt ſpecialiter ſuo vſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de proprijs bonis, vt ſcilicet propter immoderatum affectum, & vſum peccet quidem ſi immoderata ſibi re-*

tineat, & alijs non ſubueniat, ſicut requirit debitũ charitatis; ſi vero non ſunt prædicta bona diſtincta, eorũ diſtributio fidei eius cõmittitur, & ſiquidẽ in modico deficiat, vel ſuperabundet, poteſt hoc fieri abſq; bonæ fidei detrimẽto, quia non poteſt homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet: ſi vero ſit multus exceſſus, non poteſt latere, vnde videtur bonę fidei repugnare, & ideo non eſt abſque peccato mortali. Hæc S. Thomas, cuius verba volui per extenſum referre, vt appareret, eius mentem eſſe eam, qualem nos diximus. Deceptio autem aduerſariorum eſt, quia id, quod S. Doctor docet de portione alteri applicata, ipſi intellexerunt de ſuperfluo propriæ portionis, de quo S. Thomas non dicit Clericos non habere dominium, immo contrarium affirmat, dum totam portionem cedentem in vſum Epiſcopi æquiparat bonis patrimonialibus, de quibus ſine controuerſia Epiſcopi, quemadmodum, & alij Clerici, dominium habent.

10 Probo ſecũdo cõcluſionẽ *ex Conc. Trid. ſeſ. 24. c. 12. de refor:* vbi ſtatuitur quod prouiſi de beneficiis curam animarum habentibus, aut canonicatibus, vel dignitatibus, niſi intra duos menſes à die acquiſitæ poſſeſſionis, fidei profeſſionem emittant, non faciant fructus ſuos. Rurſus in eodem capite præcipit eadem ſancta ſynodus, vt obtinẽtes in Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non abſint quolibet anno ab eiſdem Eccleſijs vltra tres menſes, & ſi quis contraueniat huic decreto, priuetur primo anno dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ, & reſidentiæ ſuos fecerit, & ſi iterum eadem fuerit vſus negligentia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Ex hoc Concilij decreto euidenter colligitur Beneficiarios ſeruantes, quæ ab ipſo Concilio præſcribuntur, facere ſuos fructus beneficij, quod poſſident; ſi igitur fructus faciũt ſuos, acquirunt de illis dominium, nam idem eſt facere ſuam rem aliquam, & illius

11 dominium acquirere.

Confirmari etiam poteſt ex *cap. Conſuetudinem. de Cler. non Reſiden.* vbi Bonifacius Octauus Summus Pontifex ſtatuit, Clericos non intereſſentes diuinis officijs in Eccleſijs, in quibus habent beneficia, non acquirere dominium diſtributionum, nec eas ſuas facere, exceptis quibuſdam caſibus ibidem ſignatis; igitur à contrario ſenſu, ex quo argumentum eſt fortiſſimum in iure, vt colligitur *ex cap: Cum apoſtolica. de his, quæ fiunt à Prælat: Ver: Datur intelligi*, vt notat *ibidem Glos:* & vt etiam eadem Glos: notat *cap. Qualis, diſt: 25. §. Vnde à contrario, & diſt. 45. cap. Diſciplina §. meus non eſt.* Hoc ipſum habetur ex iure ciuili *L. Quæcumque, De officio eius, cui mand: eſt iuriſd: Gloſ: ibi, fortiſſimum*; nam per argumentum à contrario ſenſu, quod vni negatur, alteri conceditur; ſic in caſu noſtro, Cum Pontifex per illud decretum neget non intereſſentibus diuinis officijs facere ſuos fructus, ſequitur quod cõcedat facere ſuos intereſſentibus; & niſi hoc aſſeramus, ſequeretur quod Põtifex nullã imponeret pœnã nõ intereſſentibus, quia, quoad acquiſitionem dominij, æqualis eſſet ſors vtriuſque; hoc autem non eſt dicendum, nam certum eſt pœnam aliquam, vt patet ex ipſiſmet verbis decreti, à Pontifice non intereſſentibus imponi. 12

Sed reſpondet Nauarrus, & alij, Eccleſiaſticos appellari dominos prædictorum fructuum, inquantum ad fidelem adminiſtrationem, non quod reuera ſint domini.

Contra eſt, quia talis expoſitio extorquet omnino verba Concilij, aliorumque ſacrorum Canonum; nam aliud eſt eſſe dominum alicuius rei, & aliud eſſe eiuſdẽ rei adminiſtratorem; ſi enim idem eſſent, ſequeretur, Prælatos religionũ eſſe appellandos dominos prouentuum religionis, quod à nemine aſſeritur, cum per ſolemne votum paupertatis ſint omnis dominij incapaces, proinde ſolùm ſunt adminiſtratores, & non domini, & in iure nunquam domini nuncupantur. 15

Probo tertio concluſionem ratione, nam tum diſtributio reddituum eccleſiaſticorum in quatuor illas partes; tum erectio beneficiorum, eorumque aſſignatio extrahunt ipſos redditus à communi ad propriũ dominiũ, & ideo Epiſcopi, cęteriq; beneficiarij acquirũt verũ dominium redditúum eorumdem beneficiorum. Quod autem diſtributio, & aſſignatio portionis faciãt propriam, ipſam portionem aſſignatam, eſt manifeſtum, quia niſi propria fieret, ſed communis remaneret, ſicuti erat ante diſtributionem, nullum ipſa diſtributio haberet effectum, & conſequenter eſſet inutilis.

Præterea quod erectio beneficij ſit veluti quædam deputatio, ſeu aſſignatio, aſſeritur *à Molina to. 1. de iuſt. diſp. 143. n. 7.* & vt etiam ait *Sarmientus de red. Eccl. par. 4. cap. 2. num.* 3. idem operatur per diuiſionem, quod per erectionem beneficiorum; nam per vtramque transfertur dominium, & rectè id dicunt, quia diuiſio, & erectio realiter loquendo non differunt, niſi ſecundum quaſdam ſolemnitates à iure requiſitas; nam portio illa habet rationem beneficij Eccleſiaſtici, quatenus eſt authoritate Epiſcopi inſtituta in perpe-

tuum

Digitized by Google

tuum in ordine ad aliquod officium ſpirituale, & datur etiam pro ſuſtentatione Clericorum.

15 Ad fundamentum præcipuum primæ ſententiæ deſumptum ex locutionibus Cōciliorum, Patrum, &c. vnica explicatione omnibus ſatisfacio, reſpondeo igitur, locutiones illas verificari de bonis eccleſiaſticis ante diuiſionem, & applicationem factam, quando Beneficiarij, & alij Clerici communem ducebant vitam, ſic reſpondent Authores noſtræ ſententiæ, locutiones illas exponendo, & hoc meritò, nam expreſsè colligitur ex epiſtola, quam ſcribit Vrbanus ſummus Pontifex primus huius nominis ad omnes catholicos, & refertur *in cap. ſcimus 12. quaſt. 1. his verbis* [*ſcimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter omnes chriſtianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, & maximè inter eos, qui in ſortem Domini ſunt electi, ideſt Clericos.*] *Hac Vrbanus*, proinde Beneficiarij erant, & rectè vocabantur diſpenſatores, procuratores, &c. quia ipſis incumbebat diſtribuere fructus bonorum inter clericos, retenta pro ipſis cōgrua ſuſtentatione, & ſi quid vltra neceſſarium accipiſſent, rapinam, & ſacrilegium commiſiſſent. Ex his autem non rectè colligitur dominium fructuum non habuiſſe, quamuis illud cum onere retinuiſſent diſtribuendi modo explicato.

16 Dices, etiam poſt factam diuiſionem Concilia, quæ poſtea celebrata ſunt, quando præcipiunt beneficiarijs fructus ſuperfluos congruæ ipſorum ſuſtentationi in pios vſus eſſe diſtribuendos, vtuntur eiſdem rationibus, & forma loquendi, quibus vtebantur Concilia, & Patres ante diuiſionem: ergo etiam poſt diuiſionem beneficiarij ſunt merè diſpenſatores, & non habent dominium omnium fructuum. Antecedens à quodam recentiore, cui placet hæc ſententia, non probatur aliud aſſerendo Concilium, niſi *Tridentinum, ſeſſ. 25. de reform. cap.* 1. vbi omnino interdicitur Epiſcopis, & reliquis beneficiarijs ne ex reditibus eccleſiaſticis ſuos conſaguineos, & familiares augere ſtudeant, quia Apoſtolorum canones prohibent, ne res eccleſiaſticæ, quæ ſunt Dei, donentur conſaguineis, niſi ſint pauperes, & tūc diſtribuantur illis tanquam pauperibus. Vide, quo pacto Concilium interdicens donationes has faciendas conſaguineis &c. aſſignet, iuxta antiquorum canonum rationem, quia bona iſta ſunt Res Dei, ergo vult dominium horum bonorum eſſe penes Deum, non penes ipſos beneficiarios etiam poſt diuiſionem.

Reſpondeo, verba prædicta Concilij, quæ ſunt deſumpta ex can. 41. apoſtolorum, nihil faciunt contra nos, quia quod attinet ad prohibitionē, vtique nos etiam dicimus ſuperfluos fructus non eſſe conſaguineis, alijſque familiaribus donandos, ſed eſſe pijs operibus applicandos, ex quo non ſequitur illorum dominium non eſſe penes beneficiarios, nam huiuſmodi onus nequaquam dominio repugnat, igitur ex prohibitione iſta vt ſic, aduerſarius non rectè colligit carentiam dominij in ipſis beneficiarijs, ſed ad ſummum carentiam dominij pleni, quatenus non eſt in ipſis omnimoda libertas diſſipandi fructus excedentes congruam ſuſtentationem, & ſi donando diſſipent, illicitè, quamuis validè, id facient, vt fuſius videbimus infra; ſi verò carentiam abſoluti dominij aduerſarius deducat ex ratione aſſignata ab ipſo Concilio, inquantum ait bona iſta eſſe Dei, & vt ſacri canones, & Patres loquuntur, eſſe patrimonium Chriſti, vel patrimonium pauperum; non erit difficilis reſponſio, dicuntur enim interdum patrimonium Chriſti, aut Res Dei, quia, vt rectè notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 4. dub. 6. nu.* 48. ſunt in obſequium Dei, & Chriſti Domini dicata, tum à Donatoribus, tum ab Eccleſia, & hoc manifeſtè dicitur in iure *l. Cap. Nulli.* 12. *q.* 2. his verbis [*Nulli liceat ignorare omne, quod Domino conſecratur, ſiue fuerit homo, ſiue animal, ſiue ager, vel quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum Domino erit.*] vide etiam Gloſ. *ibidem*. Neque Concilia, & Patres eo modo loquendi ſeparant fructus neceſſarios ſuſtentationi à ſuperfluis, ſed indiſcriminatim omnia bona ipſa eccleſiaſtica patrimonium Chriſti, aut Rem Dei vocant. Dici etiam ſolent patrimonium pauperum, quatenus quod ſupereſt ſuſtentationi, eſt pauperibus partiendum quo ad debitum charitatis, non autem quaſi ſint ſub dominio ipſorum pauperum antequam ipſis applicentur.

Dices, Beneficiarij nequeunt de bonis Eccleſiæ teſtari, ergo non ſunt eorum Domini: antecedens patet *ex Cap. Adhæc, & cap. Relatum, de teſtam.* conſequentia verò probatur, quia ſi eſſent Domini, teſtari de illis poſſent tanquam de bonis proprijs. 17

Reſpondeo primò, ex hoc argumento nihil aliud colligi, niſi aliquem vſum dominij prohibitum eſſe beneficiarijs, non autem colligi non habere dominium, ſicuti, vt aduertit *Leſſius ubi ſup. n.* 50. impuberi prohibetur vſus bonorum, quorū eſt verus Dominus, & hoc reſpectu Clericorum congruenter diſpoſitum fuit, vt auocarentur à cupiditate accumulandi, & relinquendi conſanguineis.

Reſpondeo ſecundo, de prouentibus

quos ſubtrahunt congruenti ipſorum ſuſtentationi teſtari poſſe, etiam ad cauſas profanas, vt aſſerit *Leſſius dub. cit. nu.* 41. de prouentibus vero, qui excedunt congruam ſuſtentationem, licet iure ſcripto nequeant teſtari, conſuetudine tamen in multis locis introducta, poſſunt ad cauſas pias de illis teſtari, vt notat *Leſſius ibid.* quamuis *num: ſeq. ex Couar.* dicat ſolis Epiſcopis eſſe neceſſariam licentiam teſtandi.

18 Sed dices, partem illam pauperibus contingentem, ſiue ſit ſecundum quotam determinatam, ſiue non, eſſe confuſam, & permixtam cum Eccleſiaſticorum redditibus; ergo ipſi Eccleſiaſtici carent dominio, ſaltem omnium redditũum beneficiorum, nam aliqua pars ex eiſdem fructibus pertinet ad pauperes.

Reſpondeo, negando conſequentiam, quia non obſtante illa permixtione, adhuc dominium omnium redditũum perſeuerat apud ipſos beneficiarios, quamuis habeant onus applicandi partem pauperibus, in quos non transfertur dominium portionis ipſis tangentis ante actualem ſegregationem, & traditionem, poſt applicationem verò ſtatim Beneficiarij amittunt dominiũ, & in pauperes illud transferunt, vt de facto euenit in illis redditibus, qui ſunt diuerſis hoſpitalibus applicati; horum autem redditũum dominium inuenitur apud pauperes, qui ius habent, vt ex eiſdem redditibus alantur, vel dum ſunt infirmi, in ipſis hoſpitalibus curentur: & ſi quis nolit dominium prędictorum redditũum eſſe apud pauperes, erit ſaltem apud communitatem illius Ciuitatis: in qua erecta ſunt hoſpitalia cum onere alẽdi, vel curandi pauperes infirmos.

19 Dices ſecundo, iure naturali, & diuino bona eccleſiaſtica ſunt inſtituta, non ſolùm in Clericorum ſuſtentationem, verum etiam in alendos pauperes; ergo nunquam per contrariam diſſuetudinem hoc ius reuocari potuit.

Reſpondeo, iſta duo eſſe valdè diuerſa, videlicet, bona eccleſiaſtica ex iure naturali, & diuino eſſe ſemper affecta onere alendi pauperes: & eadem bona eſſe ſecundum tantam quantitatem determinatam pauperibus eroganda; potuit enim Eccleſia id, quod erat indeterminatum ſecundum ius naturale &c. determinare, vt in ſimilibus actum eſt, nempe in obſeruantia feſtorum, in ſacramento pœnitentię ſuſcipiendo, in receptione Euchariſtiæ, in ieiunio &c. ideoque nonnulli ſummi Pontifices, vt vidimus, determinarunt portionem, quæ pauperibus erat elargienda, vſque ad quartam ex toto cumulo bonorum, at, vt ego cenſeo, noſtris temporibus decreta illa põtificia, quo ad quotam, in deſuetudinem abierunt; proinde Clericis manet obligatio ſecundum ius naturæ ad ſubueniendum pauperibus: quapropter ad argumentum concedo per nullam contrariam conſuetudinem derogari poſſe huic iuri, ſed taxa illa quoad quartam, partem, cum non ſit de iure, neque naturali, neque diuino, nego abrogari non poſſe per oppoſitam conſuetudinem.

Dico ſecundo, de bonis Eccleſię applicatis, ſiue ſint immobilia, ſiue mobilia, Epiſcopi, & reliqui Beneficiarij non habent dominium, ſed ſolùm adminiſtrationem; concluſio eſt certa, & ab omnibus recepta; nam ex intentione illius, quo Eccleſiæ huiuſmodi bona donare voluit, remanent Eccleſiæ ſemper applicata, ac proinde nequeunt Beneficiarij talia bona abſq; iniuſtitia alienare. 20

Ex his colligitur, non poſſe Beneficiarium donare, aut vendere ſupellectilia ſuæ Eccleſiæ applicata, vt ſunt ornamenta, veſtes pro ſacrificio Miſſæ, vaſa, & candelabra argentea, & ſimilia, niſi quando id poſtulat indigentia eiuſdem Eccleſiæ, & in illius vtilitatem &c. 21

SECTIO TERTIA.

An Beneficiarij dominium habeant de rebus immobilius ad ſuas Eccleſias pertinentibus?

SVMMARIVM.

Sermo eſt de bonis Eccleſiæ immobilibus. 1
Prima ſententia vult Beneficiarios eſſe dominos horum immobilium. 2
Secunda ſententia communis negat. 3
Poſita prohibitione alienandi immobilia Eccleſiæ, controuerſia poterit eſſe de nomine. 4
Author ſecundam ſententiam recipit. 5
Dominium beneficij habetur ab Eccleſia particulari, cui eſt donatum. 6
Soluuntur argumenta contraria, & declaratur, qua ratione beneficium Epiſcopatus vocetur patrimonium Epiſcopi. 7
Quid intelligatur per Vicedominus. 8
Non requiritur dominium abſolutum, vt Epiſcopus in vtilitatem Eccleſiæ permutare poſſit. 9
Inſtantia in contrarium, eiuſq; ſolutio. 10
Alia inſtantia proponitur, & diluitur. 11
Quo ſenſu bona Eccleſiaſtica dicantur patrimonium pauperum. 12

HActenus loquuti ſumus de dominio, quod habent Eccleſiaſtici in rebus mobilibus, ſibi applicatis, quales ſunt fru- 1

fructus, & prouentus beneficiorum; nunc verò remanet inquirendum, an idem dicendum ſit de bonis immobilibus, vt ſunt v. g. prædia, domus, & reliqua, ex quibus colligunt annuales redditus, ſeu fructus.

2 Primam opinionem defendit *Sarmientus de reddit: par. 4. cap. vlt. à num.* 1. videlicet, Epiſcopos, alioſque Beneficiarios eſſe dominos illarum rerum immobilium, quæ ipſis Epiſcopatibus, & alijs beneficijs ſpecialiter ſunt deputatæ, quam ſententiam poſtea amplexus eſt *Vaſquez opuſc. de redd. cap.* 2. §. 1. Probari autem poteſt hec opinio, ex iure Canonico; nam *in cap. Indicatum d.* 89. bona iſta immobilia dicuntur eſſe patrimonium Epiſcopi, at quilibet dominium, habet de rebus ſui patrimonij, ergo Epiſcopi, cæterique Beneficiarij, quorum patrimonium ſunt bona ipſa Eccleſiæ, de eiſdem bonis dominium habent: Rurſus *cap. Volumus. & cap. Diaconum: ead. diſt.* dicitur Epiſcopus cõſtituiſſe Vicedominum pro adminiſtrandis rebus ſui Epiſcopatus, ergo ipſe Epiſcopus eſt Dominus; nemo enim poteſt conſtituere Vicedominum, niſi ſit Dominus reſpectu illius rei, in ordine ad quam Vicedominus ſtatuitur. Præterea poteſt Epiſcopus donare aliquid pertinens ad proprietatem Eccleſiæ, ſi tantundem de bonis proprijs eidem Eccleſiæ relinquat, *vt patet ex cap. Si Epiſcopus* 12. *qu.* 5. ergo eſt Dominus rerum Eccleſiaſticarum, nam ſine dominio fieri non poſſet talis permutatio. Hæc, & ſimilia affert Sarmientus conando ſuam ſententiam confirmare, reliqua, quæ adducit, ſunt minoris momenti.

3 Secunda ſententia eſt ferè communis omnium Doctorum, qui aſſerunt, Eccleſiaſticos non habere dominium, ſed tantùm adminiſtrationem de rebus immobilibus Eccleſiæ; & ità docet *Nauar. opuſc. de red. q.* 1. *nu.* 6. *& in Apologia par.* 1. *monito* 24. *Sotus lib.* 10. *qu.* 4. *a.* 3. *concl.* 2. *Sanchez in conſil. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 36. *Bonac. de oblig. beneſ. diſp.* 4. *pun.* 1. *Valen. tom.* 3. *diſp.* 10. *qu.* 3. *punc.* 7. *& alij infra.*

4 Hæc controuerſia, poſita prohibitione, quam habent Epiſcopi, & reliqui Beneficiarij, non alienandi res immobiles Eccleſiæ, poteſt reuocari ad quæſtionem de nomine, quia in re ipſa perinde eſt habere, ac non habere horum bonorum dominium, ſi nihil de illis, niſi de fructibus, Eccleſiaſtici diſponere valeant, attamen in quæſtione, quæ in ordine ad praxim, eſt nullius momenti, vt aperiam meam ſententiam.

5 Dico primo, hanc ſecundam ſententiam eſſe admittendam, tum quia eſt communis, tum quia iuri conformis: nam *cap. Expedit* 12. *quæſt.* 1. Eccleſiæ facultates dicuntur non eſſe propriæ, ſed communes: & ſubditur, quod cum quis fuerit factus Præpoſitus Eccleſiæ, fit diſpenſator omnium, quæ habet Eccleſia; igitur non eſt Dominus: Rurſus in eadem cauſſa *q.* 2. *cap. ſine exceptione*, sic ſtatuitur; vt Epiſcopus rebus Eccleſiæ tanquam commendatis, non tanquam proprijs vtatur, si autem eſſet Dominus, non negaretur res Eccleſiæ eſſe illius proprias.

Dico ſecundo, Dominium ipſius beneficij eſſe penes illam Eccleſiam particularem, cui eſt donatum v. g. penes Eccleſiam Panormitanam, Meſſanenſem &c. intelligendo nomine Eccleſiæ particularis totum cœtum Clericorum eiuſdem Eccleſiæ cum capite, & ità ſentit *Glos. cap. Expedit ſuperius citato. Ver. Communes. Moline to.* 1. *de iuſt. diſp.* 29. *concl.* 2. *& diſp.* 142. *nu.* 6. *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 4. *nu.* 51. *& apud Molinam Caiet.* 2. 2. *quæſt.* 43. *a.* 8. *Turrecremata lib.* 2. *ſum. cap.* 113. *propoſ.* 6. *& alij*. Probatur vtraque concluſio vnico argumento: Bona iſta immobilia donata ſunt primo, & per ſe intuitu ipſius Eccleſiæ, in hunc finem, vt diuina officia miniſtrorum obſequijs maiori cum diligentia, & ſplendore exerceantur; ergo ipſorum bonorum immobilium dominium eſt penes ipſam Eccleſiam, in cuius gratiam donata fuere bona ipſa, & non penès Beneficiarios; cæteroſque miniſtros, niſi quatenus faciunt vnum corpus, ſicuti bona monaſterij non ſunt penès Prælatũ illius monaſterij, neque penès hunc, aut illum monachum, ſed penes totum Conuentum Monachorum, qui faciunt vnum corpus cum ſuo Prælato. 6

Ad argumenta autem in contrarium reſpondeo, & ad primum aio in illo *capite Indicatum*, bona Epiſcopatus vocantur patrimonium Epiſcopi, quatenus Epiſcopus de eorumdem bonorum fructibus poteſt ſe alere, ad eum ferè modom, quo ſi quis alicui Clerico concederet adminiſtrationem alicuius prædij, & liberè donaret omnes fructus eiuſdem prædij per totam vitam ipſius Clerici, certum eſſet, Clericum poſſe ordinari titulo patrimonij, & illud prædium ratione prouentuum vocari poſſe patrimonium ipſius Clerici, quamuis à Clerico nequeat alienari, & ipſe Clericus nequeat in morte quidquam per teſtamentum diſponere circa tale prædium, ità & in caſu noſtro bona ipſa Eccleſiaſtica vocantur patrimonium Clericorum ratione fructuum, quorum dominium eſt apud ipſos Clericos. 7

Ad ſecundum reſpondeo, nomime Vicedomini intelligi œconomum, ità expo- 8

nit

ponit *Gloſ. ibi*, ex hoc autem non ſequitur, Epiſcopum eſſe dominum rerum immobilium Eccleſiæ, ſed ſolum fructuum, in ordine,ad quos exigẽdos inſtituit œconomum.

9 Ad tertium,nego requiri dominium abſolutum ad hoc, vt in vtilitatem Eccleſiæ Epiſcopus poſſit permutationem aliquam facere, donando aliquid ex bonis Eccleſię, compenſando cum bonis proprijs patrimonialibus; ſatis enim eſt habere liberam adminiſtrationem bonorum ad hoc faciẽdum, niſi aliunde facultas Epiſcopi adminiſtrantis veniat reſtricta à Summo Pontifice, & tunc ad alienandum requiritur licentia Pontificis, niſi alienatio fit ob illas cauſſas, & cum illis ſolemnitatibus, quæ in iure requiruntur, vt patet ex tota cauſſa 12. & toto titulo de rebus Eccleſiæ alienandis, &c.

10 Sed dices cum Vaſquez, quamuis totus cumulus bonorum eccleſiaſticorum quoad dominium ſit penes Collegium Clericorũ, attamen portio illa vſui Epiſcopi, aut alterius beneficiarij deputata, de qua nos in præſentia loquimur, quoad dominium nequit eſſe penes Conuentum omnium clericorum; nam hi habent propriam portionem aſſignatam.

Reſpondeo, Clericos huius particularis Eccleſiæ, cui, vt diximus, donata fuerunt bona illa immobilia, ex quibus erecta ſunt beneficia, poſſe conſiderari dupliciter; primo vt perſonas quaſdam particulares ſine ordine ad reliquos; ſecundo, vt facientes vnum quemdam cœtum,& veluti vnum corpus: Rurſus aio, portionem aſſignatam clericis poſſe conſiſtere, vel in fructibus, ſeu ſtipendijs, vel in aliqua re immobili eccleſiaſtica; His poſitis, reſpondeo ad argumentum, & dico, quod bona immobilia Epiſcopo deputata, quãuis non cadant in vtilitatem clericorum, ſed ſolius Epiſcopi, nihilominus totum Collegium Clericorum, quatenus eſt vnũ corpus conſtans ex capite, & membris, habet dominium illorum bonorum, licet vtilitas, vt dixi, ſit ſolius Epiſcopi: ſimiliter aio de portione clericis aſſignata; nã ſi loquamur de portione conſiſtente in fructibus, dominium talis portionis eſt apud ipſum clericum, qui eſt quædam perſona particularis, datur enim vt ſtipendium eius laboris: ſi verò portio ſita ſit in re immobili, eius dominium eſt penes totum Collegium Clericorum, quamuis vtilitas eiuſdem rei immobilis redundet in talem clericum in particulari.

11 Dices ſecundo. Dominium prędictorum bonorum immobilium eſt penes Chriſtũ, ergo non eſt penes Eccleſiam particularẽ; patet conſequentia, antecedens defenditur à *Nauarro de red. quæſt. 1. monit. 21.* qui contendit, dominium hoc eſſe apud Chriſtum, & Deum non ſolum illa generali ratione, per quam dicimus, Deum eſſe vniuerſalem Dominum omnium creaturarum, ſed etiam ſpeciali quadam ratione, inquantum hæc bona ipſi Deo dicata ſunt; quam ſententiam etiam docet *Maior. in 4. d. 24. q. 27. & Henricus quodlibeto octauo q. 27.* fundant hanc opinionẽ, quia in ſacris canonibus ſimilia bona nuncupantur patrimonium Chriſti; ità *cap.* Cũ *ſecundum de præbendis. cap.* Cum *ex eo. de elect. in 6.*

Reſpondeo, dominium, quod Deus habet de creaturis non impedit dominium, quod vna creatura habet in aliam, aliter nemo foret dominus alicuius rei, quia Deus à ſe abdicare nequit dominium pleniſſimum, & vniuerſale, quod habet de ſuis creaturis, cum ſit eſſentialiter dominus omnium; at bona eccleſiaſtica dicuntur ſpeciali modo eſſe ſub Dei, & Chriſti dominio, quatenus ſunt primo, & per ſe dicata ad diuinum cultum, & in hoc ſenſu intelligendi ſunt canones prædicti.

Dices tertio, vt habetur in iure bona eccleſiaſtica ſunt patrimonium pauperum, ergo non inuenitur eorum dominium penes eccleſiam: antecedens probatur varijs textibus, nam *cap. Decima 16. quæſt. 1.* appellantur tributa animarum egentiũ; *& cap. Quoniã quidquid ead cauſ. & quæſ.* vocantur patrimonium pauperum. 12

Reſpondeo, ſiue prædicta bona conſiderentur ante diuiſionem, ſiue poſt, ſemper ſunt ex illis alendi non ſolùm pauperes, verùm etiam miniſtri eccleſiæ,& pars eorum erat applicanda cultui diuino,& fabricæ eccleſiæ, & hæc omnia cum titulo eleemoſynæ ſint eroganda, idcircò dicuntur tributa animarum egentium, ſub quibus, vt exponit *Gloſ.* comprehenduntur Clerici, nam ipſi altari inſeruientes, de altari viuere debent, vt aſſeritur *cap. Cum ſecundum de præbendis, & ex Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 9.* idcircò, vt pauperes alendi ſunt ex bonis eccleſiæ, cui inſeruiunt, & licet interdum Clerici aliqui ſint diuites,vel non egentes, hoc tamen eſt per accidens ad primariam intentionem, ob quam bona prędicta Eccleſiæ dicata fuerunt, nam primo, & per ſe fuerunt donata pro cultu diuino, & pro ſuſtentandis miniſtris inſeruientibus, & indigentibus.

SEC-

SECTIO QVARTA.

Vtrum Epiſcopi teneantur omnes fructus ſui Beneficij excedentes congruam ſuſtentationem erogare in pauperes, & in alia opera pia?

SVMMARIVM.

1 *Quanta, & qualis eſſe debeat congrua ſuſtentatio remittitur in alium locũ.*
2 *Communis opinio vult Beneficiarios ſub graui culpa obligari ſuperfluum operibus pijs applicare.*
3 *Sententia Lorcæ.*
4 *Impugnatur.*
5 *Probatur ſententia iſta communis ex Patribus.*
6 *Probatur ratione.*
7 *Vlterius alia ratione oſtenditur.*
8 *Authores, qui mitius loquatur.*
9 *Quo pacto eorum opinio poſſit probari.*
10 *Obiectio in contrarium dupliciter ſoluitur.*
11 *Inſtantia deſumpta ex ſacris iuribus, diluitur.*
12 *Refertur alia opinio.*
13 *Reijcitur.*
14 *Opinio Soti non admittitur.*
15 *Obligatio faciendi eleemoſynam eſt maior in Beneficiarijs, quàm ſit in alijs.*
16 *Limitatur.*

1 QValis, & quanta eſſe debeat congrua, & decens Epiſcoporum ſuſtentatio, & quæ ſub nomine cõgruæ ſuſtentationis comprehendantur, inferiùs fusè à nobis eſt explicandum; in hac autem ſectione ſolùm examinamus, an id, quod ſupereſt conuenienti ſuſtentationi, totum ſit erogandum in pauperes, & in alia pia opera, referam hìc Doctorum opiniones, earumque fundamenta.

2 Communiter docent, Epiſcopos, quẽadmodum, & reliquos eccleſiaſticos teneri ſub peccato mortali, fructus beneficij, qui excedunt congruam eorum ſuſtentationem in pios vſus erogare, & hanc opinionem videtur docere *S. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 185. *a.* 7. *& quodlibet* 6. *a.* 12. *S. Antoninus par.* 3. *tit.* 15. *cap.* 1. §. 19. *Sotus lib.* 10 *de iuſt. quæſt.* 4. *a.* 4. *Molina tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 146. *Aragonius in* 2. 2. *quæſt* 32. *a.* 5. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 4. *nu.* 47. *Azor. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 8. *quæſt.* 2. *Nauar. de reddit. quæſt.* 1. *monit.* 21. *Valentia* 2. 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. *pun.* 6. § *Sexto certum eſt. Sanchez in conſilijs lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. vbi pro hac ſententia inter Theologos, & Canoniſtas laudat triginta octo Doctores, quibus addo *Vaſquez opuſc. de eleemoſ. cap.* 4. *Coninck de charit. diſp.* 27. *dub.* 11. *Caſtropal. de char. trac.* 6. *diſp.* 2. *pun.* 5. *num.* 6. *Bonac. de oblig. beneſ. diſp.* 4. *pun.* 2. *num.* 2. *Sylu. in* 2. 2. *quæſt.* 185. *a.* 7. *concl.* 5. *Barboſ. de iure eccleſiaſt. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 13. 21. & nouiſſimè *Vincent. Candid. tom.* 1. *diſquiſit. moral. diſq.* 18. *a.* 6. *dub.* 5. Fundamẽta huius communiſſimæ ſententiæ ſunt plura; primo enim ſunt multa iura Canonica, quæ id præcipiunt, & præſertim *Concilium Tridentinum ſeſ.* 25. *cap.* 1. *de reform.* vbi omninò prohibet tàm Epiſcopis, quàm reliquis habentibus beneficia eccleſiaſtica, etiam ſi ſint Cardinales, ne ex redditibus eccleſiæ conſanguineos, familiareſque ſuos ditent; ergo multo magis interdicuntur omnes alij ſumptus profani; cum autem Cõcilium *loc cit.* vſurpet verbum præceptiuum, dum inquit (*Interdicit*) ſequitur voluiſſe præceptum dare eccleſiaſticis, ne ſuperflua ipſorum beneficiorum in vanos conſumant vſus.

At reſpondet *Lorca in* 2. 2. *diſput.* 40. *memb.* 2. *num.* 44. vbi hanc ſententiam de erogandis ſuperfluis fructibus in pia opera conatur moderari, reſpondet, inquam, Concilium Tridentinum nihil præcipere de fructibus, & portione, quæ ſingulis Clericis, vel Prælatis eſt deſignata, ſed ſolùm loqui de bonis illis, quæ ſunt in ipſius Eccleſiæ dominio, qualia ſunt bona immobilia, & ius ad annuos redditus; & hoc voluiſſe Concilium, probat ex eo, quod Concilium in dicto capite ſe remittit ad antiqua iura, & præſertim ad Canones Apoſtolorum, in quibus eſt ſermo de bonis immobilibus, vt patet ex *canon.* 39. *vel* 47. vbi ſic dicitur: *Sed non eorum, nempe cognatorum prætextu, vendat, quæ ſunt Eccleſiæ.* Rurſus colligit ſuam explicationem Lorca ex alijs verbis, quibus vtitur Tridentinum; nam interdicens, ne conſanguinei, &c. ditentur, ſubdit, (*Sed ſi pauperes ſint, ijs, vt pauperibus diſtribuãt; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſſa*) diſtrahere autem idem importat, quod alienare, & ab eccleſiæ poſſeſſione auellere; hoc verò non militat de fructibus redditũum, ſed de bonis immobilibus ipſius eccleſiæ; ità diſcurrit Lorca, explicando verba Concilij. 3

Sed hæc Lorcæ interpretatio eſt omninò reijcienda; nam apertè repugnare videtur verbis Concilij, quod loquitur de illis bonis, quæ eccleſiaſtici erogare queũt in ſuos conſanguineos, & familiares, ſi pauperes ſint; at bona, quæ eccleſiaſtici in pauperes diſtribuere poſſunt, non ſunt bona immobilia, ſed mobilia, nempè redditus annuales. nomine autem redditũ 4

non

non veniunt immobilia , ſed fructus annuales .

Ad illud , quod ſubdit Lorca , videlicet concilium ſe remittere ad Canones Apoſtolorum , in quibus ſermo eſſe videtur de immobilibus , dum dicitur , *ne prætextu cognatorum vendat , &c.* reſpondeo , non referri à Lorca omnia verba illius canonis , quæ faciant ad rem noſtram ; nam Canon loquitur tum de immobilibus,tum de mobilibus , quia commendans Epiſcopo curam de rebus Eccleſiæ , prohibet ne proprijs cognatis ea , quæ Dei ſunt , largiatur , ſi autem ſint pauperes , vt pauperibus ſuppeditet , & ne eorum prætextu vendat, &c.dum enim concedit Epiſcopo, poſſe intuitu paupertatis ſuppeditare ea , quæ ſunt Dei , locutio eſt de redditibus,& poſtea prohibens venditionem , ſermonē habet de immobilibus .

Demum ad illud aliud verbum Concilij , in quo Lorca facit myſterium , videlicet , dum Concilium vtitur eo verbo , *non diſtrahant* , aio per tale verbum interdici alienationem rerum immobilium,quod nos admittimus , ſed addimus , etiam in decreto illo eſſe ſermonem de mobilibus , vt hactenus probatum eſt.

5 Probari etiam poteſt hæc ſententia authoritate Patrū ; nam *S. Hieronym.* vt refertur *diſt.42.* ait, *aliena rapere conuincitur,qui vltra neceſſaria ſibi retinere probatur:& S.Barnardus Epiſt.2. circa finē,* idem ferè aſſerit his verbis;*Quidquid præter neceſſarium victum , & ſimplicem veſtitum , de altari retines , tuum non eſt , rapina eſt , ſacrilegium eſt* , multa etiam alia dicit *Epiſt. 41. de conſiderat. ad Eugenium*; faciunt etiam pro hac opinione omnes illi textus ſacrorum canonum , & dicta Sanctorum Patrum , in quibus reprehenduntur perſonæ Eccleſiaſticæ , quæ bona adepta ex beneficijs ipſius Eccleſiæ in vanos , & ſuperfluos inſumunt vſus , & in alijs locis, in quibus bona Eccleſiaſtica dicuntur eſſe bona , & patrimonium pauperum , &c.quæ omnia congerit *Nauar. de reddit. Eccleſiaſt. queſt. 1.monit.21.*

6 Deinde probatur ratione ; nam bona iſta Eccleſiaſtica licèt primario data ſint in ſuſtentationem ipſorum Epiſcoporum , & Clericorum , pia tamen, & rationabilis voluntas fidelium dicantium huiuſmodi bona Eccleſijs fuit , vt dempta congrua ipſorum Clericorum ſuſtentatione, ſuperfluum non in vanos vſus , ſed in opera pia erogarētur,& hoc certiſſimè eſt præſumendum ; nam cum motiuum relinquentium,& conſecrantium Eccleſiæ talia bona , fuerit ex pietate , & pro ipſorum anima ; proinde præſumitur , eorum intentionem non fuiſſe aliam, niſi vt bona relicta in pios vſus erogarentur .

Probatur denique alia ratione , ex ſta- 7
tus perfectione ; in quo reperiuntur Eccleſiaſtici, & præſertim Epiſcopus , qui pater pauperum ſolet appellari ; ſtatus enim Epiſcopalis cum ſit perfectiſſimus, requirit , vt ipſe Epiſcopus det inter alia inſigne exemplum miſericordiæ erga pauperes , eos paſcendo non ſolùm ſpiritualiter , verùm etiam corporaliter , ſubueniendo illis in eorum neceſſitatibus , ad quod peragēdum ſtrictiſſimo vinculo obligantur Eccleſiaſtici , & præſertim Epiſcopi , & longè maiore quam laici , & ideo ſicuti iſti ex ſuperfluis ad ipſorum ſtatum , tenentur eleemoſynas pauperibus facere, dum ſunt in extrema , vel in graui neceſſitate ; ità Epiſcopi , qui ad plus obligantur , debent ſuperfluum inſumere in pauperes , non ſolùm in eorum grauioribus , ſed in communibus neceſſitatibus , quæ nunquam deſunt , & in alia pia opera,videlicet in conſtruendis Eccleſijs, Collegiatis , Hoſpitalibus, &c.

Et hęc dicta ſint ſecundum communem 8
Authorum ſententiam de hac re loquentium . cæterum non deſunt Authores, qui mitiùs in hac materia diſcurrentes,minorem imponunt Epiſcopis obligationem , quatenus illos non obligant in communibus , & ordinaris neceſſitatibus , niſi ad tertiam , vel quartam partem reddituum; hi autem Doctores ſunt *Sotus de iuſtitia lib. 10. queſt. 4. a. 4.* & nouiſſimè *noſter Petrus de Hurtado diſp. 160. de charitat. ſec. 7. §. 160. ſubſec. 6.* quamuis *Pater Granado controu. 2. de charit.ſect. 3. nu. 11.* dicat , eſſe commune omnium Doctorum pronuntiatum , quod etiamſi Epiſcopus eroget quartam partem in eleemoſynam pauperum , & alij beneficiarij minores quintam , aut ſextam partem.debeant totum reliquum ſuperfluum congruæ ſuſtentationi applicare operibns pijs ; nam hi duo Authores citati ſub quarta parte comprehendunt , & eleemoſynas,& opera pia , vt patet euidenter ex verbis , licet *Bañes 2. 2. queſt. 32. a. 6. dub. vlt. §. Ex dictis omnibus* , contentus de tertia , aut quarta parte , ſolùm de eleemoſynis mentionem faciat , ſic dicens; [*Ego ſanè nullum Epiſcopum Hiſpaniæ abſoluerem, niſi ſaltem quartam partem redditnū in eleemoſynas expenderet , & hoc intelligo in communibus neceſſitatibus ; nam in grauioribus, quales eſſe ſolent tempore famis, aut peſtis , aut plurimarum ægritudinū , ad amplius tenentur iuxta proportionem neceſſitatis pauperum*] *Hæc Bañes* . forſitan ſub eleemoſynis comprehendere voluit opera pia .

Hęc ſententia probari poteſt tali diſcur- 9
ſu,

ſu, ſupponendo, Epiſcopos dominium acquiſiuiſſe de redditibus ſuorum beneficiorum, quod nos ſupra iam oſtendimus, & rurſus non teneri ex iuſtitia, ſed ſolùm ex miſericordia erogarare ſuperfluũ pauperibus, vel illud inſumere in opera pia, quod ſupponunt, & probant hi Authores, & nos *ſect. ſeq.* de hac re acturi ſumus, ideo ſi Epiſcopi non tenentur ex iuſtitia, ſolùm ex miſericordia obligarentur; at lex miſericordiæ non obligat laicos, vt omnes fatentur, ad abdicandum à ſe totum ſuperfluum, illudque donandum in eleemoſynam in neceſſitatibus communibus, & ordinarijs; & quamuis Eccleſiaſtici longè maiorem habeant obligationem, quam laici, tamen iſta maior obligatio non poteſt probari efficaci ratione eſſe talis, vt obliget ipſos Eccleſiaſticos ad inſumendũ totum ſuperfluum in eleemoſynam, & in alia pia opera, ſed ſolùm maior eorum obligatio poſſet conſiſtere in hoc, vt Eccleſiaſtici teneantur inquirere pauperes, & in illos erogare tertiã, aut quartã partem reddituũ, vt volunt prædicti Authores, & conſequenter ſic ſatisfacere proprio oneri, & propriæ conſcientiæ; at laici minimè tenentur talem facere inquiſitionem, neque in communibus neceſſitatibus erogare tertiam, aut quartam partem ſuorum bonorum patrimonialium in eleemoſynã.

10 Dices, præſumi voluntatem eorum, qui Eccleſiæ reliquerunt ſua bona, fuiſſe, vt Eccleſiaſtici, id quod excederet congruam ſuam ſuſtentationem, inſumerẽt in opera pia, vt ſupra diximus.

Reſpondeo, eſto præſumatur talis voluntas, nihilominùs cum in pactũ deducta nequaquam fuerit, non poteſt ex iuſtitia obligare, ſed ſolùm ex quadam decentia, & conuenientia; & ideo dum ab Epiſcopis in communibus neceſſitatibus tertia, aut quarta pars bonorum in cultum diuinum, & pia opera expendatur, non videntur obligandi ſub peccato mortali ad donandum totum ſuperfluum reddituum.

Reſpondeo ſecundo, non eſſe ita certũ, quod præſumi debeat prædicta voluntas; & ſi quis vrgendo dicat, ſupponendam eſſe intentionem eorum, qui Eccleſiæ ſua bona dicarunt, fuiſſe ex motiuo, vt illa bona, deductis ijs, quæ ſunt neceſſaria ad decentem ſuſtentationem Epiſcopi, applicarentur pijs operibus, & non profanis, poſſet ad hanc inſtantiam reſponderi, non fuiſſe intentionem relinquentium, vt bona relicta, neque omnia, neque eorũ pars inſumaretur in profanos vſus, ſed eorum intentionem fuiſſe, donandi illa bona Eccleſiæ, vt ex ipſis ſuſtentarentur miniſtri, & id, quod ſupereſſet applicaretur alicui operi, ad quod ius naturale, & diuinum obligare poſſet, & in hoc terminari intentionem relinquentium, & donantium Eccleſiæ bona temporalia, ſed quod acquiſito dominio horum bonorum, inſumant in profanos vſus portionem illam, cuius dominium habebant, neque aduertere, neque curare debebant fideles facientes varias donationes ſuorum bonorum in finem prædictum, quia eo ipſo, quod relinquebant Eccleſiæ ſua bona ex illo motiuo, vt miniſtri alantur, & pauperes ſecundum leges miſericordiæ ſubleuentur, iam intelligebãtur feciſſe donationes pias, & qui faciebant huiuſmodi legata, ſeu donationes mereri potuiſſent apud Deum, & ſatisfacere pro peccatis; quemadmodum ſi quis det eleemoſynam pauperi, ita vt eius intentio terminetur ad ſubleuandam miſeriam illius hominis ex motiuo charitatis, aut miſericordiæ certe illa intentio erit pia, & laudabilis, quidquid ſit de cætero, an pauper eleemoſynam acceptam inſumat in profanos, imò in turpes vſus, ob hoc non minueretur meritum largitoris, neque quicquam detraheretur de pietate eius intentionis.

Dices; in ſacris canonibus dicitur eſſe 11
furtum, quidquid ipſis Eccleſiaſticis ſupereſt præter neceſſaria, ſi ab ipſis retineatur, ita ex *S. Hier. diſt. 42. ſuperius citat.*

Reſpondent aliqui, prædictas, aut ſimiles locutiones eſſe hyperbolicas, & per quandam exagerationem, ſed nos de re hac *ſect. ſequenti*.

Placet referre aliam opinionem, quæ li- 12
cet non ſit totaliter diuerſa à prima, nihilominus eam aliquo pacto modificat; nã concedit peccare mortaliter beneficiariũ, ſi ex fructibus excedẽtibus congruam ſuſtentationem expendat notabilem quantitatem in profanos vſus, ſed declarans quænam ſit notabilis quantitas in hac materia, ait, non eſſe illam, quæ furto ſublata ſufficeret ad peccatum mortale, vt ſunt e. g. quatuor, aut ſex iulij, aut vnus aureus ſecundum varias Doctorum opiniones in materia de furto, ſed eſſe eam, quæ arbitrio prudentum dici valeat notabilis reſpectu reddituum, qui ſuperſunt, & excedunt congruam ſuſtentationem, & talis eſt tertia, vel quarta pars huius exceſſus; ita *Coninch de charit. diſp. 27. dub. 11. num. 193. Caſtropal. diſp. cit. pun. 5. num. 7.* licet Coninch addat etiam quintã partem prædicti exceſſus, disiunctiuè loquens.

Hæ ſunt ſententiæ, quas pro hac materia apud Authores videre potui; & de his iudicium ferens.

Dico primo, hanc vltimam non place- 13
re, eſt enim cæteris omnibus, quas vide-

re potui, lætior, & quamuis cum eius ſectatoribus ſentiam, non eſſe arbitrandam in hac re materiam notabilem eam, quæ communiter apud Doctores cenſetur talis in materia furti, nihilominùs non admitto grauitatem materiæ eſſe menſurandam cum illo reſpectu ad exceſſum ſupra congruam ſuſtentationem, ità vt tertia, aut quarta pars exceſſus, vt aſſerit hæc opinio, ſit id, quod in hac materia cenſendum ſit notabile, nam inde ſequeretur hoc abſurdum; & inconueniens, videlicet, poſſe contingere, quod minorem ſummam detinens, peccet grauiter, & maiorem retinens peccet leuiter, v. g. ſi quis applicaret ſibi mille aureos, eoſque non erogans in pauperes, non peccaret niſi venialiter, & alius detinẽs apud ſe viginti aureos, nõ diſtribuens eos in pauperes, peccaret mortaliter. probatur aſſumptum, nam fingamus, exceſſum redituum ſupra decentem ſuſtentationem eſſe decem mille aureos, tunc iuxta hanc ſententiam, ſi Epiſcopus ex tali exceſſu ſibi applicaret mille, eſſet leuis culpa, quia non retineret apud ſe niſi decimam partem exceſſus, & non tertiam, aut quartam, quæ ſecundum prædictam ſententiam requiritur ad culpam grauem, contra verò alius Epiſcopus, cuius redditus non ſunt ita pingues, ſupra congruam ſuſtentationem habeat octuaginta, aut centum aureos, ſi ex tali ſumma ſibi vſurparet viginti, aut vigintiquinque, peccaret grauiter, quoniam apud ſe ex exceſſu detineret quartam, quæ eſſet ſufficiens ad peccatum mortale; & ſic ille, qui maiorem ſummam retinens defraudaret, leuiter peccaret, & qui minorem, peccaret grauiter; quod eſt abſurdum. maneat igitur ex dictis grauitatem materiæ in hac re, non eſſe deſumẽdam, vt volunt hi Authores, per ordinem ad tertiam, aut quartam portionem exceſſus ſupra congruam, ſed aliundè.

14 Dico ſecundo, ſecundam ſententiam Soti, & Hurtadi eſſe prima mitiorem, eiq; libenter adhærerem, niſi deterreret me communis cæterorum Doctorum conſenſus, in hoc vnum conſpirantium, nempè, vt deductis ijs, quæ ad decentem Epiſcopi ſuſtentationem requiruntur, reliqui omnes redditus in pauperes, & in pia opera diſtribuantur, ſi quis autem vellet opinionem Soti in praxi ſequi, illum non damnarem, ſed ob rationem dictam non auderem eam conſulere: Hoc vnum tantùm placet aduertere, vt Epiſcopi, & alij Eccleſiaſtici circa diſpoſitionem reddituum Eccleſiaſticorum, remota omni deordinata paſſione erga conſanguineos, & familiares, conſiderent animo recto, & ſincero coram Deo, quæ à tot Summis Pontificibus, Patribus, & Doctoribus in hac materia toties inculcantur, & poſtea diſtribuant redditus ſecundum quod diuina inſpiratio illis dictabit, & circa hoc punctum neque poſſum, neque aliud dicere debeo.

15 Dico tertio, obligationem hanc, quam habent Epiſcopi, cæterique Eccleſiaſtici, longè maiorem eſſe, & ſtrictiorem ea, quã habent laici in eleemoſynis, & pijs operibus efficiendis ex ſuperfluo congruæ ipſorum ſuſtentationi, neque eſt de iure tantùm Eccleſiaſtico, vt putauit *Layman li. 4. tract. 2. Petrus Hurtadus diſput. 5. de eleemoſ. diff. 18. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 4.* & vt videtur ſentire *Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 8. quæſt. 2. §. Mihi itaque;* & apertè docet *Sotus* loquendo de decimis *lib. 10. de iuſt. quæſt. 4. a. 3. §. Quintò arguitur:* ſed dicendum eſt, eſſe de iure naturali, & diuino, vt ſentiunt alij Doctores, *Caietanus in 2. 2. quæſt. 185. a. 7. §. Rurſus dato. Corduba lib. 1. ſuarum quæſt. reſol. quæſt. 18. Nauar. de reddit. eccl. quæſt. 1. monit. 24. Sanchez in conſil. lib. 2. cap. 2. dub. 40. Caſtropal. diſp. cit. pun. 5. nu. 6. Vaſquez opuſc. de eleemoſ. cap. 4. §. Hæc concluſio.* & ratione efficaciter ſuadetur, quia non ſolùm Eccleſiaſtici, verùm etiam laici iure diuino, & naturali tenentur ad eleemoſynas faciendas; ergo Epiſcopi, cæterique Eccleſiaſtici ratione ſtatus, in quo reperiuntur, & præſertim Epiſcopi, qui Patres pauperum nuncupantur, arctiori vinculo ſecundum ius naturæ obligandi ſunt.

16 Dico quarto, hæc omnia, quæ hactenus dicta ſunt, locum non habere, quando redditus beneficij ſunt adeo exigui, vt nõ attingant competentem Epiſcopi, aut alterius Beneficiarij ſuſtentationem; tunc enim ex parte ipſius beneficiarij non eſt obligatio alia, præter eam, quam habent cæteri, qui recipiunt ſtipendia ob varia eccleſiaſtica miniſteria, quæ ad petitionem aliorum exercent.

SECTIO QVINTA.

Vtrum Eccleſiaſtici ea, quæ ex præcepto tenentur erogare in eleemoſynas, & pia opera, inſumentes in vſus profanos, peccent contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem obligentur?

SVMMARIVM.

1 *Ex ſuppoſitione quod Beneficiarij non habent dominium in bonis Eccleſiaſticis, erogando ſuperfluum in vſus profanos, peccant contra iuſtitiam.*

Pri-

Digitized by Google

2 *Prima ſententia vult abſolutè teneri ex iuſtitia.*
3 *Opinio Caietani refertur.*
4 *Alia opinio negat obligari ex iuſtitia.*
5 *Recipitur ab Authore hac vltima ſententia.*
6 *Non placet opinio Caietani.*
7 *Donatarij Beneficiariorum non tenentur ad reſtitutionem fructuum, qui à Beneficiarijs ex ſuperfluo recipiunt.*
8 *Sententia contraria ſpeculatiuè eſt probabilis.*
9 *Diluuntur argumenta contraria.*

1 NEmini eſt dubium, quod ſi vera eſt ſententia, quæ aſſerit, Eccleſiaſticos nō habere dominium in fructibus proprij beneficij, ſi illos quoad exceſſum ſupra decentem ſui ſuſtentationem in profanos vſus expendant, vel ad ditandos cōſanguineos, aut familiares, teneri ad reſtitutionem; quia vt ſic ſecundum hanc opinionem carentes fructuum dominio, vſurparent alienum, ac proindè delinquerent non ſolùm contra charitatem, verùm etiam contra iuſtitiam commutatiuam, ideoq; remanerent obligati ad ius alterius reſarciendum. cæterum iuxta aliam opinionem, quam nos ſupra *ſect.* 2. ſequuti ſumus, concedentes Eccleſiaſticis verum, & reale dominium in redditibus beneficiorum; non ſtatim ſequitur, expendentes in profanos vſus exceſſum fructuū ſupra congruam ſuſtentationem, non teneri ad reſtitutionem; nam ſtat, vt quis dominium habeat in aliqua re, ſed cum aliquo onere ex iuſtitia commutatiua, quapropter rem illam conſumens, onerique minimè ſatisfaciens, tenebitur ad reſtitutionem reſpectu illius, in cuius gratiam erat illud onus impoſitum; tota igitur deciſio huius quæſiti dependet ex alio principio, an videlicet Eccleſiaſtici teneātur ex miſericordia, an verò ex iuſtitia erogare in pauperes, & in opera pia, vel totum, quod ſupereſt ex fructibus ſupra congruam ſuſtentationem, vel ſaltem maiorem illius ſuperflui partem; nam ſi ex ſola virtute miſericordiæ ad id tenentur, quamuis peccent grauiter, conſumentes illud in alios vſus, tamen neque ipſi, neque alij, ſi aliquid receperint ex ijs, quæ in pauperes erant diſtribuenda, obligandi ſunt ad reſtitutionem. His omnibus præmiſſis.

2 Prima ſententia affirmat, eccleſiaſticos ad id teneri ex iuſtitia commutatiua, ac proindè ſi exceſſum fructuum ad vſus profanos, & ad ditandos conſanguineos expendunt, teneri, & ipſos, & conſanguineos ad reſtitutionem; ità docent omnes Authores, qui negant, dominium horum fructuum inueniri apud Eccleſiaſticos, quos Authores ſupra laudauimus.

Secunda opinio poterit eſſe ea, quæ 3
colligitur ex doctrina *Caietani in* 2. 2. *qu.* 185. *a.* 7. vbi redditus Epiſcopales bifariā conſiderat; primo. quando ſunt tenues, aut mio cres, ita vt ſufficiant, & non excedant, vel parùm excedant ſuſtentationem congruam Epiſcopo. ſecundo, ſi nimiùm excedant; quo poſito, ait, ſi cōſiderentur primo modo, locum non habere quartam portionem taxatam pro pauperibus, ſeù non eſſe incluſam; & ideo Epiſcopum conſumentem vanè prædictos fructus non obligari ad reſtitutionem: ſi autem ſecundo modo ſpectentur, vt nequeat rationabiliter credi, tantam quantitatem redditⱆum eſſe pro ſola Epiſcopi ſuſtentatione, tunc præſumendum eſt, eſſe mixtam, & confuſam cum his redditibus portionem pauperibus debitam; ac proindè Epiſcopum malè expendentem hos fructus teneri ad reſtitutionem; hæc eſt opinio Caietani, quam etiam ſupra retulimus, dum ageremus de dominio, quod habent Eccleſiaſtici in redditibus beneficiorum: & ſic ex hac Caietani doctrina poteſt reſultare hæc alia opinio diuerſa à prima nam conditionatè, & limitatè loquitur in ordine ad obligandos Epiſcopos ad reſtitutionem malè inſumentes redditus Eccleſiaſticos; in ordine verò ad alios Beneficiarios inferiores idem eſſet à Caietano dicendū, ſi corū præbenda eſſet ita pinguis, vt crederetur continere portionem pauperum, videlicet, ſi ità eſſet, obligari beneficiarios ad reſtitutionem in profanos vſus erogantes ſuos redditus, non tamen obligari, quoties malè inſumerent præbendas non ità pingues, in quibus nō videretur contineri portio pauperum. Hanc eamdem ſententiam videtur docere *Molina tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 144. §. *Quod vero ad pauperum:* nam ipſe aſſerit, quod ſi redditus Epiſcopatus notabiliter excedant competentem ſuſtentationem, & neque in Epiſcopatu, neque alibi comperiantur erecta Hoſpitalia, Collegia, aut alia pia opera perpetua de bonis mobilibus, præciſis ex bonis immobilibus menſæ Epiſcopalis, tunc veriſimile eſſe, quartam partem pauperum eſſe permixtam cum redditibus Epiſcopi, & per conſequēs ex malo vſu, & applicatione fructuum excedentium, remanebit obligatio reſtituendi: at ſi comperiantur opera pia perpetua iam erecta de prædictis bonis Epiſcopalibus, vel alio modo ex conſenſu Pōtificis reperiatur alienata aliqua pars redditⱆum Epiſcoporum in pium opus, vel aliqua pēſio in eumdem finem Epiſcopo impoſita, tunc computabitur in parte illa,

quam Epiſcopus tenebatur erogare ex iuſtitia in eleemosynam, & in alia pia opera iuxta quantitatem maiorem, aut minorē illius ſummæ, quæ à fructibus Epiſcopalibus fuerit diſmembrata.

4 Tertia denique ſententia abſolutè docet, Epiſcopos, cæteroſque Beneficiarios inſumentes in profanos vſus totum illud, quod competentem ipſorum ſuſtentationem excedit non peccare contra iuſtitiā, & per conſequens neque ipſos, neque alios conſanguineos, aut familiares, in quos forſitan peruenerit aliqua pars horum redituum, teneri ad reſtitutionem; ita ſentiunt Doctores, quos capite præcedente citauimus, qui concedunt perſonas Eccleſiaſticas habere verum dominium circa redditus proprij beneficij; excipimus tamen Molinam, & aliquem alium, qui cū moderatione prædicta loquuntur, hanc etiam ſententiam vt probabiliorem recipit *Lanfrancus opuſ.* 8, *de eleemosy. cap.* 3. *n.* 7. loquens de Eccleſiaſticis, qui non ſunt commendatarij, ſed in titulum habēt beneficia.

5 Dicendum igitur eſt primo hanc vltimā ſententiam eſſe longè probabiliorem; primo quia ferè omnes aduerſarij magna ex parte fundāt ſuam opinionem in eo, quod Eccleſiaſtici non acquirunt dominium fructuum beneficiorum, quod principium ſupra ſufficienter impugnauimus; Secundo, quia nullum aſſignari poteſt caput, ex quo obligatio reſtituendi oriatur, quando Beneficiarij fructus redditūum expendunt in vſus profanos: ergo nō tenentur ex iuſtitia illos inſumere in vſus pios; patet conſequentia, quia ſi ex iuſtitia tenerentur, obligatio iſta ex aliquo capite reſultare debet. Antecedens probatur, quia caput, ex quo talis oritur obligatio ab ipſis aduerſarijs eſſet aſſignandum; proinde dicunt beneficiarios teneri ex iuſtitia ad applicandos fructus pijs operibus ex quodam implicito contractu; cēſent enim ipſi aduerſarij bona iſta fuiſſe à fidelibus conceſſa cum hoc onere, & obligatione, ac proinde recipientes beneficia, cenſentur tacitè obligari ad rectè diſtribuendum exceſſum fructuum modo explicato. Sed ratio iſta non eſt firma, quia vt benè aduertunt defenſores huius noſtræ ſentētiæ, non conſtat bona iſta Eccleſiaſticis donata eſſe cum tali onere, immò, vt notant aliqui potiùs conſtat donata eſſe abſolutè, vt ait Caſtropalaus in ordine ad ſuſtētādos ipſos Miniſtros, & veluti in præmium exercitiorum eccleſiaſticorum, & vt ſic liberi à ſollicitudinibus accumulandi bona temporalia, expeditiùs Deo vacarent; & addo, quod quamuis intentio fidelium fuerit, vt ſuperfluum horum redituum erogaretur in pauperes, & in opera pia, & forte fuerit ſolum cauſſa impulſiua, & non motiua: nihilominus talis intentio, dum non fuit exteriùs manifeſtata, & in pactum deducta, non habet vim obligandi ex iuſtitia donatarios, ita vt teneantur ratione contractus: fundamentū huius rei eſt, quia ad hoc, vt quis ex contractu, aut quaſi contractu obligetur, requiritur inter contrahentes pactum, vel explicitum, vel implicitum, nam contractus, vt vult *Vlpianus Iuriſconſultus L. Habet ff. de verb. & rer. ſignif.* communiter receptus, eſt vltrò, citroque obligatio; at nequit reſultare obligatio mutua, niſi pactum intercedat, dixi, vel explicitum, vel implicitum, explicitum eſt, quando proprijs verbis proponitur, & ab alio acceptatur, vt euenit in contractibus emptionis, venditionis locationis, & ſimilibus; implicitum eſt, quādo quis exercet, vel aliquod officium, vel recipit aliquid, & illi officio, vel ex iure, vel ex natura rei eſt annexa obligatio: & ita tutor e. c. dum recipit tutelam, eamque adminiſtrat, & maritus dum recipit dotem ab vxore, cenſentur ex pacto implicito obligari ad reſarciendum damnum, quod ex eorum negligētia in bonis pupilli, vel dotalibus contingit; ſed in caſu noſtro nullibi apparet pactum neque explicitum, quod inter fideles donantes, & Eccleſiaſticos interueniat, ratione cuius pacti ipſi Eccleſiaſtici obligentur ex iuſtitia ad erogandum ſuperfluum pauperibus; neque implicitum, neque ex iure, neque ex natura rei, non ex iure, quia poſt diuiſionem factam redditūum omnium Eccleſiaſticorū in quatuor illas portiones, & poſtquam erecta ſunt beneficia, in quorum fructibus Beneficiarij acquirunt dominium, Pontifices nullum onus ex iure pontificio impoſuerunt Eccleſiaſticis, & ſi tale onus fuiſſet, ſanè tot ſummi Pontifices, qui eccleſiam gubernarunt, debuiſſent illud explicare, & fructus male inſumptos repetere, quod tamen nunquam vidimus, aut legimus, & addo, quod licet demus inueniri iura aliqua Canonica, quæ ſuperiùs attulimus, præcipientia, vt Eccleſiaſtici, deductis his, quæ ſunt ſibi ſecundum vniuſcuiuſque gradum neceſſaria, reliquum dent pauperibus, vel inſumant in opera pia, non tamen ſtatim ſequitur, prædicta iura obligare ex iuſtitia, nam poſſent obligare ex charitate, & miſericordia; rurſus nonnulla iura poſſunt loqui de portionibus aſſignatis pauperibus, Eccleſiæ, &c. commendatis Epiſcopo. Demum hæc omnia iura videntur, vt ſupra adnotauimus, per diſſuetudinem ſcitam, & toleratam à ſummis Pontificibus abrogata quoad quotam,

Digitized by Google

tam, & ſolùm remanere obligationem ratione ſtatus Eccleſiaſtici ſecundum ius naturale, quod nõ obligat ex iuſtitia ad erogandum ſuperfluum pauperibus, ſed ex miſericordia. igitur à primo ad vltimum, cum nullum ſit aſſignabile caput certum ex quo eccleſiaſtici teneantur ad expendendum exceſſum ſupra congruam ſuſtẽtationem, in eleemoſynas, &c. ſequitur, eos non obligari ex iuſtitia, & per conſequens ſi expendant omnes fructus in profanos, imò in turpes vſus, non teneri ad reſtitutionem.

6 Dicendum eſt ſecundo, opinionem Caietani, & Molinæ non placere, puto enim non colligi ſufficiens ſignum ex abundantia redditus Epiſcopalium, cum illis eſſe permixtam, & confuſam portionem pauperibus aſſignatam; nam, vt ipſe met *Molina* docet *diſp.* 144. *§. Illud admonuerim*: ipſi met redditus, qui alio tempore congruam ſuſtentationem non excedebát, in progreſſu poterant congruam ipſam ſuſtentationem ſuperare ex varijs occaſionibus. Præterea poterat quis initio inſtituere pingue beneficium relinquẽdo rectam fructuum diſpoſitionem Beneficiariorum prudentiæ, & pietati, non imponendo onus, vt de ſuperfluis eleemoſynæ pauperibus faciendæ eſſent.

7 Dicendum eſt tertio. Donatarios Epiſcoporum, aliorumque Eccleſiaſticorum, qui male recipiunt notabilem fructuum quantitatem ab eiſdem Epiſcopis, &c. vt ſunt eorum conſanguinei, familiares, &c. non teneri ad vllam reſtitutionem, etiamſi recipiendo peccent; iſta concluſio euidenter ſequitur ex præcedente; nam ſi eccleſiaſtici, vt probauimus, habent dominium horum fructuum, & eos, qui ſuperfluunt, ex iuſtitia non tenentur in eleemoſynas erogare, ex nullo capite cenſentur donatarij obligari ad reſtitutionem; ſi enim donans non obligatur, neque donatarius obligabitur; quod autem peccent, patet; nam ſupponimus eccleſiaſticos in profanos vſus expendentes omnes fructus, peccare; ergo, & donatarij, qui recipientes cooperantur donantium peccato. Valdè notãdum eſt hic quod docet *Leſſius lib. 2. de iuſtit. cap. 19. num.* 48. quem poſtea ſequutus eſt Bonacina, videlicet, illum, qui iure hæreditario recipit fructus, ſeu bona beneficiarij, de quibus beneficiarius erat dominus, licet de illis teſtari non potuerit, non ſolùm non teneri ad reſtitutionẽ, ſed neque etiam peccare; nam vt ipſi dicunt, obligatio iſta eſt perſonalis, ſcilicet, obligatio expendendi fructus ſuperfluos beneficij in vſus pios, & ideo ſolùm peccat ipſe beneficiarius, teſtando de illis, & omnes, qui eum ad teſtandum inducunt.

Dicendum eſt quarto. Quamuis opinio, quæ aſſerit, eccleſiaſticos teneri ex iuſtitia erogare ſuperfluum in eleemoſynas, ac proinde malè illud expendens obligari ad reſtitutionem, ſit ſpeculatiuè probabilis, & authoritate, & ratione; practicè tamen poſt factum, nullam habet probabilitatem: concluſio iſta de ſpeculatiua probabilitate eſt manifeſta ex doctoribus, qui illam defendunt, & ſupra à nobis ſunt aſſignati, & ex eiuſdem ſententiæ fundamentis: at loquendo de practica probabilitate poſt factum ſic illam demonſtro, ſupponendo receptiſſimum iuris tum canonici, tum ciuilis principium; in pari cauſſa meliorem eſſe conditionem poſſidentis *de reg. iur. in 6. reg.* 65. & in iure ciuili *ff. eod. tit. reg.* 170. ex quo principio Doctores animaduertunt, non poſſe quempiam expoliari bonis, quæ poſſidet, ſi pro vtraque parte contradictionis ſint rationes probabiles e. c. Titius poſſidet aliquam domum, vel vineã, Sortes verò pretẽdit eſſe ſuam, & hinc inde ſpectatis rationibus, ſint pro vtraque parte ſufficientia motiua ad faciendam vtriuſque opinionis probabilitatem, tunc Sortes nequit ſpoliare Titium ab eius poſſeſſione, & ideo non poſſet ductus probabilitate opinionis, ipſi fauorabilis, clàm ſurripere fructus illius vineæ, quia ſtante probabilitate, poſſeſſio ità præponderat, vt faciat practicè moralem certitudinem de honeſtate poſſeſſionis, qua Titius ſibi detinet vineam illam; ſic in caſu noſtro cum hinc inde pro vtraque ſententia ſint, & Doctores, & rationes probabiles, eſto ſint æqualis ponderis, nam pro noſtra ſunt longè efficaciores, vt vidimus, aio, quod eccleſiaſtici ſunt in poſſeſſione, & ſimiliter donatarij, & ideo non poſſunt obligari ad reſtitutionem, & peccaret confeſſarius, ſi illos cogeret ad reſtituendum, quod ſignũ eſt, opinionem, quæ illos obligat poſt factum non eſſe practicè probabilem. 8

Argumenta contra hanc noſtram ſentẽtiam præter ea, quæ deſumuntur ex carẽtia dominij, ſunt nonnullæ patrum locutiones, quarum aliquas ſupra retulimus, & eas ſufficienter explicauimus, proinde non eſt cur iterum illas repetamus; ſolum videtur remanere, vt ſatisfaciamus cuiuſdam recentioris argumentis.

Dices, præceptum, quo Beneficiarij aſtringuntur, nequit prouenire niſi ex virtute iuſtitiæ obligantis illos ad erogãdum, quod ſuperfluit in pios vſus: ergo abſolutè dicendum eſt, beneficiarios inſumentes ſuperflua in profanos vſus, teneri ad reſtitutionem. 9

Reſpondeo negando antecedens: nam vt diximus ſupra, præceptum hoc erogandi, quæ congruam ſuſtentationem excedunt,

quam Epiſcopus tenebatur erogare ex iuſtitia in eleemoſynam, & in alia pia opera iuxta quantitatem maiorem, aut minorẽ illius ſummæ, quæ à fructibus Epiſc opalibus fuerit diſmembrata.

4 Tertia denique ſententia abſolutè docet, Epiſcopos, cæteroſque Beneficiarios inſumentes in profanos vſus totum illud, quod competentem ipſorum ſuſtentationem excedit non peccare contra iuſtitiã, & per conſequens neque ipſos, neque alios conſanguineos, aut familiares, in quos forſitan peruenerit aliqua pars horum reddituum, teneri ad reſtitutionem; ita ſentiunt Doctores, quos capite præcedente citauimus, qui concedunt perſonas Eccleſiaſticas habere verum dominium circa redditus proprij beneficij; excipimus tamen Molinam, & aliquem alium, qui cũ moderatione prædicta loquuntur, hanc etiam ſententiam vt probabiliorem recipit *Lanfrancus opuſ. 8, de eleemosy. cap. 3. n. 7.* loquens de Eccleſiaſticis, qui non ſunt commendatarij, ſed in titulum habẽt beneficia.

5 Dicendum igitur eſt primo hanc vltimã ſententiam eſſe longè probabiliorem; primo quia ferè omnes aduerſarij magna ex parte fundãt ſuam opinionem in eo, quod Eccleſiaſtici non acquirunt dominium fructuum beneficiorum, quod principium ſupra ſufficienter impugnauimus; Secundo, quia nullum aſſignari poteſt caput, ex quo obligatio reſtituendi oriatur, quando Beneficiarij fructus reddituum expendunt in vſus profanos: ergo nõ tenentur ex iuſtitia illos inſumere in vſus pios; patet conſequentia, quia ſi ex iuſtitia tenerentur, obligatio iſta ex aliquo capite reſultare debet. Antecedens probatur, quia caput, ex quo talis oritur obligatio ab ipſis aduerſarijs eſſet aſſignandum; proinde dicunt beneficiarios teneri ex iuſtitia ad applicandos fructus pijs operibus ex quodam implicito contractu; cẽſent enim ipſi aduerſarij bona iſta fuiſſe à fidelibus conceſſa cum hoc onere, & obligatione, ac proinde recipientes beneficia, cenſentur tacitè obligari ad rectè diſtribuendum exceſſum fructuum modo explicato. Sed ratio iſta non eſt firma, quia vt benè aduertunt defenſores huius noſtræ ſentẽtiæ, non conſtat bona iſta Eccleſiaſticis donata eſſe cum tali onere, immò, vt notant aliqui potiùs conſtat donata eſſe abſolutè, vt ait Caſtropalaus in ordine ad ſuſtẽtãdos ipſos Miniſtros, & veluti in præmium exercitiorum eccleſiaſticorum, & vt ſic liberi à ſollicitudinibus accumulandi bona temporalia, expeditiùs Deo vacarent; & addo, quod quamuis intentio fidelium fuerit, vt ſuperfluum horum reddituum erogaretur in pauperes, & in opera pia, & forte fuerit ſolum cauſſa impulſiua, & non motiua: nihilominus talis intentio, dum non fuit exteriùs manifeſtata, & in pactum deducta, non habet vim obligandi ex iuſtitia donatarios, ita vt teneantur ratione contractus: fundamentũ huius rei eſt, quia ad hoc, vt quis ex contractu, aut quaſi contractu obligetur, requiritur inter contrahentes pactum, vel explicitum, vel implicitum, nam contractus, vt vult *Vlpianus Iuriſconſultus L. Habet ff. de verb. & rer. ſignif.* communiter receptus, eſt vltrò, citroque obligatio; at nequit reſultare obligatio mutua, niſi pactum intercedat, dixi, vel explicitum, vel implicitum, explicitum eſt, quando proprijs verbis proponitur, & ab alio acceptatur, vt euenit in contractibus emptionis, venditionis locationis, & ſimilibus; implicitum eſt, quãdo quis exercet, vel aliquod officium, vel recipit aliquid, & illi officio, vel ex iure, vel ex natura rei eſt annexa obligatio: & ita tutor e. c. dum recipit tutelam, eamque adminiſtrat, & maritus dum recipit dotem ab vxore, cenſentur ex pacto implicito obligati ad reſarciendum damnum, quod ex eorum negligẽtia in bonis pupilli, vel dotalibus contingit; ſed in caſu noſtro nullibi apparet pactum neque explicitum, quod inter fideles donantes, & Eccleſiaſticos interueniat, ratione cuius pacti ipſi Eccleſiaſtici obligentur ex iuſtitia ad erogandum ſuperfluum pauperibus; neque implicitum, neque ex iure, neque ex natura rei, non ex iure, quia poſt diuiſionem factam reddituum omnium Eccleſiaſticorũ in quatuor illas portiones, & poſtquam erecta ſunt beneficia, in quorum fructibus Beneficiarij acquirunt dominium, Pontifices nullum onus ex iure pontificio impoſuerunt Eccleſiaſticis, & ſi tale onus fuiſſet, ſanè tot ſummi Pontifices, qui eccleſiam gubernarunt, debuiſſent illud explicare, & fructus male inſumptos repetere, quod tamen nunquam vidimus, aut legimus, & addo, quod licet demus inueniri iura aliqua Canonica, quæ ſuperiùs attulimus, præcipientia, vt Eccleſiaſtici, deductis his, quæ ſunt ſibi ſecundum vniuſcuiuſque gradum neceſſaria, reliquum dent pauperibus, vel inſumant in opera pia, non tamen ſtatim ſequitur, prædicta iura obligare ex iuſtitia, nam poſſent obligare ex charitate, & miſericordia; rurſus nonnulla iura poſſunt loqui de portionibus aſſignatis pauperibus, Eccleſiæ, &c. commendatis Epiſcopo. Demum hæc omnia iura videntur, vt ſupra adnotauimus, per diſſuetudinem ſcitam, & toleratam à ſummis Pontificibus abrogata quoad quotam,

tam,

tam, & ſolùm remanere obligationem ratione ſtatus Eccleſiaſtici ſecundum ius naturale, quod nō obligat ex iuſtitia ad erogandum ſuperfluum pauperibus, ſed ex miſericordia. igitur à primo ad vltimum, cum nullum ſit aſſignabile caput certum ex quo eccleſiaſtici teneantur ad expendendum exceſſum ſupra congruam ſuſtētationem, in eleemoſynas, &c. ſequitur, eos non obligari ex iuſtitia, & per conſequens ſi expendant omnes fructus in profanos, imò in turpes vſus, non teneri ad reſtitutionem.

6 Dicendum eſt ſecundo, opinionem Caietani, & Molinæ non placere, puto enim non colligi ſufficiens ſignum ex abundantia redditaum Epiſcopalium, cum illis eſſe permixtam, & confuſam portionem pauperibus aſſignatam; nam, vt ipſe met *Molina* docet *diſp.* 144. §. *Illud admonuerim*: ipſi met redditus, qui alio tempore congruam ſuſtentationem non excedebāt, in progreſſu poterant congruam ipſam ſuſtentationem ſuperare ex varijs occaſionibus. Præterea poterat quis initio inſtituere pingue beneficium relinquēdo rectam fructuum diſpoſitionem Beneficiariorum prudentiæ, & pietati, non imponendo onus, vt de ſuperfluis eleemoſynæ pauperibus faciendæ eſſent.

7 Dicendum eſt tertio. Donatarios Epiſcoporum, aliorumque Eccleſiaſticorum, qui male recipiunt notabilem fructuum quantitatem ab eiſdem Epiſcopis, &c. vt ſunt eorum conſanguinei, familiares, &c. non teneri ad vllam reſtitutionem, etiamſi recipiendo peccent; iſta concluſio euidenter ſequitur ex præcedente; nam ſi eccleſiaſtici, vt probauimus, habent dominium horum fructuum, & eos, qui ſuperfluunt, ex iuſtitia non tenentur in eleemoſynas erogare, ex nullo capite cenſentur donatarij obligari ad reſtitutionem; ſi enim donans non obligatur, neque donatarius obligabitur; quod autem peccent, patet; nam ſupponimus eccleſiaſticos in profanos vſus expendentes omnes fructus, peccare; ergo, & donatarij, qui recipientes cooperantur donantium peccato. Valdè notādum eſt hic quod docet *Leſſius lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 19. *num.* 48. quem poſtea ſequutus eſt Bonacina, videlicet, illum, qui iure hæreditario recipit fructus, ſeu bona beneficiarij, de quibus beneficiarius erat dominus, licet de illis teſtari non potuerit, non ſolùm non teneri ad reſtitutionē, ſed neque etiam peccare; nam vt ipſi dicunt, obligatio iſta eſt perſonalis, ſcilicet, obligatio expendendi fructus ſuperfluos beneficij in vſus pios, & ideo ſolùm peccat ipſe beneficiarius, teſtando de illis, & omnes, qui eum ad teſtandum inducunt.

Dicendum eſt quarto. Quamuis opinio, 8 quæ aſſerit, eccleſiaſticos teneri ex iuſtitia erogare ſuperfluum in eleemoſynas, ac proinde malè illud expendens obligari ad reſtitutionem, ſit ſpeculatiuè probabilis, & authoritate, & ratione; practicè tamen poſt factum, nullam habet probabilitatem: concluſio iſta de ſpeculatiua probabilitate eſt manifeſta ex doctoribus, qui illam defendunt, & ſupra à nobis ſunt aſſignati, & ex eiuſdem ſententiæ fundamentis: at loquendo de practica probabilitate poſt factum ſic illam demonſtro, ſupponendo receptiſſimum iuris tum canonici, tum ciuilis principium: in pari cauſſa meliorem eſſe conditionem poſſidentis *de reg. iur. in 6. reg.* 65. & in iure ciuili *ff. eod. tit. reg.* 170. ex quo principio Doctores animaduertunt, non poſſe quempiam expoliari bonis, quæ poſſidet, ſi pro vtraque parte contradictionis ſint rationes probabiles e. c. Titius poſſidet aliquam domum, vel vineā, Sortes verò pretēdit eſſe ſuam, & hinc inde ſpectatis rationibus, ſint pro vtraque parte ſufficientia motiua ad faciendam vtriuſque opinionis probabilitatem, tunc Sortes nequit ſpoliare Titium ab eius poſſeſſione, & ideo non poſſet ductus probabilitate opinionis, ipſi fauorabilis, clàm ſurripere fructus illius vineæ, quia ſtante probabilitate, poſſeſſio ità præponderat, vt faciat practicè moralem certitudinem de honeſtate poſſeſſionis, qua Titius ſibi detinet vineam illam; ſic in caſu noſtro cum hinc inde pro vtraque ſententia ſint, & Doctores, & rationes probabiles, eſto ſint æqualis ponderis, nam pro noſtra ſunt longè efficaciores, vt vidimus, aio, quod eccleſiaſtici ſunt in poſſeſſione, & ſimiliter donatarij, & ideo non poſſunt obligari ad reſtitutionem, & peccaret confeſſarius, ſi illos cogeret ad reſtituendum, quod ſignū eſt, opinionem, quæ illos obligat poſt factum non eſſe practicè probabilem.

Argumenta contra hanc noſtram ſentētiam præter ea, quæ deſumuntur ex carētia dominij, ſunt nonnullæ patrum locutiones, quarum aliquas ſupra retulimus, & eas ſufficienter explicauimus, proinde non eſt cur iterum illas repetamus; ſolum videtur remanere, vt ſatisfaciamus cuiuſdam recentioris argumentis.

Dices, præceptum, quo Beneficiarij 9 aſtringuntur, nequit prouenire niſi ex virtute iuſtitiæ obligantis illos ad erogādum, quod ſuperfluit in pios vſus: ergo abſolutè dicendum eſt, beneficiarios inſumentes ſuperflua in profanos vſus, teneri ad reſtitutionem.

Reſpondeo negando antecedens: nam vt diximus ſupra, præceptum hoc erogandi, quæ congruam ſuſtentationem exce-

dunt,

Digitized by Google

dunt; fundari in lege naturæ, quæ dictat id, quod ſemel eſt Deo dicatum, non eſſe in profanos vſus conuertendum, vt expreſsè habetur *cap. Scimus*. 12. *q.* 1. *& de reg. iuris in 6. reg.* 51. vbi hæc habentur: *Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos vlterius transferendum*, proindè conſumptio bonorum eccleſiaſticorum in profanos vſus inuoluit turpitudinem quãdam, vt rectè notat *Cardinalis Delugo tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 4. *ſec.* 2. *num.* 16. & ideo quoddam ſacrilegium eſt.

Sed vrgebis cum recentiore, cuius ſupra meminimus: lex naturæ, vel ſupponit tranſlatum dominium in Beneficiarios, vel non ſupponit: ſi hoc ſecundum dicatur, ſequitur Beneficiarios in vſus profanos ſuperflua inſumentes, obligari ex iuſtitia ad reſtitutionem, quia alienum conſumarũt: ſi primum, ſequeretur bona iſta eccleſiaſtica non eſſe amplius bona, ſeu res Dei, & beneficiarios non ſe habere veluti adminiſtratores, ſeu procuratores talium bonorum, quia eſſent Domini, ſed potius ſe habere veluti pauperes cãtores cæterique eccleſiæ operarij, qui accipientes pecuniã ex bonis eccleſiæ tanquam rem Dei, eam tamen in vſus profanos expendentes, non peccant. ratio horum eſt, quia ille, qui dominium habet de re aliqua, poteſt pro ſuilibito de eadem re perfectè diſponere in quoſcumque vſus, quocumque titulo, & à quacumque perſona, ſiue laica, ſiue eccleſiaſtica rem illam acceperit.

Reſpondeo à lege naturali in caſu iſto ſupponi tranſlatum dominium in Beneficiarios: & ad inſtantiam incontrarium dico; etiam ſi Beneficiarij acquirant horum fructuum dominium non ſequitur illos nõ poſſidere tãquã res Dei modo illo ſpeciali, ſunt enim fidelium oblationes, in diuinum cultum, vel ex eiſdem oblationibus empta, vt notauit *Cardinalis Delugo diſp.* 4. *de iuſt. ſec.* 2. *num.* 16. *& alij*. addo tamẽ Beneficiarios facta diuiſione bonorum reſpectu portionis ad ipſos ſpectantis non ſe habere vt adminiſtratores, ſeu procuratores, niſi ſolum reſpectu portionis, quæ eſt eccleſiæ, cuius curam gerunt, & nego illos ſe habere quoad omnes fructus beneficij quemadmodum pauperes, cantores, &c. & hoc quia licet in ordine ad fructus neceſſarios ad congruam ipſorum ſuſtentationem ſe habeant ſicuti pauperes, cãtores, cæterique miniſtri, qui dominium acquirunt de ſtipendio pro obſequijs ſoluto, de quo liberè diſponere queunt, & ſimiliter ipſi Beneficiarij de fructibus propriæ ſuſtentationi neceſſarijs diſponere poſſunt in ordine ad quoſcumque vſus; nihilominus in ordine ad fructus ſuperfluos alio modo ſe habeat, quia tenentur hos erogare, vel in pauperes, vel in alia pia opera, & hoc non ſolùm ratione ſtatus, verum etiam ratione conditionis horum bonorum, quæ Deo à fidelibus dicata fuerunt, eidemque veluti conſecrata, ideoque nequeunt conuerti niſi in pias cauſas.

Ad rationem vero, qua arguens ſuam probat ſententiam, reſpondeo falſum aſſeri dicendo eum, qui habet dominium de re aliqua ſemper poſſe de re illa pro ſuo libito diſponere in quoſcumque vſus; nam quamuis hoc verum ſit de illo, qui perfectum, & plenum habet dominium; nihilominus lex, ita exigente bono communitatis, prohibere, ſeu impedire, immo irritare aliquẽ vſum huius dominij poteſt, vt paſſim experimur, proinde recte dominium definiri ſolet eſſe ius perfectè diſponendi de re, niſi lege prohibeatur. ita *Bartol. in L. Si quis vi §. Differentia. ff. de acquir. poſſeſ.* poteſt ergo lex impedire, ne tale dominiũ in aliquem actum particularem exeat, & tunc dominium deficit à ſua plenitudine, & ſic de facto lex impedit ne pupillus exerceat dominium bonorum, nequit enim alienare, cum tamen ſit verus dominus, vt aſſerit *S. Paulus ad Gal.* 4. ſic etiã irritat cõtractus alienationis initos à prodigo; & rurſus diſponit, vt maioratus, fideicommiſſa, & ſimilia nequeant alienari, quo non obſtante, qui ea poſſidet eſt verus illorum Dominus, vt aduertit *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 9. non rectè igitur arguens ex dominio infert poſſe à domino pro libito diſponi ad quoſcũque vſus rem, de qua eſt dominus, neque rectè deduci poteſt à cõtrario, videlicet, qui non poteſt vti re ad aliquem particularem vſum, vt ſunt beneficiarij, qui prohibentur inſumere fructus ſuperfluos in vanos vſus non eſſe eorumdem fructuum veros dominos.

Dices, Patres multa dicunt, ex quibus videtur aperte colligi beneficiarios non habere dominium de fructibus ſuperfluis ipſorum congruam ſuſtentationem excedentibus, atque adeo deducitur ex iuſtitia ipſos obligari ad applicandos illos, vel pauperibus, vel pijs operibus, & contrarium facientes obligari ad reſtitutionem probat hoc ipſe arguens nonnullos patres referendo. & præſertim *S. Hieronymus adductus à Gratiano diſt.* 42. quem nos *ſec.* 4. *citauimus de regul. monach. cap. de paupertate* ſic inquit [*Aliena rapere conuincitur, qui vltra neceſſaria ſibi retinere probatur.*] & relatus ab eodem *Gratiano cap. Quoniam*. 16. *qu.* 1. ait [*Quidquid habent clerici pauperum eſt*] *S. Auguſtinus in cap. Decima ibidem*, inquit, [*Decimæ ſunt tributa animarum egentium*,

ſium, & res à Domino pauperibus delegata.] *S. Proſper in cap. paſtor 1. queſt. 2.* ſic aſſerit [*Diuites, qui accipiunt aliquid à beneficiarijs non ſine grandi peccato accipiunt*] *S. Bernard. epiſt. 2. ad Fulconem canonicum,* ita loquitur [*Quicquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de altario retines tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt*] ex his, aut alijs ſimilibus Patrum dictis recentior iſte colligit beneficiarios teneri ex iuſtitia erogare ſuperfluum congruæ ipſorum ſuſtentationi paupribus, aut illud alijs pijs operibus applicare, & id non facientes obligari ad reſtitutionem, deducit Author iſte hanc concluſionem ex verbis relatis Patrũ, nam dicunt eſſe furtum, rapinam inſumere ſuperflua in vſus profanos, quia non eſt ſuum, ſed pauperum, &c.

Reſpondeo hoc eſſe præcipuum, immo vnicum fundamentum, quo aduerſarij nituntur ad ponendam obligationem iuſtitię in beneficiarijs, & ideo conabor exponere verba Patrum, eorumque mentem explanare, & quamuis ad locutiones prædictas poſſem aliquas particulares interpretationes tradere; nihilominus eas omitto, & placet pro omnibus his authoritatibus vniuerſalem dare expoſitionem; reſpondeo igitur & quod attinet ad S. Hieronymũ, & S. Auguſtinum, etiam ſi concederemus aduerſarijs locutos fuiſſe in eo ſenſu, quem ipſi intendunt; nihil tamen illis fauent, quia ſcripſerunt ante diuiſionem bonorum, vt obſeruat *Barboſa de Iure eccleſiaſt. lib. 3. cap. 17. num. 25. Malderus in 2. 2. S. Thomæ tract. de ſubiecto dominij cap. 4. dub. 8. ad 1. Syluius ibidem quæſt. 187. a. 7. Conink de charit. diſp. 27. numer.* 188 & etiam S. Proſperum ſcripſiſſe ante diuiſionẽ teſtatur *ibidem Syluius*, ideo non debet eſſe mirum ſi dicatur furtũ, & rapinam eſſe tollere id, quod eſt ex ſuperfluo, nam ante diuiſionem cum fuerint bona confuſa Epiſcopi alijque beneficiarij erant adminiſtratores, & diſpenſatores bonorum, quæ erant communia cum clericis, & alijs. & ſic ex iuſtitia tenebãtur ad rectam adminiſtrationem, & diſpenſationem; ſed quia remanet explicandus Bernardus, & alij, qui fuerunt poſt diuiſionem, idcirco vniuerſalem pro omnibus firmam, & propriam do explicationem. Pro qua eſt valde notanda quædam doctrina, quam tradit *Sotus lib. 10. de iuſt. quæſt. 4. a. 8. in ſolutione ad primum*, ponit enim veluti duplicem auaritiam, alteram, quæ eſt iuſtitiæ contraria, & propriè loquendo appellatur furtum, ſeu rapina: alteram vero, quæ eſt liberalitati, & miſericordiæ contraria, ſubdit enim Sotus Sanctis Patribus familiare fuiſſe auaritiam hanc miſericordiæ oppoſitam, per quamdam hyperbolẽ appellare furtum, & rapinam, & hoc quia in neceſſitatibus omnia communia cenſentur quoad vſum, & etiam quia eorumdem Patrum idioma fuit totum id quod ſupererat exiſtimare cõmune quoad vſũ. & hoc non ſolùm locum habuiſſe in eccleſiaſticis, verum etiam in ſæcularibus, quãuis illi ſtrictius obligarentur, proindè Sotus rectè concludit hoc genus rapinæ non trahere debitum reſtituendi, & per hãc doctrinam exponit plura dicta Patrum. ferè eadem docet *Vaſquez opuſ. de reddit. cap. 1. §. 3. dub. 1. num. 32. & 33.* & ſimiliter *Conink l. c. & Lorca in 2. 2. diſp. 39. ſect. 3. memb. 4. num.* 49. dicens Patres æquiparare omiſſionem eleemoſynę furto propter ſimilitudinem, non quia re vera furtum ſit.

Ad vberiorem autem noſtræ ſententiæ, & traditæ doctrinæ firmitatem placet nõnulla Patrum dicta afferre, quibus etiam ipſi aduerſarij velint nolint coguntur admittere locutiones illas, non eſſe ſecundũ proprietatem, ſed potiùs ſecundum quãdam accomodationem, vt indicaretur grauitas peccati, & debitum quod habẽt Prelati ad eroganda ſuperflua pauperibus, & pijs operibus. incipio ab antiquioribus.

S. Baſilius orat. 13. de eleemoſyna, & benignitate ante medium lit. f. habet hæc verba. [*Eſurientis eſt panis, quem tu detines, nudi eſt pallium, quod tu in veſtiario conſeruas, calceus, qui apud te putreſcit; eius qui eo caret, indigentis eſt aurum, quod terra obruiſti. Proinde tot hominibus iniuriam infers, quot beneficio complecti potuiſti.*] ex his Baſilij verbis, quæ dirigit in ea oratione ad diuites eleemoſynam omittentes, duo colliguntur; primo vocari pauperum bona illa, quæ re vera non ſunt pauperis, ſed eiuſdẽ diuitis, & hoc, quia vt Sotus ſupra adnotauit apud Patres quod eſt ſuperfluum nuncupabatur pauperum, ſecundo inquit iniuriam inferri à diuite omnibus illis, quos beneficio eleemoſynæ adiuuare poterat, & tenebatur, & tamen vera, & propria iniuria non eſt, quia ſecundum communem Theologorum ſententiam, præceptum eleemoſynæ non eſt ex iuſtitia, ſed ex charitate, & miſericordia, vbi enim non eſt iniuſtitia propriè dicta nequit eſſe propriè iniuria, vt de ſe patet, ergo dicere debemus S. Baſilium hyperbolicè locutum fuiſſe.

S. Chryſoſtomus hom. 11. in epiſt. ad Rom. in morali expoſitione loquens pariter cum diuite ſplendidè viuente, & eleemoſynam non erogante ait rapinæ, & auaritię incumbere.

S. Ambroſius ſerm. 64. in Dom. 8. poſt Pen-

Digitized by Google

Pentec. circa finem ſic inquit [*Quis enim tam iniuſtus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorum alimenta, ſuum nõ vſum, ſed abundantiam, & delicias facit? Neque enim minus eſt criminis habenti tollere, quàm cum poſſis, & abundes indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines, nudorum indumentum eſt, quod tu recludis, miſerorum redemptio, & abſolutio eſt, pecunia, quam tu in terram defodis. Tot te ergo ſcias inuadere bona, quot poſſis præſtare, & nolis*] vide Ambroſium, quo pacto increpans diuitem auarum dicat eſſe iniuſtum, & bona quædam, quæ poſſidet eſſe pauperum, & demum non minus eſſe crimen tollere alienum, quam ſit non ſubuenire indigentibus, &c. quæ omnia, vt patet, per quamdam exagerationem dicta ſunt.

S. Auguſtinus ſerm. 219. de temp. agẽs de ſæcularibus, qui ſuperflua in pauperes minimè diſtribuunt inter alia ſic habet. [*Quicquid enim Deus nobis plus quam opus eſt dederit nõ nobis ſpecialiter dedit, ſed per nos alijs erogandum tranſmiſit, quod ſi non dederimus res alienas inuaſimus*] & certum eſt ſuperfluum non eſſe alienum niſi per quamdam accomodationem.

Idem Auguſt. in pſal. 147. fol. mihi 702. col. 2. lit. B. in fine ſic habet. [*Superflua diuitum neceſſaria ſunt pauperum. Res alienæ poſſidentur, cum ſuperflua poſſidentur*] appellat ſuperflua res alienas, cũ tamen in rigore loquendo non ſint talia, ſed propria ipſius poſſidentis, loquitur tamen hoc modò ad indicandum debitum miſericordiæ, quod habent diuites ad eroganda ſuperflua pauperibus.

S. Leo Papa ſermon. 5. de collectis, & eleemoſynis ſuadens facultates terrenas habenti, ad egenos adiuuãdos vt eroget, inter alia ſic inquit. [*Nõ solũ enim ſpiritales opes, & dona cœleſtia Deo donante capiũtur, ſed etiam terrenæ, & corporeę facultates ex ipſius largitate proueniunt, vt merito rationẽ earum quæſiturus ſit, quæ non magis poſſidenda, quam diſpenſanda commiſit*] vide quo pacto bona propria, & temporalia de quibus ibi loquitur dicat eſſe à Deo donata vt à poſſidente pauperibus diſpenſentur, & conſequenter poſſidens reſpectu talium bonorum vocari poſſit diſpenſator non propriè, ſed large, & per accomodationem, & ſimilitudinem.

S. Gregor. in paſtor. par. 3. admonit. 22. ſuper illa verba Pſal. 111. Diſperſit dedit pauperibus iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. ſic inquit [*Cum enim largitatem impenſam pauperibus præmiſiſſet, non hanc vocare miſericordiam, ſed iuſtitiam maluit: quia quod communi domino tribuitur iuſtum profectò eſt, vt qui accipiunt eo communiter vtantur*] his verbis declarat S. Gregorius nomine iuſtitiæ vocari etiam id quod ex miſericordia debetur; non quod re vera ſit iuſtitia propriè dicta.

Plura etiam poſſem adducere loca Patrum, in quibus furtum, aut rapinam appellant denegare pauperibus eleemoſynã ex ſuperfluis, & etiam ipſa ſuperflua ab eiſdem Patribus vocari bona pauperum, quæ omnia, vt dixi per quamdam accomodationem, & extenſionem prolata ſunt, non quod in rigore talia ſint: igitur nequeunt aduerſarij ex his, aut ſimilibus verbis, & dictis Patrum deducere obligationem rigoroſę iuſtitiæ in beneficiarijs ad erogãda ſuperflua pauperibus, &c. ſed ſolùm obligationem arctiſſimam ex miſericordia, & charitate, alias eſſet dicendùm etiam ſæculares ex iuſtitia teneri ad diſtribuenda ſuperflua pauperibus, quia Patres eodem modo loquuntur de illis, vt vidimus, & ſi aduerſarij reſpondeant has locutiones à me adductas eſſe intelligendas per quamdam exagerationem, & non proprietatem, ita, & ego dicam hoc ipſum explicando verba, quæ ab ipſis met aduerſarijs afferuntur ad probandam ſuam ſententiam, & ſi ipſi velint Patres ab ipſis allatos eſſe interpretandos cum omni proprietate, ita & ego dicere poſſum de Patribus à me allatis, cum non ſit maior ratio de his, quam de illis, quod tamen non admittunt, neq; admittere poſſunt aduerſarij cum certum ſit obligationem, quam habent ſæculares ad erogandam eleemoſynam ex ſuperfluis eſſe ex miſericordia.

Dices plura Concilia poſt quadripartitam illam diuiſionem celebrata, loquuntur eodem modo, nempe beneficiarios eſſe adminiſtratores, diſpenſatores bonorum eccleſiæ, ita habetur *in Concil. Antiocheno relato in cap. Epiſcopus. 12. quæſt. 1. & cap. Epiſcopus 10. q. 2. ex Concilio Martini Papæ.*

Reſpondeo in prędictis locis nil aliud haberi, niſi quod Epiſcopus poteſtatem habeat diſpenſandi res eccleſię indigentibus, & quod hoc officium exercere debeat cum reuerentia, & timore, & illud non committat domeſticis, & cognatis, ne res eccleſiæ ab his perſonis occultè lædantur, at nihil in prædictis locis de obligatione ex iuſtitia, reſtitutione, &c. & addo ibi ſermonem eſſe poſſe de rebus, & redditibus eccleſiæ, cuius curam, & adminiſtrationẽ gerit Epiſcopus, non autem de portione illa, quæ ad ipſum Epiſcopum ſpectat.

Dices, obligatio adeo ſtricta, quam habent Epiſcopi, cæterique Beneficiarij ad erogandum in vſus pios id, quod excedit ip-

Digitized by Google

ipſorum congruam ſuſtentationem, nequit, ſaltem adæquatè, & cum tantò rigore, quo loquuntur Patres, & Concilia, prouenire ex eo quod ſint bona Deo dicata, patrimonium Chriſti, res Dei, &c. ergo prouenit ex rigore iuſtitiæ, qua prædicti tenentur ad expendẽdum ſuperfluum in opera pia; patet conſequentia, quia ex alterutro ex his capitibus id oriri poterit, & cum non oriatur à primo, ſequitur eſſe à ſecundo. antecedens vero oſtenditur, quia ſi oblatio Deo facta induceret in Beneficiarios talem obligationem, & formaliter daret denominationem illam his bonis, nẽpe eſſe patrimonium Chriſti, &c. ſequeretur quod etiam fructus neceſſarij ad congruam ſuſtentationem non poſſent in operibus profanis expendi, & pariter deberẽt appellari patrimonium Chriſti, res Dei, &c. quia ex bonis Deo oblatis naſcuntur: at hoc eſt falſum, quoniam, vt omnes fatentur, ex ijs, quæ requiruntur ad congruam ſuſtentationem, poſſunt Epiſcopi, & alij ad libitum, & ſicuti de bonis laicis diſponere.

Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem aio, omnia bona eccleſiaſtica, tum ſtabilia, tum mobilia eſſe, patrimonium Chriſti, &c. ante applicationem, & incorporationem, & ideo ita etiã eſſe appellandos fructus neceſſarios ad ſuſtentationem Beneficiarij, ſecus autem poſtea, & ideo hi fructus dum ab ipſo Beneficiario ſibi incorporantur, amittunt reſpectum illum ſpecialem, quem habebant ad Deum, & fiunt laica, ſicuti etiam fructus, qui in pauperes erogantur, licet prius habuerint illam habitudinem ad Deum, & quamdam veluti ſpiritualitatem, ratione cuius exigebant operibus pijs applicari, nihilominus, facta applicatione, ſortiti ſunt finem ſuum intentum à fidelibus, qui bona illa donarunt, & etiam ab Eccleſia, nempe vt in vſum pium erogentur. & ideo quẽadmodum bona pauperibus in eleemoſynam erogata, incorporantur ipſis pauperibus, & ad eorum libitum in vſus profanos expendi poſſunt: ita etiam fructus, qui sũt neceſſarij ad ſuſtentationem Beneficiarij, iam applicati, & incorporati iuxta intentionem donantium, & eccleſiæ, ſpoliantur reſpectu illo ad Deum, & fiunt bona laica, de quibus Beneficiarius poteſt diſponere ad quoſcunq. vſus. Ex his autem patet, quod quamuis colligatur obligatio, quam habent Beneficiarij in applicandis ſuperfluis in opera pia, ex eo quod ſint ex bonis Deo dicatis; nihilominus ex hoc principio nequaquam rectè infertur Beneficiarios non poſſe in vſus profanos expendere fructus ad ſui ſuſtentationem neceſſarios; & ratio eſt, quia applicatio talium fructuũ cenſetur pia, & iuxta intentionem fidelium donantium, & eccleſiæ, nam qui altari deſeruiunt cum altari participant, vt inquit *S. Paulus ad Corinth. cap. 9.* quemadmodum quando erogamus pecuniam ſacerdoti, vt pro nobis celebret ſacrum, dicimur expendere illam in opus pium, facta autem applicatione, & incorporatione illius pecuniæ, poteſt ab eodem ſacerdote in quodcumq; opus illa inſumi: ita etiam fructus beneficij, qui ſunt portio debita ipſi beneficiario incorporata, iam poterũt in vſus profanos expendi, quia per applicationem illam dicta portio ſortita eſt finem illius ſpiritualitatis, quam ante incorporationem retinebat.

Ex his omnibus, quæ hactenus dicta ſunt breuiter concludo exponendo tum locutiones ab aduerſarijs allatas, tum alias ſimiles, quæ adduci poſſent, tam in Concilijs, quã extra, quę cõmodè exponi poſsũt vno ex ſequentibus modis iuxta varietatẽ materiæ, vel temporis diuerſitatem, vel enim ſunt locutiones de bonis eccleſiaſticis ante diuiſionem, vel de bonis eccleſiæ Epiſcopo commendatis, & tunc verba cum omni proprietate intelligenda ſunt, nempe cum dicitur Epiſcopus eſſe adminiſtrator, procurator, & eſſe furtum ſi aliquid ex his bonis ſibi vſurpet: ſi vero locutiones ſint de bonis poſt diuiſionem, & de portione pertinente ad ipſum Epiſcopum, ſeu beneficiarium, explicari debent per quandam exagerationem, ſeu extenſionem, vt ſuperius dixi, & oſtendi ad ſignificandam grauem obligationem erogandi ſuperflua in pauperes, & alia pia opera. & aduerte obligationem, quam ante diuiſionem habebãt beneficiarij, & præſertim Epiſcopi in ordine ad miniſtros, & alios clericos, qui in communitate viuebant, fuiſſe de rigore iuſtitiæ, & hoc, vel quia ipſi clerici, vt viuerent in communitate propria bona ſub hac conditione Epiſcopo conſignabant, vel quia ſub eadem conditione à fidelibus donabãtur, in ordine autem ad pauperes non tenebantur ex iuſtitia, ſed ex miſericordia, & charitate, quia pauperes non habebant propria bona in illa communitate, neque conſtat donata fuiſſe ab alijs ſub tali conditione: poſt diuiſionem vero beneficiarius habens propriam ſuam portionem diſtinctam, fructus, qui congruæ ſuſtentationi ſuperſunt, tenetur applicare pijs operibus, aut illos pauperibus erogare, & ideo ſi cõſaguineis, & ſuis familiaribus prædictos fructus donet, & non vt pauperibus, grauiter peccabit, non contra iuſtitiam, ſed contra charitatem, & hoc quia huiuſmodi bona ſemel Deo dicata quamdam habent ſpiritualitatem, & nequeunt in vſus profanos inſumi, quod grauiter interdicit *Tri-*

dentinum ſeſ. illa 25. de reſor. cap. 1. confirmans hoc excanonibus Apoſtolorum *Canon. 39.* vbi eadem prohibitio habetur.

SECTIO SEXTA.

Quę nam cenſenda ſit congrua cuiuſque Beneficiarij ſuſtentatio.

SVMMARIVM.

1 *Congrua ſuſtentatio non menſuratur eodem modo reſpectu omnium cum dependeat ex qualitate beneficij, & conditione perſonę.*

2 *Eſt determitanda arbitrio prudentum conſideratis omnibus circumſtantijs.*

3 *Sub congrua ſuſtentatione comprehēduntur etiam conuiuia moderata, ſumptus neceſſarij ad hoſpitandum magnates, & ſimilia.*

4 *Et pariter donationes remuneratoria.*

5 *Et etiam liberales, & omnino gratuita iuxta honeſtam conſuetudinem.*

6 *Hac omnia facienda ſunt ſecundum moderationem, de qua loquitur Tridentinum ſeſ. 25. de reſor. cap. 1.*

7 *Sub congrua ſuſtentatione non ſunt enumeranda munera, quæ donantur paraſitis, ſcurris, &c.*

1 NOn poſſumus vnam, eamdemque menſuram pro omnibus Eccleſiaſticis proponere; nam hæc maximè dependet ex qualitate beneficij, & conditione perſonæ ipſius beneficiarij, dantur enim aliqua beneficia pinguiora, alia minus pinguia, & inter ipſos beneficiarios reperitur interdum magna inæqualitas; nam alio modo eſt loquendum de beneficiarijs, qui ſunt Romanę Eccleſię Cardinales, & alio modo de illis, qui non ſunt in eadem dignitate conſtituti; Rurſus etiam inter ipſos Epiſcopos inuenitur inæqualitas in nobilitate ſanguinis, & in quibuſdam alijs qualitatibus, ex quarum diuerſitate, variari oportet decentis ſuſtentationis menſuram, & ſimiliter ex varijs circumſtantijs, quæ pro loco, & tempore occurrere ſolent: cæterum in hac re, quæ magnam habet latitudinem, & non eſt ſita in indiuiſibili, nonnulla dicemus, ex quibus vnuſquiſque, quamuis non mathematicè, nam hoc eſt nobis impoſſibile, moraliter tamen, plus, & minus poterit iudicium ferre de prædicta menſura.

2 Dico igitur primo, illam cenſendam eſſe congruam, & decentem vniuſcuiuſque beneficiarij ſuſtentationem, quę arbitrio prudentis pro loco, tempore, attenta qualitate beneficij, dignitate perſonæ, ſunt neceſſaria ad victum, veſtitum decentem ipſi beneficiario, ad alendam familiam comprehendentem tot ſeruos, quot ſunt neceſſarij pro qualitate perſonæ, & dignitatis; & hæc eſt regula generalis pro omnibus beneficiarijs, & communiter ſub hac vniuerſalitate à nemine contradicitur; ità *Corduba in ſuis qq. lib. 1. quaſt. 18. Molina tom. 1. de iuſt. diſp. 145. à numero 7. Caſtropalaus diſp. ſepè citata pun 5. nu. 9. Petrus de Lorca in 2. 2. diſpu. 40. ſectio 3. memb. 2. à num. 36. Sanchez in conſil. moralib. lib. 2. cap. 2. dub. 41. & alij*: & ratio eſt manifeſta; quia cum finis immediatus horũ beneficiorum ſit ſuſtētare miniſtros, vt ab ipſis fideles ſpiritualiter paſcantur, & debitus cultus Deo reddatur conſequens eſt, vt dicamus, poſſe vnumquemque beneficiarium inſumere totum illud, quod, ſpectatis omnibus, eſt neceſſarium ad ſui decentem ſuſtentationem, & cum decens, & congrua ſuſtentatio ſit menſuranda per ordinem ad qualitatem beneficij, ad dignitatem perſonæ, &c. hinc fit, vt omnia ea, quæ ſunt neceſſaria arbitrio prudentum, tali perſonæ in tali dignitate conſtitutæ exiſtimanda ſit congrua eius ſuſtentatio.

Dico ſecundo, ſub nomine congruæ ſuſtentationis comprehendi non ſolùm ea, 3
quæ requiruntur ad victum ordinarium competentem tali perſonę, ſed etiam conuiuia, modeſta tamen, & moderata, quę Epiſcopus, aut alius beneficiarius ſolet facere cum amicis, vel cum extraneis, ipſos hoſpitando ex cauſſa rationabili, & conuenienti ſecundum rationem ſtatus; & hoc non ſolùm aſſeritur à ſupradictis Authoribus, ſed etiam *à S. Thoma quodlib. 6. a. 12. ad vlt.* vbi damnans immoderata conuiuia, approbat moderata, quæ fieri ſolēt ab ipſis Eccleſiaſticis: quod autem hęc cōprehendantur ſub decente ſuſtentatione, probatur ex eo, quod tunc dicitur aliquis habere redditus ſufficientes ad congruam ſui ſuſtentationem, quando tot ſunt, quot ſufficiunt ad hoc, vt ille poſſit viuere ſecundum conditionem ſui ſtatus, & inſumere fructus in illos vſos licitos, in quos alij eiuſdem conditionis expendere ſolent; at certum eſt, eſſe conſuetum interdum in ſignum amicitię, vel gratitudinis conuiuia facere, vel alios in hoſpitium recipere; hoſpitalitas enim maximè decet Eccleſiaſticos, & præſertim Epiſcopos iuxta illud *Pauli ad Timoth. cap. 3. Oportet Epiſcopum eſſe hoſpitalem, &c. & Concilium Tridentinum ſeſ. 25. cap. 8. de reformat.* hoc ipſum commendat, ideoque debet Epiſcopus in ſui congrua ſuſtentatione includere ſumptus, qui ſunt neceſſarij ad hoſpitandos magnates, quos interdum ipſi Epiſcopi ſecundum decentiam ſtatus recipere debent.

Dico

Digitized by Google

4 Dico tertio, computandas etiam eſſe donationes, quas vocant remuneratorias; nam hæ debentur ob ſeruitia exhibita, imò, vt aiunt Molina, & Caſtropalaus, interdum obligari poſſunt Eccleſiaſtici ſub culpa veniali ad ſupradictas remuneratorias donationes faciendas, & comprehendi ſub congrua ſuſtentatione affirmant laudati Authores, & *Gabriel in 4. diſp. 15. qu. 8. a. 3. dub. 9. Angelus verb. Clericus 13. num. 2. Syluest. eod. verb. 4. quaſt. 3. Valentia 2. 2. qu. 10. quaſt. 3. pun. 7. §. Itaque poterunt:* & ratio eſt, quia perſonæ eiuſdem ſtatus decenter, & laudabiliter remunerare ſolent obſequia præſtita; proinde includi debeat in ſuſtẽtatione requiſita.

5 Dico quarto, donationes, quæ ſunt merè liberales, & omninò gratuitæ, comprehendi etiam ſub congrua ſuſtẽtatione; ità *Nauar. in apolog. quaſt. 1. monit. 82. num. 9. Molina diſp. cit. num. 10. & alij;* nam cum hæc fieri ſoleant ſecundum laudabilem, & honeſtam conſuetudinem, & ſecundum conditionem ſtatus, non debet excludi eccleſiaſtici ex hac honeſta conſuetudine.

6 Dico quinto, hæc omnia ſupradicta fieri debent cum illa moderatione, de qua *Concilium Tridentinũ ſeſ. 25. de refor. c. 1.* dum Epiſcopos admonens, ſic inquit, [*Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi non ſolum iubet, vt Epiſcopi modeſta ſupellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodq; non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præſeferat, &c.*] attuli verba Concilij in hunc finem, vt Epiſcopi, cæterique Eccleſiaſtici inſumentes fructus proprij beneficij, aduertant, conuiuia, donationes liberales, hoſpitalitates, &c. debere menſurari ſecundum decretum hoc, latum à Concilio; & quamuis ex alijs bonis patrimonialibus poſſint lautiùs viuere; dum tamen agitur de taxanda congrua eorum ſuſtentatione, ſub qua comprehendi diximus omnia ſupradicta, attendenda ſunt monita Concilij: quæ tamen proportione quadam ſunt intelligenda, vt explicabimus ſect. ſequenti.

7 Dico ſexto, ſub congrua ſuſtentatione Eccleſiaſticorum non comprehendi munera elargienda paraſitis, ſcurris, & alijs hominibus eiuſdem conditionis, nec pecunias pro ludis, qui ſtatui clericali minimè conueniunt; vide *Sotum lib. 10. quaſt. 4. a. 3. Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 8. quaſ. 2. §. Mihi itaque.*

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum in determinanda congrua ſuſtentatione habenda ſit ratio dignitatis, ſeu qualitatis ipſius beneficij?

SVMMARIVM.

Qualitas beneficij quo pacto ſit ſpectanda. 1
Quò maior eſt dignitas, eo maior taxanda erit ſuſtentatio. 2
An pro quantitate redditũm menſuranda ſit ſuſtentatio. 3

QValitas beneficij, quæ ſpectat ad præſentem materiam in duobus videtur conſiſtere: primo in gradu, qui dignitatem importat; nam beneficia non ſunt paris, ſed inæqualis dignitatis, vt eſt Canonicatus, Decanatus, Epiſcopatus, &c. ſecundo in quantitate redditũm, idcircò quod quærimus, eſt, an pro vtraque qualitate, ſeu conditione beneficij menſuranda ſit ipſius beneficiarij ſuſtentatio. 1

Dico primo, certiſſimum eſſe, quod quanto maior eſt dignitas, eo maior taxãda erit ſuſtentatio, & ità fatentur *Gonzales ad 8. reg. cancel. gloſ. 15. nu. 39. Garcia de benef. par. 11. cap. 5. nu. 310. Barboſ. de iure eccleſ. lib. 3. cap. 17. num. 20. Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 10. quaſt. 9. Filliuc. de beneſ. tract. 41. cap. 7. queſ. 4. nu. 19. Bonacina de oblig. benef. diſp. 4. punct. 2. num. 7. Molina tom. 1. de iuſt. diſp. 145. num. 7. Petrus de Lorca in 2. 2. diſpu. 40. ſec. 3. mẽbr 2. n. 38. Nauar. in apolog. n. 92. & 94. Caſtropal. trac. 6. de char. diſp. 2. p. 5. n. 9. & alij,* & ratio eſt in prõptu, & dictamini rationis manifeſta; nam canonicatum digniorem habens magis lautè viuere debet, quàm alius, qui beneficium minoris conditionis poſſidet, & ità Epiſcopatus, aut Cardinalatus aſtringit perſonam ad ſplendidiorem vitam ducendam; & ſic gradatim: & hoc videtur pertinere ad decorem ipſius dignitatis, vt de ſe patet: ergo dignitas beneficij confert ad taxandam ſuſtentationem ipſius beneficiarij. 2

Dico ſecundo, pro quantitate redditũ, quando beneficium eſt pingue, non eſſe ità certum, poſſe augeri taxam ſuſtentationis, ſed partem affirmatiuam videtur docere *Molina diſp. cit. num. 7.* vbi inter alia capita, ex quibus creſcit id, quod eſt applicandum ſuſtentationi beneficiarij, enumerat quantitatem redditũm, & hoc exiſtimo valdè rationabile, & eſſe ſecundũ mentem eorum, qui Eccleſiam dotarunt, nã donãtes in erectione beneficij, vel pro eius augmẽto magnam redditũm copiã, cenſentur voluiſſe ipſos beneficiarios poſſe 3

Digitized by Google

maiorem quantitatem ſibi applicare pro ſui ſuſtentatione; at iſte talis tenebitur etiã maiores eleemoſynas in pauperes erogare, vel in alia opera pia.

SECTIO OCTAVA.

An etiam ſit attendenda nobilitas ipſius Beneficiarij, vel eius doctrina, & diligentia in his, quæ ad ſui officium pertinent?

SVMMARIVM.

1 *Non eſſe attendendam nobilitatem perſonæ exiſtimant aliqui.*
2 *Oppoſitum defendunt alij.*
3 *Nonnulli duplicem adhibent limitationẽ.*
4 *Primam amplectitur Author: Secundam abſolute non recipit.*
5 *An ſit habenda ratio doctrinæ in ipſo Beneficiario.*
6 *Quid de extraordinaria diligentia in regendis ouibus.*
7 *Soluitur fundamẽtũ, in quo nititur Lorca.*
8 *Epiſcopatum eſſe ſtatum perfectionis non prohibet, quin attendenda ſit nobilitas perſonæ.*
9 *Paritas deſumpta ex ſtatu religioſo non probat.*
10 *Beneficia eccleſiaſtica eſſe inſtituta ad alẽdos miniſtros non tollit, quin ſit habenda ratio nobilitatis perſonæ.*

1 NOn eſſe reſpectum habẽdum ad perſonæ nobilitatem, aut doctrinã putauit *Petrus de Lorca in 2.2. diſput. 40 ſec. 3. mẽbro 2. n. 39.* idq; probat hac rõne; omnes Eccleſiaſtici inſtructi eſſe debẽt literis iuxta exigentiã dignitatum: nam Canonicus v. g. debet ſcire ea, quæ ad ſuum officium ſunt neceſſaria, & ſimiliter Parochus, Epiſcopus, &c. ergo cum literæ requirantur tanquam qualitates debitæ ad conferendũ beneficium, non videtur intuitu literarum aliquid ampliùs eſſe debitum beneficiario: ſimiliter hoc ipſum probat de nobilitate, & ideo ait; neque ſi filius Regis Epiſcopus fiat, poterit ampliorem maieſtatem, quam alius quicunque in eodem Epiſcopatu gerere; & hoc oſtendit ex eo, quod Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis, & ſanctitatis, in quo potiùs ſunt demittendi, quam fouendi fauſtus ſæculares, & nobilitas perſonæ; & ipſe beneficiarius debet potius ſubmittere humanam nobilitatem Eccleſiaſticæ modeſtiæ, eodem modo, ac ſi fieret Monachus, quàm deducere humilitatem eccleſiaſticam ad pompam ſæculi, & confirmat amplius hanc ſententiam; quia beneficia eccleſiaſtica non ſunt inſtituta ad fouendam ſæcularem nobilitatem, & pompam ei debitam; ſed ad miniſtros Eccleſiæ pro officiorum dignitate ſuſtentandos. hæc de Lorca.

Cæterum oppoſitam ſententiam defendunt communiter Doctores, eamque ſuſtinendam cenſeo cum *Molina diſp. 145. n. 16. Caſtropalao tract. 6. d. 2. p. 5. de char. n. 10. Nauar. opuſc. de redditibus, quæſt. 1. n. 92. 94. Sanchez in conſilijs lib. 2. cap. 2. dub. 41. Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 10. quæſ. 9. Barboſ. de iure Eccleſ. lib. 3. cap. 17. n. 20. Bonacina de oblig. benef. diſp. 4. p. 2. n. 7. Leſſio lib. 2. c. 34. n. 149. Petro Hurtado de eleemoſy. diff. 18. Granadó controu. 3. de charit. ſec. 3. d. 3. num. 16. & alijs.* Probari autem poteſt hæc opinio primo ex iure canonico; nam *cap. De multa de præbendis, & dignit.* Pontifex interdicens, nequis plura habeat beneficia curata, in fine illius capitis, ſic addit: (*Circa ſublimes tamen, & litteratas perſonas, quæ maioribus ſunt beneficijs honorandæ, cum ratio poſtulauerit, per ſedem Apoſtolicam poterit diſpenſari*) ex hoc quod ſtatuit Innocentius tertius Põtifex circa perſonas ſublimes, ideſt nobiles, & doctas, non obſcurè colligitur noſtra ſententia: ſi enim perſonæ, ita nobiles, &c. non poſſent plus cõuenienter quam aliæ, nõ ita qualificatæ, ſuſtẽtari, inutilis foret diſpẽſatio circa pluralitatem beneficiorum; immò potiùs nociua; nam haberent maius onus, & non poſſent plus expendere pro ſui ſuſtentatione, quàm inſumere poſſent, ſi vnum tantum haberent beneficium, & quam poſſẽt aliæ perſonæ non ita nobiles, & qualificatæ. Hoc ipſum nititur confirmare *Caſtropalao ex Conc. Trid. ſeſ. 24. de reform. c. 17.* ſed malè citat Concilium, in quo *l. c.* habemus tantùm hoc: videlicet poſſe vnũquemq; retinere aliud beneficiũ ſimplex, ſi primum non ſufficiat ad vitam honeſtè ſuſtentandam, & nihil dicit de hoc puncto; immò decretũ prohibens pluralitatem beneficiorum vult, vt comprehendat etiã Cardinales. probatur autem concluſio ratione; nam ſtatus eccleſiaſticus, niſi ſit religionis, non facit quin perſona habens beneficium ſe gerat ſecundum conditionẽ, & qualitatem nobilitatis, vt ex vſu quotidiano eſt manifeſtum, & ita videmus Epiſcopos, qui ducunt originem ex illuſtri familia, & Cardinales, qui ſunt principes, ſplẽdidiꝰ, quàm reliquos viuere, quapropter plus indigent ad ſui congruentem ſuſtentationem, quàm cæteri. Rurſus maior nobilitas ſanguinis in Epiſcopo adiuuat ad regimen Eccleſiæ; nam perſonæ illuſtres magis timentur, & plus quam cæteri honorantur; & ideo meliùs poſſunt proprias oues ab hoſtibus defendere. 2

3 Addunt tamen Doctores, *vt Nauarrus, Mo-*

Molina, Sanchez ll. cc. duplicem limitationem huic opinioni; prima enim eſt, quãdo Eccleſia indiget reparatione, & ornamentis; ſecunda eſt, ſi beneficiarius habeat ſufficientia bona patrimonialia, ex quibus viuere poſſit ſecundum decentem ſtatum ſuæ nobilitatis; tunc enim dicunt ſolùm poſſe habere congruam ſuſtentationem ſecundum qualitatem beneficij, & non ſecundum qualitatem perſonæ.

4 Sed quod attinet ad primam limitationem libenter illam admitto; nam beneficiarius tenetur ſubuenire indigentiæ ſuæ Eccleſię potiùs, quàm viuere ex fructibus beneficij ſecundum qualitatem perſonæ, vt recta ratio dictat: at loquendo de ſecunda limitatione poſſet eſſe aliqua difficultas non contemnenda; nam cum fructus beneficij cedere debeant in ſuſtentationem beneficiarij, quatenus eſt vtilis Eccleſiæ, & fidelibus, vt notant Doctores, & præſertim *Caſtropalao p. 5. cit. n.* 10. & quia beneficiarius valdè nobilis, & doctus eſt Eccleſiæ vtilior, videtur inferendum, poſſe ex fructibus beneficij aliquid plus arbitrio boni viri pro ſui congrua ſuſtentatione accipere, quantùm ſcilicet exiſtimatur illa maior vtilitas, quæ prouenit ex nobilitate, & doctrina ipſius beneficiarij, & hoc, etiam ſi ſufficiens habeat patrimonium, & cum illo ſuſtentare ſe valeat ſecundum qualitatem, & conditionem perſonæ; nam illa maior vtilitas eccleſiæ eſt digna remuneratione.

5 Probabile etiam eſt, doctrinam non in quocumque gradu; ſed quãdo eſt eximia, eſſe ſufficiens caput ad exigendam ſplendidiorem ſuſtentationem, nam licet beneficiarius, & maxime habens curam animarũ debeat eſſe ea inſtructus; quando tamen doctrina eſt in excellenti gradu confert ad melius regimen; & ideo, qui melius regit meretur maius ſtipendium.

6 Idemque aſſero de extraordinaria illa diligentia, quam Epiſcopus adhibet in regendis ſuis ouibus, ad quam non tenetur; & ita docet *Molina tom. 1. de iuſt. diſput.* 144. *nu.* 23. & apud ipſum, *Maior, Couar. & Nauar.*

Ad fundamentum autem, cui innititur
7 Lorca facilis eſt ſolutio; nam quod attinet ad inſtructionem, quæ deſideratur in Beneficiarijs, reſpondeo, nos loqui, quãdo doctrina longè excedit eam ſcientiam, quã requirunt canones in Beneficiarijs, & dicimus probabiliter, quando eſt in gradu tam excellenti, poſſe conferre ad incremẽtum portionis pro congrua ſuſtentatione, & non aſſerimus hoc de illa doctrina, quæ eſt requiſita à iuribus.

Ad id autem, quod idem author ait de
8 nobilitate; concedo Epiſcopatum eſſe ſtatum perfectionis, & ſanctitatis; at hoc nõ obſtante, quando Epiſcopus eſt ex illuſtri proſapia, nil prohibet, quin exigat pro cõditione perſonæ ſplendidiorẽ familiam, & ex hoc nõ ſequitur, quod derogetur modeſtiæ illę, quę comitari debet ſtatum Epiſcopalem, vel ſtatum alterius dignitatis, etiam inferioris; neque ex eo quod conſeruetur grauitas, & decor requiſitus pro nobilitate perſonæ, ſequitur quod præponatur humana nobilitas eccleſiaſticę modeſtiæ; nam modeſtia, & humilitas debita eccleſiaſticæ perſonæ, & decor propriæ nobilitatis non pugnant inter ſe.

Rurſus argumentum deſumptum ex ſta- 9
tu religioſo non probat; nam quando quis, quacunque nobilitate ſit ornatus, relinquit ſæculum, & ſubmittit ſe ſuaui religionis iugo, aſſumit veluti nouum ſtatum, et totaliter ſe ſpoliat fauſto ſæculari; idcirco omnis pompa ſecularis eſt abijcienda in tali ſtatu, qui eſt ſtatus humilitatis, & propriæ abiectionis; at non eſt talis ſtatus epiſcopalis, licet ſit perfectior ſtatu religioſo; eius enim perfectio non exigit, vt Prælatus non ſeruet decorem pro qualitate ſuæ natiuitatis, & proſapiæ, vt ipſe met vſus maniſeſtat.

Denique admitto beneficia eccleſiaſtica 10
non eſſe inſtituta ad fouendam ſęcularem nobilitatẽ; ſed eſſe inſtituta ad alendos miniſtros in ordine ad Dei cultum; at in alendis miniſtris dico eſſe attendendã ipſorum qualitatẽ: proinde non eſt rationabile eãdem ſuſtentationem eſſe deſignandam pro aliquo eximiæ nobilitatis, & pro homine ignobili, & plebeio: immò addo maximè redundare in decorem, & ſplendorem eccleſiaſtici ſtatus, in eo inueniri homines illuſtris proſapiæ; quapropter concedo finẽ erectionis beneficiorum, & donationum, quæ à fidelibus Eccleſiæ factæ ſunt, non eſſe primo, & per ſe applicare maiorem redditũum copiam perſonis nobilibus; ſed eſſe veluti conſequenter intentum: cum enim eriguntur beneficia, & Eccleſia varijs redditibus dotatur, vt miniſtri alantur, debet hoc inuolui, vt vnicuiq; miniſtrorũ ſint applicandi tot, vel tot redditus ſecundum congruam eorũ ſuſtentationem, ſpectatis omnibus, quæ concurrunt ad augendam congruitatem, & decentiam debitæ ſuſtentationis.

SECTIO NONA.

An ſi quis ſufficiens habeat Patrimonium, poſſit illud ſibi reſeruans, de bonis eccleſiaſticis ſe ſuſtentare.

SVMMARIVM.

Aliqui canoniſtæ partem negatiuam tuentur. 1

Alij

2 *Alij communiter affirmatiuam.*
3 *Hæc ſecunda ſententia ab Authore recipitur.*
4 *Beneficiarius inſumendo fructus patrimonij in alios vſus, poterit tantundem ex fructibus beneficij applicare.*
5 *Diluitur oppoſitum fundamentum.*
6 *Explicantur dicta Patrum.*

1 NEgarunt aliqui tum ex Canoniſtis, tum ex Theologis, vt *Decius in cap. Epiſcopus num. 6. de præben.* & ex Theologis *Adrianus in 4. tit. de reſtitut. quæſ. 32. Carthuſ. in opuſc. lib. vnico de vita Canonicorum ar. 24.* ducuntur ad hoc aſſerendum primo, quia redditus beneficiorum eccleſiaſticorum conceduntur clericis, quatenus ſunt neceſſarij, vt ex illis alantur; ergo ſi habent ſufficientia bona patrimonialia ad ſe alendos, debent fructus beneficiorum in opera pia inſumere: ſecundo, quia aliqui SS. Patres, vt Hieronymus, Proſper, & Auguſtinus manifeſtè dicunt id non eſſe licitum, & referuntur in ſacris canonibus *cap. Clericos: cap. Paſtor: cap. Si quis: 1. q. 2. & in alijs locis citatis à Barboſa de iure eccleſ. lib. 3. cap. 17. num. 26.* vbi expreſsè id ſtatuitur; & ſi contra hoc clerici faciunt, dicuntur ſacrilegium committere.

2 Cæterum communiter alij Doctores, & Canoniſtæ, & Theologi partem affirmatiuam tuentur; pro qua ſententia *Sanchez in conſil. lib. 2. cap. 2. dub. 44. numer. 5.* triginta quatuor laudat authores, & ait, quod eam opinionem innuit *S. Thomas 2. 2. quæſt. 185. ar. 7. ad tertium Caiet. ibi, Sotus lib. 10. de iuſt. quæſt. 4. art. 3. ad vltimum: Molina tom. 1. de iuſ. diſp. 145. num. 1. & alij*, quos ipſe Sanchez ibidem ſequitur, quibus addo *Barboſam lib. cit. Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 9. quæſ. 13. Caſtropalaum tract. & diſp. ſæpius cit. p. 5. num. 4. Bonacinam de oblig. benef. diſp. 4. p. 2. num. 5. & 6. Gaſparem Hurtado de eleemoſ. diſp. 5. diff. 18. Suarez tom. 3. de relig. tract. 3. lib. 4. de ſimonia cap. 46. num. 7.*

3 Dicendum eſt primo hanc ſecundam ſententiam veriſſimam eſſe. Fundamentum eſt; quia fructus horum beneficiorum dantur tanquam merces illorum obſequiorum eccleſiaſticorum; & ideo rationi conſentaneum eſt, vt qui altari inſeruit, de altari viuat; & per accidens eſt, quod iſte clericus aliunde habeat, vnde viuat; neque eſſe debet peioris conditionis in hoc, quàm ſit alius clericus non habens bona patrimonialia; nam opera illa, quæ præſtantur in Dei cultum, & in vtilitatem populorum ex ſe, ſine reſpectu ad id, quod aliunde poſſideat, vel non poſſideat clericus, ſunt digna propria mercede: ergo etiam ſi beneficiarius aliunde ſit diues, non eſt priuandus ſtipendijs, quæ illi debentur ob exercitium eccleſiaſticorum miniſteriorũ, & ob laborem, quem ponit in regendis fidelibus.

Dicendum eſt ſecundo, ſi beneficiarius inſumat in ſuam ſuſtentationem fructus bonorum patrimonialium, vel aliunde acquiſitos, diſtinctos à fructibus beneficij, poterit tantundem ſibi applicare ex fructibus beneficij, & illud donare, vel expendere, ſicuti placuerit, eo modo, quo poterat diſponere de patrimonialibus: eſt certa ſententia, quam ſequuntur authores citati pro noſtra opinione, & ſequitur clarè ex prima concluſione; nam hęc non eſt, niſi quędam compenſatio licita, & honeſta, ad quam beneficiarius ius habet: si enim poteſt ſibi reſeruare proprium patrimoniũ, & expendere fructus beneficij ad ſui congruam ſuſtentationem, vt ſupra oſtendimus, conſequens eſt, vt dicamus poſſe tuta conſcientia prędictam facere compẽſationem; nam ſemper retinet ius ad ſe alendum ex fructibus beneficij, & illa expẽſio ex bonis patrimonialibus fuit quoddam veluti mutuum, quatenus eccleſia, ſeu ille, qui habet dominium ipſius beneficij, cum obligationem habuerit ex fructibus alere ipſum beneficiarium, accepit veluti mutuo ab ipſo beneficiario, vt dominium habente ſui patrimonij, fructus illos ex ipſis bonis patrimonialibus, cum intentione illos reſarciendi ex fructibus beneficij. 4

Ad fundamentum contrarię ſententiæ deſumptum ex ratione, concedo, quod fructus beneficij ſint ad alendum beneficiarium; ſed nego amittere hoc onus, ex eo quod beneficiarius aliunde habeat patrimonium; nam onus hoc, quod eſt annexum fructibus beneficij, oritur ex eo quod miniſter ille altari inſeruit, & ideo eſt dignus mercede, & vt ex altari viuat, & per accidens, ſeu materialiter ad hoc ſe habet patrimonium, aut negatio patrimonij ſufficientis in ipſo clerico. 5

Ad authoritatem Patrum, & ſacrorum Canonum, qui videntur oppoſitum ſtatuere, varijs modis reſpondent authores, qui in noſtra ſunt ſententia: nam *Suarez lib. cit.* ait; illas non eſſe leges eccleſiaſticas; ſed illorum Patrum dicta, declarantium ea, quę decent ad ſtatum clericalem, & quamuis interdum vtantur verbis culpam ſignificantibus; vt committere ſacrilegiũ, &c. ſi clerici non ſeruent id, quod ipſi Patres docent, nihilominus ita loquuntur; quia facilè committi poſſunt peccata, ſi clerici ad ditandos conſanguineos, vel ad opera profana inſumant bona propria patri- 6

tri-

trimonialia, & viuant de bonis eccleſiaſticis; nam ex hoc ſequitur, quod magis attendant ad theſaurizandum, quàm ad ſubueniendum pauperibus. Alij vero dicunt SS. Patres citatos, & canones relatos, loqui quando pauperes ſumma aliqua egeſtate premuntur, & indigent redditibus eccleſiaſticis, vt ſe alant, tunc ſi clerici habeant aliundè, vel cum bonis patrimonij poſſunt ſufficienter ſe ſuſtentare, tenẽtur fructus beneficij in pauperes erogare. Alij denique dicunt ſermonem eſſe pro eo tempore, quo clerici in communi viuebãt; ſed expeditiùs mihi videtur dicendum canones illos non eſſe in vſu cum illo rigore, quo loquuntur.

SECTIO DECIMA.

An Beneficiarius ex fructibus, qui excedunt ſui congruam ſuſtentationem, poſſit ſoluere debita à ſe contracta.

SVMMARIVM.

1 *Prima ſententia negat.*
2 *Secunda procedit diſtinguendo.*
3 *Neutra admittitur ab Authore.*
4 *Debita contracta pro ſuſtentatione, aut cauſa pia, ſolui poſſunt ex fructibus beneficij.*
5 *Si Beneficiarius caret patrimonio, & non habet aliundè poteſt ſoluere debita ob quamcunq; cauſam contracta.*
6 *Secus ſi poſſideat patrimonium, vel habeat alia bona.*

PRoponit hanc difficultatem *Sanchez lib. 2. conſ. cap. 2. dub. 42.* varias referens ſententias.

1 Prima abſolutè, & ſimpliciter abſq; vlla limitatione negat id fieri poſſe, & ita ſentit *Archidiaconus cap. Statutum de Reſcrip. in 6.*

2 Secunda vero ſententia diſtinguit, & ait; ſi Beneficiarius debita illa contraxit pro eccleſiæ ſuæ vtilitate, aut pro ſui ſuſtentatione, poſſe ex fructibus excedentibus ſatisfacere debitis contractis, at ſi ea contraxit pro vſibus profanis, vel etiam pro alijs rebus neceſſarijs ipſi beneficiario, vt pro reparandis domibus, &c. tunc quãuis aliunde ſit impotens, nõ poſſe de fructibus prædictis ſoluere debita. Hanc ſententiam ſequitur *Angelus v. Clericus 3. n. 3. Gabriel in 4. diſt. 1. quæſt. 8. ad 3. dub. 7. Panorm. cap. Cum omnes num. 27. de teſtam. & cap. Peruenit de fideiuſ. nu. 12.*

3 Dico primo neutram ex his ſententijs mihi placere, nam prima cum abſolutè, & vniuerſaliter neget, debita illa contracta extingui poſſe cum fructibus excedentibus, videtur comprehendere debita facta in vtilitatem eccleſiæ, & ſuſtentationẽ propriam ipſius beneficiarij, hoc autem non eſt rationabile, nempe expenſas factas pro eccleſia ſolui non poſſe fructibus eiuſdem Eccleſiæ; nam ſi fur, vt notant Doctores, ſaltem in foro conſcientiæ, poteſt detrahere ex re furtiua expenſas vtiles factas; multò magis eſt hoc ipſum aſſerendum de beneficiario inſumente pecuniam pro eccleſia. Rurſus quod attinet ad debita, quæ contracta fuere pro ſui ſuſtentatione; ſi loquamur pro tempore, quo iã erat beneficiarius, res eſt certiſſima: quia tunc poterat ſibi applicare omnes fructus beneficij, qui erant neceſſarij ad congruã ſui ſuſtentationem; ac proinde cum loco horum fructuum ab alijs receperit pecuniã, poterit licitè ſoluere pro pecunia recepta, fructus beneficij, qui tempore ſolutionis excedunt ſuſtentationem competentem: at vero ſi ſermo ſit de debitis cõtractis pro tempore ante collationem beneficij, res non eſt certa, ſed infra determinabitur; dum noſtram aperiemus ſententiam.

Secunda opinio quamuis ſecundum aliquid placeat, nihilominus non eſt admittenda, ſecundum omnia, quæ dicit, vt mox fiet manifeſtum.

Dico ſecundo ſi beneficiarius contraxit 4
debita illa ad ſe ſuſtentandum, aut pro quacunque pia cauſa, poterit his omnibus ſatisfacere ex fructibus beneficij, etiam ſi præter beneficium habeat bona patrimonialia, ita *Sanchez loc. cit.* ſequens plurĩũ Canoniſtarum opinionem. Probatur autẽ concluſio; quia vel loquimur de debitis contractis pro ſui ſuſtentatione tempore quo clericus beneficium poſſidebat; & tũc dico quod poteſt ſoluere ex fructibus beneficij debita dicta; quia ſuſtentatio eſt onus annexum beneficio; vel loquimur de debitis contractis pro ſui ſuſtentatione, antequam poſſideret beneficium; & tunc dico, quod poteſt etiam ſoluere talia debita ex fructibus beneficij; ratio eſt, quia erogare pecuniã pro congrua ſuſtẽtatione alicuius eſt opus pium; ſed fructus beneficij licitè poſſunt applicari pijs operibus, ergo, &c. & idem dico de debitis contractis pro alijs pijs operibus.

Dico tertio ſi beneficiarius careat patri- 5
monio, neque habeat alia bona præter ipſum beneficium, tunc poterit debita contracta, quibuſcũque cauſſis ſoluere ex redditibus eccleſiaſticis; immò ad id tenetur: ita *Sotus lib. 10. de iuſt. quæſ. 4. ar. 3. ratione 1. concluſione 6. Nauar. in ſumma, cap. 25. num. 131. & de reddit. eccleſ. qu. 1. monit. 32. & alij,* quos laudat, & ſequitur *Sanchez loc. cit.* & ratio eſt; quia talis ele-

clericus carens bonis alijs, videtur ſe habere tanquam pauper, proinde poterit ad ſubleuandam hanc ſui neceſſitatem applicare fructus beneficij, vt creditoribus ſatisfaciat.

Dico quarto ſi habeat ſufficiens patri-
6 monium, vel poſſideat alia bona præter beneficium, & debita illa ſint contracta pro vſibus illicitis, vel profanis, non poterit ex fructibus excedentibus ſuam congruam ſuſtentationem extinguere talia debita *Sanchez loc. cit. & alij*, & ratio eſt; quia hoc perinde eſſet, ac conſumere fructus beneficij in vſus profanos, quod eſt illicitum, & ſine peccato fieri nequit.

SECTIO VNDECIMA.

Vtrum Clerici teneantur, expendere in opera pia id quod ſupereſt de quotidianis diſtributionibus, detracta ſuſtentatione congrua.

S V M M A R I V M.

1 *Stipendia, quæ dantur propter aſſiſtentiã in diuinis officijs vocantur diſtributiones.*
Affirmatiuam partem ſuſtinent aliqui.
2 *Alij negatiuam.*
3 *Et hanc opinionem admittit author.*
4 *Idem dicendum, quando fructus beneficij*
5 *in ſolis diſtributionibus conſiſtit.*
6 *Diſtributiones non ſunt partes redditũum beneficij.*
7 *Fructus beneficij nõ dantur intuitu perſonæ, ſed eccleſiæ, diſtributiones vero intuitu perſonæ.*

1 STipendia illa, quæ quotidie ſolent dari clericis, eo quod aſſiſtant diuinis officijs, & partiuntur ſingulis, in iure appellantur diſtributiones, de quibus eſt ſermo, *cap. Licet de præben. & cap. De cætero de Cleri: non reſid. & cap. Conſuetudinem eodem tit. in 6.* vbi etiam vocantur manualia beneficia, ſeu victualia: & de his quærimus, an detracto eo, quod requiritur ad decentem Beneficiarij ſuſtentationem, reliquum erogandum ſit in opera pia, ſicuti diximus de fructibus, ſeu de redditibus annuis.

2 Aliqui partem affirmatiuam tuentur, *Sarmen. par. 3. de reddit. eccleſ. cap. 5. n. 6. Nauar. ſimiliter de reddit. quæſ. 1. monit. 30.* Sanchez *lib. 2. conſ cap. 2. dub. 46. Vaſq. de beneſ. cap. 1. §. 3. dub. 5.*

At alij negãt diſtributionibus quotidia-
3 nis annexum eſſe tale onus, ita *Angelus v. Clericus 13. num. 3. Palatius v. Beneficium nam. vltimo. Syluest. v. Clericus 4. quæſt. 4. Couar. cap. Cum in officijs de teſtam. num. 4. Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 9. quæſ. 10. & lib. 8. cap. 3. quæſ. 9. Moneta de diſtribut. par. 3. quæſ. 1. num. 18. Barboſ. de iure eccleſ. lib. 3. cap. 17. num. 31. & cap. 18. nu. 34. Bartholomeus à S. Fauſto de boris canonicis lib. 3. quæſ. 118. Filiucius tract. 43. cap. 3. quæſ. 10. & alij quamplures canoniſtæ apud ipſos.*

Dico primo hanc ſecundam ſententiam 4
eſſe probabiliorem, ducor, quia diſtributiones iſtæ conceduntur clericis ob miniſteria illa eccleſiaſtica, tanquam ſtipendia, & merces illorum miniſteriorum; proinde vt aiunt hi Doctores, ad libitum poſſunt de his diſtributionibus diſponere, in quoſcunque voluerint vſus, ad eum ſere modũ, quo poſſunt diſponere de bonis patrimonialibus, & quaſi patrimonialibus: nam hæ diſtributiones enumerantur inter bona quaſi patrimonialia, quæ ſecundum communiorem, & longe probabiliorem opinionem non ſubijciuntur tali oneri, vt ſuppoſuimus initio huius tractatus.

Dico ſecundo quando beneficium nul-
los alios habet fructus; ſed ſolum quoti- 5
dianas diſtributiones, idem eſſe dicendũ, aſſerit *Azor cap. 9. cit. quæſ. 10. in Syluest. & alij*; & ratio eſt; quia ſemper illas acquirit tanquam ſtipendium laboris.

Obijcies primo diſtributiones ſunt pars
redditũum beneficij; nam vt ait *Sanchez* 6
lib. cit. prædicti redditus diuiduntur in duas partes æquarum vna Groſſa nuncupatur, & datur clericis titulo beneficij; altera vero confertur aſſiſtentibus in choro, dum celebrantur diuina officia, & hęc vocatur diſtributio quotidiana: ergo cum omnes redditus beneficij habeant annexã prædictam obligationem, videlicet vt ſuperfluum erogetur in pauperes, ſequitur etiam teneri clericos ſuperfluum diſtributionum in opera pia expendere.

Reſpondeo negando omnino antecedẽs; nam quotidianæ diſtributiones, per ſe loquendo, non veniunt ſub nomine redditũũ beneficij, vt bene probat *Azor lib. 7. cit. cap. 7. quæſ. 2. Santarellus tract. var. reſol. quæſ. 6. Barboſa cap. 18. cit. à num. 8. & alij*: attamen non nego aliquando diſtributiones comprehendi ſub nomine redditũum beneficij: videlicet dum beneficiũ non habet alios prouentus præter diſtributiones ipſas, vel quando Pontifex certior fieri debet de valore, & æſtimatione beneficij, & tunc, vt notat idem *Barboſa num. 11. ex Puteano, & Moneta*, large fructus appellantur.

Obijcies ſecundo etiam fructus beneficij 7
dantur propter laborem; nam, vt dici ſolet, beneficium eſt propter officium, & Epiſcopalis dignitas maiorem poſtulat laborem; & tamen Epiſcopus non eſt à tali

obli-

obligatione exceptus: hæc, & quædam alia ad idem tendentia objicit Pater Sanchez.

Reſpondeo negando paritatem inter fructus beneficij, & diſtributiones; nam illi non dantur intuitu perſonæ; ſed eccleſiæ, & in titulum: hæ vero dantur intuitu perſonæ vt operantis, & per modum ſtipendij; ſicuti ſimilia ſtipendia dantur habenti curam pulſandi organa, campanas, &c.

SECTIO DVODECIMA.

An pœnę pecuniaria ab Epiſcopo impoſita, & exacta debeant pijs operibus applicari, & quid de Sportulis.

S V M M A R I V M.

1 *Aliqui cenſuerunt poſſe Epiſcopum has pœnas ſibi applicare.*

2 *In eleemoſynas eſſe erogandas putat Author cum aliis.*

3 *Sportula non ſunt huic oneri ſubiecta.*

1 QVod attinet ad pœnas, ſeu mulctas, exiſtimant *Aloyſius Riccius in praxi aurea deciſ.* 387. *num.* 2. *Zerola in praxi Epiſcopali par.* 1. *ver.* Compoſitio, §. 2. *& ver. Pœna*, §. 6. *Barboſa de offic. & poteſt. Epiſ. par.* 3. *alleg.* 107. *num.* 18. poſſe Epiſcopos indicere pœnas pecuniarias, eaſque ſibi, vel cameræ ſuæ applicare, & pro hac ſententia citat idem Barboſ. quamplures canoniſtas, & iuriſtas; ex qua opinione videtur, ſequi Epiſcopos non habere onus applicādi has pœnas pijs operibus, quamuis ipſe Barboſa *num. ſequenti* 19. addat, honeſtius eſſe ad effugiendam auaritiæ ſuſpicionem, vt Epiſcopus has pœnas non ſibi retineat, & in propriam conuertat vtilitatem; ſed in pios vſus erogeт.

2 Ceterum in hac opinione mihi magnam faciunt difficultatem verba *Concil. Trid. ſeſ.* 25. *de reform. cap.* 3. quod Concilium etiam citatur à Barboſa; cum enim admonet Epiſcopos, alioſque eccleſiaſticos iudices, cuiuſcunque exiſtant dignitatis, vt abſtineant in procedendo, & definiendo à cenſuris eccleſiaſticis imponendis, quandocumque executio realis, vel perſonalis in qualibet iudicij parte ab ipſis propria authoritate fieri poterit, addit: (*Sed liceat eis ſi expedire videbitur in cauſis ciuilibus ad forum eccleſiaſticum quomodocunque pertinentibus contra quoſcunque etiam laicos per mulctas pecuniarias, quę locis piis ibi exiſtentibus eo ipſo, quod exactæ fuerint, aſſignentur, &c.*) cum igitur habeamus tam apertum teſtimonium Concilij circa applicationem harum pœnarum, non video, qua ratione, oppoſitum in dubium reuocari valeat; idcirco cenſeo has pœnas in eleemoſynas, aliaque pia opera eſſe erogandas; & ita tenent multi, inter quos eſt *Stephanus Quaranta in ſumma bullarii ver. pœna pecuniaria*: & alij apud eumdem *Barboſam loc. cit.* qui ex Molfeſio, Riccio addit fuiſſe declaratum per Sacram Congregationem, quod quando Epiſcopus eſt valde pauper poſſit tales pœnas ſibi applicare.

3 Circa aliam partem quæſiti; nempè circà Sportulas, quæ ſecundum vſum receptum à iuriſtis ſignificant partem illam pecuniæ, quæ dari ſolet iudicibus ob viſionem ſcripturarum, ſubſcriptionem, &c. circa hanc partem, inquam, cenſeo pecunias iſtas, quæ ratione officij ab Epiſcopo exiguntur, non eſſe ſubiectas prędicto oneri; ita vt debeat Epiſcopus illas erogare in opera pia; ſed ſe habere eo modo, quo ſe habent bona quaſi patrimonialia, quæ propria induſtria, & labore acquiruntur, etiā ſi acquirantur intuitu alicuius officij, & miniſterij eccleſiaſtici, vt ſupra loquuti ſumus de bonis, quæ dantur ratione concionis, celebrationis, &c. & in noſtra ſententia eo modo ſe habent, quo diſtributiones, quas vt oſtendimus cap. præcedente liberū eſt clericis expendere eo modo, quo libuerit: hanc ſententiam docet Azor. *tom.* 2 *lib.* 8 *cap.* 3. *quæſ.* 10. & laudat *Rodoanū de ſpol. eccleſ. quæſ.* 8. *num.* 15. apud quē conſentiunt Abbas, Ancharan. *Imola, Butrius, & alii*, qui dicunt mortuo Beneficiario, bona acquiſita ratione muneris, & officij pertinere ad hæredes ipſius beneficiarij, & non enumerari inter ſpolia, ſi beneficiarius ab inteſtato moreretur, & non eſſe fructus beneficij: probatur autem hoc ratione; quia pecuniæ iſtæ dantur tanquā ſtipendium, & merces laboris; proinde liberè, & ſine vllo onere lucrantur eas beneficiarij.

SECTIO DECIMATERTIA.

An Penſionarius circa ſuperfluum Penſionis habeat eamdem obligationem, quam habent Beneficiarii circa fructus ſuperfluos beneficii.

S V M M A R I V M.

Penſio eſt in multiplici differentia, & declaratur. 1

Prima opinio affirmat. 2

Secunda negat. 3

Alii diſtinctione vtuntur. 4

Author ſecundam recipit opinionem. 5

PEnſio, quæ eſt quędam portio fructuum beneficij eccleſiaſtici data alicui, vt 1

Cc cum

cum ipſa ſuſtentetur, vel alia cauſſa rationabili, eſt in multiplici differentia: nam quædam eſt omnino temporalis, quæ laicis confertur titulo merè temporali; vt ſi detur cauſſa belli, vel ad defendendam Eccleſiam, theſaurario, ſacriſtæ, pulſatori cãpanarum; vel pro aliquo munere temporali detur Principibus, vel militibus, &c. alia eſt, quæ datur titulo clericali in ordine ad aliquod munus ſpirituale, vt cauſa reſignationis beneficij, vel permutationis, vel pro concionibus, vel vt aliquis ſit adiutor Epiſcopi, Parochi, &c. quatenus ob ſenectutem, vel infirmitatem nequeunt exercere proprium munus. his poſitis, quærimus, an Penſionarius ſuperfluum, quod lucratur ex penſione, teneatur, ſicuti beneficiarius, in eleemoſynas, & pia opera erogare.

2 Duæ ſunt ſententiæ: prima tenet partẽ affirmatiuam; nam in hoc penſiones ſunt æquiparandæ beneficijs, & cum fructus beneficiorum, ex quibus extracta eſt penſio, tale onus annexum habeant, ſequitur, vt pars eorumdem fructuum cum eodem onere tranſeat; & in hac opinione eſt *Nauar. de reddit. eccleſ quæſ.* 1. *monit.* 32. *n.* 2. 3. *& de ſpol.* §. 8. *num.* 8. *Rodoan. de ſpol. eccleſ. quæſ.* 3. *num.* 12. *& de rebus eccleſ. rubr.* 33. *quæſ.* 1. *Garçia de benef. p.* 1. *cap.* 5. *num. ibi*, *Filiucius trac.* 43. *cap.* 4. *quæſ.* 12. *& alii*.

3 Secunda opinio negat, & defendit eam *Gigas de penſ. quæſ.* 52. *num.* 2. *Couarr. cap. Cum in officiis num.* 6. *Menochius de arbitr. caſu* 172. *num.* 12. *Zerola in praxi Epiſ. ver. Penſionarius* §. 25. *Azor. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 9. *quæſ.* 12. *& lib.* 8. *cap.* 12. *quæſ.* 4. *&* 5. *& alii*. *Vaſquez de eleemoſyna cap.* 4. *dub. vlt. num.* 22. & in ea videtur eſſe *Gaſpar Hurtado difficultate illa* 18. *ſuperius citata*.

4 Alij diſtinguentes, aiunt, ſi penſiones ſint eccleſiaſticæ, ſeu datæ titulo clericali teneri penſionarium, ſicuti, & beneficiarium, id, quod excedit ſui ſuſtentationem decentem, erogare in opera pia, at non habere talem obligationem, ſi penſiones ſint ſæculares; ſeu datæ titulo ſæculari: ita *Molina tom.* 1. *de iuſtitia diſp.* 145. §. *Ex eadem bulla*, *Sanchez in conſil. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 47. *Sotus lib.* 10. *de iuſtitia quæſ.* 4. *ar.* 3. *ver. Per hęc rurſum*: *Caſtropalao trac.* 6. *de char. diſp.* 2. *p.* 7. *Barboſa de iure eccleſ. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 33. & citat aliquos.

5 Dicendum eſt cum hac vltima ſentẽtia, quę mihi videtur cæteris probabilior, cuius ſecũda pars ſuadetur: nam dum pars fructuum extrahitur à reliquis, & applicatur laicis titulo ſæculari, non enumeratur ampliùs inter bona eccleſiaſtica; ſed eſſe ſtatuta eſt omnino profana; ac proinde penſionarius non habebit aliam obligationem maiorem ea, quam habent alij ſæculares: prima autem pars prob. nam penſio data titulo Eccleſiaſtico, & cum onere adiecto alicuius officij eccleſiaſtici, vel eſt beneficium; vt multi ſentiunt; & controuertitur inter Doctores, qui agunt de penſionibus; vel ſaltem naturam beneficij participat quantum ad hanc obligationem; quoniam computatur inter bona eccleſiaſtica, & maximè quando datur ad componendam litẽ inter eos, qui litigant circa idem beneficium, vel conceditur intuitu reſignationis beneficij, aut permutationis; tunc enim non datur, vt ſtipendium; ſed in ordine ad aliquam piam cauſſam. Argumenta autem aliarum ſententiarum, vel probant primam, vel ſecundam partem noſtræ ſententiæ.

SECTIO DECIMAQVARTA.

An Beneficiarius, ſi, parcè viuendo, ſubtrahat aliquid ex ijs, quæ ſibi pro congrua ſuſtentatione debentur, teneatur illud erogare in opera pia, an vero poſſit de eo ad ſui libitum diſponere.

SVMMARIVM.

Declaratur quæſtio. 1

Aliqui putant totum quod parcè viuens detrahit, eſſe in eleemoſynas erogandum. 2

Alij negant ad id teneri ex natura rei, ſed teneri decreto Tridentini. 3

Sed alij etiam poſt Tridentinum eximunt Epiſcopum tali onere ſi in vſus licitos id conſumat. 4

Alij vero abſolutè ſine limitatione id concedunt in ordine ad quoſcunque vſus. 5

Et hanc ſententiam amplectitur author. 6

Diluuntur argumenta oppoſita. 7

Ad argumentum ex Tridentino remiſſiuè reſpondetur. 8

1 POnamus caſum: ſit Epiſcopus, qui penſatis omnibus arbitrio boni viri ad ſui congruam ſuſtentationem e. c. ſex mille aureis, ſingulis egeat quibuſque annis; at ipſe parcè viuens, ex illis ſolùm inſumat quatuor: quæritur, an reliqui duo mille ſint liberi ab omni onere; ita vt Epiſcopus poſſit in quoſcunque vſus illos erogare; an vero teneatur illos in eleemoſynam pauperibus diſtribuere, vel in alia pia opera expendere.

2 Prima opinio aſſerit, ꝙ totũ illud, quod Epiſcopus, (& idem aſſero de alijs beneficiarijs) parcè viuens, ſubtrahit, tenetur pauperibus diſtribuere, vel in opera pia erogare: pro hac ſententia Sanchez loco

in-

iuſta citando affert *Panor. cap. Cum omnes num. 27. de teſtam.* & probari poteſt; quia quantitas illa, quæ ſupereſt ex parſimonia, quam Epiſcopus moderatè viuendo, adhibuit, ſe habet vt quid ſuperfluum: ergo tenetur illã erogare in opera pia; ſicuti ſupra diximus de ſuperfluo ſupra congruam ſuſtentationem.

3 Aliqui vero, quos ſuppreſſo nomine citat *Molina tom. 2. diſp. 146. num. 2.* aiunt; ex natura rei poſſe Epiſcopum, quod ſubtrahit, conuertere in quoſcunque vſus etiã non pios, licitos tamen; at poſt Concilium Tridentinum id non licere: nam *Concil. ſeſſ. 25. de refor. cap. 1.* expreſsè interdicit, ne conſanguineos, & familiares ditet ex redditibus eccleſiaſticis: ſed ſolum permittit, vt illis, ſi pauperes ſint, tanquam pauperibus ſubueniat; & poſtea extendit hoc decretum ad quoſcũque beneficiarios, etiam ſi fuerint S. R. E. Cardinales; ex eo autem quod Concilium prohibeat has donationes faciendas conſanguineis, aut familiaribus, non ſequitur, poſſe fieri alijs, qui non ſunt conſanguinei, aut familiares, præſcindendo à titulo paupertatis; ſed ex illis verbis voluit Concilium exemplificare prohibitionem in conſanguineis, & familiaribus; quia periculum errandi in hac materia maximè eſt circa tales perſonas; & ideo ſi interdicit donationes ex redditibus eccleſiaſticis fieri huic perſonarum generi, ad quod natura rationalis ob pietatem, & gratitudinem magis inclinat, potiori ratione videtur, eſſe eadem prohibitio reſpectu aliarum perſonarum extranearum, niſi ſint pauperes.

4 Demum eſt alia ſententia, quæ abſolutè etiam poſt Tridentinum admittit poſſe ab Epiſcopis totum id, quod corradũt ex ſua ſuſtentatione, inſumere in quoſcumque vſus licitos, quamuis non pios.

5 At alij etiam poſt Concilium Tridentinum ſcribentes, abſolutè concedunt, id, quod Epiſcopus parcius viuens ex ſua ſuſtentatione detrahit, poſſe ad ſui libitum expendere ad quoſcunque vſus, ſiue licitos, ſiue illicitos, aut ſuperfluos, ita *Conar. cap. Cum in offic. num. 2. de teſtam. Molina iuriſconſultus lib. 2. de primog. cap. 10. num. 50. Maior in 4. diſp. 24. qu. 17. Azor tom. 2. lib. 7. cap. 9. quæſ. 5. Molina Theologus tom. 1. de iuſt. diſp. 145. Sanchez in ſum. tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 14. & in conſil. lib. 2. cap. 2. dub. 43. Gaſpar Hurtado de charitate diſp. 5. diff. 18. §. Ad congruam Granado controuer. 3. de charit. ſec. 3. num. 17. Petrus Hurtado eodem tit. diſput. 160. ſec. 7. ſubſec. 7. Bartholomæus à S. Fauſto de horis canonicis lib. 3. quæſ. 104. Valerus de diff. utriuſque fori, ver. Munera, diff. 1. num. 14. Barb. de iure eccleſ. lib. 3. cap. 17. nu. 20. & alij.*

6 Dicendum eſt cum hac vltima ſententia, quæ eſt mitior, & rationi conuenientior; probatur autem; quia pars illa, quæ data eſt Epiſcopo ad ſui ſuſtentationem, ſe habet ſicuti alimenta, quę dantur v. g. filijs à patre ſecundum decentiam ſtatus; ſi autem filij aliquid ex alimentis corradant parcè viuentes, certum eſt, poſſe de illo ad quemcunque vſum diſponere. Quod autem pars Epiſcopo aſſignata, ſit tanquã alimenta, patet; nam datur, vt ex illa ſe alat, & vt notat Azor. quod ex competẽte ſuſtentatione ſubtrahitur, cenſetur veluti aliquid ex induſtria ipſius Epiſcopi acquiſitum, de quo habet pleniſſimum ius diſponendi inter viuos, dico inter viuos: nã de illo in morte, aut ægritudine teſtari nõ poteſt, vt notat *Azor. lib. cit.* nam vbi nõ eſt conſuetudo legitima, & rationabilis, aut licentia Pontificis teſtandi, currit prohibitio non teſtandi data per ſacros canones, quos refert *ibi Azor.* proinde non poterit de his fructibus beneficiarius in morte teſtari.

7 Ad fundamentum primæ ſententiæ negandum eſt, quantitatem, quæ reſultat ex parſimonia, quam adhibet Epiſcopus ſe ſuſtentando, eſſe quid ſuperfluum; ſicuti ſi quis ſecundum ſuam complexionem indigeret v. g. tanto alimento, & ipſe parcius comederet, nemo eſt, qui dicat, illud, quod requirebatur ad neceſſarium nutrimentum pertingendum, eſſe quid ſuperfluum: ita, & in caſu noſtro; nam indigens Epiſcopus ſex mille aureis ad ſui cõpetentem ſuſtentationem, ſi detrahat duo millia aureorũ, nõ rectè dicerentur hęc duo millia aureorum ſuperabundantia ad ſuſtentationem Epiſcopi.

8 Demum ad authoritatem Concilij Tridentini, in qua ſe fundant authores ſententiæ ſecundo loco relatæ, commodius reſpondebimus ſec. ſequenti.

SECTIO DECIMAQVINTA.

Quouſque ſe extendat facultas Epiſcoporum circa donationes faciendas conſanguineis, familiaribus, &c. ex redditibus eccleſiaſticis.

SVMMARIVM.

In diſpoſitione bonorum eccleſiaſticorum id quod ad donationes pertinet difficile eſt determinare. 1

Licitum eſt donare cõſanguineis pauperibus. 2

An conſaguineo infimæ conditionis poſſit donatio fieri attendendo eius condi- 3

tionem, vel ſtatum Epiſcopi.
4 *Deciditur quæſtio.*
5 *Quæ Epiſcopus ex congrua ſuſtentatione detrahit poſſunt ab Epiſcopo inſumi ſicut patrimonialia.*
6 *Obiectio ex Tridentino ſoluitur.*
7 *Refertur expoſitio Molinæ.*
8 *Satisfit argumento ex S. Thoma.*

1 IN diſponendis bonis eccleſiaſticis, nihil difficilius, nihil periculoſius inuenitur, eo quod pertinet ad donationes, quas Epiſcopi, cæterique beneficiarij facere ſolent ſuis conſanguineis; nam cum affectus, qui oritur ex coniunctione ſanguinis, ſit vehemens, & appetitus augendi propriam familiam, eamque nobilitandi, valde moueat animum ad prædictas donationes, meritò diximus, nihil difficilius, & periculoſius eſſe in hac materia, quam cohibere appetitum hunc, illumque intra limites rationis detinere: verumtamen ne graue onus beneficiarijs videamur imponere, opiniones mitiores, quantum moralis probabilitas ſuſtinet, eligemus, & per ſubſequentes concluſiones declarabimus.

2 Dico igitur primo, quod certũ eſt, licitũ eſſe conſanguineis, qui pauperes ſunt per modum eleemoſynæ ea conferre; quę ſũt neceſſaria ad eorum ſtatum iuxtà qualitatem perſonarum conuenientem: hanc cõcluſionem omnes, quos ego videre potui: ſine controuerſia admittunt; & colligitur aperte *ex Triden. ſeſ. 25. cap. 1. cit. de reformatione*, vbi interdicens ipſum Concilium Epiſcopis, alijſque Beneficiarijs, ne augere ſtudeant ex redditibus eccleſiaſticis conſanguineos, familiareſue ſuos, ſtatim immediatè limitat, hanc prohibitionem ſubdens; *Sed ſi pauperes ſint, ijs, vt pauperibus diſtribuantur, &c.* ex his verbis Concilij habemus duo, quæ faciunt ad probationem noſtræ concluſionis, vnum explicitè, aliud verò implicitè; explicitè admonemur, poſſe Beneficiarios conferre aliquid ſuis conſanguineis titulo paupertatis; implicitè autem habemus id; quod ponitur in noſtra concluſione, videlicet eiſdem conſanguineis conferri poſſe totum id, quod requiritur ad eorum decentem ſtatum. Quod oſtendo: nam nomine pauperum non ſolum veniunt ij, qui oſtiatim mendicant victum: ſed omnes, qui carent rebus illis, quæ ſunt neceſſaria ad eorum decentem ſtatum, vt communiter docent Doctores: *Nauar. in ſum cap. 17. numer. 93. & in apologia de redditibus quæſt. 1. monit. 28. num. 1. monit. 77. num. 4. Molina tom. 3. de iuſt. diſp. 746. Reginal. lib. 10. n. 197. Leſ. de iuſt. lib. 2. & 14. n. 14. Azor. tom. 3. lib. 4. cap. 26. quæſ. 3. Graſſias in deciſ. aureis, par. 1. lib. 2. cap. 100. num. 4. Barboſa de iure eccleſ. lib. 3. cap. 17. num. 23.* qui ex Graſſio ait; quod ſi homo genere illuſtris, vel eminentis ſcientiæ habeat victum ſuum, ſed iuxtà decentiam ſuæ conditionis careat indumentis, famulorumque comitatu cum decore ſui ſtatus, iſte talis deberet dici mendicus: ergo cum Concilium concedat poſſe ex redditibus eccleſiaſticis conferri cõſanguineis id, quod requiritur ad ſubleuandam eorũ neceſſitatem titulo paupertatis, iure optimo aſſerimus, cum communi ſententia, poſſe Epiſcopos illis erogare quantum poſtulatur, ad eos in decenti, & conuenienti ſtatu collocandos, & de hoc nullam cenſeo eſſe poſſe difficultatem. attamen dubitatio eſt, an ſi parentes Epiſcopi ſint infimę conditionis, poſſit Epiſcopus illis erogare ſolùm ea, quę requiruntur, vt in eorum ſtatu viuant; an vero poſſit eiſdem dare iuxta ſtatum ipſius Epiſcopi.

Ad hanc dubitationem reſpondent aliqui poſſe Epiſcopum talibus conſanguineis ſolùm dare id, quod eſt neceſſarium, vt ſecundum eorum ſtatum viuant: ita *Maior in 4. diſp. 24. quæſ. 19.* & apud Sanchez loco infra citando, *Abulenſ. Gregorius, Lopez, & quidam alij*. mouentur ad hoc aſſerendum; quia eleemoſyna ſolùm reſpicit indigentiã illius, cui erogatur; non autẽ habet rationem eleemosynæ, ſi tantum datur, vt conſtituat donatarium in ſtatu altiori, v. g. ſi erat vir plebeius, & detur illi tanta pecuniarum ſumma, vt fiat Baro, Comes, &c. Sed quia ex Concilio Triden. Epiſcopis, &c. ſolùm permittitur, vt conſanguineis detur titulo paupertatis, ſeu eleemosynę; idcirco nequeunt Epiſcopi dare conſanguineis ſupra indigentiam eorum ſtatus. 3

Cæterum alij Doctores oppoſitum ſentiunt, & aiunt: poſſe Epiſcopos conſanguineis donare ex redditibus Eccleſiaſticis totum illud, quod requiritur, vt viuant ſecundum altiorem ſtatum. ita *Nauar. de reddit. quæſ. 1. monit. 77. & in ſumma cap. 25. num. 127. Sanchez in conſil. lib. 2. cap. 2. dub. 38. num. 8. & 9. Molina tom. 1. de iuſt. diſp. 146. §. Dubium eſt.* Ratio huius ſententiæ eſſe poteſt iſta, nam ex eo quod Epiſcopus ob Epiſcopalem dignitatem, euectus ſit ad nobiliorem ſtatum, hæc maior dignitas quodammodo videtur redundare in cognatos, ipſius Epiſcopi; ac proinde videtur eius cõſãguinei indigere eleuatione ad ſtatũ nobiliorẽ eo, quẽ habebant antequam filius, frater, &c. promotus fuerit ad Epiſcopalem dignitatem, & per conſequens pecuniæ, quæ dantur, vt in talem altiorem ſtatum promoueantur, videntur neceſſariæ ad congruam ipſorum conſanguineorum ſuſtentationem.

Di-

Digitized by Google

4 Dico igitur ſecundò hanc ſecundam opinionem cum aliqua declaratione, & limitatione eſſe admittendam; quapropter aio; quod conſanguinei iſti, de quibus aſſeruimus, poſſe promoueri ad altiorem ſtatum, debent eſſe in tali ſtatu, vt ex eo cenſeatur, hominum exiſtimatione, cauſari dedecus, & pudorem in Epiſcopo; & tales iuuari debent parentes; vel ſi habeat filios legitimos, aut ſpurios, fratres, ſorores, vel denique conſobrinos ex fratribus, & ſororibus; reſpectu autem horum amplectendam puto eſſe hanc ſententiam; nã prædicti conſanguinei cum ſint in ſtricto gradu coniũncti cum Epiſcopo, ſi remanerent in illo ſtatu infimo, in quo reperiebãtur, videretur ſors infimæ conditionis redundare in ignominiam Epiſcopi: idcirco prouehendi ſunt ad ſtatum aliquantulum ſublimiorem. Rurſus dico, quod promotio iſta non debet eſſe immoderata, & nimia, & quantum Epiſcopi, ob inordinatũ affectum, licere ſibi præſumant; ſed arbitrio prudentum, quantum ſufficit, vt ſtatus ille, ad quem fit promotio, tollat omne dedecus reſpectu Epiſcopi, vt rectè notauit *Syluius in 2. 2. quæſ.* 185. *art.* 7. §. *Sed quæri poteſt*; & hoc non eſt expendere ad ſuperfluitatem; ſed ſupplere defectum parentum, & conſanguineorum; ita vt non cauſet dedecus in Epiſcopo; aliter ſi excederet, non eſſet amplius iſta promotio opus pium; ſed profanum, & non poſſet Epiſcopus recta conſcientia ex ſuperfluo ſuæ congruæ ſuſtentationis contra præceptum Concilij Tridentini ditare cõſanguineos.

5 Dico tertiò, ea omnia, quæ Epiſcopus detrahit ex ſua congrua ſuſtentatione, de quibus ſuperiùs affirmauimus eſſe ſub eius libera voluntate, ſicuti bona patrimonialia, vel quaſi patrimonialia, poſſe conſãguineis donare, vel pro illis inſtituere maioratum, aut aliquam primogenituram, vt aſſerit *Nauar. de reddit. quæſ.* 1. *monit.* 29. *Molina iuriſconſultus lib.* 2. *de primog. cit.* & videtur docere *Molina noſter diſp.* 146. *initio*, & idem tenentur affirmare omnes, qui dicunt; poſſe Epiſcopum ad ſui libitum, & in quoſcunque vſus, ea, quæ ſubtrahit, quibuſcunque perſonis expendere; nam, vt *ſect.* 14. antecedente probauimus, ea, quæ Epiſcopus ſubtrahit de ſua ſuſtentatione, ſunt fructus veluti induſtriales, & ſe habent ſicuti bona quaſi patrimonialia, de quibus ad libitum poſſunt Epiſcopi diſponere: igitur poſſunt ea applicare conſanguineis; non enim videtur ratio cur potius in vſus alios profanos ea inſumere valeant, & alios ex illis ditare; non autem conſanguineos, quibus ratione pietatis magis tenentur: debent tamen in hoc cautè procedere, ne ſit ſcandalum, quod debet omnino vitari, & tunc cauebitur cum ſubditi, vt inquit *Sotus ar.* 3 *illius quartæ quæſtionis*, agnoſcent, ab Epiſcopo largas fieri eleemoſynas, & quod donat conſanguineis, eſſe illud, quod ex propria ſuſtentatione ſubtrahit; & ne occurrant neceſſitates adeò graues pauperum, & Eccleſiæ, vt ordinata charitas hìc, & nunc præſcribat, eſſe quantitatem, vel partem illius applicandam vrgentibus neceſſitatibus, vt ſi eſſet peſtis, fames, &c. quo tempore pauperes ſolent grauiſſima pati incommoda, vel ſi Eccleſia minaretur ruinam, aut quid ſimile; in quibus caſibus, ſi alio medio non poſſet Epiſcopus ſuccurrere his neceſſitatibus, non ſolum deberet erogare redditus eccleſiaſticos; verum etiam interdum teneretur, ex proprio patrimonio aliquid inſumere ad prædictas neceſſitates ſubleuandas.

6 Sed contra hanc concluſionem argumẽtũ fieri poteſt ex authoritate Concilij Tridentini loco ſuperius citato; nam vt vidimus; Prohibet, ne beneficiarij ex Eccleſiaſticis redditibus ſtudeant augere ſtatum conſanguineorum, &c. & *ex S. Tho.* 2. 2. *quæſt.* 185. *ar.* 7. *ad* 2. vbi loquens de eo, quod Epiſcopi ex propria ſuſtentatione detrahunt, ſic inquit, (*Si de eo, quod vſui Epiſcopi, vel alicuius clerici eſt deputatũ, velit aliquid ſibi ſubtrahere, & conſanguineis, vel alijs dare, non peccat, dummodo illud faciat moderatè, ideſt vt non indigeant; non autem vt ditiores inde fiant*) hæc ex S. Tho. cuius verba videntur directè pugnare contra noſtram ſententiam.

Reſpondeo primo ad authoritatem deſumptam ex Concilio, ad quam noſter *Molina diſp.* 146. *num.* 3. hanc dat interpretationem, videlicet: Concilium prohibere ſolum cupiditatem augendi conſanguineos, & familiares de redditibus eccleſiaſticis; cupiditas verò ſignificatur per particulam appoſitam á dicto Concilio, cum inquit: ſtudium augendi, &c. ſtudium autem importat cupiditatem inordinatam, quæ eſt mala: rurſus ait; Concilium non loqui tantùm de fructibus beneficiorum; ſed etiam de beneficijs ipſis, vt patet cõſideranti verba, quæ ſequuntur in eodem cap. quæ quidem verba mihi videntur eſſe illa; videlicet (*Cum, & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, ijs, vt pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſſa, &c.*) diſtractio autem, propriè loquendo, verſatur circa immobilia, qualia ſunt beneficia Eccleſiaſtica, quæ ab Epiſcopis conferri poſſunt; vetat autẽ

Con-

Concilium ne Epiſcopi nimia cupiditate erga conſanguineos ducti, diſſipent res immobiles eccleſiæ.

7 Demum idem Molina addit aliam expoſitionem ex Nauarro, ſcilicet id, quod beneficiarius, parcè viuendo, de ſua competente ſuſtentatione reſeruat, non habere rationem fructuum beneficii; ſed habere rationem bonorum propria induſtria acquiſitorum, quæ ſicuti alia potrimonialia ad ſuilibitum expendere poteſt: proinde non comprehenditur ſub illis bonis, de quibus eſt ſermo in eo decreto Concilij. Hæ interpretationes, quas dat Molina, nō ſunt contemnendæ, & præſertim hæc vltima; ſed addo Concilium prohibere, ne ex fructibus omnibus, inter quos continentur ij, qui excedunt congruam ſuſtentationem, Epiſcopus augeat conſanguineos, & familiares; ſed circa illos ſe habeat vt pater pauperum, videlicet, ſuccurrat eorum neceſſitatibus, quantum par eſt; at non prohibere, vt ea, quæ ex propria ſuſtentatione Epiſcopus ſubtrahit, donet conſanguineis: non enim in eo decreto Concilium loquitur attendens ad hanc parſimoniam; immo rationabilius eſt, vt dicamus; Concilium ibi ſupponere, quod Epiſcopi expendant totum id, quod poſſunt ad congruam ſui ſuſtentationem, & ideo loquitur abſolutè de fructibus beneficij, & non de fructibus detractis ex quantitate debita propriæ ſuſtentationi, neque eſt vllum verbum, per quod ſignificetur, Concilium de talibus fructibus habere ſermonem: nam verba abſolutè proferuntur de fructibus beneficij.

8 Ad authoritatem S. Thomæ, qui videtur agere de fructibus ſubtractis ex illa portione, quæ eſt Epiſcopo, vel alteri Beneficiario deputata; quamuis Granado dicat. S. Tho. loqui in hoc ſenſu, videlicet, tunc reperiri peccatum in elargiendis pecunijs, quas Epiſcopus ſubtraxit, quando omittit ea, quæ ſunt neceſſaria, nempe eleemoſynas, aut opera pia, quæ vrgente aliqua neceſſitate deberet facere: reſpondeo inquam ad authoritatem S.Thom. illis verbis ſolum velle S. Doctorem non eſſe elargiendum conſanguineis, vel alijs, aliquid cum immoderato affectu, & in hunc finem tantū, vt illi ditiores fiant: nam hoc videtur procedere ex inordinato affectu erga cognatos, &c. & eſſe quædam ſuperbiæ, & ambitionis ſpecies, quæ, ordinariè loquēdo, inuenitur in his donationibus, quando ſunt valde pingues ad nimium ſubleuandum ſtatum conſanguineorum, & ſunt valde periculoſæ; at ex obiecto non ſunt malæ, & ſi fierent ex aliquo fine honeſto, & pio, nullum committeretur peccatum; quod autem S.Tho. in hoc ſenſu ſit intelligendus, patet: nam in corpore articuli portionem Epiſcopo deputatam æquiparat bonis patrimonialibus, circa quæ, vt ipſemet aſſerit, per affectum dumtaxat immoderatum peccari poteſt, vt ſupra etiam declarauimus ſect. 2. huius tractatus.

SECTIO DECIMASEXTA.

Vtrum Religioſus euectus ad dignitatem Epiſcopalem, vel obtinens aliud beneficium acquirat dominium fructuum.

SVMMARIVM.

Proponitur dubitatio de Religioſo ad ſtatum Epiſcopalem euecto. 1

Aliqui putant ab ipſo dominium reddituū beneficij acquiri. 2

Alij negant. 3

Hanc ſententiam admittit author. 4

Nequit Epiſcopus religioſus ſibi applicare niſi ea, quæ ſunt neceſſaria ad decentem ſtatum. 5

Quid de Religioſo Societatis Ieſu ſi ad Epiſcopatum ſit promotus. 6

Satisfit fundamento contrariæ ſententiæ. 7

Diluitur argumentum Gabrielis Vaſquez. 8

Soluitur alia inſtantia eiuſdem authoris. 9

HActenus loquuti ſumus de Epiſcopis, & Beneficiarijs, inſpicientes ſolùm onus, quod habent ratione dignitatis, aut officij, cui ſubijciuntur; nūc verò cōſiderabimus eoſdem, ratione alicuius conditionis, ſeu qualitatis, ex parte ipſorum ſubiectorum, qualis conditio in hoc caſu eſt votum paupertatis, quo ſunt affecti, dum religioſam emiſerunt profeſſionem; & ideo inquirimus, an religioſus, ſi promoueatur ad ſtatum Epiſcopalem; vel ad quodcumque aliud beneficium, efficiatur Dominus fructuum, & de illis poſſit diſponere eo modo, quo loquuti ſumus de Beneficiarijs ſecularibus. 1

Prima opinio vult Religioſum ad ſtatū Epiſcopalem aſſumptum acquirere Dominium reddituum beneficij, & de illis diſponere poſſe ad eum ferè modum, quo Epiſcopi ſæculares; & ita docent quamplures Doctores *Michael Medina de ſacr. hom. contin. lib. 5. cap. 26. Palatius in 4. diſp. 38. d. 1. Sotus lib. 7. de iuſt quæſ. 4. ar. 2. ad vltimum, & lib. 10. quæſ. 5. ar. 7. Angles in floribus par. 2. quæſ. vnica de voto ar. 2. dub. 5. poſt tertiam difficultatem Gabriel Vaſq. de reddit. cap. 3. dub. 7. nu. 28. Petrus Hurt. in 2. 2. diſput. 160. ſect. 3. §. 156. & alij*. Præcipuum fundamentū huius ſententiæ deſumptum eſt ex ſacris ca- 2

ca-

canonibus : nam *cap. Statutum*. 18. *q*. 1. ſtabilitur , quod ſi monachus efficiatur Epiſcopus , poteſtatem habeat vendicandi ſibi paternam hereditatem , &c. ergo ſi religioſus effectus Epiſcopus poteſt acquirere hereditatem, habebit de illa dominiũ; nam ſibi acquirere nequit , niſi qui eſt verus dominus *L. In rem actio ff. de rei vendica* : & per conſequens etiam dominium habebit de fructibus beneficij ; non enim eſt maior ratio de vno , ac de altero .

3 Secũda opinio negat in Epiſcopo religioſo tale dominium , & hanc ſententiam docet *S. Tho. in* 2. 2. *quæſ.* 185. *ar.* 8. *Caiet. & Bañes ibi* , *Lorca in* 2. 2. *quæſ.* 32. *ar.* 9. *d.* 40. *ſec.* 3. *membro* 1. *num.* 30. *Sanchez tom.* 2. *in Decalogum lib.* 6. *cap.* 6. *nu.* 8. *Leſſ. lib.* 2. *de iuſt. cap.* 4. *num.* 29. *& cap.* 41. *num.* 92. & ſequitur *Coninck de charit. diſp.* 27. *dub.* 11. *num.* 200. *Valent. in* 2. 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. *p.* 8. *Caſtropal. tract.* 6. *de char. diſp.* 2. *p.* 8. *Nauar. de reddit. quæſ.* 1. *monito* 11. *Sarmiento etiam de reddit. par.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. *Gran.* 2. 2. *contr.* 3. *trac.* 11. *d.* 5. *Barboſa de iure eccleſ. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 136. *Surdus de alim. tit.* 8. *priuileg.* 74. *num.* 96. *& alij*.

4 Dicendum eſt primo veriſſimam eſſe hanc ſecundam ſententiam , & eius ratio fundamentalis eſt ; quia religioſus effectus Epiſcopus manet adhuc religioſus , vt omnes fatentur ; & ideo ſolum manet liber ab illis obſeruantijs regularibus , quæ obſtant ſtatui Epiſcopali ; ideoque cum carẽtia dominij omnium bonorum immobiliũ, & mobilium nihil deroget ſtatui Epiſcopali, ſi Epiſcopus liberam habeat adminiſtrationem bonorum , hinc fit , vt non acquirat dominium fructuum beneficij .

5 Dicendũ eſt ſecundo Epiſcopum religioſum non poſſe ſibi applicare ex fructibus beneficij niſi tantum ea , quæ ſunt neceſſaria ad ſui decentem ſuſtentationem pro illo ſtatu : proinde etiam ſi parcè viuat , totum debet erogare in eleemoſynas , & pia opera, aliter peccabit contra votũ paupertatis: vtrũ vero teneatur reſtituere , ſi ſuperflua in vſus profanos expendat , negat *Lorca lib. cit*. & citat *Nauarrum de redd. quæſt.* 1. *monit.* 8. 33. *&* 35. ſed alij aſſerunt peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem; ita *Sanchez, Coninck* , *Leſſius* , *Caſtropalaus, &c*. & fundant hanc ſententiam in eo quod caret dominio , quod volunt eſſe penes eccleſiam , & illi ſolùm concedi liberam adminiſtrationem eorum , quæ ad vſus honeſtos , & neceſſarios poſtulantur : nam ipſe , cum non ſit dominus ; ſed ſolum ſimplex bonorum adminiſtrator, totum , quod eſt ſibi ſuperfluum de fructibus , & ſimiliter ea omnia , quæ ob parſimoniam in victu , veſtitu , & familia regenda ſubtraxerit, cenſentur acquiſita ipſi beneficio ; ac proinde illa conſumens , ad reſtitutionem obligabitur , ſi habeat vnde poſſit reſtituere ; & ſimiliter damnandi ſunt ad eamdem reſtitutionem omnes illi , qui à tali Epiſcopo acceperunt non titulo paupertatis ; ſed profano , ita *Leſſius cap.* 4. *cit. Caſtropal. Sanchez, Coninck* , *& alij ll. cit*.

Dicendum tertio ſi quis ex Societate habens ſolùm vota ſimplicia ante profeſſionem promoueatur ad Epiſcopatum, puto ſtatim diſpenſationem habere circa votum paupertatis : nam talis non eſt incapax dominij ; proinde reſpectu talium religioſorum veram cenſeo primam opinionem , quam expreſsè docent loquendo de his religioſis noſtræ Societatis , *Granado* , *& Hurtado ſec. cit*. 6

Ad fundamentum primę ſententię deſumptum *ex cap. Statutum* , reſpondeo , quod monachus ſi promoueatur ad Epiſcopatum , ius habet vendicandi ſibi propriam hæreditatem non vt ſibi in particulari debitam , ſed vt debitam eccleſiæ , in qua eſt Epiſcopus , vt interpretatur *Gloſ. ibi* , *ver. Legitimus* , & communiter alij , *& S. Thom.* 2. 2. *quæſ.* 185. *ar.* 8. *ad ſecũdum* ; ſicuti ſi non fuiſſet ad Epiſcopatum promotus , & eſſet religioſus alicuius inſtituti capacis acquirendi hæreditatem, vendicaret illam non pro ſe , ſed pro Monaſterio . 7

Neque inſtantiæ , quas facit Vaſquez in contrarium , obſtant prædictæ reſponſioni: ait enim in iure nunquam monachum appellari legitimum hæredem, aut quod veluti legitimus hæres vendicet hæreditatẽ ; ſed quod monaſterium ſit hæres legitimus loco monachi ; at in capite prædicto non Eccleſia , ſed Epiſcopus dicitur hæres: ſed reſpondeo , in eo capite rectè dicitur ſibi acquirere hæreditatem; quia quoad vſum, & adminiſtrationem ad ipſum ſpectat , at poſt ipſius mortem ad eccleſiam , in qua eſt Epiſcopus ; quemadmodum si quis iure hæreditario ſuccederet in aliquo maioratu vinculato , rectè diceretur ſibi illum acquirere , quamuis poſt mortem deberet illum alteri relinquere ratione vinculi . Rurſus confirmatur noſtra reſponſio ex iure canonico *cap. Non liceat* . 19. *q*. 3. vbi dicitur , monachos non eſſe repellendos à parentibus , vel à filijs ab hæreditate . 8

Præterea alio argumẽto vrget Vaſq; ponderans illud verbum ; nam in capite illo dicitur , quod monachus factus Epiſcopus poteſtatem habeat vẽdicandi ſibi hæreditatem : vnde ſubdit Vaſquez ; *Si habet poteſtatem , non cogitur illam vendicare ; ſed ſicut poteſt vendicare , ita , & renunciare , quod non poſſet factus Epiſcopus , ſi* 9

Ec-

Eccleſia eſſet hæres; ſed cogeretur vendicare illam ſicuti monachus profeſſus, iam non poteſt paternæ renunciare hæreditati. Hæc Vaſq. Sed facilè diluuntur, & ideo aio; quod cum dicitur, quod ille monachus iam Epiſcopus habet poteſtatem, &c. explicatur radix, & origo; vnde oritur obligatio vendicandi ſibi hanc hæreditatem: nam ſi poteſt, & ius eſt iam acquiſitum eccleſiæ, tenetur in conſcientia id facere; quæ quidem obligatio explicatur per verba ſubſequentia, cum præſcribitur, vt reſtituat hæreditatem monaſterio ante promotionem, & Eccleſiæ poſt promotionem ad Epiſcopatum. Alia argumenta, quæ facit Vaſq. cum eruta ſint ex eo, quod putet, dominium non poſſe eſſe penes Eccleſiam, omittimus, nam ſupra de hac re ſufficienter actum eſt.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Expenditur num fuerit ſimoniaca quædam tranſactio de Prioratibus, Baiuliuatibus, & commendis ſacræ Religionis Hieroſolymitanæ?

SVMMARIVM.

Enarratio facti.
1 *Duo præſupponuntur.*
2 *Declaratur in quo conſiſtat punctum dif-*
3 *ficultatis.*
Conuentio iſta nullam continuit ſimoniam
4 *contra ius diuinum, & naturale.*
Probatur fundamentali ratione.
5 *Baiuliuatus Hieroſol. eſſe beneficia eccle-*
6 *ſiaſtica putarunt aliqui.*
Oppoſitum ab auctore ſtatuitur, & pro-
7 *batur.*
Obiectio qua probatur cõmendas prædictas
8 *eſſe beneficia, quia conferuntur religio-*
ſis, &c.
Soluitur obiectio.
9 *Idem obijcitur ex obligatione recitandi*
10 *nonnullas preces.*
Diluitur inſtantia.
11 *Probatur etiam obiectione baiuliuatus eſ-*
12 *ſe beneficia, quia ita appellantur à Pon-*
tifice.
Reſpondetur largè ita appellari.
13 *Obijcitur iterum, quod olim aliquæ com-*
14 *mendæ erant propriè beneficia.*
Satisfit huic obiectioni.
15 *Notantur quædam ex doctrina Flaminij*
16 *Pariſij.*
Baiuliuatus non ſunt officia eccleſiaſtica.
17 *Obijcitur eſſe officia quia inuoluunt iuriſ-*
18 *dictionem in clericos.*
Soluitur obiectio.
19 *Vrgetur contra ex eo quia baiuliui appel-*
20 *lantur priores, &c.*
Declaratur quo ſenſu vocentur priores. 21
Soluuntur argumenta contraria poſita in 22
§.1. & 2. à promiſſione non reſpici vt terminum vltimatum aliquod ſpirituale.
Proponitur quædam inſtantia contraria. 23
Soluitur. 24
Opponitur S. Thomas. 25
Declaratur mens S. Doctoris. 26
Ratio dubitandi an hæc trãſactio ſit ſimo- 27
niaca contra ius eccleſiaſticum.
Concluditur talem ſimoniam non include- 28
re.
Quod probatur 1. ex iure communi. 29
Probatur 2. ex eo quod facta fuerit aucto- 30
ritate Prælati.
Probatur 3. ex immemorabili conſuetudi- 31
ne.
Suadetur 4. ex ampla poteſtate quæ reperi- 32
tur in Magno Magiſtro.
Confirmatur ex quadam epiſtola magni 33
Magiſtri.
Tranſigentes prædicti, etiam poſita ſimo- 34
nia, nullam ipſo iure pœnam incurrerunt.
Probatur hoc ex ſacris canonibus. 35
Obijcitur extrauagans Pauli ſecundi. 36
Soluitur 1. & oſtenditur nullam ipſo fac- 37
to prædictos tranſigentes incurriſſe pœnam.
Soluitur ſecundo oſtendendo, quod etiam 38
ſi fuerit ſimonia, tamen non ſubiecta fuit pœnis huius extrauagantis.
Concluditur nullam prorſus in hac tran- 39
ſactione reperiri ſimoniam.

FACTI ENARRATIO.

CVm inter Franciſcum, & Antonium 1
Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ Milites controuerſia exorta fuiſſet de prælatione in acquirendis Prioratibus, ſeu Baiuliuatibus, & commendis eiuſdem Religionis; Franciſco pro ſe allegante maiorem benemerentiam, Antonio autem Antianitatem, vt aiunt; Idcirco pro bono pacis, ad has controuerſias, dirimendas auctoritate; & conſenſu Magni Magiſtri interueniente, ad ſubſequentem deuenerunt tranſactionem: videlicet, enumeratis Prioratibus, ſeu baiuliuatibus, & commendis, quæ vacare poterant, illas ſibi diuiſerunt, hac lege, vt ſi vacarent hæ determinatæ commendæ ſubintraret Franciſcus, Antonio minimè ſe opponente; contra vero ſi aliæ vacarent ſuccederet ipſe Antonius, cui Franciſcus non contradiceret. & quia contingere poterat, vt Antonius ſuccederet in admiraliatus officium; in quo iuxta morem religionis quamplurimæ expenſæ inſumi debuiſſent pro victu militum in conuentu commorantium; idcirco Franciſcus diues, vt adiuuaret Antonium,

nium, & eum ſubleuaret in expenſis erogandis, quæ fieri ſolent in Albergia pro cauſa prædicta, & promiſit in eo euentu ſingulis menſibus ſoluere aureos ſeptuaginta, poſtea redactos ad quinquaginta; cum hac tamen conditione, vt ſi Antonius ſuccederet in aliquo prioratu, ſeu commenda, & officium Admiraliatus relinqueret, quod exinde Franciſcus non teneretur aliquid ſoluere. Hæc tranſactio prius à procuratoribus ipſius Antonij ob eius abſentiam à conuentu, & ab ipſo Franciſco ſubſcripta, poſtea adueniente ipſo Antonio, ab ipſo firmata, in quodam ſollemni Albarano reperitur.

Quibus peractis, vacauit quædam commenda, ſeu Baiuliuatus ex illis, quos Frãciſcus pro ſe elegerat, & Antonio non ſe opponente, fuit ipſe Franciſcus ad talem baiuliuatum promotus; poſt multum vero temporis, accidit, vt Antonius ſuccederet in admiraliatu; quapropter Franciſcus pro executione tranſactionis ſoluit ipſi Antonio illarum pecuniarum ſummas, eo modo; quo ad illas erogandas ſe obligauerat. Cum autem dubitatum fuerit, num tranſactio iſta ſimoniaca fuerit, idcirco tranſactionem ipſam principaliter examinabo, tum in ordine ad ſimoniam contra ius diuinum; tum in ordine ad ſimoniam, quæ ſolum iure eccleſiaſtico prohibetur, tum denique in ordine ad pœnas contra ſimoniacos illatas, omnia autem maioris diſtinctionis gratia diuerſis Paragraphis ſeiunguntur.

§. I.

Expenditur tranſactio in ordine ad ſimoniam contra ius diuinum, & naturale.

1 PArs affirmans in tranſactione inueniri ſimoniam de iure diuino, rationibus ſuadetur.

2 Antequam difficultatem exagitare incipiamus, duo in toto hoc diſcurſu pre oculis habere oportet.

Primo definitionem ſimoniæ contra Ius diuinum, & naturale *à S. Thoma 2. 2. qu. 100. ar. 1.* traditam, & à reliquis Doctoribus receptam. Ea autem eſt: ſtudioſa voluntas emendi, ſeu vendendi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum. & ad maiorem declarationem à recentioribus adduntur hæc alia verba (Pro pretio) quę quidem verba implicitè continebantur in illis particulis emendi, vendendi; Emptio enim, & venditio eſſentialiter dicunt ordinem ad merces, & pretium. Rurſus vt notant idem S. Doctor, & cæteri in hac definitione ſub nomine emptionis, & venditionis comprehenduntur omnes cõtractus onerosi æquiualentes eidem emptioni, & venditioni. ita *Suar, tom. 1. de relig. lib. 4. c. 1. num. 9. Leſs. lib. 2. de iuſt. cap. 35. dub. 1. n. 2.*

Secundo conſiderare debemus peruulgatam ſimoniæ diuiſionem, nempe eam, quæ eſt de iure diuino, & eam, quæ eſt tantum de humano, quæ diuiſio recipitur ab omnibus Canoniſtis, & ab omnibus ferè Theologis. His prehabitis.

Aduertendum eſt punctum difficultatis conſiſtere in hoc: an illa mutua obligatio non ſe opponendi inter Franciſcum, & Antonium inuoluat aliquam ſpiritualitatem, quæ fuerit vendita, aut cuius intuitu fuerit datum aliquod temporale; si enim ita erit, cum pro illa obligatione, à Franciſco pecunia ſoluta fuerit, ſequetur fuiſſe ſimoniam contra ius diuinum, quia haberetur commutatio rei ſpiritualis, vel vt rei inuoluẽtis ſpiritualitatem, pro temporali, quæ eſt ſimoniæ definitio; ſin minus non erit ſimonia contra ius diuinum, &c. Hoc poſito videtur dicendum in tranſactione iſta talẽ inueniri ſimoniam, quod ſic probatur. Obligatio non ſe opponendi facta ab Antonio ingratiam Franciſci reſpicit vt terminum vltimatum aliquod ſpirituale, nẽpe beneficium, aut officium eccleſiaſticum, ideſt commendam, ſeu Baiuliuatum, ad quem Franciſcus fuit promotus, & ſub hoc reſpectu ſpectata Franciſcus ſoluit ipſi Antonio diuerſas pecuniarum ſummas; Ergo in tranſactione iſta inuenitur ſimonia repugnans iuri diuino, & naturali; Antecedens infra conſtabit, cum in tertio, tum in quarto §. conſequentia eſt certa; nã ſi Baiuliuatus erit beneficium, aut officium Eccleſiaſticum erit quid ſpirituale, & ideo obligatio illa reſpiciens Baiuliuatum, vt terminum vltimatũ reſpiciet aliquod ſpirituale. 3

§. II.

Statuitur in tranſactione illa nullam fuiſſe ſimoniam de Iure diuino.

DIco tamen conuentionem illam inter Franciſcum, & Antonium immunẽ eſſe ab omni labe ſimoniæ contra ius diuinum, & naturale; & ad hoc demonſtrandum, vtar argumento oppoſito illi, quod ſupra adduximus ad probandam partem affirmatiuam; Quapropter ſic argumẽtor; In tranſactione illa non fuit aliquod ſpirituale, commutatum pro temporali, ergo ibi nulla fuit ſimonia de iure diuino; ſolùm antecedens remanet probandum, certa enim eſt conſequentia. Ceſſio iuris ad Baiu- 4 5

iuliuatum, ſeu promiſſio non ſe opponendi contra Franciſcum in ordine ad ipſum Baiuliuatum, neque ſecundum ſe, neque per ordinem ad ſuum terminum eſt quid ſpirituale, ergo in tranſactione illa non fuit aliquod ſpirituale commutatum pro temporali, hoc vltimum antecedens; probatur, & quod ceſſio illius iuris, ſeu promiſſio non ſe opponendi, &c. ſecundum ſe non ſit quid ſpirituale eſt euidens; non enim eſt aliquid intrinſecè ſupernaturale, & ſpirituale, & ideo ſi quam habet ſpiritualitatem, eam habet per reſpectum ad ſuum terminum vltimatum, quem primo, & per ſe reſpicit, at terminus illius iuris ceſſi fuit Baiuliuatus, vt de ſe patet, Baiuliuatus autem ſimpliciter, & abſolutè loquendo non eſt quid ſpirituale, ſed quid temporale, ergo terminus illius iuris ceſſi non eſt ſpiritualis, ſed temporalis; tota difficultas includitur in minore, idcirco oportet minorem ipſam efficaciter demõſtrare, quæ ſic probatur; Baiuliuatus iſte, neq; eſt beneficium; neque officium eccleſiaſticum, ergo non eſt quid ſpirituale; conſequentia videtur certa, quia ſi qua reperiri poteſt ſpiritualitas in ipſo baiuliuato, vel eſt in ratione beneficij, vel officij, quælibet enim alia nequit illi conuenire; Ad probandum autem Baiuliuatũ non eſſe beneficium, vel officium eccleſiaſticum inſtituimus ſequẽtes peragraphos.

§. III.

Vtrum Baiuliuatus Religionis Hieroſolymitanæ ſint vera Beneficia Eccleſiaſtica.

6 Eſſe propriiſſimè Eccleſiaſtica beneficia placuit nonnullis, hi autẽ ſunt *Garcia de benefic. p. 1. cap. 4. num. 1. & ſequ. Flaminius Pariſius de reſignatione lib. 4. q. 14. num. 8. & q. 17. de benefic. confid.* & aliqui alij, quos ipſi laudant, & in ea videntur eſſe *Azorius p. 2. inſtit. moral. lib. 3. cap. 26. q. 8. & 9. Barboſ. de iure eccleſ. lib. 3. cap. 7. à nu. 3.*

7 Sed dicendum eſt Baiuliuatus religionis Hieroſolymitanę non eſſe beneficia eccleſiaſtica propriè dicta, in eo ſenſu ſcilicet, quo Theologi loquũ ſolent de ipſis beneficijs eccleſiaſticis: probatur concluſio ex definitione beneficij eccleſiaſtici communiter recepta; dicitur enim eſſe ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis eccleſię propter aliquod officium ſpirituale, nempe ob aliquam functionem ſacram, qualis eſſet adminiſtratio ſacramentorum, munus prædicandi diuinum verbum, celebratio miſſarum, recitatio horarum canonicarũ, &c. definitio ponitur à *Selua de benefic. p. 1. q. 1. Sanchez lib. 2. cap. 2. dub. 1. Leſſio lib. 2. cap. 34. dub. 1.* & ab alijs in qua definitione duo explicantur videlicet fundamentum, quod eſt miniſterium ſpirituale, nempe officiũ, aut alia ſacra functio, cuius intuitu datur; ſecundam, nempe ius exigendi fructus; vbi autem nullum eſt officium, & titulus ſpiritualis, impoſſibile eſt ſubſiſtere beneficium eccleſiaſticum, vt omnes Doctores affirmant de hac materia tractantes, at Baiuliuatus non conferũtur militibus ſancti Ioannis ob aliquem titulũ ſpiritualem, ſed ſolum, vt ſtipendium, & præmium pro diuerſis temporalibus obſequijs pręſtitis, qui eſt titulus merè temporalis; proinde, vt Doctores mox citandi affirmant Baiuliuatus commendantur, & dantur titulo commendæ, & non titulo Beneficij appellanturque commendæ militares, & ſic ſunt merè temporales. ita docent ſequentes Authores, Iuriſtæ, Canoniſtæ, & Theologi. *Cornejus lib. 3. cõſ. 66. per tot. Franc. del Caſtillo in ſuis deciſ. Siciliæ tom. 2. deciſ. 193. Rota Romana apud Manticam deciſ. 230. num. 1. 2. 3. 7. & 8. Mandoſ. in regulam 19.* Cancell. *Reſeruation. q. 20. à nu. 1. vſque ad 8. Amædeus à Pont. in tract. tom. 10. p. 2. cuius titulus incipit, Quis ſit iudex in cauſa feudi circa fin.* & apud ipſum *Salicet. in l. Omnino, §. Imputari, ff. de in off. teſtam. Peruſchus conſ. 66. Mur. deciſ. 240. Ioannes Quintinus in repet. cap. de multa de præbend. à num. 163. vſque ad 166.* & ex Theologis *Rodriq; in ſum. tom. 2. cap. 59. num. 12. Vega p. 2. ſum. cap. 101. caſ. 51. Petrus Ledeſma in ſum. par. 2. tract. 12. cõcluſ. 20. Victoria in relectione de ſimõ. n. 45. Aragon. in 2. 2. S. Thomæ q. 100. nu. 4. Io. la Cruz in direct. conſc. præcept. 7. q. 4. de ſimonia concluſ. 2. & 3. Ripa de ſimonia p. 1. artic. 4. num. 24. Suar. lib. 4. de ſimon. cap. 27. num. 8. & 9. Filliuc. tr. 45. cap. 6. à num. 4. Sanchez lib. 2. conſil. cap. 3. dub. 24. num. 8. Bonacin. de ſimon. quæſt. 4. num. 14. Caſtropalaus diſput. 3. de ſimo. p. 13. num. 13.* qui omnes ob defectum tituli ſacri dicunt has commendas non eſſe beneficia eccleſiaſtica, & largè vocari beneficia ratione emolumentorum; & ideo ſi vendantur, & emantur non eſſe ſimoniam de iure diuino. dantur enim redditus Eccleſię in cuſtodiam, & dicuntur commendari alicui, qui appellatur Baiuliuus, ſeu adminiſtrator horum bonorum, & cuſtos, vt ait *Rebuff. in praxi beneficiali de commenda, Ioannes Quintinus in repetit. cap. de multa de præbend. nu. 164.* & declaratur expreſsè in ipſis met *Statutis religionis Hieroſolymitanæ tit. 19. num. 6.* vbi notatur hoc nomen Baiuliuus in antiqua lingua Gallica ſignificare adminiſtrato-

Digitized by Google

torem domorum, & prædiorum, ex quo ortum fuit, vt cõmendæ appellarentur baiuliuatus, pro qua re aduertendum eſt, quod quamuis ab initio ex redditibus annualibus, qui huic ſacræ religioni, munificentia Principum, donatione ſummi Pontificis, & aliorum liberalitate, conceſſi fuerunt, nonnulla ſint conſtituta beneficia eccleſiaſtica, vt colligitur ex hiſtoria huius religionis, Authore *Iacobo Boſſio*, qui in ſuis libris ſparſim refert multa bona, quæ eidem religioni fuerunt donata; nihilominus in progreſſu temporis, quamplures redditus dati ſunt in commendam militibus religionis, & non pro miniſterio ſpirituali, cui prius, forſitan, erant annexi, & vni eidemq. perſonæ in titulum conceſſi, ſed dati ſunt pro miniſterio temporali, nẽpe pro obſequijs ab ipſis militibus præſtitis in defenſionem ſanctæ fidei: & ideo vt notat *Azor. p. 1. inſtit. moral. lib. 13. cap. 3. poſt 4. quæſ.* hę commendæ neque ſunt beneficia, neque propriè per mortem commendatarij vacant, ſicuti ſtatutum fuit à varijs ſummis Pontificibus inferiùs adducendis. attamen (vt notat idem Azor.) hi redditus commendati, potiuntur eiſdem priuilegijs, quæ habent beneficia eccleſiaſtica, & propter ſimilitudinem, quæ in eis inuenitur cum veris beneficijs ſolent interdum vocari beneficia; ſed propter hoc non nego aliquos annuales redditus remanſiſſe annexos miniſterio ſpirituali, & eſſe vera beneficia, ſed hæc conferuntur clericis, quorum aliqui, qui præſunt rebus ſpiritualibus vocantur priores, non autem militibus, de quibus diſputamus: Vnde *Pius IV. Pontifex maximus in bulla edita anno domini* 1560. *quæ habetur in 2. tom. bull. initio*, & incipit, Circumſpecta *Romani Pontificis: in* §. 67. ordinauit in poſterum Prioratus, Baiuliuatus, Præceptorias, &c. non vacare neque dari in titulum perpetui beneficij eccleſiaſtici; ſed vt manualia ad nutum, ſeu amouibiliter iuxta formam priuilegiorum religionis, &c. probatur etiam nõ eſſe beneficia eccleſiaſtica, ex defectu ſubiecti, nam Beneficium Eccleſiaſticum nequit conferri niſi clerico habenti ſaltem primam tonſuram, vt colligitur ex *cap. Cum adeo de reſcript. & ex cap. Ex literis de tranſact.* & ex communi conſenſu doctorum, vt notat *Leſſius cap. cit. dub. 19. num. 2.* cum autem baiuliuatus iſti conferantur perſonis non conſtitutis in ordine clericali, ſed laicis, ſequitur baiuliuatus, ſeu commendas iſtas non eſſe beneficia eccleſiaſtica.

8 Objicitur primo: commendæ prædictæ conferuntur religioſis profeſſis, ergo dãtur titulo ſpirituali qualis eſt ſtatus religioſus.

9 Reſpondet optimè *Suarez cap. cit. n. 7.* ſtatum religioſum non eſſe titulum ratione cuius, conferantur hæ commendæ, ſed eſſe conditionem ex parte perſonæ, ad eũ planè modum, quo Pontifex, ſi decerneret, vt aliqua bona temporalia diſtribuantur inter perſonas tantum religioſas, non dicerentur bona illa annexa titulo ſpirituali, ſicuti penſio non eſt ſpiritualis ex eo præciſè, quod applicatur clerico, ſed ratione tituli in quo fundatur.

10 Objicitur ſecundo poſſumus aſſignare titulum ſpiritualem, in quo fundentur hę commendæ; nam commendatarij obligãtur ad recitandas nonnullas preces.

11 Reſpondetur obligationem iſtam non eſſe de recitando officio, & ſi eſſet, non eſſet, vt recitarent tanquam publica perſona, vt explicat Suar. & alij. & certum eſt obligationem iſtam recitandi dictas preces non eſſe ratione commendę, vnde cõmendatarij non habent maiorem obligationem, neque plus recitant, quam reliqui; ſed omnes recitant aliquoties ſalutationẽ Angelicam ratione profeſſionis.

12 Objicitur tertio: Baiuliuatus appellantur à Pio IV. Beneficia, vt patet ex tenore dictæ Bullæ, ergo non eſt negandum eſſe vera beneficia.

13 Reſpondetur, largè ita appellari ratione emolumentorum non ratione tituli, vt notauit *Cornejus in conſ. 66. cit.* & animaduertunt alij Authores noſtræ ſententiæ, dicuntur autem beneficia, quia habẽt emolumenta ex bonis eccleſiæ, & priuilegia, quibus gaudent veri beneficiarij, quamuis ob defectum miniſterij ſpiritualis propriè, & formaliter non ſint beneficia.

14 Sed rurſus obijcitur quarto: aliquæ commendę, ſeu baiuliuatus fuerunt olim propriiſſimè beneficia, & prælaturæ, & conferebantur clericis, vel monachis propter officium aliquod eccleſiaſticum, & ſpirituale, poſtea vero à ſummo Pontifice donata sũt religioni Hieroſolymitanæ, vt conferrentur à Magno Magiſtro etiam equitibus benemeritis eiuſdem religionis quemadmodum ſupra indicatum eſt; & refert *Boſſius tom. 2. lib. 1. fol.* 15. de duplici Monaſterio, ſeu Abbatia ordinis ſancti Benedicti; altera Venuſiæ in Regno Neapolis, altera Vrbeueteri in ſtatu eccleſiaſtico, donata à Bonifacio VIII. anno 1297. ergo etiam ſi nũc ſint, & appellentur commendæ militares, non deſinunt tamen eſſe verè, & propriè beneficia eccleſiaſtica.

15 Reſpondetur; conceſſo antecedente, negando conſequentiam, ſolum enim inde ſequitur, quod ſint impropriè, & æquiuocè beneficia, ſicuti homo mortuus eſt impropriè, & æquiuocè, homo; nam quemadmodum ſublata anima, quæ eſt forma con-

ſtitutiua hominis, tollitur ratio hominis, ita ſublata forma beneficij, quę eſt functio ſacra, & titulus eccleſiaſticus, cuius intuitu dantur bona temporalia eccleſiæ, vel religioni, tollitur ratio, & remanet ſolum cadauer beneficij, cui per ampliationem termini, & præteriti ſtatus connotationem, accommodari poteſt antiquum nomen, quod autem in caſu noſtro ſublata prorſus fuerit functio ſacra, & titulus eccleſiaſticus iam ſupra oſtendi, & magis etiam oſtendam in §. ſequenti, vnde ex ſupra poſita hiſtoria confirmari magis poteſt, & declarari, quo modo commendę, & Baiuliuatus militares non ſint niſi valdè largè, & impropriè Beneficia. In idem ferè recidit, ſi dicas commendas, & baiuliuatus militares eſſe ad ſũmum materialiter, & incompletè beneficia nullo autem modo formalitèr, & completè, nam ſicuti corpus hominis non eſt formalitèr, & completè homo: ſed poteſt aliqualiter dici, homo, materialiter, & incompletè, quatenus eſt vna eius pars, quæ ſe habet, vt materia, & compleri poteſt per animam, tanquam per formam; ita commendæ non ſunt beneficia; cum enim beneficiũ duo eſſentialiter inuoluat, nempè officium eccleſiaſticum, & ius percipiendi fructus nõ qualecunque, ſed per reſpectum ad illud; Commendæ autem, & Baiuliuatus non inuoluant officium Eccleſiaſticum, ſed ſolùm ius percipiendi fructus temporales, & quidem ſine vllo reſpectu ad tale officium; imò potius cum reſpectu oppoſito laborum temporalium quos in militia contra infideles equites tulerũt, manifeſtè ſequitur nõ eſſe formaliter, & completè, ac proinde neque verè, neque propriè beneficia, ſed ad ſummum materialiter, & incompletè, quatenus poſſet (quamuis potentia ſit valdè remota) illud ius de nouo coniungi cum officio ſacro, & titulo Eccleſiaſtico, & integrare rationem beneficij, lege *Thomam Cãpegium Epiſcopum Bononienſem de cõmendis beneficiorum*, *Rebuffum in praxi beneficiali, tit. de commendis*, atque alios ſupra indicatos. Et diligenter aduertè quod commendæ de quibus agimus non ſolent, neque debent appellari commendæ beneficiorum; ratio autem eſt, quia licet olim fuerint beneficia, iam per multa ſęcula, ſic annuente, & diſponente Pontifice, perdiderunt formam, & eſſentiam beneficij, & in poſterum, vt patet ex ſupradictis bullis nunquam amplius dabuntur clericis, neque intuitu ſacræ functionis, & multo minus in titulum beneficij; ſed perpetuo conferentur militibus propter bene geſtum officium militare, in quo apparet magna diſparitas inter has commendas militares, & inter Epiſcopatus, Parochias, & alia huiuſmodi, quę vocantur commendę beneficiorum, quę licet hic, & nunc per aliquod tempus dentur in commendam, vt plurimum tamen, & ferè ſemper dantur in titulum, imò etiam quando commendantur, non commendantur ſæcularibus, ſed clericis in ordinibus conſtitutis, qui exerceant aliqua eorum munia eccleſiaſtica, & ſacra, atque adeo per ſe, & propriè inducunt aliquam rationem beneficij, vel habent proximum ordinem ad illud; At vero commendæ, de quibus agimus, valdè remotè reſpiciunt ſtatum iam præteritum, & qui nunquam (moraliter loquendo) erit in futurum. Vnde non debent dici commendę clericorum, neque beneficiorum, ſed commendæ laicorum, & militarium ſtipendiorum, & ſi quæ fortè extarent diſpoſitiones Pontificis circa commendas beneficiorum, non debent ſaltem in odioſis compręhendi hæ commendæ militares.

Authores vero, qui incontrarium citantur, non omnes fauent aduerſario, quia nonnulli loquuntur de illis præceptorijs, quæ ſunt vera beneficia eccleſiaſtica, quatenus; ob titulum ſpiritualem, & clericis conferuntur. Et in hoc ſenſu loquuntur *Azor. cap. cit. quæſt. 9. & Barboſa initio illius capitis*, dum in declaratione ipſius nominis aſſerunt præceptorias ipſas conferri clericis, proinde eorum doctrina non contradicit noſtræ opinioni.

16 Quod vero ſpectat ad *Flaminium Pariſium* multa eſſent dicenda; breuiter tamen placet pauca notare, & aio, quod quamuis ipſe in loco citato, *lib.* 12. *q.* 3. *nu.* 8. ſub beneficij nomine compręhendat pręceptorias Sancti Ioannis Hieroſolymitani; tamen mirum hoc eſſe non debet, ideo enim voluit etiam præceptorias ſub beneficij nomine includere, quia ipſe quæſtione ſecunda antecedente, determinauerat regulam illam de infirmis eſſe fauorabilem, & conſequenter ad hoc principium initio quæſtionis tertiæ aduertit, beneficium latè hic eſſe ſumendum, & meritò ſi ſupponamus illud principium, quia leges fauorabiles amplè ſunt intelligendæ.

Præterea in alio loco de benefic. confident. dum quærit, vtrum in præceptorijs cadat confidentia dicit præceptorias eſſe beneficia eccleſiaſtica, & hanc amplectitur (vt ipſe fatetur initio quæſtionis) tanquã veriorem opinionem, atque adeo videtur implicitè velle oppoſitum eſſe probabile. Rurſus animaduerto ab hoc authore aliqua affirmari, quæ de beneficijs eccleſiaſticis propriè dictis intellecta, ſunt vel omnino falſa, vel inefficacia ad probandum præceptorias eſſe talia beneficia, nam *n.* 7. & ſequentibus in hac eadem *quæſtione* 17. aſſerit beneficium eccleſiaſticum conferri poſſe perſonæ religioſæ etiam ſi talis

per-

perſona non ſit clericus, quod eſt apertè falſum, loquendo de veris beneficijs, vt volunt communiter Doctores. Vlterius infert præceptorias eſſe beneficia, quia ſunt perpetuæ, ſed ſola perpetuitas non conſtituit beneficium, cum requiratur etiam officium, & titulus ſpiritualis, vt vult cõcors doctorum ſententia. denique ſupponere videtur quod equites S. Ioannis habeant ex commendis, & præceptorijs obligationem recitandi officium, quod eſt falſum, niſi ſint clerici, & habeant verum beneficium, vt ſupra oſtendimus, & ſic de opinione Pariſij, non multum eſt curandũ, nõ ſolum quia procedit ex debilibus fundamentis, ſed etiam, quia pro nobis sũt, & longè plures, & grauiores authores, vt vidimus. Mitto etiam, quod aliqui Iuriſtæ citati à Garçia non loquuntur in eo sẽſu, quem ipſe intendit.

§. IV.

An Baiuliuatus ſint officia Eccleſiaſtica.

AD excludendam ſpiritualitatẽ ab his Baiuliuatibus oſtendimus non eſſe beneficia, niſi valdè amplè, & minus propriè, nunc ſupereſt, vt probemus, neque eſſe officia eccleſiaſtica, quod erat alterũ caput, ex quo baiuliuatus ſortiri poterãt, vt vidimus, aliquam ſpiritualitatem.

17 Dico igitur non eſſe officia eccleſiaſtica; probatur, quia eorum præcipuum munus eſt adminiſtrare bona illa temporalia eccleſiæ, vt ex nominis etymologia eſt manifeſtum; tale autem munus in ſe nihil ſpiritualitatis inuoluit ſufficiens ad ſimoniam de iure diuino; dico de iure diuino, nam, an ſit ſufficiens ad ſimoniam de iure tantum eccleſiaſtico inferius videbimus; officia autem temporalia eccleſiæ, & eorum actus non eſſe materiam ſimoniæ de iure diuino latè probat *Suarez cap 29. Billuccius tract. 45. cit. cap. 6. num. 17. Bonacina de ſimon q. 3. p. propoſ. per totam.* Et fundamentum eſt commune, nam talia officia ordinantur ad cuſtodiendas res tẽporales eccleſiæ, & non ad ſpirituales actiones, quod requiritur ad conſtituendum officium eccleſiaſticum habens ſpiritualitatem; quamuis ſi quis vellet baiuliuatus iſtos appellare officia eccleſiaſtica, quatenus eorum munus verſatur circa bona eccleſię, non eſt cum illo contendendum, ſatis nobis erit non eſſe officium eccleſiaſticum inuoluens ſpiritualitatẽ, neque eſſe dignitatem eccleſiaſticam, & hoc ob eamdem rationem, nempè quia primo, & per ſe eius actus tendunt ad cuſtodiam, & adminiſtrationem rerum temporalium, & multo minus eſſe perſonatum, qui eſt veriſſimum beneficium eccleſiaſticum trahẽs locum digniorem in choro, & ideo conuenit ſolis clericis.

Obijcitur primo Baiuliuatus de quo loquimur continet iuriſdictionem in clericos, quæ eſt ſpiritualis, & etiam ius patronatus nominandi, ſeu præſentãdi priorem ſuæ eccleſiæ, quod ſimiliter eſt quid ſpirituale, ergo baiuliuatus ratione prædictorum eſt officium eccleſiaſticum. 18

Reſpondetur, & pro ſolutione huius difficultatis eſt valdè notandum diſcrimen inter ea, quæ dicuntur ſpiritualia per annexionem; nam aliqua ſunt temporalia antecedenter, ſpiritualia vero conſequenter, vt calix conſecratus, veſtes ſacræ, tẽplum, aqua benedicta, &c. aliqua vero contrario modo ſe habent; ſunt enim ſpiritualia antecedenter, & temporalia conſequenter, & huiuſmodi ſunt beneficia, & officia eccleſiaſtica. Ex hoc diſcrimine aliud ſequitur, nam ſpiritualia primi generis ratione illius temporalis, quod antecedenter habent poſſunt vendi abſque ſimonia, ſi nullus habeatur reſpectus ad conſequens, vt vniuerſaliter authores affirmant, agentes de ſimonia, quia illud temporale non amittit ſuam æſtimabilitatem ratione illius conſequentis, quod annectitur: contra vero, quæ ſunt ſpiritualia antecedenter non ſunt vendibilia abſque vitio ſimoniæ etiam ſi vendatur res, ratione illius conſequentis temporalis, quia dum hoc temporale actu dependet à ſpirituali antecedente; etiam & ipſum temporale ſpiritualitatem includit, & ideo ius ad percipiendos fructus, dum eſt annexum titulo ſpirituali à quo tanquam à cauſa dependet, non eſt vendibile, niſi authoritate Pontificis, fructus ipſi ſeparentur à titulo, vt communiter aiunt doctores: hac poſita doctrina reſpondeo ad argumentũ, & dico baiuliuatum ad ſummum eſſe de genere illarum rerum, quæ dicuntur conſequenter ſpiritualia, quoniam iuriſdictio illa eſt quid conſequens ad adminiſtrationem bonorum temporalium, proinde baiuliuatus ratione illius temporalis, quod antecedenter inuoluit vendibilis eſt abſq; ſimonia, ſicuti ratione materiæ calices, & veſtes ſacræ ſunt res vendibiles ſinè ſimonia, & idem dico, quatenus idem Baiuliuatus inuoluit conſequenter ius patronatus, quod ſecundum communem opinionem doctorum, licet ſecundum ſe directè non ſit vendibile; nihilominus per accidens; & indirectè vendi poteſt dum venditur res illa temporalis, cui ipſum ius patronatus eſt inſeparabiliter annexum; ſequitur enim veluti acceſſorium ſuum principale. ita habetur *capit. Ex literis cap. Cum ſecundum de iure patron.* & docet 19

cet *Suar. cap. 28. num. 17. Barboſa de iure eccleſ. lib. 3. cap. 12. num. 221. & ſeq.* & alij apud ipſos. Ergo ſicuti res temporalis e. c. Villa, aut Caſtrum non dicitur res ſpiritualis, etiam ſi conſequenter habeat annexum ius patronatus, ſed dicitur ſimpliciter temporalis, & vendibilis ità, & baiuliuatus iſte, ſeu ius adminiſtrandi bona, dicitur ſimpliciter temporale non obſtante quod illi ſit conſequenter annexa iuriſdictio illa ſpiritualis, & ius patronatus; & addo, quod iuriſdictio iſta non eſt ſpecialis in ſolos clericos, ſed in omnes commorantes in caſtris, & villis illius baiuliuatus, & per accidens eſt inter commorantes inueniri paucos quoſdam clericos reſpectiuè ad omnes alios laicos, vnde referunt, quod in baiuliuatu Sancti Stephani clerici non pertingunt ad numerum trecentorum, laici vero excedunt numerum viginti ſeptem millium, proinde non eſt dubitandum, quin iuriſdictio iſta relata ad ſolos clericos ſit quid minimum reſpectu totius commendæ, & ideo per ſe loquendo nunquam primario intenditur. quare *Caietanus in ſumma, verbo, ſimonia 2. reg.* quem ſequitur *Decian. in ſuo tractat. criminali, lib. 5. cap. 80. num. 3. & 4.* loquendo de ſimonia rectè notat quod ſpirituale per annexionem, tunc cenſetur vẽdi, vt ſpirituale, quando in re, quæ venditur ſpirituale ſe habet principaliter videlicet non ſe habet, vt minima pars; At quando eſt oppoſitum cenſetur res illa vẽdi, vt quid temporale; & hoc confirmat Decianus varijs iuribus, & ſubdit quod in his annexis, vt vẽditio ſit ſimoniaca oportet apparere rem venditam fuiſſe vt annexam ſpirituali, ſeu intuitu ſpiritualitatis, & dum non conſtat, eſt præſumendum rẽ venditam fuiſſe ratione illius tantum temporalis, ſic in caſu noſtro, dum Franciſcus ſoluit pecuniam pro ceſſione illius iuris, quod poterat Antonius habere in baiuliuatum, præſumendum eſt emiſſe ceſſionem illam, vt relatam ad commendam ratione temporalitatis, quæ primo, & per ſe in ipſa commenda continetur, non autem ratione illius minimę iuriſdictionis in clericos, & ratione iuris patronatus, quæ ſe habent conſequenter; & ſi iura canonica hoc non præſumerent, prohiberent venditionem rei temporalis, cui eſt annexum ius patronatus; quia præſumeretur vendi ratione illius ſpiritualis conſequentis; At cum non prohibeant hanc venditionem, & emptionem euidens eſt præſumptionem eſſe in oppoſitum, nempè vendi rem temporalem ratione temporalitatis, & non ſpiritualitatis conſequenter annexæ.

20 Obijcitur ſecundo Baiuliui Religionis Hieroſolymitanæ ſunt, & vocantur Priores; Igitur Baiuliuatus erit Prioratus, & conſequenter officium eccleſiaſticum.

Reſpondetur Baiuliuos appellari Priores ad honorem, non quia re vera ſint tales, vt expreſsè declaratur *in ſtatutis religionis, & tit. 9. de Baiuliuis num. 4.* & ibidem exemplificatur in baiuliuatu Sanctæ Euphemiæ, S. Stephani, &c. idcirco baiuliuatus non eſt prioratus, cuius munus primo, & per ſe eſt ſpirituale, nempè religioſorum directio, & gubernatio; nego igitur antecedens, & conſequentiam; per hæc tamen non nego in eadem religione Melitenſi inueniri aliquos veros Priores, quorum aliqui ſunt clerici, & ſunt veri beneficiarij, & aliqui non ſunt clerici, ſed equites laici, & habent iuriſdictionem in reliquos equites, & etiam in ipſos baiuliuos, & hos dico habere dignitatem eccleſiaſticam, eamque eſſe materiam ſimoniæ, de quibus fortaſſe loquuntur qui dicunt Prioratus huius religionis eſſe dignitates, ſeu officia eccleſiaſtica, quod intelligi non poteſt de illis, qui ad honorem, vt dixi nuncupantur Priores, vt dicitur *tit. 9. de Baiuliuis*, quos ibidem, ſtatutum contradiſtinguit à veris Prioribus Prouinciarum, &c. Ex his manifeſtè apparet efficacia noſtri argumenti, quo oſtendimus, baiuliuatus non eſſe quid ſpirituale, ſed quid temporale, & per conſequens remanet probatum ius ceſſum ad Baiuliuatum non eſſe quid ſpirituale cum eius terminus primo, & per ſe ſit quid temporale. 21

§. V.

Soluuntur adducta in primo §. pro ſententia affirmatiua.

AD fundamentum contrariæ opinionis patet ſolutio ex dictis; & ideò negandũ eſt antecedens illius argumenti, in quo dicebatur, quod promiſſio nõ ſe opponẽdi facta ab Antonio ingratiã Franciſci, reſpiciebat vt terminũ vltimatum aliquod ſpirituale, ſeu beneficium, aut officium eccleſiaſticum; oppoſitum enim eſt à nobis demonſtratum probantibus Baiuliuatum, qui erat terminus illius promiſſionis, eſſe meram adminiſtrationem bonorum temporalium, &c. 22

Quod ſi vrgeas, quoties aliquod temporale venditur vt coniunctum cum ſpirituali, ſeu per habitudinem ad illud toties, vẽditio, & emptio eſt ſimonia contra ius diuinum, & hoc varijs exemplis confirmare poſſumus; ſi enim quis venderet calicem carius ratione conſecrationis, committeret ſimoniam; & ſi quis emeret mancipium maiori pretio ſub hoc reſpectu, quod ſit Chriſtianus eſſet emptio ſimoniaca, vt 23

rectè

rectè notauit *Vgolinus de ſimon. tab. 1. cap. 36. & Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 9. nu. 8.* exceſſus enim ille in pretio foret ratione rei ſpiritualis, nempè fidei infuſæ characteris, &c. &, vt notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 35. dub. 8. num. 46.* ſi quis pro labore, quem inſumit in procurando beneficio pro aliqua perſona, ab illa acciperet maius pretium, quàm æſtimaretur labor ille pro re temporali procuranda, tunc iſte talis ſimoniacus eſſet contra ius diuinum; menſuraret enim laborem illum per habitudinem ad ſpirituale, videlicet ad beneficium eccleſiaſticum. fundamentum autem omnium horum eſt, quia res ſpiritualis non ſolum nequit eſſe ipſa res vendita, ſed neque ratio, & menſura venditionis, & emptionis alterius rei: ſic in caſu noſtro, cum promiſſio illa fuerit empta à Franciſco ſub illo reſpectu ad aliquid ſpirituale, ſcilicet ad baiuliuatum, vera erit conſequentia, nempè in tranſactione prædicta inueniri ſimoniam repugnantem iuri diuino, & naturali.

Reſpondetur, conceſſo antecedente,
24 negando conſequentiam; vt enim ſupra probaui nulla in caſu noſtro intercedit ſpiritualitas, reſpectu cuius data fuerit aliqua pecunia.

Et ſi iterum opponas *Sanctum Thomã*,
25 qui *in 2. 2. quæſtione* 100. *a. 2. ad* 5. docet eſſe ſimoniam redimere obſtacula aduerſariorum, mediante pecunia in ordine ad Epiſcopatum, vel aliam dignitatem eccleſiaſticam obtinendam; quia vt ſic redimẽs, per pecuniam, quam ſoluit, parat ſibi viã ad rem ſpiritualem; atque adeò dicas hoc ipſum euenire in caſu noſtro; nam Franciſcus mediante pecunia obtinuit ab Antonio promiſſionem non ſe opponendi ad baiuliuatum, vnde idem aſſerit *Suarez li. 4. cap. 50. num.* 18. *& ſequentibus,* plures citans, & clariſſimè *Sanchez in opuſ. lib. 2. cap. 3. dub. 30. num. 13.* loquens de his, qui ex pacto promittunt mutuo non ſe opponere ad beneficium acquirendum.

Reſpondetur S. Thomam non eſſe con-
26 tra nos; Rectè enim docet, quod remouere obſtacula mediante pecunia ad obtinendum Epiſcopatum, aut aliam dignitatem eccleſiaſticam, ſit ſimonia, quia daretur temporale pro ſpirituali, quamuis hoc ipſum indigeret aliqua explicatione: At hoc non euenit in caſu noſtro vt vidimus, qui etiam eſt longè diuerſus ab illo, qui refertur à Sanchez, nam in illo caſu, quem ponit Sanchez, mutua illa promiſſio non ſe opponendi erat in ordine ad beneficium eccleſiaſticum, omnis autem conuentio in materia beneficiali eſt prohibita, vt dicemus quæſito ſequente; at noſtra conuentio non verſabatur in tali materia, & ideò diſpar eſt ratio.

§. VI.

An tranſactio iſta contineat aliquam ſimoniam contra ius Eccleſiaſticum.

EX doctrina in antecedentibus tradita vnuſquiſque facilè deducere poſſet huius quæſiti deciſionem; cæterum, vt omnis dubitatio de medio totaliter auferatur, conſiderabimus conuentionem in ordine ad ſimoniam, quæ eſt contra ius poſitiuum, & eccleſiaſticum.

Ratio autem dubitandi eſt, quia omnis
pactio in ſpiritualibus interdicitur per ſacros canones, *cap. Quam pio 1. quæſt. 2. & cap. final. de pactis, & alibi,* proinde cum in caſu noſtro habeamus expreſſam conuentionem in materia aliquo modo ſpirituali videtur conſequenter eſſe ſimonia contra leges eccleſiaſticas. 27

Sed dicendum eſt, nullam in conuentione prædicta inueniri ſimoniam etiam de iure eccleſiaſtico: Hanc concluſionem probo, tum ratione deſumpta ex iure cõmuni, tum etiam ex iure ſpeciali. 28

Et primo in iure communi non prohibetur conuentio in omni materia ſpirituali, ſed ſolum in beneficiali, vt aſſerit *Gloſ. in cap. Quam pio, vt ſupra verſ. (Pretio) Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 51. numer. 8. Toletus in ſumma lib. 5. cap. 88. num. 2. Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 5. art. 2. ad 3. Caſtropalaus diſput. 3. de ſimon p. 15.* Et communiter alij, idcircò ſi conuentio non continet aliundè ſimoniam de iure diuino, & non ſit in materia beneficiorum nõ cenſebitur includere ſimoniam de iure eccleſiaſtico; & quamuis in iuribus citatis locutio ſit generalis, per quam interdicitur omnis pactio, & conuentio in rebus ſpiritualibus, tamen Authores, vt notat Caſtropalaus, intelligunt loca illa de conuentione, per quam datur temporale pro ſpirituali; & tranſactiones prohibitas in materia beneficiali ex alijs iuribus colligunt. cum autem Baiuliuatus iſti non ſint beneficia eccleſiaſtica, vt oſtenſum eſt, idcircò conuentiones circa illos non ſunt prohibitæ, neque continent ſimoniam de iure eccleſiaſtico. 29

Secundo poſſemus concluſionem probare ex eo, quod tranſactio aliqua etiam in materia beneficiali, authoritate Epiſcopi, ſeu alterius Prælati habentis iuriſdictionẽ Epiſcopalem, eſt conceſſa in iure communi, vt colligitur *ex Rubrica de tranſac. per multa capita, & ex titulo de rerum permutatione, cap. Quæſitum, cap. Cũ olim, & cap. Cum vniuerſorum, & ibi,* Canoniſtæ, 30

niſtę, & habetur textus *in cap. Niſi de prebend.* vbi ſtatuitur, quod pro bono pacis poſſunt arbitri, ita componere partes litigantes, vt vni parti dent beneficium, alteri vero penſionem, etiam ſi ſit ipſa penſio temporalis. pecunia autem illa, quam ſoluit Franciſcus, dum Antonius exercebat officium Admiraliatus ſe habebat veluti penſio quædam ad tempus; & licet *Barboſa in cap. Niſi, citato, & in cap. exhibita, de rerum permutatione*, doceat facultatem illam conceſſam iudici arbitrio ad componendas controuerſias inter partes intelligi quando pars litigans habet ius quæſitum in beneficio, quia tunc videtur ſolum dare temporale, non pro aliquo ſpirituali, ſed pro grauamine; at quando nullum eſt ius quæſitum, videretur dare temporale pro ſpirituali, cum nullum ſit grauamen, & vna ex partibus acquireret ius certum; imò, & ipſum beneficium; ac proinde tunc fieri non poſſe talem tranſactionem; nihilominus aliqui non agnoſcunt hanc reſtrictionem vt *Butrius citatus ab ipſo Barboſa in cap. 2 de arbitris n. 8. Suarez lib. 4. cap. 51. à n. 21.* & in eadē ſententia videtur eſſe *Filliuccius tractat. 45. cap 7. num. 26.* Qui omnes ſolum excludunt conuentionem factam arbitrio ipſarum partium; & ideo à iudice reprobandam vt ſuſpectam de ſimonia, & dicunt eſſe licitam ſi fiat officio, & prouidentia ipſius prælati, & conſequenter videntur non agnoſcere reſtrictionem illam, quam ponit Barboſa; ſed quicquid ſit de iure communi, concluſio eſt confirmanda ſecundum ius ſpeciale idcircò.

31 Tertiò probatur ex inueterata, & immemorabili conſuetudine, quæ eſt veluti quoddam ius, ſecundum quam habemus conuentiones iſtas paſſim fieri inter milites Religionis Hieroſolymitanæ; proinde etiā ſi demus in iure communi oppoſitum decerni, ſatis erit prædicta cōſuetudo ad cohoneſtandas ſimiles conuentiones, & præſertim cum hæ conuentiones palam exerceantur, videntibus, & conſentientibus ſuperioribus, & cum conſuetudo in his materijs ſit ſufficiens ad derogandum iuri communi, vt habetur *ex cap. finali de conſuetud.* & ibi Doctores Canoniſtæ, & communiter Theologi loquentes de vi, & natura conſuetudinis, proindè dicendum eſt, quod etiam ſi daretur lex canonica prohibens has conuentiones inter ipſas partes; nihilominus vi conſuetudinis legitimè præſcriptæ, talem legem abiiſſe in diſſuetudinem in ordine ad has tranſactiones factas pro bono pacis, & ad dirimendas lites, & controuerſias inter ipſos Milites.

32 Quarto denique probatur ex ampliſſima poteſtate, quam Magnus Magiſter habet à Summis Pontificibus circa diſpoſitionem omnium beneficiorum ſuæ religionis, & præſertim circa Prioratus, Baiuliuatus, &c. vt apparet ex bulla *Innocentij Octaui anno domini* 1489. *die* 28. *Martij*, per quam Pontifex in vim contractus promiſit per ſe, & ſucceſſores ſuos nunquam ſe inpoſterum collaturum Prioratus Baiuliuatus, commendas beneficia, &c. huius religionis etiam ſi in Romana Curia vacarēt; & pariter declarauit nunquam intelligi cōpręhenſa ſub quacumque reſeruatione facta, et facienda à Sede Apoſtolica, ſed omnia eſſe ſub libera, & totali diſpoſitione ipſius Magiſtri, & Conuentus vbicumque vacarent, ità refert *Boſi. par. 2. hiſtor. lib. 14. anno* 1489. *verſiculo (Dopò queſto,) & ex Bulla Gregorij XIV. anno* 1591. quę extat in 2. *tom. bull.* & eſt quinta in ordine; in hac enim bulla Pontifex dat plenam poteſtatem Magiſtro, & Conuentui vniendi diſmembrandi, Prioratus, Baiuliuatus, &c. Quod ſimiliter fit in bulla *Pij Quarti* ſuperius relata, vbi non ſolum confirmantur priuilegia, & poteſtates à prædeceſſoribus Pontificibus conceſſa, verum etiam plura de nouo conferuntur, & ſpecialiter in §. 6. ea quæ fuerunt conceſſa à *Iulio* 2. approbantur, *& in* §. 8. idem Pontifex elargitur Magno Magiſtro facultatem decidendi, & determinandi lites, & controuerſias, quę inter fratres ſuboriri queunt circa Prioratus, Baiuliuatus, Præceptorias, &c. & hoc iuxta conſuetudines approbatas eiuſdem religionis. ergo ſub hac generalitate Pontifex implicitè confirmat conſuetudinem, quę viget, in hac religione, nempè, dum eſt controuerſia de anſianitate, & benemerentia, in ordine ad baiuliuatus, & reliquas præminentias, partes componendi, cum conſenſu Magni Magiſtri. de facto autem tranſactio inter Franciſcum, & Antonium firmata fuit interueniente eiuſdem Magiſtri conſenſu, vt patet ex ſcripturis, & ſic nulla in tali conuentione ſimoniæ ſuſpicio contra ius eccleſiaſticum eſſe potuit.

33 Et vt hæc, quæ de Magni Magiſtri poteſtate, & conſuetudine vſque ad hanc diem recepta, à nobis dicta ſunt, magis confirmentur, placet referre epiſtolam, quam mihi perlegendam præbuit iuriſconſultus Iacobus Caccioppo, ex illa originali fideliter exaratam, quam ipſe Magnus Magiſter ad Sanctiſſimum Pontificem Vrbanum VIII. præteritis diebus tranſmiſit, per eam autem magni animi dolore exponebat Pontifici, querelam datam à quodam fratre Clemente Malabaila contra fratres Carolum Valdinam Baiuliuū Sancti Stephani, & Hieronymum Saluago admirantem,

ac

Digitized by Google

ac ſi eſſent ſimoniaci, ob quamdam tranſactionem inter ipſos initam authoritate ipſius Magni Magiſtri, & Conſilij approbatam; valdè huic de qua loquimur, ſimilem. proponebat enim Magiſter in eadem epiſtola conſuetudinem ſuæ religionis in componendis his controuerſijs, quæ inſurgere ſolent inter milites circa prælationem in commendis, Baiuliuatibus, &c. & ſimul ſuppliciter petebat à Pontifice, vt dignaretur reuocare commiſſionem datam iudici, quem confidentiæ appellant, ad querelam illam examinandam, & in hac re perpetuum imponi ſilentium, ne aliquod, & ipſius Magiſtri poteſtati, & conſuetudini prædictæ inferatur præiudicium.

§. VII.

Etiã ſi in ipſa trãſactione interceſſerit aliqua ſimonia, non tamẽ in materia beneficiali, an trãſigẽtes inciderint ipſo facto in aliquam pœnam.

34 DIco Franciſcum, & Antonium contrahentes modo explicato nullam incurriſſe ipſo iure pœnam latam contra ſimoniacos, pro explicatione, & probatione huius concluſionis.

35 Aduertendum eſt nullum inueniri textũ in ſacris canonibus, in quo pro ſimonia, in quacumque materia imponatur pœna ipſo iure incurrenda, vt notant doctores infra citandi, & fuſè probat *Suarez cap. 55. de ſimon.* imò oſtendit, ante *duas primas extrauagantes ex communibus tit. de ſimon. in 6.* neque inueniri in iure antiquo pœnã aliquam contra ſimoniacos, quæ ipſo facto incurratur: prima autem extrauagans ex prædictis loquitur de ſimonia, quæ cõmittitur propter ingreſſum religionis, & pœna impoſita eſt excommunicatio ipſo facto incurrenda Pontifici reſeruata cõtra ſingulos dantes, & recipientes pecunias, &c. & pœna contra Capitulum, & conuẽtum eſt ſuſpẽſio: ſecunda autem extrauagans fuit edita à Paulo ſecundo, & incipit *cum deteſtabili*, in qua ſtatuuntur nonnullæ pœnę ipſo iure incurrendæ contra ſimoniam in ordine, & beneficio, quapropter hodie pœnæ ipſo iure incurrendæ ſunt in triplici materia, videlicet in ingreſſu religionis, ordine, & beneficio, igitur cũ tranſactio inter Franciſcum, & Antonium non ſit circa ingreſſum religionis, neque circa ordinem, vt eſt manifeſtum, neque ſit in beneficio, vt ſupra latè oſtendimus, conſequens eſt, vt dicamus, quod etiamſi aduerſario daremus continere aliquam ſimoniam in aliqua materia, ipſos contrahentes ob talem ſimoniam nullam ipſo iure pœnam incurriſſe.

Dices in extrauagante Pauli ſecundi nõ ſolum imponitur pœna contra ſimoniam in beneficio, verum etiam contra ſimoniã in officio, nam Pontifex ſic inquit, (*Per electiones vero, poſtulationes, confirmationes, prouiſiones, ſeu quaſuis alias diſpoſitiones quas ſimoniaca contigerit labe, fieri, & quæ viribus omnino careant, in Eccleſijs, Monaſterijs, Dignitatibus, Perſonatibus, officijs Eccleſiaſticis, & quibuſuis beneficijs, aut aliquo eorum cuiquam ius nullatenus acquiratur, nec faciat fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit reſtitutionem ſub animæ ſuę periculo ſit aſtrictus.*) Cum igitur Pontifex decernat pœnam etiam contra ſimoniã in officijs eccleſiaſticis; & cum Baiuliuatus ratione iuriſdictionis ſpiritualis quam habet in clericos, cenſeatur eſſe officium eccleſiaſticum, rectè infertur Franciſcum, & Antonium ob ſimoniam patratam circa ipſum baiuliuatum incurriſſe ipſo iure pœnas prædictas, quæ in extrauagante Pauli enumerantur. 36

Reſpondetur dupliciter ad hoc argumentum, & primo etiam ſi daremus Baiuliuatum eſſe aliquo modo officium Eccleſiaſticum, tamen ob ſimoniam in illo commiſſam Franciſcum, & Antonium nullam ipſo iure pœnã incurriſſe, vt enim plures, & graues doctores aſſerunt, ſolum in ordine, ingreſſu Religionis, & beneficio, ipſo facto pœnam incurri. *Ita Nauar. in ſumm. cap. 23. num. 111. verſ. 7. Barboſa in collect. vol. 3. lib. 5. extrauag. 2. nu. 9. Benſfeld. in rubric. de ſim. notab. 15. obſer. 5. Caſtropalaus diſput. 3. de ſimo. p. 21. Bonacina queſt. 7. de ſimo. §. 2. num. 4. & de cenſur. in particulari diſp. 2. queſt. 3. p. 24. num.* 4 & alij: fundamentum vnicum, ſed valdè efficax, cui hi Authores innituntur, eſt quia cum ſimus in materia pœnali, verba legis ſunt ſtrictiſſimè intelligenda, & nullo modo amplianda iuxta regulam *iuris in 6. Odia ſunt reſtringenda*, & ideo cum officium, & beneficium synonymè interdum accipiantur in ſacris canonibus, vt probat Benſfeldius, debemus illa duo, pro eodem intelligere, aliter verba ampliarentur, & non reſtringerentur in materia pœnali, quod eſt contra communem doctorum conſenſum: Pontifex autem voluit illa duo, vt diſtincta nominare, quia (vt aſſerit Bonacina) interdum ſub nomine officij canones intelligũt beneficium, & quia in aliquo loco beneficia appellantur officia, ideo ad comprehendendum omne beneficium ſub quocũque nomine ſignificetur, Pontifex duplici illo vocabulo voluit illud explicare. 37

Secũdo reſpondeo eſto admittamus per illas duas voces, diuerſa ſignificari, non 38

ideò ſimonia, quæ ex hypotheſi in prædicta tranſactione ponitur commiſſa, ſubiaceret pœnis illius extrauagantis; nam per officia ibi intelliguntur, quę conſtituunt Prælatum, vt ſunt Superioritates religioſę, Generalatus, Prouincialatus, Guardianatus, Prioratus, Rectoratus, &c. vel alię, quarum actus primo, & per ſe tendunt ad ſpiritualia: At Baiulinatus nōn eſt talis, nam eius actus principalis non verſatur circa ſpiritualia, vt oſtendimus, ſed circa bona temporalia: & licet habeat annexam iuriſdictionem in clericos, ius patronatus, &c. hoc eſt, conſequenter, & per accidēs; vnde Baiuliuatus non vocatur officium eccleſiaſticum, niſi largè, & impropriè, quod autem officia in extrauagante illa intelligantur, ea, quæ diximus, docent *Suarez lib. 4. de ſimo. cap.* 55. *num.* 5. *Filliuccius tract.* 45. *cap.* 13. *num.* 2. *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap* 35. *dub.* 25. *num.* 137. Sanchez *in opuſ. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 107. *num.* 3. *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *de ſimon. cap. vltimo* §. 7. *num.* 69. *Gordonius tom.* 2. *Theolog. moralis lib.* 8. *q.* 9. *cap.* 4. *Peirinus de ſubdito tom.* 1. *quæſt.* 1. *de obedient.* §. 9. *concluſ.* 21. *circa medium Ioan. Laerut in directl. conſcien. precep.* 70. *de ſimon. dub.* 26. fundamentum huius intelligentiæ, eſt ferè idem, quod ſupra; cum enim ſimus in pœnalibus officium eccleſiaſticum, circa quod verſari poteſt ſimonia, ſi referatur ad pœnas per hanc extrauagantem impoſitas, debet accipi ſtrictiſſimè, & rigoroſè, & nō amplè, & ſic nomine officij Eccleſiaſtici veniet tantum illud, quod ſimpliciter, & propriè eſt officium Eccleſiaſticum, illud nimirum, cuius actus principales feruntur in ſpiritualia, ſeu in directionem ſpiritualem ſubditorum, & talia officia ſunt ſuperioritates religioſæ, &c. quæ conſtituunt propriè verum Prælatum in dignitate Eccleſiaſtica, & ideò Baiuliuus, nequaquam vocari poteſt Prælatus, vt notauit *Lambertinus de iure patronatus* 1. *p. quæſt.* 6. *art.* 14. *nu.* 2. dum ait commendatariū etiam perpetuum adminiſtratorem, non habere beneficium in titulum, nec appellari Prælatum, & multo minùs dici poteſt perſonatus; ille enim dicitur habere perſonatū, cui conuenit locus dignior in choro. At Baiuliui, cum non ſint clerici, nequeunt habere locum in choro; nam hoc eſt proprium clericorum, eiſque competit ratione clericatus.

Et hæc dicta ſint circa hanc materiam de ſimonia, de ſe valdè difficilem, & implicatam; Reſpondendo autem directè ad quæſitum.

Dico. in tranſactione illa nullam ſimo-
39 niæ labem contineri, neque contra ius diuinum, & naturale, neque contra ius eccleſiaſticum. Et hæc eſt mea ſententia, quam libentiſſimè aliorum profeſſorum iudicio ſubmitto.

QVÆSTIO DVODECIMA.

Teneantur ne Admodum Reuerendi Parochi huius Felicis Vrbis Panormi Miſſam, quām in proprijs Eccleſijs celebrant applicare pro ſalute, & proſperitate eiuſdem Vrbis.

SVMMARIVM.

Declaratur controuerſia, & refertur Bulla Clementis, 1
Refertur quorumdam opinio negans Parochos poſſe recipere eleemoſynam pro Miſſis quas obligantur dicere in propria Eccleſia, & probatur diuerſis argumentis. 2
Sententiam contrariam ſuſtinet auctor. 3
Probatur primo ex ipſa Bulla Clementis. 4
Suadetur ſecundo ex eo quod ſtipendium ſubrogatur lucro, quod Parochi erant alioquin recepturi in adminiſtratione, & confirmatur ex eadem bulla. 5
Probatur ex quibuſdam apodixis. 6
Probatur etiam ex conſuetudine. 7
Soluitur primum argumentum contrariū ex pronomine (ſuis) deſumptum. 8
Reſpondetur ad confirmationem deſumptam ex decreto Archiepiſcopi. 9
Satisfit ſecundo argumento principali. 10
Reſpondetur ad argumentum deſumptum ex doctrina auctoris. 11
Soluitur argumentum ex conſtitutione Vrbani acceptum. 12
Reſpondetur ad confirmationem deſumptam ex Tridentino. 13
Soluitur aliud argumentum circa obligationem Parochi non graduati. 14

Paucis ab hinc diebus in controuer- 1
ſiam vocatum fuit, num Admodum Reuerendi Vrbis Panormitanæ Parochi ex officio teneantur virtute Bullæ Clementis Octaui ſuper Reformatione Parochiarum, miſſam, quam in proprijs Eccleſijs celebrant, applicare pro bono regimine, ac proſperitate huius Vrbis. Cæterum priuſquam opiniones, hinc indè contrarias earumq; argumenta in medium afferam, propono tanquam huius controuerſiæ baſim, & fundamentum verba ipſius Bullæ fol. 16. in medio ſic enim habetur. (*Ipſiq; Rectores, quibus centum, & quinquaginta, & Cappellani, quibus ſeptuaginta quinq; ſcuta in ſingulos annos ſunt conſtituta, in eorum Eccleſijs miſſam ſingulis diebus, exceptis duobus tantum non*

feſtiuis cuiuſlibet hebdomadæ celebrare, ſeu ſuo ſumptu celebrare facere debeant, neq; huic obligationi ſatisfaciãt cum alijs miſſis, quæ in eiſdem Eccleſijs quomodolibet ſunt inſtitutæ, aut inſtituentur certo annuo cenſu, quamuis pro ſuis miſſis alicui applicandis eleemoſynas accipere nõ prohibentur.) hæc Pontifex.

2 His verbis innixi nonnulli viri docti ſubſtinent; admodum Reuerendos Parochos non ſolum adſtrictos eſſe celebrare modo explicato in propria Eccleſia, verum etiam miſſam applicare pro huius Vrbis ſalute, & proſperitate, varijs autem rationibus ad id ducuntur.

Primo ex verbis ipſius Bullæ; quibus eis ſolum permittitur recipere ſtipẽdium pro illis duabus miſſis cuiuſlibet hebdomadæ, nam in textu dicitur (*Pro ſuis miſſis alicui applicandis eleemoſynas accipere non prohibentur.*) Miſſæ autem, quæ, ſuæ, dici poſſunt, ſunt dumtaxat illæ, quæ in eadẽ Bulla relinquuntur ipſorum Parochorum arbitrio, tales autem ſunt duæ prædictæ; ergo pro reliquis vtpotè non ſuis, non eſt ipſis liberum accipere eleemoſynam: exceptio .n. quarumdam firmat regulam in contrarium pro reliquis, vt in iure dici ſolet, quod enim conceditur ſuis, negatur alijs non ſuis; ſed pro ſuis non prohibẽtur recipere eleemoſynam; ergo pro non ſuis prohibentur.

Et confirmatur ex decreto quod 30. Iunij 13. Ind. 1600. pro executione huius Bullæ edidit Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus D. Didacus Aedo Archiepiſcopus Panormitanus ſummi Pontificis Delegatus Apoſtolicus, repetens enim diſpoſitionem hanc pontificiam, nempè obligationem, qua ipſi Parochi detinentur quoad miſſarum obligationem, dirigit verba ad Parochos; præcipiens illis, eorumque Cappellanis, vt miſſas in Parochialibus Eccleſijs celebrent, vel ſuis ſumptibus celebrare faciant ſingulis diebus exceptis duobus nõ feſtiuis cuiuſcunque hebdomadæ; poſtea vero eos hortando ſic inquit, (*Et quoniam pro ſuis miſſis cuilibet applicandis eleemoſynas accipere non prohibẽtur eoſdem hortamur in domino, vt illis ipſis diebus, quibus miſſas celebrare in parochiali Eccleſia non tenentur, ſi accepta, vel non accepta eleemoſyna celebraturi ſint, in ipſa Parochiali Eccleſia celebrent, vt ſemper in dies fiat populi ad eas concurſus, vt erga illas deuotio augeatur*) verba autem huius decreti diligenter ponderanda ſunt, in illis; enim duo continentur, nempè præceptũ, & hortatio: præceptum fertur in illas miſſas, quas Parochi celebrare tenentur in proprijs Eccleſijs: hortatio vero in illas duas miſſas; quæ arbitrio eorumdem Parochorum ſunt relictæ, & quæ ſuæ appellantur, rationem autem poſitam confirmando ſic arguunt. De illis dicuntur Parochi non prohiberi eleemoſynam recipere, quæ dicũtur ſuę, & de quibus Archiepiſcopus hortatur Parochos ipſos, vt eas celebrent in proprijs Eccleſijs; ſed hæ miſſæ ſunt tãtum illę duę cuiuſlibet hebdomadę, ergo de his tãtũ duabus miſſis, dicũtur Parochi non prohiberi eleemoſynam accipere.

Secundo probant, quia obligatus ad celebrãdum cenſetur etiam obligatus ad applicandam miſſam pro eo ad cuius intentionem fit ſacrificium, ſed Parochi in beneficium populi, ſeu Vrbis obligati ſunt ad celebrandum quinque ſaltem diebus cuiuſlibet hebdomadæ, ergo etiam obligati sũt ad applicandam miſſam pro ſalute eiuſdem populi, ſeu Vrbis.

Tertio in dubijs, num inſtituens legatũ pro celebrandis miſſis in aliqua Eccleſia, id intenderit ad cultum Eccleſiæ, & deuotionem populi, an vero ad beneficium propriæ animæ teſtatoris, præſumendum eſt propriam vtilitatem voluiſſe ſpiritualem, vt ex quibuſdam Auctoribus determinat *Bardi tract. de cõſc. dub diſcep. 6. cap.* 10 §. 3. igitur etiã ſi in caſu noſtro in dubio verſaremur, num Pontifex in Bulla prædicta voluerit obligare Parochos ad ſolam præſentiam, an potius ad applicandum ſacrũ pro Senatu, & populo Panormitano, à quo ſtipendium annuum recipiunt, præſumendum erit intendiſſe applicationem pro Vrbis proſperitate.

Quarto Vrbanus Octauus fel. mem. in Bulla de celebrat. miſſ. prohibet, ne pro eodem ſacro dupplex recipiatur ſtipendiũ, vt patet ex reſponſione ad quartam interrogationem; ergo Parochi recipientes ſtipendium à Senatu pro celebrandis miſſis in proprijs Eccleſijs, nequeunt pro eiſdem miſſis aliud ſtipendium ab alijs perſonis recipere.

Et confirmatur *ex Conc. Tridentino ſeſ.* 23. *de reform. cap.* 1. vbi curam animarum habentibus diuino præcepto dicitur eſſe commiſſum, vt pro ouibus ſuis ſacrificium offerant: igitur nequeunt aliud ſtipendium pro eodem ſacrificio recipere.

Quinto probant ex eo quod Parochus non graduatus, quamuis vltra ſtipendium: 150. aureorum recipiat alios 25. aureos à Senatu, nihilominus hi 25. aurei eo ipſo cẽsẽtur applicati pro augendis miſſis in eadẽ Eccleſia pro ſalute, & proſperitate Vrbis, vt expreſsè habetur in *Bulla fol. 9. verſus medium*: vnde ſic argumentantur, numerus addendus, & numerus, cui additur debent eſſe de rebus eiuſdem rationis, aliter impropriè diceretur augeri numerus,

cui fit additio: igitur ſi miſſæ, quæ adduntur in augmentum aliarum applicari debẽt pro ſalute, & proſperitate Vrbis, etiam, & aliæ miſſæ, quibus fit additio, debent eodem modo applicari.

Hæ ſunt rationes, quibus nonnulli viri docti hanc partem affirmatiuam tuentur.

3 His tamen non obſtantibus partem negatiuam ſubſtinendam cenſeo,& ideo ſubſequentem inſtituo concluſionem.

Parochi non tenentur applicare miſſas, quas ſingulis diebus celebrant pro Panormitanæ Vrbis felicitate virtute Bullæ Clement. VIII. ita ſentiunt plures Theologi ex noſtra Societate oretenus à me conſulti.

4 Probatur primo ſtipendium, quod ab Illuſtriſſimo Senatu ſoluitur Parochis eſt pro eorum congrua ſuſtentatione abſque alio onere præter illud, quod eſt ipſis impoſitum de celebrando in propria Eccleſia; igitur non tenentur applicare miſſas pro felicitate Vrbis, & ſtipendium ab alijs non recipere. Conſequentia eſt euidens, quia in antecedente omne onus excluditur, præter onus præſentiæ; proindè tota difficultas in ipſo antecedente conſiſtit. Probatur igitur antecedens ex ipſius Bullæ tenore, in quo ne vllum quidem verbum apparet, per quod tale onus Parochis imponatur, ſi enim Pontifex id voluiſſet imponere vtique expreſſiſſet, & cum id non expreſſerit, ſignum eſt id noluiſſe.

Et ſi dicas ex verbis Bullæ; vt vidimus in argumẽtis pro parte affirmatiua, id implicitè haberi negandum erit hoc, vt fiet manifeſtum in ſolutione prædictorum argumentorum.

5 Probatur ſecundo, & valdè efficaciter, ſtipendium fuit aſſignatum à Senatu pro compenſatione incertorum, nempè pro lucro illo, & longè maiori, quod Parochi erãt recepturi in adminiſtratione ſacramẽtorũ, ſepulturæ,&c. vt patet ex ipſamet Bulla varijs in locis fol. 9. & ſequentibus, vbi eſt ſermo de ſingulis Parochijs in particulari, lucrum autem illud non erat cum onere celebrandi, & applicandi miſſam, &c. ergo neque ſub tali onere aſſignari eiſdem Parochis debuit ſtipendium, quod à Senatu ſoluitur, aliter reformatio iſta valdè damnoſa fuiſſet Parochis, & non iuxta rectam rationem, quia cum prohibitum ſit illis accipere aliquid pro labore in adminiſtrandis ſacramentis, quod de iure eſſet debitũ, & aliundè non recompenſaretur, reformatio eſſet illis damnoſa, ipſique læſi remanerent in proprio iure; igitur dicendum eſt ſtipendium ſuccedens loco incertorum, eſſe liberum à tali onere, & modo, quo libera erant incerta, quibus ipſum ſubrogatur.

Et cõfirmatur ex his, quæ dicũtur in fol. 9. vbi fit mentio de quantitate ſtipendij aſſignati, initium ſumendo à Parochia Sancti Iacobi, dicitur enim ibi, ſtipendium eſſe ſcuta 150. & ſi Parochus ſit in Theologia, aut iure canonico graduatus aſſignantur alia 25. ſi vero graduatus non ſit, ſtatuuntur eadem 25. eo ipſo eſſe applicãda in augmentum miſſarum pro ſalute, & proſperitate Vrbis: Hoc poſito ſic formo argumentum. Diſcrimen illud inter graduatum, & non graduatum prorſus vanum foret, ſi Parochi acciperent ſtipendium cum onere applicandi miſſam pro ſalute Vrbis, quia tum graduati, tum non graduati tenerentur pro tota ſumma ſtipendij accepti ad tale onus, atque adeo vanum eſſet diſcrimen ponere inter vtrumque Parochum, cum diſpoſitio vniformiter pro vtroque procederet; rurſus etiam inutiliter diceretur 25. ſcuta eſſe applicata in augmentum miſſarum pro ſalute Vrbis, cũ non ſolum ipſa, verum etiam alia 150. tali oneri ſubiecta eſſent.

Probatur tertio ex duabus apodixis directis ad Gubernatores Tabulæ huius Vrbis, ſub die 22. Septembris 14. Ind. 1600. quarum vna eſt vnc. 26. tt. 15. ſolutarum D. Coſmę Petraſanta Parocho non graduato Sancti Nicolai Albergariæ; altera vero vnc. 20. ſolutarum D. Hieronymo Vrgel Parocho Sancti Antonij graduato; in prima autem apodixa ſolutio dicitur fieri in compotum illarum vnc. ſexaginta, & pro ſuſtentatione, in ſecunda vero in compotum illarum vnc. 70. & etiam pro ſuſtentatione illius Parochi; ſi igitur prędicta ſtipẽdia abſolutè dicũtur ſolui pro ſuſtẽtatione, & nullius oneris ſit mentio, euidẽs ſignum eſt fuiſſe eodem modo aſſignata, nempè abſque vllo onere applicandi miſſam, aliter pro vna cauſa aſſignarentur, & pro alia diuerſa ſoluerentur, quod non eſt aſſerendum. 6

Probatur denique quarto ex conſuetudine legitimè præſcripta, nam ab ipſo initio, quo emanauit Bulla, nunquam mentio talis oneris facta fuit, ſi autem Parochis huiuſmodi onus impoſitum fuiſſet, debuiſſet proculdubio id apparere aliquando in aliquo publico inſtrumento, valdè enim mirum eſt per ſpatium quinquaginta circiter annorum, nunquam de hac re dubitatum fuiſſe, aut per aliquem contractum, aut apodixam innotuiſſe, ſeruanda igitur ſunt, quæ hactenus diximus, ne mutetur forma huius Bullæ, cuius variatio, ſeu modificatio ſub varijs cenſuris prohibetur à Pontifice fol. 26. ex his autem ſatis efficaciter deducere poſſumus immunitatem Parochorum à tali onere; ſupereſt vt argumenta in contrarium obiecta diluamus. 7

Ad

Digitized by Google

8 Ad primum ergo deſumptum ex pronomine illo reciproco (ſuis) reſpondeo, quod quamuis ſubtiliter,et ingenioſè excogitata fuerit illa explicatio, referendo pronomen ad duas illas tantum miſſas, quæ ſingulis hebdomadis arbitrio Parochi remiſſæ fuere; nihilominus explicatio iſta ſua nimia ſubtilitate ſolidiore expoſitione percuſſa frangitur; ſi .n. attentè verba perpendentur ſtatim agnoſcetur ly (ſuis) contraponi alijs miſſis, de quibus immediatè ante in eadem oratione Pontifex dixerat celebrari in eiſdem Eccleſijs certo annuo cenſu, cum eiſdemque non ſatiſfacere Parochum ſuæ obligationi, iſtæ autem aliæ miſſæ procul dubio illæ ſunt, quæ ab alienis ſacerdotibus in eadem Eccleſia celebrantur, quod autem (ſuitas iſta,) vt ita loquar, extendi debeat ad omnes, & non tātū ad illas duas miſſas, quas celebrat pro ſe Parochus patet, quia aliter ſuperflua, & inutilis foret animaduerſio illa, qua Pontifex dicit Parochos propriæ obligationi nō eſſe ſatisfacturos cum ſacrificijs, quæ annuo cenſu ab alijs ſacerdotibus in eadem Eccleſia offeruntur, quod de reſcriptis, & Bullis pontificijs non eſt aſſerendum, in quibus neque vlla ſyllaba, aut verbum ſuperfluum cenſeri debet: futuram autem ſuperfluam, & inutilem animaduerſionem illam patet, quia nemo ſanæ mentis ambigere poterit duos habentes diſtinctas obligationes celebrādi diſtinctas miſſas, vnico tantum ſacrificio non poſſe vtrique obligationi ſatisfacere, & ſic ſi Parochus haberet obligationem applicandi miſſam ob ſtipēdium acceptum à Senatu, non poſſet ſatisfacere cum miſſis,quas ratione alterius diſtincti ſtipendij alius ſacerdos teneretur celebrare: cęterum ſi obligatio Parochi foret, quoad ſolam præſentiā, ſublata prohibitione, potuiſſet ſatisfacere, ſi alius ſacerdos in eadem Eccleſia celebraret, etiā ſi id faceret ob ſtipendium, v.g. ſi ego tenear celebrare in aliquo Oratorio, & quoad applicationem ſim liber, ſi faciam, vt alius loco mei in eo Oratorio celebret, ad nihil aliud adſtringar; quamuis ille alius ſacrificium applicet alicui, à quo eleemoſynam recepit. Hoc autem volens Pontifex Parochis prohibere, admonet eos non ſatisfacere obligationi præſentiæ cum miſſis, quæ ex obligatione ob ſtipendium à particularibus acceptum in eadem Eccleſia celebrantur, & ſic animaduerſio illa, ſeu admonitio, nequaquam erit ſuperflua, & inutilis; ſupereſt igitur dicendum pronomen illud (ſuis) referendū eſſe ad omnes, & non ad duas miſſas, quas Parochus eſt celebraturus, ſeu referendum eſſe ad omnes illas, quæ contradiſtinguntur ab alienis, & per cōſequēs ad omnes illas,quę quotidiè celebrantur à Parocho, vel ſuis ſūptibus celebrari fiūt, vt permittit Bulla, nam etiam de iſtis verificatur ly (ſuis) in quantum dicuntur ſuæ, vel ratione ipſius Parochi celebrantis, vel ratione eleemoſynæ ab ipſomet erogatæ. De his autem miſſis, vt contradiſtinctis ab alienis Pontifex ſermonem concludens ſtatuit non prohiberi Parochos eas alicui applicādo eleemoſynam accipere. His præhabitis,ad argumentum informa, nego antecedens, in quo ab arguente aſſerebatur, illas tantum ſuas dici, quę duobus diebus arbitrio Parochi relinquntur.

Ad confirmationem ex decreto Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Aedo,reſpōdeo primo: decretum illud eſſe pro executione bullæ pontificiæ, ideoque nequit ampliari, neque reſtringi; proindè; quando verba decreti eſſent aliquantulum obſcura, eſſent explicanda iuxta tenorem, & ſenſum bullæ, eidemque accommodanda. Reſpondeo ſecundo concedendo præceptum ferri in celebrationem faciendam in propria Eccleſia; hortationem vero in illas duas miſſas arbitrio Parochi relictas; nempè vt etiam illæ in eadem Eccleſia celebrētur. Verba autem pręcedentia, in quibus arguens ſuam fundat intentionem, videlicet, (*& quoniam pro ſuis miſſis*) non erit difficilè explicare hoc modo videlicet: quia Parochi pro ſuis miſſis cuilibet applicandis recipere poſſunt eleemoſynam,eos hortamur in Domino, vt in illis diebus, in quibus miſſas celebrare in Parochiali Eccleſia non tenentur ibi celebrent, ſiue de reliquo propter hoc ſint accepturi, ſiue nō accepturi eleemoſynam, & hoc, vt in dies augeatur concurſus, & deuotio populi, iſta autem explicatio nemini aliena videri debet, quia ſæpè contingere poſſet; vt Parochus ſi aliquo die ex illis duobus alibi celebraret: eleemoſynam,vel ſaltem maiorem fortè reciperet, & ſi celebraret in propria Eccleſia, vel non haberet eleemoſynam, vel in minori quantitate haberet,ideo Archiepiſcopus hortatur, vt non curet de hoc, ſed celebret in ſua parochia.

Ad ſecundum argumentum principale, 10
reſpondeo, negando abſolutè antecedēs, nam obligatio celebrandi eſt longè diuerſa ab obligatione applicandi idem ſacrificiū, & ex primo minimè ſequitur hoc ſecundū, vt docent *Suar. in 3. parte tom 3. dip. 86. ſect. 1. in reſponſione ad primam confirmationem, Vaſq. in 3. parte tom. 3. diſp. 234. cap. 4. nu. 27. Riccius in deciſ. Cur. Archiep. Neap. part. 4. deciſ. 101. dicens eſſe communem. Barth. à Sancto Paulo lib. 1. de ſuffrag. quæſt. 181. Ludouicus à Sancta Cruce de expoſit. Bulla Cruc. diſp. 3. dub. 19. num. 21.* & alij apud ipſos, qui lo-

Digitized by Google

loquentes in terminis de Parochis expreſsè dicunt, quod quamuis Parochi alantur à ſubditis, nihilominus ſuſtentatio hæc nõ eſt propter obligationem celebrandi, ſeu applicandi miſſas pro ipſis, ſed vt ipſis ſacramenta adminiſtrent, doceant, &c.

11 Ad tertium aio doctrinam illam, quam docet Bardi eo loco non eſſe cõtrariã huic ſententiæ, quia ibi eſt ſermo, quando verſamur in dubio, num ſcilicet legatum relictum cum onere celebrandi ſit etiam cũ onere applicandi ſacrum pro anima teſtatoris, & tunc ſi adhibita diligentia, & cõſideratis omnibus, voluntas teſtatoris deprehendi nequeat, in tali caſu præſumptio erit pro anima teſtatoris; atque adeò tenebitur legatarius applicare miſſas pro illius anima; ſecùs autem, quando ex ipſa diſpoſitione oppoſitum colligitur, vt euenit in caſu noſtro; nam diſpoſitio facta à Pontifice per bullam, ſufficienter eius mẽtem manifeſtat, & omnes coniecturæ, de quibus ſupra locutus ſum indicant quod intendimus. Addo etiam ſtipendium, quod Parochis quotannis ſoluitur, non eſſe legatum, ſed pro eorumdem Parochorum congrua ſuſtentatione, ad quam procul dubio tenebantur ſubditi ante bullam Clementis, quæ quidem non eſt pro miſſis celebrandis, vt ſupra in reſponſione ad ſecundum declaratum eſt.

12 Ad quartum deſumptum ex cõſtitutione Vrbani VIII. de celeb. miſſ. dupliciter reſpondeo, & primo eſto admittamus vi prædictæ conſtitutionis integrum non eſſe Parochis aliud accipere ſtipendium à particularibus, quibus miſſas applicẽt, diſtinctum ab illo ſtipendio, quod recipiunt à Senatu pro onere celebrandi in Eccleſia parochiali; nihilominus non eſt illis vetitum virtute huius Bullæ Clementis VIII. ſed ſolùm vi tantum prædictæ Conſtitutionis Vrbani.

Reſpondeo ſecundo, quamuis aliqui ſint Auctores ſubſtinentes id fieri non poſſe, & hoc fundent in conſtitutione illa, & reſponſionibus ſacræ Congreg. *vt Gauantus in comment. ad rubr. miſ. tom. 1. p. 5. tit. 12. num. 5. & Barboſa de officio Parochi cap. 11. num. 11. 12. 13.* plures tamen contrarium ſentiunt, etiam poſt prædictã conſtitutionem, vt *Ludouicus à Cruce loco ſuperius citato, & Barthol. à Sancto Fauſto vt ſupra, Ioannes Delugo de Euchar. diſp. 21. ſect. 1. num. 21. 22. Pellizarius in manuali regularium tract. 6. ca. 3. quæſt. 8. & alij*, idcircò quoad hoc punctum non habet locum bulla Clementis VIII. ſed vnuſquiſque ex Parochis conſcientiam ſuam conſulat.

13 Argumentum autem incontrarium, ſi quam vim haberet, procederet quando eleemoſyna primò, & per ſe daretur propter miſſæ præſentiam, at in caſu noſtro primo, & per ſe dãtur propter munus Parochi, ad quod conſequenter ſecundum aliquos venit obligatio præſentiæ, non autẽ directè, & per ſe. Ad confirmationem Tridentini reſpondeo, varias eſſe Doctorum ſententias, an ſemper, ſeu aliquando Parochi teneantur ſacrificium miſſæ offerre pro ſuis ouibus: *vide Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 86. ſect. 1. verſu de beneficijs igitur Curatis, & nouiſſimè Caſtrop. par. 4. tract. 22. diſp. vnica punct. 13. num. 7. qui eruditè Trid. exponit*, ſed quidquid ſit de hoc, certum eſt vi Bullæ Clementis, Parochos ad id minimè adſtringi, vtrum autem ex alio capite, & iure, ad hoc obligentur, videant ipſi.

Ad quintum reſpondeo, Parochum non 14
graduatum adſtrictum eſſe applicare decẽ illas vncias ſuperadditas ſupra ſexaginta, vt celebrentur miſſæ, & ſic vt in eadem Eccleſia Parochiali augeatur numerus miſſarum, vt diſponit Pontifex: ex hoc autem non rectè infertur, quod ſicuti ſacrificia, quæ reſpondent his decem vncijs debent celebrari pro ſalute, & proſperitate Vrbis; ſic etiam ſacrificia, quæ ab ipſis met Parochis quotidiè fiunt, ſint pariter applicanda pro eadem ſalute, & proſperitate; & ad argumentum in forma, reſpondeo, concedendo quod numerus, qui additur alteri numero, vt dicatur illum augere debeat vterque verſari circa res eiuſdem rationis, at nõ ſequitur intentionem applicandi res ipſas debere eamdem eſſe in omnibus, nã ſi aliquæ miſſæ celebrãtur pro ſalute Vrbis, aliæ vero pro intentione aliarum perſonarum particularium, & in eadem Eccleſia dicantur verè, & realiter, quis dubitat numerum miſſarum in Eccleſia illa eſſe auctũ; igitur ex eo quod non graduato ſoluantur aliæ vnc. decem ad augendum numerum miſſarum, non oportet, vt omnes miſſæ, & quæ ab ipſo non graduato celebrantur ex eadem intentione applicentur; nam cum diuerſitate applicationis habetur formaliter miſſarum augmentum. Et hæc mihi dicenda occurrunt de hac re ſtando in Bulla Clem. VIII. Quæ omnia ſubijcio prudenti iudicio Illuſtriſſimi, & Reu. Domini Archiepiſcopi Panormitani, ſi fortè oppoſitũ determinare voluerit.

LI

Digitized by Google

LIBER QVARTVS

DE NONNVLLIS PONTIFICVM Reſcriptis.

HActenus quæſtiones ad iuſtitiam attinentes, vel ad eam aliquo modo facientes explicui; deinceps ſermonem dirigam ad eas quæſtiones, quæ potiùs gratiam, & fauorem quàm iuſtitiam continent, de quibus priuatim interrogatus, quid ſenſerim viua voce declaraui.

QVÆSTIO PRIMA.

Titius Pontifici expoſuit, vt in tredecim menſibus ad ætatem ſacerdotij ſibi deficientibus, diſpenſaret, cum plures tamen deeſſent diſpenſauit Pontifex, tempore autem promotionis tredecim tantum deerant: num diſpenſatio ſit valida?

SVMMARIVM.

1 *Breue pontificium exponitur.*
2 *Argumentum in fauorem reſcripti proponitur.*
3 *Probatur etiam valor reſcripti ex iure canonico.*
4 *Opinio contraria communiter recepta refertur.*
5 *Reſcriptum fuiſſe ſurreptitium ſuſtinetur ab auctore, & probatur ex iure canonico.*
6 *Corollarium DD. ex cap. Si eo tẽpore, &c.*
7 *Adducitur ſententia Menochij.*
8 *Et primum eius argumentum deductum ex veriſimili intentione Pontificis, &c.*
9 *Et ſecundum ex æquipollentia qualitatis expreſſæ.*
10 *Et tertium ex modico exceſſu.*
11 *Et quartum ex eo quod non tacetur qualitas exprimenda ſecundum ius.*
12 *Et quintum ex eo quod ſit dubium an qualitas iſta fuerit exprimenda.*
13 *Soluitur primum argumentum Menochij.*
14 *Impugnatur ſecundum argumentum eiuſdem.*
15 *Ad tertium argumẽtum oſtenditur exceſſum in ætate non fuiſſe modicum.*
16 *Ad quartum probatur defectum reſcripti fuiſſe in ſubſtantia, & non in qualitate.*
17 *Ad quintum reſpondetur, quod nõ eſt ambiguitas de qualitate exprimenda.*
Diluitur argumentum pro eadem ſententia affirmatiua initio poſitum. 18
Reſpondetur ad confirmationem. 19
Declaratur argumentum deſumptum ex capite: ei cui. 20
Conciliantur ex doctrina Barboſæ textus, qui videntur inuicem contrarij. 21
Explicatur caſus in quo reſcriptum non fuiſſet ſurreptitium. 22
Proponitur inſtantia in cõtrarium, & ſoluitur. 23

DElatum ad me fuit Breue quoddam Apoſtolicum, vt eius inſpicerem valorem, atque iudicium de illo ferrem: materia vero, de qua agebatur, talis erat. Titius clericus in minoribus conſtitutus, ad gradum ſacerdotalẽ promoueri cupiens, cum adhuc ætatem per ſacroſcanones requiſitam nequaquam attingeret, petijt à Pontifice, vt dignaretur in prædicto ætatis defectu diſpenſare: in narratiua tamen ſupplicationis exprimebatur tredecim dumtaxat deeſſe mẽſes, cum re vera plures tunc defuerint: conceſſit Pontifex quod poſtulabatur. Cæterum tempore ſacerdotij ineundi, Titius grandior effectus, reperiebatur in ea ætate, vt ſolùm tredecim deſiderarentur menſes. quapropter in dubium reuocatus fuit reſcripti valor: Nonnulli enim ambigebãt, an reſcriptum fuerit ſubreptitium nec ne? & ratio dubitãdi erat quia tẽpore impetrationis veritatem minimè cõtinebat. 1

Poſſet autem quis in fauorem reſcripti, & pro eius validitate ſic arguere. Intentio Pontificis fuit diſpenſare in tredecim mẽſibus: ad hoc vero ſatis videtur eſſe, vt eo tempore quo Titius vti voluit reſcripto, tredecim tantum defuiſſe. & confirmatur à pari, nam in Curia reſignatio beneficij, ad cuius titulum aliquis ad ſacrum ordinem fuit promotus, admitti non ſolet, 2

let,

let, niſi cum clauſula, vt ipſe reſignans aliundè habeat, vt commodè viuere poſſit vt ſtatuit, *Conc. Trid. ſeſſ.* 21. *de reform.cap.*2. ſed non eſt neceſſarium vt congrua ſuſtentatio conſtet tempore datæ, cum ſufficiat id haberi tempore executionis, vt aſſerit *Garçia de beneſ. par.* 6. *cap.* 2. *num.* 277. *& ſeq.* ſic in caſu noſtro ſatis eſſe videtur; ſi defectus tredecim tantum menſium ſolum habeatur tempore, quo Titius vult ad ſacerdotium promoueri.

3 Secundo probatur efficaciter ex iure canonico, nam *in cap. Ei cui* 29. *de preb. in* 6. deciditur eum, qui tempore datæ, ſeu impetrationis ex defectu ætatis habilis nō erat ad præbendam ſacerdotalem, poſſe illam obtinere; ſi tempore vacationis in ſufficienti, & requiſita ætate reperiatur: igitur, & in caſu, dé quo agitur, quamuis Titius tempore datæ in ætate pluſquam tredecim menſium defectum pateretur; ſufficit tamen, ſi tempore executionis, nēpè quando voluerit reſcripto vti, defectus hic non habeatur.

4 In contrarium autem obſtat opinio, quæ communiter recepta videtur ab Authoribus, videlicet eſſe attendendum tempus datæ, ita vt ſi eo tempore cauſa diſpenſandi non ſit vera, nihil proſit, ſi veritatem habeat poſt illud tempus, videlicet quando executioni ſunt litteræ mandandæ: ita ex multis canoniſtis, & Theologis docet *Sanchez lib.* 8. *de matr. diſp.* 30. *num.* 4. *Merolla tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 14. *num.* 317. *in fine*. Vt autem quid ipſe ſentiam, diſtinctius aperiam, prius quæſitum abſolutè examinabo, præſcindendo à caſu in indiuiduo; de quo interrogatus fui: poſteà vero aliquid addam de iſto caſu in particulari.

Dico igitur primo; Reſcriptum, vt iacet,
5 eſſe ſubreptitium, atque adeò non poſſe Titium eo vti, non obſtante, quod tempore ſacerdotij inbuendi, cauſa diſpenſationis, nempè defectus tredecim tantum menſiū ad ætatē requiſitam verificata fuerit. Probatur concluſio ex iure canonico, vbi totum hoc, quod dicimus habetur expreſsè deciſum in caſu ſimili, immò in eodem quoad ætatem, licet materia ſit diuerſa: nam *in cap. Si eo tempore de Reſcript. in* 6. refertur quod Pontifex mandans, vt alicui ſupplicanti prouideretur de beneficio cum cura, vel ſine illa, quia tamen ille, qui id petijt tempore impetrationis beneficij curati ætatem ſufficientem non habuerat, quamquam ad eam peruenerat tempore ſequenti, quando beneficium curatum vacauit, & defectum huius ætatis minimè expreſſerat, declarauit Pontifex tale beneficium conſequi nō poſſe, ex eo quod tempore datæ idoneus non fuerat.

Ex hoc textu colligunt Doctores ex taciturnitate alicuius veritatis neceſſariò exprimendæ, vel expreſſione falſitatis, tempore datæ, deprauari reſcriptum, & ſubreptionem continere, & nihil ad eius valorem prodeſſe, ſi cauſa mouens Pontificē ad concedendum, quod petitur, tempore ſequenti verificetur, videlicet tempore executionis. ſic *Gloſſa in declaratione illius textus. Monachus ibidem numer.* 2. *Francus num.* 1. 2. 3. *Ioannes Andr. cap. Ad aures de reſcrip. Decius cap. Eam te, eod. tit. num.* 26. *Panorm. num.* 5. *Felinus num.* 18. *Tiraquel. de pœn. temp. cauſa* 44. *num.* 41. *Flaminius de reſign. lib.* 4. *quæſt.* 1. *num.* 11. *Pariſius conſil.* 45. *num.* 2. *lib.* 4. *Nauar. cap. Si quando except.* 9. *ver. Habemus in hoc titulo. Sanchez de matrim. loc. cit. Barboſa in illo cap. Eam te. num.* 1. *&* 6. cum igitur Titio tempore datæ ab ætate requiſita plus, quam tredecim menſes defuerint, & hoc ipſe in ſupplicatione non expreſſerit; idcircò reſcriptum, vt ſubreptitium, & nullius valoris eſt habendum. 6

Sed contra ea, quæ diximus circa ſubreptionem reſcripti afferre poſſumus doctrinam, & ſententiam *Menochij cōſil.* 316. *à num.* 1. *vſque ad* 15. *lib.* 4. vbi ſuſtinet ſubreptitiam non fuiſſe prouiſionem, ſeu gratiam de beneficio, quam cuidam conceſſit Pontifex, licet ab ipſo impetrante falſum fuiſſet expreſſum circa defectum ætatis, dixit enim eſſe in decimotertio, cum tamen fuerit in duodecimo ſuæ ætatis anno. prouiſionem autem non eſſe deprauatam ſex argumentis conatur ſuadere Menochius. 7

Primo, quia expreſſio illa, quæ veriſimiliter non mouet ad gratiam concedendam, ſi omittatur, non præſumitur doloſa, & conſequenter gratiam ſubreptitiam nequaquam reddit. quod plurium canoniſtarum authoritate confirmat idem Author: at facilè eſt credere, quod ſi Pontifici declarata fuiſſet ætas duodecim annorū, non fuiſſet negaturus gratiam, neque difficilius motus fuiſſet ad illam elargiendam; igitur gratia non eſt ſubreptitia cenſenda. ſic etiam in caſu noſtro poſſet quis contra nos arguere probando, quod eadem facilitate, qua Pontifex cum Titio diſpenſauit in tredecim menſium defectu, fuiſſet diſpēſaturus etiam in viginti, & ideò ex hoc capite non erit vt ſubreptitia reijcienda gratia, & diſpenſatio Titio conceſſa. 8

Secundo probatur, quia in reſcriptis gratiæ ſufficit per æquipollens qualitatem exprimere: tunc enim fieret per æquipollens, quando impetrans nulla facta expreſſione determinatæ ætatis, ſolum dixiſſet ſe non eſſe in ætate requiſita à Sacro Concil. Trid. 9

ſed

ſed v.g. ſupra vigeſimum annum ætatem agere ita tamen vt non pertingat ad eam, quæ à Trid. requiritur. credendum autem eſt à Pontifice concedendam fuiſſe; igitur non eſt neceſſe, vt ætas certa explicetur, ac proinde ea non expreſſa, nō erit reſcriptum ſubreptitium.

10 Tertio exceſſus in vno anno modicus videtur, atque adeo non expreſſus non videtur irritam facere gratiam: & confirmatur à ſimili iuxta mentem *Anchar. conſil.* 138. *num.* 1. aſſerentis gratiam, qua beneficium impetratur, non eſſe ſubreptitiam, ſi in impetratione valor ipſius beneficij nō fuerit expreſſus, quando exceſſus eſt modicus, & veriſimiliter creditur Pontifex gratiam eodem modo conceſſurus fuiſſet vt euenit in facto iſto, quem examinamus, eadem fere voluntate, qua Pontifex diſpēſauit in tredecim erat diſpenſaturus v.g. in quindecim, aut viginti menſibus.

11 Quarto tunc ſubreptio gratiam conceſſam deprauat, quando vel ſupprimitur qualitas exprimenda ſecundum ius, aut ſtylum curiæ, vel narrantur falſa: ſed cum nullum in caſu noſtro ſit ius, aut praxis, quæ preſcribat determinatam ætatem eſſe explicandam: ergo reſcriptum ſuperius relatum ex hoc capite ſubreptionem continere minimè eſt cenſendum.

12 Quinto: quando eſt dubium num aliqua qualitas ſit exprimenda, nec ne, ſi agatur de gratia iam obtenta, tunc non debet iudicari neceſſaria expreſſio talis qualitatis: ſi vero agatur de gratia impetranda, tunc exprimi debet qualitas, de qua tale eſt dubium. in caſu autem noſtro de gratia iam obtenta eſt controuerſia, ergo iudicandum eſt pro valore reſcripti, ſuſtinendo ætatem determinatam non fuiſſe neceſſario explicandam. his argumentis à Menochio adductis confirmare poſſumus contrariam ſententiam.

13 Sed argumenta prædicta facili negotio impugnantur, & ideo cōtra id, quod primo loco aſſumitur, videlicet per omiſſionem illius expreſſionis, quæ non operatur, vt gratia facilius concedatur, non cauſari ſubreptionem in reſcripto: contra hanc doctrinam, quæ non eſt vniuerſaliter vera efficaciter vrgeo, nam aliud eſt loqui de qualitatibus, & circumſtantijs extrinſecis illius materię, circa quam verſatur gratia; aliud vero de ipſa ſubſtantiali materia, quidquid ſit de qualitatibus: de materia tamen non eſt ita, quia ſi ſubſtantia rei non proponatur eo modo, quo eſt, nequit ſuper illam non expreſſam cadere voluntas Pontificis, aut alterius Principis concedentis gratiam, cum ſit illi incognita, & hoc veritatem habet, etiam ſi expreſſa tota rei ſubſtantia facilius Pontifex fuiſſet gratiam conceſſurus, vt bene aduertit *Suarez to. 2. de Relig. lib.* [illegible] *de voto cap. 27. num. 6. Sanchez in decal. lib 4. cap. 47. num. 28. 29.* & ideo ſi quis petat diſpenſationem ad matrimonium ineundum, obſtante impedimento cognationis in ſecundo gradu, & exprimat eſſe gradum conſanguinitatis, cum ſit affinitatis, irrita erit diſpenſatio, vt *Sanchez ibidem* notat: cū alioqui minus impedimentum ſit affinitas, quam conſanguinitas, & facilius obtineatur diſpenſatio in minori, quam in maiori, hoc tamen nihil proficit, & non alia ratione, niſi quia non exprimitur ſubſtantia illius materiæ, circa quam verſari debet diſpenſatio: ſecus autē, ſi nō expreſſum includatur in alio, vt ſi dicatur impedimentum eſſe in ſecundo gradu, cū ſit in tertio eiuſdem lineæ, vt in tractatu de voto dicitur. at in caſu, de quo agimus exprimitur defect' in tredecim mēſib', cū ſit in pluribus, ideo non exponitur tota materia. addo etiam quod quanto magis impetrans diſtat ab ætate requiſita, eo difficilior erit diſpenſatio, & plura iniunguntur exequēda. Caſum igitur, quem exagitat Menochius, facile impugnamus, quia cum fuerit expreſſus decimus tertius annus, & erat duodecimus, fuit falſa expreſſio, & circa ſubſtantialē materiam, & non circa qualitates extrinſecas; & intentio Pontificis fuit diſpenſare in vno tantum anno, & nō in duobus, etiam ſi daremus diſpenſationem obtinendam fuiſſe, expreſſo decimo tertio menſe.

14 Secundum argumentum impugnatur, quia ſi expreſſus fuiſſet defectus indeterminatus in ætate, videlicet impetrantem non eſſe in ætate illa, quæ à iure præſcribitur, in petitione includeretur quicūq; defectus circa ætatem, proinde nequaquā veritas aliqua ſuppreſſa fuiſſet: at ſignando defectum determinatum, ſi in re eſt maior, falſum exponitur, & ideo ſubreptio cauſatur.

15 Contra tertium vrgeo, quia non cenſeri debet modicus defectus ille, qui ſufficiēs eſt ad cōſtituēdū aliquē inhabilem ad beneficium, qualis eſt defectus vnius tantum anni, & in caſu noſtro defectus, qui impedit promotionem ad ſacerdotium, qualis eſt defectus plurium menſium, ſupra expreſſorū, imo non ſolū defectus menſiū, ſed etiam dierum, & ſecundum aliquos horarum prohibet ne quis tali laborans defectu promoueatur ſine diſpenſatione.

16 In quarto argumento ſupponitur defectus in qualitate, cum tamen ſit in ſubſtātia, vt probatum eſt; quod dicitur de expreſſione ætatis eſt falſum, quia quando defectus in ætate eſt tota materia ſubſtantialis, de qua petitur diſpēſatio, neceſſario

exprimi debet validè poſtularetur diſpenſatio, non exprimendo rem, de qua eſſe debet.

17 Denique quintum argumentum procedit, quando eſt ambiguitas, num qualitas aliqua ſit neceſſariò explicanda: nec ne? at ætas, in qua petitur diſpenſatio non eſt qualitas, ſed ſubſtantia rei, ſupra quam cadere debet diſpenſatio, proinde non poterit dubium eſſe an ſit exprimenda. Et hæc ſatis ſint pro argumentis Menochij impugnandis: ſextum tamen argumentum Menochij omittimus quia non facit ad rẽ noſtram. ſupereſt vt alia argumenta, quæ initio quæſiti in fauorem cõtrariæ ſententiæ propoſita fuere diluamus.

18 Ad primum autem reſpondeo intentionem Pontificis fuiſſe diſpẽſare poſita enarratorum, ſeu precum veritate eo tempore, quo ipſi exponuntur, & licet committens cauſæ inquiſitionem dirigat ſermonẽ ad delegatum, loquens de futuro, cum ait, ſi tibi conſtiterit, hoc eſt perſpectum fuerit, vera eſſe, quæ mihi enarrata ſunt, &c. nihilominus id intelligendum erit de veritate, quam habere debent preces, quando ipſi Pontifici proponuntur, vt deciſum eſt *cap. Si eo tempore*, ſuperius citato.

19 Ad confirmationem deſumptam ex reſignatione beneficij reſpondeo, hæc duo eſſe diuerſa, videlicet ſubreptionem inueniri in conceſſione, & conſtare veritatem precum in executione: primum deprauat reſcriptum, illudque irritat, ſecundum vero minime, quando in impetratione vitium non reperitur, vt melius declarabimus in ſolutione ſequentis argumenti nũc autem dicimus ſufficere, vt tempore executionis habere reſignantem conſtet, vnde commodè viuere poſſit, & non oportet id conſtare tempore reſignationis: proinde nihil contra nos quatenus aſſerimus irritum eſſe præſens reſcriptum, inquantum ſubreptionem continet per falſitatis expreſſionem.

20 Ad ſecundum argumentum, quod longe maiorem inuoluit difficultatem ex *cap. Ei cui de Præb. in 6.* ex illo enim valde efficaciter probari videtur validitas huius reſcripti, ſicuti enim in caſu illo enarrato in dicto capite declarauit Pontifex ſufficiens fuiſſe, vt ætas requiſita ad beneficium cõpleretur tempore executionis, nempe vacationis eiuſdem beneficij; ita ſufficiens etiam videri debet in caſu noſtro, vt veritas ſcilicet defectus tredecim tantum menſium habeatur tempore executionis, ideſt quãdo Titius ad ſacerdotium erat promouendus.

21 Ad dictum argumentum reſpondeo ex doctrina Barboſæ conciliantis vtrumque textum, illum videlicet in *cap. Si eo tempore*, & illum alium in *cap. Ei cui*: diſtinguit enim ipſe in expoſitione vtriuſque textus duas impetrationum formas, vnam, in qua exprimitur qualitas beneficij v. g. præbenda ſacerdotalis; aliam vero, in qua nullius determinati beneficij qualitas declaratur, ſed abſolute, & indefinite beneficium petitur. his poſitis docet prædictus Author inualidam eſſe impetrationẽ, ſi reſcriptum ſit ſub priori forma, & tempore datæ falſum exprimatur, aut ſupprimatur veritas aliqua neceſſario aperienda, vel ſecundum ius, vel ſecundum ſtylum curiæ; ſecùs ſi reſcriptum ſub poſteriori forma procedat, tunc enim ſufficit omnia enarrata vera eſſe tempore executionis, quia tunc nulla erit ſubreptio in litteris, quæ tamen inuenitur in priori forma. vitium in forma primi generis prouenit ex taciturnitate veritatis neceſſario exprimẽdæ, nam cum in ſupplicatione qualitas beneficij declarata fuerit, & ad tale beneficiũ ætas ſupplicantis non fuerit idonea, debebat orator defectum hunc explicare, quem cum tacuerit doloſa cenſetur petitio, & impetratio, & per conſequens vitium in litteris reſultabit, irritans reſcriptum, quod cum ſui initio nullius fuerit valoris, nequibit tractu temporis validum fieri iuxta 48. regulam iuris in 6. [*Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit.*] At in reſcripto ſub poſteriori forma, cum nullius beneficij qualitas proponatur, & ſupplicans ætatem idoneam habeat ad aliquod beneficium, licet non ad quodcumque, nullum apparet vitium: idcirco, ſi poſtea vacet beneficium illud, ad quod ſupplicans tempore datæ ætatem ſufficientem non habuerat, habeat tamen poſtea tempore vacationis, nil obſtabit, quin poſſit tale beneficium acquirere. Ex hac doctrina, quam eleganter Barboſa diſcutit, vtrumque conciliat textum, nam in *cap. Si eo tempore*, mentio ſiebat de beneficio tum curato, tum non curato, & cum orator ipſe ad curatum idoneam ætatem non habuerit, deprauatum exiſtimatum fuit reſcriptum in ordine ad beneficium cum cura obtinendum: proinde quamuis poſtea tempore, quo beneficium curatum vacauit, ætas ſupplicantis completa fuiſſet, declarauit Pontifex non potuiſſe tali beneficio prouideri, ſed tantum illo quod erat ſine cura, quia ad illud tempore datæ orator idoneus fuerat quoad ætatem. Cæterum *in cap. Ei cui*, nullum fuit vitium, quia nullum beneficium in particulari fuit expreſſum, & cum orator tempore impetrationis ætatem ſufficiẽtem habuerit ad aliquod beneficium, validum fuit reſcriptũ, & conſequenter vacante poſtea beneficio

cu-

curato, & completa iam ætate oratoris ad illud, mandauit Pontifex, vt illo beneficio orator prouideretur: & ſic, vt patet nulla inter hos textus canonicos repugnãtia inuenitur. Applicanda igitur remanet doctrina prædicta caſui particulari, quem in præſentia examinamus. Dicimus ergo irritum eſſe reſcriptum quod Titius obtinuit ob vitium in illo contentum, ſcilicet ob falſitatem expreſſam: explicuerat enim Pontifici tredecim dumtaxat menſes ſibi deficere ad ætatem, quam ius poſtulat ad ſacerdotium, cum tamen plures defuiſſẽt, idcirco in litteris ſubreptio reſultauit, eique nihil prodeſſe potuit tempore ſacerdotij ineundi tredecim tantùm menſium defectus, eodemque tempore verificari preces Pontifici enarratas, quia illud, quod initio fuit irritum, nequit temporis progreſſu valorem habere.

22 Dico tamen ſecundo, ſi Titius poſtulaſſet à Pontifice diſpenſationem in tredecim menſibus, & non dixiſſet illo tempore illos tantum ſibi defuiſſe ad ætatem requiſitam, nullum vitium ſubreptionis fuiſſet, atque adeo validum eſſet reſcriptum, & quamuis ſtatim non potuiſſet reſcripto vtens ad ſacerdotium promoueri, cum plures menſes deſiderarentur; nihilominus perueniẽs ad eam ætatem, in qua ſolum tredecim requirerentur, potuiſſet beneficio huius reſcripti gradu ſacerdotali inſigniri. Concluſio, quãuis apud neminẽ eã inuenerim, ſicuti neque contrariam, valde rationi cõſentanea mihi videtur: ducor, quia ſenſus petitionis eſſet, vt ſimpliciter Pontifex diſpenſaret in tot menſibus, & ideo nulla apparet falſitas, aut alicuius veritatis neceſſario exprimendæ taciturnitas.

23 Pro coronide huius quæſtionis non relinquenda videtur quædam obiectio quam mihi obiecit, quidam vir doctus contra ea, quæ diximus in principali concluſione, videlicet ſubreptitium fuiſſe prædictum reſcriptum ex eo quod tempore datæ erat defectus ætatis: obijcitur inquam tali pacto inhabilitas quoad ætatem in ordine ad collationem beneficiorum attendenda eſt tempore executionis, & nõ tempore datæ; ergo etiam inhabilitas quoad ætatem reſpectu ordinum ſacrorum ſpectari debet tempore, quo ordines ipſi ſunt conferendi, non autem tempore datæ, ſeu impetrationis. conſequentia videtur certa, quia par ratio vtrobique videtur. antecedens probatur à Barboſa in explicatione illius capitis *Ei cui*: *nu.* 5. ibi enim duplex inhabilitatũ genus admittit, nam quædam inhabilitates ſunt, quæ repugnãt gratiæ petitæ e. c. beneficio, quod impetratur, & talis inhabilitas eſt excommunicatio, quæ reddit hominem incapacem ad beneficium obtinendum, vt habetur ex *cap.* 1. *de reſcrip. in* 6. & talis inhabilitas reſpicit tempus datæ: aliæ verò ſunt inhabilitates, quæ non reſpiciunt tempus datæ, ſed executionis, & in materia beneficiorum reſpiciunt tempus collationis, vt colligitur ex *cap. Cum in cunctis*. §. *Inferiora de elect.* & ſub hoc ſecundo genere cõprehenditur defectus ætatis: ſufficit enim tali tempore completam ætatem inueniri in eo, qui præſentatur ad beneficium, & cui confertur. ſimiliter in caſu noſtro idẽ erit dicendum, nempe inſpiciendum eſſe tempus collationis ordinis, & non tempus datæ.

Reſpondeo ex eodem Barboſa, concedendo inhabilitates tum reſpectu beneficiorum, tum ordinum conferendorum comprehendi in ſecundo genere, atque adeo attendendas eſſe tempore executionis, ſeu collationis beneficij, aut ordinis, cum hac tamen conditione, vt tempore datæ, & impetrationis nulla fuerit in litteris apoſtolicis ſubreptio, nam ea poſita nõ poterit promouendus, ſiue ad beneficium, ſiue ad ordinem obtinere beneficium, aut ſacris initiari virtute reſcripti inualidi. ſecus eſſet dicendum, ſi nulla interueniſſet ſubreptio: tunc enim ſufficeret tempore executionis abeſſe ineptitudinem illam: & hic eſt ſtylus curiæ. & ex hoc colligunt Doctores, quod cum nequeat de iure cõmuni aliquis eſſe delegatus Sedis Apoſtolicæ, niſi ſit in dignitate conſtitutus, vel habeat perſonatum, aut ſit Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, vt definitur in *cap. Statutum de reſcrip. in* 6. ibique ſcribentes docent, ſi forte eueniat, vt tempore datæ perſona electa careat prędictis qualitatibus, quamuis poſtea tempore executionis, id eſt præſentationis litterarum ſuperueniat illi aliqua ex enumeratis qualitatibus, v. g. efficiatur Canonicus Cathedralis, hoc non obſtante, litteræ erunt nullius valoris, niſi Pontifex ex certa ſciẽtia perſonam illam elegiſſet, tunc enim valorem haberent, vt notat Gloſ. ibi in declaratione textus.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum priuilegium Cruciatæ ſe extendat ad diſpenſandum in impedimento illicitæ affinitatis ante matrimoniũ contractæ, ſi alter coniux ſit extra; alter verò intra Regna, in quibus viget Cruciata?

SVMMARIVM.

Proponitur caſus, & declaratur. 1
Refertur quorumdam opinio. 2

3 *Alia via proceditur iuxta mentem Authoris.*

4 *Poteſt Commiſſarius ſ. Cruciatæ diſpenſare etiam ſi alter ſit abſens, & pariter te id ſuadetur.*

5 *Corollarium.*

6 *Satisfit rationi oppoſitæ ſententiæ.*

7 *Inſtantia in contrarium.*

8 *Soluitur.*

9 *Reſponſio ad confirmationem contrariam.*

1 DElatus ad me fuit caſus, quem examinandum in titulo propoſui, à quodam noſtræ Societatis profeſſore, vt proferrem quid ego ſentirem de poteſtate Commiſſarij Cruciatæ ad diſpẽſandum in prædicto impedimento affinitatis: difficultas autem oriebatur ex circũſtantijs adiunctis, quæ in caſu iſto ſpeciali reperiuntur. vt autem omnia elucidentur, caſum eodem prorſus modo, quo mihi figurabatur, ſic explicò.

Titius carnaliter cognouit Bertam, poſt aliquod vero tempus in vxorem duxit Catharinam eiuſdem Bertæ filiam; poſtea vero, conſcientia ſtimulante de nullitate talis matrimonij; opportunum expectabat remedium, illudque à Commiſſario; at in contrarium ſe offerebat alterius coniugis abſentia, non qualiſcumque, ſed extra dominia, in quibus Commiſſarius iuriſdictionem habet: & quamuis Titius præſens eſſet; nihilominus cum vterque coniux æque primo diſpenſatione indiguiſſet, ſicuti æque primo vtriuſque legitimus exigebatur conſenſus ad matrimonium concelebrandum; idcirco in dubium reuocatum fuit, num abſentia prædicta ita obſiſteret, vt impediret, quin Iudex Cruciatæ matrimonium illud validum redderet.

2 Quapropter viri quidam docti exiſtimabant prædicto incommodo ſufficienter occurri poſſe, ſi Catharina aliquem in regionibus Cruciatæ ſubiectis, procuratorem inſtitueret, qui nomine ipſius diſpenſationem poſtularet, & reciperet: cęterum huiuſmodi remedium vtpote inefficax, reiectum fuit; nam Cruciatæ priuilegia, quemadmodum, & facultates commiſſarij, vigorem habent tantum in locis, vbi eiuſdem cruciatæ vſus viget; & conſequenter illis tantum fauent, qui vel commorantur in regnis prædictis, vel ad illa perſonaliter declinant, vt patet ex ipſomet diplomate §. 1. aliter ſequeretur omnes Chriſti fideles in toto orbe exiſtentes, poſſe per procuratorem Bullam accipere, eaque frui: quod nemo concedit, & eſt contra praxim. Alij vero dicebant Catharinam debere perſonaliter in hunc finem Siciliam petere, vt Commiſſarij iuriſdictioni ſe ſubijciens diſpenſationem intentam adipiſceretur: optimum ſanè remedium, quod, & ego, & alij approbarunt. ſed egeſtas, qua mulier detinebatur, prohibebat, vt ipſa remediũ adeo tutum, & certum eligeret.

Alia igitur via procedendum fuit, & 3
quamuis caſum ſub his formalibus terminis apud neminem ex Authoribus inuenire potuerim; nihilominus rem totam accuratiùs in animo reuoluens, in eam deueni ſententiam, vt iudicauerim poſſe à commiſſario facillimè remediũ exhiberi, ideoque iuxta quæſitum ſic concluſionem formo. Dicendum eſt poſſe à commiſſario matrimonium prędictum firmum reddi, nõ obſtante abſentia alterius coniugis extra regnum.

Probatur concluſio hæc fundamentali 4
ratione: Coniuges in ordine ad diſpenſationem ſunt inſeparabiliter connexi, igitur poteſt commiſſarius diſpenſare in prædicto impedimento, & matrimonium validum reddere, non obſtante vnius coniugis abſentia, &c. conſequentia eſt certa, quia ſi diſpenſatio inſeparabiliter vtrumque coniugẽ afficit, & nihil ex alijs requiſitis deeſt, vt nùnc ſupponimus, nulla apparet ratio, cur matrimonium iſtud valorem obtinere nequeat. tota autem difficultas in antecedente conſiſtit, quod ſic probo: effectus huius diſpenſationis, nempe validitas matrimonij, eſt indiuiduus, nam matrimonium cum eſſentialiter inter duos coniuges eſſe debeat, nequibit eſſe validũ reſpectu vnius, & non reſpectu alterius: igitur coniuges in ordine ad diſpenſationem hãc ſunt inſeparabiliter connexi, cum vel neuter, vel vterque diſpenſationis beneficium participare debeat. ſecundo probatur à pari in caſu valde ſimili v.g. ſi petatur diſpenſatio in aliquo impedimento dirimente ad matrimonium contrahendum, non oportet in precibus ad Pontificem porrectis, diœceſes vtriuſque coniugis aperire, quando ſunt diuerſæ, ſed ſufficit vnam, aut alteram exponere: neque oportet, vt Pontifex, quando delegat facultatem diſpenſandi, eam deleget vtrique Ordinario coniugum, ſed ſatis eſt vt vni tantum illã committat, vt rectè docet *Sanchez lib.* 8. *de matr. diſp.* 35. *num.* 5. & hoc probat nõ ſolum ex quotidiana praxi, verum etiam eodem principio, quo nos concluſionem confirmauimus, nempe ex connexione, quam in diſpenſatione ipſa habent coniuges, & ideo effectus haberi non poteſt in vno, quin, & habeatur in altero. ſimiliter idem Author *lib.* 3. *de matr. diſp.* 7. docet Prælatum alterius contrahentis diſpenſare poſſe cum vtroque coniuge in denunciationibus, quę prærequiruntur ad matrimonium, quando coniuges ſunt in diuerſis diœceſibus; & idem aſſerit *diſp.* 19. *num.* 4.

doc-

doctrina iſta fundatur in principio iuris ciuilis, nempe ex *l. Si communem fundum. ff. Quemadmod. ſer. amit.* vbi ſtatuitur, quod ſi fundus communiter poſſideatur à pupillo, & ab alio maiori; tunc priuilegium, quod habet minor, ne contra ipſum fundus ille præſcribatur, prodeſt etiam maiori, *vt Gloſ. ibi* declarat, *& Bart. ibidem* id oſtendit ex regula indiuiduorum, dicens. *In indiuiduis retinet quis per ſocium, quod per ſe non poteſt*. idemque ferè docet *Baldus in ead. leg.* aſſerens priuilegium vnius conſortis prodeſſe alteri conſorti, & priuilegium minoris prodeſſe maiori. Quod ſub alijs terminis amplectitur *Gratianus in diſcep. foren. tom. 1. cap. 115. numer.* 38. cum ait: *Si prædium vnius eſt commune, victoria vnius prodeſt alijs ratione indi-*
5 *uiduitatis.*

Ex his omnibus colligimus Commiſſarium Cruciatæ diſpenſando in ordine ad aliquem effectum indiuiduum cum vno, poſſe etiam diſpenſare cum alio, licet iſte alius ſit extra locum, in quo commiſſarius iuriſdictionem habet; & hoc ratione illius cõnexionis, quæ reperitur inter illos duos, qui indigent diſpẽſatione: proinde potuiſſe in caſu noſtro diſpenſando cum Titio ſibi ſubiecto, diſpenſare cum Catharina in ordine ad eumdem indiuiſibilem effectum matrimonij, quamuis Catharina extra regnum, in quo viget Cruciata, commoretur.

6 Ad rationem vero in contrarium initio poſitam nõ erit operoſum ex dictis reſpondere. dico igitur quamuis vterque coniux æquè primo diſpenſatione indiguerit; nihilominus, abſentia vnius minimè obſiſtente, vi prædictæ connexionis, poſſe vtrumque coniugem beneficio diſpenſationis frui.

7 Sed poſſet quis vrgere, nullam videri maiorem rationem cur potius præſentia vnius coniugis in regno trahat, vt ita dicam, coniugem abſentem ad participandam vnicam eamdemque diſpenſationem, & abſentia alterius non trahat coniugem præſentem ad prohibendum eiuſdem diſpẽſationis effectum. & confirmatur, nam ſi Pontifex diſpenſet cum Titio in voto caſtitatis ad contrahendum matrimonium cũ Catharina; ſi Catharina ſimili eſſet aſtricta voto, diſpenſatio illa in fauorem Titij, nihil prodeſſet Catharinę, quę indigeret alia, & diſtincta diſpenſatione: & tamen effectus eſt indiuiduus; ergo in caſu noſtro diſpenſatio, qua commiſſarius diſpenſat cum Titio non ſuffragabitur Catharinæ extra regnum commoranti, ſed erit neceſſaria alia diſpenſatio, ad quam obtinendam debebit ipſa Catharina intra regnum priuilegiatum inueniri.

8 Reſpondeo eſſe maiorem rationem in caſu noſtro, quia diſpenſatio iſta ex parte Titij ſufficiẽter fundatur in actuali ſubiectione; quam ipſe habet ad commiſſarium; abſentia vero alterius nempe Catharinæ, licet ab ipſa tollat actualem ſubiectionem, nequit tamẽ tollere à Titio ſubiectionem, idcirco Titius recipiens diſpenſationem conſequenter reddit habilem Catharinam non ob aptitudinem, quæ ſit in ipſa, ſed inquantum neceſſario terminat aptitudinem, quæ eſt in Titio. Rurſus addo magis eſſe attendendas circumſtantias fauorabiles ad valorem actus, quam illas, quæ ſunt talis valoris deſtructiuæ.

Ad confirmationem nego paritatem, 9
quia in Catharina habente votum caſtitatis, eſt poſitiuè aliud impedimentum realiter diſtinctum ab illo, quod eſt in Titio, quæ impedimenta ſunt inuicem ſeparabilia, ideoque ablatio vnius impedimenti nequit tollere aliud impedimentum: at in caſu noſtro vnicum eſt impedimentum, duo ſubiecta afficiens, nempe affinitas cõſurgens ex vna eademque copula; Proinde ſatis eſt eadem indiuiſibilis relaxatio, quæ deſtruens impedimentum reddit vtrumque ſubiectum capax illius effectus, quem reſpicit ipſa diſpenſatio: & ſic eſt diſpar vtrobique ratio.

QVÆSTIO TERTIA.

Explicatio cuiuſdam Breuis Apoſtolici de erigendo priuato Oratorio, vt in eo ſacrum peragatur.

SVMMARIVM.

Expenditur Breue ad erigendum Oratorium. 1

Duæ ſe offerunt difficultates. 2

Verbum (non poteſt) declaratur, quam vim habeat. 3

Solutio ad rationem dubitandi.

Aliqua de quibus procedit diſpenſatio; habent tractum ſucceſſiuum, alia vero vno tantùm actu complentur. 4 5

Diſpenſatio eſt in duplici differentia.

Applicatio doctrinæ. 6

Sententia Authoris à quibuſdam non admittitur. 7 8

QVædam nobilis mulier per Breue Apoſtolicum, facultatem in propria domo priuatum Oratoriũ erigendi obtinuit, vt in eo 1
diuinum perageretur ſacrificium: pro conceſſionis autem cauſa, multæ adducebantur ipſius mulieris infirmitates: in diſpoſitione vero, quæ in Breui continetur, ita habetur, *Vt aſſeris de nobili genere procreata exiſtis, & quibuſdã infirmitatibus la-*

Digitized by Google

laboras, propter quas domo, miſſam audiendi cauſa, egredi non potes, & durantibus infirmitatibus huiuſmodi, miſſam in tua præſentia celebrari facere liberè, & licitè valeas, &c.

2 Ex his autẽ, quę dicuntur, duo difficultatem, & dubietatem ingerentia ſunt nobis perpendenda. primo, quo ſenſu impotentia iſta ad egrediendum accipi debeat; videtur enim abſolutè eſſe ſumenda, quatenus tollit ab ipſa muliere omnem potentiam eundi ad Eccleſiam. Secundo quo pacto verba in clauſula prædicta, ſcilicet (*durantibus infirmitatibus huiuſmodi, &c.*) intelligi oporteat: ambigitur enim an pro aliquo die, ipſius oratricis infirmitate ceſſante, ceſſare etiam debeat licentia iſta, ita vt adſtringatur die feſto Eccleſiam adire.

3 Ad primum Reſpondeo per dictionem illam [*non potes*] non importari phyſicam, ſed moralem dumtaxat, impotentiam: & hoc, quia in rebus ad mores pertinentibus notabilis, ſeu magna difficultas impoſſibilitati æquiparatur: ita *Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 3. caſu 237. num. 24.* docens ea cenſeri impoſſibilia, quæ commodè fieri nequeunt, ex regula *L. Nepos Proculo: de verb. ſignif.* addit tamen incommoditatem, quæ impoſſibilitati æquiualet, iudicis arbitrio eſſe iudicandam, habita ratione qualitatis perſonæ: eamdẽ doctrinam tradit ipſe *Menoch. conſil.* 351. nũ. 35. *lib.* 4 præterea *Rebuffus in l. Nepos. citata ver.* Qui incipit octauo, ait: *illud non poſſumus quod facile exequi non poſſumus* ſic etiam ſcribit doctus *Farinaceus in frag. crimin. par. 2. num.* 143. & quamplures alij apud euſdem. Igitur ex eo quod in prædicto Breui dicatur (*non potes*) non eſt quærenda ex parte huius oratricis omnimoda impotentia, ſeu impoſſibilitas, cum ſatis ſit magna difficultas, & incommoditas ex infirmitatibus proueniens, iudicio prudentum menſurãda, habito reſpectu tũ ad ſexum fœmineũ, tum ad qualitatem, & conditiones perſonæ. Dixi, ex infirmitatibus proueniens, quia certum eſt non ſufficere communẽ incommoditatem, & difficultatem, quam paſſim experiuntur homines etiam bonæ valetudinis: requiritur etiam difficultas ſuboriens ex ægritudine in aliquo gradu notabili, quæ præciſo priuilegio, non excuſaret ipſam mulierem ab eundo ad Eccleſiam.

4 Ex quibus omnibus patet ſolutio ad rationem dubitandi ſuperiùs poſitam, nempe verbum illud (non potes) eſſe abſolute ſumendum, ſed intra genus moris, eo modo, quo ſæpè dicere ſolemus, non poſſum facere hoc, intelligendo moraliter, & nõ phyſicè, quatenus difficile nobis eſt. & hęc de primo, quod conſiderandum propoſuimus.

Quoad ſecundum multa eſſent dicenda, quæ a Doctoribus in materia legum, & diſpenſationum exagitari ſolent, & præſertim quando ceſſante cauſa diſpenſationis, debeat nec ne ceſſare effectus, nempe diſpenſatio ipſa. videri poſſunt *Tiraquellus trac. ceſſante cauſa limit. 23. num. 11. Suarez de legibus lib. 6. cap. 20. Salas eodem tractatu cap. 20. Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 30. Bonacina in decal. diſp. 1. quæſt. 2. punc. 10. à num. 5.* & alij apud ipſos. Cæterum in præſentia ſatis nobis erit pauca quædam quæ ſpectant ad deciſionem huius puncti, in mediũ proponere.

Pro qua re aduerto; aliqua, de quibus eſt diſpenſatio, ſeu licentia, aut priuilegium, habere tractum ſucceſſiuum, & eſſe diuiſibilia, videlicet non fieri vno tantum actu, ſed continuari, vt eſt v.g. ieiuniũ quadrageſimale, quotidiana horarum canonicarum recitatio &c. alia vero vnico actu habere totum ſuum complementum, & eſſe indiuiſibilia, vt eſt v. g. diſpenſatio ad aliquod matrimonium contrahendum, ad ſuſcipiendum aliquem ordinem ſacrum, &c. & de diſpenſatione circa res huius ſecundi generis non loquor, quia cum tota ſimul compleatur, reſpectu illius cauſa ceſſare nequit. Diſpenſatio vero (& idem dico de licentia) quæ fertur in res primi generis, eſt in duplici differentia, nam aliqua abſolutè à legitimo Superiore conceditur, & tunc etiã ſi ceſſet cauſa diſpenſationis, non ceſſabit ipſa diſpenſatio v.g. ſi quis initio quadrageſimæ laboret aliqua infirmitate, & Pontifex dicat: ſtante infirmitate, qua nunc laboras, diſpenſo tecum ne abſtineas à carnibus per totam hanc quadrageſimam; vel ne horas canonicas recites per mẽſem: tunc ſi in medio quadrageſimæ ceſſet illa infirmitas, remanebit diſpenſatio pro alia medietate, quia Pontifex abſolutè, & ſimpliciter propter illam actualem ægritudinem diſpenſare voluit in abſtinentia à carnibus: contra vero ſi dicat: diſpenſo, durante iſta infirmitate: tunc cauſa diſpenſationis non erit ſola infirmitas, vt ſic; ſed permanentia infirmitatis, proinde ſi ceſſet infirmitas, corruet diſpenſatio, quæ in continuitate infirmitatis fundabatur, atque adeo diſpenſatus tenebitur in poſterum abſtinere à carnibus. & in idem recidit ſi Pontifex diſpenſando dicat: diſpenſo pro illo die, pro quo tali infirmitate detineris: tunc ſi aliquo die quadrageſimæ ceſſet infirmitas illa; diſpenſatus non poterit carnes comedere, quia ſub tali reſtrictione, & non aliter conceſſa fuit diſpenſatio.

Aduer-

Digitized by Google

7 Aduerto tamen hic, diſpenſationem ſub priori forma, ſolum concedi poſſe ab eo, qui eſt ſupra legem, vt eſt Sūmus Pontifex reſpectu illius legis, quæ præcipit abſtinentiam à carnibus: nam ſi concederetur ab inferiori Prælato eſſet illicita, & irrita, quia cum inferior Pontifice ſit ſub lege illa, nequit ab illa aliquem eximere, cum ſolum poſſit ſubditos ſuos, liberare à legibus, & ſtatutis à ſe conditis.

Applico autem totam hanc doctrinam caſui noſtro, & aio: licentiā audiendi miſſam mulieri prædictę conceſſam, eſſe valde reſtrictam: inuoluit enim aliquas clauſulas extraordinarias, quæ ipſam licentiam coarctant; & inter alias eſt illa de permanentia infirmitatis; nam Pontifex in ipſo reſcripto nō cōcedit licentiam intuitu infirmitatum vt ſic; ſed intuitu infirmitatum vt permanentium, cum dicat (*durantibus infirmitatibus*) imo de tali reſtrictione minimè contentus aliam addit, vt patet ex ipſo contextu: concedēs enim vnam miſſam pro vnoquoque die celebrādam addit hęc verba ad oratricem directa (*quo domo miſſam audiendi cauſa egredi non poteris*) ex quibus infertur, eo die, quo mulier infirmitatibus conſuetis non laborat, non poſſe vi huius priuilegij in oratorio illo priuato die feſtiuo miſſam audire; ſed teneri ad egrediendum, vt in Eccleſia præcepto miſſæ ſatisfaciat. & hæc mihi ponderanti breue prędictum occurrunt. ſed mulierem hanc omni remedio deſtitutam relinquemus? minimè profecto. quapropter aio, poſita erectione oratorij eiuſque approbatione ab Epiſcopo facienda, mulierem hanc die, quo melius ſe habebit, ita vt licentia audiendi ſacrum in oratorio iudicetur ceſſare, poſſe virtute Bullę Cruciatę ſacrum celebrari facere; illudque audiendo ſatisfacere pręcepto; aliquam tamen, vt præfigitur in ipſa Bulla, breuiſſimam fundendo orationem, etiam vnum Pater, vnumque Aue, rogando pro ijs, qui in Bulla deſignantur, aut in confuſo ad intentionem Pontificis.

8 Hanc ſententiam video à quibuſdam nō admitti; ſed eam vt probabilem defendi ex nonnullis Authoribus *in explicatione Bullæ par. 2. tract. 2. cap. 3. ſec. 5.* hęc mihi breuiter diſcuſſa occurrunt circa Breue prędictum, quæ omnia libenter aliorum prudentum iudicio ſubmitto.

QVAESTIO QVARTA.

Inualida ne ſit diſpenſatio matrimonij ob impedimentum dirimens, ſi quis ad illam facilius impetrādam, in ſupplicatione falſo aſſerat copulam interueniſſe?

SVMMARIVM.

Declaratur caſus. 1
Refertur prima opinio affirmans validitatem. 2
Sententia negans contraria adducitur. 3
Portellij dicta videntur contraria. 4
Copula carnalis falſo expreſſa tanquam vnica cauſſa irritat reſcriptum. 5
Secùs ſi aliæ expreſſæ fuerint cauſſæ ſufficientes ex ſe. 6
Diluitur contrarium fundamentum. 7
Inſtantia in oppoſitum. 8
Soluitur. 9

CAſus in quæſito contentus non multis ab hinc diebus in hoc Siciliæ Regno euenit. nam Titius volens vxorem ducere Catharinam, cum qua in gradu conſanguinitatis matrimonium prohibente erat coniunctus, vt facilius à Summo Pontifice diſpenſationem impetraret, in ſupplicatione expoſuit copulam carnalem interueniſſe, & conſequenter famæ iacturam Catharinam paſſam fuiſſe, ſcandala etiam probabiliter timeri, &c. at re uera copula illa minimè interuenerat; cauſſa tamen cum ſolitis clauſulis Ordinario delegata fuit, videlicet ſi preces veritate nitantur, &c. Titius vero incepit poſtea ambigere de valore reſcripti; ideoque factum nōnullis Theologis aperuit, & ipſemet interrogatus quid de illo ſentirem, adhibita conſideratione, & reſcripti verba diligenter conſiderans, meam tunc aperui ſententiam, quam placet hic breuiter referre, ſed antequam eam declarem placet varia Authorum dicta explicare. 1

2 Prima igitur opinio cenſet diſpenſationē validam eſſe, ita *Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 21. num. 45. Bonacina de legibus diſput. 1. quæſt. 1. p. 4. §. Si vero conceditur. Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 6. num. 386. Diana part. 8. tract. 3. reſol. 65. Amicus tom. 5. diſp. 6. diſp. 8. num. 150.*

3 Secunda vero opinio contraria putat irritum eſſe reſcriptum ob falſæ cauſſæ repreſentationem; in hac autem opinione Authores non eodem modo loquuntur, nā *Henriquez lib. 12. cap. 3. num. 7. litt. D.* ſolus falſæ copulæ meminit, omiſſo quocumque alio motiuo, per quod Pontificis animus inflecti poterat. Alij vero preter

fal-

Digitized by Google

falſę copulę expreſſionem addunt diffamationem mulieris, ſcandala, &c. & his non obſtantibus, aiunt ſubreptitiam eſſe diſpenſationem; *ſic Corduba in ſumm. quæſt. 45. in relat. 2. opinionis puncto 1. Rodriquez 1. tom. ſumma par. 1. cap. 237. conſil. 9. Guttierrez in quæſt. can. lib. 2. cap. 15. n. 133. Vega in ſum. tom. 1. cap. 86. caſ. 4* quibus addo *Portellium*.

4 Qui tamen à Dianà pro priori ſententia affertur, ipſe enim in ſuis *moralibus reſpōſ. par. 3. caſ.* 8. hinc inde caſum examinat, *& nu. 2. in fine*, quamuis dicat opinionem Sanchez in praxi à quouis teneri poſſe, cum ſit tanti viri opinio: ipſe vero nihil certi indicare voluit, nec proprium conſilium interponere, ſed ſolùm ferè diſputationis gratia, inquit, ſupradicta collegiſſe, relinquens alijs momenta rationū, & authorū, &c. at in fine eiuſdem caſus, repetens quæ dixerat: ſcilicet ea quæ ab ipſo dicta fuere, ex mente Sanchez relata fuiſſe, & ferè diſputandi gratia, & non ad proprium iudiciū interponendum, nihilominus quamuis enunciauerit ſe abſtinere velle à proprio iudicio ferendo, illud tamen in fine declarauit ſic inquiens [*Quin immo iudico in praxi Sanchez opinionem non eſſe tenendam, ſed dicendum quod iſta diſpenſatio fuerit nulla ex narratione falſi, & quod Papa non diſpenſaret ſi ſciret copulam defuiſſe. Videat qui voluerit quid ſibi tenendum ſit in re tam quotidiana, & ſecurius eligat*] hæc Portellius. cuius mentem, poſitis his, quæ amiciſſimus, & doctiſſimus Diana in ea reſolutione de ſenſu eiuſdem Authoris refert, aſſequi non poſſum, citat autem Diana ipſum *Portellium, in reſpōſ. mor. tom. 2. caſu 49. num.* 4. eiuſque verba formalia tranſcribit, ex quibus manifeſtè colligitur oppoſita ſententia, quę duplicem petitionis modum diſtinguit, vnum quando ſola copula allegatur pro cauſſa, & tunc ſi copula non fuerit, inualidam ait eſſe diſpenſationem, ſi vero plures exprimātur cauſſæ, quamuis copula non præceſſerit, ſi tamen ſit periculum ſcandali, & infamiæ inde ſuboriturę, validam eſſe diſpenſationem. Hæc autem opinio, quam ex Portellio refert Pater Diana eſt contraria illi, quam ego ex eodem Portellio nunc adduxi, quid dicam ignoro. forſitan tomus ille ſecundus citatus à P. Diana, eſt alius ab iſto, quem ego præ manibus, & ante oculos in præſentia habeo; & ſi ita eſt, dicendum conſequenter videtur Authorem mutaſſe ſententiam; neque dicas nullam inueniri oppoſitionem, quia in eo loco, quem adducit Diana, cum dicitur quod valida eſt diſpenſatio, locutio eſt de diſpenſatione obtenta, per expreſſionem plurium cauſſarum, & non ſolius copulæ, at in loco iſto quem ego citaui quando concluditur inualiditas, ſermo eſt de diſpenſatione per expreſſionem ſolius copulę, tanquam vnicæ cauſſæ, hoc autem non contradicit priori concluſioni, cum caſus ſit diuerſus; immo caſus hic, in quo dicitur irritam eſſe diſpēſationem, apponitur à Portellio in primo membro prædictæ diſtinctionis, & in eo loco, quem citat Pater Diana, ne dicas inquā hoc, quia in loco, quem ego adduxi, & in quo Portellius concludit nullitatem diſpēſationis, ſermo manifeſtè habetur, quando præter copulam exprimuntur alię cauſſæ ſufficientes ad diſpenſandum, vt ſunt infamia, & paupertas; quas ponit ipſe Portellius, & quibus non obſtantibus, in fine illius caſus octaui, decidit nullitatem diſpēſationis. cæterum quidquid ſit de mente huius Auctoris; cuius dicta relata à P. Diana cum ijs quæ à me inſpecta ſunt, conciliare non curo. regredior igitur ad controuerſiam, meamque ſentētiam breuiter aperio.

5 Dicendum eſt primo, ſi copula tanquā vnica cauſſa exprimatur, irritam proculdubio eſſe diſpenſationem, & de hac concluſione neminem dubitantem vidi, & ponitur à Sanchez, & ab alijs Authoribus laudatis; quia cum Pontifex abſque vlla cauſſa non diſpenſaret, ſi vnica tantum aſſignetur, eaque falſa, perinde eſt ac ſi nulla proponeretur, in quo caſu Pontifex vt diximus diſpenſationem non vult concedere; proinde ſubreptium erit reſcriptum, & irrita diſpenſatio.

6 Dicendum eſt ſecundo quando præter copulam aliæ aſſignantur cauſſæ, quæ ſolæ præſcindendo à copula ſolent mouere voluntatem Pontificis ad diſpenſandum, etiā ſi copula expreſſa ſit falſa; validum tamen eſſe reſcriptum, & firmam diſpenſationem, vt volunt Authores primæ ſententiæ. Probatur primo ex principio communi, videlicet, pluribus cauſſis copulatiuè expreſſis, quamuis vna ſit falſa, ſi altera eſt vera, & ſola poteſt inclinare mentem diſpēſantis, firma erit diſpenſatio. ratio eſt quia cum plura in ſupplicatione enarrantur copulatiuè, nimirum per particulam (&) quamuis ad veritatem propoſitionis copulatiuæ requiratur, vt omnes propoſitiones, quæ copulantur ſint veræ, vt aiunt logici, nihilominus interdum copula ſumitur diſiunctiuè, & idem importat quod dictio, vel, vt notat *Barboſ. de diction. dict.* 110. *num.* 28. & ideo quando plura explicantur, & omnia non ſunt neceſſaria, reſoluitur copulatiua propoſitio in diſiunctiuam vt habetur *per textum in cap. Cum iam dudum de preb.* & docet *Maſcardus de probat. concl.* 315. *à nu.* 1. *vſque ad* 13. in diſiunctiuis autem, vt propoſitio ſit vera

ſatis

ſatis eſt vt in vna tantum ſit veritas, ne reſcriptum corruat, ſic expreſsè ſtatuitur *cap. Inter cæteras*, *& affirmant Gloſſ. ibi ver. Caſus hic*; *Maſcardus l. c. nu. 4. Menochius conſ. 385. num. 1. tom. 4. ex Butrio in cap. Exhibita, col. vlt. de iudicijs*, & alij ſcribentes *in capite illo, Inter cæteras*; requiritur autem vt caußa illa in qua aſſeritur reſidere veritas, ſit finalis, & totalis, nam ſi ſit partialis integrans cum alijs enarratis vnicam cauſſam totalem, & ſit falſa, totum reſcriptum corrueret, procederet enim ex falſa cauſa. ſecundo probatur concluſio ex proprijs, nam motiuum ſufficiens quo Pontifex in caſu prędicto inclinatur ad diſpenſandum, eſt diffamatio mulieris, quam Catharina paſſa erat, & ſcandala, quæ futura timentur; idcirco ad interrogantem reſpondi validum fuiſſe reſcriptum, & matrimonium inter ipſum Titium, & Catharinam; & in facie Eccleſiæ more ſolito validè contrahi poſſe.

7 Ex his quæ hactenus dicta ſunt patet ſolutio ad fundamentum contrariæ ſententię, quod tactum fuit ſupra in relatione ſecundæ opinionis, nimirum irritam eſſe diſpenſationem ob falſæ cauſæ expreſſionem, propoſitio enim iſta diſtinctione opus habet, ſcilicet, cauſæ finalis, ob quam Pontifex motus fuit ad diſpenſandum, nego; ob aliquam cauſſam, quæ materialiter quoad veritatem, & falſitatem ſe habuerit in præſenti caſu, concedo, ſed nego ex hoc inferri poſſe inualiditatem reſcripti, & diſpenſationis.

8 Sed inſtabis in contrarium ſi quis à Pōtifice diſpenſationem petat in vinculo aliquo, quod quamuis ſit certum ſub dubio tamen proponatur v. g. ſi quis votum caſtitatis emiſerit, & patiens carnis ſtimulos, requirat diſpenſationem vt vxorem ducat, in ſupplicatione tamen, aut ex aliquo motiuo ipſius petentis, aut ex errore curialis exponatur dubium eſſe, an votum illud, emiſſum fuerit nec ne, inualida erit diſpēſatio, licet ex vtraque cauſſa expoſita vna ſit vera, altera autem falſa, ergo ſimiliter in caſu noſtro, cum duplex exprimatur cauſſa, videlicet cauſſa copulæ, & iacturæ famę, ſi illa eſt falſa, licet iſta ſit vera, irritum debet eſſe reſcriptum, par enim vtrobique videtur ratio.

9 Reſpondeo negando conſequentiam, & paritatem; quia aliud eſt eſſe vitium in ſubſtantia illius rei, de qua petitur diſpenſatio; aliud vero eſſe vitium in cauſſa, quæ exprimitur ad diſpēſandum, vitium in ſubſtantia irritat diſpenſationem, & tale eſt illud quod ponitur in argumento; nam exponitur vt diſpenſandum votum dubium, cum tamē ſit certū: & ſic cū id quod proponitur tanquam materia diſpenſationis non ſubſiſtat, irrita eſt diſpenſatio; ſed vitium in cauſſa ipſius diſpenſationis non ſemper inualidat, vt oſtendimus, & euenit quando ex duabus cauſſis finalibus totalibus, vna eſt vera altera falſa, tunc enim neque materia diſpenſanda, neque cauſſa per ſe neceſſaria continet falſitatem; & ideo ſuſtinetur reſcriptum, & diſpenſatio, *vide Suar. tom. 2. de Relig lib. 6. de voto cap. vlt. num. 6. Sanchez de mat. lib. 8. diſp. 21. nu. 40. & in ſumma lib. 4. cap. 47. num. 34. Merolla cap. cit. num. 387. in fine* loquentes, de vinculo diſpenſando, quod eſt certum, & tamen proponitur vt incertum.

QVÆSTIO QVINTA.

Num delegatus Pontificis valide diſpenſet cum Titio ad matrimonium aliàs prohibitum ineundum, ſi pœnitentia in litteris diſpenſationis iniuncta peracta non ſit.

SVMMARIVM.

Proponitur cauſſa delegationis. 1

Aliqua argumenta validitatem ſuadent. 2

Ablatiuus abſolutus non ſemper importat formam. 3

Probatur validitas ex præſumpta Pontificis intentione. 4

Pars negatiua defenditur ab Authore. 5

Oſtenditur quando per ablatiuum abſolutum importatur forma. 6

Soluitur primū argumentū cōtrariæ ſententiæ, & reſpondetur ad exemplum pro ea adductum. 7

Reſpondetur ad aliud exemplum ex bulla Cruciatæ deſumptum. 8

Clauſula illa (ſatisfacta parte) diuerſum habet ſenſum in bulla cruciatæ, & in hac delegatione. 9

Soluitur ſecundum argumentum deſumptum ex præſumpta Pontificis intentione. 10

A Quodam noſtræ Societatis ſacerdote conſultus fui, vt meam de ſequenti caſu ſententiam aperirem. 1 Titius inceſtum patrauit cum Berta ſua conſanguinea in gradu impediente matrimonium, ſed cupientes ipſi nuptias mutuo inire diſpenſationem à Summo Pontifice poſtularunt, qui eorum votis annuens cauſſæ cognitionem proprio ordinario delegauit, ſalutari tamen pœnitentia iniūcta, & ea peracta diſpoſuit, vt ordinarius cum eiſdem diſpenſaret. ita caſus figuratur, & ideo interrogatus fui, num ordinarius in hac cauſſa delegatus poſſit, valide ſaltem, diſpenſare, vt matrimonium inter Titium, & Bertam contrahatur, ſub promiſſione tamen, vt poſtea pœnitentia compleatur; an vero id facere nequeat, niſi pœnitentia ſit prius peracta.

Valide id fieri poſſe nonnulla ſuadent 2 ar-

Digitized by Google

argumenta. & primo, quia negatiua ſententia maxime nititur in eo, quod in litteris diſpenſationis, vt retulimus, à Pontifice diſpoſitum fuit, vt pœnitentia peracta, ordinarius diſpenſaret. ablatiuus autem ille abſolutus conditionem, ſeu formam importat, ideoque ea non præcedente, nulla erit in delegato poteſtas, nullaque pariter, & inanis erit diſpenſatio, & matrimoniũ: ſed ra[tio] iſta non eſt efficax; ergo valide id fieri poterit. maior eſt certa, quia, vt mox videbitur, nulla alia ratione probatur opinio contraria negatiua. difficultas igitur in minore reſidet, quæ ſic probatur.

3 Ablatiuus abſolutus in conſtitutionibus, & decretis Pontificum, aut etiam in Concilijs non ſemper importat formam in ordine ad valorem actus, ſed quandoque importat ſolam admonitionem, vel honeſtatem actus: ergo ex illo capite nil prohibet, quin delegatus diſpenſet cum Titio ante pœnitentiam completam. patet cõſequentia; antecedens vero exemplis demonſtratur. & primo *Concilium Trid. ſeſ. 23. in decr. de reform. matr. cap. 1.* diſponens modum, ſub quo matrimonium coram Parocho, & teſtibus ſit celebrandum, inter alia præcipit, vt denunciationes ad manifeſtanda impedimenta, ſi quæ ſint, præmittantur, vbi talia habentur verba [*Quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, in facie eccleſiæ, procedatur, &c.*] loquitur autem concilium in hoc decreto per ablatiuum abſolutum, & tamen certum eſt formam, ſeu conditionem minimè importare, & conſequenter matrimonium, non præmiſſis denunciationibus, etiam abſque cauſſa, & debita licentia, eſſe omnino validum, quamuis illicite contractum, & hoc ſine hæſitatione communiter à Doctoribus ſuſtinetur. ſecundo in Bulla Cruciatæ datur facultas abſoluendi fideles ab excommunicatione non abſolutè, ſed conditionatè, nempe vt parti fiat ſatisfactio, quando fuit læſa, & id explicatur per ablatiuum abſolutum, nempe [*ſatisfacta parte*] & hoc nonobſtante graues Doctores ſuſtinent, validam fore abſolutionem, etiamſi detur, tali ſatiſfactione non præmiſſa, & hoc quia putant per talem ablatiuum abſolutum non induci formam: quam ſententiam, vt probabiliorem ipſe met ſequutus ſum *in explicatione Bullæ par. 2. trac. 6. cap. 2. ſec. 7. num. 64. & ſeq.* & idem in alijs ſimilibus haberi poterit: ergo verum erit illud antecedens, videlicet per ablatiuum abſolutum non ſemper formam induci.

4 Secundò probatur, quia intentio Pontificis eſt, vt pœnitentia illa à diſpenſandis cum effectu peragatur, & non videtur velle rigoroſè illos obligare ad tale tempus determinatum, ita vt ſi pœnitentia ipſa poſtponatur matrimonio iam contracto, irrita ſit diſpenſatio, & maximè ſi coniuges ſincere promittant pœnitentiam illam ſe cõpleturos, & delegatus nullam habeat ſuſpicionem de oppoſito, imò moraliter ſit certus quod ſit perficienda.

Sed his minimè obſtantibus conſtanter 5
aſſero non poſſe à delegato diſpenſari vt matrimonium ineatur, niſi pœnitentia ſit prius peracta, aliter inualida erit diſpenſatio, & irritum matrimonium ſequens vi talis diſpenſationis. concluſionem hanc expreſsè, & in terminis proprijs ſuſtinet *Corradus in praxi diſpenſat. lib. 8. cap. 6. nu. 53. & ſeq. Marcus Paulus de Leone in praxi ad litteras pœnitentiariæ part. 3. de diſpenſat. malæ promotionis ante ætatem §. Pœnitentia. Genuenſis in praxi Cur. Archiepiſcop. Neapolit. cap. 20. numer. 3.* vnica, & fundamentalis ratio pro hac ſententia eſt, quia adimpletio pœnitentiæ in his litteris ponitur vt forma ſubſtantialiter requiſita, ideoque ea non ſeruata corruit diſpenſatio, vt communiter aſſerũt doctores loquentes in communi de forma, ſub qua ſit delegatio, ſeu commiſſio, & id colligunt *ex cap. cum dilecta §. Fin. de reſcrip. Panorm. ibi num. 4. Felinus num. 6. Barboſa in axiom. iuris vſu frequent. axiom. 100. num. 2. & alij ſcribentes.*

Difficultas autem omnis poſita eſt in 6
oſtendendo quod per ablatiuum abſolutũ, qui in his litteris apponi ſolet, forma importetur, & non accidentalis, ſed ſubſtantialis. laborant Authores in aſſignanda determinata regula ad id diſcernendum. plures refert *Suarez lib. 5. de leg. cap. 31. Caſtropalaus par. 1. trac. 3. diſp. 2. punc. 9. num. 2. & alij*, cæterum antequam ſolidam de re hac regulam declarem, admoneo lectorem, vt regula, quæcumque ſit, locum habeat, in eo caſu debet eſſe quando res eſt dubia, nempe dubia manet mens Pontificis, aut alterius concedentis, num conditio appoſita velit vt ſe habeat tanquã forma nec ne, nam quando eius intentio ex verbis clarè innoteſcit non indigemus regula. Perſiſtente igitur dubio, talis regula mihi videtur omnium aliarum firmiſſima, videlicet num poteſtas, quæ delegato conceditur, ſimul enaſcatur cum conditione illa, & eodem actu; an vero conditio ſupponat poteſtatem exiſtentem in delegato, & poſtea adueniat: ſi priori modo ſe habeat, tunc dicendum erit, conditionem illam eſſe, vt formam ſubſtantialẽ appoſitam, atque adeo non poſſe à delegato executioni mandari, niſi tali conditione præmiſſa: ſi verò poſteriori modo ſe habeat, conditio erit accidentalis; & pote-

Digitized by Google

teſtati iam collatæ ſuperueniens, & etiãſi omittatur; non reddet actum inualidum. hæc omnia docent *Panorm. cap. Ex parte de conſt. num. 5. Felinus ibidem num. 1. in 2. limit. Syluester verb. conſilium; quaeſt. 4. num. 6. Rodriq. in quaeſt. reg. quaeſt. 46. art. 2. in fine. Salas de legib. diſp. 16. ſec. 9. num. 37. Suarez l. c. nu. 9 Sanchez lib. 3. de matr. diſp. 5. num. 2. diſp. 33. n. 3. Merolla tom. 2. diſp. 4 cap. 5. dub. 29. & alij*. cæterum niſi aliud addatur, regula iſta quoad primum ſui membrum non erit firma, quia interdum conditio, quæ ſimul ponitur cum poteſtate conceſſa non ſe habebit vt forma; & ideo vt regula omnino, & adæquatè ſubſiſtat; aliquid eſt vlterius addendum ex eiſdem Authoribus. eſt igitur aduertendum an conditio appoſita ſit à iure communi præſcripta, ſeu iure inſit, & tunc etiam appoſita in aliquo breui nihil aliud operabitur præter illud, quod operatur prout eſt in iure; ſi tamen in iure non ſit præſcripta ſe habebit vt forma, & ſimiliter vt forma ſe habebit ſi iure inſit, diuerſo tamen modo apponatur in breui Pontificis. hæc omnia fuſius declaraui in *explicatione Bullæ loc.* & aliqua tangam in ſolutione argumentorum, vbi exemplis omnia hæc fient clariora. reſtringendo autem doctrinam hanc ab Authoribus vniuerſaliter traditam, ad caſum particularẽ, quem in præſentia exagitamus, aio quod Pontifex committens delegato facultatẽ diſpenſandi cum Titio, vt matrimonium ineat cum Bertà, in eiſdem litteris, eodẽque actu conditionem apponit, dicens diſpenſationem eſſe faciendam, peracta pœnitentia: & cum nullam aliam limitationem habeamus, conſequens eſt, vt dicamus ſecundum regulam traditam quod cõditio iſta ſe habeat, vt forma ſubſtantialis, atque adeo ea non præmiſſa corruat diſpẽſatio, vtpotè procedens ab non habente poteſtatem diſpenſandi; perinde enim eſt non habere poteſtatem, ac eam habere, at illam non exercere eo modo, quo eſt conceſſa. maneat igitur ex dictis à delegato Pontificis diſpenſari non poſſe, vt matrimonium ſuperius dictum celebretur niſi Titius completè peragat pœnitentiam iniunctam.

Supereſt nunc vt argumenta contraria
7 initio poſita diluamus. ad primum conceſſa maiore, nego minorem, & ad eius probationem concedo totum, videlicet ex eo præcisè quod conceſſioni facultatis apponitur aliqua conditio reſtringens explicata per ablatiuum abſolutum, non tolli quin conditio iſta eſſe poſſit quid accidentale; neque à nobis abſolutè id aſſeritur, ſed quibuſdam clauſulis concurrentibus, vt declarauimus. exempla autem adducta nequaquam fauent opinioni contrariæ, nã licet Concilium Trid. præcipiat denunciationes eſſe præmittendas ante contractionem matrimonij, idque explicet per ablatiuum abſolutum; nihilominus ex eodem Concilio colligimus non ſe habere, vt formã ſubſtãtialẽ, nã in decreto irritãte ſolũ de pręsẽtia proprij Parochi, & teſtiũ mentionem fecit, & nihil de denunciationibus. Rurſus in præcipiendis denunciationibus Concilium ſolum confirmauit, quæ decreta fuere per Concilium Lateranenſe eiuſque veſtigia ſectatum eſt, vt in ipſomet decreto dicitur; at vi Lateranenſis irritũ non erat matrimonium, ſine denunciationibus celebratum, vt dicunt, & clarè probant Doctores: ergo neque vi Tridentini, nihil circa hoc innouantis. Denique in eodem concilio datur facultas Epiſcopis diſpenſandi in ipſiſmet denunciationibus, vt omitti valeant omnes, vel aliquę; ergo nequeunt eſſe de eſſentia matrimonij. Vide *Sanchez lib. 3. de matr. diſp. 5. à num. 3. & diſp. 33. num. 1.*

Ad illud aliud exemplum deſumptum 8
ex Bulla cruciatæ, quæ dat facultatem abſoluendi, ſatisfacta parte, ſi fuit læſa, reſpondeo, ſatisfactionem partis non prærequiri vt formam, quia conditio iſta, quamuis per ablatiuum abſolutum expreſſa, cũ in iure inſit, nihil plus operabitur, quam ſi non eſſet expreſſa, nam tum ius naturæ, tum ius diuinum huiuſmodi ſatisfactionẽ requirunt ad hoc vt pœnitens rite abſolui poſſit, proinde in Bulla exprimitur, non vt noua, & peculiaris conditio, ſed vt admoneatur confeſſarius de ſua obligatione; vnde ſi vel per obliuionem, aut ignorantiam inuincibilem, aut per impotentiam pœnitens mittat ſatisfactionem hanc, valida erit abſolutio, vt communiter Doctores fatentur loquẽtes de cauſis, ob quas debitor excuſatur à ſolutione, ſeu ſatisfactione facienda: ideo ſi ſatisfactio iſta cõmodè fieri nequeat ante abſolutionem poterit hoc non obſtante pœnitens abſolui, ſi propoſitum habeat ſatisfaciendi quam primum, vt explicui in eadem Bulla loco cit.

Ex his igitur patet diuerſam eſſe ratio- 9
nem de conditione poſita in Bulla, & de iſta, quæ habetur in delegatione hac, nam illa non inducit nouam formam, nec reſtringit poteſtatem confeſſarij, ſed ſolum admonet confeſſarium, vt ſeruet id, quod ſecundum commune ius eſt præſtandum, & ideo cum in Bulla non apponatur, diuerſo modo ab eo, quem ius requirit, nihil de nouo operabitur, at iſta, quæ habetur in delegatione, non eſt ex illis, quæ iure inſunt, & cum ſimul, eodemque actu ponatur cũ ipsã delegatione, ſe habet vt forma poteſtatẽ delegati reſtringẽs.

10 Ad ſecundum argumentum principale nego intentionem Pontificis eſſe, vt pœnitentia quomodocumque adimpleatur, ſed eſſe, vt prius ipſa peracta, fiat diſpenſatio: & ad hoc iuſtis, & rationabilibus cauſſis inducitur, videlicet, vt diſpenſandus pœnitentia completa melius diſponatur, & vt ſecurius fiat diſpenſatio, nam ſi prius diſpenſandus obtineret effectum diſpenſationis, & matrimonium contraheret, facili negotio ob humanam fragilitatem, & inconſtantiam interdum non curaret pœnitentiam iniunctam adimplere.

Et hæc eſt mea ſentẽtia de pręſenti quęſito, de qua conſultus fui.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum error in aſſignanda diœceſum vicinitate Apoſtolicum reſcriptum inefficax reddat.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur caſus.*

2 *Non poſſe executionem fieri ab Epiſcopo, quando fuit error in aſſignanda diœceſis vicinitate.*

3 *Probatur paritate ex ſimili caſu accepta.*

4 *Probabile eſt literas expediri poſſe ab Epiſcopo viciniori, licet ex errore nominatus non fuerit.*

1 PEtrus ex Diœceſi v. g. Mazarienſi volens contrahere matrimonium cum Iulia ſibi cõſanguinea in tertio gradu, propoſuit Summo Pontifici nonnullas rationes motiuas, vt ab illo diſpenſationẽ obtineret, quam Pontifex per litteras cõceſſit, & ad examinandas rationes allatas, an veritate niterẽtur, non delegauit cauſã Epiſcopo Mazarienſi, quia iam ex hac vita deceſſerat; & in ea diœceſi erat ſedes vacans; ſed quia ipſe Petrus in narratiua dixerat Epiſcopum Cephaludienſem eſſe viciniorem, delegauit Pontifex cauſam eidem Epiſcopo: at re uera Epiſcopus vicinior non eſt ille, ſed Agrigentinus. Quæritur nunc, an Epiſcopus Cephaludienſis poſſit prędictas litteras Apoſtolicas executioni mandare.

2 Caſum hunc, licet ſub his formalibus verbis apud Authores non legerim, quia tamen reperio ſimilem caſum ab iiſdem deciſum, ideo ductus paritate rationis, dico primo; non poſſe executionem hanc fieri à prædicto Epiſcopo Cephaludienſi: caſus autem ſimilis eſt iſte. Quærunt Doctores quando eſt error in Diœceſi, v. g. ſi dicatur Petrus eſſe Diœceſis Panormitanę, cum tamen ſit Diœceſis Montis Regalis, ſi Põtifex cõmittat cauſã Archiepiſcopo Panormitano, an Archiepiſcopus Panormitanus poſſit exequi litteras apoſtolicas circa diſpenſationẽ ad matrimonium contrahẽdum; & partem negatiuam quamplures amplectuntur, *vt Sanchez lib.* 8. *de matr. diſp.* 21. *n.* 39. *Salas de leg. diſp.* 20. *ſect.* 16. *n.* 123. *Caſtropal. de leg. tract.* 3 *diſp.* 6. *punc.* 16. *num.* 6. *Sanctarel. var. reſ. par.* 1. *diſp.* 63. *Baſilius lib.* 8. *de matr. cap.* 17. *n.* 43. *Bonac. de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punc.* 4. *num.* 6. *Merolla de leg. diſp.* 4. *c.* 16. 376. *& alij*.

Caſum eſſe ſimilem, imo fere eumdem probatur, quia poteſtas diſpẽſandi in nullo Epiſcopo reſidet, neque in proprio ordinario loci, ſed in ſolo Pontifice, quia ipſe ſolus poteſt diſpẽſare in his gradibus; proinde poterit facultatem diſpenſandi, & cauſæ indagationem delegare ei, qui ſibi placuerit: congruum autem eſt, vt illam deleget Epiſcopo proprio ipſius petentis, qui ſupponitur melius, quam cæteri cognoſcere proprias oues: Epiſcopo autem iſto non exiſtente conueniens fuit, vt praxis, & curiæ ſtylus nos edocet, vt delegaretur viciniori, qui ratione maioris vicinitatis melius inquirere poterit, & notitiam habere de perſona, quæ preces Pontifici porrexit, & de veritate rerum, quæ proponuntur ad diſpenſandum: quibus poſitis aio, quod ſicuti deficiente ex errore prima cõgruitate, quod contingit, quando ſit error in diœceſi, nequit Epiſcopus etiam nominatus in litteris Pontificijs exequi litteras; ita à pari deficiente ſecundæ congruitate, quod euenit, quando eſt error in ratione vicinitatis, non poteſt Epiſcopus nominatus in litteris Apoſtolicis illas exequi: eadẽ enim eſt ratio in hoc, quia delegatio illa, vt dixi: dependet ex ſolo beneplacito Pontificis, qui non ſolet illam concedere, niſi poſita prima congruitate proprij Epiſcopi, & in defectu huius poſita ſecunda congruitate ex maiori approximatione vnius diœceſis cum alia, & hæc ſufficiant ad probandam ſimilitudinem, aut ferè identitatem caſus. 3

Dico ſecundo: probabilius cenſeo poſſe has litteras expediri ab Epiſcopo Agrigentino, qui re vera eſt vicinior, concluſio eſt contra *Sanchez*, *Villalobos*, Caſtropalaũ, quos laudat, & ſequitur *Merolla loco citato*, qui volunt nullum ex prædictis Epiſcopis poſſe id facere. admittitur vero à *Baſilio Pontio lib.* 8. *de matr. Salas, Bonacina, Sanctarella ll. cc.* quorum ratio eſt, quia in caſu iſto eſt attendenda mens Pontificis, qui vere vult talem delegationem committere Epiſcopo viciniori, quamuis ob errorem petentis nominauerit alium Epiſcopum. 4

QVAE-

QVAESTIO SEPTIMA.

Titius Summi Pontificis Delegatus Sortem ſubdelegauit: Num Titio pereunte, & re integra; iuriſdictio in Sorte remaneat?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur quæſtionem eſſe non de permanentia gratiæ conceſſæ, ſed de iuriſdictione.*
2 *Eadem in hoc eſt ratio de morte delegati, & de ceſſatione eius ab officio.*
3 *A iudice ordinario delegari poſſunt plures cauſſæ.*
4 *An poſſit delegatus ſubdelegare.*
5 *Caſus triplici modo figurari poteſt.*
6 *Quatuor circa primum modum referuntur ſententiæ, quarum prima vult remanere iuriſdictionem in ſubdelegato.*
7 *Secunda oppoſitum defendit.*
8 *Tertia vtitur diſtinctione.*
9 *Quarta aliâ diſtinctione procedit.*
10 *Ordinario ſuperſtite, & mortuo delegato, non expirat iuriſdictio in ſubdelegato.*
11 *Proponitur, & ſoluitur obiectio in contrarium.*
12 *Confirmatur concluſio.*
13 *Declaratur ſecundus modus quo caſus formari poteſt.*
14 *Circa quem proponitur ſententia auctoris.*
15 *Argumentum in contrarium proponitur, & ſoluitur.*
16 *Exponitur modus tertius quo caſus figuratur, & circa eum ſententia auctoris.*
17 *Num res deſinat eſſe integra, ex eo quia delegatus alium ſubdelegat.*
18 *Refertur opinio aliquorum canoniſtarum aſſerentium, ceſſare rem eſſe integram.*
19 *Alij vero oppoſitum ſuſtinent.*
20 *Refertur reſponſio quorumdam ad fundamentum contrariæ ſententiæ.*
21 *Quæ reſponſio reijcitur ab auctore.*
22 *Ponitur ſolutio eiuſdem auctoris.*
23 *Reſpondetur directè ad principale quæſitum.*

1 VT omnis tollatur æquiuocatio, aduertimus quæſtionem, quę in titulo examinanda proponitur, eſſe omnino diuerſam ab illa, in qua Authores cõtendunt, an gratia expiret eo pereunte, qui illam conceſſit; ab hac autem controuerſia in præſentia abſtinemus, & inquirere intendimus, non permanentiam aut deſitionem ipſius gratiæ, ſed tantum iuriſdictionis in illo, qui reſcriptum gratiæ expedire poteſt, ſupponendo perſiſtentiam gratiæ conceſſæ; vt autem clarius procedamus, ita quæſitum exemplo declaramus. Sempronius reſcriptum à Pontifice obtinuit ad diſpenſandum in impedimento matrimonij contrahendi cum Berta, & ideo reſcriptum directum fuit ad Titium ſolitas clauſulas continens, & inter alias vt inueſtigaret, num preces in ſupplicatione porrectæ veritate niterentur, & ſi ita inueniret diſpenſaret cum Sempronio. Titius in eadem cauſſa Sortem ſubdelegauit; ſed priuſquam reſcriptum executioni mãdaretur, euenit, vt Titius delegatus, ex hac vita in aliam migraret: his ſtantibus; dubitatum fuit, verum iuriſdictio in Sorte ſubdelegato deſierit nec ne? deciſio huius difficultatis plura ſupponit, de quibus Authores, tum ſcribentes *in tit. de offic. iud. deleg. in 6.* tum extra illum, plura exagitant, ideoque occaſione arrepta præmittimus ea quæ ſunt certa, & quædam alia illis affinia examinabimus.

Supponendum igitur eſt primo eamdem eſſe rationem in hoc quæſito, de morte delegati, & de eius dignitate, ſeu ceſſatione ab officio, cuius intuitu fuit illi cauſſa à Pontifice commiſſa vt communiter affirmant Doctores. 2

Secundo à Iudice ordinariam habente poteſtatem, ſeu iuriſdictionem, delegari alteri poſſe, vnam, aut plures cauſſas, vt expreſsè habetur per *leg. more maiorum ff. de iuriſdic. omn. iud.* 3

Tertio, quamuis delegatus per ſe loquẽdo ſubdelegare nequeat vt ſtatutum eſt in *leg. Mandatam ff. de offic. eius, & in l. à Iudice C. de iudicijs, & ex cap. fin. cap. de off. iud. deleg.* nihilominus regula iſta exceptionem admittere, nã delegatus Principis ſupremi, ſeu abſoluti poteſt ſubdelegare, vt colligitur *ex l. illa à Iudice, & ex cap. final. cit. de off. iud. deleg. & ex cap. Cum cauſſam de appell.* ſimiliter delegatus ad vniuerſitatem cauſſarum, quãuis nequeat totam vniuerſam delegationem ſubdelegare, poterit tamen ſubdelegare vnam, aut alteram cauſſam, & deducitur *ex l. 1. §. Ab eo. ff. Quis, & à quo Gloſſ. ibi,* & ex alijs communiter. 4 5 6

Quarto, mortuo ordinario, qui primo cauſſam delegauit, ſi res ſit integra, extingui iuriſdictionem in delegato, vt deciditur *in cap. relatum cap. gratum, & cap. licet vndique de off. del. & in leg. Et quia ff. de iuriſdic. omn. iud.* Ratio autem huius rei deſumitur *ex cap. Quamuis §. Cum iuriſdictio de off. iud. deleg. in 6.* dicitur enim ibi, quod quando delegatus, non eſt vſus iuriſdictione commiſſa, non cenſetur in eum efficaciter illa tranſmiſſa; proinde, re integra, ſi ordinarius delegans pereat, iuriſdictio totaliter ceſſat in delegato, quia cum iuriſdictio ſit acceſſoria, extincta principali in ordinario, & ipſa extingui

gui debet: cæterum ſi delegatus inceperit vti iuriſdictione, per ipſum met vſum cẽſetur efficaciter tranſmiſſa iuriſdictio, & in ipſo delegato radicata; atque adeo remanebit mortuo principali delegante.

5 Hæc autem omnia controuerſa minimè ſunt, & ſupponuntur tanquam certa: difficultas tamen ſuboritur quando delegatus alterum ſubdelegat, & re integra adhuc extante, moritur delegatus. caſus ſub triplici modo formari poterit; primo, ſi delegato moriente, ſuperuiuat ordinarius, re integra exiſtente quoad ſubdelegatum non autem quoad delegatum; ſecundo, ſi moriatur ordinarius, ſuperſtite delegato; & cauſſa ſit integra quoad ipſum delegatũ non autem quoad ſubdelegatum. tertiò vice verſa ſit integra quoad ſubdelegatum non quoad delegatum, Quæſtio eſt valdè exagitata in primo caſu, quando videlicet deficiente delegato qui ſubdelegauit, ſuperuiuat ordinarius.

6 Quatuor inuenio apud Auctores ſententias, quas refert *Sanchez lib. 8. de matrimo diſp. 28. nu. 36.* prima enim abſolutè vult remanere iuriſdictionem in ſubdelegato, & ratio qua nititur eſt, quia manet iuriſdictio in ordinario, qui eſt prima fons, & origo totius iuriſdictionis, proinde conſeruari poterit in ſubdelegato per influxum, vt ita dicam, emanantem ab ipſo ordinario, ſic *Angelus in l. & quia, num. 3. ff. de iuriſ. omn. iud. Caccialupus in l more nu. penult. ff. eodem tit. & ſimiliter Hoſtienſis, Ioannes Andreas ibidem ſpecul. tit. de iud. deleg. §. Reſtat num. 7. & alij.*

7 Secunda ſententia eſt extremè oppoſita, & ait in caſu prædicto omnino extingui iuriſdictionem in ſubdelegato, ſic *Anchar. in cap. licet undique queſt. 5. de off. delegat.* & hoc, quia cum iuriſdictio ante vſum non ſit efficaciter tranſmiſſa, & per conſequens in ſubdelegato non ſit radicata, eius exiſtentia, & duratio totaliter pendet à iuriſdictione delegati, ideoq; hac pereunte, & ipſa etiam peribit.

8 Tertia opinio diſtinctione vtitur ſumens perſeuerantiam, aut ceſſationem huius iuriſdictionis, per ordinem ad totalem, aut partialem ſubdelegationem, ait igitur ſi delegatus totam ſubdelegauerit cauſſam, committens alteri omnes vices ſuas, tunc delegato mortuo remanebit iuriſdictio in ſubdelegato: ſi vero ſubdelegauerit partem, & non totam conceſſam, peribit iuriſdictio; vtraque huius ſententiæ pars deſumitur à ſuis fautoribus *ex cap. ſuper qu. §. Porro de off. del.* vbi expreſsè ſtatuitur, quod per ſubdelegationem totalem delegatus abdicat à ſe omnem iuriſdictionem, & ideo non datur appellatio à ſubdelegato ad ipſum ſubdelegantem, ſed ad primũ ordinarium; proinde mortuo delegato nõ deperditur iuriſdictio tranſmiſſa in ſubdelegatum: contra vero ſi pars ſubdelegetur, non abdicat delegatus à ſe iuriſdictioné; & per conſequens datur ad ipſum appellatio, idcirco iuriſdictio ſubdelegata remanebit cum dependentia à iuriſdictione retenta in delegato; proinde ſi iſta per mortem delegati perit, peribit etiam, & illa.

Quarta opinio alia diſtinctione procedit, deſumens reſolutionem caſus per ordinẽ ad diuerſam poteſtatem ſubdelegandi; ait enim, quod, ſi delegatus ſubdelegauit vi ſpecialis facultatis receptæ ab ordinario; tunc ipſo delegato mortuo, illæſa remanebit iurisdictio in ſubdelegato: ſi vero ſubdelegauit iure ſuo proprio, & poteſtate tradita a lege, vt euenit quando ſubdelegans eſt delegatus Principis, vel ad cauſarum vniuerſitatem, tunc mortuo ipſo delegato extinguitur iurisdictio in ſubdelegato; hanc opinionem tuetur *Sanchez n. cit. in fine* licet reliquas ſatis probabiles exiſtimet. *Merolla diſp. 7. cap. 4. n. 321.* & pro ea citat *Iaſonem in d. l. more n. 13.* & confirmat à ſimili, ex Bartolo *in l. 2. ff. de curat. benef. dand.* ratio vtriuſque partis eſt, quia cum delegatus ſubſtituit vi poteſtatis traditæ ab ordinario, proinde ſe habet, ac ſi ipſe ordinarius ſubſtitueret, & ideo mors delegati non officit; contra vero quando iure proprio ſubſtituit, ſubdelegatio dependet ab ipſo delegato; idcirco, ipſo mortuo, deficere neceſſe eſt iuriſdictionem in ſubdelegato. 9

Ex his opinionibus, quę nam probabilior mihi videatur nunc declaro: Dico igitur, ordinario ſuperſtite, qui in caſu noſtro ſupponitur eſſe Summus Pontifex, ſi delegatus moriatur, quamuis res vndequaque ſit integra, hoc non obſtante, perſeuerare iuriſdictionem in ſubdelegato, ſiue ſubſtitutus fuerit à delegato vi poteſtatis traditæ à Pontifice, ſiue à lege; & in hoc diſcrepo à quarta ſententia quam retulimus, & tuetur Sanchez, vt vidimus; Ducor quia, viuente ordinario, nempe Põtifice, à quo tota iuriſdictio dependet, poterit iuriſdictio æquè benè conſeruari in ſubdelegato, ſicuti poterat conſeruari à iuriſdictione ſubdelegantis, ſi ipſe viueret, & vt probem id quod eſt incertum, & cõtrouerſum, ſuppono quæſtionem non eſſe, quando delegatus ſubſtituit, vi facultatis acceptæ a primo delegante; quia tunc vt ipſe met Sãchez alijque eiuſdem ſententię fautores concedunt, perinde eſt ac ſi ipſe met principalis ſubſtitueret, cum ſubſtitutio fiat vi poteſtatis ab ipſo traditæ, ſed difficultatem, & controuerſiam eſſe, quãdo delegatus ſubſtituit, per facultatem à iure communi acceptam vt declarauimus; 10

pro-

probandum igitur mihi eſt etiã in hoc caſu
iuriſdictioné, mortuo ſubdelegante, per-
ſiſtere in ſubdelegato. Probatur autem
tali pacto. Subdelegata iuriſdictio, quam-
uis in ſuo veluti fieri, non emanauerit tan-
quam effectus à primæua, & originali iu-
riſdictione, quæ in principali delegãte re-
ſidet, ab illa tamen in ſuo fieri mediatè, &
actu dependet, quia ipſa procedens im-
mediatè à iuriſdictione delegati, quæ eſt
effectus primariæ iuriſdictionis, cenſetur
mediatè ab illa iuriſdictione emanare, &
dependere, & conſeruari; nam licet exi-
ſtente delegato ab illo dependentiam ha-
buerit, & ex hoc capite delegato pereunte,
& ipſa perire debuiſſet, nihilominus pri-
maria illa iuriſdictio: cum eminenter con-
tineat omnes iuriſdictiones ſibi inferiores,
poterit ſupplere defectum iuriſdictionis
delegatæ iam extinctæ. igitur iuriſdictio in
ſubdelegato poterit æque bene conſerua-
ri, manente influxu primi delegantis, ſi-
cuti potuiſſet conſeruari à iuriſdictione quæ
erat in delegato viuente.

11 Dices facultatem hanc ſubdelegandi
non eſſe effectum illius primariæ iuriſdic-
tionis quæ eſt in primo delegante, ſed eſſe
effectum legis ſtatuentis delegatum Prin-
cipis poſſe delegare; ergo iuriſdictio in
ſubdelegato, nequit conſeruari à iuriſdic-
tione primi delegantis, ſed tantum ab ea,
quæ eſt in delegato, & ideo hac pereunte
illa extingui debet.

Reſpondeo negando antecedens; nam
facultas ſubdelegandi ab vtroque pendet,
nimirum, & à primo delegante, & à lege,
ab illo inquantum concedit partem ſuæ
iuriſdictionis, à lege vero vt à qualificante
delegatum inſtitutum à Principe, poſita
autem qualificatione, tota delegatio de-
pendet à primo delegante, à quo apta eſt
emanare cum tali qualitate legali, ſcilicet
vt poſſit alium ſubdelegare.

12 Confirmatur concluſio, ex eo quod ad
ſubdelegationem iſtam concurrit ſaltem
implicitè voluntas primi delegantis, qua-
tenus delegando, vult delegatum inſtitue-
re cum illis præeminentijs quæ illi compe-
tunt, inter quas eſt facultas ſubdelegan-
di; talis enim voluntas præſumitur adeſſe;
niſi conſtet de oppoſita; atque adeo ſub-
delegatio procedit à voluntate primi dele-
gantis ſaltem implicitè; & ſi incontrarium
dicas non poſſe talem voluntatem adeſſe,
quia Princeps delegans, interdum ignorat
qualitatem, ſeu conditionem ſuæ delega-
tionis, nihilominus vt perſona publica id
ignorare nequit, quia ſupremus Princeps
præſumitur ſcire ea omnia quæ ſecundum
ius commune competere poſſunt ſuo dele-
gato, & ideo Princeps dicitur habere peri-
tiam totius iuris, ſeu illam reconditam
habere in ſcrinio ſui pectoris, vt habetur
cap. 1. de conſt. in 6. & hæc de primo mo-
do ſecundum quẽ caſus euenire poterit.

Secundus autem modus, quo caſus for- 13
matur eſt ſi mortuo principali delegante
ſuperuiuat delegatus reſpectu cuius cauſ-
ſa ſit integra, non integra tamen reſpectu
ſubdelegati. ſi igitur caſus hoc pacto acci- 14
dat dicendum eſt non extingui iuriſdictio-
nem in ſubdelegato, ita *Sanchez diſp. cit.
num.* 37. *Merolla cap. cit. nu.* 324. & ali-
qui alij Canoniſtæ apud ipſos. concluſio
probatur *ex cap. penult. de off. del. in 6.*
cuius ratio eſt vnica, quia eo ipſo quod
ſubdelegatus incepit cauſſam, ſtatim ra-
dicata fuit in ipſo iuriſdictio, & conſequẽ-
ter non dependet amplius ab influxu iuriſ-
dictionis, quæ reperitur in delegante, &
delegato, ſed ſolum ab eorum voluntate,
aut ſaltem à voluntate primi delegantis,
qui poteſt iuriſdictionem delegatam reuo-
care, vt bene aduertit *Molina tract. 5. di-
ſput. 21. num. 2. idque ex l. iudicium ſol-
uitur ff. de iud. & ex cap. ſuper quaeſt. §.
Porro de off. deleg.* hoc ipſũ probat ex alijs
iuriſtis.

Argumentum autem, quod in oppoſi- 15
tum fieri ſolet eſt, quia extincta iuriſdic-
tione in primo delegante atque adeo in
delegato qui ea vſus non fuit, extingui de-
bet illa in ſubdelegato.

Huius argumenti ſolutio tacta eſt ſupe-
riùs, nam iuriſdictio ſemel radicata in de-
legato, aut in ſubdelegato non pẽdet am-
plius à primi delegantis iuriſdictione vt iu-
ra determinant, proinde ea extincta pote-
rit ipſa remanere.

Tertius denique modus vice verſa ſe ha- 16
bet videlicet mortuo principali, & cauſſa
integra quoad ſubdelegatum non integra
tamen quoad delegatum, in hoc autem ca-
ſu ob eamdem rationem, dicimus non ex-
pirare iuriſdictionem in ſubdelegato, ſic
Sanchez, & reliqui citati pro ſecundo mo-
do.

Poſſet quis occaſione attenta interroga- 17
re, num res cenſeatur deſinere eſſe integra,
ex eo præcisè quod delegatus alium ſub-
delegauerit?

Reſpondeo quamuis huius quæſiti exa-
men, & deciſio ſpectet ad aliam quæſtionẽ
à nobis potius ſupponendam, quam exagi-
tandam, in qua indagatur quid ſit neceſ-
ſarium, vt res ceſſet eſſe integra; placet
tamen ad quæſitum breuiter reſpondere,
aio igitur eſſe nonnullos canoniſtas apud 18
Sanchez diſp. cit. nu. 18. qui aſſerunt per
ſubdelegationem ceſſare rem eſſe integrã;
atque adeo perpetuari iuriſdictionẽ; pro-
bant quia ſubdelegare eſt actus iuriſdictio-
nis, ergo delegato exercente iuriſdictio-
nem, res non remanet integra; ſed alij cõ-
mu-

Digitized by Google

muniter cum ipſo Sanchez, quibus addo *Merollam cap. 4. cit. difficul. 7. num.* 343.
19 dicunt per ſubdelegationem non tolli integritatem rei, idque probatur *ex cap. penultimo de off. del. in 6.* vbi ſtatuitur, quod ſi delegatus alium ſubſtituerit, ei vices ſuas committendo, & primus delegans moriatur, priuſquam, aut delegatus, aut ſubdelegatus in aliquo proceſſerit, perire iuriſdictionem in delegato, & non ad ipsũ, ſed ad delegantem appellandũ eſſe: ſi autem ſubdelegatio deſtrueret rei integritatem, non extingueretur iuriſdictio in delegato, etiam ſi neque ipſe neque ſubdelegatus in aliquo proceſſerint.

20 Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondent communiter Auctores videlicet Sanchez, Merolla, & alij nobiſcum ſentientes, ſubdelegare eſſe actum iuriſdictionis ordinariæ, quia delegatus principis, vel ad vniuerſitatem cauſſarum à lege habet poſſe ſubdelegare, iuriſdictio autem, quæ à lege habetur eſt ordinaria, vt dicitur *in l. & quia de iuriſd. omn. iud.* non autem eſſe actum iuriſdictionis delegatæ.

21 Sed reſpõſio iſta, mihi videtur nõ omnino ſatisfacere; nam vt ſupra oſtendimus ſubdelegatio, ſeu iuriſdictio quæ ſubdelegato conceditur non eſt effectus ſolius legis vt ſupra probauimus, verum etiam iuriſdictionis delegatæ, atque adeo ex hoc capite; niſi aliud addatur, difficultas iuxta noſtra principia non videtur ſufficienter ſolui poſſe, & addo in aliquo caſu id neceſſario eſſe concedendum ab his authoribus, quando nimirum delegatus non eſt à Supremo Principe, neque ad vniuerſitatẽ cauſſarum, ſed ab aliquo inferiori, & ad vnam, vel alteram cauſſam, habet tamen ab ipſo delegante poteſtatem ſubdelegandi, tunc cum talis poteſtas non ſit à lege, ſequitur quod ſubdelegare non ſit actus iuriſdictionis ordinariæ ſed delegatæ; proinde ſaltem vniuerſaliter ſolutio data conſiſtere nequit.

22 Quapropter vt aliam tradam ſolutionẽ, ſuppono: integritatem rei conſiſtere in quadam veluti intrinſeca exigentia, per quam res, ſeu cauſſa ipſa, ad ſuam completam expeditionem, multas ſubſtantiales requirit actiones; quando autem nulla ex his actionibus exercita eſt, res dicitur integra; contra vero ſi aliqua ex dictis actionibus ſit exercita, res, ſeu cauſſa illa deſijſſe dicitur à ſui integritate. Huiuſmodi declaratio quoad integritatem eiuſque carẽtiam in ſubiecta materia, quamuis illam apud alios ſub his terminis nõ inuenerim, nihilominus videtur admittenda, quia ſufficienter explicat hanc integritatem, vel eius defectum, & nodum huius difficultatis ſoluit, atque adeo ex illa optimã colligimus ſolutionem. Dico igitur quod cum per ſubdelegationẽ vt ſic, nulla ponatur actio ex illis, quæ ad expeditionem cauſſæ ſubſtantialiter exiguntur; vt de ſe eſt manifeſtum, quia abſque ſubdelegato, per ſe loquendo, poſſet cauſſa complete expediri, cauſſa ipſa cenſetur, & dicitur integra manere; non obſtante ſubdelegatione; contra vero ſi aliqua exerceatur actio ex requiſitis, vel citando partem aduerſam, quãdo agitur de cauſſa iuſtitiæ, & de cauſa ad lites, habẽte partem aduerſam; vel quando reſcriptum eſt gratiæ, & non habet contrarium, ille cui facta eſt commiſſio, exercet actionem ex requiſitis, v. g. ſi delegatio eſt ad diſpenſandum in matrimonio, vel in voto, &c. ſi delegatus incepit indagationẽ impoſitam à delegante circa veritatem rei, tunc cauſſa non eſt omnino integra, cum iam ſit aliquid ad eius expeditionem pertinens peractum, & ſic patet vera reſponſio, ad difficultatem; cur ſcilicet ſubdelegare cum ſit actus iuriſdictionis etiam delegatæ non deſtruat rei, ſeu cauſſæ integritatem; & ad hoc reſpondimus, quia ſubdelegatio non eſt actus ex neceſſario prærequiſitis ad cauſſam terminandam.

Hæc omnia ſecundum vniuerſalia iuris principia præmittere viſum eſt, vt ex illis firmam præſentis quæſiti deciſionem colligamus directè reſpondentes.

Dicendum ergo eſt iuriſdictionem in Sorte ſubdelegato permanſiſſe, etiam ſi res tum quoad Titium delegatum, tum etiam quoad ipſum Sortẽ ſubdelegatũ, pereunte ipſo Titio, integra extiterit. concluſio ſuaderi poterit ex eo quod iuriſdictio conſeruari poterat à primo totius iuriſdictionis fonte qui eſt ſupremus Princeps, nempe Summus Pontifex, vt ſupra probauimus, referentes, & amplectentes primam ſententiam, ex quattuor enumeratis circa caſum priori modo figuratum, & quia ibi non ſolum adduximus, & examinauimus argumenta, quæ huic fauent ſententiæ; verum etiam contraria diluimus, idcirco non eſt cur eadem in hac concluſione repetamus. 23

QVAESTIO OCTAVA.

An Iudex conſeruator Regularium teneatur vti miniſtris curiæ Epiſcopalis.

SVMMARIVM.

Aliqui exiſtimarunt debere Iudicem conſeruatorem vti officialibus curiæ Epiſcopalis. 1

Non aſtringi ad vtendum officialibus curiæ Epiſcopalis decidit Author, & probatur. 2

Con-

3 *Cōſeruatoribus electis à Regularibus maior poteſtas tribuitur.*

4 *Satisfit fundamento contrariæ ſententiæ triplici ſolutione.*

1 NOn defuit, qui partem affirmatiuā aſſeruerit, videlicet iudicem conſeruatorem non vti debere alijs officialibus niſi curiæ Epiſcopalis; & ad hoc affirmandum author huius opinionis forſitan ductus fuit ex doctrina *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *de refor.* vbi ſic dicitur (*Non diceat quoque conſeruatoribus iudicibus habere tribunal erectum*) ſi autem ad ſui libitum vti poſſet quibuſcumque perſonis ad exercendam ſuam iuriſdictionem, videretur conſequenter poſſe erigere tribunal: quod tamen à Concilio prohibetur.

2 Sed dicendum eſt Iudicem conſeruatorē non aſtringi ad vtendum officialibus curię Epiſcopalis; ſed poſſe exercere ſuam iuriſdictionē per alios miniſtros alterius curię. Probatur primo, quia nullibi habetur talis limitatio, vt patet conſideranti omnia iura, quibus conceditur facultas iudicibus conſeruatoribus: imo ſi loquamur de conſeruatoribus ſecundum ius commune electis, potius oppoſitum clare colligitur, vt apparet *cap. primo, & vltimo de off. deleg. in 6.* concedit enim per hos canones Eugenius IV. poſſe iudicem conſeruatorē citationes, & ſententiarum denunciationes per alios exercere. dum autem dicit per alios, & hoc ſine vlla reſtrictione, id relinquit arbitrio ipſius iudicis. Rurſus *Ioannes Petrus Moneta de conſeruatoribus cap.* 8. *num.* 258. *& ſeq.* varijs iuribus, & plurium Doctorum authoritate probat poſſe à conſeruatore inuocari brachium ſæculare ad executionem ſuæ ſententiæ, igitur tantum abeſt, vt ex iuribus habeamus conſeruatores cogi ad exercendam iuriſdictionē per officiales Epiſcoporum, vt magis contrarium preſcribatur.

3 Si autem ſermo ſit de conſeruatoribus, qui virtute diuerſorum priuilegiorum à Regularibus eliguntur; longe maior poteſtas eſt illis tribuenda, ſunt enim iudices non delegati, quidquid dicat *Rodriq. in quæſt. reg. tom.* 1. *quæſt.* 65. *ar.* 5. ſed ordinarij, vt rectè animaduertit *Molina to.* 6. *de Iuſt. diſp.* 929. *Barboſa de offic. & poteſt. Epiſcoporum par.* 3. *alleg.* 106. *n.* 5. ſed expreſsè id declarat *Greg. XIII. in bulla conſeruatoris edita pro Societate Ieſu ann.* 1574. idcirco conſeruatoribus Regularium abſolutè conceditur poſſe per alios exercere iuriſdictionem. ita definitur *à Sixto IV. pro monachis l. Iuſtitiæ cōſtit.* 10. *an.* 1436. *& à Iulio II. pro monachis Sanctæ Mariæ Montis Oliueti conſtit.* 3. *an.* 1505. & demum *à Gregorio XIII. pro Societate Ieſu in bulla cit.* in his autē priuilegijs omnes Religiones communicant, vt notatur in titulo conſtitutionis editæ à Iulio II. & tādem declarauit *Sacra Congregatio* 12. *Septembris* 1620. *vt refert Barb. in collectaneis Bullarum lit. Conſeruator.*

Ad fundamentum vero oppoſitæ ſententiæ facile reſpondetur. Dico igitur primo, vti officialibus huius vel illius curiæ ad libitum conſeruatoris, non eſt erigere tribunal; imo potius eſt ſequi tribunal ab alijs magiſtratibus erectum. Secundo dico quod non eſt clarum an per illa verba concilium voluerit ſolum prohibere erectionē tribunalis veluti formaliter ſumpti inquantum ſignificat multitudinem variorum officialium conſtituentium vnam curiam, in qua ſignificatione puto loquutum eſſe Cōcilium. Tertio denique aio in illo capite non comprehendi conſeruatores Regularium, vt notatur in fine eiuſdem capitis, & infra à nobis confirmabitur. 4

QVAESTIO NONA

Quinquennio elapſo, num Regulares indigeant licentia Pontificis ad eligendum Iudicem conſeruatorem.

SVMMARIVM

Quæſitum in duplici ſenſu accipi poteſt. 1

Reſpondetur ad quæſitum iuxta priorem ſenſum. 2

Reſpondetur ad quæſitum iuxta poſteriorē ſenſū, & declaratur ſententia auctoris. 3

Cauſæ inceptæ coram Ordinario non poſſunt proſequi à Iudice conſeruatore; ſed ſecus forſitan de Soc. Ieſu. 4

PRo ſolutione, aduerto quæſitum iuxta duplicem ſenſum intelligi poſſe, primus ſenſus erit, ſi dicamus Regulares elapſo quinquennio à die electionis, nullo modo poſſe ſecunda vice eligere conſeruatorem, ſed opus eſſe noua conceſſione, facienda à Pontifice. Secundus autem ſenſus erit alius, videlicet tranſacto quinquennio primæ electionis, poſſe eligere, ſed ſi non eligunt, expirare facultatem eligendi: ita vt oporteat recurrere ad Pontificem, vt iterum concedat eamdem facultatem. Primus ſenſus habere poteſt fundamentum *in Conc. cap. cit.* dum loquens de conſeruatoribus, & de litteris conſeruatorialibus, ſic inquit (*Nemo etiam ſimilium litterarum beneficio vltra quinquennium gaudere poſſit*) ſecundus autem ſenſus nititur conſtitutione Greg. XIII. per quam Pontifex decernit quod elapſo termino electionis ibi præſcripto, & non facta electio- 1

tione, Regulares coram Ordinario conueniantur.

2 Cæterum hæc, quæ dicuntur non vrgēt; ideoque ad quæſitum iuxta priorem ſenſum respondeo quod Concilium dum præfinit terminum circa vigorem litterarum conſeruatorialium, non comprehendit conſeruatores regularium, & vniuerſitatum, vt in fine illius capitis aſſeritur: prætereà hoc deciſum, & declaratum fuit à *Sacra Congregatione die* 18. *Ianuarij* 1594. cuius declaratio refertur à *Barboſ. in collect. Bull. lit. conſer.* & idem affirmāt Doctores *Cappuccinus in annot. ad compendium priuileg. minorum, v. conſeruator ordinis; Molina tom.* 6. *diſp.* 29. *Rodriq. tom.* 1. *quæſt. reg. quæſt.* 65. *ar.* 12. Vlterius dico quod priuilegia, quibus varij Summi Pontifices conceſſerunt regularibus facultatem eligendi cōſeruatorem sūt perpetua, vt patet ex tenore conſtitutionum, quas ſupra in ſolutione primi quæſiti citauimus, & teſtatur *Molina diſp. cit. num.* 6. *Rodriq. diſp. cit. ar.* 9.

3 Si autem quæſitum intelligatur iuxta poſteriorem ſenſum, aio quod quamuis regulares non eligentes conſeruatorem tēpore præfixo à Gregorio XIII. in ſua Bulla decernēte, electionem in Italia etiam faciendam infra duos menſes, & extra Italiam intra ſex à die publicationis prædictæ conſtitutionis, conueniri queant coram Ordinario; tamen etiam eo termino elapſo poſſunt quandocunque eligere conſeruatorem. ita deciſum fuiſſe à *Sacra Congregatione die* 18. *Septembris* 1627. *affirmat Barb. in collect. citata lit. conſeruator, & lit. Regulares primo*: & ideo aſſero quod tranſacto quinquennio, per quod durare debet conſeruator, & intrà quem terminum à Regularibus remoueri nequit, poterunt tamen quandocunque eligere, neque in conſtitutionibus Pontificijs apparet veſtigium talis limitationis; at ſi non eligerent ſtatim cōueniri deberent corā Ordinario, vt dicitur in eadem conſtitu-

4 tione. idcirco quoad cauſas inceptas corā ipſo Ordinario; videtur non poſſe amplius conueniri coram conſeruatore electo poſt dictas cauſas inceptas; nam ratione illius præuentionis cauſa non eſt integra. Sed ſi attendamus conſtitutionem Greg. XIII. conceſſam Societati Ieſu, aliquis forſitan poſſet oppoſitum iudicare, quia dicitur quod conſeruator valeat proſequi articulum, inchoatū etiam per alium iudicem.

QVAESTIO DECIMA.

Vtrum Bulla, per quam Sanctiſſimus Innocentius X. prohibuit, ne deinceps in Italia, eiuſque inſulis adiacentibus, Superiores quemquam ad habitum religioſum reciperēt, & ne prius receptos ad profeſſionem admitterēt, vigorem habuerit quādo primum Romæ promulgata fuit?

SVMMARIVM.

Tenor Bullæ refertur. 1
Euenit caſus, de quo docti viri dubitarūt, an ſcilicet profeſſio cuiuſdā validè emiſſa fuerit. 2
Aliqui exiſtimarunt validam fuiſſe. 3
Probabant quia oppoſitum dicere bono cōmuni repugnat, in alterius præiudicium. 4
Suadetur ex quadam Suarij doctrina. 5
Probatur exemplo à pari. 6
Confirmatur authoritate S. Thomæ. 7
Et ex Iure ciuili, & canonico. 8
Affertur argumentum cuiuſdam recentioris. 9
Suppoſitio quædam ab Authore præmittitur. 10
Concluſio Authoris eſt de nullitate profeſſionis. 11
Probatur primo authoritate aliorum. 12
Confirmatur ſecundo ex iure canonico. 13
Tria proponuntur oſtendenda. 14
Probatur in Pontifice talem inueniri poteſtatem irritandi profeſſiones, &c. 15
Probatur eam fuiſſe Pontificis mentem. 16
Confirmatur ex verbis Bullæ, quæ ſuperflua non ſunt iudicanda. 17
Probatur concluſio ex ſolutione oppoſitorū argumentorum. 18
Incommoda, quæ contra Authoris ſententiam obijciuntur, non probant intentum. 19
In lege irritante tria ſpectari poſſunt. 20
Promulgatio in loco publico eſt de ratione legis, non autem ea, quæ fit in aula. 21
Explicatur doctrina S. Thomæ. 22
Reſpondetur ad argumentum ex authent. vt factæ nouæ conſtit. & ex iure canonico. 23
Satisfit argumento recentioris ex L. Barbarius, & ex Tridentino. 24
Inſtantia in contrarium diluitur. 25

1 AD regularem diſciplinam paulatim magis magiſque labentem, reparādam Beatiſſimus Innocentius X. Pōtifex Bullam quamdam edidit, per eam prohibens Generalibus, cæteriſque Superio-

rio-

ctoribus cuiuſcumque ordinis, & inſtituti intra Italiam, eiuſque Inſulas adiacentes commorantibus, ne in poſterum quemquã ad habitum ſuæ Religionis reciperent, & pariter ne prius receptos ad profeſſionem emittendam admitterent, & aliter faciendo receptiones, & profeſſiones irritas, & nullius valoris declarauit, & inſuper contra ipſos Superiores recipientes, aut modo dicto admittentes ſententiã excommunicationis impoſuit, à qua nemo præter ipſũ Pontificem, niſi in articulo mortis, abſoluere poſſit; vt patet ex tenore eiuſdem Bullæ, quæ data fuit die 17. Decẽbris anno 1649. quę poſtea Romæ publicata fuit per affixionem locis conſuetis ſub die 22. eiuſdem menſis, & anni.

2 Euenit poſt elapſos aliquot dies à publicatione prædicta, vt Nouitius cuiuſdam Religionis, menſe Ianuarij 1650. proximè ſequenti, antequam in hoc Regno Bullã fuerit promulgata, imo ante eius notitiam, profeſſionem religioſã emiſerit, qua emiſſa, & aliquo tranſacto tempore, dubitarunt nonnulli docti viri de huiuſmodi profeſſionis valore: rationem vero dubitandi deſumpſerant ex quibuſdam verbis eiuſdem Bullæ, ſic enim Pontifex ait circa finem [*Volumus autem quod præſentes litteræ in valuis Eccleſiæ Lateranẽſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorũ, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie campi Flori de eadem vrbe publicentur, ac affigantur, quæ poſtquam ſic affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & ſingulos, ad quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent*] hæc Pontifex, qui his verbis videtur velle omnes receptiones, & profeſſiones emiſſas à die promulgationis, quæ Romæ facta fuit, eſſe prorſus irritas, & nullas; atque adeo in caſu noſtro ita ſenſerunt aliqui Theologi.

3 Non defuere tamen, qui oppoſitum ſuſtinuerint, videlicet ſupradictas litteras effectum irritationis minime ſortiri potuiſſe abſque ſufficientis temporis dilatione, vt ad notitiam aliorum in locis diſtantibus commorantium deuenirent.

4 Idque probabant primo, quia alias hæ litteræ bono communi repugnarent, quoniam contingere potuiſſet, vt eo tempore, quo litteræ Romæ affixæ fuerunt aliquis in regione diſtanti exiſtens vota ad profeſſionem religioſam requiſita emiſerit, & tamen id cederet in graue præiudicium non ſolum ipſius profeſſi bona fide procedentis, verum etiam aliorum, ſi profeſſio nulla redderetur: fingamus v.g. quod Petrus intuitu profeſſionis emittendæ renunciaſſet Paulo omnia ſua bona, & Paulus ditior effectus in vxorem duxiſſet Catharinam, quæ attendens ſui viri diuitias dotẽ pinguem eidem attuliſſet, tunc ſi profeſſio irrita declararetur, decepta remaneret ipſa Catharina, quia inualida exiſtente Petri profeſſione, corrueret renunciatio, vtpote facta intuitu ipſius profeſſionis, ideoque Petrus bona prius renunciata ſibi caperet; & ſic multi alij ſimiles caſus excogitari poſſent, in quibus graue, & notabile præiudicium alijs inferretur, ſi prædictæ litteræ quoad effectum irritationis ignorãtes afficerent, & ſtatim poſt ipſarum affixionem in Vrbe, tunc effectum ſortirentur: hoc autem præſumi non debet de pia, & recta Summi Pontificis intentione.

Secundo ſuadetur hæc opinio ex quadã doctrina *Patris Suarez lib. 3. de legib. cap.* 5
17. *num.* 8. & aliorum, qui dicunt, quod non obſtante dictione illa (*ex nunc*) vel ſimili, quæ habetur in lege, non ſequitur ſimul omnes ſubditos obligari in toto territorio, ſed ſucceſſiuè ſecundum notitiam legis promulgatę, & ratio eſt, quia aliter lex obligaret ad impoſſibile; quod eſt contra rationem naturalem, nempe ſubditum obligari ad illud, de quo inculpabiliter notitiam non habet: igitur quamuis Pontifex in hac conſtitutione dicat velle, vt poſt affixionem harum litterarum in locis Romæ deſignatis omnes arctentur ad ſeruanda ea, quæ preſcribuntur; nihilominus id intelligi debet ſucceſſiuè, videlicet, ſecundum notitiam, quæ progreſſu temporis proportionati ad diſtantiam locorum haberi poterit.

Tertio ſi lex priuatim proferatur in aula 6
principis, non obligabit communitatem illius ciuitatis; ergo ſi promulgetur in ciuitate non obligabit totum regnum, & multo magis ſi plura ſunt regna eidẽ Principi ſubiecta. Antecedens eſt certum, quia modus ille publicandi nõ eſt ita ſenſibilis, vt ſit hominum naturæ accommodatus in ordine ad obligandum: conſequẽtia autẽ oſtenditur, nam eadem inuenitur proportio quoad publicationem factã in aula in ordine ad communitatem vnius ciuitatis, & factã in ciuitate in ordine ad communitatem totius Regni, ſeu plurium Regnorum: igitur ſi priuata illa publicatio facta in aula Principis non erit ſufficiẽs ad obligandam communitatem ciuitatis, neque publicatio facta in ciuitate erit ſufficiẽs ad obligandam communitatem totius Regni, &c.

Quarto probatur authoritate *S. Thomæ* 7
p. 2. quæſt. 90. art. 4. ad ſecundum, vbi docet legem obligare, quatenus eius promulgatio deuenire poteſt in omnium notitiam per alios, quando in ſingulis prouincijs publicatur, vel ita ſemel conſtituitur

Digitized by Google

ſufficiens temporis dilatio, vt de ipſa lege notitia habeatur, vel haberi valeat.

8 Quinto confirmatur ex iure ciuili, & canonico, & primo *ex Authent. vt factæ nouæ conſtitutiones tit. 16. coll. 5.* vbi diſponitur legem non ligare ſubditos, etiamſi ipſa promulgata ſit in primaria ciuitate, niſi etiam in ſingulis prouincijs fiat eius publicatio, & poſt duos menſes à die talis publicationis. ſecundo ex iure canonico, nam *cap. 1. de cenſ. præb. in 6. §. Non obſtaret*, expreſſè ſtatuitur, quod lex, & cõſtitutio non aſtringit niſi poſt elapſum tantum temporis, intra quod ignorari non præſumitur: quantitatem vero huius temporis eſſe bimeſtre à die promulgationis docet *Gloſ. ibi v. poſt tempus.* Rurſus *in cap. Nouerit de ſent. excom.* dicitur excõmunicatio lata aduerſum capitulares, illos afficere, ſi infra duos menſes non deleant ſtatuta contra eccleſiaſticam libertatem.

9 Sexto probat quidam doctus recentior hanc ſententiam à pari, nam ſicuti geſta per Iudicem, qui communi errore, & titulo colorato legitimus exiſtimatur, habentur in iure, vt valida, quatenus ipſum ius, *vt patet ex l. Barbarius ff. de offic. præt.* ſupplet ob bonum commune defectũ illius iudicis; ſic & in caſu poſito dici poteſt, in Superiore admittente eo tẽpore nouitiũ ad profeſſionẽ titulo colorato, & qui ex cõmuni errore exiſtimetur habere verã poteſtatem admittendi; & hoc, ne ſequãtur incommoda prædicta; igitur concludendum eſt, effectum irritationis incepiſſe poſt tempus proportionatum ad notitiam ipſarum litterarum habendam, non autem ſtatim poſt earum Romæ affixionem: hac ratione Patres in Concilio Trid. determinarunt legem illam, qua matrimonia clandeſtina irritata fuere, vim non habere, niſi poſtquam in ſingulis Parochijs Diœceſum lex ipſa publicaretur, & efficaciam habere poſt triginta dies à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ. ſic *ſeſſ. 24. de reform. cap. 1. in fine.*

10 His, & ſimilibus argumẽtis probari poterit hæc ſententia. Pro deciſione autem huius difficultatis, ſuppono non eſſe meæ intẽtionis ſermonem hic inſtituere de promulgatione, quæ eſt neceſſaria ad efficaciã legis, ſiue ciuilis, ſiue canonicæ, ſcio enim varias eſſe Doctorum opiniones, nam aliqui negant vnicam ſufficere promulgationem etiam in Metropoli Ciuitate, ſeu in curia Principis facta: alij vero affirmant: videri poſſunt de re hac Authores apud *Suarez lib. 3. de legib. cap. 17. & 18. lib. 4. cap. 15. & lib. 5. cap. 33. & apud Merollã tom. 2. diſp. 4. cap. 3. dub. 17. 18 & cap. 4. dub. 18. cap. 5. dub. 22.* & apud alios, quos laudati authores citant; ſuppono inquam non eſſe meæ intentionis de hoc puncto tractare, quia ad materiam de legibus ſpectat, de qua latè prędicti Authores agũt: eſſe tamen meæ intentionis reſtrictum habere ſermonem, conſiderando tantummodo hanc pontificiam conſtitutionem, eiuſque clauſulas. his præhabitis.

11 Dicendum eſt effectum irritandi receptiones ad habitum, & promotionem ad profeſſionem religioſam emittendam à receptis, incepiſſe ſtatim ac Romæ ipſa conſtitutio locis deſignatis fuit affixa; ergo profeſſio emiſſa à Nouitio, de quo caſus figuratur, irrita fuit. conſequentia euidẽs eſt, ſi verum eſt antecedens, in quo difficultas conſiſtit.

12 Probatur autem primo antecedens authoritate Doctorum tum canoniſtarum, tũ theologorum, qui loquentes de legibus irritantibus inquiunt: effectum irritationis haberi etiam contra ignorantes. ita *Panor. cap. cognoſcentes de conſtitut. num. 7. Felinus eodem cap. num. 7. & cap. cæterũ de reſcript. num. 19. Farinacius in fragm. crimin. par. 1. nu. 672. & ſeq. Garcia de beneſic. par. 5. cap. 8. num. 16. Aloyſius Riccius in collect. par. 4. deciſ. 1276 Marcus Antonius macer. variar. reſolut. lib. 2. reſol. 8. num. 11. & reſol. 98. vbi affert quamdam ſacræ Congreg. deciſionem 16. Ianuarij 1598. Simonet. de Beneſ. quæſt. 96. initio. Pariſius de reſign. lib. 11. quæſt. 4. num. 44. Barboſa in cap. illo cognoſcentes num. 4. 5. & de clauſ. vſufrequen. clauſ. 40. num. 7. ex Theologis Emmanuel in quæſt. reg. tom. 2. quæſt. 79. art. 2. circa medium. Sotus lib. 1. de iuſt. quæſt. 1. ar. 4. circa mediũ. Syluester in ſumma verb. lex quæſt. 6. Salas de legib. diſp. 12. ſec. 4. Sanchez lib. 3. de matr. diſp. 17. num. 20. Molina tract. 5. de iuſt. diſp. 70. num. 5. Azor par. 1. inſtit. moral. lib. 5. cap. 3. quæſito 9. ver. Aduertendum eſt. Malderus in 2. 2. S. Thomæ quæſt. 90. art. 4. dub. 3. cõcluſ. 7. Suarez de legibus lib. 5. diſp. 33. n. 5. 6. Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 4. 5. dub. 22. num. 194.* quamuis hi duo Authores id admittant, quando in lege eſt particula, ex nunc, vel ſimilis. *Bonacina de legibus diſp. 1. quæſt. 1. punc. 4. num. 20. Pellizzarius tract. 11. cap. 11. nu. 399.* & alij apud laudatos Authores.

13 Probatur ſecundo ex iure canonico, tum *cap. Cognoſcentes cit. tum cap. Si poſtquam, cap. Dudum; & cap. Si beneficium de præben. in 6.* vbi ſtatuitur litteras Pontificis obligare ignorantes, & irritum reddere actum contrarium. & vt concluſio efficacius firmetur, tria videntur oſtendenda.

14 Primo in Pontifice eſſe poteſtatem ad id faciendum. ſecundo id defacto per hanc conſtitutionem voluiſſe. tertio ad abundan-

dantiorem doctrinam conuenięter id ſtatuiſſe.

15 Quoad primum, res eſt manifeſta, nimirum in Principe, & præſertim in Pontifice, poteſtatem eſſe irritandi aliquos actus per legem ab ipſo editam, & in curia tantum promulgatam. ferè omnes doctores id aſſerunt in tractatu de legibus, quos copioſè laudat *Merolla cap. 4. cit. dub. 17. num.* 250. & confirmari poterit ex eo quod plures ſunt leges vniuerſales quemadmodum Bullæ, motus proprij, qui Romæ tantum fuerunt publicatæ, effectum tamen habent in vniuerſa eccleſia.

16 Id vero, quod ſecundo loco vt probandum, fuit aſſumptum, ſcilicet id voluiſſe Pontificem, nulla meliori via oſtendi poterit, quam ponderando verba, & clauſulas bullę: cũ enim prius circa mediũ irritas declarauerit fore omnes receptiones, profeſſiones, &c. contra formam huius conſtitutionis emiſſas, in fine appoſuit illa verba ſuperius relata, nempe [*Volumus, quod præſentes litteræ poſtquam Romæ affixæ, & publicatę fuerint, omnes, & ſingulos arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimata fuiſſent, &c.*] dictio enim illa, *poſtquam*, eſt talis naturæ, vt quando apponitur in aliqua diſpoſitione continente determinatum tempus, diem, &c. faciat, vt tempus illud currat de momento in momentum, & dies ille computetur in termino, vt notat *Cenedus in centuria ſingularium iuris. ſing. 75. Barboſa de dict. vſufreq. dict.* 272. & alij apud ipſum. cum igitur Pontifex in hac cõſtitutione ſtatuat, vt hæ litteræ poſtquam Romæ affixæ fuerint, arctent omnes, & ſingulos, &c. infertur effectum irritationis in eiſdem litteris cõtẽtũ incepiſſe currere de momẽto in momẽtum à die affixionis. & quod dies iſte cõputetur in termino.

17 Et confirmatur, nam ſi Pontifex voluiſſet effectum prædictum incipere poſt publicationem factam in ſingulis prouincijs, proculdubio non dixiſſet, omnes, & ſingulos arctari, & affici poſt affixionem Romæ factam, tunc enim verba iſta ſuperflua fuiſſent, quod non eſt aſſerendum, quia in conſtitutionibus Pontificijs nihil ſuperfluum, nihil vanum eſſe debet, vt notat *Gloſ. verb. Tanquam. cap. Solitæ de maior. & obed. & ideo Mandoſius in reg. 9. cancell. quæſt. 2. num.* 3. rectè ait, nec minimum verbum ſine virtute eſſe debet in litteris pontificijs. id etiam aſſerit *Gonzales in reg. 8. cancell. §. 7. proœm. num.* 127. 128. *& Gloſſa* 22. *Barboſa in axiom. iuris vſufreq. axiom.* 136. *num.* 15. 16. id multis iuribus, & doctorum placitis confirmat, loquens de lege in communi, & merito, nam ſuperfluitas à iure reprobatur, vt colligitur ex *l. 1. §. Quibus. C. de nouo codice faciendo & l. finali. C. Qui admitti, & Clem. exiui. §. Quamuis; vt notat ibi Barboſa.* ideo ad ſuperfluitatem vitandã, & pręſertim in conſtitutione pontificia, debemus omnino ſuſtinere, mentem Pontificis fuiſſe, vt conſtitutio iſta effectum habuerit à die affixionis, quæ Romæ facta fuit.

Tertium denique oſtendendum eſt ſcilicet conuenienter id decretum fuiſſe à Pontifice, quod demonſtrabitur, ſoluendo argumenta oppoſita in fine. 18

Ad primum igitur reſpondeo, incommoda illa, quæ adducuntur, non probant neque ex natura rei, neque ex iure aliquo ſcripto id eſſe ſtatutum, nam ſiſtendo in iure naturæ nulla eſt neceſſitas, vt in ſingulis prouincijs lex promulgetur, quod rectè probat *Suarez*, *& præſertim de legibus pontificijs lib. 4. cap. 15. num. 5. & ſequentibus*; neque extat ius ſcriptum id probãs, neque *Authenticum, vt factæ nouæ conſtitutiones*, eſt iure canonico receptum, vt idem *Suarez oſtendit cap. cit. numer.* 11. ſolum ergo ex incommodis allatis probari poſſet, conueniens eſſe, vt Pontifex prudenter determinet modum promulgationis iuxta qualitatem materiæ, de qua fertur lex, vt bene ponderat idem *Author lib.* 5. *cap.* 33. *num.* 2. in caſu autem, de quo agimus, cum expreſſa mens Pontificia nobis innoteſcat, nempe per conſtitutionem hanc omnes, & ſingulos affici, & arctari, poſtquam affixa fuerit Romæ, debemus conſequenter aſſerere ſtatim haberi effectum irritationis. 19

Ad ſecundum reſpondeo cum diſtinctione, nam in lege tria ſpectari poſſunt, vt animaduertit *Azor cap. illo 3 ſuperius cit. & Malderus in 1. 2. S. Thomæ quæſt. 90. art. 4. dub. 3. concl.* 7. primo obligatio, ſecundo pœna ab ipſa lege impoſita contra transgreſſores, tertio damnum aliquod ſequens, non per modum pœnæ, ſed ob cõmune bonum; quod eſſe poterit in duplici differẽtia, interdum enim eſt de rebus omnino dependentibus à libera diſpoſitione Pontificis; interdum vero non ita, ſed dependentibus à voluntate ſubditorum ex iure naturali: exemplis omnia illuſtrabo. v. g. ſit lex pontifitia ſtatuens tale genus perſonarum eſſe inhabile ad beneficia eccleſiaſtica acquirenda, vel ad religioſam profeſſionem; emittendam, hæc, aut ſimilia dependent à libera voluntate Põtificis, in cuius arbitrio poſita eſt habilitas, aut inhabilitas perſonarum in ordine ad actiones illas, & non dependent à iure naturali, & conſequenter neque à voluntate ſubditorum: quæ autem dependent à volun- 20

tate

tate libera ſubditorum, ſunt v. g. varij cõtractus, per quos vnuſquiſque poterit libere ſe alteri obligare ad faciendum, omittendum, &c. his omnibus præhabitis, aio per illud primum, nempe obligationem, quando lex continet particulam, ex nunc, vel ſimilem, ſignificari ſtatim poſt primam promulgationem, incipere vim obligandi; ſed non oportet, vt ſimul in omnes ſubditos incipiat, ſed ſucceſſiuè iuxta modum, quo diffunditur notitia legis, ſcilicet eo modo, quo moraliter peruenire poterit in talem locum, &c. vt rectè probat Suarez; ad illud autem ſecundum, videlicet pœnã, dico, quod in foro cõſcientiæ vitatur ab eo, qui inuincibiliter legẽ ignorat, nam pœna ſupponit culpam, quæ ab eo, qui inuincibiliter legem ignorat, contrahi nequit; in foro autem externo eſt iudicandum iuxta præſumptionem notitiæ habitæ, vel non habitæ. tertium denique, nempe irritatio, afficit etiam ignorantes, vt communiter aſſerunt Doctores pro noſtra concluſione citati.

Ad tertium nego paritatem, nam de ratione legis cum ſit promulgatio, vt docet *S. Thomas* 1. 2 *quæſt.* 90. *art.* 4. & non quæcumque, ſed talis, quæ ſit communitati accommodata; ideo oportet, vt modo publico proponatur, & ideo ſi tantum in aula Principis proferatur, non cenſebitur promulgari in loco publico, vt exigit communitas, pro qua lex ipſa tanquam operationum menſura editur; proinde promulgatio in aula non ſolum non erit ſufficiens ad obligandam totam prouinciam, ſed neque ciuitatem in qua, lex à Principe facta fuit, ad argumentum igitur in forma, nego conſequentiam, in qua dicebatur quod promulgatio legis facta in ciuitate non ſit ſufficiens ad obligandum totum regnum. ad probationem vero huius conſequentiæ nego antecedens, ſcilicet eamdẽ quoad hunc effectum inueniri proportionẽ legis inter aulam, & communitatem ciuitatis; & inter ciuitatem, & totum regnum, ſeu ad plura regna: & ratio eſt, quia aulica promulgatio adhuc non cenſetur promulgatio legi proportionata, nam lex cum ſit pro communitate, debet ita publicari, vt locus ſit indifferens, & communis toti vniuerſitati: talis autem locus non eſt aula, ſed platea, vicus publicus &c. & ideo paritas non valet.

Ad quartum ex S. Thoma concedo eius doctrinam eſſe veram, ſed aio non eſſe contra meam ſententiam, quia S. Doctor in eo loco nihil aliud docet, niſi eos, quibus lex promulgata non fuit, etiam obligari ad illam ſeruandam, inquantum promulgatione facta, peruenit, aut peruenire potuit in eorum notitiam; nego autem eam promulgationem neceſſariam eſſe, quæ fit in ſingulis prouincijs, vt intendit arguens, ſed dico eſſe eam, quæ fit in curia in loco publico.

Ad quintum ex Authent. vt factæ nouę conſtitutiones, reſpondeo primo iuxta quorumdam explicationem ibi eſſe ſermonem dumtaxat de legibus teſtamentorum, vt aſſerit *Vaſquez p.* 1. *diſp.* 156. *cap.* 2. *num.* 9. & conſequenter non extendi ad omnes leges imperiales. & idem Author id probat adducendo verba textus, incipiendo ab illis verbis [*Sancimus igitur, &c.*] Secundo reſpondeo concedendo Authenticum iuxta titulum, & verba, rubricæ extendi ad omnes leges imperiales, vt volunt alij; nihilominus aio non habere locũ in legibus canonicis, neque eſſe à Pontifice acceptatũ, vt bene probat *Suarez lib.* 4. *de legib. cap.* 15. *num.* 11. quia in lege illa cum duo habeantur, videlicet promulgationem eſſe iterandam in ſingulis prouincijs, & eſſe concedendam dilationem duorũ menſium ad obligandum, à die promulgationis in particularibus prouincijs factæ; primum non eſt receptum à Pontifice in ſuis legibus, vt patet in quamplurimis legibus Pontificijs, decretis, conſtitutionibus canonicis, quæ ſolũ Romę publicatæ ſunt. Secundum non conſtat eſſe receptum aliquo iure ſcripto. Ad iura autem canonica, quæ afferuntur, & ad primum *cap. de præbend. in* 6. reſpondeo *cum Suarez lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 10. *in fine*, non eſſe ſermonem de duobus menſibus, & tempus illud requiſitum non referri ad duos menſes, ſed ad illud, quod requiritur, vt lex non ſolum in actu primo vim habeat, ſed etiam in actu ſecundo, nempe vt de facto afficiat, & obliget ſubditos quoad culpam, & pœnam; quidquid dicat *Gloſſa* in contrarium, imò loquendo de conſtitutionibus pontificijs habentibus decretum irritãs, oppoſitũ ex eodem textu habemus *§. Adijciebatur* immediatè ſequenti, vbi diſponitur per ſententiam datam à Pontifice arctari etiam ignorantes, & ideò ſi cõtra Prælatum abſentem ſententia depoſitionis lata ſit, contractus ab ipſo vt prælato ignoranter initos ſuper præbendas eſſe nullius roboris; & hoc merito, quia collatio præbendarum eſt de illis rebus, quæ à libera diſpoſitione Pontificis dependent, vt ſupra adnotauimus. denique ad textum *ex cap. Nouerit* facilis eſt ſolutio, nam ibi agitur de pœna excommunicationis aduerſus eos, qui ſeruare facerent ſtatuta, & cõſuetudines introductas contra eccleſiæ libertatem, quibus loco admonitionis prærequiſitæ ad incurrendum concedebat Pontifex duorum menſium dilationem: caſus autem iſte eſt longe à noſtro diuerſus, nam

nam aliquod tempus admonitionis, antequam quis in excommunicationem incurrat, eſt de iure.

24 Ad ſextum, & vltimum deſumptum à ſimili ex *l. Barbarius*, reſpondeo negando paritatē, & multipliciter deficit ſimilitudo primò quia in *l. illa Barbarius* agebatur de actibus pertinentibus ad iuriſdictionem, at admiſſio ad profeſſionem non eſt actus iuriſdictionis, ſed cuiuſdam ſuperioritatis, vt rectè probat *Santhez lib. 5. in decalogum cap. 4. num.* 78. ex quo infert admiſſum ad profeſſionem à ſuperiore excommunicato, etiam non tolerato, validè admitti, vel ſi ab eodem ſuperiore alteri delegetur facultas admittendi, validè delegari, & ideo largè, & impropriè admiſſio iſta vocatur actus iuriſdictionis, quæ propriè, & ſtrictè de ea loquendo: eſt poteſtas de publico introducta cum neceſſitate iuris dicendi, vel æquitatis ſtatuendæ: ita communiter *deſcribi ſolet à Gloſſa, & ab alijs in l. 1. ff. de iuriſdictione omnium iudicum*, quamuis deſcriptio iſta nonnullas patiatur difficultates; quas recenſere non eſt huius loci; admiſſio autem ad profeſſionem propriè nō vocatur dictio iuris: ſed eſt quędam voluntas exterius expreſſa à ſuperiore monaſterij, qua admittit aliquem in conſortium aliorum; & per quam admiſſionem completum ius acquirit in profeſſum, quod dico de admiſſione ad profeſſionem, etiam aſſero de receptione ad nouitiatum. ſecundo geſta à Barbario in ea lege declarata fuerunt valida, tum quia *vt Gloſ. ibi, & alij* volunt, per aſſumptionem ad officium prętoris libertatem Barbarius acquiſiuit, tum etiam quia, ſi hoc non placet, ita exigebat publica vtilitas totius populi Romani: aliter ius perfectè ab aliquibus acquiſitum vi ſententiarum, & decretorum procedentium ab ipſo Barbario cum magna illorum læſione contra ius naturale læſum fuiſſet: at in caſu noſtro, per ſe loquendo, nullius ius acquiſitum læditur, quia emiſſio profeſſionis ſub hac, vel illa forma dependet totaliter à diſpoſitione ſummi Pontificis, qui omnium religioſorum eſt ſuperior, & aliquas profeſſiones irritare, aut validas declarare non pertinet ad publicam vtilitatem; ſed ad priuatam, vel ipſius profeſſi, vel monaſterij; cuius Pontifex eſt ſupremus Prælatus: proindè facultas recipiendi ad habitum religioſum, & ad profeſſionem, non comprehenditur ſub illa lege ciuili, & addo quod etiam ſi comprehenderetur cum agatur de rebus quæ totaliter dependent à voluntate ſupremi Paſtoris, poſſunt omnino irritari, etiam ſi plures decretum irritans ignorent vt ex communi ſupra probaui. & ſic patet inter vnum, & alium caſum; ſufficientem paritatem non eſſe. neque quicquam refert damnum, quod ſequi poſſet contra aliquem tertium ex tali decreto receptiones, & profeſſiones irritante ſtatim poſt promulgationem Romæ factam, tum quia hoc eſt valdè per accidens, de quo lex curare non debet quando finē primariò intentum obtinere aliter nequit, & ideo de his, quæ rarò contingunt non habetur ratio, vt colligitur *ex l. Nam ad ea. ff. de legib.* & notat S. *Thomas* 2.2. *qu.* 120. *art.* 1. *in corpore*, tum etiam quia valor profeſſionis, vt dictum eſt, cùm non dependeat immediatè à iure naturali, & voluntate ſubditorum, ſed à Pontifice poteſt ipſe, & pręſertim ita exigente bono communi religionis, acceptare, vel reijcere à religione, quem voluerit, ideoque iure ſuo vtens, nemini cenſetur iniuriam irrogare, quamuis aliquando, & rarò, ac valdè remotè damnū alicuius priuatæ perſonæ ſequatur.

Dices hæc omnia potuiſſe ſufficiēter ſaluari, & vitari incommoda oppoſita ſi Pōtifex voluiſſet, vt conſtitutio iſta efficaciā haberet poſt promulgationes faciendas in ſingulis prouincijs Italiæ, & Inſularum adiacentium, vel voluiſſet temporis dilationem concedere ad hoc vt conſtitutio in aliorum notitiam perueniſſet, aut peruenire potuiſſet. Reſpondeo quamuis id fuiſſet in libertate Pontificis; nihilominus id facere non tenebatur; & expediens fuit vt ſtatim abſque mora à die promulgationis in Curia, irritas declararet receptiones prædictas, & huius rei præcipuum motiuū indicauit Pontifex in proœmio præſentis conſtitutionis, fuiſſe inſtaurationem regularis diſciplinæ quotidie magis, ac magis labentis ob receptionem plurium ſubditorum, qui numero excedentes ali non poterant redditibus, aut eleemoſynis monaſterio erogatis, ex hoc autem non leue in ipſum monaſterium, & regularem diſciplinam detrimentum reſultabat, & in dies magis, & magis creſcebat: ad quod vitandum, & penitus extirpandum, neceſſariū erat repētinum remedium applicare, ideoque prudenter Beatiſſimus Pater decreuit ſuſpendere nouas omnes receptiones, vſque dum ſacra Cōgregatio recognoſceret redditus, eleemoſynas, &c. omnium monaſteriorum, & domorum, & pro quantitate prædictorum redditum, vel eleemoſynarum determinaret pro vnoquoque monaſterio numerum ſubditorum alendorum, neque videbatur cōueniens differre effectum irritationis ad aliud tempus, vel vſque ad particulares promulgationes in alijs prouincijs faciendas, quia intra tale tempus non paruus; ſed magnus ſubditorum numerus additus fuiſſet, tum ex nouiter receptis ad habitum religionis, tum ex admiſſis

Google

miſſis ad profeſſionem, & ſic damno, quod Pontifex euitare curabat opportunum remedium applicatum nequaquam fuiſſet, conueniens igitur fuit bono communi religionum, vt Pontifex facta promulgatione, & affixis litteris in curia, ſtatim irritas declararet omnes has receptiones, ob magnum ipſarum religionum commodum, quod præponendum abſque dubio erat damno illi particulari, quod contra priuatam perſonam raró euenire potuiſſet, & hoc eſt tertium membrum, quod ſupra in ſolutione ſecundi argumenti propoſui oſtendendum, & in hunc locum tranſmiſi. Et hæc eſt mea ſententia pro præſentis quæſiti ſolutione.

LIBER QVINTVS

DE ONERIBVS, ET PRIVILEGIIS IVBILEI.

SVMMARIVM.

1 *Proœmium Libri.*
2 *Supponitur, & declaratur conſuetudo Eccleſiæ in promulgatione iubilei.*
3 *Enumerantur onera, & priuilegia iubilei.*

1 EXpeditis ijs, quæ de priuilegijs, & diſpenſationibus in particulari viſa mihi fuerunt peragenda, & de quibus in varijs occaſionibus interrogatus fui; operæ pretium duxi hunc alium librum inſtituere, in quo de Iubileo, quod eſt vniuerſale quoddam priuilegium, pertractarem. & quamuis non defuerint plures, magnique nominis Authores, & noniſſimè Zacharias Paſqualigus, qui fusè, & eruditè de ipſo Iubileo verba fecerunt; nihilominus, quæ temporis progreſſu ex diuerſis Iubileis à Summo Pontifice emanantibus, breuiter à me collecta, & ordinata ſunt, & quorumdam recentiorum ſcribentium ſententias nouiter excogitatas, expendere decreui. Sed antequam quæſtiones aggrediar placet breuiter declarare modum, quo ipſum iubileum ſolet fidelibus publicari, eiuſque onera, & priuilegia in communi recėſere.

2 Suppono igitur conſuetudinem, quam ſeruat Eccleſia in promulgatione iubilei, indicens videlicet in feria quarta, & ſexta primæ hebdomadæ proceſſiones per publicas vias, & cum cantu litanias recitans: in hac autem proceſſione, quæ fit Romæ, interuenit Summus Pontifex, quem comitantur Eminentiſſimi Cardinales, alijque Prælati, & Clerici, & ſimul Regum, & Principum oratores Romæ commorantes: in alijs vero locis interuenit Epiſcopus cum Capitulo Cathedralis, & Clero. Eccleſia autem, è qua proceſſio egreditur, ſicut, & illa, ad quam terminatur, Romæ deſignatur à Pontifice: in alijs vero partibus ab Epiſcopo. Cæterum fideles, qui iubileum lucrari intendunt nō aſtringuntur his proceſſionibus intereſſe, quia Pontifex in diplomate eiuſdem iubilei conſueuit placito ipſorum fidelium remittere, aut proceſſionibus interuenire, aut Eccleſias deſignatas viſitare. Ad dictionem enim disiunctiuam, ſeu alternatiuam, ſatis eſt, vt vna ex partibus verificetur, vt dicitur in *reg. 70. iuris in 6.*

Onera autem iniuncta in ipſo diplomate ſex eſſe ſolent, nempè viſitatio Eccleſiarū, oratio, eleemoſyna, ieiunium, confeſſio ſacramentalis, ſumptio ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Priuilegia vero, quę conceduntur ſunt quatuor; videlicet, facultas eligendi confeſſarium, abſolutio à quibuſcumque peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis, commutatio votorum, remiſſio pœnæ temporalis, quæ peccatis erat debita: & de his omnibus ſingillatim eodem ordine eſt agėdum, pro quibus diuerſas inſtituo quæſtiones. 3

QVÆSTIO PRIMA.

De Eccleſiarum viſitatione.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine eccleſiæ in iubileo præſcriptæ. 1
Eccleſiæ viſitandæ extra Romam debent ab ordinario deſignari. 2
An iſta viſitatio exigat corporalem ingreſſum. 3
An viſitās quinq; altaria ab oſtio eccleſiæ ſatisfaciat, ſi tot eſſent præſcripta in diplomate. 4
An orans è ſacriſtia adimpleat hoc onus. 5

An

Digitized by Google

6 *An orans extra eccleſiam tempore nocturno, & ianuis clauſis ſatisfaciat.*
7 *An regulares ſatisfaciant viſitando propriam eccleſiam ſi fuerit ab ordinario deſignata.*
8 *Regulares debent viſitare eccleſias alienas ſi fuerint deſignatæ.*
9 *An ſuperior teneatur dare licentiam ſuis ſubditis regularibus ad viſitandas alienas eccleſias deputatas.*
10 *An manens in vno loco fixus poſſit viſitare quinque altaria.*
11 *Prædicta viſitatio nequit fieri per alium.*
12 *Poſſunt eccleſiæ viſitari quolibet die intra tempus iubilei.*
13 *Actus viſitationis debet eſſe honeſtus, & pius.*
14 *Refertur quædam ſententia Frãciſci Amici.*
15 *Prædicta ſententia reijcitur.*
16 *Viſitatio eccleſiæ debet fieri ex intentione lucrandi iubileum.*

1 Dicendum eſt primo: nomine Eccleſiarum, quæ in iubileo viſitandæ præſcribuntur, non ſolum veniunt illæ, quæ communiter à nobis Eccleſiæ appellari conſueuerunt, nempe Cathedralis, Collegiata, Parochialis, Regularis, & ſimiles, ſed etiam Cappellæ, Eremitoria, Hoſpitalia, & Monaſteria tum virorum, tum mulierum; ſi hæc ſint approbata ab Epiſcopo, vt in ipſis celebretur, & ab eodem deſignata: probatur quia in fauorabilibus nomen Eccleſiæ amplè ſumi debet; Iubileum autem inter fauorabilia, saltem quantum ad effectum lucrãdi indulgentias enumeratur. & confirmatur, nam Authores loquentes de priuilegio immunitatis Eccleſiarum, ob eandem rationem nomen Eccleſiæ amplè accipiunt. ita *Suarez de interdicto diſp. 24. ſec. 1. num. 9. Bonacina in decalogum loquens de immunit. diſp. 3. quæſt. 7. §. 2. num. 1. Trullench in bullam cruc. lib. 1. §. 3. dub. 2. num. 7. & 9. Quintana Dueña in appẽd. poſt ſingularia tract. 6. dub. 2. & alij*. ex his etiam colligunt doctores priuilegiũ immunitatis ſe extendere ad Eccleſias illas, & cappellas, quæ ſitæ ſunt in carceribus, ſuburbijs, prędijs; &c. dummodo ſint ab Epiſcopo approbatæ: ita *Quintana Dueña loco cit. num. 1. & apud ipſum Alexander conſil. 145. num. 54. Cardinalis Tuſchus, verbo Eccleſia concl. 8. num. 5.* & ideo colligi poteſt venire omnia prædicta ſub nomine eccleſiæ in ordine ad lucrandum iubileum, in quo fauor continetur, & quia huiuſmodi priuilegium quoad immunitatem competit etiam eccleſijs authoritate Epiſcopi erectis, & diuinis officijs dedicatis, quamuis nondum ſint benedictæ, vel nondum in illis diuina officia celebrata fuerint, vt aſſerit *Bonacina loco cit. num. 2.* idcirco poſſunt ab Epiſcopo deſignari pro viſitatione facienda ad lucrandum iubileum; & idem probabiliter affirmat *Quintana Dueña dub. cit. n. 2.* de oratorijs, quæ authoritate Epiſcopi ſunt approbata pro ſacroſancti ſacrificij celebratione.

Dicendum eſt ſecundo: Eccleſiæ viſitãdæ extra Romam vna, aut plures ab Ordinario loci deſignantur, nam Pontifex in Bulla iubilei, arbitrio ordinarij eccleſiarũ electionem relinquit; ideoque si quis eccleſias deſignatas viſitare omittat, licet alias viſitet, non ſatisfacit huic oneri, & iubileum non lucratur. 2

Dicendum eſt tertio: hęc eccleſiarum viſitatio non exigit corporalem ingreſſum viſitantis in eccleſiam, ſed ſatis eſt, vt fiat in valuis ipſius eccleſiæ, ſi ob populi concurſum, qui viſitat, impediatur ab ingreſſu. *Suar. tom. 4. diſp. 25. ſec. 1. Bonacina de ſacr. diſp. 6. q. 1. punc. 5. num. 26. Fragoſus de reg. Reip. par. 2. lib. 6. diſp. 6. nu. 25. Caſtrop. par. 4. tract. 24. quæſt. vnica punct. 4. num. 3. Paſqualigus de iubil. quæ. 87. num. 3. & 4. & quamplures alij apud ipſum, & nouiſſimè Antonius de Quintana Dueña in ſingularibus theologiæ moralis in appendice ad iubilæũ pro altarium viſit. dub. 5. num. 4. 5.* at *Lauorius par. 1. de iubileo cap. 17. num. 29.* plus addit dicens, viſitationem hanc fieri poſſe ante ianuam eccleſiæ, etiam ſi fores ſint clauſæ: quod approbat *Santarell. c. 4. dub. 3.* ratio eſt, quia orans in valuis eccleſię, cenſetur orare in ipſamet eccleſia moraliter. Cæterum de viſitatione ante fores Eccleſię facienda ianuis clauſis, quid ego ſentiam infra nu. 6. declarabo, de viſitatione tamen in valuis Eccleſiæ ianuis apertis approbo doctrinã Lauorij, niſi diploma præſcribat talem viſitationẽ, quæ requirat corporalẽ ingreſſum, vt viſitatio alicuius remotę cappellę, &c. 3

Sed dubitari poſſet an viſitatio prædicta in foribus Eccleſię ſit ſufficiens ad viſitationem quinque altarium in eadem eccleſia exiſtẽtium si tot eſſent præſcripta in diplomate: pro reſponſione ſciendum eſt caſum hũc proponi à *Didaco Nuño in addit. ad 3. p. S. Thomæ in exponenda bulla cruciata §. 10. dub. ſequenti*, & partem negatiuam ipſe tuetur, quia licet de tali homine verè dici poſſet ut viſitare eccleſiã, neque tamen dici viſitare quinque altaria illius eccleſię, ideoque ad lucrandam indulgentiam deberet viſitare quinque eccleſias, si hoc modo in earum viſitatione ſe haberet. hanc ſententiam videtur etiã approbare *Diana de bul. Cruc. reſol. 104.* verũ hoc iudico nõ eſſe ita abſolutè negãdum, ſed cum limitatione quadam admittendum, ſi ponamus v. g. altaria ita diſ- 4

poſita eſſe, vt in liminibus ianuę viſitanti primo aſpectu ſe ſe offerant.

Vnde dicẽdũ eſt 4. q̀ tũc quãuis in valuis eccleſiæ homo ille viſitaret, cenſeretur ſufficiens viſitatio ad indulgentiam acquirendam; quia moraliter exiſtimatur eſſe in eccleſia in ordine ad hunc effectum. Idem etiam dicerem ſi in eccleſia contra ipſum viſitantem tria, vel duo tantum erecta eſſent altaria, tunc enim poſſet iſta tria, vel duo altaria huius eccleſiæ viſitare, reliqua vero, q̃ præſcribuntur viſitare in alia eccleſia ex ijs, quæ ab Ordinario deſignatæ ſunt.

5 Dicendum eſt quinto: viſitans eccleſiam è ſacriſtia, ſi ſacriſtia ſit coniuncta cum eccleſia, vel ſacello, tunc preces fundens ab oſtio ſacriſtiæ ſatisfaciet. ita *Fragoſus de regim. Reipubl. chriſt. par. 2. diſp. 6. n. 25. ver. Dico ſecundo*. ſecùs ſi fores ſacriſtiæ non ſint intra eccleſiam, & ideo non ſufficeret, ſi quis oraret in cubiculis, quamuis eccleſiæ coniunctis, aut in ſpelunca ſub eccleſiæ pauimento, aut ſupra tectum eccleſiæ, quia loca iſta non cenſentur pars eccleſiæ, nec loca ſacra, vt docet *Suarez in 3. p. tom. 3. diſp. 81. ſec. 4. ver. Tertio violatur*: *& Fragoſus l. c. cum alijs apud ipſum*.

6 Dicendum eſt ſexto: ſi quis tempore nocturno viſitet eccleſiam clauſis ianuis, lucrari poſſe iubileum; ſed vt caſus reddatur practicè, & moraliter poſſibilis, ponamus quod quis tempore iubilei ſit impeditus eccleſias deſignatas viſitare, vel non habeat intentionem illud lucrandi, vltimo vero die, quo ſpiraturum eſt iubileum auferantur impedimenta, vel ille intentionem mutans velit iubileum lucrari, & preſtitis reliquis operibus, ſolum ſibi remaneat facienda viſitatio, & cũ peruentus ſit ad veſperam vltimi diei, inueniens ianuas eccleſiæ viſitandę clauſas, ibi ante fores viſitet, & oret, num ſatisfaciat huic
4 obligationi? caſum hoc pacto formando, reſpondeo eſſe opinionem *Alphõſi de Leone de iubil. p. 1. q. 2. n. 162.* tali modo viſitantem ſatisfacere, & idem ſentit *Santarellus de iub. cap. 4. dub. 3.* licet oppoſitum ſentiant alij. vtrumque videtur probabile; non admitterem tamen ſententiam affirmantem quando tempus viſitandi ſuperesset, & poſſent eccleſiæ viſitari die ſequenti. at ſi tempus ſpiraret conſilium darem, vt qui vult iubileum obtinere petat à confeſſario commutationem aliquam pro facienda viſitatione, ſi id poſſit fieri; at ſi id non poſſit, tunc ſequens opinionem probabilem, quam Authores prædicti tuentur, viſitet eccleſias meliori modo quo poteſt: nempe ante ianuam quamuis clauſam.

7 Dicendum eſt ſeptimo; ſi Ordinarius loci deſignet eccleſiam viſitandam pro conſecutione iubilei propriam eccleſiam regularium, regulares ibi commorantes ſatisfaciunt huic oneri illam viſitantes. eſt communis opinio, niſi aliud habeatur in diplomate, contra *Liranum apud Felinũ in ſermone de indul.* qui putat indulgentiam conceſſam eſſe euntibus, & non ſimpliciter viſitantibus. ſed decipitur, nam regulariter in iubileis præſcribitur ſimpliciter viſitatio, vt docet *S. Anton. par. 3. ſumma tit. 10. c. 3. §. 2. Syluest. v. indul. num. 8. Rodriq. in bull. §. 8. num. 12. Boſſ. ſec. 4. caſ. 16. num. 16.*

Dicendum eſt octauo. ſi eccleſiæ deſignatæ non ſunt regularium, debent ipſi regulares eas viſitare, aliàs iubileum non lucrabuntur, nam viſitatio iſta præſcribitur tanquam conditio, ſeu forma, ſub qua Pontifex iubileum concedit, & ideo debet omnino ſeruari, & ita aſſerit *Paſqualigus quaeſt. 95. num. 2.* & plures apud ipſum. 8

Dicendum eſt nono: quando eccleſiæ deputatę non ſunt ipſorum regularium, tenetur ſuperior licentiam dare ſuis ſubditis egrediendi ad viſitandas eccleſias deputatas, & niſi adſit cauſa rationabilis denegãdi talem licentiam, grauiter peccat eam denegans: & tunc ſubditus tanquam legitimè impeditus poterit petere commutationem à confeſſario, ſecundum quod præſcribitur in diplomate. non enim tenetur exire ſine licentia ſui Prælati, vt ait *Armil. v. indul. num. 19. Lauor. p. 1. c. 22. nu. 7.* Aliqui vero putant poſſe Prælatum pro ſuis ſubditis regularibus deputare eccleſias pro conſecutione iubilei. ita affirmat vt probabile *Boſſ. caſ. cit. num. 25.* ſed hoc non videtur tutum, & eſt contra praxim, nam in diplomate deſignatio eccleſiarum vniuerſaliter pro omnibus tam ſæcularibus, quam regularibus committitur Ordinario loci, ſub quo nomine venit Epiſcopus. 9

Quæres occaſione accepta ex viſitatione eccleſiæ, vtrum poſſit quis in vno loco fixus abſque corporis motione viſitare quinque altaria, quæ in eadem eccleſia exiſtũt; quando in diplomate iubilei, aut alterius indulgentiæ conceditur, viſitationem beneplacito fidelium fieri poſſe eccleſijs, vel quinque altaribus. reſpondeo eſſe duas ſententias, quarum prima vult, eſſe neceſſariam aliquam corporis motionem. ita videtur ſentire *Rodriquez in Bullam cruciatæ par. 1. §. 8. num. 12.* quatenus caſũ figurans dicit, quod ſi quis coram ſe habet quinque eccleſias, vel quinque altaria, ſi ea ſolum corde viſitet, non lucratur indulgentias conceſſas illis, qui ea viſitant, quia requiritur, vt etiam corpore viſitet: verũ ſtatim limitat hanc ſententiam, quandò ſcilicet populi multitudo non ſinit, vt viſi- 10

tans

tans ſe moueat a loco, vnde ecclesias, aut altaria reſpicit: & pro hac opinione laudat *M. Ferruz Valentianum*. ſed expreſsè poſtulat motionem corporis *Vincentius Riccius in additione ad eundem octauum paragraphum num.* 2. 3. & huius rei rationem aſſignat dicens, quod Pontifex realiter præcipit viſitationem cum motu locali externo, & non ſolùm corde, & animo, nam cum actu dumtaxat interno eſt contentus, id declarat, ſicuti declarat eos, qui in articulo mortis nequeunt ore ſanctiſſimum nomen Ieſu proferre, ſi corde id faciant, indulgentiam plenariam lucrari. neque excuſat, ſi ob populi multitudinem non poſſit viſitare quinquies, quia etiam ſi ob impedimentum non poſſit præſtari opus iniunctum, non obtinebitur indulgentia, quæ tantùm valet quantùm ſonat, quemadmodum neque pauper impotens ad erogandam eleemoſynam iniunctam lucrabitur indulgentiam. ex his concludit Riccius, rem eſſe valde dubiam, & totum hoc negotium, quando adeſt impotentia ad viſitandum, remitti debere liberalitati Ieſu Chriſti piè, interpretando Pontificis intentionem. Ab hac ſententia, ni fallor, non eſt alienus *Delugo diſp. 27. de pœnit. ſec. 6. num. 98.* nam licet prius doceat, quod ſi viſitans ſit in eo loco, & ſitu, in quo moraliter poſſit iudicari orare ad quodlibet ex illis altaribus, ſatisfaciat obligationi impoſitæ; nihilominus ſtatim ſubdit non ſufficere, quod aliquis ſit intra eccleſiam, & animo ſe ad tale altare conuertat: immò, ſi ſit in loco apto, vt in medio eccleſiæ, vult aliquo geſtu, aut capitis, ſiue corporis conuerſione ſignificari conuerſionem animi ad ſingula altaria: & hoc quia exigitur viſitatio ſenſibilis, nempe talis actio quæ ſit apta ad exterius ſignificandum orationem fieri ad tale altare. hæc ex Ioanne Delugo, qui poſtremis verbis clarè requirit externam corporis motionem: quam ſententiam expreſsè ſuſtinet *Paſqualigus quæſt.* 88. *num.* 4. ſecunda autem ſententia vult ſufficere ſolam cordis directionem, etiamſi exterius nullus fiat corporalis motus. ita expreſsè *Henriquez lib. 7. cap.* 10. *num.* 1. *Vega tom.* 2. *cap.* 7. *caſ.* 26. *Graffius in append. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 54. nam etsi dicat expediens eſſe, aliquem corporis motum fieri; addit tamen id non eſſe neceſſarium. *Bonacina de ſacr. diſput.* 6. *quæſt.* 1. *punc.* 5. *num.* 25. *Barthol. à S. Fauſto de indul. lib.* 3. *quæſt.* 31. *Rodriq. in addit. ad* §. 8. contra id quod loco ſuperius citato dixerat; & alij, his poſitis. Dicendum decimo videtur primam ſententiam eſſe tutiorem; ſecundam tamen veriorem, quia Pontifex ſolum requirit viſitationem eccleſiarum, ſeu altarium quinquies, & non apponit, vt signo ſenſibili vna viſitatio ab altera diſtinguatur.

Dicendum eſt vndecimo, illa viſitatio nequit fieri per alium, sic *Benzonius de iubileo lib.* 2. *c.* 47. *Grat. par.* 2. *c.* 15. *Filliuc. trac.* 8. *c.* 6. *nu.* 162. & ratio eſt, quia talis viſitatio requiritur tanquam actus perſonalis illius, qui vult lucrari iubileum. 11

Dicendum eſt duodecimo: poſſunt eccleſiæ designatæ viſitari, quolibet die intra tempus iubilei, etiam vltimo die dominico: proinde non oportet illas viſitare eo die, quo fit proceſſio, aut die quo fit communio, quia non eſt apponenda reſtrictio, quam Pontifex non apponit. ita ſentit *Nauar. de orat. miſcell.* 60. *Alphonſus de Leone* 2. *p. num.* 132. *Boſ. ſec.* 4. *caſ.* 16. *à num.* 8. *& Paſqualigus in praxi iub. quæſt.* 93. *num.* 2. 12

Dicendum eſt decimotertio: Actus viſitationis debet eſſe pius, & honeſtus. *Suar. tom.* 4. *diſp.* 52. *ſec.* 1. *num.* 4. *Santarel. c.* 4. *de iubil. dub.* 2. colligitur ex Bulla, in qua Pontifex præſcribit viſitantibus, vt in ipſa viſitatione deuotè orent. idcirco si actus viſitationis non erit moraliter bonus, quoad ſubſtantiam ſaltem; non obtinebitur iubileum, quia non adimpletur conditio requisita. ex hoc autem principio deciduntur ſequentes caſus. & primo infertur per peccatum antecedens viſitationē ſolùm duratione non impediri, quin ipſa ſit actus pius, & moraliter bonus. e. g. si quis adeat eccleſiam, & per viam labatur in aliquod peccatum omnino impertinens ad viſitationem, vt si committat furtum, vel carnaliter inſpiciat mulierem; peccatum illud ſolùm concomitanter ſe haberet ad viſitationem, ideoque non deſtrueret ſubſtantialem eius honeſtatem, quam habet per ordinem ad motiuum, ex quo proceſſit. *Nauar. de iub. notab.* 31. *num.* 45. 46. *Rodriq. in qq. regul. tom.* 2. *quæſt.* 99. *art.* 6. *Bellar. lib.* 1. *indulg. cap.* 13. *qu.* 2. *& alij.* 13

Si vero peccatum illud, ſiue mortale, ſiue veniale, erit antecedens viſitationem non tantùm duratione, ſed etiam cauſalitate, quatenus ſe habet vt finis in illam influens; tunc actus viſitationis non erit honeſtus, ſed prauus, & non erit ſufficiens ad lucrandum iubileum; quia non erit proportionatus fini, qui à Pontifice intenditur, nempe, vt viſitatione mediante Deus placatus inclinetur ad elargiendum, quod petitur. e. g. si quis eat ad eccleſiam, vt in illa furetur, vel vt in illa inſpiciat mulieres, aut ob vanam gloriam; tunc ſubſtantia actus cum ſpecificetur per ordinem ad finem, & finis ſit malus, erit etiam malus totus ille actus. *Gratianus de iub. p.* 2. *cap.* 6. *Santarel. cap.* 4. *dub.* 2. *Bonacina de*

ſacr. diſp. 6. quaſt. 1. *punc.* 5. *numer.* 15. ſecùs eſſet dicendum in elargitione eleemoſynæ, in qua Pontifex immediatè intendit ſubuentionem pauperum, & in ieiunijs, in quibus intendit macerationem carnis, qui quidem fines poſſunt etiam per actum malum haberi. cum autem pontifex præcipiat eccleſias deuotè viſitari, vt Deus ad miſericordiam moueatur, ſi actus viſitationis erit malus, non erit deuotus, & ideo non ponetur conditio requiſita ad lucrandum iubileum.

At quando peccatum afficit ſolum circumſtantiam actus viſitationis non facit, quin ille actus quoad ſubſtantiam ſit bonus, & per illum huic oneri ſatisfiat; vt ſi quis viſitet immodeſtè, vel tempore, quo tenetur aliquam aliam actionem exercere, vel viſitet diſtractè. &c. *ita Suar. tom.* 4. *diſp.* 51. *ſec.* 6. *Filliuccius tr.* 8. *num.* 159. *Corduba in qq. Theol. lib.* 5. *qu.* 25. ratio eſt quia non obſtante illa mala circumſtātia, actus ſubſtantialiter retinere poterit honeſtatem ortam ex motiuo honeſto.

14 Sed *Franciſcus Amicus in ſuo curſu theologico tomo* 8. *diſp.* 21. *ſect.* 6. *nu.* 100. loquens de hac viſitatione, non ſolùm admittit, quod, quando actus malus cōcomitanter ſe habet, non impediat, quin ſit viſitatio ſufficiens ad effectum iubilei conſequendum; verum etiam negat eandem non ſufficere, ſi ſimpliciter, & abſolutè fiat ex ſolo motiuo prauo dummodò actio externa deuotè exerceatur: nam in tali viſitatione reperitur aliqua, ſaltèm materialis bonitas, nempè modeſtia illius, qui viſitat, quæ multùm conducit ad incitandum populum ad pietatem, Dei obſequium, & gloriam; & hanc bonitatem, ſubdit, poteſt pontifex intendere. & quando cōtra ipſum obijcitur quod ex hac doctrina ſequeretur etiam viſitationem factā ex motiuo peccati mortalis, fore ſufficiētem ad iubileum lucrandum; reſpondet negando eam ſequelam, & aſſignat diſparitatem, cur viſitatio facta ex motiuo peccati venialis ſit valida, non autem ex motiuo peccati mortalis, quia nimirum hæc viſitatio directè opponitur præcipuo fini iubilei, qui eſt, tum moralis diſpoſitio fidelium, vt per opera iniuncta ſe diſponant ad pœnitentiam: tum etiam, vt auxilium à Deo obtineant pro neceſſitatibus eccleſiæ: huic autem fini directè non opponitur peccatum veniale. Rurſus addit mentem Pontificis in his operibus iniungendis, non exigere niſi opera accomodata fragilitati humanæ, propter quam homines, paucis exceptis, nunquam ita exactè pia opera exercere ſolent, vt nullam venialem culpam immiſceant ratione alicuius circumſtantiæ.

Verum opinionem hanc, puto non eſſe admittendam; primo, quia falſum cenſeo à Pontifice in præſcribendis his operibus, non poſtulari, niſi bonitatem illam externam materialem: nam Pontifex iniungit opera ſimpliciter bona; igitur eius mens eſt iniungere opera, quæ ſimpliciter quoad ſubſtantiam ſint honeſta: talia autem non ſunt, quę ex prauo fine, licet veniali, exercentur. ſecundo, quia opera, quæ exterius tantum ſunt bona, & reuera ſunt mala, potius conſtituunt hominem hypocritam, quàm rectè, & honeſtè operantem. tertio, quia, quamuis ex fragilitate humana fiat, vt pauci ſint, qui ità rectè operentur, vt nec leuem culpam admixtam habeant eorum operationes ob aliquam malam circumſtantiam; nihilominus non ità paſſim homines mediocriter pij, præſertim in acquiſitione indulgentiarum, operari conſueuerunt ex malo fine, & non ex aliquo fine moraliter honeſto: proindè licet Pontifex attenta humana fragilitate, non exigat opera, quæ omni mala circumſtantia careant; poterit tamen exigere, ne fiant ex malo fine. 15

Si autem daretur in indiuiduo actus indifferens, & quis moueretur ad viſitandū ob finem indifferentem, non ſatisfaceret, quia actus ille nō eſſet moraliter honeſtus, & deuotus, ſicuti requirit Pontifex, vt aduertit *Alphōſus de Leone de iubileo par.* 1. *num.* 151. *ſic Corduba lib.* 4. *qu.* 25. ſed quid dicendum ſi quis viſitet eccleſias ex aliquo motiuo honeſto, ſiue formaliter, ſiue virtualiter, & ſimul habeat aliud motiuum indifferens, vel etiam prauū? probabiliùs ne eſt ſatisfacere oneri iniuncto: v. g ſi Titius adeat eccleſiam ex motiuo lucrandi iubileum, & ſimul habeat intentionem furandi in eccleſia, vel turpiter inſpiciendi mulieres; tunc aliqui ſuſtinent per talem actum, ſatisfieri intentioni Pontificis, nam licet alius finis influat in actum viſitationis nihilominus cum non excludat alium finem honeſtum, actus viſitandi, quamuis ſimpliciter ſit malus, retinens tamen ordinem ad motiuum honeſtum, erit ſufficienter honeſtus moraliter ad ſatisfaciendum intentioni Pontificis. ita *Suarez, & Filliucius ll. cc. Conink de indulg. diſp.* 12. *num.* 41. *Bonacina de ſacr. diſp.* 6. *quaſt.* 1. *punc.* 5 *num.* 15. oppoſitum docet *Nauar. de indulg. notab.* 32. *num.* 45. quem videtur ſequi *Reginal. l.* 7. *n.* 188. ſcilicet hunc actum eſſe malum, & per illum non ſatisfieri ad lucrādum iubileum. at S. *Fauſto de iubil. l.* 3. *quaſt.* 38. admittit opinionem Nauarri quando per vnum eundemque actum voluntatis homo moueretur ad viſitandam eccleſiam ob duplicem illum finem: at quando tenderet in

vtrum-

Digitized by Google

vtrumque finem per duos actus diſtinctos, amplectitur ſententiam Suarez: hæc vltima ſententia mihi videtur probabilior. prior enim non placet, quia, & ſi actus retineat ordinem ad motiuum moraliter bonum; nihilominus cum tale motiuum ſit partiale, & concurrat cum alio motiuo inhoneſto, vtrumque motiuum ſpecificat actum, & cum bonum ſit ex integra cauſa, & obiectum adæquatum ſpecificans indiuiſibiliter acceptum ratione motiui mali, quod includit, ſit malum; idcirco actus ſpecificatus erit ſimpliciter malus, & non poterit appellari deuotus, vt requirit Pontifex. hæc autem ratio non militat, quando per duplicem actum voluntas tendit in vtrumque motiuum: tunc enim quilibet actus ſpecificabitur à proprio motiuo, & ſic vnus actus erit bonus ſecũdum intrinſeca, alius vero malus. hac ratione impugnatur ſecunda opinio Nauarri.

Incipiens actum viſitationis ob finem prauum, ſi poſtea in progreſſu eiuſdem viſitationis mutet voluntatem dirigens actum illum viſitandi in finem honeſtum, ſatisfacit. *Nauar. notab. 32. num. 46. S. Fauſto loc. cit. Grat. par. 2. c. 6. Rodriq. in ſumma par. 1. c. 184.* qui addit ſatis eſſe vt mutatio prædicta fiat poſtquam quis eſt ingreſſus in eccleſiam viſitandam: & ratio eſſe poteſt, quia illa actio, quæ continuatur poſt mutationem, eſt talis, vt de illa verificari poſſit, quod ſit viſitatio à Pontifice requiſita, nempe honeſta.

16 Dicendum eſt decimoſexto: viſitatio eccleſiæ fieri debet ex intentione lucrandi iubileum: ratio eſt, quia ille, qui viſitat, debet in actu viſitationis aliquas fũdere preces in finem, quem Pontifex in diplomate præſcribit. proinde ſi viſitans, neque actualem, neque virtualem habebit intentionem obtinendi iubileum, non poterit in eum finem orare, & ponere cõditionem requiſitam ad acquirendam indulgentiam. *Lauorius de iubil. par. 1. ca. 17. num. 27. Rodriq. l. c.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De precibus, quæ fundi debent ad lucrandum iubileum.

SVMMARIVM.

1 *Fieri debet oratio in viſitatione eccleſiæ deſignatæ.*
2 *Sufficit qualibet etiam minima oratio.*
3 *Ita lucratur indulgentiam qui breuem, ac qui prolixam fundit orationem.*
4 *At Paſqualigus, & Nuñus oppoſitum aſſirmant, aſſerentes non ſufficere quamcunque minimam orationem.*
Rodriquez, & Conink adducti à Paſqualigo pro prædicta ſententia, ei non fauent. 5
Soluũtur argumẽta Paſqualigi. primo ex eo quod cum oratio ſe habeat vt conditio in ordine ad lucrandam indulgentiam, ſufficit etiam ſi ſit minima. 6
Secundo ex eo quod eſſe minimum, & magnum in actibus virtutum non habetur ex duratione actus, ſed ex motiuo, vel affectu, quo fit. 7
Tertio ex eo quia non eſt neceſſe vt deuotio reperiatur in oratione lucrantis iubileum, ſed ſufficit ſi reperiatur in vno ex operibus iniunctis. 8
Sufficit oratio, ſiue mentalis, ſiue vocalis. 9
Oratio fieri debet pro iis omnibus quæ in diplomate præfiguntur. 10
Non eſt neceſſe recitare litanias. 11
Et ſatisfacit quis recitando preces ex alio titulo debitas: nempe ex obligatione voti, &c. 12
Et poteſt eas recitare cum ſocio alternatim. 13
Preces prædictæ, quouis corporis ſitu fũdi poſſunt. 14
Quæritur quid ſibi vult Pontifex dum præſcribit nõ quamcumque orationem, ſed qualificatam, nempè deuotè. 15
Huius vocis (deuotè) vſus varius, & multiplex eſt apud DD. 16
Reſpondetur ad quæſitum. 17

Dicendum eſt primo oratio fieri debet in viſitatione Eccleſiæ deſignatæ, quia ſic in bulla iubilei præſcribitur. 1

Dicendum ſecundo: in rigore ſufficit quælibet etiam minima oratio, quia in diplomate indefinitè præcipitur oratio, & non determinatur quãta eſſe debeat; proinde cum ſubſtantia orationis non ſolum in prolixa, verum etiam in breuiſſima ſaluetur, ſatis erit quælibet breuis oratio. *Suarez tom. 4 diſp. 52. ſect. 7. num. 5. at S. Fauſto l. 3. de iubil. anni ſancti quæſt. 45.* cenſet debere viſitantem eccleſiam quinquies orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, vel quid ſimile recitare, at id gratis dicitur cum Pontifex orationis quantitatem non determinet, ſed ſolum orationis ſubſtantiam præſcribat quæ in minima ſaluatur. 2

Dicendum tertio: ita lucratur indulgentiam, qui breuem, ac qui prolixam fundit precem, ſeu orationem *Lauor. de iubil. p. 1. cap. 18. num. 8. Boſſius de iubil. part. 1. cap. 18. num. 8. Suarez tom. 4. in 3. p. diſput. 52. ſec. 8. num. 5. Quintana Dueña in appendic. ad comun. Gener. tract. 1. dub. 13. num. 3. & plures alij apud Paſqualigũ quæſt. 99. de iubil. num. 3.* 3

Op-

Digitized by Google

4 Oppoſitum tuetur *Nuñus in addit. ad 3. p. explicando bullam cruciatæ* §. 9. *dub.* 2. docet enim non ſatis eſſe quamcunque orationem, ſed debere eſſe proportionatã, per quam obtineatur tota indulgentia, & ſi minor erit oratio acquiretur pars indulgẽtiæ iuxta proportionem ipſius orationis. ferè idem docet *Paſqualigus num.* 5. 6. vbi negans ſufficere quamlibet minimam orationem, vult debere eſſe alicuius conſiderationis; ita vt digna exiſtimetur exaudiri in ordine ad finem intentum, & id probat, quia minima oratio iuxta prudentem æſtimationem non eſt ſufficiens ad impetrandum à Deo id, quod per iubileũ Pontifex intendit, hoc autem confirmat, tũ quia minima oratio regulariter fit abſque feruore, cum procedat ex defectu deuotionis, quæ protrahit orationem; tum etiam quia minima nullius ſunt conſiderationis, & hoc probat ex vtroque iure ciuili, & canonico, tum denique quia à Deo non ſolet exaudiri niſi oratio, quæ perſeuerantiam habet; rurſus praxis eccleſiæ hoc ipſum indicat, nam ad rem grauem obtinendam longas inſtituit preces; proinde Pontifex iniungens orationem in diplomate iubilei pro re graui, præſumitur iniungere orationem iuxta menſuram, ſecundum quam Eccleſia preces inſtituit. hæc, & alia ſimilia affert Author iſte ad probãdum orationem minimam in re adeo graui non ſufficere, & citat *num.* 4. *pro eadem ſententia Emmanuel Rodriquez in bullam cruciatæ* §. 7. *num.* 13. *&* Conink *de indulg. diſp.* 12. *dub.* 6. *num.* 34.

5 At reuera id non dicunt citati auctores, & quod attinet ad Rodriquez, qui de hoc puncto non agit *num.* 13. *ſed* 4. dico ab ipſo oppoſitum doceri, primo enim ait ęqualiter indulgentiam lucrari eos, qui plus orant, & eos, qui minus, ex ſuppoſitione quod cauſſa conceſſionis indulgentię ſit ſufficiẽs. ſecundo ait quod ſi cauſa pro tanta indulgentia non ſit ſufficiens, ille plus lucrabitur, qui magis accedet ad ſufficientiam cauſſæ ſtricte ieiunans, aut cum maiori deuotione. tertio aſſerit ſemper eſſe præſumendam ſufficientiam cauſſæ in indulgentijs à Pontifice conceſſis. quarto ait quod quamuis ieiunium, & oratio; quæ à Pontifice iniunguntur pro illa indulgentia conceſſa per bullam, ſint ſecundum ſe ſpectata res parui momenti; ſi paruitas non eſt notabilis, eſt cauſſa illius indulgentiæ, ſupple ſufficiens: aſſignat huius rei rationem, quoniam Pontifex attendit cumulum omniũ ieiuniorum, & orationum, quæ hac intẽtione, offeruntur, & ex his concludit omnes æqualiter ſe habere in lucranda indulgentia illa, ſiue multùm, ſiue parùm orẽt; refert tamen nonnullorum opinionem, qui videntur ſuſtinere indulgentias acquiri ſecundum proportionem deuotionis; quam opinionem, vt ipſe inquit, referre voluit, quia eſt grauium Authorum, & quæ fidelibus eſt prædicanda abſque eo quod adducantur oppoſitæ ſententiæ.

Cæterum Conink inquit non omnes ſemper lucrari plenarias indulgentias, licet faciant opus præſcriptum in ſtatu gratiæ, quia euenire poteſt, vt tot ſint pœnę perſoluendæ, & opus iniunctum, tam exigua deuotione exerceant, vt non habeat tantam vtilitatem, quanta requiritur ad tot pœnarum remiſſionem, & ſic putat Conink menſurandam eſſe deletionem pœnarum ſecundum deuotionem fidelium, at de oratione parua, aut magna nihil dicit, poterit enim contingere vt cum breui, & parua orationę ſit coniuncta magna illa deuotio, quam requirit Conink, vel ſi nõ habeatur quando fit oratio, habeatur in exercitio aliorum operum iniunctorum, & ſic patet hos authores non docere ſententiam illam quam tuetur Paſqualigus, licet ab ipſo citentur pro illa. Neque rationes allatæ pro ipſo id efficaciter probant.

6 Pro quarum ſolutione animaduerto duplicem finem ſpectari poſſe in iubileo, primum, qui eſt remotus, & vltimatus, & eſt aliqua gratia, quæ concernit bonum totius chriſtianitatis, vt eſſet v. g. concordia, & pax inter principes chriſtianos bellantes; liberatio à peſte, fame, & ſimilia: alium verò finem eſſe immediatum, & proximũ nempe vt fideles mediante pœnitentia Deo ſe reconcilient, obtineant remiſſionẽ pœnarum, quæ peccatis debentur, & melius ſe diſponant in ſtatu gratię ad impetrandum finem illum vltimatum à Pontifice intentum. his poſitis reſpondeo ad primam rationem Paſqualigi, & aio quamuis minima oratio ſecundum ſe non videatur digna ex opere operantis, & in ratione meriti, vt per ipſam à Deo obtineatur finis ille vltimus, nihilominus in ordine ad finem immediatum, qui eſt lucrari indulgentiam, cenſenda erit ſufficiens, quia in ordine ad hunc finem ſe habet vt conditio tantùm ad opus operatum, qualis eſt indulgentia. Ad alias inſtantias facilis eſt ſolutio poſita prædicta diſtinctione, nam feruor deuotionis non requiritur ad indulgẽtiam, quamuis requiratur ad impetrandũ à Deo ex opere operantis, & hoc ſolùm probat praxis Eccleſiæ, in caſu autem noſtro ſpectatur oratio ſolùm, vt conditio requiſita ad indulgentiam.

7 Rurſus eſſe minimum, & magnum in oratione, & alijs virtutum actibus dico, quod non eſt attendendum penes prolixitatem, aut breuitatem temporis, ſed penes affectum, & interdum penes motiuum, &

ita

ita quandoque accidit maioris æſtimationis eſſe vnicum actum, qui per inſtans durat, quàm ſit actus durans per horam, quatenus ille actus inſtantaneus cum magno, & intenſo affectu tendit in ſuum obiectum, ille vero lõgiori coexiſtens tempori remiſſè poteſt ferri in ſuum obiectum, vel ſi ille ſit ex excellentiori motiuo quàm ſit iſte, & ideo ex iure nullum argumentum huic ſententiæ contradicens deſumi poteſt, loquuntur enim de ijs quæ verè, & ſecundum æſtimationem cenſentur minima.

8 Denique addo deuotionem in eo, qui vult lucrari iubileum non eſſe neceſſario alligatam potius vni quàm alteri operi iniuncto, & ſic licet non reperiatur in oratione, poterit tamen inueniri in alijs operibus, nempe in ieiunijs in confeſſione ſacramentali, ſumptione Euchariſtiæ, &c. proinde eſto daremus requiri proportionatam deuotionem ad lucrandam plenariam indulgentiam quæ conceditur per iubileum, nihilominus etiam ſi feruor deuotionis deficiat in oratione, poterit haberi in alijs operibus, igitur ex hoc capite nequit neceſſariò inferri non ſufficere paucam orationem.

9 Dicendum eſt quarto ſufficit oratio, ſiue vocalis, ſiue mentalis, quia ſub nomine orationis vtraque comprehenditur. *Grat. q. 2. cap. 13. Alphonſus de Leone q. 10. ſec. 2. Lauor. cap. cit. num. 7. Nauar. notab. 32. num. 48. & alij.* limitanda eſt hęc opinio quando in diplomate præſcriberetur talis oratio, quæ vocaliter fieri ſolet, vt ſi præſcribatur recitatio quinque Pater, & quinque Aue, vel aliquorum pſalmorum, tunc vocaliter eſt orandum, quia orationes iſtę communiter vt praxis docet vocaliter, & non mentaliter recitari ſolent.

10 Dicendum eſt quinto oratio fieri debet pro ijs omnibus, quæ in diplomate præfiguntur vt pro exaltatione S. Eccleſiæ, pro extirpatione hæreſum, pro concordia inter principes chriſtianos, pro præſentibus neceſſitatibus, &c. at non oportet pro prædictis explicitè orare, ſed ſatis eſt vt in cõmuni fundantur preces pro his omnibus, quæ à Pontifice præfiguntur. *Zanardus de ſacram. pœnit. cap. 21. q. 19. S. Fauſto lib. citat. q. 49. & lib. 4. q. 17.*

11 Dicendum eſt ſexto non eſt neceſſe recitare litanias, quia talis recitatio non pręſcribitur in diplomate *Nauar. de orat. miſcell. 60. S. Fauſto lib. 3. quaeſt. 46. & lib. 4. quaeſt. 16. Paſqualigus diſp. cit. num. 1. & alij.*

12 Dicendum eſt ſeptimo ſatisfacit quis recitando preces alio titulo debitas, nempe ex obligatione voti, aut pœnitentiæ. *Boſſius ſec. 4. caſ. 17. num. 16. remiſſiuè ad caſum 9. num. 3. Henriquez l. 8. c. 10. nu. 5. 6. Comitolus lib. 1. reſponſ. moral. qu. 38. Layman lib. 5. tract. 7. cap. 8. nu. 5. & cap. 7. num. 1. Grat. Rodriquez*, & alij qui conſequenter hoc ipſum docent, de omnibus operibus iniunctis, & conſtat ex conſuetudine, nam quando iubileum, publicatur tempore Quadrageſimæ, ieiunia ex præcepto eccleſiæ ſufficiunt ad lucrandum iubileum, & ſimiliter quando publicatur in duabus poſtremis hebdomadis quadrageſimæ, poterit quis in hebdomada ſancta confeſſionem, & communionem debitam ex præcepto eccleſiæ applicare ad lucrandum iubileum.

Dicendum eſt octauo orationes, quas quis fundit pro conſecutione iubilei, poteſt recitare cum ſocio alternatim. ſic *Paſqualigus diſp. cit. num. 7. & alij.* 13

Dicendum nono quoad ſitum corporis, dum ſit oratio, in diplomate, iubilei nihil determinatè pręſcribi ſolet, proinde quãuis decens ſit flexis genibus, & capite aperto preces fundere, nihilominus ſi quis ſtãs, & capite cooperto, aut ſedens oret ſatisfacit huic obligationi, ita *Alphonſus de Leone cap. cit. num. 177.* & quamuis addat ſatisfieri, ſi ob iuſtam cauſſam id fiat, id tamen videtur velle potius ad indecentiam tollendam, quam ad neceſſitatem, & abſolutè id docet *Paſqualigus num. 9.* & probatur, nam clericus tenetur ſtudioſè, & deuotè recitare horas, & hoc non obſtante nemo eſt, qui ambigat, Clericum ſatisfacere præcepto recitandi, ſi capite cooperto, ſedendo, imò, & iacendo recitet, ſic *Perſicus de horis canon. cap. 10. dub. 2.* igitur à fortiori ſatisfaciet intentioni Pontificis, cũ quis eccleſias viſitat ſedendo, & cap. cooperto preces fundit, ratio fundamentalis eſt, quia ſitus corporis quocumque modo ſit, & etiam indecens non tollit ſubſtantiam orationis, nec deſtruit deuotionem illam intrinſecam, quam Pontifex requirit in viſitante, ſicuti neque eam tollit in recitandis horis, quamuis in ſacris canonibus deuota recitatio poſtuletur. 14

Quæres quid ſibi vult Pontifex pręſcribens orationem non quamcunque, ſed qualificatam cum in diplomate dicatur (*& deuotè orent, &c.*) per hæc enim verba pręter ſubſtantiam orationis iubet, vt oratio ſit deuota; quærimus ergo quid faciendum à viſitante, vt verificetur eum deuotè orare. 15

Reſpondeo huius vocis vſum apud Doctores varium, & multiplicem eſſe interdũ enim ſumitur pro ſubſtantia ipſius orationis, interdum vero pro qualitate quadam orationis, nempe pro attentione, & hoc pacto ſumitur *cap. Dolentes, de celebrat. miſſ.* ibi enim præcipitur modus recitandi horas canonicas à Prælatis, & Clericis, vide- 16

delicet, ſtudioſè, & deuotè, quem communiter exponunt Canoniſtæ Gloſſ. Hoſtienſis, & alij, ſcilicet ſtudioſè quantum ad officium oris. ideſt ſine ſyncopa, deuotè quantum ad officium cordis, hoc eſt cũ debita attentione, quamuis autem in eo canone, à commentatoribus deuotio pro attentione ſumatur, nihilominus longè inter ſe differunt, & vnũ eſt alterius cauſſa, nimirum deuotio eſt cauſſa attentionis, proinde ibi ſumitur cauſſa pro ſuo effectu. licet quãdoque attentio ſit cauſa deuotionis ſenſibilis, diſcrimen autem eſt manifeſtum, nam deuotio eſt actus Religionis, attentio vero minimè, poteſt enim quis attendere ad ea, quæ recitat, nullo exiſtente actu virtutis; Rurſus illa eſt actus volũtatis, vt videbimus, iſta eſt actus intellectus, quo mens, ſibi præſens facit obiectũ, ſeu rem, circa quam verſatur cogitatio: demum deuotio rigoroſè accepta eſt neceſſaria ad ſubſtantiã orationis, vt fiet manifeſtum eius naturam mox declarando, at attentio actualis nõ eſt de ratione orationis. Alij vero, & præſertim vulgus, per deuotionem intelligunt quemdam guſtum, ſeu ſuauitatem ſenſibilem ex oratione reſultãtem, & de illa ſub hac acceptione loquutus eſt *Dauid pſal. 3. cum dixit, Cor meũ, & caro mea exultauerunt in Deum viuũ, & pſal. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum.* Alias vero acceptiones minus proprias vide apud *Suarez tom. 2. de relig. lib. 2. de orat. cap. 6. & 7.* aio igitur deuotionem, ſtrictè loquendo, prout de illa nunc eſt ſermo, eſſe quemdam affectum volũtatis promptæ ad aliquid præſtandum in Dei obſequiũ, & hoc aſſerere voluit *S. Thomas 2. 2. quæſt. 82. art. 2. in corp.* dicens deuotio nihil aliud eſſe videtur, quam voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum, explicat autem S. Thomas, deuotionem per quamdam promptitudinem; & ne ſit æquiuocatio, dico promptitudinem bifariam ſumi poſſe primo quatenus, præter voluntatem, importat quamdam facilitatem in operãdo, quæ oriri poteſt, vel ex diſpoſitione ipſius operantis, vel ex ablatione, & remotione impedimentorum, quæ reſiſtendo difficultatem cauſſant, & minuunt promptitudinẽ voluntatis. ſecundo in quantum dicit deliberatam, & firmam intentionem offerẽdi aliquid in Dei honorem, quamuis ipſe operans in exercitio difficultatem experiatur, & in operando nullam ſentiat ſuauitatem. promptitudo autem voluntatis, per quam S. Thomas explicat deuotionem non eſt illa prior, ſed hæc poſterior; & probatur, nam viri ſanctiſſimi in quibus eſt magna deuotio, ſæpe in operationibus, quas in Dei cultum exercebant, magnam experiebantur difficultatem, quam affectu charitatis erga Deum ſuperabant, retinebant enim firmam, & conſtantem voluntatem ſe totaliter Deo dicandi, & in eius obſequium plures offerebant actiones. promptitudo igitur iſta, per quam ita ſtabiles reddebantur, deuotio voluntatis appellatur.

17 His omnibus præmiſſis, rediens ad noſtram materiam, dico quod cum Pontifex iniungit orationem deuotam, huic præſcriptioni ſatisfacimus, quando oratio procedit ex pia intentione præſtandi actum illum, & non oportet exercere actum honeſtum ex formali motiuo religionis, nam deuotionis nomen, vt rectè animaduertit, & probat *Suarez lib. cit. cap. 7. per totum*, attribui poteſt cuilibet virtuti, quãuis ſpeciali ratione attribuatur religioni, ſufficit ergo ad hoc opus adimplendum, vt quis eccleſias præſcriptas viſitando preces fundat ex aliquo pio affectu, & tunc dicitur deuotè orare, imò etiam ſi Pontifex in diplomate non appoſuiſſet particulam illã, (*deuotè orent*) fundenda fuiſſet oratio deuota, nam præciſa tali deuotione, actus orandi, non eſt honeſtus, & pius ſic *Alphonſus loc. cit.* 157. vt enim diximus deuotio nihil eſt aliud niſi intentio, & affectus præſtandi opus ex fine honeſto, & pio, additio vero huius particulæ nihil operatur, vt enim dicunt doctores, expreſſio illius, quod tacitè ineſt non præſtat nouam formam, neque aliquid aliud operatur, ſecùs verò ſi alio modo quàm ineſt exprimeretur, vt benè probat *Barboſa de axiomatibus iuris axiom. 89. num. 15. & alij.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Eleemoſyna.

SVMMARIVM.

Sub nomine eleemoſynæ, quæ præſcribitur in diplomate venit ſolum eleemoſyna realis. 1

Eleemoſyna non eſt eroganda iuxta facultates elargientis. 2

Sed contrariam opinionem ſuſtinet, & probat Paſqualigus. 3

Reſpondetur ad primum argumentum Paſqualigi, oſtendendo in quo ſenſu intelligẽdum ſit quod eleemoſyna taxanda ſit arbitrio prudentum. 4

Diluitur ſecundum, oſtendendo quod etiã exigua eleemoſyna poteſt prouenire ex affectu miſericordiæ imperata à charitate. 5

Reſpondetur ad principium illud (parum, & nihil in iure æquiparantur. 6

Pau-

7 *Pauperes mendicantes pro conſecutione iubilei tenentur dare paruam eleemoſynã v. g. obolum, ſi poſſunt.*
8 *Sed ſi non poſſunt, num teneantur petere commutationem?*
9 *Non debere petere commutationem affirmant aliqui, & probant.*
10 *Sed contrariam opinionem ſuſtinent alij, quam approbat author.*
11 *Eleemoſyna prædicta erogari poteſt quolibet die intra tempus iubilei.*
12 *Eleemoſyna iſta fieri poteſt per alium tertium.*
13 *Si dominus imperet ſeruo, vt pro ſe elargiatur eleemoſynam; & ſeruus furando pecuniam, det eam pauperi, pro ſe, & non pro domino, negant aliqui dominum lucrari indulgentiam.*
14 *Alij vero affirmant, quos ſequitur auctor.*
15 *Quod probabiliter ſuſtinet etiamſi dominus poſtea ſciat ſeruum pecuniam furatum eſſe, & non pro domino, ſed pro ſe eleemoſynam dediſſe.*
16 *Non eſt neceſſe, vt eleemoſyna detur pauperibus eius loci, in quo iubileum lucramur.*

1 ALiud opus quod à Pontifice præſcribitur in diplomate eſt eleemoſyna; de qua nonnulla ſunt à nobis quærenda. Quæres igitur primo nomine eleemoſynæ, quæ in iubileo præſcribitur, veniat ne eleemoſyna realis, an ſpiritualis? reſpondeo realis, ita *Zenardus de ſacr. pœnit. cap.* 21. *quæſt.* 26. *Lauor. de iub. p.* 1. *c.* 19. *n* 1. *Alphonſus de Leone p.* 22 *num* 170. *à S. Fauſto de iub. extr. lib.* 4. *quæſt.* 48. *& alij*. Proinde ſimpliciter, & abſolutè loquendo non erit ſatis eleemoſyna ſpiritualis, quæ per ſe loquendo, ſub nomine eleemoſynæ venire non ſolet.

2 Quæres ſecundo. An eleemoſyna faciẽda ſit iuxta facultates elargientis? Probabiliùs eſt non eſſe neceſſario erogandam iuxta perſonarum qualitatem, & facultates, tum quia in diplomate indeterminatè præſcribitur; proinde per quamlibet eleemoſynã ſimpliciter adimpletur obligatio, tum quia Pontifex in bulla iubilei quantitatem eleemoſynæ deuotioni illud ſumentiũ remittit, ſed nihilominus debẽt diuites in hoc liberales eſſe; concluſionem ſuſtinet *Suarez tom.* 4. *in* 3. *p. d.* 52. *ſec.* 8. *num.* 5. quamuis nonnullas apponat limitationes ſpectando cauſſam, ob quam conceditur indulgentia, quæ limitationes non faciũt ad rem noſtram, eandem ſententiam ſequitur *Filliuccius tract.* 8. *num.* 16. *Bonacina de ſacram. diſ.* 6. *qu.* 1. *p.* 5. *nu.* 18. *Diana par.* 5. *trac.* 12. *reſol.* 14. oppoſitũ tamen defendit *Corduba lib.* 5. *de indulg. art.* 3. *quæſt.* 29. *Lauor. p.* 1. *de iub. cap.* 21. *num.* 44. *& ſeq. Reginaldus lib.* 7. *nu.* 187.

Cæterum *Paſqualigus de iubileo quæſt.* 135. *num.* 3. & plures alij apud ipſum, volũt quãtitatem huius eleemoſynæ eſſe mẽſurandam iuxta vniuſcuiuſque ſumentis facultates. Primo quia cum arbitrio ſit determinanda, determinatio debet eſſe prudens, prudentia autẽ dictat quod qui plura poſſidet bona ſuperflua proprio ſtatui, plus in eleemoſynam eroget quàm alius qui pauciora habet. Secundo eleemoſyna eſt danda ex affectu miſericordiæ imperatæ à charitate, ſed ſi Diues minimum erogat, nequit illud dare ex prædicto affectu; ergo minima eleemoſyna erogata à diuite non eſt ea quæ requiritur in diplomate iubilei. maior eſt certa: minor vero probatur, quia Diues ex ſuperfluis exiguam largiens eleemosynam, vincitur ab affectu inordinato diuitiarum; atque adeo nequit moueri ex affectu miſericordiæ, qui talis eſſe debet vt ſuperet affectum illum inordinatum. Hæc, & ſimilia affert Paſqualigus ad hanc ſententiam firmandam, ad quæ non eſt difficile reſpondere. 3

Ad primum autem dico, quod ſi per prudentem determinationem intelligatur iuxta proportionem ad facultates, erit id negandum, immo petitur principium, nam hoc eſt, de quo controuertitur: ſi vero intelligatur (*ly prudens*) nempe honeſta, vltro conceditur, ſed non eſt ad rem, neque Pontifex ſolet eleemosynam ita qualificatam iniungere, quia in diplomatibus quæ ego legi; nempe in iubileo Pauli V. anno Dñi 1617. & in illo Vrbani VIII. f. m. anno 1634. & in alijs antiquiorib' iubileis eiuſdẽ Vrbani his verbis formalibus eleemoſyna præſcribitur. [*Et eleemoſynas ad libitũ prout charitas ſingulis ſuggeſſerit, fecerint.*] vide quo pacto remittat quantitatẽ eleemoſynæ voluntati liberæ elargientis, quod explicatur per illã particulam, [*ad libitũ.*] 4

Ad ſecundum reſpondeo quod etiam exigua eleemoſyna eſſe poterit ex affectu miſericordiæ imperatæ à charitate, quamuis in tali affectu, & imperio detur latitudo, proindè etiam ſi ex auaritia diues retardetur ad maiorem eleemoſynam erogandam, & ex hoc capite eſſe poſſit aliqua culpa; nihilominus non tollitur quin illud modicum quod dat non ſit ex bono affectu miſericordiæ. 5

Neque dicas paruum, & nihil æquiparari in iure, & minima non eſſe in conſideratione, ne dicas inquam hoc, quia principium hoc quamplures admittit limitationes, & exceptiones, & legendus eſt *Tiraquel. de iudic. in reb. exiguis ferend.* vbi conſiderans modicum, & multum, poſtquam nonaginta quattuor enumerauit caſus, in 6

Digitized by Google

quibus de paruo, ſeu modico non ſit habenda ratio, ponit quinquaginta ſeptem caſus, in quibus de paruo habenda ſit ratio: & in fine illorum quaſdam vniuerſales tradit regulas, & inter alias; quæ ad rem noſtram faciunt, ait eſſe curandum de minimo, quando illud pro forma requiritur, at eleemoſyna in iubileo iniuncta eſt tanquam forma, ſicuti, & alia opera; proindè omnibus, vel aliquo omiſſo corruit priuilegium iubilei à Pontifice ſub tali forma conceſſum, quia forma ad vnguem, vt dici ſolet, eſt adimplenda; ex his autē apertè colligitur non eſſe eandem rationem, in hac re, de paruo, & nihilo, quia nihilum eleemoſynæ impedit conſecutionem priuilegij, quod impedimentum tamen tollit eleemoſyna etiam minima, & ideo non eſt eadem ratio, & ſic rectè *Barboſa in axiom. iur.* 175. explicans prædictum axioma: parum, & nihil æquiparantur, limitat quando in vtroque eſt diuerſa ratio, & ita euenit in caſu noſtro, vt oſtendimus.

7 Quæres tertio. Num pauperes victum mendicantes, pro acquirendo iubileo teneantur aliquam eleemoſynam erogare, negat *Nauar. miſcel. 60. de oratione num.* 123. *Henriquez lib. 7. cap. 6. 7.* & pauci alij. ſed cenſeo probabiliorem, & tutiorem eſſe partem affirmatiuam videlicet, teneri minimum ſaltem obolū ſi poſſunt, in eleemoſynam erogare, vt lucrentur iubileum: ſi tamen in ipſo diplomate non excipiantur. Hanc opinionem ſuſtinet *Alphonſus de Leone de iub. par. 2 quæſt.* 14. *num.* 177. *Santarel. de iub. cap. 7. dub. 1. ver. [Il Confeſſore] Barthol. à S. Fauſto lib. 4. de iub. extr. qu.* 55. *Fragoſus de reg. chriſt. Reip. p. 2. lib. 2. d. 6. §. 4. num.* 32. 33. *Paſqualigus de iubil. quæſt.* 127. *nu.* 5. & alij. probatur, nam Bulla iubilei ex vna parte præſcribens eleemoſynam neminem excipit, ex alia vero parte poſſunt pauperes, vt ſupponimus, obolum ſaltem erogare in eleemoſynam, ergo dicendum eſt ad hoc teneri.

8 Sed dubitatio, & controuerſia eſt inter doctores, num pauperes prædicti victum quæritantes, ſi neque obolum dare valeāt, aſtringendi ſint, commutationem petere à confeſſario, vt loco eleemoſynæ aliquod aliud pium opus ipſis iniungatur: ſupponimus enim formam conſuetam huius bullę, in qua expreſſè cauetur, vt cum aliquis nequit præſtare aliquod ex operibus præſcriptis commutationem poſtulet à confeſſario: vtrum inquam in tali euentu pauperes obligandi ſint ad talem commutationē curandam.

9 Aliqui putant nulla eos indigere cōmutatione, ſic *Henriquez loco citato in cōm. lit. N. Fernandez in medul. caſ. p. 3. cap.* 7. §. 8. *num. 3. & expreſsè Nauar. l. citat.* quod probabile exiſtimat *Diana par. 5. tr. 12. reſol.* 15. poteſt opinio hæc probari à pari, immo à fortiori, ſi quis v.g. nequeat diebus præceptis ieiunare, aut ſi ratione beneficij, aut clericatus teneatur ad horas canonicas recitandas, & ratione infirmitatis, vel alterius legitimi impedimenti, ſit impotens ad recitandum, &c. iſte talis non erit obligandus ad commutationem petēdam loco ieiunij, recitationis, &c. ſic licet pauperes abſolutè comprehendantur ſub onere eleemoſynæ, ſi velint lucrari iubileū, quia tamen inueniuntur impotentes; ita vt nequeant, neque obolum in eleemoſynam erogare, non videntur aſtringendi ad commutationem.

10 Alij vero oppoſitum ſuſtinent, videlicet in tali caſu pauperes, ſi nequeunt eleemoſynam largiri, debere commutationem huius operis à confeſſario poſtulare, ſic *Sanctarellus, Alphonſus de Leone, Fragoſus, à S. Fauſto locis citatis*, & hoc quia erogare eleemoſynam eſt conditio requiſita à Pontifice, vt forma, ſub qua conceditur indulgentia, proinde forma non poſita, nequit actus ſub tali forma requiſitus validus eſſe, vt habetur *ex cap. Cum dilecta de reſcrip.* tale autem impedimentum oriēs ex impotentia nihil obſtat, quia facilè tolli poteſt per commutationem, quę in hunc finem à Pontifice conceditur, nempè quādo opus iniunctum adimpleri nequit, & hæc vltima ſententia longè probabilior eſt ob rationem, in qua nititur. ad fundamentum vero contrariæ ſententiæ facilis erit ſolutio, negando paritatem, inter vnum, & alterum caſum, quia ieiunium, & recitatio horarum non imponuntur, vt conditiones, ſeu forma ſub qua aliqua gratia concedatur, quia tunc eadem prorſus eſſet ratio, idemque eſſet dicendum in vtroque caſu; ſed imponuntur abſolutè vt actiones quædam honeſtæ, ad exercitium temperātiæ, & religionis, proindè diuerſa eſt vtrobique ratio.

11 Quæres quarto. Quo die danda ſit eleemoſyna? reſpondeo erogari poſſe quolibet die intra tempus iubilei; quia Pontifex nullum diem determinatum deſignat, ſic *Fragoſus §. cit. num.* 30. *Vega in ſumma 2. p. ver. indulg. cap. 7. ver.* 48.

12 Quæres quinto. Num eleemoſyna iſta fieri poſſit per alium tertium?

Reſpondeo poſſe, tum pecunijs ab alio acceptis, tum pecunijs erogatis per alium tanquam per inſtrumentum, vt Dominus per ſeruum.

13 Sed hic grauis occurrit difficultas, quid dicendum ſi Dominus det, aut imperet ſeruo eleemoſynam erogādam pauperibus ex pecunijs ipſius domini, at ſeruus illam

furti-

gitized by Google

ſurripiens ſibi approprıet inſcio domino. Verum in tali caſu, qui facilè contingere poterit, dominus lucretur iubileum? Sunt duæ ſententiæ prima negat in eo euentu dominum lucraturum iubileum, etiamsi bona fide maneat, quia cum eleemoſynæ erogatio ſe teneat ex parte formę, deficiẽte ipſa, irrita erunt omnia quæ ſub tali forma ſunt conceſſa. ſic docent quamplures vt *Corduba quæſt. 26. de indulg. §. Verum eſt, Alphonſus de Leone parte 2. cap. 14. ſec. 6. num. 175. Santarellus l. c. Lauorius de iub. par. 2. qu. 14. num. 42. Bonacina de ſacramentis diſput. 6. qu. 1. p. 5. nu. 18. Barthol. à S. Fauſto l. 4. de iub. extrau. qu. 53. Fragoſus diſp. 6. illa ſup. cit. num. 35.*

14 Secunda ſententia oppoſitum ſuſtinet, videlicet in eo caſu iubileũ obtineri à domino, & ideo *Emmanuel Sà in aphor. ver. indulg. num. 4.* poſt relatam ſententiam negatiuam non audet illam admittere expreſsè tamen docet hanc opinionem *Vega in ſumma tom. 2. cap. 7. caſ. 24. Lezzana in ſum quæſt. reg. tom. 3. ver. iub. nu. 14. & fusè eam defendit Fagundez in decal. lib. 7. cap. 33. nu. 7. & 8. Paſqualigus qu. 126. nu. 3.* & hanc eandem opinionem nõ exiſtimat improbabilem *Boſſius de triplici iubileo ſec. 4.* & hæc mihi magis placet, nam Pontificis intentio in præſcribenda eleemoſyna ad lucrandum iubileum primariò reſpicit bonum ſpirituale ipſius elargientis mediante actione illa miſericordiæ erga pauperes, per quam à ſe abdicat illius pecuniæ dominium; ſecundario tamen reſpicit, & veluti acceſſoriè temporale pauperis ſubſidium. primum ſe habet vt formale, at ſecundum ſe habet vt materiale; ideo perſiſtente primo, quamuis ſecundum deficiat adimpleta conditio cenſetur in iubileo requiſita: proinde, præſtitis reliquis, nil remanet deſiderandum ad hoc vt quis iubileum conſequatur. Et hæc videtur eſſe pia Pontificis voluntas.

Ex his autem diluitur ratio pro oppoſita ſententia; negandum enim eſt non fuiſſe conditionem, ſeu formam adimpletam per erogationem eleemoſynæ ex parte dantis.

15 Sed ex doctrina allata alia inſurgit maior dubitatio, num ſcilicet innoteſcente fraude famuli, antequam terminus iubilei ſit elapſus, & ante eius conſecutionem aſtringendus ſit Dominus aliam eleemoſynã erogare?

Reſpondet *Fagundez nu. 8.* ſecuriùs eſſe illam donare, idque probat, quia damnum, quod dominus patitur in ſecunda eleemoſyna eroganda, eſt minimum, & nullius conſiderationis, at lucrum quod acquirit ex iubileo eſt magni momenti, idcirco videtur omni ſecuritate procurandũ, quam ſententiam abſolutè docet *Amicus d. 21. de iub. ſec. 6. n. 105. in fine*. Sed mihi videtur dicendum in rigore non eſſe dominum obligandum ad ſecundam eleemoſynam, & illum ad hoc aſtringere non eſſe ita coherens opinioni, quam tuemur, quia poſito quod ſuſtinemus, per abdicationem dominij ex voluntate ſubueniendi pauperibus ſatisfactum eſſe intentioni põtificis hoc primariò, & formaliter intendentis, iam cenſetur poſita conditio, & adimpletum opus iniunctum, & ideo non ſupererit alia obligatio! Neque ad huius argumenti vim eneruandam, dicas, talem eſſe præſumendam mentem Pontificis, videlicet quod in tali caſu ſit excuſandus dominus durante tantum bona fide, non autem quãdo ſcit cum effectu exhibitam minimè fuiſſe, ne dicas hoc, quia in ijs, quæ ſe habent vt forma non prodeſt bona fides ad valorem actus; aliter, si quis v. g. non ieiunet, vel omittat viſitare aliquam ex ecclesijs deſignatis, aut non oret, vt præſcribitur in diplomate, & omiſſio procedat ex bona fide inuincibiliter ignorantis obligationem, ſequeretur omittentem lucrari iubileum, quia dici poſſet talem eſſe præſumendam mentem pontificis, quod tamẽ communiter non aſſeritur à Doctoribus, ideoque ſignum eſt in his rebus non ſufficere bonam fidem, ſed requiri, vt cum effectu opera iniuncta ponantur igitur efficax ratio ad ſuſtinẽdam opinionem affirmatiuam ea eſt, quam adduximus, nempè id quod formaliter iniungitur eſſe actionẽ illam pietatis procedentis ex voluntate ſubueniendi pauperibus; ideoque ea poſita, iudicandum erit ex parte dantis conditionem hanc appoſitam fuiſſe, quod tamen non habetur in exemplis allatis de alijs operibus iniunctis, & patet quia Pontifex per ieiunij impoſitionem primariò intendit honeſtatem illam, quæ reperitur in ſobrietate, & abſtinentia a cibis, quæ tamẽ deeſt, ſi ieiunium in re non ponitur, ſimiliter iniungendo visitationem eccleſiarum, & orationem, primariò, & formaliter intendit talem actum externum religionis, & preces ad Deum pro gratijs obtinendis, quæ non habentur nisi per externam, & actualem viſitationem, & veram realéque orationem in eum finem effuſam; at in erogatione eleemoſynæ facienda per famulum iam habemus actionem externam intentã a Pontifice, quæ conſiſtit in abdicatione pecuniæ, aut alterius rei erogandæ ex intentione ſubueniendi pauperibus quæ eſt honeſtas pertinens ad virtutem miſericordiæ, quam primariò Pontifex intendit, & ſic non valet paritas.

16 Quæres ſexto. An ſit neceſſe vt eleemoſyna iniuncta per iubileum detur paupe-

ribus eiuſdem loci in quo iubileum lucramur. reſpondeo id non eſſe neceſſarium, ſed ſufficere vt cuicumque pauperi detur; eſt communis ſententia. ſic *Alphonſus de Leone de iub. part. 2. nu. 176. Boſſius de iubil ſec. 4. caſu 21. num. 22. Paſqualigus q. 132.* & ratio manifeſta eſt, quia in diplomate iniungitur eleemoſyna, quatenus eſt actus miſericordiæ, qui quoad ſui ſubſtantiam reſpectu cuiuſcunque pauperis eſt talis.

QVÆSTIO QVARTA.

De ieiunio per iubileum præſcripto.

SVMMARIVM.

1 *Nomine ieiunij in iubileo venit ieiunium Eccleſiaſticum.*

2 *Fractio ieiunij, quæ eſſet peccatum veniale contra præceptum ieiunij, non facit quin acquiratur iubileum.*

3 *In ieiunijs iubilei vi cruciatæ poſſunt comedi oua, & lacticinia.*

4 *Probabile eſt ſine bulla, in his ieiunijs extra tẽpus præcepti eccleſiaſtici, poſſe lacticinia comedi.*

5 *Comedens ſine bulla lacticinia in ieiunijs iubilei tempore quadrageſimæ occurrẽtibus, licet peccet contra præceptum eccleſiæ, probabile tamen eſt ſatisfacere oneri iubilei, quamuis oppoſitum ſit tutius.*

6 *Senes, & adoleſcentes, qui alioquin non tenerentur ieiunare vi præcepti eccleſiaſtici, vt lucrentur iubileum debent ieiunare.*

7 *Anticipare notabiliter horam prandij non facit quin quis lucretur iubileum.*

8 *Si ieiunium iubilei occurrat in vigilia Natiuitatis Domini poteſt ſumi veſpertina refectiuncula pinguior more conſueto.*

9 *Si quis diebus præſcriptis malitioſè non ieiunauit, & antequam labatur tempus iubilei, eum pœniteat, poteſt commutationem petere à confeſſario, & iubileum lucrari.*

1 SVpponimus nomine ieiunij in hoc diplomate venire ieiunium eccleſiaſticum, & non naturale, vt praxis, & communis opinio docet. de hoc autem ieiunio ſequentes inſtituo concluſiones, & ideo neque potus etiam vini, neque aliqua; quæ ſumuntur per modum medicinæ tollũt ieiunium à Pontifice requiſitum pro lucrando iubileo. ratio eſt, quia ea, quæ inſtituta ſunt ad potum, vt eſt aqua, & vinum, & cibi, qui ſunt medicamenta, & ſumuntur ad morbos curandos non deſtruũt ieiunium eccleſiaſticum: ideo neque auferunt ieiunium pro iubileo. aduertendum tamen eſt, ne ea, quæ ſunt per modum medicinę ſumantur in fraudem ieiunij, videlicet abſque vlla neceſſitate, & ſolum ad ſatisfaciendum appetitui.

Dico primo. ſi quis in die ieiunij ante, ſiue poſt prandium ſumat aliquid, quod die ieiunij eccleſiaſtici, non frangeret niſi venialiter ieiunium, cenſetur ſatisfacere huic oneri, quia ſubſtantialiter manet ieiunium, & parum pro nihilo reputatur. 2
Suarez tom. 4. diſp. 54. ſec. 5. num. 4. Fillincius tract. 8. num. 154. & alij. aduertere tñ debet ieiunãs ne pluries eodẽ die parum aliquid ſingulis vicibus, comedat, quia, ſi ea, quæ ſumit, attingent notabilem quantitatem, frangitur ſimpliciter ieiunium, & non obtinetur indulgentia.

Dico ſecundo. virtute Bullę Cruciatæ in ieiunijs iubilei poſſunt comedi oua, & lacticinia: eſt contra *Nauar. lib. 3. conſil. 5.* putantem priuilegium Bullæ ſe extendere ſolum ad ieiunia eccleſiaſtica, quia hoc priuilegium cum exorbitet à iure communi, eſt ſtrictè exponendum, proinde cum diuerſa ſit ratio de ieiunio eccleſiaſtico, & de alijs impoſitis ob alios fines, & à diuerſis non fiat illatio, & præſertim in his, quæ preſsè explicantur, ideo non videtur priuilegium bullæ in hoc fauere ſumenti iubileũ. at noſtram ſententiam defendunt alij communiter: *Angles in floribus par. 1. de ieiun. quæſt. 9. art. 1. poſt 9. diffic. dub. 5. Medina in inſtruct. confeſſ. cap. 14. num. 10. Rodriq. in ſumma c. 184. num. 10. Sanchez in ſumma l. 4. c. 11. num. 49. & alij.* ratio eſt, quia Pontificis intentio in his ieiunijs imponendis eſt indicere ieiunia eo modo, quo præcipiuntur ab eccleſia: & dum oppoſitum non conſtat, ita velle eſt præſumendum. quapropter non facimus illationem à diuerſis, vt cenſet Nauar. cum talis ſit forma à Pontifice præſcripta circa modum ieiunandi: neque id, quod ipſe aſſerit de ſtricta interpretatione cruciatæ eſt certum, cum multi aſſerant, hoc priuilegium eſſe amplè declarandum. de qua re in tractatu de Bulla Cruciatæ plura dixi. 3

Dico tertio. probabile eſt etiam ſine bulla comedi poſſe lacticinia in ieiunijs iubilei extra tempus quadrageſimæ, & alia tempora præcepta; quamuis aliqui apud Sanchez id negent. ſic *Vega in ſumma to. 2. cap. 8. caſ. 48. Henriq. lib. 7. c. 10. nu. 4. c. 13. num. 13. Sanchez l. c. & alij apud ipſum.* probabilitas autem huius ſententię deſumitur ex eo quod ieiunium impoſitũ eſt opus oneroſum: idcirco ſtrictè eſt interpretandum, ſicuti, & alia ſimilia: & ideo cum eſſentia ieiunij conſiſtere queat cum lacticinijs, ſequitur quod in ieiunijs iubilei, 4

Digitized by Google

lei, ieiunans cum lacticinijs verè faciat ieiunium eccleſiaſticum, & ſic videtur ſatiſfacere huic oneri impoſito, quamuis oppoſitum ſit etiam probabile.

5 Dico quarto. ſi quis tempore quadrageſimæ, in quo eſt indictum iubileum, ieiunet, & carens bulla cruciatæ, diebus præſcriptis in iubileo comedat lacticinia, peccabit contra legem latam *in cap. Deniquè diſt.* 4. vbi prohibetur vſus ouorum, & lacticiniorum diebus quadrageſimalibus, at formaliter, & præciſè non peccabit contra legem ieiunij datam in capite *Non licet, & cap. Non oportet, & cap. Placuit de conſecr. diſt.* 3. *& cap. Quadrageſima, eodem titulo diſt.* 5. hæc enim sũt duo præcepta diſtincta, & ſeparabilia: proindè ſi quis comederet lacticinia ſine bulla prædictis diebus quadrageſimæ ſatisfaceret oneri iubilei, quamuis peccaret contra legem eccleſiaſticam *in cap. Denique*, ideoque ſi poſtea, cum pœniteret talis peccati, non teneretur ad iterum ieiunandũ, vel ad petendam commutationem pro ieiunijs iubilei; ſed indulgentiam lucraretur, ſi inueniretur in ſtatu gratiæ, & præſtaret alia opera iniuncta per Pontificem. attamen quamuis hoc ſit probabile, nihilominus ſecuriùs eſt, & tutiùs, non comedere lacticinia in ordine ad lucrandum iubileũ ſine bulla, & præſertim in quadrageſima.

6 Dico quinto, ſenes, & adoleſcentes, qui vigeſimum primum annum nondum completum habent, & alioquin non tenentur ieiunare vi præcepti eccleſiaſtici, vt iubileum lucrentur, debent ieiunare in diebus præſcriptis in iubileo. ita *Naldus v. ieiunium num.* 6. *Alphonſ. de Leone par.* 2. *ſec.* 3. *num.* 144. 145. *Lauor. par.* 2. *c.* 20. *num.* 35. *Bonac. diſ.* 6. *de ſacr. quaeſt.* 1. *punc.* 5. *num.* 35. *à S. Fauſto lib.* 4. *quaſt.* 26. quamuis pauci aliqui prædictos excuſent. ratio autem noſtræ ſententiæ eſt, quia ieiunium à Pontifice apponitur tanquam conditio ad obtinendum iubileum, gratia autem ſub aliqua conditione conceſſa non acquiritur, niſi conditione appoſita: attamen ſi prædicti habeant aliquam aliam cauſam rationabilem non ieiunandi, petãt commutationem à confeſſario, nam ſenectus vt ſic non reddit hominẽ omnino ineptum ad ieiunandum vno, aut altero die.

7 Dico ſexto. ſi quis in ieiunijs iubilei notabiliter anticiparet horam prandij abſque rationabili cauſa, & abſque priuilegio, probabile eſt eum ſatisfacere oneri iubilei, quia probabile eſt, talem anticipationem in ieiunijs ex lege eccleſiaſtica eſſe ſolum peccatum veniale, vt docent quamplures, & in terminis de ieiunijs iubilei affirmat *Boſſius ſec.* 4. *caſ.* 18, *num.* 101. & idem aſſerit, ſi quis in his ieiunijs abſque legitima cauſa manè hora prandij ſumat refectiunculam veſpertinam, differendo prandium vſque ad veſperam; probabile enim eſt in ieiunijs eccleſiæ eſſe veniale, & ideo *nu* 106. loquens de ieiunijs ad lucrandum iubileum, docet per talem variationem ſine cauſa non frangi ſubſtantialiter ieiunium, ſed tantum quoad circumſtantiam.

8 Dico ſeptimo. ſi fortè contingat vt in vigilia Natiuitatis ſit faciendum ieiunium pro conſecutione iubilei, putat *Boſſ ſec.* 4. *caſ.* 18. *num.* 162. non poſſe ad lucrandum iubileum ad veſperam ſumi pinguiorem illam refectiunculam, quæ ex conſuetudine eſt introducta. nam, vt ipſe inquit, licet non frangeretur præceptum eccleſiaſtici ieiunij; non ſatisfieret tamen oneri iubilei, ſicuti ſumens talem refectiunculam in ea maiore quantitate non ſatisfaceret, ſi eo die haberet uotum ieiunandi, vt docet *Rodriq. in ſumma. p.* 1 *c.* 25. *num.* 8. *concl.* 8. Cæterum ex doctrina Sanchez contrariũ colligitur, videlicet hunc talem: etiam ſi ea nocte ſumeret refectiũculam illam maiorem, ſatisfacere ieiunio, ex voto, aut pœnitentia; quia dum non cõſtat de oppoſita intentione mouentis, aut confeſſarij imponentis pœnitentiam, cenſendum eſt votum fuiſſe emiſsũ, & pœnam pro eo die, à confeſſario fuiſſe impoſitam, eo modo, quo ſeruari ſolent ad ſatisfaciendum eccleſiaſtico præcepto. ita *in ſumma l.* 4. *c.* 11. *num.* 66. ex qua doctrina videtur inferendum hoc ipſum de ieiunio iubilei, cum eadem ſit ratio in hoc de ieiunio ex voto, aut pœnitentia, & de ieiunio iubilei.

9 Dico octauo ſi quis ex induſtria, & malitioſè diebus præfixis nempe die Mercurij, Veneris, & Sabathi non ieiunet, & antequam labatur Hebdomada iubilei, adeat confeſſarium, vt ab eo petat commutationem ieiunij omiſſi, & præſcripti: ſi eũ pœniteat illius omiſſionis, poterit confeſſarius ieiunia commutare in aliud piũ opus æquiualens, & ſic poterit ille iubileum lucrari *Santarel cap.* 7 *dub.* 1. *Filliuc trac.* 8. *c.* 10 *num.* 268. *& ſeq.* oppoſitum ſuſtinent aliqui, ſcilicet dari non poſſe commutationem de re præterita. *Pinellus de indul. cap.* 23. *Præpoſitus in* 3. *p. quaeſt.* 14. *de indul dub.* 10. *num.* 88. & alij quos tacito nomine laudat *Rodriq. in ſumma cap.* 184. ratio noſtræ opinionis eſt, quia dũ non eſt tranſactum tempus iubilei vnuſquiſque ius habet ad illud lucrandum, quamuis tuc temporis reperiatur impotens ad exequenda opera iniuncta a Pontifice; quia poterit ea opera adimplere per aliquid æquiualẽs, facta cõmutatione a cõfeſſario, ſiue iſta impotẽtia habuerit cauſã culpabilẽ: ſiue inculpabilẽ. parũ. n. id refert ad petẽdã æquiualentem commutationem, quod ſi cauſa fue-

fuerit culpabilis debet pœnitere, & recipere commutationem; tunc enim impedimentum non dicitur amplius voluntarium: & petens commutationem ſe habebit, ſicuti ſe haberet infirmus, vel alius, qui fuit legitimè impeditus.

QVÆSTIO QVINTA.

De Confeſſione Sacramentali.

SVMMARIVM.

1 *Præſupponuntur duo tanquam certa de obligatione confitendi peccata venialia pro obtinendo iubileo.*
2 *Refertur ſententia obligans ad fatenda venialia, eaque probatur.*
3 *Alia opinio negans eiuſque fundamentum exponitur.*
4 *Hanc ſecundam ſententiam, vt probabiliorem admittit Author.*
5 *Quando quis habet conſcientiam peccati mortalis non ſufficit contritio, ſine actuali confeſſione ad lucrandum iubileũ; & probatur.*
6 *Soluitur argumentum Paſqualigi.*
7 *Proponitur inſtantia contraria, & diluitur.*
8 *Inualida confeſſio mortalium non eſt ſatis ad acquirendum iubileum.*
9 *Animaduertens nullitatem confeſſionis etiam ſi eliciat contritionem, tenetur confiteri, vt obtineat iubileum.*
10 *Per confeſſionem validam, ſed informem ſatisfit oneri iniuncto, ſi intra tempus iubilei obex remoueatur*
11 *Oppoſitum exiſtimat Paſqualigus, & qua ratione moueatur.*
12 *Soluitur eius ratio.*
13 *Si homo non ſe diſponat ad tollendum obicem non lucrabitur iubileum.*
14 *Quid dicendum quando quis habens mortalia, inculpabiliter caret copia confeſſarij.*
15 *Proponuntur, & diluuntur inſtantiæ cõtrariæ.*
16 *Probabile eſt excommunicatũ, ſi per ipſum non ſtet recipere abſolutionem, quod lucrari poſſit iubileum.*
17 *An ſi quis poſt factam confeſſionem, recordetur alicuius peccati mortalis inuincibiliter obliti, teneatur iterũ confiteri ad lucrandum iubileum, aut indulgentiã.*
18 *Si quis poſt confeſſionem, & receptionem Euchariſtiæ iterum labatur in peccatũ mortale, tenetur iterum confiteri ad lucrandum iubileum.*
19 *In confeſſione ad lucrandum iubileum imponenda eſt aliqua pœnitentia in ſatisfactionem.*

FRequẽtiores difficultates, quæ oriũtur de confeſſione ſacramẽtali tãquã de opere iniuncto ad iubileum lucrandum, aggredior, eaſque per ſubſequentia quæſita diuido, & ſoluo.

Quæres primo. ſi quis non habeat conſcientiã peccati mortalis, ſed ſolum venialis; obligetur ne, ad ſacramentalem confeſſionem, vt iubileum lucretur. 1

Reſpondeo carere omni difficultate quæſitum, ſi confeſſio ſacramentalis clarè à Pontifice poſtularetur non tantum, vt tollens impedimentum, quod affert peccatũ mortale; verum etiam, vt opus pium, & honeſtum, tunc enim ſe haberet ſicuti reliqua opera præſcripta in eodem diplomate, nempè vt ieiunium, oratio, &c. atque adeo teneretur volens iubileum obtinere, confeſſionem venialium præmittere. Rurſus nemo dubitat, carere ſimiliter difficultate quæſitum, ſi expreſſe confeſſio exigeretur ad tollendum impedimentum peccati mortalis, & tunc ſi quis ſola venialia haberet, non obligaretur ad confeſſionem ſacramentalem præmittendam, quia ceſſaret finis ob quem Pontifex confeſſionem requireret: tota igitur difficultas eſt quãdo ex verbis ipſius diplomatis nequit clarè intelligi finis, ob quem imponitur confeſſio, ſed abſolutè præſcribitur, vt ſolet cõmuniter fieri: in hac re duæ ſunt Authorũ ſententiæ.

Prima cenſet, etiam ſi quis careat mortalibus aſtringi ad confeſſionem ſacramẽtalem venialium, vt iubileum lucretur: ita *S. Antonin. p. 1. tit. 10. cap. 3. §. 2. Corduba lib. 5. de indulg. qu. 20. Syluef. ver. indulg. qu. 10. Rodriquez in ſum. p. 1. cap. 184. num. 12. Nuñus in addit. ad 3. p. S. Thom. q. 27. art. 3. dub. 2. Duualius in 2. 2. tract. de indulg. art. 13. dub. 4. Syluius in 3. p. q. 27. ſupplem. art. 1. quæſito 3. Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 15. nu. 19. & nouiſſimè Paſqualigus de iubil. q. 63. n. 5.* ducuntur quia præſumunt confeſſionem imponi, vt opus honeſtum, & pium, & nõ ad tollendum dumtaxat impedimentum: & id probat ipſe Paſqualigus ex eo, quod iubileum conceſſum eſt ſub cõditione confeſſionis; ergo niſi ponatur confeſſio, nequit iubileum ſortiri ſuum effectum. Et ſi dicas id verum eſſet, ſi conditio abſolutè procederet, ſed procedit ex ſuppoſitione peccati mortalis; contra vrget Paſqualigus: ſi confeſſio ex tali ſuppoſitione præſcriberetur; eſſet conditio requiſita ex natura ipſius actus, quia iubileum, & quæuis alia indulgentia acquiri non poteſt, niſi auferatur peccatum mortale, proindè confeſſio non cenſeretur conditionalis, vt manifeſtè ſtatuitur *per tex. in l. Hac verba ff. de leg. 1. & in l. Conditiones extrinſecas,* 2

ff.

ff. de conditionibus, & demonſtrat. & aſſeritur in quadam *Rota deciſ.* 421. *num.* 8. *anno* 1634. *coram Epiſc. Paulo Duran* ex quibus infertur, quod ſi confeſſio eſſet ad tollenda tantũ peccata mortalia, non eſſet ſimpliciter, & abſolutè opus iniunctũ, quia opus iniunctum, vt sic, debet eſſe voluntarium, & non tale, vt inhæreat actui ex natura rei: imò neque ex ſuppoſitione peccati confeſſio eſſet neceſſaria, quoniã peccatum tolli poſſet per actum contritionis abſque actuali confeſſione. Quædam alia argumenta, quæ adducuntur ab eodem Paſqualigo, nil aliud diuerſum probant, cum ſolùm oſtendant confeſſionem eſſe iniunctam, vt opus pium, & non vt purum medium ad tollendum peccatum.

3 Secunda opinio oppoſitum tuetur, videlicet confeſſionem non eſſe neceſſariam ad lucrandum iubileum, ſi quis non habeat cõſcientiam peccati mortalis. ità *Henriquez in ſum. lib. 7. cap. 12. num. 2. Suarez de pœnit. diſp. 52. ſect. 3. num. 5. & 13. Nauar. de indulg. notab. 18. num. 17. & notab. 80. num. 6. Santarellus de iubil. cap. 14. dub. 4. Coninck de ſacram diſp. 12. dub. 7. num. 38. Boſſius de tripl. iub. ſect. 4. caſu 19. § 2. num. 39. Alphonſus de Leone de iub. p. 1. num 76. Filliucius tract. 8. nu. 245. Ioan. Præpoſitus in 3. p. quæſt. 14. de indulg. dub. 10. nu. 83. Barthol. à S. Fauſto de indulg. lib. 3. quæſt. 25. Ioan. Delugo tract. de pœnit. diſp. 27. ſec. 7. nu. 100. Lezana in quæſt. regul. tom. 3. ver. Iubileum, num. 15. circa finem.*

4 Dicendum eſt primo. quamuis vtraque ſententia ſit probabilis; probabiliorem tamen exiſtimo ſecundam, atque adeò illam puto eſſe recipiendam. ratio autem fundamentalis pro hac ſententia eſt; quia, niſi aliud expreſsè notetur, confeſſio ſacramẽtalis præſumitur iniuncta eo modo, quo præcipitur ab Eccleſia *in cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* ibi enim, vt communiter placet Authoribus, pręceptum illud annuum, eſt de confeſſione peccatorum mortalium non venialium, de quibus nullum extat præceptum confeſſionis. Quod autem eodem modo debeat intelligi onus confitendi in iubileo; facilè oſtendi poterit: nam cum ferè eadem verborum formula vtrobique iniungatur confeſſio, vniformiter onus erit explicandum; ſed hoc fiet manifeſtius in ſolutione contrariorum argumentorum.

5 Dicendum eſt ſecundo. quando quis cõſcientiam habet de peccato lethali, si vult lucrari iubileum; neceſſariò debet pręmittere confeſſionem ſacramentalem, & non erit ſatis ſola contritio in ordine ad hunc effectum, quemadmodum præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis non adimpleret, qui de mortalibus, quibus grauatur, actũ perfectę contritionis eliceret, eaq; confeſſario nõ aperiret, ſicuti etiam neque ſatisfaceret diuino præcepto de confeſſione præmittenda ante receptionem Euchariſtiæ; si illam cum ſola contritione reciperet, vt declarat *Concilium Trid. ſeſſ. 13. can.* 11. vult autem Pontifex in conceſſione iubilei iuri diuino ſe conformare quoad hoc, vt neceſſario poſtulet confeſſionem, quando homo habet mortalia, proinde requirit, vt talia peccata ſacramẽtaliter remittantur, & ideo in ordine ad effectum iubilei non erit ſufficiens ſola cõtritio. Et confirmatur quia si exigeretur confeſſio pro ijs tantum, qui habentes peccata mortalia, ſolum attritionis actum elicerent, impoſitio confeſſionis eſſet nimis reſtricta, hoc autem non debet præſumi, ſed potius præſumẽdum eſt, quod Pontifex requirat confeſſionem ſacramentalem eo modo quo iniungitur à lege diuina, & eccleſiaſtica. requirit autem Põtifex vt ij, qui peccato mortali ligati ſunt, confeſſionem ſacramentalem præmittant, quia sic certius, & cum maiori puritate ſe diſponunt ad gratiam, & dignos ſe reddunt ad iubileum obtinendum. Et ex his patet reſponſio ad fundamentum, in quo contrariæ ſententiæ defenſores nituntur: negandum enim eſt illis confeſſionem peccatorum imponi tanquam opus pium, & honeſtum: dico enim requiri, vt homo maiori certitudine, qua poteſt cõſtituatur ĩ gratia.

Ad argumentum autem, quod affert Paſqualigus, reſpondeo, iubileum eſſe conceſſum ſub onere confeſſionis ſacramentalis non abſolute, & ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione peccati mortalis, vt oſtenſum eſt. 6
Ad inſtantiam autem, quæ fit contra hanc reſponſionem, fateor confeſſionem eo modo, quo imponitur eſſe conditionem ex natura ipſius actus requiſitam, & hoc ob rationem aſſignatam, nempè vt deletiuam peccati mortalis impedientis conſecutionem iubilei: fateor etiam conceſſionem iubilei ſub onere confeſſionis eo modo, quo de facto ponitur, non eſſe ſecundum iuris rigorem conditionalem, vt probatur per leges illas citatas, & deciſionem Rotę, atque adeo confeſſionem ſacramentalem non eſſe ſimpliciter, & abſolutè opus iniunctum, ſicuti viſitatio, oratio, ieiunium, & reliqua, & quando dicitur opus iniunctũ debere eſſe voluntarium; reſpondeo id verum eſſe de illis operibus, quæ abſolute, & ſimpliciter præſcribuntur, non autem de illis, quę requiruntur ad tollenda impedimenta ad finem obtinendum, qualis eſt confeſſio, quę requiritur, vt tollatur peccatum, quod impedit conſecutionẽ indulgentiæ. Demum cum vrgetur, probando ne-

neque ex ſuppoſitione eſſe requiſitam confeſſionem, quia peccatum tolli poteſt per contritionem, reſpondeo vt ſupra, videlicet requiri confeſſionem, vt certiùs, & puriùs homo ſe diſponat ad ſtatum gratię: contritio enim perfecta, & præſertim in hominibus imperfectis non ità facilè habetur.

7 Sed dices si confeſſio eſſet requiſita ex ſuppoſitione peccati mortalis; inutiliter, & ſuperuacaneè imponeretur, quia etiam ſi omitteretur, deberet neceſſario ex iure diuino præmitti ante ſuſceptionem Euchariſtiæ.

Reſpondetur confeſſionem hanc in iubileo non præſcribi inutiliter, quamuis de iure requiratur ex ſuppoſitione peccati, quia imponi poteſt non vt inducens conceſſionem iubilei ſub noua forma, & conditione diuerſa ab ea, quæ in iure ineſt, ſed poteſt imponi tanquam admonitio, & inſtructio ipſius ſumentis iubileum, vt aduertat neceſſariam eſſe confeſſionem: ſicuti ſi Pontifex cõcedat alicui facultatem approbandi aliquem in Parochum, aut in confeſſarium præuio examine, & in conceſſione apponat hanc clauſulam, videlicet [*ſi illum idoneum inueneris*] conceſſio non eſſet propriè conditionalis, quia idoneitas eſt de iure requiſita, & licet explicitè non apponeretur; neceſſario eſſet intelligenda: proindè conceſſio facultatis non habet nouam formam, & conditionem ab ea, quam requirit ius: apponitur tamen vt quædam admonitio, & inſtructio examinatoris, vt rectè fungatur officio ſuo, & ideo non ponitur inutiliter: ſicuti neque ponitur inutiliter in Bulla Cruciatæ clauſula illa in facultate, quæ traditur Confeſſario, ad abſoluendum pœnitentem ab excommunicatione, dum dicitur quod abſolutio dari debet, prius ſatisfacta parte læſa: iſta enim ſatisfactio, cum ſit conditio, quæ iure debetur, etiam non apposita intelligeretur, & non facit diuerſam formam ab ea, quæ ſecundum ius requiritur, & ideo ponitur veluti admonitio, & inſtructio Confeſſarij. ſecus autem eſſet dicendum, ſi hæc apponeretur diuerſo modo ab eo, qui requiritur in iure, v. g. ſi dicatur in conceſſione facultatis examinandi: illum approbes, ſi idoneum inueneris in iure canonico, vel quid ſimile: in caſu autem noſtro confeſſio non exigitur, niſi eo modo, quo ius diuinum prærequirit illam ante ſumptionem Euchariſtiæ, nempè quando quis habet peccata mortalia: & ideo non inducit nouam formam, & conditionẽ diuerſã; ſed tãtũ admonitionem, vt dicitur de clauſulis, quæ in diſpoſitione pontificia apponuntur, eo modo, quo iure inſunt, vt rectè notant *Panormit. cap. Cum dilecta num.* 12. *de reſcrip. Pelinus ibidem num.* 6. *& cap. finali de præſumpt. nu.* 33. vide quæ ipſe met dixi de his clauſulis *in explicatione cruciata p.* 2. *tract.* 6. *cap.* 2. *ſect.* 7. *num.* 65.

Quæres ſecundo, num per inualidam confeſſionem mortalium ſatisfiat Pontificis menti in ordine ad iubileum acquirendum? 8

Reſpondeo negatiuè. ita *Suarez tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 31. *ſec.* 4. *num.* 22. *Bonacina de ſacrament. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *p.* 5. §. 5. *n.* 9. *Reginaldus in praxi lib.* 8. *nu.* 63. *Barthol. à S. Fauſto lib.* 4. *de indul. quæſt.* 38. *& alij*. ratio eſt quia Pontifex requirit cõfeſſionem, vt tollatur impedimentum ad hoc, vt acquiratur indulgentia; at per cõfeſſionem inualidam non tollitur impedimentum, nempè peccatum mortale, proindè non obtinetur iubileum.

Quæres tertio, an ſi aduertens ſuæ confeſſionis inualiditatem, ſe conterat de peccatis mortalibus, quibus grauatur, teneatur hoc non obſtantè iterum confiteri? 9

Reſpondeo affirmatiuè aliter non conſequetur indulgentiam iubilei. probatur quia in diplomate iubilei cum poſtulatur confeſſio, id intelligi debet de vera confeſſione, qualis non eſt illa, quæ valorem ſuũ non eſt ſortita.

Quæres quarto, faciens confeſſionem validam, ſed informem, vtrum remoto poſtea obice per actum ſufficientis doloris, huic oneri ſatisfaciat? 10

Reſpondeo quæſitum procedere ſupponens valdè probabilem ſententiam, quod dari poſſit ſacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe, quamuis à pluribus id non admittatur, at illa ſententia præſuppoſita, quam ego probabiliorem in tractatu de pœnitentia exiſtimaui, aio ſi intra tempus iubilei impedimentum, ſeu obex remoueatur, ſatisfieri oneri iniuncto, & ſic docet *Henriquez in ſumma lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 5. *Nuñus in addit. ad* 3. *p. quæſt.* 24. *articulo* 3. *Barthol à S. Fauſto lib.* 2. *de indulg. quæſt.* 94. *& lib.* 4. *quæſt.* 39. probatur concluſio, quia confeſſio informis eſt ſubſtantialiter vera, & realis confeſſio, quamuis effectum ſuum non ſit ſortita, recedente tamen fictione, vt dicunt theologi, per ſufficientem peccatorum deteſtationem conſequitur iubileum.

Oppoſitum vero huic concluſioni, etiã facta ſuppoſitione de confeſſione informi, tuetur *Paſqualigus de iubil. quæſt.* 73. docet enim, quod confeſſio, ſiue ſit tantum præſcripta vt diſpoſitio, ſiue abſolutè vt opus iniunctum ſemper intenditur in ordine ad indulgentiam acquirendam: proindè cum finis diſpoſitionis contineatur ſub intentione præſcribentis; ſequitur quod confeſſio, quæ eſt præſcripta, illa cenſeatur, 11

que

quę habeat talem qualitatem, vt ipſa mediante, obtineatur finis intentus: confeſſio autem informis, cum non ponat hominem in ſtatu gratiæ, neque remittat peccata; caret qualitate illa requiſita, & ſic per cõfeſſionem validam, ſed informem, homo non ſatisfacit oneri iniuncto per iubileum. ſic diſcurrit Paſqualigus.

12 Cæterum ad hoc argumentum reſpondeo, quamuis confeſſio dum manet informis, & abſque ſuo effectu, nequeat diſponere ad finem intentum, quatenus ſine gratia iuſtificante, homo non conſequitur indulgentiam: nihilominus, ſi poſtea ille, qui talem fecit confeſſionem, ſe conterat abſque alia confeſſione; recipiet gratiam, & non tantum illam, quæ reſpondet contritioni; verum etiam aliam vi ſacramenti, quæ certò datur, vt dicunt theologi, remoto obice. confeſſio autem illa valida, ſed informis ratione valoris, quem habet, ſatisfacit oneri iniuncto, & licet actu non habeat effectum; eſt poſtea illum habitura, quatenus homo remouens impedimẽtum recipit maiorem gratiam intuitu ſacramẽti, quod prius erat informe, poſtea vero formatum.

13 Et ſi homo non ſe diſponat per actum contritionis; non obtinebit iubileum, quia non eſt in ſtatu gratiæ. ſufficit igitur confeſſio, quæ, vel actu habet effectum gratię ſacramentalis, vel quę ſit talis, vt remoto obice, poſſit illum habere. ſed hoc eſt intelligendum, ſi adhùc duret tempus in iubileo ſignatum, & homo præſtet reliqua iniuncta: nam tali tempore tranſacto, non poterit amplius acquirere indulgentiam, etiam ablato impedimento, vt rectè probat *Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 52. ſect. 2. à n. 12.* oſtẽdens pariter diſcrimen inter ſacramentum informe, & indulgentiam; nam illud recedente fictione, conſequitur effectum; non autem indulgentia, cuius differẽtiam optimè declarat *num.* 18.

14 Quæres quinto. qui tempore iubilei cõſcientiam habet peccati mortalis, & inculpabiliter caret copia confeſſarij, an lucrari poſſit iubileum, ſi de illo peccato cõteratur, & præſtet reliqua opera iniuncta.

Reſpondeo partem affirmatiuam tuetur *Nauar. de iubileo notab.* 18. *num.* 14. & in eadem ſententia videtur eſſe *Angelus loquens de indulgentia, num.* 17. *Suarez tom. 4. diſp. 52. ſec. 3. num.* 13. quam ſententiam à fortiori tueri debent omnes, qui volunt ſatis eſſe contritionem, etiam ſi ſumens iubileum habeat peccata mortalia, & in diplomate iubilei Pontifex non dicat præmittendam eſſe confeſſionem, ſed ſolũ dicat, concedi indulgentiam confeſſis, & contritis. ita *Henriquez in ſumma lib. 7. cap. 12. num. 1. Ludouicus à Cruce in expoſitione bullæ cruciatæ diſp. 1. cap. 8. dub. 7. num. 5. Filliucius tract. 8. cap. 6. num.* 148. *& alij apud Comitolum in reſponſ. moral. lib. 1. quæſt. 39. §. Septimum, & poſtremum,* quibus adhæret *Pater Diana par. 5. tract. 12. reſol. 30. ver. Nota etiã;* Ratio autem, qua niti poteſt hæc ſententia eſt, quia Pontifex principaliter requirit confeſſionem ſacramentalem ad hoc, vt tollatur impedimentum peccati mortalis ad lucrandam indulgentiam, proindè ſi quis inculpabiliter habere nequeat confeſſarium, cui peccata aperiat, & de illis conteratur, facit quantum in ſe eſt: ergo non videtùr negandum quod ille acquirat indulgentiam, & hæc opinio cenſeri debet ſatis probabilis, & pia; nam, & ſi opera illa, quæ præſcribuntur, vt forma, neceſſariò ſint ponenda cum effectu, & impotẽtia, ſeu ignorantia non excuſet; nihilominus non ita dicendum de confeſſione ſacramentali, quæ tanquam medicina præſcribitur, & cuius finis principalis eſt ablatio impedimenti, quod tollitur per contritionem. ex hoc tamen ne inferas cum quibuſdam ſufficere contritionem, etiam ſi habeatur copia confeſſarij, ex eo quod per contritionem tollatur impedimentum, ne inferas inquam hoc, nam vt ſupra oſtendimus in præſcribenda confeſſione Põtifex duo intendere videtur, nempe principaliter ablationem impedimenti, ſecundario vero, & minùs principaliter modum auferendi ipſum impedimentum, ſcilicet ſacramentaliter, & hoc, vt certior, & ſecurior ſit ipſa ablatio, quando igitur in his, aut illis circumſtantijs deeſt confeſſarius, & abſque culpa ipſius peccatoris, tunc ipſe peccator eliciens actum contritionis, videtur eligere modum certiorem, quem poteſt, & ideo obtento fine primariò, ob quem præſcripta fuit confeſſio, iudicare debemus piam mentem ſummi Paſtoris, non eſſe denegare fructum indulgentiæ, hæc autem ratio non militat in alijs operibus iniũctis, quorum finis adæquatus conſiſtit in exercitio illius actus, qui ex ſuo genere eſt virtus; quando autem confeſſarius non deeſt, tunc ſi quis habens mortalia, non confiteatur, ſed ſolum ſe conterat, non eligit modum certiorem, & ſecuriorem, quem Pontifex intendit ad tollendum impedimẽtum peccati, & ideo non eſt par ratio.

Sed dices quando quis impotens eſt ad 15
præſtanda alia opera in iubileo præſcripta v. g. ieiunium, tunc non lucratur ipſum iubileum ex defectu formæ, ſeu conditionis, ſub qua iubileum conceditur, niſi petat commutationem à confeſſario, vt ſupra diximus in *quæſt. de ieiunio quæſito 7. in fine*: ergo etiam à pari, quando quis nequit ſacramentaliter confiteri ob abſentiã

Digitized by Google

confeſſarij, & illum adire nequeat, neque confeſſarius ipſum pœnitentem, vt contingeret ſi ambo eſſent infirmi, & abſentes, & in tali loco nullus alius adeſſet confeſſarius, tunc non lucrabitur iubileum, niſi petat commutationem ab illo confeſſario, ſaltem per litteras, aut internuncium, quæ commutatio fieri poteſt extra confeſſionem.

Reſpondeo negando conſequentiam, & paritatem, nam finis primarius, ad quem inſtitutum eſt ſacramentum pœnitentiæ eſt remiſſio peccati, & reſtitutio gratiæ, & amicitiæ Dei, quem finem Pontifex intendit quando præſcribit confeſſionẽ, & quamuis finis iſte haberi poſſit per contritionẽ, ſine ſacramento actuali penitentiæ, nihilominus, vt certius, & ſecurius habeatur, Pontifex requirit, vt qui habet peccata mortalia præmittat confeſſionem ſacramẽtalem, ſi velit iubileum lucrari, talis autẽ finis nequit haberi per aliud opus, in quod confeſſio commutetur, & ideo quando deeſt copia confeſſarij ſufficienter, & meliori modo, quo poteſt ſe diſponit, eliciendo actum contritionis ſine alia commutatione: cæterum alia opera iniuncta, v.g. ieiunium, cũ poſſint in aliud æquiualens commutari, idcirco quando datur impotentia v.g. ad ieiunãdũ, debet homo ſi vult iubileũ lucrari, petere commutationem à confeſſario, & ex his patet diſparitas inter vnum, & alium caſum.

Et ſi vlterius vrgeas: finis intentus à Põtifice per ieiunium eſt maceratio carnis, & Dei obſequium, ergo ſi quis ob infirmitatẽ nequeat ieiunare, non tenebitur commutationem petere, quia ceſſat finis intentus à Pontifice, cum ille propter ægritudinẽ non poſſit carnem macerare.

Reſpondeo aliud eſſe loqui de fine intẽto, aliud de opere iniuncto, quamuis enim Pontifex præſcribendo ieiunium, habeat finem prędictum, nihilominus non iniungit fidelibus finem illum, nempe macerationẽ, ſed tantum medium, quia præſcribit ieiunium eo modo, quo pręcipitur ab eccleſia, quæ in præcepto ieiunij licet intendat macerationem, illam tamen non præcipit, & ideo ſi homo lautè comedat ieiunando, & non maceret, ſed potius carnem foueat cibis pretioſis, iſte ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ, quãuis peccaret contra temperãtiam. vnde poteſt ieiunium commutari in aliud opus pium v. g. in eleemoſynam, licet per eam finis à Pontifice intentus, nempe maceratio carnis, non acquiratur, quia eſt finis intentus, & non iniunctus. Inſtabis iterum, ſi finis intentus à Põtifice eſſet obſequium Dei per macerationem carnis, ſequeretur quod ieiunium deberet eſſe opus pium, & ideo, ſi ob prauum finem quis ieiunaret, non videretur ſatisfacere oneri iniuncto, quod eſt contra ea, quæ diximus *quæſt. 1. de viſitatione Eccleſiarum num. 13.*

Reſpondeo, ſi finis intentus per ieiuniũ, nempe obſequium Dei, eſſet pariter iniũctus, vtique concluderet argumentum, ſed, vt dixi, finis ille quamuis intentus, non eſt tamen iniunctus, & ideo etiam ſi quis ieiunet ob prauum finem, & conſequenter ieiunium illud non ſit in obſequium, nihilominus ieiunans ſatisfacit oneri impoſito. Hoc autẽ dici non poteſt de viſitatione, quæ ſubſtantialiter conſiſtit in oratione facta in tali loco, nempe in Eccleſia, oratio autem eſſentialiter, & ſecundum ſuam ſubſtantiam exigit, eſſe actam religionis, & cum ſit actus virtutis nequit habere finem prauum, cum habitus virtutis non ſit indifferens ad bonum, & malum.

Quæres ſexto. Vtrum qui eſt excommu- 16
nicatus, ſi pro ipſo non ſtet, ne obtineat abſolutionem à cenſura, ſi contritionem habeat de ſuis peccatis, acquirat iubileũ. Reſpondeo probabilem eſſe partem affirmatiuam: ita affirmat *Henriquez in ſumma lib. 7. c. 18. num. 2. Emmanuel Sà. ver. Indul. num. 2. Boſſ. de triplici iubileo ſec. 4. caſ. 22. §. 1. num. 12. Alphonſ. de Leone 1. par. de iubil. num.* 197. fundant hanc ſententiam in Eccleſiæ intentione, quæ non videtur velle priuare fidelẽ bono Iubilei, cum per ipſum hominem non ſtet ne recipiat abſolutionem à cenſura, ſi præſtet reliqua, quæ præſcribuntur in diplomate, & ea, quæ non poteſt, vt eſt ſumptio Euchariſtiæ, commutet authoritate confeſſarij in aliud pium opus. Sed oppoſitam ſententiam tuentur *Santarell. de iub. c. 15. dub. 14. S. Fauſ. de iubil. l. 3. quæſt.* 55. citãtur etiam *Suarez, Layman, Filliucius*, & alij apud *Dianam par. 5. trac. 12. reſol.* 13. quos ipſe ſequitur, licet piam, & probabilem exiſtiment priorem ſententiam. ratio fundamentalis huius opinionis eſt, quia excommunicatus antequam obtineat abſolutionem à cẽſura, eſt adhuc membrum præciſum ab Eccleſia: nam cenſura non aufertur per contritionem, ſicuti tollitur peccatum, ſed tollitur per veram, & realem abſolutionem, proinde non præſumitur intentionem eccleſiæ eſſe, vt talis excommunicatus iubileo fruatur. Vtraque ſententia eſt probabilis.

Quæres ſeptimo. An qui poſt confeſ- 17
ſionem recordatur alicuius peccati mortalis inuincibiliter prius obliti, aſtringatur ad nouam confeſſionem, vt lucretur iubileum, ſeu indulgentiam?

Reſpondeo ſi ſermo ſit de indulgentia, ad quam conſequendam non requiritur re-

cep-

Digitized by Google

ceptio ſacræ Euchariſtiæ, probabiliùs puto non eſſe neceſſariam nouam confeſſionem ita *Nuñus loco cit. dub. 4. Barthol. à S. Fauſto lib. 2. de indulg. quæſt. 90. & lib. 4. quæſt. 4. Bonacina de ſacram. diſp. 6. quæſt. 1. pun. 5. num. 9.* qui ait hanc opinionem eſſe ſpeculatiuè probabiliorē; quamuis oppoſitum ſit conſulendum, ne quis ſe exponat periculo non lucrandi indulgentiam; & abſolutè eandem ſententiam ſequitur *Paſqualigus quæſt. 66. de iubileo num. 4.* at contrarium tenet *Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 52. ſec. 3.* cenſet enim neceſſariam eſſe confeſſionem, ſi quis velit indulgentiam lucrari. Si vero ſermo ſit non de quacunque indulgentia, ſed de ea, quæ conceditur per iubileum, in quo præſcribitur ſacra communio, tunc *Paſqualigus quæſt. 65. num. 5.* putat quod ſi quis nō habeat copiam confeſſarij, & confeſſio non præſcribatur, vt opus iniunctum, ſed ſolū, vt diſpoſitio neceſſaria ad lucrandum iubileū; putat, inquā, nō teneri quempiam cōfiteri peccatum oblitum; ſed poſſe communicare; & acquirere iubileum; mouetur ad hoc, quia vt ipſe aſſerit damnum notabile excuſat pœnitentē, ita vt ſine cōfeſſione poſſit ſacrā communionē recipere, ſicuti excuſaret damnū notabile temporale; magnum autem damnum ſpirituale exiſtimari debet priuatio indulgentiæ, quam concedit iubileum: ſed oppoſitum ſuſtinet *Barthol. à S. Fauſto lib. 4. de iubil. extraord. quæſt. 41.* quam ſententiam tanquam ſurè certam tuetur *Amicus tom. 7. diſp. 20. de iubil. ſec. 6. num. 1.* fundamentum vero vnicum, quo nititur eſt authoritas *Tridentini ſeſ. 13. cap. 7.* vbi ſeuerè prohibetur, ne vllus peccati mortalis ſibi conſcius, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat, & quamuis ipſe Amicus ad hoc confirmandū, recurrat ad conſuetam Pontificis intentionem, qui nunquam in ſuis bullis cenſetur diſpenſare in decretis conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, niſi de illis expreſſa mentio fiat, vt per varias conſtitutiones non ſemel declarauit; nihilominus longè efficaciori ratione, id confirmabitur infra.

Ex his ſententijs probabilior mihi videtur hæc ſecunda, ob rationem aſſignatam, quia licet variæ aſſignentur cauſſæ, ob quas cum ſola contritione poſſet quis communicare abſque eo quod ſacramētaliter abſoluatur; inter cauſſas tamen non apponunt Authores hanc, quę eſt conſequi indulgētiam, neque tradunt regulam vniuerſalem, ſub qua contineatur acquiſitio indulgentiæ; admitto tamen cum prædictis Authoribus id fieri poſſe ad ſcandalum vitandū, in tali enim caſu erit omnino licitum Euchariſtiam ſumere ſine prȩuia confeſſione, non ſolùm ad indulgentiam obtinendam, verùm etiam abſolutè nulla poſita indulgentia, ſed hoc eſt per accidens ex iure naturali dictante ſcandalum eſſe vitandum. addo etiam non poſſe mentem Pontificis eam eſſe, quam ſibi perſuadent Authores primę ſententię; quia præceptum de prȩmittenda confeſſione mortalium ante ſumptionem Euchariſtię, iuxta communem tenè ſententiam, eſt de iure diuino, & non de ecclesiaſtico, atque adeo in illo non habet locum humana diſpenſatio, & omiſſio confeſſionis, interdum permittitur non vi alicuius diſpenſationis, ſed interpretationis iuris diuini non obligantis in quibuſdam circumſtantijs, quas doctores enumerant in tractatu de Euchariſtia; proinde nunquam audiuimus, aut legimus in hoc precepto aliquem diſpenſatum fuiſſe à Pontifice. Ex hac doctrina patet, qua ratione ſit reijcienda reſponſio, quam ad hoc argumentum tradit Paſqualigus *nu.* 4. ait enim, amiſſionem lucri ſpiritualis notabilis, quale obtinetur per indulgentiam, excuſare, ſicuti excuſat damnum notabile, tam ſpirituale, quàm temporale, nam in iure illa duo ȩquiparantur, patet inquam qua ratione ſit reijcienda; primo, quia vt dixi inter cauſſas excuſantes à confeſſione, doctores nullam faciunt mentionem de vtilitate indulgentiæ. ſecundo, quia lucrum hoc ſpirituale, quamuis ſit magnum, cum facili negotio haberi poſſit alijs medijs, idcirco illud amittere, per ſpatiale deteriorari medium, nempe per iubileum, non videtur res magni momenti, paſſim enim ſe offerunt media, lucrandi indulgentias plenarias, videlicet medijs granis benedictis, viſitatione eccleſiarum, quibus conceſſæ ſunt ſimiles indulgentiæ, &c.

Quæres octauo. ſi quis ritè ſit confeſſus, & communionem ſacram receperit, ſi antequam lucretur iubileum, labatur in nouū peccatum mortale, vtrum teneatur iterum confiteri?

Reſpondeo: probabilius mihi videtur obligari ad iterum confitendum, nam intentio Pontificis in iubileo requirens confeſſionem non præſcribit illam ſecundum quamcunque rationem, & vt opus erogationis, ſicuti poſtulat orationem, eleemoſynam, &c. ſed vt per ipſam ſacramentaliter tollatur impedimentum ad lucrandam indulgentiam: prior autem confeſſio perinde ſe habet in ordine ad hunc effectum, ac ſi non fuiſſet poſita. ita *Suarez tom. 4. d. 52. ſec. 3. Filliuc. tract. 8 c. 6. nu. 147. Santarell. in tract. de iubileo cap. 14. dub. 4. Paſqualigus quæſt. 65. num. 3. & 4.* licet aliqui contrarium exiſtiment, vt *Nuñus in addit. ad 3. p. quæſt. 23. art. 3. dub.* 18

4. Bonac. de ſacr. d. 6. quæſt. 4. punt. 3. n. 9. Granad. in 3. p. tract. de ſacr. controu. 8. tract. 5. d. 4. ſi verò peccatum illud inuincibiliter non aduertatur, & pœnitens habeat actum contritionis, antequam labatur tempus iubilei, probabile eſt, ſe ipſum, non impediri effectum iubilei, & hanc eſſe Pontificis intentionem affirmat *Boſſ. ſec. 4. caſ. 4. num. 28.* ſe enim habuit tale peccatum ſicut alia oblita, & inuincibiliter omiſſa in confeſſione, ideoque credendum eſt confeſſionem poſtulari à Pontifice, quando morali modo haberi poteſt; quod non contingit ſi aliquod peccatũ inuincibilitor non aduertatur, aut ignoretur.

19 Quæres nono: vtrum in confeſſione factæ ad lucrandum iubileum, imponenda ſit pœnitenti aliqua ſatisfactio.

Reſpondeo affirmatiuè, etiam ſi iſta non iniungatur ad præſeruandum, ſed ſolùm ad ſatisfaciendum pro peccatis: nam eſt pars integralis ſacramenti, & in diplomate iubilei id ſolet præſcribi. ſic *Filliuc. tr. 8. c. 10. num. 281. contra Graff. l. 1. appẽd. c. 5. num. 24.* qui in tali confeſſione vult non eſſe neceſſarium imponere pœnitentiã purè punitiuam.

QVÆSTIO SEXTA.

De Euchariſtiæ ſumptione.

SVMMARIVM.

1 *Pueri, qui ob defectum ætatis nequeunt communicare, indigent commutatione in aliud opus, vt acquirant iubileum.*

2 *Sacrilegè communicans, vt lucretur iubileum non oportet iterum communicare.*

3 *Non rectè à Paſqualigo opinio iſta improbabilis cenſetur.*

4 *Diluitur eius argumentum, & ſolutio varijs paritatibus confirmatur.*

5 *Aliud argumentum Paſqualigi refertur, & ſolutum.*

6 *Quolibet die intra hebdomadam iubilei ſũmi poterit Euchariſtia.*

7 *Si quis in ſecunda hebdomada velit iubileum ſumere, poterit communicare vltimo die dominico.*

8 *Omnia opera iniuncta fieri debent in eadẽ hebdomada.*

VLtimum, & præcipuum opus ex illis, quæ in diplomate iubilei à Sũmo Pontifice præſcribuntur, eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ receptio; de qua plura ad praxim neceſſaria explanabo.

1 Quęres primo, an pueri, qui ob ætatis defectum communicare prohibentur, indigeãt commutatione in aliud pium opus, vt iubileum obtineant?

Ad hoc quęſitum reſpondens Henriquez partem affirmatiuam docet *in ſumma lib. 7. cap. 10. num. 8. Pinellus de indulg. cap. 23. & alij,* ſed *Fernandez in exam. theol. par. 3. cap. 7. §. 8. num. 3.* cum prius de operibus iniunctis in communi determinauerit eſſe neceſſariam commutationem etiamſi per ignorantiam, aut impotentiam non fiant, ſtatim excipit aliquos caſus, inter quos excipit eos, quę ſunt in ætate non apta ad communionem, quibus ſuſtinet non eſſe opus commutatione pro communione, & concludit quod etiam nulla habita commutatione, acquirũt iubileum.

Quęres ſecundo, ſi quis ſacrilegè communicet, an teneatur antequàm tempus iubilei labatur, iterum communicare in ſtatũ gratiæ, vt indulgentiam conſequatur? 2

Reſpondeo probabilius eſſe ad id non teneri, & ducor à pari, ſicuti enim adimplens alia opera iniuncta, quamuis ſit in peccato mortali; nihilominus ſatisfacit oneri iniuncto, ita etiam, & communicãs, dum manet in peccato ſatisfaciet impoſitioni huius operis, verum ſi communio ſit vltimum opus ex iniunctis, non poterit ita communicans in eo momento lucrari indulgentiam: non ex eo quod opus non ſit factum in gratia, ſed quia ad acquirendam indulgentiam requiritur in acquirente ſtatus gratię, & amicitię Dei. ratio autem prędictorum omnium eſt, quia Pontifex in bulla iubilei ſolùm pręcipit vt opus iniunctum ſimpliciter fiat in ſuã forma, & non præcipit cum hac conditione, nempè, vt fiat in gratia, & ideo quamuis ita communicans, ſacrilegium committat; ſi tamen in vltimo opere ſe pœniteat, acquiret indulgentiam. *ita Henriquez lib. 7. cap. 9. num. 5. Bonacina de ſacram. diſp. 6. quæſt. 1. p. 5. num. 10. Nuñez in addit. ad 3. par. quæſt. 27. ar. 3. dub. 8. concl. 3. Fernandez in exam. theolog. par. 3. cap. 7. §. 8. n. 1. in fine. Barthol. à S. Fauſto lib. 4. de iubil. extraord. quæſt. 46. Filliuc. tractat. 8. cap. 6. num. 156. & 157. & alij:* quamuis *Santarellus de iubil. cap. 7. dub. 2. Pinellus de indulg. cap. 18. Amicus diſp. illa 21. ſec. 6. num. 123. Paſqualigus de iubil. quæſt. 76. num. 4.* & alij apud ipſum oppoſitum ſentiant.

Non rectè tamen ipſe Paſqualig. dicit improbabilem eſſe priorem ſententiam, & miratur quod quis ſibi perſuadere poſſit Summos Pontifices, qui tanquam finem in concedendis indulgentijs pietatem attendunt, Dei obſequium, & animarum vtilitatem, velle indulgentiam concedere acquirendam per opera, quæ ſunt ſacrilegã, & eſſe contentos de opere iniuncto, li- 3

cet

cet in ſacrilegium degeneret. Non rectè inquam loquitur Paſqualigus improbabilem appellans opinionem tot doctorum authoritate, & efficaci ratione munitam.

4 Ad argumentum vero prædictum, quod ipſe affert, facilis eſt ſolutio, ſi dicatur quod licet Pontifex iniungat communionem, & velit vt in ſtatu gratiæ, & cum fructu animæ ſumentis fiat; nihilominus in illa præſcribenda talem conditionem non apponit, ſed abſolutè eam iniungit, ſicuti eccleſia præcipit, vt Chriſti fideles in paſchate communicent, eiuſque intentio eſt, vt ipſa communio fiat cum fructu ſpirituali, at ſi quis ſacrilegè communicet, ſatisfacit præcepto eccleſiaſtico; quod tamen, quamuis coherenter, immerito tamen negat Paſqualigus nu. 9. contra communem opinionem, & ratio eſt quia eccleſia ſubſtantiam actus, & non modum præcipit, quemadmodū præcipit ieiunium, intendens carnis macerationem, & tamen ſi quis nimis lautè cibos ſumat, & etiam in magna quantitate, vt notabile damnum ſanitati afferatur, ita comedens peccabit contra præceptum naturale ſobrietatis, ſed non contra præceptum eccleſiæ, quæ ſubſtantiam præcipit, & non modum: ſimiliter iniungit eccleſia ne in diebus feſtiuis exerceantur opera ſeruilia, in hunc finem, vt fideles melius diuino cultui dent operam, at ſi quis abſtinēs ab his operibus, incumbat tamen vanis operibus, non erit reus præcepti eccleſiaſtici, fundamentalis autem ratio horum omnium eſt, quia, vt dici ſolet, finis præcepti non cadit ſub præceptum, quando ſcilicet finis eſt extrinſecus ſubſtantiæ operis præcepti. ita, & in caſu noſtro iniungit Pontifex communionem, in hunc finem, vt fideles ſpiritualiter reficiantur, at finis iſte non ponitur, vt conditio, ſeu vt forma ad lucrandum iubileum, & ideo quamuis communio fiat ſacrilegè, qui ſumit euchariſtiam oneri iniuncto ſatisfacit.

5 Progreditur Paſqualigus à *num.* 5. ſuam ſententiam probando ex natura ipſius cōmunionis, & ex inſtitutione Chriſti Domini, per quam talis requiritur præparatio, vt homo digne communicet: igitur præſumi debet, quod Pontifex iniungat communionem cum tali præparatione, vt dignè ſumatur. ad hoc argumentum.

Reſpondeo cum diſtinctione: intendit Pontifex dignam communionem, tanquā finem, concedo, vt conditionem, nego, nam vt conditionem proponit ſubſtantiā communionis, vt ſic, & abſolutè, ſicuti eccleſia ſubſtantiam ieiunij, abſtinentiā ab operibus ſeruilibus, &c. non autē præcipit finem illum, quem habet in his præceptis imponendis.

Reliqua vero adducta à Paſqualigo ſolum probant ea, quæ pertinent ad ſubſtantiam actus, non autem ad modum, vt patet conſideranti.

Quæres tertio, an communio poſſit fieri quolibet die intra hebdomadam iubilei? reſpondeo affirmatiuè: nam Pontifex non determinat diem, neque oportet vt ſit vltimum opus ex præſcriptis in diplomate, & hæc concluſio eſt communis contra *Bottonum citatum à Paſqualigo quæſt. 78. num. 2.* 6

Quæres quarto, ſi quis in ſecunda hebdomada ſumit iubileum, poſſit ne Euchariſtiam ſumere etiam die vltimo dominico. 7

Reſpondeo poſſe, & ita oſtendit praxis, nam omnes qui ſumunt iubileum, præſtant opera iniuncta, & in die dominico, qui eſt vltimus dies illius hebdomadæ, communicant. ita aſſerunt *Nauar. notab. 19. n. 19. Henriquez lib. 7. cap. 7. caſ. 5. Sotus in 4. diſt. 21. quæſt. 2. art. 3. Reginal. lib. 7. n. 173. Santarell. cap. 7. dub. 1. & multi alij.* in hac re optima ratio eſt conſuetudo explicans mentem Pontificis: & hanc eſſe eius intētionem colligitur ex iubileo *Pauli V. quod anno 1619.* manauit, vbi expreſsè cauetur, poſſe aliquem ſuſcepturum iubileum die dominico confiteri, & per conſequens eodem die communicare: imò Henriquez, ac Rodriquez plus addunt, dicunt enim, quod ſi quis obliuione, vel negligētia non communicauit in ſecunda hebdomada iubilei, poſſe communicare feria ſecunda tertiæ hebdomadæ, & lucrari iubileum: hoc tamen non ita facilè concederem, contradicunt enim huic opinioni verba diplomatis, per quæ aſſeritur iubileum per duas tantum hebdomadas durare. non poſſe communicare die dominico ſecundæ hebdomadæ vult *Filliuc. trac. 8. nu. 272. Georgius Pol. in comment. iubil. ſec. 42. n. 66.*

Quæres quinto, vtrum prædicta opera iniuncta præſtanda ſint omnia in ea hebdomada, in qua eſt obtinendum iubileum, ita vt nequeant diuidi partim in prima, & partim in ſecunda hebdomada? reſpondeo probabiliorem eſſe partem negatiuam. ita *Henriquez l. 7. c. 11. num. 2. Bonac. de ſacr. d. 6. quæſt. 1. punc. 5. num. 34. Santarell. c. 7. dub. 1.* nam Pontifex in diplomate videtur id ſignificare: dicit enim, qui feria quarta, ſexta, & ſabatho ieiunauerint, pariterque peccata ſua confeſſi, &c. particula illa, pariter, ſignificat coniunctionem omnium operum in eadem hebdomada, in qua eſt ieiunium. Alij cenſent diuidi poſſe. *Nauar. de oratione miſcell. 95. Rodriq. in ſumma parte prima c. 184. nu. 14. Ioannes Præpoſitus in 3. p. quæſt. 14. de indulg. dub. 10. num. 87.* qui limitat hanc ſententiam circa ieiunia, quæ ad maiorem 8

ma-

Digitized by Google

macerationem carnis, in eadem hebdomada facienda ſunt: & ſine hac limitatione abſolutè aſſerit probabilem eſſe hanc ſententiam *Layman. lib. 5. tract. 7. c. 8. num. 10.*

QVÆSTIO SEPTIMA.

De facultate eligendi Confeſſarium quoad ſeculares.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur qua ratione prius instituatur ſermo de priuilegio eligendi confeſſariũ.*

2 *Per iubileum conceditur poteſtas eligendi quemlibet ſacerdotem ab Ordinario loci approbatum.*

3 *Quid veniat nomine Ordinarij, reſpondetur remiſſiuè.*

4 *An electio confeſſarij facta per iubileum duret tantum durante iubileo.*

5 *Facultas eligendi confeſſarium non finitur vnico actu.*

6 *Confeſſarium cum reſtrictione approbatũ pro excipiendis tantum confeſſionibus virorum, probabilius eſt vi iubilei eligĩ non poſſe à muliere.*

7 *Inſtantia contraria proponitur, & ſoluitur.*

8 *Confeſſarius Regularis approbatus à ſolo ſuo Prælato Regulari ad audiendas tantum confeſſiones Religioſorum, non eſt eligibilis vi iubilei à ſæcularibus.*

9 *Neque qui habet aliud priuilegium eligẽdi confeſſarium, poteſt virtute talis priuilegij eligere confeſſarium ab Ordinario non approbatum, eoque vti ad lucrãdum iubileum.*

1 EXplicatis oneribus, par eſt, vt agamus de priuilegijs, quæ per iubileum cõceduntur, primum autem locum damus priuilegio, per quod conceditur poteſtas eligendi confeſſarium, & meritò, nam priuilegium iſtud eſt veluti reliquorũ baſis, quatenus à confeſſario electo omnes gratiæ in eodem iubileo contentæ procedere debent, ſiue ſint commutationes onerum iniunctorum, ſiue commutationes votorum, & pariter à confeſſario abſolutio peccatorum ſacramentaliter eſt tribuenda, vt ipſe fidelis poſtea ita diſpoſitus ſacram Euchariſtiam recipiat, & tandem indulgentiam plenariam totius pœnæ temporalis peccatis remiſſis debitæ obtineat, quæ eſt vltima gratia eiuſdem iubilei. agimus autem in hac quæſtione de facultate eligẽdi confeſſarium in ordine ad ſeculares, quia de regularibus eſſe poteſt ſpecialis dubitatio, quę in alia quęſtione erit diſcutienda.

2 Quęres primo. vtrum per iubileum detur facultas eligendi quemlibet ſacerdotem?

Reſpondeo dari talem facultatẽ, ſi tamẽ ſacerdos eligendus ſit approbatus ab Ordinario loci, ita expreſsè ſub hac conditione approbationis in ipſo diplomate Pontifex concedit hanc facultatem.

Quęres ſecundo. quid veniat nomine Ordinarij, à quo ſacerdos eligẽdus debeat eſſe approbatus? 3

Reſpondeo de hoc puncto varias eſſe doctorum ſententias, quas *in explicatione bullæ cruciatæ par. 2. tract. 5. cap. 1. sect. 2. & 3.* fusè examinaui, & ibi ſeptem retuli opiniones; proinde ne eadem inutiliter repetam, remitto Lectorem ad eum locum, vbi quid probabilius mihi viſum fuit, expreſsè declaraui, in præſentia autem ſufficit dicere Ordinarium, à quo iubileum requirit approbationem eſſe illum eũdem, qui extra iubileum cenſetur legitimus in ordine ad hunc effectum, nam per iubileũ Pontifex quoad hoc punctum nihil innouare ſolet, & ideo preſumitur ſe conformare velle iuri communi quod in Tridentino continetur.

Quæres tertio. fingamus caſum, qui quamuis non ita facilè occurrere ſoleat, tamen quia euenire poſſet, idcirco placet hic eum apponere. fingamus inquam, quod Epiſcopus paſſione, aut alio motiuo ductus, iudicet Petrum ſacerdotem ſęcularem eſſe idoneum ad confeſſiones excipiendas, atque adeo declarato exterius tali iudicio, Petrus cenſeatur ſtatim approbatus; nam approbatio, prout contradiſtinguitur à iuriſdictione, eſt actus intellectus, & non voluntatis vt patet; poſtea vero Epiſcopus prohibeat eidem Petro, vt confeſſiones audiat, & conſequenter illi iuriſdictionem non conferat, cuius collatio eſt actus voluntatis. In quo caſu, cum certum ſit Petrũ eligi poſſe vi iubilei, quia iam eſt poſita conditio de approbatione, licet deſit iuriſdictio, quæ per ipſum iubileum confertur à Pontifice, quæritur an electio iſta talis confeſſarij, facta virtute iubilei, duret ſolum intra tempus iubilei? Reſpondeo affirmatiuè, quia tranſacto iubileo, nequit confeſſarius electus habere iuriſdictionem vi iubilei tranſacti, ſecùs eſſet dicendum ſi confeſſio coram tali confeſſario fuiſſet incepta intra tempus iubilei, & ob rationabilem cauſam fuiſſet prorogata. 4

Quæres quarto. vtrum facultas eligendi confeſſarium finiatur per vnum actum electionis? reſpondeo negatiuè, quia poteſtas eligendi, vt patet ex verbis diplomatis, eſt indefinita, & non determinata pro vna tantum vice, & ideo pœnitens facta electione poterit primo confeſſario relicto, alium eligere, & ſic toties, quoties, durãte iubileo. *Lauor. de indulgent. part. 2. c. 28.* 5

Digitized by Google

28. *num.* 5. & apud ipſum *Palud. Nauar. & alij*.

6 Quæres quinto, an confeſſarius, qui ratione iuuenilis ætatis, ſit tantùm approbatus ad confeſſiones virorum, & non mulierum excipiendas, poſſit eligi virtute iubilei à muliere?

Reſpondeo partem affirmatiuam defendit *Henriquez in ſumma lib. 9. cap. 6. n.* 8. *Fagundez praec. 2. eccl. lib. 7. cap. 2. num.* 45. *Coninck de pœnit. diſp. 8. dub. 7. num.* 57. *Merolla in theol. morali tom. 3. diſp. 6. cap. 2. num. 67. Barboſa de poteſt. Epiſ. alleg.* 25. *num.* 17. *& alij*. oppoſitum tamen ſuſtinent quamplures, & non minoris nominis, *vt Rodriquez in ſumma par. 1. cap.* 60. *num.* 4. *Suarez tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 28. *ſec.* 7. *num.* 3. *Nuñus in addit. ad* 3. *p. S. Thomæ quæſt.* 8. *art.* 5. *dub.* 6. *Boſſius de trip. iub. ſec.* 3. *caſ.* 2. §. 10. *num.* 246. *Caſtropalaus par.* 1. *oper. moral. tract.* 3. *diſp.* 6. §. 1. *num.* 1. *Ludouicus à Cruce in bul. cruc. diſp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 9. *num.* 9. *Paſqualigus de iub. quæſt.* 190. *numer.* 4. & apud ipſum *Villalobos in ſumma part.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 9. §. 1. *num.* 3. *Ioannes à Cruce in direct. conſc. par.* 2. *quæſt.* 5. *de pœnit. dub.* 8. *concl.* 2. *& alij*. quam ſententiam ipſe met ſuſtinui *in explic. bul. p.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *ſec.* 5. *num.* 88. & etiam nunc idem aſſero de priuilegio eligendi confeſſarium virtute iubilei, quia cum Pōtifex in hoc diplomate poſtulet approbationem factam ab ordinario tanquam conditionem, vt ipſe met approbatus iuriſdictionem habeat; idcirco approbatione in ordine ad mulieres non poſita, in ordine ad eaſdem non cenſetur collata iuriſdictio per iubileum, ex quocunque capite approbatio non habeatur; licet prior opinio ſit probabilis.

Dices limitatio illa, quam ponit Epiſco-
7 pus cenſetur quoad iuriſdictionem, non vero quoad approbationem: ergo confeſſarius etiam ita limitatè approbatus poterit vi iubilei eligi?

Reſpondeo negando antecedens, nam Epiſcopus iudicat talem confeſſarium, ratione ætatis non eſſe idoneum pro excipiēdis mulierum confeſſionibus, quicquid ſit de ſufficientia quoad doctrinam, iudicium enim de approbatione eſt ferendum penſatis pluribus capitibus, & ideo ita approbatus non poterit vi iubilei à mulieribus eligi in confeſſarium.

Quæres ſexto, num Regularis approba-
8 tus tantum à ſuo Prælato Regulari pro religioſis ſubditis, poſſit à ſæcularibus eligi virtute iubilei: Ratio autem dubitandi eſt, quia eſt valde probabilis ſententia, quæ aſſerit ad approbandum confeſſarium nomine Ordinarij venire Ordinarium ipſius cōfeſſarij, vt dixi *in explic. bullæ ſec. illa* 2. *n.* 26. Ordinarius autem Regularium eſt eorum Prælatus; proinde Regularis approbatus à ſuo Prælato, ſine alia approbatione videtur legitimè, & ſufficienter approbatus ad hoc, vt vi iubilei eligi poſſit?

Reſpondeo eligi non poſſe à ſæcularibus (quid autem dicendum ſit de electione facienda ab ipſis met Regularibus infra erit decidendum) ita *Filliuc. trac.* 8. *cap.* 10. *num.* 275. *Santarellus de iub. cap.* 7. *dub.* 1. *ver.* [*Quando il Confeſſore*] *ante medium. Barthol. à S. Fauſto lib.* 4. *de iub. quæſt.* 86. *Marcus Vidàl in arca vitali de ſacram. pœnit. inquiſ.* 6. *num.* 29. & ratio eſt, quia Pontifex in ordine ad ſæculares requirit in confeſſario eligendo approbationem illam, quæ eſt ſecundum ius commune cui non derogat, nempè illam, quæ prouenit ab Epiſcopo, vt patet *ex Trid. ſeſ.* 23. *cap.* 15. ſub nomine autem Epiſcopi propriè loquendo non venit Prælatus Regularis.

Quæres ſeptimo, habens aliud priuile-
gium eligendi confeſſarium, ſiue tale pri- 9
uilegium ſit à iure, ſiue ab homine, an poſſit eligere cōfeſſarium virtute eiuſdem priuilegij ab Ordinario non approbatum, & eo vti ad lucrandum iubileum?

Reſpondeo non poſſe, quia nemo poteſt frui gratijs iubilei, niſi poſitis conditionibus in ipſo iubileo præſcriptis inter quas eſt facultas eligendi confeſſarium cum illa qualitate, nempe cum approbatione Ordinarij.

QVÆSTIO OCTAVA.

De facultate eligendi confeſſarium in ordine ad Religioſos.

SVMMARIVM.

Difficultas controuerſiæ proponitur, & refertur prima ſententia. 1
Secunda opinio aperitur.
Tertia ſententia explicatur. 2
Declaratur quarta, & vltima opinio. 3
Prima opinio Authori magis placet. 4
Ordinarij locorum iuxta duplicem ſenſum 5
explicantur. 6
Soluitur præcipuum aduerſariorum fundamentum. 7
Obiectio quædam diluitur.
8

Difficultas inſurgit, num Regulares, vt iubileum lucrentur, poſſint 1
eligere confeſſarium approbatum dumtaxat à ſuo Prælato, & non ab Epiſcopo. varias inuenio ſententias, quarum prima affirmat, eamque abſolutè docet in ſimili loquens de Bulla Cruciatæ *Rodr. in*

ex-

explicatione eiuſdem Bullæ §. 9. *num.* 9.
dub. 6.& abſolutè loquens de iubileo *San-*
tarellus tract. de iubileo cap. 7. *dub.*1.poſt
medium : *Barthol. à S. Fauſto lib.* 4. *de*
iubil extraor. quæſt. 85. *Bonacina de Sa-*
cram. diſp. 5. *quæſt.* 7. *punc.* 4. §. 1. *num.*
25. *Sorbus in compend. priuil. exponendo*
Decretum S. C. quo prohibetur abſolutio
à caſ. reſeru. *fol. mihi* 67. *Eligius Baſſæus*
in Floribus v. Confeſſarius III. num. 17.
Coriolanus de caſib. reſer. par. 1. *ſec.* 3. *ar.*
16. *Candidus in diſquiſ. moral.* 24. *art.* 62.
dub. 1. *Diana in addit.* 2. *par.* 3. *reſol.* 4.
Ver. imo ego, licet tract 3. *miſcell. reſ.* 47.
referens vtramque contrariam ſententiam
nil determinet. *Valerus in diff. vtriuſque*
fori v. Abſolutio diff. 1. *in fine*, poſtquam
hinc inde argumenta examinauit. *Geſual-*
dus in theol. mor. par. 2. *tract.* 2. *caſ.* 2.
num. 41.

2 Secunda opinio extremè contraria vult
tempore iubilei vniuerſalis, non poſſe à
Regularibus eligi niſi confeſſarium ab Epi-
ſcopo approbatum, ſi velint iubileum lu-
crari : atque adeo non ſufficere approba-
tionem ſolius Prælati regularis. ita docẽt
Henriquez de pœnit. lib. 6. *cap.* 6. *num.* 9.
ver. (*per Bullam*) *Suarez tom.* 4. *de pœ-*
nit. diſp. 28. *ſec.* 6. *num.* 11. *Reginal. in*
praxi lib. 1. *num.* 175. *Fragoſus de regim.*
reip. par. 2. *lib.* 2. *diſp.* 6. §. 5. *num.* 43.
Trullench. in expoſ. cruc. lib. 1. §. 7. *cap.*
1. *dub.* 10. *num.* 3. *Ioannes de Lugo de*
Sacr. pœnit. diſp. 20. *ſec.* 8. *num.* 143. *Ceſ-*
pedes tract. de exempt. reg. cap. 24. *dub.*
412. *num.* 4. *ver. omnes iſtæ. Alphonſus de*
Leone de officio confeſ. par. 2. *agens de iu-*
bileo num. 212. *Homob. de caſ. reſeru. par.*
1. *cap.* 5. agens de confeſſarijs delegatis tẽ-
pore iubilei *obſer.* 2. *Paſqualigus de iub.*
quæſt. 209.

3 Tertia opinio diſtinguens ait, ſi in iu-
bileo datur facultas eligendi confeſſarium
approbatum ab ordinario, & nihil aliud
addatur, poſſe à Regularibus eligi ſacer-
dotem approbatum à ſuo proprio Prælato :
ſi vero dicatur approbatum ab ordinarijs
locorum, tunc non poſſe ab ipſis regulari-
bus eligi confeſſarium niſi ab Epiſcopo ap-
probatum. ita *Filliuc. trac.* 8. *cap.* 10. *nu.*
275. *Polacchus in Bullam Vrb.* 8. *ſec.* 42.
num. 63. *Lezana in quæſt. reg. tom.* 1. *ca.*
19. *num.* 19. *in medio*, *Boſſius de triplici*
iubileo ſec. 3. *caſ.* 4. *num.* 4. *Pellizzarius*
in man. Reg. tract. 8. *cap.* 1. *ſec.* 1. *n.* 4.

4 Quarta opinio, quam refert *Ceſpedes l.*
c. alio modo diſtinguit, vult enim, quod, ſi
regularis eligat ſacerdotem eiuſdem ordi-
nis, tunc ſufficit eſſe approbatum à Prælato
tantum regulari : ſi vero eligat Sacerdotẽ
alterius religionis, eſt neceſſaria approba-
tio Epiſcopi. refertur pro hac opinione
Bottonius in obſeruationibus de iubileo
Sixti V. fol. 245. & *Alphonſus de Leone*
l. c. num. 213. huic ſententiæ adheret.

Ex his opinionibus ea, quæ primo loco 5
relata fuit, magis mihi placet : non enim
videtur ita facilè concedendum, voluiſſe,
Pontificem circa electionem confeſſarij ir-
ritare iuriſdictionem ſpiritualem, quam
Prælati Regulares habent in ſuos ſubditos,
cum videamus per tot Bullas, & conſtitu-
tiones voluiſſe illam firmiter ſtabilire, de-
clarando ſuam intentionem ſemper fuiſſe,
& eſſe, vt religioſi circa ſacramentum pœ-
nitentiæ totaliter dependeant à diſpoſitio-
ne ſuorum Prælatorum : & hoc expreſſius
patet per conſtitutionem *Clem. VIII.* &
Vrb. VIII. prohibentiũ ne regulares vtã-
tur priuilegio Cruciatæ circa electionem
Confeſſarij; proinde verba illa, quæ in di-
plomate iubilei magni apponi nunc ſolẽt, 6
quando datur facultas eligendi confeſſariũ
approbatum ab ordinarijs locorum, dup-
plicem habere poſſent intelligentiam. pri-
ma erit, ſi per Ordinarium loci comprehẽ-
datur etiam Prælatus regularis, reſpectu
ſui monaſterij, (quod autem reſpectu reli-
gioſorum Superiores vocentur ordinarij,
paſſim habetur apud Authores) illa autem
particula, *locorum*, non eſt talis, vt
omnino excludat Prælatos regulares,
nam Monaſterium eſt veluti eius Diœceſis,
vt rectè declarat *Bordonus in alia mate-*
ria tom. 1. *reſol.* 2. *num.* 2. & *Alphonſus*
de Leone loquens in caſu noſtro *num.* 213.
Si autem huiuſmodi explicatio non placet,
& duriuſcula alicui videtur, propono ſe-
cundam : videlicet verba illa non eſſe ſu-
menda priuatiuè, ſed ampliatiuè, quo pac-
to ea intelligunt plures ex Authoribus,
quos pro prima ſententia adduximus : &
tunc erit dicendum per verba illa voluiſſe
Pontificem concedere regularibus, vt tẽ-
pore iubilei poſſint abſque licentia proprij
ſuperioris eligere confeſſarium, etiam ex-
tra ordinem, & ſæcularem, dummodo fue-
rit ab ordinario ipſius confeſſarij appro-
batus; quæ expoſitio mihi magis arridet.

Ex hac doctrina ſolui poterit fundamen- 7
tum præcipuum aduerſariorum, quo mo-
uentur ad requirendam approbationem
Epiſcopi etiam pro regularibus, quorum
fundamentum conſiſtit in explicatione
verborum illorum (*ab Ordinarijs loco-*
rum,) quæ verba ſumuntur ab ip-
ſis, pro Epiſcopis tantum, excludendo
prælatos regulares, & quia Pontifex gene-
raliter loquitur, comprehendendo in di-
plomate Iubilei ſæculares, & regulares,
concedens facultatem hanc omnibus ſu-
mentibus iubileum, ideo conditionem il-
lam, de approbatione Epiſcopi, dicunt eſſe
intelligendam. Sed poſita explicatione,

quam

Digitized by Google

quam ex nonnullis retulimus, verba prædicta non ſunt ita ſtrictè interpretanda, ſed taliter, vt comprehendant, & Epiſcopos, & alios prælatos habentes epiſcopalem iuriſdictionem, vt ſunt prælati Regulares, omnia intelligendo reſpectiuè pro ſuis ſubditis, vel ſumendo verba ampliatiuè modo explicato.

8 Dices ſi doctrinæ allata vera eſſet, ſequeretur poſſe à regularibus eligi vi iubilei Sacerdotem ſæcularem ſimplicem cum ſola approbatione prælati regularis.

Reſpondeo ita ſanè; quid inde? nullũ, ex hoc ſequitur inconueniens, & eſt iuxta ſenſum huius opinionis, quam probabiliorem iudicamus.

Hæc valde probabiliter dicta ſint: moraliter autem caſus non ita facile euenire poteſt, quia ferè nunquam in monaſterio regularium, qui ſaluti proximorum incũbunt eorum confeſſiones audiendo, &c. deſunt confeſſarij approbati ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium excipiendas.

QVÆSTIO DECIMA.

De electione Confeſſarij pro monialibus.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos approbatus à ſolo Prælato Regulari non eſt idoneus ad excipiendas Monialium confeſſiones, & qua ratione.*

2 *Putant aliqui poſſe à monialibus eligi confeſſarium approbatum ab Epiſcopo quàuis non fuerit in particulari deputatus ab ordinario ad ipſarum cõfeſſiones excipiendas.*

3 *Oppoſitam ſententiam alij tuentur.*

4 *Refertur quædam opinio, quam tuetur Peyrinus.*

5 *Deciſio Authoris eſt eſſe attendẽdã formã iubilei.*

1 QVæres primo. An approbatus ſolũ à Prælato illius religionis, cui moniales ſunt ſubditæ, poſſit ab ipſis eligi in cõfeſſariũ tẽpore iubilei? Reſpõdeo negatiuè quia debet eſſe reſpectu ipſarũ approbatus ab Epiſcopo ipſarũ monialium, vt decreuit *Greg. 15. in Bulla*, quæ incipit: *Inſcrutabili Dei prouidẽtia, anno Domini 1622. Nonis Febr.* ibi enim §. 5. decreuit ne confeſſores, ſiue regulares, ſiue ſæculares, quomodocunque exempti, tam ordinarij, quam extraordinarij ad confeſſiones monialium, etiam regularibus ſubiectarum audiendas deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei reputentur, & approbationem obtineant, & in declarationibus huius conſtitutionis *quæſit.* 8. reſpõdet *S. C.* regulares ſimpliciter approbatos ad cõfeſſiones ſæculariũ non cenſeri approbatos ad confeſſiones monialium ſibi ſubiectarum, ſed indigere ſpeciali licentia, & idem defendunt aliqui mox citandi.

Quæres ſecundo. Num Moniales poſſint tempore iubilei ampliſſimi, in confeſſariũ eligere approbatum ab Epiſcopo, quamuis non fuerit in particulari deputatus ab ordinario ad excipiendas ipſarum monialiũ confeſſiones. Reſpondẽt affirmatiuè nouiſſime *Boſſius de triplici iubileo ſec. 3. caſ. 5. nu. 3. Bordonus in ſuis miſcellaneis quinque centum dubiorum deciſ. 21. numer. 7. ver. Quarta pars. Amicus diſp. cit. ſec. 8. n. 157. & ſeq.* & hanc opinionem probabilem exiſtimat *Bonacina de ſacramentis diſput. 5. quæſt. 7. punc. 4. §. 1. num. 22. in fine. Peyrinus in priuileg. minim. tom 3. in additam. cap. 4. ſuper conſt. Leon. X. n. 4.* qui citat *Molfeſiũ tom. 2. ſumma tract. 7. c. 16. num. 28. 29.* & ratio eſt, quia per iubileum ampliſſimũ abrogantur omnia priuilegia, & ſtatuta, contradicentia ipſi iubileo, vt ſupra vidimus. 2

Cæterum oppoſitam ſententiam tuetur *Alphonſus de Leone de iub. par. 2. quæſt. 9. num. 25. Pollachius in Bullam Urb. 8. ſec. 41. num. 8. Ioannes Suarez in Enchiridiõ caſuum lib. 5. ver. Indul. §. Tempore iubilei. Pellizzarius de Monialib. quæſito 3. n. 20. Ceſpedes de exempt. Reg. dub. 349. n. 5. S. Paulo lib. 4. de Iub. quæſt.* 78. qui volunt talem confeſſarium etiam tempore iubilei, debere eſſe ſpecialiter examinatum, & approbatum pro monialibus, id autem, quod dixit Boſſius, ipſe intelligit pro foro conſcientiæ, quam foro externo Epiſcopi id non permittunt. pro determinatione autem eſt conſiderandum, an iubileum etiam ampliſſimũ poſſit monialibus ſuffragari, quoad electionem cõfeſſarij, ſtante declaratione prædicta, per quam ſtatuitur confeſſarios generaliter approbatos non cenſeri approbatos pro monialibus, nam iubileum ſolum dat iuriſdictionem ſupponens approbationem, quam non dat. 3

Cenſet idem *Peyrinus l. a.* tempore iubilei poſſe moniales confiteri ſacerdoti approbato à prælato ſuæ religionis, licet non ſit approbatus ab Epiſcopo, ſi confeſſarius ſit regularis, & ſi ſit ſæcularis ab Epiſcopo: & hoc ſiue moniales ſint ſubiectæ Epiſcopo; ſiue Prælato regulari. mouetur ex ampliſſima forma iubilei, in quo non excluduntur moniales. 4

Mihi autem videtur dicendum in hac re eſſe ſpectandam formam iubilei, nam ſi facultas eligendi cõfeſſarium verbis ipſius diplomatis extendatur etiam ad monia- 5

les; tunc cenſeo eſſe idem aſſerendũ, quod ſupra diximus de approbatione confeſſarij facta à proprio Prælato religioſorum: videlicet ſacerdotem approbatum à Prælato regulari eligi poſſe à regulari eiuſdem ordinis. ex hoc autem capite nos non negamus talem confeſſarium eſſe aptum, ſed ex eo quod putamus confeſſarium idoneum etiam tempore iubilei pro monialibus eſſe debere ſpecialiter approbatum, ſtante decreto Pont. ſuperius relato; ſi vero in verbis diplomatis non ſunt comprehenſæ moniales, tunc ſeruari debet Bulla Gregorij, & declaratio Sacræ congregationis.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De abſolutione à caſibus, & cenſuris reſeruatis.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt ſumens iubileum abſolui à peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis in bulla cœnæ, hæreſi excepta.*
2 *Probabile eſt ſi Pontifex non exciperet crimen hæreſis, priuilegium quoad abſolutionem extendi etiam ad ipſam hæreſim.*
3 *Contrariam opinionem ſuſtinent alij.*
4 *Vtraque opinio ut probabilis ab auctore recipitur, quibuſdam poſitis limitationibus remiſſiue.*
5 *Lapſus in hæreſim cum ignorantia cenſuræ, non eſt reſeruatus, unde à Confeſſario ordinario abſolui poteſt.*
6 *Hæreſis occulta, nequit abſolui vi iubilei, etiam ſi per dictũ iubileum excipiatur crimen hæreſis nihil aliud addendo.*
7 *Probabilius eſt ſi conceditur facultas ad caſus tantum reſeruatos Pontifici, extẽdi etiam facultatẽ ad caſus Epiſcopales.*
8 *Facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis extenditur ad caſum reſeruatum poſt promulgationem iubilei, ante eius conſecutionem.*
9 *Per iubileum nulla irregularitas tolli poteſt.*
10 *Qui ſub ſpe lucrãdi iubileum liberius peccat, hoc non obſtante, poterit abſolui vi eiuſdem iubilei.*
11 *Poteſt vi iubilei iterum atque iterum quis abſolui à reſeruatis, ante elapſum tempus iubilei, & ante eius conſecutionẽ.*
12 *Abſolutio à cenſuris vi iubilei poteſt dari extra Sacramentum pœnitentiæ.*
13 *Oppoſitum docent alij.*
14 *Sed Auctor primæ ſententiæ adhæret, non obſtante clauſula (auditis confeſſionibus) licet oppoſitum ſit tutius, ideoque in praxi tenendum.*
15 *In iubileo in quo non conceditur explicitè facultas abſoluendi à reſeruatis intelligitur implicitè conceſſa.*
16 *Vi indulgẽtia conceſſa alicui eccleſiæ particulari, Confraternitati, &c. etiam ſi annexam habeat clauſulam, (per modũ iubilei) nemo poteſt abſolui à reſeruatis.*
17 *Peccata oblita reſeruata, & nõ manifeſtata in confeſſione, poſſunt abſolui à Cõfeſſario ordinario, poſt iubileum, ſi pœnitens iubileum acquiſiuerit.*
18 *Tenetur pœnitens peccata oblita, aperire confeſſario approbato, vt directè remittantur, non autem tenetur ei cenſuras manifeſtare.*
19 *Inſtantia in contrarium ſoluitur.*
20 *Reſeruatio cẽſuræ oblitæ, nõ tollitur quãdo vnam tantum pœnitẽs manifeſtauit confeſſario cenſuram.*
21 *Poſt abſolutionem obtentam ſi non præſtitit cætera opera iniuncta, non redit reſeruatio.*
22 *Omittens culpabiliter opera iniuncta ſecundum aliquos non peccat ſaltem grauiter.*
23 *Alij vero grauiter peccare putant.*
24 *Auctor primæ opinioni adhæret.*
25 *Si quis tempore iubilei, faſſus non ſit, quia non habebat conſcientiam peccati mortalis, ſi poſt obtentum, & elapſum iubileũ, recordetur alicuius peccati reſeruati, probabile eſt non manere amplius reſeruationem.*
26 *Contrarium ſuſtinent alij.*
27 *Per confeſſionem inualidam cum animo præſtandi reliqua opera iniuncta, ſecũdum aliquos tollitur reſeruatio.*
28 *Oppoſitum communiter docent alij.*
29 *Mediam ſententiam tenet Boſſius, quæ placet auctori.*
30 *Inſtantia contraria proponitur.*
31 *Soluitur.*
32 *Proponitur aliud argumentum.*
33 *Diluitur.*
34 *Per confeſſionem validam, ſed informem tollitur reſeruatio.*
35 *Si quis ob defectum confeſſarij non abſoluitur à reſeruatis, ſi præſtitit alia opera iniuncta, etiam elapſo tempore iubilei, poteſt à quocũque Confeſſario approbato abſolui.*
36 *Qui inculpabiliter non habuit copiam confeſſarij, ſed contritus, præſtat reliqua iniuncta, tranſacto iubileo, poteſt abſolui à quocunque approbato confeſſario.*
37 *Virtute iubilei poterit abſolui à reſeruatis die dominico ſecundæ hebdomadæ ſi antea iubileum non ſit lucratus.*

Qveres primo an virtute iubilei poſſit pœnitens abſolui à quibuſcũque peccatis, & cenſuris, tũ ordinariò [illegible], tum Summo Pon- 1

Digitized by Google

Pontificireſeruatis, etiamſi ſint in Bulla Cœnæ, hæreſi excepta? Reſpondeo affirmatiuè, patet ex ipſo diplomate, in quo ampla conceditur facultas abſoluendi: & ſit expreſſa mentio de cenſuris reſeruatis in Bulla Cœnæ: excipitur tamen hæreſis, quæ debet intelligi, quando eſt deducta ad actum externum, etiamſi ſit occulta: nam hæreſis tantum interna non habet annexā cenſuram, neque eſt reſeruata, vt eſt cōmunis omnium opinio.

2 Quæres ſecundo. Vtrum ſi Pontifex explicitè non exciperet crimen hæreſis, & concederet facultatem abſoluendi à quibuſcunque peccatis, & cenſuris reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ, & nullam apponeret limitationem, poſſit pœnitens abſolui ab hæreſi vi iubilei? Reſpondeo probabile eſſe, virtute talis iubilei poſſe pœnitentem abſolui à peccato hæreſis. ita *Fagundez tract. 2. l. 8. c. 8. num. 38. Molfeſ. in sūm. tract. 7. c. 21. num 62. Peyrinus de Priuil. mini. tom. 1. conſtit. 4. Sixti 4. §. 5. num. 20. Farinac. de hæreſi quæſt. 192. num. 63. Polachius tract. de iub. sec. 42. num. 61. Vega in ſumm tom. 2. cap. 7. caſ. 5.* & quamplures, quos citat, & nouiſſimè ſequitur *Boſſius sec. 1. caſ. 7. 8. num. 3.*

3 Contrariam opinionem ſequuntur quāplurimi. *Suarez de cenſ. d. 7. sec. 6. num. 22. Henriq. lib. 6. c. 16 num. 2. & alibi. Sanchez in ſumm. c. 12. num. 10. Barboſa de poteſt. Epiſ. alleg. 40. num. 31. Bonac. de cenſuris d. 1. quæſt. 3. punc. 1. nu. 13,* quibus ſubſcribit *Paſqualigus quæſt. 227. num. 5.* & alij apud ipſum, quorum fundamentum eſt in generali conceſſione non venire ea, quæ ſuperior veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus. *Reg. in generali, de reg. iur. in 6.* at crimen hæreſis cū habeat ſpecialē grauitatem ſupra reliqua, quando de illo non ſit mentio explicita, nō cenſetur venire ſub facultate abſoluendi à cenſuris contentis in Bulla Cœnæ: & ita aiunt declaraſſe *Greg. 13. &* habere ſtylum Curiæ.

4 Vtraque opinio eſt probabilis, & licet ſecunda ſit tutior, tamen primam recepimus in explicatione Bullæ Cruciatæ *par. 2. tract. 6. cap. 2. sec 3. num. 29.* & nunc etiā vt ſufficienter probabilem admittimus, cū illis tamen limitationibus ibi expreſſis.

5 Quæres tertio. Si quis labatur in hæreſim externā & etiam publicam, ſed ignoret cenſuram hæreſi annexam, an poſſit abſolui per iubileum. Reſpondeo abſolui poſſe non ſolum virtute iubilei, ſed etiam à quocumque confeſſario habente facultatem abſoluendi à mortalibus. ratio eſt, quia peccata Pontifici reſeruantur ratione cenſuræ, ita ut, ſi quis ob ignorantiam excuſetur ab incurſione cenſuræ, illud peccatum non erit Pontifici reſeruatum. idem dico de alijs criminibus reſeruatis in Bulla Cœnæ, & de alijs caſibus Papalibus. *Sanchez in ſum. lib. 2. cap. 8. num. 5. in fine.* & idem dicere debent omnes, qui censēt ignorantiam cenſuræ excuſare hominem ab incurſione eiuſdem cenſuræ, & peccata reſeruata Pontifici eſſe reſeruata ratione cenſuræ. nos ita ſuſtinuimus *in explic. Bul. Cruc. tract. cit. cap. 1. sec. 3. num. 17.*

Quæres quarto. An quando hæreſis eſt 6
occulta, poſſit ſumens iubileum abſolui virtute illius, etiamſi crimen hæreſis excipiatur, nihil aliud in exceptione addendo. Reſpondet abſolui poſſe, *Boſſius de triplici iubileo sec. 1. caſ. 9. & adiuncto caſu 10.* hanc quoque ſententiam probabilem exiſtimat *Suarez de cenſuris d. 7. sec. 5. num. 12.* ſed res eſt valde dubia: idcirco exiſtimo in praxi hanc opinionem non eſſe ſequendam. *hoc tuetur Suarez l. c. Vaſq. de excom. dub. 19.* & multi apud *S. Fausto l. 4. qu. 105.* & idē aſſerit *Paſqualigus qu. 128.*

Quæres quinto. Si Pontifex in diplomate 7
iubilei det facultatem abſoluendi tantùm à cenſuris ſibi reſeruatis; an quilibet confeſſarius electus poſſit etiā abſoluere à caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſeruatis. Reſpondeo longè probabilius eſſe, quod poſſit etiam à caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſeruatis virtute iubilei pœnitentem abſoluere. *Suarez tom. 5. in 3. p. d. 7. sec. 5. n. 14. Altarius tom. 1. de cenſ. lib. 4. d. 4. cap. 2. dub. 2. Layman lib. 1. tract. 5. c. 7. nu. 2. Barboſa de poteſt. Epiſ. par. 3. alleg. 52. de Leone de iubil. par. 2. num. 34. S. Fausto l. 4. quæſt. 100. Boſſius de iub. sect. 1. caſ. 3. n. 4.* & alij apud ipſos. oppoſitum tenet *Bonacina de cenſuris d. 1. qu. 3. punc. 1. num. 10.* & quidam alij. ratio pro noſtra concluſione deſumitur ex praxi quotidiana, ſecundum quam videmus tempore iubilei pœnitentes, qui volunt illud lucrari, abſolui à confeſſarijs ab omnibus caſibus epiſcopalibus. Rurſus deſumitur etiam ex fine, quem habet Pontifex concedens has indulgentias, vt fideles ſe facilius diſponant ad pleniſſimam illam indulgentiam lucrandam: quod maxime fit mediante abſolutione ab omnibus reſeruatis etiam ipſi Pontifici.

Quæres ſexto ſi cōtigat poſt publicatio- 8
nem reſeruari aliquem caſum ab Epiſcopo, qui ante publicationem non erat reſeruatus, an facultas illa, quæ datur per iubileū extēdatur ad caſum reſeruatum poſt publicationem? Reſpondeo affirmatiuè, quia Epiſcopus nequit reſtringere poteſtatē cōceſsā à Pōtifice. *Boſſius l. c. Alphonſ. de Leone p. 2. num. 35. S. Fausto lib. 4. de iubileo quæſt. 145. Henriq. Cordubæ, Nauar. Coriol. apud ipſum.*

9 Quæres ſeptimo An ſit probabile poſſe virtute iubilei auferri irregularitatem cõtractã ratione ſolius delicti? Reſpõdeo eſſe probabile. ita *Bartholomeus Medina in p. 2. queſt. 99. art. 4. Bañes de iuſt. queſt. 64. art. 8. Ledeſma in ſumma de cenſ. cap. 11. Vega in ſpeculo curati c. 12. caſ. 2. 7. 8. Corduba de indul. queſt. 43. art. 4. Salonius de iuſt. queſt. 64. art. 8. Arago ibi Rodriq. in Bullam cruciatæ* §. 9 *num. 63. Boſſius ſec. 1. caſ. 11. & alij* quorum fundamentum eſt, quia talis irregularitas, quæ eſt ſolum ratione delicti, & non ratione defectus, ſe habet, vt cenſura: quod etiam videtur docere *Sanchez lib. 9. de matr. d. 32. num.* 21. Cæterum oppoſita ſententia negatiua eſt communior, & probabilior, & in praxi tenenda. Authores illam tuentes refert idem *Boſſius l. c. num. 2. & Paſqual. queſt.* 272. quibus ipſe aſſentitur. & hæc eſt amplectenda, nam irregularitas ex delicto, licet quamdam ſimilitudinem cenſuræ videatur habere, re vera non eſt cenſura, vt ipſemet probaui *in explic. Cruc. par. 2. tract. 6. cap. 7. ſec. 4.*

10 Quæres octauo. An qui ſub ſpe lucrandi abſolutionem à peccatis reſeruatis virtute iubilei occaſionem ſumit liberius committendi talia peccata, ſi poſtea eum pœniteat, poſſit per facultatem in iubileo conceſſam obtinere abſolutionem? Reſpondeo affirmatiuè ita *Nauar. de iubil. notab. 34. nu. 6. Rodriq. in bull.* §. 9. *num.* 97. *Sanchez lib. 4. ſum. c. 54. num* 18. *Villluc. tract. 8. num.* 262. *Bonac. in præcepta d. 4. queſt. 2. punc. 7.* §. 3. *num.* 12. *Paſqual. queſt.* 234. *num.* 3. & alij apud ipſos; ratio eſt, quia, cum facultas conceſſa non habeat talem limitationem, non debet à nobis reſtringi, quamuis oppoſitum cenſeant *Couar. l. 2. var. reſol. c. 20. num.* 15. & alij, quos citat *Henriquez l. 7. cap. 9. num. 4. lit. N. in comment.*

11 Quæres nono. Si quis virtute iubilei abſolutionem à reſeruatis obtinuit, & poſtea antequam iubileum acquiſierit in alia reſeruata labatur, vtrum poſſit iterum abſolui, & ſic iterum, toties quoties, antequã vltimum opus præſtiterit, & iubileum lucratus fuerit. Reſpondeo iterũ atque iterũ abſolui poſſe intra tamẽ tẽpus iubilei, & antequam illud lucretur; ratio eſt quia Põtifex in iubileo non limitat hanc facultatẽ ad vnum actum, ſed cum indefinite loquatur, intelligi debet toties, quoties ante obtentum iubileum intra eamdem hebdomadam. ita *Sanchez. l. 4. ſum. c. 54. num. 26. 28. Henriq. lib. 7. de pœnit. c. 17. num. 3. Santarel. de iubil. cap. 8. dub. 6. Boſſius ſec. 1. caſ. 15. Paſqual. queſt. 236. num. 2.* & alij. Et ſi in contrarium obijcias clauſulam apponi ſolitam in iubileo, nempe pro hac vice, & ſermonem ſemel prolatum intelligi pro prima vice *l. Boues* §. *hoc ſermone ff de verb. ſignif.* Reſpõdeo hoc iuris principium multiplicem admittit exceptionem, vt dicunt communiter Doctores, & præſertim *Tiraquel. in eam leg.* Sed eo admiſſo, aio clauſulam referri ad finem principalem nempe ad conſecutionem indulgentiæ, non autem ad actus medios, qui ſunt diſpoſitiones ad illã. Qui vero lucratus fuit iubileum, & intra eandem hebdomadam labitur in peccata reſeruata, ſi præſtitit opera iniuncta, & die Sabbati cõmunicauit, ita vt vltimũ opus ſit ieiuniũ, quod conſumatur media nocte, ſi tranſacta media nocte committat aliquod peccatum reſeruatum nequit die Dominico iterum confiteri ad obtinendam abſolutionem illius reſeruati virtute iubilei. ita *Boſſius, & Santarell. ll. cc.* quamuis affirmatiuam partem tueatur *Leo par. 2. de iub. num.* 170. ratio eſt, quia intentio Pontificis concedendo has facultates eſt in ordine ad lucrandum iubileum, quo obtento ceſſant priuilegia conceſſa per iubileum acquiſitum per opera præſtita in illa hebdomada. an vero repetitis operibus iniunctis poſſit vnuſquiſque in ſecunda hebdomada lucrari iterum iubileum, infra dicemus.

Quæres decimo. Vtrum abſolutio à quibuſcunque cenſuris virtute iubilei impendi poſſit extra ſacramentum pœnitentiæ, quãdo in diplomate facultas datur in foro cõſcientiæ, vel nulla reſtrictio apponitur. Reſpondeo conferri poſſe extra confeſſionem; eſt fere communis opinio, quia ſi nulla ponitur reſtrictio, non eſt à nobis apponenda, cum ex ſua natura abſolutio à cenſuris ſit diuerſa, & ſeparabilis ab abſolutione ſacramentali. idem eſt dicendũ, quando datur in foro conſcientiæ, quia forum conſcientiæ eſt diſtinctum non ſolum à foro externo, verum etiam à foro pœnitentiæ, ſeu ſacramentali. ita docet *Sanchez lib. 8. de matr. d. 34. num.* 29. quamuis ibi loquatur in communi, & non de priuilegio iubilei *l. 2. ſum. c. 11. num. 13. S. Fauſto l. 4. queſt.* 114. *Alphonſus de Leone de iub. p. 2. num. 56. Boſſius ſec. 1. caſ.* 24. & alij apud ipſos. 12

Oppoſitum docet *Santarellus cap. 8. dub.* 8. & alij citati *à S. Fauſto* dicunt hãc abſolutionem dandam eſſe in ſacramento pœnitentiæ; quia in diplomate, cum datur prædicta facultas dicitur (*auditis confeſſionibus*.) 13

Reſpondeo tali clauſula non obſtante probabile eſſe etiam abſolutionem à cenſuris dari poſſe extra ſacramentum pœnitẽtiæ, quia illud ablatiuum abſolutum (*auditis confeſſionibus*) probabiliter refertur 14

ad

Digitized by Google

ad peccata, & non ad reliqua, quæ continentur in eadem clauſula, cum non ſit eadem horum omnium ratio: nam abſolutio à peccatis eſt diuerſa ab abſolutione a cenſuris, cum illa naceſſario ſit ſacramentalis, non autem iſta. *Sanchez ll. cc. & lib. 8 de matr. d. 16. num. 11. Alphonſus de Leone l. c. num. 57.* & quidam alij loquentes in communi de reſcriptis per quæ conceduntur ſimiles facultates. at oppoſitum eſt conſulendum, & in praxi tenendum, quia eſt tutius, quod ſequuntur multi laudati à *Boſſio*, quos etiam ipſe ſequitur.

15 Quæres vndecimo. An Quando conceditur à Pontifice iubileum, & in diplomate non exprimitur facultas abſoluẽdi à caſibus, & cenſuris reſeruatis; cenſeatur collata talis facultas. Reſpondeo probabile eſſe conferri prædictam facultatem, & intelligi implicitè incluſam in illa particula (*iubileum*) *Coriolanus de caſ. reſ. par. 1. ſec. 3. art. 15. Boſſius ſec. 1. caſ. 16. num. 2.* Fundant hi authores hanc opinionem in eo, quod iubileum ſecernitur ab indulgentia plena, ſeu pleniſſima penes hoc quod iubileum præter indulgentiam illam addat facultatem abſoluendi à reſeruatis, commutandi vota, &c. proinde cum indulgentijs additur particula hæc (*per modum iubilei*) vel abſolute dicitur (*iubileum*) ſtatim cenſeri debet conceſſa prædicta facultas. at appoſitum tuetur *Suarez de cenſ. d. 7. ſec. 5. num. 9. Duardus in Bull. cœnæ apud Boſſium* negant enim in voce illa (*iubileum*) ſeu (*per modum iubilei*) includi facultatem prædictam, quamuis cum iubileo facultas illa concedi ſoleat. hæc opinio eſt longè probabilior.

16 Quæres duodecimo. An fideles, ſi indulgentiæ conceſſæ ſint alicui eccleſiæ particulari, vel confraternitati, vel alicui Religioni, & annexam habeant hanc particulam *per modum iubilei* poſſint vi talis indulgentiæ obtinere abſolutionem à reſeruatis Reſpondeo nõ poſſe, vt optime notat *Coriol. & Boſſius ll. cc.* quia ſolum hoc locum habet in iubileo vniuerſali.

17 Quæres decimo tertio. ſi quis virtute iubilei abſolutionem obtinuit à confeſſario, & præſtando reliqua opera iniuncta lucratus eſt iubileum, & tranſacto illo recordatus eſt nonnulla peccata reſeruata, quorũ oblitus fuerat, An poſſit abſolui à quocũque confeſſario approbato, Reſpondeo peccata illa non manent amplius reſeruata; & ideo abſolui poſſe à quocumque confeſſario approbato. eſt communis opinio, nam per illam confeſſionem factam virtute iubilei omnis reſeruatio fuit ablata, & peccata illa oblita remanſerunt non reſeruata. *Henriq. l. 7. cap. 11. num. 4. Sanchez in ſumma l. 2. c. 12. num. 9. & l. 8. de matr. d. 15. num. 21. Suarez de cenſ. d. 7. ſec. 5. à nu. 16. Say. l. 2. theſ. c. 20. num. 35. & l. 7. c. 14. num. 8. 9. Rodriq. in ſum. par. 1. cap. 184. num 15. Boſſius ſec. 1. caſ. 29. Pellizzarius in manuali Reg. tract. 6. cap. 2. ſec. 2. num. 71.* & quampluires alij apud ipſum.

18 Quęres decimoquarto. An tranſacto iubileo ſiſtendo in caſu à nobis poſito numero præcedente, ille, qui oblitus eſt peccata reſeruata, teneatur illa confeſſario habẽti iuriſdictionẽ circa mortalia ſacramentaliter aperire, vt ab illis directe abſoluatur. Reſpondeo ita eſſe, nam fuerunt ſolũ indirecte abſoluta. at quoad cenſuras etiã reſeruatas non indiget noua abſolutione, quia vi illius generalis abſolutionis fuerũt directe abſolutæ. *Boſſius l. c.* & apud ipſũ *Suarez, & Alterius de cenſuris*. diſparitas inter cenſuras, & peccata eſt, quia iure diuino tenemur omnia peccata integrè confiteri, at non tenemur iure diuino cẽſuras in confeſſione manifeſtare, vt tollãtur: & in tantum manifeſtantur in quantũ debent auferri. cum autem vi illius abſolutionis fuerint ablatæ, idcircò non opus eſt alia abſolutione in ordine ad ipſas cenſuras.

19 Sed inſtabis ſi quis obliuiſcitur alicuius peccati reſeruati tranſacto iubileo non obligatur tale peccatum cõfiteri Sacerdoti habenti poteſtatem ſuper reſeruata, ſed poteſt illud confiteri cuicunque ſacerdoti iuriſdictionem habenti ſuper mortalia non reſeruata, vt diximus; igitur à pari ſi quis oblitus fuerit aliquod peccatum mortale non reſeruatum, ſi confeſſus fuit tempore iubilei, & præſtitit omnia opera iniuncta, & iubileum obtinuit, poterit tranſacto tẽpore eiuſdem iubilei, peccatum illud oblitum confiteri cuicunque ſimplici Sacerdoti habenti iuriſdictionem ſolùm circa venialia; Caſum proponit *Amicus ſec. 9. n. 175.* & refert tacito tamen nomine quoſdam doctos Recentiores negantes teneri pœnitentem aperire peccatum illud confeſſario habenti iuriſdictionem in mortalia.

Sed ipſe reijcit, & merito hanc opinionem, quia vt *Tridentinum* teſtatur *ſeſ. 14. cap. 5.* ſub diuino præcepto fideles tenentur omnia peccata mortalia commiſſa poſt baptiſmum directè ſubijcere clauibus Eccleſiæ, vt virtute earumdem clauium peccata ipſa directè remittantur, at peccatũ illud oblitum neque fuit directè remiſſum, neque clauibus ſubiectum; vt autem directè deleatur debet aperiri legitimo Iudici, qui in hac re eſt Sacerdos approbatus, & qui iuriſdictionem habet in peccata mortalia, talis enim non eſt ſimplex Sacerdos. cæterum in reſeruatione res non ita ſe habet;

bet, nam reſeruatio non eſt de iure diuino, ſed ſolùm de iure poſitiuo eccleſiaſtico, & intentio Pontificis, quando per iubileum concedit facultatem confeſſario electo abſoluendi à reſeruatis, eſt vt tollatur reſeruatio, & qui iubileum conſequitur non ſolũ maneat liber à reſeruatione quoad peccata manifeſtata in confeſſione, verum etiã à reſeruatione quoad peccata oblita; proinde non indiget pœnitens ſubijcere peccatum illud oblitum ſacerdoti, qui iuriſdictionem habet in reſeruata, cum reſeruatio fuerit extincta, ſed ſatis eſt vt ſacerdoti, in quo eſt iuriſdictio in mortalia peccatum illud aperiat, vt præceptum diuinum ſeruetur: legatur Amicus, qui multis argumẽtis hanc veritatẽ ſolide probat.

20 Quæres decimo quinto Si quis oblitus aliarum cenſurarum, & recordatus ſolum vnius cenſuræ de ea petat abſolutionem, & de ea ſolum abſoluatur, an remaneat liber à reliquis? Reſpõdeo nõ manere liberũ, & ideo quando de illis poſtea recordabitur, tenebitur de illis abſolutionem petere. at ſi confeſſarius intentionem habuerit abſoluẽdi pœnitentem illum non ſolum ab illa vnica tantum cenſura, quam pœnitens manifeſtauit, verum etiam ab omnibus; tunc pœnitens ab omnibus liber manebit. *Boſſius caſu* 28. *num* 7. ordinariè autem præſumitur confeſſarium intentionem habere, & præſertim tempore iubilei abſoluendi generaliter ab omni cenſura, qua pœnitens eſt innodatus ita *Boſſius l.c.n.*10.

21 Quæres decimo ſexto. An reſeruatio redeat in eum, qui abſolutus validè à reſeruatis virtute iubilei poſtea nõ præſtat alia opera iniũcta v.g. nõ communicat, vel die ſabathi non ieiunat. Reſpondeo non redire, & ideo peccata, quæ prius ante abſolutionem erant reſeruata, & cenſuræ, à quibus fuit abſolutus, remanebunt ablata. *Sanchez in ſumma l.* 4. *cap.* 54. *num.* 44. *l.* 8. *de matr. d.* 15. *num.* 20. *Layman. lib.* 5. *tr.* 7. *c.* 8. *num.* 9. *Suarez. tom.* 4. *in.* 3. *p. d.* 31. *ſec.* 4. *num.* 5. *& de cenſ. d.* 7. *ſec.* 5. *à num* 31. *Boſſius ſec.* 1. *caſu* 31. *num.* 4. & quamplures cõtra *Angles in floribus par.* 1. *de confeſ. quæſt.* 3. *art.* 5. *diff.* 4. *Alteriũ de cenſuris l.* 4. *d.* 4. *c.* 4. *dub.* 2. & paucos alios cenſentes redire reſeruationem. ſed non ſunt audiendi, quia licet abſolutio detur in ordine ad lucrandum iubileum; tamen datur ſimpliciter, & non ſub hac cõditione futuri euentus, tum quia abſolutio à peccatis nequit dari ad reincidentiam, tum etiam, quia licet abſolutio à cenſuris ad reincidentiam conferri queat; tamen cum in diplomate id non habeatur, non datur ſub hac conditione, ſed abſolutè: proinde ſi pœnitens tempore abſolutionis ſinceram habebat intentionem lucrandi iubileum, & præſtandi omnia opera iniuncta per diploma, quamuis poſtea mutans voluntatem culpabiliter opera illa non præſtiterit; nihilominus liber, & abſolutus remanebit à peccatis, & cenſuris.

22 Quæres decimo ſeptimo: An omittens culpabiliter opera iniuncta ad lucrandum iubileum poſt obtentam abſolutionẽ grauiter peccet. Reſpondeo eſt probabile grauiter non peccare ita *Sanchez lib.* 1. *de matr. d.* 43. *num.* 9. *lib.* 8. *d.* 15. *num.* 24. *in ſumma lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 54. *Henriq. lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 6. *Emmanuel Sà V. abſolutio num.* 19. *Portell. in dub. reg. V. indul. num.* 20. *Santarell. de iub. cap.* 12. *dub.* 8. *Bonac. de ſacr. d.* 5. *quæſt.* 7. *pũc.* 5. *num.* 7. *Boſſius ſec.* 1. *caſ.* 33. *Caſtropalaus de indulg. & iubil. tract.* 25. *diſput. unica punc.* 8. *num.* 13. ratio eſt quia ex nullo capite apparet talis obligatio ſub mortali, neque in abſolutione illa includitur pactum virtuale, & implicitum præſtandi opera iniuncta per diploma; quamuis illa abſolutio detur in ordine ad lucrãdum iubileum in bonum ipſius pœnitẽtis.

23 Oppoſitam ſententiam, quæ aſſerit eſſe graue peccatum omittere opera iniuncta, defendit *Suar. tom.* 4. *in* 3. *p. diſput.* 32. *ſec.* 4. *num.* 5. *& tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *ca.* 19. *num.* 11. *Vaſquez de pœnit. quæſt.* 91. *art.* 3. *dub.* 6. *num.* 7. *Fillincius tr.* 26. *num.* 302. *Nuñus in addit. ad* 3. *p. quæſt.* 9. *art.* 2. *dub.* 4. *Paſqualig. quæſt.* 246. *n.* 3. *Stephanus à S. Gregorio de diuina pietatis vinculis lib.* 3. *cap.* 64. *num.* 12. *& alij.* ducuntur ad id aſſerendum, quia putant in abſolutione illa contineri virtuale pactũ ad præſtanda reliqua opera.

24 Sed oppoſitũ tenẽdũ eſt quãuis hæc vltima ſẽtẽtia ſit probabilis, quia dũ nõ cõſtat de tali pacto, melior eſt cõditio pœnitẽtis, qui ſuã libertatẽ poſſidet; proinde ſi cum recta intentione abſolutionẽ à reſeruatis, aut votorum commutationem obtinuit, ſi poſtea mutando voluntatem non præſtitit opera, & iubileum non lucratus fuit, non videtur grauiter peccare.

25 Quæres decimo octauo. ſi quis tempore iubilei non habens conſcientiam peccati mortalis nullam præmiſerit confeſſionem ſacramentalem, appoſuerit tamen reliqua opera, & lucratus fuerit iubileum ſecundũ opinionem probabilem, tranſacto tempore iubilei ſi recordetur de aliquo peccato reſeruato, cuius eo tẽpore memoriã minime habuit; an tale peccatum remaneat reſeruatum. Reſpondeo valdè probabile eſſe non manere reſeruatum. *Sanchez l.* 8. *de matr. d.* 15 *num.* 19. *l.* 4 *ſumme c.* 54. *num.* 41. *Santarel de iubileo cap.* 13. *dub.* 2. *Boſſius, ſec.* 1. *caſ.* 30. & videtur id teno-

re

re *Portell. in dub. reg. V. indulg. num. 7. Paſqual. quæſt. 243. num. 3. Pellizzarius ſect. cit. n. 72.* ratio eſt, quia ſemel, ac pœnitens iubileum lucratus eſt, acquiſiuit ius, vt poſſit abſolui à reſeruatis à quocũque Confeſſario approbato, nam licet opera iniuncta per diploma ſint tempori iubilei alligata; tamen priuilegium circa abſolutionem à reſeruatis quoad ſuum effectum non eſt tempori affixum.

26 Oppoſitum ſuſtinet *Henriq. lib. 6. cap. 16. num. 6. Floronus de caſ. reſer. par. 1. c. 6. §. 6. num. 3. S. Fauſto lib. 4. de iubil. quæſt. 127. & alij* fundamentũ huius opinionis eſt quia iubileum non aufert reſeruationem niſi per abſolutionem, quam in hoc caſu ſupponimus datam non fuiſſe. Sed facilè ſoluitur, quia licet iubileum non tollat reſeruationem niſi per abſolutionẽ; tamen ſine abſolutione dat facultatem ei, qui ipſum iubileum obtinet, eligendi quẽcunque confeſſarium approbatum, vt ab illo poſſit abſolui à reſeruatis: & talis facultas quamuis in acquiſitione ſit tempori alligata, non eſt tamen quoad effectum.

27 Quæres decimo nono. An tempore iubilei per confeſſionem inualidam, tollatur reſeruatio? Reſpondet *Henriquez lib. 6. c. 16. §. 5. & lib. 7. cap. 11. §. 4.* ablatam eſſe reſeruationem, ſi ille animum habuerit lucrandi iubileum, & exequendi opera iniuncta: proinde tranſacto iubileo poſſe de his peccatis abſolui à quocumque confeſſario habente communem iuriſdictionẽ, pro hac opinione *Boſſius ſec. 1. caſ. 34. nu. 4.* laudat *Cæſarem Bottonum in obſeruationibus circa Bullam Sixti V. ver. Conſcientia ſua, & Thomam Vadinum de iubil.* ita etiam ſentit *Ludouicus à Cruce in expoſitione Bullæ cruciatæ diſp. 1. cap. 3. dub. 12. num. 4. Coninck diſp. 8. de pœnit. dub. 12. num. 92. Comitol. lib. 1. reſponſ. moral. quæſt. 30. num. 2. Paſqualigus qu. 248. num. 4. 6. Pellizzarius vt ſupra*, cũ limitatione, dummodo defectus non ſit circa eiuſdem confeſſionis integritatem, & præſertim circa reſeruata.

28 At contrariam ſententiam communiter tenent Doctores, nempe peccata illa manere adhuc reſeruata, & ideo auferri non poſſe niſi ab eo, qui habet poteſtatem circa reſeruata. *Suarez de pœn. d. 31. ſec. 4. num. 22. 24. Layman l. 5. tract. 7. c. 8. nu. 9. Floronus de caſ. reſer. p. 1. c. 4. §. 9. nu. 3. Filliuccius tract. 8. num. 146.*

29 Cæterum mediam ſententiam tuetur *Boſſius l. c.* concedit enim per confeſſionem illam inualidam cum intentione perficiendi reliqua opera tolli reſeruationem à cenſuris, non autem à peccatis. hæc opinio mihi placet, ducor quia abſolutio à cenſuris non requiritur, vt ſit ſacramentalis, cũ poſſit, etiam virtute iubilei, dari extra ſacramentum pœnitentiæ: & ideo per illam abſolutionem licet ſacramentaliter inualidam, auferri poterant; at abſolutio à peccatis neceſſariò poſtulat abſolutionem ſacramentalem: idcirco cum illa abſolutio ſacramentaliter fuerit nulla, remanet reſeruatio in peccatis. ex quo colligitur, quod peccatorum Pontifici reſeruatorum, cum reſeruentur ratione ſolius cenſuræ, ablata cenſura, ruit reſeruatio; proinde in caſu poſito pœnitens poterit peccata iſta aperire coram confeſſario communem habente iuriſdictionem. ita *Boſſius l. c.* loquẽs uniuerſaliter de peccatis reſeruatis ratione cenſuræ; & defendit *Bonacina* hoc ipſum *d. 5. quæſt. 7. de ſacr. punc. 5. §. 5. n. 9. & Rodriq. in qq. reg. tom. 1. quæſt. 22. art. 9. Vega tom. 1. ſum. c. 44. caſ. 5.*
b. Sed vrgebis in contrarium, probando 30
iuxta hanc Boſſij ſententiam, quam nos recepimus, alterutrum ſecuturum ex his duobus, nempe, vel nihil prodeſſe abſolutionẽ illam à cenſuris, vel caſum moraliter non euenturum, ergo reijcienda eſt ſententia iſta: antecedens eſt probandum, duas cõtinens partes: prima pars probatur, nam confeſſio Titij v. g. volentis lucrari iubileũ, ſaltem quando habet mortalia, eſt neceſſario requiſita in ipſo diplomate: ſi autem ſupponatur inualida, non fierent omnia præſcripta in ipſo iubileo, & ideo Titius inualidè confitens, nequit frui priuilegijs iubilei, & per conſequens neque poterit vi eiuſdem abſolutionem à cenſuris obtinere, quia confeſſarius caret iuriſdictione, nam ſi eam haberet, illam haberet beneficio diplomatis iubilei, per quod conceditur Titio facultas eligendi confeſſarium approbatum, vt ipſum abſoluat à cenſuris, & peccatis reſeruatis, quam poteſtatem aliunde non habet, vt ſupponimus; carens igitur confeſſarius iuriſdictione requiſita, nihil poteſt Titio prodeſſe per abſolutionẽ illam. ſecunda autem pars probatur, nempe quod moraliter nõ eſt euenturus caſus, qui fingi poſſet, vt prædicta abſolutio vtiliter Titio conferatur; probatur, inquam, formando caſum: v. g. ſi Titius voluntatẽ haberet iterum confitendi, & validam efficere confeſſionem, antequam labatur tempus iubilei, & quia abſolutio à cenſuris dari poteſt extra confeſſionem, & per abſolutionem non ſacramentalem, ſequitur validam fuiſſe abſolutionem illam quoad cenſuras, licet inefficax fuerit quoad peccata. iſte eſt caſus, qui excogitari poſſet ad oſtẽdendum vtilem fuiſſe abſolutionem prædictam; ſed caſus iſte moraliter euenire non poteſt, nemo enim ſanę mentis ex aduertentia confitetur inutiliter cum propoſito poſtea confitendi vtiliter, & maximè

Digitized by Google

mè intra breue tempus : igitur vera erit
vtraque antecedentis pars, ſcilicet ex ſen-
tentia Boſſij ſequi, vel inutilem eſſe abſo-
lutionem à cenſuris, vel caſum moraliter
non euenturum.

31 Reſpondeo neutrum ex illis duobus ne-
ceſſario eſſe ſequuturum, nam contingere
poteſt alius caſus magis practicus; ſi Titius
v. g. accedat ad confeſſionem cum animo
ponendi omnia requiſita ad eius valorem,
& inuincibiliter obliuiſcatur elicere dolorẽ;
tunc confeſſio erit inualida, & abſolutio
inefficax quoad peccata, quamuis ſit vali-
da quoad cenſuras, quæ vt dictum eſt, non
indigent abſolutione ſacramentali. vt tol-
lantur; & ſuum effectum ſortiri poſſint,
etiamſi reus non doleat de peccatis, quibus
cenſuræ illæ ſunt annexæ. caſus iſte ob na-
turalem obliuionem, ſeu mentis alienа-
tionem facilè euenire poterit: proinde ad
argumentum, per quod infertur non eſſe
admittendam hanc opinionem, negandum
eſt antecedens, & conſequentia.

32 Cæterum occaſione arrepta ex hac reſ-
ponſione poſtulauit quidam à me, quid di-
cendum, ſi ſtante bona fide, qua Titius pu-
tans validè confiteri, proponat iterum nõ
confiteri in hunc finem lucrandi iubileum,
num valida ſit abſolutio illa à cenſuris. ra-
tio dubitandi eſt, quia propoſitum iterum
non confitendi virtualiter, & implicitè in-
uoluit voluntatem non ponendi confeſſio-
nem, quæ neceſſariò requiritur ad conſe-
quenda priuilegia iubilei, nam ſupponimus
confeſſionem validam, eſſe requiſitam, ex
hypotheſi, quod Titius habeat peccata
mortalia. neque videtur Titius excuſan-
dus ratione bonæ fidei, quia in hac mate-
ria, ſicuti in ſacramentis, bona fides non
eſt ſatis ad valorem, ſi in re non ponantur
eſſentialiter requiſita: & ideo ſi quis v. g.
inuincibiliter putaret ſe eleemoſynam ero-
gaſſe, aut eccleſias deſignatas viſitaſſe, cũ
re vera ita non ſit, non conſequeretur iu-
bileum, & hoc, quia in re non eſſent appo-
ſita opera à Pontifice requiſita, quæ vt for-
ma valoris requiruntur: ſic proponens Ti-
tius omittere iteratam confeſſionem, licet
hoc procedat ex errore, per quem iudicat
validam fuiſſe confeſſionem priorem, verè
dicitur realiter non ponere omnia requiſi-
ta; atque adeo abſolutio illa à cenſuris vi
iubilei non habebit effectum.

33 Reſpondeo argumentum iſtud detinuit
me aliquantulum in æquilibrio, an reuera
ob rationem aſſignatam irrita ſit abſolutio
illa à cenſuris; ſed rem attentè conſiderã-
do, iudicaui validam fuiſſe. ductus ſum ad
hoc aſſerendum, quia ex duplici capite exi-
ſtimari poſſet irrita: vel ex omiſſione ac-
tuali operum iniunctorum, vel ex propoſi-
to omittendi omnia opera, aut vnum ex il-
lis; ſed neutrũ habetur ex his in caſu poſito,
ergo ex nullo capite inualiditas habetur.
probo minorem: non ex primo capite, quia
omiſſio actualis tunc occurrere poteſt,
quando tempus lucrandi eſt ita propè finẽ
ſui lapſus, vt Titius ſit impotens ad ponen-
da opera iniuncta, quòd non accidit in ca-
ſu poſito, nam tempus ſupereſt, vt ſuppo-
nimus; atque adeo ratione temporis Titius
non erit impotens. neque ex ſecundo ca-
pite, nam licet propoſitum illud videatur
tendere in omiſſionem operum: nihilomi-
nus materialiter ad hoc ſe habet, neque
poteſt deſtruere intẽtionem illam priorẽ,
ſecundum quam Titius initio ſiue explicitè,
ſiue implicitè decreuit apponere omnia
opera iniuncta: & ratio eſt quia propoſitũ
non ponẽdi non fertur abſolutè in omiſſio-
nem operum, ſed conditionatè, ex ſuppo-
ſitione, ſecundum quam inuincibiliter pu-
tat eſſe appoſita: proinde cum non ſit cõ-
traria primæ intentioni, non erit efficax ad
illam deſtruendam. fateor tamen quod ſi
duraret credulitas iſta erronea per totum
tempus iubilei, eo elapſo Titius non eſſet
iubileum lucraturus, quia in re haberetur
omiſſio actualis operum requiſitorum, pro
eo tempore, quo vrgeret diſpoſitio facta
à Pontifice ponendi talia opera; attamen
abſolutio prius collata effectũ ſortita fuit,
quia non poteſt remanere ſuſpenſa à futu-
ro euentu. concludo igitur abſolutionem
illam vtilem fuiſſe in caſu dato, & hoc vt
pium, &, ni fallor, probabilius defendo.

Quæres vigeſimo. An per confeſſionem 34
validam, ſed informem, tollatur omnis re-
ſeruatio non ſolum à cenſuris verum etiam
à peccatis. Reſpondeo tolli reſeruationem,
ita *Suarez de pœn. d.* 31. *ſec.* 4. *num.* 22.
Boſſius ſec. 1. *caſ.* 34. *num.* 3. nam confeſ-
ſio informis eſt vera confeſſio, & valida,
neque homo tenetur illam repetere: pro-
inde ex vi illius tollitur omnis reſeruatio.
vide alios authores citatos quæſt. 6. con-
cl. 4.

Quæres vigeſimo primo. ſi quis ex defec- 35
tu confeſſarij non abſoluitur à peccatis, &
cenſuris reſeruatis, quia confeſſarius vere
non eſt approbatus; vel ex malitia, aut
ignorantia non habuit intentionem abſol-
uendi, & pœnitens id ignorans maneat
bona fide, præſtando reliqua opera, & lu-
crando iubileũ (ſupponimus enim habuiſ-
ſe contritionem, vel attritionem coniunc-
tam cum receptione alicuius ſacramenti,
vel euchariſtiæ, quæ ſecundum probabilẽ
opinionem in tali caſu dat primam gratiã
per accidens, vel iterum ſe reconciliando
faſſus eſt ſolum quædam venialia, putans
fuiſſe abſolutum à mortalibus per priorem
confeſſionem, quæ ex defectu confeſſarij
fuit nulla) ſi inquam tranſacto tempore

iu-

Digitized by Google

iubilei talis pœnitens agnoſcat illius confeſſionis nullitatem, an poſſit directè abſolui ab illis peccatis mortalibus à quocũque confeſſario habente iuriſdictionem communem? Reſpondet affirmatiuè *Alphonſus de Leone par. 1. de iub. art. 82. Boſſius ſec. 1. caſu 35. à num. 2.* & apud ipſum *Cæſar Bottonius obſeruat. circa Bullam Sixti V. ver.* [*Et hac vice tantum*] & expreſsè colligitur ex *Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 15. nu. 19.* & ex alijs ſuperius citatis *quæſito 19.* ratio eſt quia obtento iubileo homo ille ius acquiſiuit, vt abſolueretur ab omnibus peccatis, & cenſuris reſeruatis, quibus erat innodatus ante acquiſitũ iubileum, oppoſitũ ſuſtinet *Coriolanus de caſibus reſeruatis par. 1. ſec. 2. art. 18. nu. 8.* & citat pro ſe *Rutilium Benzonium de iubil.*

36 Quæres vigeſimo ſecũdo. An qui tempore iubilei non habet copiam confeſſarij, ſed contritus ſumat euchariſtiam, & præſtet reliqua opera iniuncta in diplomate, tranſacto tempore iubilei, poſſit abſolui à peccatis reſeruatis, quæ habebat ante iubileum, & quæ non confeſſus eſt ab inopiã confeſſarij? Reſpondeo eſſe opinionem, affirmatiuam, quam ego teneo, & docet *Michael Zenardus in directorio par. 1. de ſacr. pœn. quæſt. 21. quæſito 20. Alphõſus de Leone de iub. par. 2. num. 197.* & ratio eſt quia iſte talis lucrans iubileum ius acquiſiuit, vt abſoluatur à reſeruatis, & in hoc caſu iſte talis quantum ad hoc ſe habet ſicuti ille, qui bona fide poſt debitũ examen putans non habere peccatum graue omittit confeſſionem, & ſumit euchariſtiam perficiens reliqua opera impoſita: & ſic ſecundum opinionem probabilem, quã ſupra ſequuti ſumus, lucratur iubileum: eadem inquam eſt ratio de illo, & iſto caſu.

37 Quæres vigeſimo tertio. An virtute iubilei poſſit quis pœnitens confiteri, & abſolui à reſeruatis die dominico ſecundæ hebdomadæ, ſi antea iubileum non ſit lucratus? reſpondeo abſolui poſſe: & hoc, quia dies iſte dominicus ſpectat ad ſecundam hebdomadam; nam dies publicationis iubilei non videtur computandus intra duas illas hebdomadas à Pontifice aſſignatas, & præſertim cum publicatio fieri ſoleat tranſacta tertia hora. confirmatur ex praxi: videmus enim à confeſſarijs abſolui pœnitẽtes die illo dominico ad effectum lucrandi iubileum. ita ſentiunt *Nauarr. de orat. miſcell. 95. Henriquez lib. 7. c. 10. num. 8. de Leone de iub. p. 2. num. 160. Boſſius, & quamplures apud ipſum ſec. 1. caſ. 37. Portell. in dubijs regu. v. indulgentia, par. 1. num. 2.*

QVÆSTIO DVODECIMA.

De votorum commutatione.

SVMMARIVM.

Tractatio de votorum commutatione aliò, vt fuſius agitata remittitur. 1

Supponitur per iubileum commutari poſſe etiam iuramenta ſoli Deo præſtita. 2

Declarantur vota, quæ Summo Pontifici reſeruantur. 3

Si data ſit per iubileum facultas commutandi omnia vota in genere, ſub illa non veniunt reſeruata. 4

Si vero facultas dicatur concedi etiam ad reſeruata, licet iſta nõ exprimantur, comprehenduntur tamen ſub facultate conceſſa. 5

Facultas conceſſa ſub hac forma (do facultatem commutandi omnia vota etiam caſtitatis) non extenditur ad votum Religionis 6

Forma conceſſionis declarans facultatem cõmutandi omnia vota, excepto voto triplicis peregrinationis, intelligitur comprehendere votũ caſtitatis, & Religionis, & quare. 7

Virtute iubilei vota commutari poſſunt in minus bonum, & qua ratione in hac materia maius, & minus bonum ſumendum ſit. 8

Ad commutationem in minus requiritur aliqua alia cauſſa præter illam, quæ eſt in iubileo. 9

Secus vero ad commutandum vi iubilei in rem æqualem, nulla enim alia requiritur cauſſa præter contentam in ipſo iubileo. 10

Confeſſarius electus vi iubilei ſi electionem acceptat, nequit ſine cauſſa rationabili denegare pœnitenti commutationem, ſi ab illo ea poſtulatur. 11

Nequit confeſſarius vi iubilei electus ſubdelegare alteri facultatem commutandi vota. 12

Commutans vota non determinando materiam, poterit illam poſtea determinare etiam elapſo tempore iubilei. 13

Vouens ſi iubileum obtinuit, eo etiam trãſacto ius habet vt ſibi virtute eiuſdem iubilei vota commutentur ſi fuerunt emiſſa ante vel in ipſo tempore iubilei, ſecus ſi poſt acquiſitionem. 14

Inſtantia in contrarium ſoluitur. 15

Obtenta votorum commutatione, ſi poſtea vouens non exequatur opera iniuncta in ipſo diplomate, non redeunt vota commutata. 16

An peccet omittendo opera iniuncta. 17

Vota vi iubilei toties quoties commutari 18

poſſunt, etiam emiſſa poſt iubilei promulgationem, ante tamen eius acquiſitionem.

19 *Quando non præceſſit confeſſio, quia ſumēs iubileum non habebat lethalia peccata, ſi iubileum de facto lucratus fuit, etiam eo elapſo ius habet ad votorum commutationem.*

20 *Poſſunt per iubileum vota extra confeſſionem ſacramentalem commutari.*

21 *Commutans vota non eſt neceſſe, vt ſit confeſſarius ipſius vouentis.*

22 *Habens votum perfectæ caſtitatis, ſi matrimonium contrahat, num poſſit per iubileum commutationem habere ad debitum petendum?*

23 *Refertur, & probatur pars affirmatiua.*

24 *Pars negatiua exponitur, & ab Authore admittitur.*

25 *Soluitur fundamentum ſententiæ affirmãtis.*

26 *Diluitur eius confirmatio.*

27 *Num per iubileum commutari poſſit votũ perfectæ caſtitatis emiſſum ab altero cõiuge poſt matrimonium contractum.*

28 *Si coniux, qui tale votum emiſit, eſt aſtrictus ad debitum reddendum, votum per iubileum commutari poterit.*

29 *Enumerantur quinque modi, ſecundum quos coniux caſtitatem vouere poteſt.*

30 *Votum caſtitatis, ſiue emittatur ab vno tantum coniuge ſine licentia alterius coniugis, ſiue cum licentia, ſiue ab vtroque, etiam cum mutua licentia, abſque tamen pacto reciproco, eſt commutabile per iubileum.*

31 *Si vero emittatur cum pacto reciproco, & alter coniux cedat ius ſibi acquiſitum vi conuentionis, non erit reſeruatum, atq; adeo commutabile erit.*

32 *Manente iure, & non ceſſo, erit votum omnimodę caſtitatis; proinde nequit per iubileum commutari.*

33 *Iuris ceſſio, quam alter coniux facit de nõ petendo debito, indirectè eſt contra votum, probatur, & ſoluuntur contraria obiecta.*

34 *Votum diſiunctiuum continens vtrãque partem reſeruatam, an ſit commutabile per iubileum.*

35 *Refertur opinio Paſqualigi affirmatiua, eiuſque fundamentum.*

36 *Pars oppoſita negatiua exponitur.*

37 *Recipitur ab Authore.*

38 *Diluitur fundamentum contrarium.*

39 *Soluitur confirmatio eiuſdem argumenti.*

40 *Alia, quæ de commutatione votorum dici poſſunt aliò remittuntur.*

1 DE hac materia fuſe ſermonem habui in explicatione bullæ cruciatæ *p. 2. tract. 7.* per varia capita, & ſectiones, proinde acturus in præſentia de eadem facultate, quæ ad vota commutanda confeſſario conceditur, ne cogar inutiliter eadem repetere, operæ pretium duxi aliqua ſeligere, de quibus ibi tractatum non eſt, anectendo etiam nonnulla, quæ vel magis propriè huic priuilegio conuenire videntur, vel de quibus ſpecialis dubitatio fieri poſſet.

Suppono per hanc poteſtatem, quam Põtifex in iubileo confeſſarijs electis concedit 2
ad vota commutanda, poſſe etiam commutari iuramenta ſoli Deo præſtita, ſiue ſint per ſe ſtantia, ſiue voto adiecta, de qua re egi in explicatione bullæ. his præhabitis deuenio ad caſus particulares.

Quæres primo. quot ſunt vota Summo 3
Pontifici reſeruata. Reſpondeo quinque, videlicet Religionis, caſtitatis perpetuæ, peregrinationis hyeroſolymitanæ, S. Iacobi Compoſtellę, & votum ad limina Apoſtolorum. hæc autem vtrum ſint reſeruata iure ſcripto; an vero ex conſuetudine, & ſtylo curiæ controuertitur apud Doctores: nam aliqui hoc ſecũdum, alij vero primum defendunt, alij denique aiunt votum vltramarinum dumtaxat eſſe reſeruatum iure ſcripto; reliqua autem ex ſtylo, & conſuetudine. vide *Barboſ. de poteſt. epiſ. par. 2. alleg. 37. Sanchez in ſumma lib. 4. c. 40.* per iubileum autem datur facultas cõmutandi omnia vota, & ex modo dictis Summo Pontifici reſeruatis ſolum excipiuntur votum caſtitatis perpetuæ, & religionis, vt patet ex ipſo diplomate. aliqui DD. vt *Panor. & Gloſ. cap. Ex multa de voto. Angles de voto art. 8. diff. 9. Vega in ſumma par. 2. cap. 126. caſ.* 103. & alij putant votum peregrinationis ad terram ſanctam quando emittitur cauſa ſolius deuotionis, & non ad ferẽdum aliquod ſubſidium pro liberatione S. Sepulchri, non eſſe Pontifici reſeruatum, idemque potiori iure dicere debent de peregrinatione ad limina, & ad S. Iacobum. ſed oppoſitum eſt tenendum ſaltem ex ſtylo curiæ, videlicet alterutro ex his finibus emiſſum tale votum eſſe Pontifici reſeruatum *Barb. & Sanchez ll. cc.* & communiter alij.

Quæres ſecundo. Si in diplomate iubilei 4
Pontifex daret facultatem commutandi omnia vota, & non faceret mentionem de his quinque votis reſeruatis; an vota iſta comprehenderentur ſub illa generali conceſſione? reſpondeo negatiuè ita *Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 25. nu. 4. Sanchez l. 4. ſum. cap. 40. num. 6.* quod probat ex Sixto IV. & pro hac ſententia laudat quamplures, licet ipſe met *Sanchez l. 8. de matr. d. 9. num. 2.* doceat ſub illa clauſula generali ſolum excipienda eſſe vota religionis, & caſtitatis: proinde

clau-

claudẽda eſſe hæc tria vota peregrinationis, quia horũ triũ reſeruatio non eſt adeo antiqua, & arcta, ſicuti illorum duorum votorum reſeruatio. hanc opinionem tuetur *Malderus in 2.2. de virtutibus tr. 10. cap. 5. dub. 10. & apud Boſſium ſect. 2. caſ. 8. Sotus, Rodriquez*. at licet iſta opinio ſit probabilis, probabilior eſt prima, quia ratione reſeruationis iſta quinque vota quamdam contrahunt dignitatẽ, ratione cuius non veniant comprehenſa ſub generali conceſſione.

5 Quæres tertio. ſi in diplomate concederetur facultas generalis commutandi omnia vota, & adderentur etiam reſeruata, licet hęc non deſignarentur explicitè; an omnia ſub illa facultate comprehenderentur? reſpondeo affirmatiuè, quia per illam additionem tolleretur reſeruatio, & per conſequens auferretur ratio illa, per quam vota iſta non comprehenduntur ſub generali conceſſione. *Sanchez. Suarez. ll. cc.* & alij.

6 Quæres quarto. ſi Pontifex concederet facultatem commutandi omnia vota, & diceret, etiam caſtitatis; num intelligeretur concedere facultatem commutandi votum religionis? reſpondeo negatiuè, quia ex conceſſione vnius æqualis, non infertur conceſſio alterius æqualis, aut maioris, quale eſt votum religionis, quamuis intelligerentur conceſſa tria vota peregrinationis, quia minoris dignitatis: nam particula illa (*etiam*) cum ſit implicatiua, importat idem in caſibus minoribus, vt notat *Sanchez lib. cit. c. 35. num 8.* ex quo colligitur ſi per Bullam iubilei Pontifex concederet facultatem commutandi omnia vota, exceptis votis religionis, & caſtitatis, & nihil aliud adderet, intelligerentur comprehenſa illa tria vota peregrinationis, nam exceptio illa firmaret regulam in contrarium pro alijs votis, quę vel ſunt minora, vel æqualia, & non ſũt maiora. *Bonacina in decal. d. 4. quaſt. 2. punc. 7. §. 4. Filliuccius tract. 26. cap. 9. Suarez, Sanchez ll. cc.* at ſi Pontifex in generali illa conceſſione exciperet ſolum vota minora, qualia ſunt vota triplicis peregrinationis; intelligerentur excepta vota maiora, ſcilicet vota religionis, & caſtitatis, quia exceptio minorum votorũ indicat implicitam exceptionem maiorũ. *Sotus de iuſt. l. 7. quaſt. 4 art. 3. Suarez, Sanchez, Bonacina, & Boſſius ll. cc.*

7 Quæres quinto. ſi Pontifex ſub hac forma concederet facultatem, videlicet (concedo omnia vota reſeruata exceptis votis triplicis peregrinationis;) an conceſſa eſſet facultas circa votum caſtitatis, & religionis? reſpondeo affirmatiuè, ne priuilegium reddatur inutile, quia, ſi intelligerentur hęc duo vota etiam excepta, & nullum aliud ſit votum reſeruatum pręter illa tria, quæ excipiuntur, & hęc duo quæ remanent; clauſula illa eſſet falſa. venirent autem comprehenſa illa duo vota, quia, cum ſint æqualia quoad reſeruationem, non eſt maior ratio vnius, quam alterius; proinde vtrumque veniret. ita Authores paulo ante citati.

Quæres ſexto. ſi vota commutantur vi 8
iubilei, an poſſint commutari non ſolum in æquale, ſed etiam in minus bonum? Reſpondeo maius, æquale, aut minus bonum in hac materia nõ eſt attẽdẽdum ad genus proprium ipſius boni, ſed per ordinem ad finem, quem habuit vouens dum votum emiſit: idcirco aio poſſe in minus bonum vi iubilei ita *Rodriq. Sayr. Leſſ. Medina*, & quamplures alij apud *Boſſium ſec. 2. caſ. 25. nu. 15. Bonacinam in decal. d. 4. quaſt. 2. punc. 7. §. 3. nu. 11. & Paſqualigum quaſt. 288. num. 4. 5.* at ſi commutatio non fieret vi iubilei, aut alterius ſimilis priuilegij, ſed ſolum per delegatam facultatem commutandi, tunc nequit ſine graui peccato fieri in minus bonum, niſi admiſceatur diſpenſatio ab habente poteſtatem diſpenſandi vt ait. *Sanchez in ſumma l. 4. c. 50. num.* 8.

Quæres ſeptimo. ad commutanda vota 9
virtute iubilei in minus bonum præter intentionem exequendi opera iniuncta, an requiratur alia iuſta, & rationabilis cauſa? Reſpondeo requiri ita *Corduba in ſumma caſuum quaſt. 189. 150. Angelus v. votum 3. num. 16. Viualdus in cãdelabro p. 3. c. 14. num. 20. 21. Bonacina in decal. d. 4. quaſt. 2. punc. 7. §. 3. nu. 11.* ratio eſt, quia commutando in minus, admiſcetur aliqualis diſpẽſatio, quæ ex ſua natura requirit cauſam: at ſufficere ſolam prędictam intentionem ſine alia cauſa docet *Alphonſus de Leone p. 2. num. 65.* ratio autem pro hac ſecunda opinione eſſe poteſt, quia commutatio in æquale bonũ: iuxta probabilem ſententiam poteſt fieri ab ipſomet vouente propria authoritate; ergo vt dicamus priuilegium conceſſum à Pontifice eſſe fauorabile, & aliquid plus cõcedere, debemus aſſerere poſſe hanc commutationem fieri in bonum aliquantulum minus abſque alia cauſa. ſed prima opinio, vt communior eſt amplectenda.

Quæres octauo. ad commutandum vo- 10
tum in æquale vi iubilei an requiratur cauſa? Reſpondeo ſufficere intentionem præſtandi ea, quæ iniunguntur per iubilei diploma. *Suar. tom. 2. de relig. l. 6. c. 16. num. 10. Sanchez. l. 4 ſum. c. 51. num. 19. Alphonſus de Leone de iub. p. 2. num. 63. Santarel. c. 8. dub. 11.* ratio eſt in promptu, nam priuilegia, & gratiæ iubilei concedũ-

Digitized by Google

tur à Pontifice in hunc finem, vt præſtentur opera iniuncta: proinde ſatis eſt ad cõmutationem prædictam intentio prȩſtandi iniuncta.

11 Quæres nono. An Confeſſarius electus à pœnitente vigore iubilei, vt ei vota cõmutet, teneatur illa commutare, & ſi abſque cauſa rationabili id neget grauiter peccet? Reſpondeo duas de re hac eſſe ſẽtentias, prima enim negat Confeſſarium ad commutationem faciendam aſtringi. ita *Ioãnes Sãchez in ſelectis diſp. 14 n. 17.* Secunda autem opinio vult Confeſſarium obligari ad commutandum in eo caſu, & peccare ſi neget commutationem, ſic *Thomas Sanchez in decal. lib. 4. cap. 54. n. 12.* quamuis non declaret grauiter ne, an leniter peccet confeſſarius: eandem ſententiam tenet *Santarellus de iubileo cap. 8 dub. 2. Bartholomeus à S. Fauſto in theſauro relig. lib. 3. quæſt. 53. & de iubil. lib. 4. quæſt. 139. Diana par. 1. tract. 11. reſol. 44.* loquens de facultate commutandi conceſſa per bullam cruciatæ, & quamplures alij apud Santarellum.

Ex his duabus ſententijs magis placet poſterior, cum hac conditione vt confeſſarius acceptauerit electionem factam à pœnitente virtute iubilei, per quam acceptationem implicite videtur promiſiſſe eidem pœnitenti ſe vſurum eſſe facultate tradita per ipſum iubileum in omnibus, quibus ipſe pœnitens indigebit, appono hanc conditionem, quia ſi confeſſarius non eſſet proprius, potuiſſet pro ſui libito non acceptare electionem hanc, ſecùs tamen ſi eſſet confeſſarius proprius, qui ex officio eſſet aſtrictus audire pœnitentis cõfeſſionem: iſte enim teneretur exercere facultatem iubilei in gratiam pœnitentis id poſtulantis. Hac poſita igitur conditione placet poſterior ſententia, & ideo peccabit Confeſſarius denegans ſine cauſſa rationabili commutationem; num autem graue, aut leue ſit peccatum, non ita facile determinari poteſt, ad id enim decidẽdum eſſent ſingulæ circumſtantiæ hic, & nunc occurrentes conſiderandæ v. g. materia voti de qua agitur, neceſſitas cõmutationis ex parte pœnitentis, & ſimilia. Ratio autem pro hac ſententia eſt quia Confeſſarius electus vi iubilei eſt veluti Iudex delegatus à Pontifice in fauorem pœnitentis, proinde propoſita cauſa obligatur exercere facultatem delegatam in gratiam pœnitentis, & ſine cauſſa non poteſt denegare commutationem, ad quã pœnitens ius habet, vi iubilei, aut alterius ſimilis priuilegij, quale eſt bulla Cruciatæ, quæ priuilegia conceduntur in fauorem pœnitentis: ſecus de priuilegijs cõceſſis in fauorem confeſſarij, qualia ſunt priuilegia Religioſorum, quibus ipſi Religioſi vti non tenentur.

12 Quȩres decimo. Num Confeſſarius poſſit ſubdelegare alteri facultatem commutandi vota. Reſpondeo negatiue, quia tali caret poteſtate, ita docet *Azor. par. 1. lib. 11. cap. 19. quæſito 22. Layman in ſumma lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 17. Boſſius de triplici iub. ſec. 2. caſu 44. n. 31. Sanchez in decal. lib. 4. cap. 54. num. 30. & alij.*

13 Quæres vndecimo. Si Confeſſarius cõmutet vota reſeruata, & non præſcribat materiam ſubrogandam; ſed vt prudentius operetur remittat illam poſtea determinandam, an tranſacto iubileo, ſi vouens illud non fuerit lucratus, quia noluit, vel non potuit opera iniuncta adimplere, an inquam elapſo iubilei tempore, poſſit adhuc cõfeſſarius determinare materiam ſubrogandam? Reſpondeo affirmatiue loquendo de votis, quæ fuerunt Cõfeſſario expreſſis, ſecus de alijs oblitis, aut alia cauſſa non expreſſis ita *Sanchez in decal. lib. 4. cap. 54. n. 50. Barthol. à S. Fauſto in theſ. relig. lib. 4. quæſt. 64.* ratio prioris partis eſt, quia verè quamuis confusè fuerunt tempore habili commutata: poſterior vero pars patet ex contraria ratione. Sed contra priorem partẽ vrget *Paſqualig. quæſt. 329. nu. 3.* probans oppoſitum, nam commutatio prædicta cum non fuerit tempore iubilei completa, & vouens iubileum non fuerit conſecutus, nullum acquiſiuit ius ad commutationem, neque ad complementum cõmutationis, proinde Confeſſarius elapſo tempore iubilei non retinet facultatem delegatam commutandi vi iubilei.

Reſpondeo ob hanc rationem exiſtimari debet probabilis iſta ſententia negans, ſed non cogit me ad deferendam aliam affirmatiuam, & ad argumentum aio commutationem ſimpliciter, & abſolutè ſupponendam eſſe iam factam tempore habili, nempe ante elapſum iubileum, quando confeſſarius facultatem habebat, determinationem vero, ſeu declarationẽ eſſe veluti effectum potiùs quàm conſtitutiuum commutationis; proinde non eſt neceſſe, vt confeſſarius tempore determinationis, ſeu declarationis habeat actu facultatem, ſed ſatis eſt eam habuiſſe tempore ipſius iubilei, quando in confuſo, & quaſi obſcurè commutationem fecit.

14 Quæres duodecimo. ſi vota intra tempus iubilei non fuerunt commutata, vouens vero ipſum iubileum lucratus fuit, num elapſo tempore iubilei, vi eiuſdem iubilei commutationem prædictorum votorum obtinere poſſit?

Reſpondeo poſſe illam obtinere, quia

per

per iubileum acquiſiuit ius ad talem cõmutationem. ita *Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 15. num. 17. & lib. 4. in decal. cap. 54. num. 39. Alphonſus de Leone par. 2. num. 203. Boſſius de tripl. iub. caſu 45. num. 4. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 40. nu. 14. Paſqual. de iubil. queſt. 331. num. 3.* & hanc ſententiam veram exiſtimo, quamuis vouens eo tempore memor fuiſſet votorum, & intentionem habuiſſet ea ſeruare, & de illis commutationem non habere.

15 Dices elapſo anno, quo durat bullæ cruciatæ, nemo vi bullæ præteritæ poteſt commutare vota præcedentia; ergo neque vi iubilei id facere poterit, par enim videtur ratio.

Reſpondeo non eſſe paritatem inter cruciatam, & iubileum quantum ad hoc, vt ego declaraui in *explic. bul. par. 1. tr. 2. cap. 6. ſect. 5. §. 4. num. 54.* nam cruciata ſingulis annis promulgatur, & ideo ne bulla prior impediat vſum poſterioris, congruum fuit, vt expirante anno promulgationis bullæ prioris, expirarent omnes eius facultates, & ſic ſtatuitur in *bulla latina §. 29.* iubileum vero ſemel, & rarò conceditur, proinde nullum fuit motiuum alligandi tempori determinato vſus priuilegiorum iubilei, ſed ipſo obtento ſemper manet in illo qui illud acquiſiuit, ius vtẽdi priuilegijs vſque dum effectum habeat.

16 Quæres decimotertio, quid dicendum ſi vouens obtenta commutatione poſtea non ponat opera iniuncta, atque adeo iubileum non acquirat, an vota redeant iterum.

Reſpondeo non redire, ſi vouens tempore commutationis intentionem veram habuerit præſtandi opera iniuncta in iubileo, & poſtea illius intentionis eum pœnituerit; vel impotens fuerit factus. ita *Suarez lib. 6. de voto cap. 16. num. 9. & 10. Sanchez loco cit. de matrim. num. 22. Lauorius de iubileo par. 2. cap. 27. Paſqualigus quaeſt. 329. num. 1. & alij.* ratio eſt quia confeſſarius abſolutè, & non ſub hac conditione vota commutauit. ſed oppoſita ſententia ab alijs defenditur docentibus in tali caſu vota illa redire, quam expreſsè docet *Viualdus in candelabro par. 3. cap. 14. num. 63.* & eſt probabilis opinio.

Sed dices quamuis explicitè cõfeſſarius ſub conditione commutationem non dederit, implicitè tamen cenſetur ſub conditione commutaſſe.

Reſpondeo negando implicitam fuiſſe conditionem, hoc enim non præſumitur, quando à confeſſario non declaratur; nam vt rectè probat *Suarez loco cit.* Pontifex in diplomate iubilei non dat poteſtatem commutandi cum dependentia ab euentu futuro, hoc enim ſi voluiſſet, vtique expreſſiſſet, & quamuis gratia iſta concedatur propter iubileum acquirendum, ex hoc tamen non ſequitur dari conditionaliter, quia vt optimè aduertit *Suarez num. 8.* ſi ſub conditione concederetur non haberet commutatio effectum ſuum niſi purificata conditione, ſub qua conceſſa fuiſſet ipſa commutatio, quod tamen eſt falſum, quia ſtatim habita commutatione, poteſt vouens votum illud commutatum non ſeruare, ſine vllo peccato v. g. ponamus votum fuiſſe ieiunium hodie faciendum; ſi commutetur hodie vi iubilei, vouens ſi non ieiunet non peccabit, quod ſignum eſt commutationem abſolutè, & non conditionaliter factam fuiſſe. ſatis tamen eſt commutationem hanc dici poſſe factam ſub tali onere tanquam ſub modo, quo etiam non adimpleto remanet commodum diſpoſitionis, vt notat *Barboſa de dictionib. vſufrequent. dict. 439. num. 5.* qui etiam aduertit ſignum diſpoſitionis modalis eſſe, quando non oportet prius adimplere illud, quod per diſpoſitionem exprimitur, ſecùs autem quando diſpoſitio eſt cõditionalis, & idem docet *Menochius conſil. 78. num. 16. & 17.* in caſu autem noſtro effectus, ſeu commodum commutationis habetur prius quam omnia opera iniuncta executioni mandentur, proinde conceſſio facultatis commutandi, & ipſa met actualis commutatio ſub modo, & non ſub cõditione datur.

Quæres decimoquarto, grauiter ne, an leuiter peccet, qui poſt acceptam commutationem culpabiliter omittit opera iniũcta pro iubileo obtinendo? 17

Reſpondeo nullam eſſe culpam probabilius putauit *Thomas Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 15. num. 24.* negat enim in ea commutatione implicitum pactum interuenire, ſicuti hoc etiam docuit ibidem, & alibi de abſolutione à reſeruatis. ſed *Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 31. ſec. 4. num. 5.* cenſet eſſe grauem culpam, loquendo de abſolutione à reſeruatis, ratio enim, quã aſſignat probat etiam de commutatione votorum, nempe interueniſſe pactum incluſum. pro vtraque ſententia plures affert Doctores *Paſqualigus de iubileo qu. 246.* ipſe vero *num. 3.* ſubſcribit ſecundæ, aitque eſſe culpã mortalem omittere ſine cauſa opera iniuncta, ſi quis prius abſolutionem à reſeruatis, aut votorum commutationem acceperit, & hoc ob fundamentum aſſignatum de pacto implicitè incluſo. negare non poſſum probabilitatem vtriuſque ſententiæ, ſed quia benignior eſt prima placet illi adhærere, admitto tamẽ aliquam venialem culpam interuenire, nã omiſſio ſine vlla cauſſa excuſante aliquam præ-

præſefert infidelitatem, vt in ſimili dixi lo-
quendo de abſolutione à reſeruatis.

Quæres decimoquinto. num vota com-
18 mutari poſſint toties quoties ante obten-
tum iubileum?

Reſpondeo poſſe commutationem fieri
toties quoties, quia facultas cum indefini-
tè ſit tradita, & ſine limitatione non fini-
tur per vnum actum. ita *Filliucius tract.*
8. *num.* 278. *Santarell. de iubil. cap.* 8. *dub.*
4. & alij, & etiam commutari poſſunt vo-
ta emiſſa poſt iubilei promulgationem vt
docet idem *Santarel. cap. cit. dub.* 9 *Say-
rus lib.* 6. *in claui regia cap.* 12. *num.* 16.
& alij contra *Sotum lib.* 7. *de iuſtit. quæſt.*
4. *num.* 3. *Graſ. in deciſ. par.* 1. *lib.* 2. *cap.*
30. *num.* 9. & hoc quia in conceſſione hu-
ius facultatis nullam Pontifex apponit li-
mitationem.

19 Quæres decimoſexto. Quando nulla
præceſſit confeſſio tempore iubilei ex eo
quod pœnitens nullius lethalis culpæ con-
ſcius erat, ſi præſtitit reliqua opera iniũc-
ta, & facta ſuppoſitione, quod obtinuerit
iubileum, an poſſit obtinere commu-
tationem votorum, etiam reſeruatorum
poſt tranſactum tempus iubilei? Reſpon-
deo poſſe; quia obtento iubileo acquiſi-
uit ius ad commutationem illam votorũ,
quæ concedebatur per diploma. ita *Boſ-
ſius ſec.* 2. *caſ.* 46. *Sanchez l.* 4. *ſum. ca.* 54.
n. 41. *Santarel. c.* 13. *dub.* 2.

Quæres decimo ſeptimo. An commu-
tatio votorum virtute iubilei fieri poſſit
20 extra confeſſionem. Reſpondeo poſſe.
ita *Henriq. l.* 7. *cap.* 30. *n.* 6. *Sotus l.* 7. *de
iuſtitia quæſt.* 4. *art.* 3. Sanchez *l.* 8 *de
matr. d.* 16. *num.* 11. *in ſum. l.* 4. *c.* 54.
num. 15. 16. *Bonac. in dec. d.* 4. *quæſt.* 2
punc. 7. §. 3. *Filliuc. trac.* 8 *num.* 273 &
alij. ratio eſt, quia licet diploma præſcri-
bat hanc commutationem fieri debere à
Confeſſario, non limitat tamen hanc fa-
cultatem ad forum pœnitentiæ; ſed abſo-
lute illam Confeſſario in gratiam pœnitẽ-
tis concedit. & nonnulli etiam hanc doc-
trinam extendunt, ſi apponatur clauſula
(*Auditis confeſſionibus*:) volunt enim
clauſulam hanc eſſe referendam ad pec-
cata, & non ad votorum commutationẽ.
Non poſſe autem hanc commutationem
fieri extra confeſſionem ſuſtinent graues
Doctores *Sayrus l.* 6. *c.* 18. *n.* 105. & *ali-
bi. Suar. lib.* 6. *c.* 16. *n.* 4. *Corduba in
ſumma quæſt.* 152. *Manuel in Bullam*
§. 9. *n.* 3. *Santarell c.* 8. *dub.* 8. & *alij.*

Quæres decimo octauo. An oporteat
vt commutans vota ſit confeſſarius vouẽ-
21 tis. Reſpondeo non eſſe neceſſarium, quia
diploma ſolum petit confeſſarium ab Or-
dinario approbatum. ita *Sanchez l.* 4. *sũ.
c.* 54. *n.* 17. & citat *Henriq. in ſimili l.* 7.
c. 10. *num. vltimo.*

Quæres decimonono. ſi quis votum ha-
beat caſtitatis perfectæ, & eo non obſtan- 22
te, matrimonium contrahat; num virtute
Iubilei poſſit commutationem huius voti
à Confeſſario obtinere, in ordine ad de-
bitum dumtaxat petendum.

Pars affirmatiua placuit *Viualdo in cã-
del. aur. p.* 3. *cap.* 14. *n.* 41. quem ſequu- 23
tus eſt *Paſqualigus quæſt.* 213. *nu.* 4. id
probans; quia cum vi conſuetudinis
Epiſcopus acquiſierit iuriſdictionem ad
diſpẽſandum in tali voto in ordine ad pe-
tendum debitum; reſeruatio huius voti,
quoad hunc effectum ceſſauit; ergo abla-
ta reſeruatione nil prohibet, quin con-
feſſarius per iubileum commutet prædic-
tum votum modo tantum explicato. Et
confirmatur; nam votum, quando non eſt
de integra, & perfecta caſtitate, poteſt
commutari per iubileum, quia non eſt re-
ſeruatum; igitur ſi commutatio non eſt
de integra, & perfecta caſtitate, neque
erit reſeruata, ac proinde fieri poterit vir-
tute iubilei: valet enim argumentum à
correlatiuis, quando eadem eſt ratio. cor-
relatiua autem in caſu iſto ſunt votum
vt commutabile, poteſtas commutandi,
& commutatio ipſa. ſic diſcurrit *Paſqua-
ligus* probans hanc ſententiam.

Pars autem negatiua recipitur ab alijs,
nempè à *Sanchez lib.* 4. *in Decal. cap.* 54. 24
n. 20. & *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 15. *nu.* 9.
Boſſio de iubil. ſect. 2. *caſu* 20. *n.* 27. *Ægid.
Trullench in explicat. Bull. Cruciat. lib.*
1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 15. *n.* 20. & *in Decal.
lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 39. *n.* 19. & huic ſen-
tentiæ ego adhæreo, quam ſic probo: fa-
cultas, quæ reperitur in Epiſcopo diſpen-
ſandi ad petendum debitum, non eſt de
iure, ſed ſolum de conſuetudine, vi cuius
potuit temporis progreſſu iuriſdictionem,
ſeu facultatem ipſam acquirere: conſue-
tudo autem iſta non obtinuit hoc in ordi-
ne ad iubileum, ſicuti neque ad Bull. Cruc.
& multò minus in ordine ad priuilegia,
quæ habent Regulares ad vota commutã-
da, licet vi alterius priuilegij poſſint,
quibuſdam poſitis conditionibus, diſpen-
ſare in tali voto, quando emiſſum fuit an-
te matrimonium initum.

Ad fundamentum autem contrariæ ſen-
tentiæ, neganda eſt conſequentia primi 25
argumenti: falſum eſt enim, ſimpliciter
loquendo ablatam eſſe reſeruationem ta-
lis voti, quod remanet, quantum eſt ex
ſe, eadem reſeruatione affectum: patet,
nam ſi moriatur alter coniux, vel eueniat
caſus diuortij, ratione cuius coniux no-
cens amittat ius petendi debitum, diſpẽ-
ſatio

ſatio facta ſiue ab Epiſcopo, ſiue à regularibus non haberet locum, remaneret enim votum in ſua integritate reſeruatū etiam quoad debitum petendum, vt ex *Sanchez* expreſsè habetur *lib. 8. de matr. diſp.* 12. *n.* 9. vbi loquitur de Epiſcopo, & eadem, quoad hoc, eſt ratio de Religioſis diſpenſantibus: & ideo ſecundum quid perſeuerante matrimonio, dici aliquo modo poteſt, quoad petitionem debiti non eſſe reſeruatum: cum ablatio reſeruationis non ſit firma, & abſoluta, ad hoc autem vt Confeſſarius per iubileum poſſit commutare, deberet ſimpliciter eſſe prius ablata reſeruatio, quam cum ipſe non inuenit ablatam, nequit eam tollere, aut diminuere per iubileum, & ſi Epiſcopus id faciat, id eſt per conſuetudinem, Regulares vero per ſpeciale priuilegium.

26 Ad confirmationem concedo antecedens, nempè votum imperfectæ caſtitatis non eſſe reſeruatum, & commutari poſſe per iubileum: nego tamen conſequentiā: quia licet commutatio quoad petendum debitum, non ſit de integra caſtitate, ſed ſolum de parte; nihilominus ſub facultate conceſſa in iubileo nullo pacto continetur votum perfectæ, & integræ caſtitatis, neque quoad ſui partem, & ſi hoc argumentum Paſqualigi probaret, ſequeretur idem eſſe dicendum de quacumque facultate commutandi vota, poſſet enim habens illam, commutare, quoad partē votum prædictum, quod tamen apertè eſt falſum, & non ob aliam rationem, præter aſſignatam, videlicet quia votum perfectæ caſtitatis eſt extra latitudinem talis facultatis, tum quoad totum, tum quoad partem; non valet igitur conſequentia, procedit enim fallaciter: ſic igitur erat formandum argumentum: votum partiale, ſeu caſtitatis partialis, non eſt reſeruatum; ergo commutatio partialis reſpiciens tale votum, non eſt reſeruata, iſta enim illatio optima eſt, quia eſt à proprio correlatiuo: non ita tamen benè infertur, ergo commutatio partialis tendens in votum integrum, & totale, nō eſt reſeruata: ſic enim erit fallax, & neganda conſequētia, cum non procedat à ſuo correlatiuo, nam fallacia cōſiſtit in hoc, quod in prima illatione, quæ eſt recta, commutatio non coniungitur cum voto totali, in ſecunda vero cum illo coniungitur: correlatiua autem hæc ſunt, votum totale, & facultas reſpiciens tale votum, & commutatio inde ſequens. rurſus votum partiale, facultas reſpiciens tale votum, & commutatio etiam partialis indè procedens: & quamuis etiam à facultate totali poſſit procedere commutatio partialis, quia liberum eſt habenti hanc facultatem, non ex toto, ſed ex parte tantùm commutare, nihilominus ratione principij, à quo vtraque procedit, eſt diuerſa, nam illa non adæquat ſuum principium iſta vero adæquat.

Quæres vigeſimo. num per iubileum commutari poſſit votum omnimodæ caſtitatis, emiſſum ab altero coniuge poſt matrimonium contractum. caſum hunc proponit *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp.* 11. illumque examinat in ordine ad poteſtatem Epiſcopi, & quinque modos enumerat, ſub quibus emitti poteſt. Ego vero eūdem caſum exagito in ordine ad facultatem commutandi vota, quæ conceditur per iubileum: antequam autem ad modos particulares deueniam: ſtatuo vniuerſalē regulam, ex qua occurrentibus caſibus facilè deciſionem adhibere poterimus. 27

Dico igitur primo. ſi penſatis omnibus, deprehendatur coniugem, qui votum emiſit, aſtrictum eſſe ad reddendum debitum alteri coniugi; tunc votum non erit reſeruatum, atque adeo continebitur ſub facultate commutandi vota, quæ in iubileo conceditur. concluſio eſt certa, quia vt dicunt Authores tractantes de voto; caſtitatis votum reſeruatum eſt, quando eſt abſolutum, & perfectum de totali caſtitate, & ideo ſi in aliquo deficit non erit reſeruatum: deficiens autem erit votum, ſi ponatur caſus, in quo vouens obligabitur ad debitum alteri coniugi reddendum, quia tunc non erit promiſſio de totali caſtitate. 28

Dico ſecundo. quinque modi enumerati à Sanchez, quibus votum emitti poteſt, hi ſunt; primus eſt, ſi alter cōiux ſine licētia alterius caſtitatem vouit: ſecundus, ſi cum licentia: tertius, ſi vterque coniux emittit votum, & neuter cum alterius licentia: quartus, ſi vterque, & cum licentia, non tamen ex pacto reciproco: quintus denique, ſi vterque cum licentia, & per modum contractus emittit votum. 29

Dico tertio. ſi caſus ponatur euenire vno ex primis quatuor modis; votum illud non erit reſeruatum, atque adeò per iubileum commutari poterit. ita *Sanchez diſp. cit.* loquens de poteſtate Epiſcopi. eādem ſententiam docet *Paſqualigus quæſt.* 315. *& ſequentibus*, agens de poteſtate Confeſſarij virtute iubilei: quamuis aliqui apud ipſum Sanchez oppoſitum ſentiant: Ratio autem pro noſtra concluſione eſt, quia ſi caſus aliquo ex illis modis eueniat; votum defectum aliquem inuoluit, & non eſt vndequaque completum, vnde nec reſeruatum erit. defectus autem iſte oſtendi poteſt declarando ipſos modos, quibus votum emitti poteſt. primus itaque modus vouendi, nimirum, quando alter cōiux ſine alterius licentia vouet, eximit votum à reſeruatione, quia non inducit obliga- 30

ga-

gationem ad omnimodam, & totalem cõtinentiam; cum vouens ita vouendo, maneat cum onere reddendi debitum; porro ad talis voti reſeruationem; requireretur rigoroſa, & omnimoda caſtitatis obſeruatio. ſecundus modus, quando ſcilicet alter coniux cum alterius licentia, votum caſtitatis emittit; eundem patitur defectum, quia non obſtante licentia, quam coniux vouens obtinuit ab altero coniuge; adhùc ipſe vouens remanet obligatus ex iuſtitia reddere debitum coniugi poſtulãti. tertius item modus, videlicet, quando ambo vouent, ſed neuter cum alterius licentia, nec ipſe reddit votum reſeruatum, quia nec ipſe omnimodam caſtitatem exigit, cum ita vouentem aſtrictum relinquat ad debitum reddendum: nam etſi cõiux petẽs ratione voti emiſſi grauiter peccet, alter tamen coniux reddendo nõ peccat, quin imo reddere tenetur, quia vt benè probat Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 6. nu.* 8. coniux petens, per votum illud caſtitatis à ſe emiſſum, non amittit dominium in corpus alterius coniugis; idcircò ſi ipſe petat debitũ, alter cõiux tenetur reddere. Idẽ prorſus dicẽdũ eſt de quarto vouendi modo, nimirum ſi ambo coniuges caſtitatem promittunt cum licentia, ſed non ex reciproco pacto, neuter enim coniux in hoc caſu ſpoliat ſe iure, quod in corpus alterius coniugis habet: vnde petens quamuis illicitè petat, vtitur tamen iure ſuo, & petitus tenetur reddere; hoc ipſũ euenit inter Prælatum religioſum, & eius ſubditum; nam Prælatus religioſus dans ſubdito licentiam emittendi aliquod votũ; non per hoc amittit ius illud, quod habet in voluntatem ſubditi, ita vt irritare non poſſit votum ab eo emiſſum, neque hinc ſequitur quod ipſe ſubditus non teneatur obedire Prælato irritanti, quamuis fortaſſe aliquando ipſe Prælatus peccet votum irritando. Iam vero ſi votum quinto modo emittatur, nempè cum reciproca licentia, & per modum mutui contractus, per quem ambo coniuges cedunt adinuicem ius petendi debitum, ſi, inquam, hoc pacto fiat votum; res non eſt ita facilis dijudicatu. *Sanchez lib. 8. diſp. 11. cit. n. 10.* cenſet tale votum eſſe integræ caſtitatis, & non poſſe ab Epiſcopo diſpenſari: vult enim per hoc votum vtrumque coniugem obligari, tum ad non petendum, tum etiam ad non reddendum: plures alij ſunt in eadem ſententia, quos laudat *Paſqualigus quæſt. 316. num. 1. ſed num.* 3. pro oppoſita ſententia, quæ abſolutè aſſerit poſſe à Prælatis Pontifice inferioribus in tali voto diſpenſari, citat idem Author *Maiorem in 4. diſt. 32. quæſt. 2. ad ſecundum arg. contra 2. concl. Palud. ibidem* *S. Hæc commemoraſſe. Veracrux. in ſpeculo coniugum par. 1. art. 5. in fine*, qui omnes id affirmant, putantes tale votum non eſſe de omnimoda caſtitate.

Ego vero puto rem cum diſtinctione eſſe decidendam: vnde dico: ſi votum ſpectetur ſecundum ſe, manente illa reciproca conuentione, & iuris ceſſione; eſt Summo Pontifici reſeruatum, & à nullo Prælato Pontifice inferiori poteſt diſpenſari, vel commutari, quia eſt integræ caſtitatis: ſi vero ponamus fieri talis iuris ceſſi remiſſionem, non remanebit reſeruatum, quamuis remiſsio illicita eſſet, & ſacrilega. ita docet *Sanchez cap. cit. n. 61. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 40. n. 126. Caſtropal. p. 3. tract. 15. diſp. 12. n. 10. Ludou. à Cruce in Bull. Cruc. diſp. 1. cap. 6. dub. 14. num. 9. Boſſius de Iubil. ſec. 2. caſu 20. n. 19. Paſqualigus quæſt. cit. n. 9.* probatur vtraque pars cõcluſionis, & prima, quod ſcilicet facta remiſſione iuris ceſſi, votum eximitur à reſeruatione, ſic oſtenditur: facta remiſſione illa, ius petendi debitum, quod fuit ceſſum; iterum reuiuiſcit, quia manet vinculum matrimonij, in quo ipſum ius fundatur: ſtante autem iure petendi, ſtatim oritur obligatio ad reddendum in eo, à quo debitum exigitur; vnde tale votum deficiens remanebit, vtpore non obligãs ad omnimodam caſtitatem, & per conſequens neque reſeruatum manebit: nam, vt ſupra probaui, ad reſeruationem requiritur integra caſtitas. ſecunda vero concluſionis pars, quod videlicet talis remiſſio ſit ſacrilega ſuadetur facile, quia hæc remiſſio facit, vt in remittẽte reſultet iterum obligatio reddendi debitum alteri coniugi petenti: hoc autem eſt facere cõtra votum de omnimoda caſtitate, proinde talis remiſſio ſacrilega dicenda eſt. 31

Inſtabis contra id quod dictum eſt in prima parte præcedentis concluſionis, nimirum, quod votum ſecundum ſe ſpectatum manente reciproca conuentione, & iuris ceſſione, ſit Pontifici reſeruatum; inſtabis, inquam, in hunc modum: votũ emiſſum inter coniuges prædicto modo, nequit eſſe de omnimoda caſtitate; ergo tale votum etiam manente mutua conuentione, &c. reſeruatum non erit Pontifici. certa eſt conſequentia ex ſupradictis, nempè votum tunc eſſe Pontifici reſeruatum, quando eſt de integra caſtitate. Antecedens ſic probatur: votum caſtitatis, per quod non excluditur omnis actus carnalis, non eſt de omnimoda caſtitate, ſed ita ſe habet prædictum votum: ergo, &c. maior certa eſt, quia omnimoda caſtitas excludit omnem actum contrarium tum illicitum, tum etiam licitum, tum externum, 32

num, tum internum: minor probatur, quia in emiſſione talis voti intelligitur exceptus actus, per quem redditur debitum poſt factam remiſſionem iuris ceſſi: patet hoc, quia excluſio eſſet de re moraliter mala; nimirum de re, quæ ex iuſtitia debetur: proindè talis excluſio, neque explicitè, neque implicitè poterit, tanquam res promiſſa eſſe materia voti: igitur in emiſſione talis voti excludi non poterit omnis actus carnalis. vltimum vero antecedens probatur, quia facta illa remiſſione, matrimonium redit ad priſtinũ ſtatum, quẽ ante iuris ceſſionem habebat, atque coniux, in cuius gratiam fit remiſſio, acquirit de nouo illud ius, quod prius in alterius corpus habebat, & in ipſo coniuge remittente oritur de nouo obligatio reddendi debitum ſi petatur. igitur à primo ad vltimum, votum caſtitatis, manente matrimonio, quomodocumque emittatur, nunquam poterit eſſe tale, vt excludat omnem actum caſtitati contrarium, & ſic non erit Pontifici reſeruatum, & poterit ab Epiſcopo diſpenſari, & à confeſſario virtute iubilei commutari.

Reſpondeo hoc argumentum nimium probare: ſequeretur enim nunquam dari poſſe votum, quod ſit de tota materia, circa quam verſatur, & preſertim in caſtitate, vt videbimus, quoniam dari poſſunt tales circumſtantiæ, in quibus votum emiſſum ſemper ſit aliqua ex parte deficiens, quatenus ille, qui votum emittit, vel licitè poſſit, vel teneatur exercere aliquem actum contrarium materiæ promiſſæ. declaro autem hoc totum in caſtitate, de qua eſt ſermo. ſit Titius, qui nullo matrimonij vículo ſit obſtrictus, & qui emittat caſtitatis votũ, quantum fieri poteſt, vniuerſale; iam tale votum, vt validum, & licitum ſit, nequit excludere omnem actum carnalem, etiam illum, quem exiſtẽte voto teneretur vouens exercere, nempè reddendo debitum, ſi non obſtante voto, matrimonium contraxiſſet, & elapſum ſit tempus bimeſtre: quamuis enim ſatis grauiter delinquat, matrimonium contrahẽdo, eo tamen contracto, ſi vxor debitum petat poſt duos menſes à iure conceſſos; obligatur Titius ad debitum reddendum. vndè actus iſte nec potuit excludi, per votum emiſſum ante matrimonium contractum, quia tunc votum fuiſſet de re illicita; nimirum de non exercendo actu ex iuſtitia debito, atque hinc tandem ſit, vt neque ante matrimonij contractionem, poſſit emitti votum, quod obliget ad omnimodam caſtitatem. argumentum itaque relatum nimis probat, & fallaciter procedit, vt manifeſtum faciemus ſoluendo omnes eius probationes.

Reſpondendo igitur in forma ex principijs traditis, diſtinguo primum antecedẽs: votum prædictum inter coniuges nequit eſſe de omnimoda caſtitate, quæ eſſe poſſit moraliter honeſta, & voti capax, nego antecedens: quæ ſit moraliter mala, & voti incapax, concedo antecedens, & nego conſequentiam, quatenus procedit de voto iſto, de quo eſt principale quæſitum. ad probationem antecedentis diſtinguo iterum maiorem: votum per quod non excluditur omnis actus carnalis, cuius negatio ſit apta terminare votum, non eſt de omnimoda caſtitate, concedo: ſi apta non ſit, nego maiorem, & eãdem diſtinctionem adhibendo minori, nego conſequentiam. ad probationem vero eiuſdem maioris, aio omnimodam caſtitatem biſariam conſiderari poſſe, ſcilicet in genere moris, & in genere naturæ: priori modo ſpectata caſtitas non debet excludere omnem carnalem actum, quia, vt ex allata doctrina patet, aliquis actus cum ſit ex iuſtitia debitus, nequit contineri ſub omnimoda caſtitate, quæ eſt de genere moris. ſi vero caſtitatis integritas ſumatur ſecundum naturam, proculdubio omnem actum excludet. iam vero caſtitas, quæ ſub votum cadit debet eſſe integra in genere moris, non autem in genere naturę. ſecũdum hanc duplicem caſtitatis acceptionem patet, qua ratione ſit concedenda, aut neganda, illa maior huius ſecundæ probationis, cuius minor debet etiam eodem modo diſtingui iuxta duplicem actum carnalem, cuius negatio ſit capax, aut incapax voti, poſtea neganda eſt cõſequentia. atque hinc tandem manifeſtum remanet, quo pacto poſſit inter coniuges emitti votum de omnimoda caſtitate, & per conſequens eſſe pontifici reſeruatum, ſi fiat eo modo, de quo in præſentia eſt ſermo, nam ſimpliciter in hac materia per omnimodam caſtitatem, ea intelligi debet, quæ excludit omnem actum carnalẽ, cuius negatio eſt moraliter bona, & apta votum terminare.

Inſtabis contra id, quod diximus de remiſſione iuris ceſſi, nempè eam eſſe ſacrilegam: nam cum ceſſio illa iuris exigendi debitum coniugale non ſit materia voti, & pars rei promiſſæ, ſed ſolùm fiat in gratiam alterius coniugis; nil obſtat, quin coniux ille, in cuius gratiam fit, illam renunciet, non enim obligatur eam retinere, & ex alia parte nil per talem remiſſionem detrahitur rei Deo promiſſæ: igitur non apparet cur vocanda ſit ſacrilega. & confirmatur à pari: ſi enim ego promitto Titio me non impediturum executionem voti, quod ipſe emiſit; ſi ipſe Titius me liberet à tali promiſſione, talis liberatio nullo 33

Digitized by Google

modo videtur peccaminoſa, ſi idem Titius animum retineat exequendi votum, illa enim promiſſio à me facta, non eſt neque tota, neque pars materiæ voti. ſimiliter ſi ego promitto Titio me non impediturum, quin ipſe ſoluat Caio ſuo creditori debitum; ſi Titius remittat mihi promiſſionem, nullam committit iniuſtitiam aduerſus Caium, quia promiſſio mea non fuit directè in gratiam Caij: ita, & in caſu noſtro: res Deo promiſſa fuit abſtinentia ab actu carnali, non autem ceſſio iuris, & acceptatio talis iuris ceſſi: iſta enim ceſſio, & acceptatio fuit contractus quidam inter ipſos coniuges, proindè ſicut liberum erat coniugi ceſſionem hanc acceptare, ita iam acceptatam poteſt, vel retinere, vel renunciare ſine vllo peccato.

Reſpondeo, quãuis ceſſio huius iuris nõ ſit explicitè, & directè pars voti; eſt tamẽ implicitè, & indirectè promiſſa ſub illa generali ratione, qua vouẽs directè, & explicitè rem aliquã Deo promittit, ſimulq; indirectè, & implicitè promittit, ſe non poſiturum aliquam actionem incompoſſibilẽ cum executione rei promiſſæ: & ſic, qui vouet perpetuam caſtitatem indirectè vouet ſe non aſſumpturum ſtatum repugnãtem ipſi caſtitati: vndè non poterit matrimonium contrahere, quia illo contracto, remanet obligatus ad reddendum debitum coniugi petenti, & talis contractio erit ſacrilega, non quia ſit actus carnalis directè contrarius caſtitati, ſed ſolum, quia indirectè illi opponitur ratione obligationis, quam inducit in contrahentem ad reddendum debitum, qui eſt actus directè oppoſitus caſtitati. & ex his patet ſolutio ad argumentum: quia non ſolum eſt ſacrilegium exercere actum directè oppoſitum rei promiſſæ, ſed etiam ponere ſe in eo ſtatu, in quo neceſſitatur ad talẽ actum exercendum.

Ad confirmationem nego paritatem, & diſparitas eſt manifeſta: nam remiſſio illius promiſſionis, qua ego me aſtrinxi ad non impediendam executionem voti à Titio emiſſi, & ſimiliter ad non impediendam ſolutionem creditori Caio faciendã; non ponit Titium vouentem in ſtatu incompoſſibili cum executione voti, quia æquè benè, quantum eſt ex ſe, poterit votum adimplere, & pariter liber manet ſicut prius ante remiſſionem ad ſoluendum quod debet Caio. paritas autem curreret, quando vi remiſſionis, qua Titius renunciat mihi promiſſionem à me factam, poneretur in ſtatu, in quo neceſſitaretur ad non implendum votum, vel ad non ſoluẽdum Caio, & tunc remiſſio promiſſionis eſſet ſacrilega reſpectu voti, & contra iuſtitiam reſpectu debiti Caio ſoluendi.

Quæres vigeſimoquarto an votum diſiunctiuum religionis, aut perfectæ caſtitatis poſſit per iubileum commutari? proponitur hoc quæſitum à *Paſqualigo in praxi iubilei quæſt.* 307. & ipſe plura dixi *in explicatione Bullæ Cruciatæ p.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *ſect.* 5. de votis diſiunctiuis, quãdo vna pars ſit reſeruata, altera vero minimè: ſed quia video quæſtionem proponi de illis votis diſiunctiuis, in quibus vtraq; pars diſiunctionis ſit reſeruata; propterea placet hoc loco eam expendere. 34

Affirmat *Paſqualigus quæſt. cit. nu.* 2. ſed pro ſe nullum adducit Authorem, & conatur ex quibuſdam vniuerſalibus principijs hanc ſententiam ſuadere: ex eius autem diſcurſu ſic formo argumẽtum: votum prædictum non eſt reſeruatum; ergo per iubileum poteſt commutari: patet conſequentia, quia in iubileo datur ampla facultas commutandi omnia vota, præter illa duo, nempè, votum religionis, & caſtitatis: antecedens probatur, quia votũ illud eſt imperfectum, procedit enim à voluntate imperfecta, quatenus nec ad vnã, nec ad alteram partem eſt determinata; voluntas namque imperfecta non poteſt niſi imperfectum, & incompletum actum elicere: porro ad reſeruationem requiritur actus perfectus, & completus, quia cum reſeruatio ſit odioſa, ſtrictè eſt accipienda. confirmatur nam votum alternatiuum habet implicitè tacitam conditionem reſpectu vtriuſque partis, ſcilicet, ſi vouens illam eligat: ante electionem vero ad neutram partem vouens eſt aſtrictus, quamuis vnam ex illis teneatur eligere: igitur ante electionem votum erit imperfectum, atque adeo non reſeruatum. 35

Cæterum partem negatiuam, nempè tale votum diſiunctiuum eſſe reſeruatum, atque adeo per iubileum commutari non poſſe, docent *Suarez tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto cap.* 24. *Sanchez in decal. lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 42. *Ludouicus à Cruce in expoſit. Cruc. diſp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *n.* 5. & probant ex eo, quia tale votum neceſſariò impleri debet in materia reſeruata, quæcumque pars ex illo eligatur, æquiualet enim, quoad hunc effectum, voto determinato, quod eſt reſeruatum. 36

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quam puto certam; nam prior illa, quam tuetur Paſqualigus non videtur ſolido fundamẽto inniti, vt mox ex ſolutione eius argumenti patebit. probari autem poteſt noſtra concluſio, eã rationẽ, qua vtuntur Authores citati aliquanto fuſiùs ampliando, tali pacto: quoties tota materia voti eſt reſeruata, toties votum ipſum eſt reſeruatum: ſed votum diſiunctiuum, de quo agimus, ex ſuppoſitione, 37

habet

habet totam materiam reſeruatam; ergo votum diſiunctiuum de quo agimus eſt reſeruatum: & per conſequens: commutari non poterit virtute iubilei. probatur maior, nam votum recipit reſeruationem, aut negationem eiuſdem à materia circa quam verſatur, vndè ſi materia erit reſeruata, ipſum quoque reſeruatum erit.

38 Ad argumentum ex Paſqualigo deductum reſpondetur negando antecedens, in quo dicebatur votum diſiunctiuum habēs vtramque partem ſuæ materiæ reſeruatā, non eſſe reſeruatum: ad eius probationē, cum diſtinctione eſt procedendum, vt omnis æquiuocatio tollatur: cum enim dicitur tale votum diſiunctiuum eſſe imperfectum, ſi per imperfectionem intelligatur indeterminatio quoad talem materiā particularem, & in ſpecie, concedo quod ſit imperfectum: ſi vero intelligatur imperfectio, ſeu indeterminatio, quoad materiam reſeruatam vt ſic, & in genere, negatur. Votum igitur iſtud, quoad materiam reſeruatam eſt omnino perfectum, & determinatum, quia procedit à voluntate omnino determinata, nam voluntas nullam habet indifferentiam in ordine ad materiam reſeruatam, quamuis indeterminata ſit in ordine ad electionem huius, vel alterius partis materię reſeruatæ. porro non apparet cur votum ad hoc, vt ſit determinatum, & reſeruatum debeat eſſe de materia reſeruata in ſpecie, & non in genere, & debeat procedere à voluntate determinata ad materiam ſpecificam, & non genericam, nam, & ipſa quoque materia generica ſuam habet determinationem, & per conſequens ſufficiens erit ad inducendam reſeruationem in votum.

39 Ad confirmationem, concedo in voto alternatiuo implicitè contineri conditionem reſpectu vtriuſque partis, quatenus vouens manet in ſua libertate ad eligendam potiùs vnam, quàm alteram partem: ex hoc vero non ſequitur tale votum non eſſe reſeruatum, ſi tota materia eſt reſeruata, & vouens eligendo neceſſitetur materiam reſeruatam eligere, neque ex tali libertate vouētis ſequitur quod votum ſit imperfectum, & indeterminatum, vt ſupra declaratum eſt.

40 Alia quæ de votorum commutatione dici poſſent, ſufficienter à me diſcuſſa ſunt *in explic. bull. cruc. p. 2. tract. 7. per totum*: nam caſus, qui ibi expenduntur in ordine ad facultatem conceſſam per Bull. Cruc. poſſunt etiam ponderari in ordine ad facultatem commutādi virtute iubilei: quoad hanc enim facultatem ſecundum ſe ſpectatam, præſcindendo à duratione, eadem prorſus eſt de Iubileo, & Cruciata ratio.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De Indulgentia, quæ acquiritur per Iubileum.

SVMMARIVM.

Indulgentia, quæ per iubileum conceditur eſt plenaria remiſſio totius pœnæ temporalis, quæ pro peccatis commiſſis debetur. 1

Acquiritur in eo momento, in quo completur vltimum opus à Pontifice in ipſo iubileo præſcriptum, ſi ex parte recipientis obex non inuenitur. 2

Nonnulli exiſtimarunt omnia opera iniuncta in ſtatu gratiæ eſſe perficienda ad iubileum acquirendum, & id probant. 3

Oppoſita ſententia eſt recipienda aſſerens ſatis eſſe vt vltimum dumtaxat opus in ſtatu gratiæ perficiatur. 4

Satisfit contrariæ rationi. 5

1 Dico primo. Indulgentia iſta, quæ à Pontifice conceditur per iubileum, eſt plenaria remiſſio totius pœnæ temporalis, quæ pro peccatis commiſſis debebatur, ita vt illa acquiſita, ſi homo ſtatim obiret, citò euolaret ad Cœlum, cum nihil illi remaneret purgandū. ratio eſt in promptu: nam Pontifex ex theſauro eccleſiæ, in quo ſunt merita Sāctorum, & præcipuè merita infinita Chriſti Domini, quæ numquam exhauriri poſſunt, vt dicitur *in extrauag. Vnigenitus de pœnitent. & remiſſ.* ex illo, inquam, theſauro Summus Pontifex applicando prædicta merita concedit remiſſionem totalis pœnæ: idcirco ſi fidelis exequatur opera iniuncta, liber manebit ab omni pœna luenda.

2 Dico ſecundo. tempus, quo acquiritur hæc indulgentia, eſt cum primum ponitur vltimum opus ex iniunctis; eſt communis opinio. ratio eſt quia tunc in illo momento, quo completur vltimum opus, intendit Pontifex applicare eccleſiæ theſaurum: proindè ſi vltimum opus e.c. erit ieiunium, indulgentia obtinebitur in inſtanti in quo eſt media nox, quia in eo inſtanti completur ieiunium, nam ante illud inſtans poterat frangi, & ideo cenſebatur adhuc incompletum, ſi vero vltimum opus erit communio, in inſtanti, in quo verificabitur ſacramentalis manducatio, homo lucrabitur indulgentiam. ſic *Bonacina de ſacr. d. 6. quæſt. 1. punct. 5. num. 12.*

3 Dico tertio. omnia opera præſcripta ad lucrandam indulgentiam eſſe peragenda in

Oo 2

in ſtatu gratiæ, etiam pro tempore, quo indulgentia acquiri non debet, ſuſtinet *Caiet. opuſc. de indulg. tract.* 10. *quæſt.* 2. quam opinionem vt veriorem ampleċtitur *Comitolus in reſponſ. moral. lib.* 1. *qu.* 37. *num.* 2. *ver. Prior ſententia, & alij*, quos laudat *Paſqualig. de iubil. quæſt.* 31. *num.* 1. ducuntur ad hoc, quia opera iſta præſcribuntur ad Deum placandum, & ideo debent fieri ab homine, qui per gratiam ſit ipſi Deo gratus.

4 Sed oppoſitum probabilius cenſeo, videlicet quod quãdo ad lucrãdã indulgentiam plura præſcribuntur opera, ita vt executio operis, & acquiſitio indulgentię non ſint tempore ſimul, ſufficit in vltimo opere hominem eſſe in ſtatu gratiæ. hanc ſententiam docent *Suarez tom.* 4. *in* 3. *p. d.* 52. *ſect.* 2. *num.* 7. *Villalobos in ſumm. tract.* 26. *diff.* 24. *num.* 17. *Nuñus in addit. ad* 3. *p. quæſt.* 27. *art.* 3. *dub.* 8. *conc.* 3. *Bonacina l. c. num.* 10. *Boſſius de iub. ſec.* 4. *caſ.* 11. *num.* 12. *& ſequent.* & alij apud ipſum. ratio autem prioris partis eſt, quia Pontifex abſolutè concedens indulgentiam ſolum præſcribit ipſa opera exequenda vt ſic, & non poſtulat modũ, ſed tantum honeſtatem operis, quæ eſt intrinſeca ipſi operi, & non requirit ſtatũ gratiæ, ſicuti confeſſarius dum imponit ſatisfaċtionem pœnitenti v. g. ieiunium, aut coronam Beatæ Virginis, non obligat ipſum pœnitentem, vt opera illa exerceat in ſtatu gratiæ, & ideo pœnitens quamuis poſt confeſſionem per peccatum mortale amittat gratiam, ſuæ obligationi ſatiſfacit ieiunando, recitando, &c. quamuis non ſit in ſtatu gratiæ, ob cuius carentiam ſolùm infertur, quod pro illis operibus non mereatur. Ratio autem poſterioris partis eſt, quia in eo inſtanti, in quo homo ponit vltimum opus, vrget tempus lucrandi indulgentiam, nam Pontifex, vt dixi intendit indulgentiam applicare ſtatim, ac omnia opera iniunċta ſunt completa, & tali tempore elapſo, præterit tẽpus lucrandi iubileum, ſi igitur eo momẽto homo non ſit in gratia, non poterit eſſe diſpoſitus ad remiſſionem pœnæ peccatis debitæ conſequendam, nam talis remiſſio ſupponit amicitiam inter hominem, & Deum: & ideo requiritur ſtatus gratiæ in ipſo homine.

5 Ad rationem in cõtrariũ adduċtam, reſpondeo finem proximum operum iniunctorum à Pontifice intentum eſſe conſecutionem indulgentiæ: idcirco cum talis finis acquiri valeat, ſi homo in vltimo opere, vt diximus, inueniatur in gratia: nullum eſt fundamentum ſufficiens ad requirendum ſtatum gratiæ pro eá duratione, pro qua indulgentia recipi non poteſt, vt eſt tempus antecedens vltimam aċtionem iniunċtam. finis autem ille ab Anthoribus contrarijs aſſignatus, nempè (Deum placare) eſt finis vltimus, & non immediatus, & ideo non cadit ſub obligationem eo tempore, quo exercentur priora opera.

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

An quis poſſit bis idem iubileum lucrari: & quando poteſt illud ſumere.

SVMMARIVM.

Probabile eſt iubileum bis acquiri poſſe, ſi opera iniunċta replicentur, & probatur. 1

Oppoſitum defendunt, & probant alij, & placet Authori. 2

Si quis præſtat omnia opera iniunċta in ſtatu peccati, & confeſſionem ſacramẽtalem inualidam facit, ſi ante lapſum tempus iubilei ſe conterat, illud non obtinere putant aliqui. 3

Figuratur idem caſus, in quo iuxta principia ab Authore poſita iubileum acquiritur. 4

Si quis fecit omnia opera iniunċta in ſtatu peccati, quamuis in vltimo die dominico ſecundæ hebdomadæ eliciat aċtum contritionis, non lucratur iubileũ. 5

Probabile eſt ſi tali die dominico fiat valida confeſſio ſacramentalis, quod acquiratur iubileum. 6

Recedens è loco domicilij, in quo publicatum erat iubileum, quod noluit lucrari, ſi accedat ad alium locum, in quo ipſum iubileum promulgatum eſt illud lucraturus erit. 7

In regionibus infidelium quis exiſtens, ſi notitiam habeat de promulgatione iubilei Romæ facta, poterit illud lucrari. 8

Opinio quorumdam exponitur, & probatur, quæ vult poſſe aliquem lucrari iubileum, antequam ſit publicatum in eo loco, in quo ipſe commoratur, ſi notitiam habeat de promulgatione facta in Curia. 9

Alij contrarium docent, nempe eſſe neceſſarium vt in loco ſumentis iubileum promulgatio præcedat. 10

Hanc poſteriorem ſententiam admittit Author. 11

Soluuntur argumenta contraria. 12

Exiſtimarunt nonnulli pro Regularibus ſufficere promulgationem factam à proprio Prælato Regulari, & id duplici argumento probant. 13

Contrarium tuentur alij. 14

His poſterioribus ſubſcribit Author. 15

Diluitur primum argumentum. 16

Soluitur ſecundum argumentum. 17

Quæ-

zed by Google

1 QVæres primo, an qui prima hebdomada iubileum adeptus eſt, & poſtea incidat in nouum caſum reſeruatum, poſſit in ſecunda hebdomada reiterãdo omnia opera iniuncta, iterum lucrari iubileum, & abſolutionem recipere à confeſſario electo de caſu illo reſeruato, in quem lapſus eſt? reſpondeo probabile eſt id fieri poſſe, quia in diplomate iubilei non apponitur hæc limitatio, videlicet pro vna vice tantum, & cum totum illud tempus duarum hebdomadarum ſit in fauorem pœnitentis, ſequitur poſſe pœnitentem vti hoc priuilegio; neque obſtat quod in eodem diplomate dicatur (*pro hac vice tantum*) quia per clauſulam illam vult Pontifex ſignificare quod occaſione huius iubilei conceduntur illa priuilegia, ſeu pro illa vice, & tempore, quo durat iubileum. ita ſentiunt *Henriquez l. 9. c. 16. num. 3. Reginal. l. 8. num. 64. Nauarr. de indul. notab. 32. num. 46. Rodriq. in ſumma c. 184. Alphõſus de Leone p. 2. num. 183. Floronus de caſ. reſ. p. 1. caſ. 6. Caſtropal. de iub. tract. 25. diſp. vnica punct. 8. num. 6.* dicens id eſſe ſatis probabile, *&* *Pellizzarius in man. reg. tract. 6. cap. 2. ſec. 2. num. 75.* qui etiam hoc ampliàns dicit falſitate conuinci non poſſe, ſi quis aſſereret etiam plus quam bis intra illas duas hebdomadas acquiri poſſe, ſi opera iniuncta repetantur plus quam bis.

2 Oppoſitum tamen defendunt *Suar. tom. 2. de relig. l. 6. c. 12. num. 17. Sambra in ſumm. l. 4. c. 54. num. 30. Bonacina de ſacram. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 5. S. 2. num. 17.* ducuntur quia in diplomate non conceduntur illæ duæ hebdomadæ copulatiuè, ſed diſiunctiuè: prima, vel ſecunda hebdomada. Hæc ſecunda opinio eſt probabilior, & textui conformior, & eam ego amplector.

3 Quæres ſecundo, ſi quis in ſecunda hebdomada iubileum ſumere voluit, & in ea exercuit omnia opera iniuncta in peccato mortali; ſi antequam totum tempus iubilei labatur, per contritionem ſe ponat in gratia, an iubileum lucretur? Non lucrari ſentit *Santarellus de iubileo cap. 7. dub. 2.* & citat *Pinellum de indulgen. cap. 18.* idem aſſerit *Boſſius de triplici iubileo ſect. 4. caſu 11. num. 17.* & ratio eſt, quia communiter Doctores aiunt eſſe neceſſarium, vt ſaltem vltimum opus ex iniunctis fiat in ſtatu gratiæ, & meritò, tale enim opus eſt vltima diſpoſitio, quæ, vt euenit etiam in phyſicis, debet eſſe ſimul in eodem inſtanti cum forma, ad quam diſponit: forma autem in caſu noſtro eſt remiſſio pœnæ temporalis peccatis debitæ; alia vero opera præcedentia ſunt veluti præuiæ diſpoſitiones remotæ, proinde nõ eſt neceſſe, vt ſint cum forma: contritio autem non eſt opus præſcriptum, & ideo, qui ſe conterit non videtur adimplere opera iniuncta, nam vt ſupra diximus per confeſſionem inualidam non ſatis fit menti Pontificis, etiamſi homo ſe conterat, quando eſt opportunitas confitendi; idcirco ad quæſitum videtur reſpondendum negatiuè.

Cæterum poſſet caſus figurari, in quo iuxta principia ſuperius à nobis poſita, homo contritus lucraretur iubileum, & quamuis caſus formandus potiùs ſpeculatiuus, quàm practicus ſit cenſendus; placet tamen eum in hunc modum figurare. 4
ſit Titius, qui in ſecunda, ſeu vltima hebdomada velit ſumere iubileum, & in hunc finem exerceat opera iniuncta, ſed in ſtatu peccati, & confeſſionem inualidam faciat; peruentum autem iam ſit ad vltimum diem, nempè ad ſabbatum, in quo eſt ieiunium iubilei, & ex ſuppoſitione ſit vltimum opus ex præſcriptis à Pontifice, & quia ieiunium habet tractum ſucceſſiuum, durat enim vſque ad inſtans mediæ noctis ſequentis, toto hoc tempore eſt in libertate Titij frangere, aut ſeruare ieiunium; reperiatur autem Titius propè mediam noctem, in cuius momento eſſet completum ieiunium, quo elabitur tempus iubilei, & in tali loco reperiatur, vbi nequeat copiam confeſſarij habere, & vt in gratiam, & amicitiam Dei redeat antequam ſit media nox, in qua complebitur ieiunium, & perficit vltimum opus præſcriptum; eliciat actum contritionis; procul dubio lucrabitur iubileum, nam vt ſupra diximus, licet Pontifex ex ſuppoſitione peccati lethalis requirat confeſſionem ſacramentalem; nihilominus eam requirit, vt homo modo, quo poteſt certiori, & tutiori conſtituatur in amicitia Dei. diximus etiam quod quando homo exiſtens in peccato inculpabiliter nequit ſacramentaliter confiteri, ſatis ſit contritio, quia tunc non habet medium certiùs ad gratiam: quibus poſitis, patet veritas noſtræ concluſionis: nam ex vna parte Titius exercuit reliqua opera iniuncta, vt ſupponimus, præter confeſſionem, quæ irrita fuit: ex alia vero parte tempore habili, videlicet non elapſo adhuc tempore iubilei, elicuit contritionem, qua mediante gratiam recuperauit; & inculpabiliter omittit confeſſionem, quæ non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione peccati poſtulatur, vt modo tutiori, quo homo poteſt redeat ad amicitiam Dei: defectus autem inculpabilis ad confeſſionem faciendam ſuppletur per contritionem, vt ſupra ex pia, & benigna Pontificis intentione ſtatui-

tuimus ; & hoc etiam placuit *Paulo Layman in ſumma lib. 5. tract. 7. cap. 6. n. 7. ver. Dico tertio in fine*: igitur nihil videtur deeſſe ad hoc, vt dicamus Titium in tali caſu iubileum conſecuturum fore.

5 Opinio autem contraria veritatem habet, ſi actus ille contritionis eliceretur die dominico, ita vt per totum diem ſabbati Titius permanſiſſet in ſtatu peccati, atque adeò impedimentum habuiſſet ad indulgentiam obtinendam, nam compleuiſſet omnia opera iniuncta ſine gratia ſanctificante; idcirco indulgentiam non conſequeretur.

6 Verum quia eſt probabile vltimum diē dominicum pertinere ad hebdomadam iubilei, ſi Titius tali die validè confiteretur, fortaſſe indulgentiam conſequeretur.

7 Quæres tertio, vtrum commorans in aliqua vrbe, in qua habet domicilium, & in qua publicatum eſt iubileum, nolit illud lucrari ex propria culpa, & negligentia, ſi poſtea diſcedens perueniat ad aliā diœceſim, in qua publicatur iubileum, poſſit illud ibi lucrari? reſpōdeo affirmatiuè, ita *Bonacina de Sacram. d. 6. quæſt. 1. punc. 5. num. 8. Alphonſus de Leone par. 2. de iub. quæſt. 13. num. 195. S. Fauſto de iub. extraord. quæſt. 3. Vgol. de poteſt. Epiſ. cap. 41. num. 12. Bottonius in obſeruat. circa iub. Sinal. Quintia & alij*. ratio eſt, quia priuilegium iubilei Sūmus Pontifex non concedit locis, ſed perſonis cum ordine tamen ad locum, vbi publicatur ipſum iubileum, proinde iſte talia quamuis externus poterit præſtando opera iniuncta lucrari iubileum.

8 Quæres quarto, vtrum in locis infidelium, vbi nulla fieri poteſt publicatio iubilei per Ordinarium, ſi aliquis fidelis ibi inueniatur, & notitiam habeat de publicatione iubilei Romæ facta, poſſit nihil aliud expectando, ibidem iubileum ſumere? reſpondeo poſſe illud lucrari, ita ex cōmuni opinione docet *Boſſius ſec. 4. caſ. 3.*

9 Quæres quinto. An ad lucrandum iubileum neceſſario requiratur publicatio facta ab ordinario illius diœceſis, in qua quis commoratur, an vero ſufficiat promulgatio, quæ in curia eſt facta.

Reſpondeo, ab aliquibus ſuſtineri non eſſe neceſſariam publicationem in proprio loco, ſed ſatis eſſe publicationem factam in curia, ſi volens iubileum lucrari de publicatione iſta notitiam habeat. *Rodriquez in ſum. p. 1. cap. 184. num. 18. Filliuc. tract. 8. cap. 10. num. 267. Lauorius de iubileo p. 1. cap. 24. numero 6.* & in eadem ſententia videtur eſſe *Henriquez lib. 7. cap. 20. nu. 3. & alij*. requirunt tamen, vt volens ſumere iubileum, petat ab ordinario, vt deſignet eccleſias viſitandas, hāc autem ſententiam probant primo, quia iubileum eſt fauorabile, atque adeo ampliandum. Secundo quia publicatio in proprijs locis fit ob maiorem commoditatem quam vnuſquiſque refutare poteſt. Tertio à pari, nam leges quæ Romę publicantur ſtatim obligant etiam abſentes antequam in locis particularibus promulgētur; ergo id etiam erit dicendum de iubileo.

Alij vero oppoſitū ſentiunt, videlicet eſſe neceſſariam promulgationem in particularibus locis, & ab ordinario factam, ita *Vgolinus de poteſt. Epiſ. cap. 41. §. 4. Alphonſus de Leone de iubil. p. 2. quæſt. 14. num. 207. Barthol. à S. Fauſto lib. 4. de iubil. extraord. q. 3. Nauarrus lib. 1. conſil. de conſtit. conſil. 1. quæſt. 4. n. 9. Paſqual. de iubil. quæſt. 53. num. 3. & alij*. 10

Dicendum eſt, hanc ſecundam opinionem, vt probabiliorem eſſe recipiendam; primo quia praxis continua hoc manifeſtè oſtendit, nunquam enim ſolent fideles iubileum ſumere, niſi prius in loco, in quo reperiuntur, ſit publicatum: ſecundo quia Pontifex ſolet ſemper in ipſo diplomate committere ordinario loci executionem, nempè publicationem, deſignationem Eccleſiarum, &c. ergo vult vt fideles in hoc dependeant à directione proprij Prælati. 11

Ad primum argumentum pro priori ſententia, reſpondeo, iubileum eſſe quid fauorabile, non importare hoc, quod ſit acquirendum independenter ab ordinario, & proprio Prælato, proinde in hoc non datur neque ampliatio, neque reſtrictio. Ad ſecundum aio, falſum eſſe publicationem in proprijs locis fieri ob populorum commoditatem, ſed fieri, vt oues à ſuo paſtore dirigantur in ſumptione iubilei, quoad tempus, viſitationes, &c. Ad tertiū quidquid ſit de antecedente, de quo diſputare non eſt huius loci; nego paritatem cum enim hoc dependeat à voluntate ſummi Pontificis; idcirco non eſt alia quærenda cauſa, expreſsè enim in ipſo diplomate iubilei remittit publicationem faciendam ordinarijs locorum, quamuis præcipiat eiſdem, vt quam primum id faciāt poſt diplomatis notitiam. 12

Quæres ſexto, num Regulares exempti debeant expectare publicationem iubilei faciendam ab Epiſcopo; an vero à proprio Prælato. 13

Reſpondeo fuiſſe ſententiam, quam ſecutus eſt *Boſſius de tripl. iubil. ſect. 4. caſu 3. num. 7. Paſqual. ſec. 54. Henriquez lib. 7. cap. 20. num. 3.* quæ aſſerit regulares non aſtringi ad expectandam publicationē ab ordinario loci, ſed poſſe eā habere à proprio Prælato regulari. Probatur primo, quia promulgatio iſta eſt actus iuriſdictionis; igitur cum Epiſcopus iuriſdictionem

nem

Digitized by Google

nem non habeat in regulares exemptos, regulares ipſi non tenentur expectare publicationẽ ab Epiſcopo. ſecundo quia nomine ordinarij venit ille, qui habet ordinariā iuriſdictionem, qui reſpectu regularium eſt proprius Prælatus.

14 Alia ſententia contrarium docet, videlicet publicationem iubilei faciendam eſſe ab ordinario loci etiam in ordine ad regulares exemptos, ita *Vgolin. de poteſt. Epiſ. cap.* 41. §. 4. *in fine Alphonſus de Leone loco cit.* & idem videtur docere *Fragoſ. de regimin. Chriſt. Reip. p.* 2. *lib.* 2. *diſp.* 6. §. 1. *num.* 7. *ver. contraria autem pars.* loquens vniuerſaliter de omnibus ſine exceptione.

15 Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quæ optime probatur ex conſuetudine, & praxi recepta; videmus enim à Prælatis regularibus nunquam publicari iubileum ſuis ſubditis, ſed ſemper ab iiſdem expectari publicationẽ faciendam ab Epiſcopo loci. Rurſus à regularibus ſeruari ieiunium tempore ab eodem Epiſcopo deſignato, & demum viſitari Eccleſias illas, quas Epiſcopus determinauit, & non alias. Conſuetudo autem vim habet adinſtar legis: vt colligitur *ex cap. fin. de conſuet. & ex cap. conſuetudo diſt.* 1. *& ex l. de quibus* §. *Ex non ſcripto ff. de legibus.*

16 Ad primum argumẽtum in contrarium reſpondeo, quamuis publicatio ſit actus iuriſdictionis, poterit tamen ordinarius illam exercere, etiam in exemptos regulares, quia in hac ratione procedit tanquā delegatus Summi Pontificis, neque talem iuriſdictionem exercendo, excedit limites ſuæ delegationis, vt putat *Paſqualig quæſt. cit. n.* 5. nam ordinarius loci in hac actione eſt ſuperior omnibus ſuæ diœceſis, tum quia conſuetudo hoc docet, tum etiā quia congruum fuit, vt executio talis actionis, quæ eſt vniuerſalis, & quæ æquè primo reſpicit regulares, ac ſæculares, pertineat ad vniuerſalem, qualis eſt ordinarius loci.

17 Ad ſecundum reſpondeo, quod licet nomine ordinarij venire poſſit omnis ille, qui habet ordinariam iuriſdictionem, atque adeo etiam Prælati regulares reſpectu ſuorum ſubditorum; nihilominus in ſubiecta materia, vt oſtendimus, venit ſolum ordinarius loci, videlicet Epiſcopus; aut alius loco Epiſcopi.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De facultate, quam habet confeſſarius ad commutanda opera præſcripta in diplomate Iubilei.

SVMMARIVM.

1 *Commutatio operum iniunctorum nequit fieri propria authoritate etiam in melius, ſed à Confeſſario.*

Nauigantes, & iter agentes poſſunt iubileum lucrari cum primum ad proprium peruenerint domicilium, etiam ſi ibi tempus ſit lapſum. 2

Exequens opera iniuncta non tenetur habere actualem intẽtionem lucrandi iubileum, ſufficit tamen virtualẽ habere. 3

Infirmi, vel in carceribus, aut alio impedimento detenti poſſunt commutationẽ de operibus iniunctis habere à confeſſario, vel dilationem in aliud tempus. 4

Commutatio, aut dilatio à quocumque confeſſario approbato fieri poterit. 5

Proximum tempus in quod prorogatur iubileum eſt illud, quod immediate ſequitur poſt duas hebdomadas eiuſdem iubilei, & ſi hoc fieri nequit, petenda eſt commutatio à confeſſario. 6

Commutatio iſta poteſt fieri extra confeſſionem. 7

Opus, in quod fit commutatio non oportet eſſe alligatum diebus, in quibus erant præſcripta opera iniuncta. 8

Si in diplomate non daretur confeſſario facultas commutandi, commutatio fieri non poſſet. 9

Opera præſcripta poſſunt diuidi ex cauſſa rationabili, ita vt partim fiāt in vna, & partim in alia hebdomada; verum alij magis communiter negant. 10

Dico primo. commutatio operum virtute iubilei nequit fieri propria ipſius pœnitentis authoritate, etiamſi in melius commutentur; ſed debet fieri à confeſſario electo, quia in ipſa bulla ita præſcribitur, à qua non eſt recedendum. eſt communis ſententia. ſic *Boſſius ſec.* 4. *caſ.* 6. *num.* 2. *Bonacina d.* 6. *de ſacr. quæſt.* 1. *punc.* 5. & alij communiter. 1

Dico ſecundo. Nauigantes, & iter agẽtes poſſunt lucrari iubileum cum primum ad propria domicilia ſe receperint, etiāſi ibi tranſactum ſit tempus iubilei, ſine alia commutatione: debent tamen viſitare eccleſias deſignatas ab ordinario loci eiuſdem domicilij, & præſtare reliqua, quæ in diplomate præſcribuntur, ita regulariter ſtatuitur in ipſo met diplomate. 2

Dico tertio. dum quis actu exequitur opera iniuncta, non oportet habere actualem intentionem lucrandi iubileum, ſed ſatis eſt virtualem habere, *Card. in quæſt. lib.* 5. *de indulg. quæſt.* 25. *propoſit.* 3. *Rodr. in bull.* §. 8. *num.* 9. *& in ſumm. p.* 1. *c.* 184. *nu.* 7. *Vega tom.* 2. *cap.* 7. *caſ.* 2. *Suarez tom.* 4. *d.* 52. *ſec.* 6. *num.* 5. *Laym. l.* 5. *trac.* 7. *c.* 6. *num.* 5. & alij. ratio eſt, quia cum ex vna parte bulla id non poſtulet; & ex alia parte in reliquis ac- 3

Digitized by Google

actionibus circa aliam materiam, etiam in confectione ſacramentorum ſatis ſit virtualis intentio; erit etiam ſatis in executione operum ad lucrandum iubileum. Non deſunt tamen qui dicant ſufficere habitualem, aut interpretatiuam. ita *Laym. l. c. Portellius in dubijs regul. in addit. v. indulg. num.* 7. & colligitur *ex Santarell. c.* 15. *dub.* 4 *ita &t Paſqualigus de iubil. q.* 34. *num.* 4. vbi aſſerit non requiri aliquam intentionem prẹter generalem interpretatiuam; quam opinionem probabilem exiſtimo ob rationes, quas ibidem adducit Paſqualigus. Quod etiam videtur ſentire *Quintana Dueñas tract.* 9. *de iubileo pro mortis articulo dub.* 4. *num.* 6. vbi quamuis dicat ſufficere virtualem intentionem, nihilominus in explicatione, per virtualẽ intelligit, habitualem, ſeu interpretatiuam.

4 Dico quarto. ſi quis tempore iubilei infirmitate laboret, vel ſit in carceribus, vel aliquo alio impedimento detentus, ita vt nequeat præſtare opera iniuncta, vel aliqua ex illis; poteſt petere commutationẽ à confeſſario electo in aliqua alia pia opera, vel prorogationem in proximum tempus, in quo poſſit præſtare iniuncta. ita præſcribi ſolet in ipſo diplomate.

5 Dico quinto. commutatio, aut prorogatio prædicta ſatis eſt, vt fiat à quocumque confeſſario approbato, electo à pœnitente ſolùm in hunc finem obtinendi cõmutationem, licet alteri confeſſario confiteatur. *Sanchez in ſum. l.* 4. *c.* 54. *num.* 27. *Lauorius de iub. p.* 1. *caſ.* 21. *nu.* 37. *Boſſius ſec.* 4. *caſ.* 7. *num.* 4. loquentes de commutatione. & eadem videtur ratio de prorogatione. *Henriquez vero lib.* 7. *c.* 10. *num.* 8. affirmat ita generaliter conceſſiſſe *Greg. XIII.*

6 Dico ſexto. proximum tempus, in quod fieri debet prorogatio, eſt illud, quod immediatè ſequitur poſt illas duas hebdomadas, in quibus celebratum fuit iubileũ. vide *Gratianum in diſcept. for. c.* 161. *nu.* 10. *& ſequent. Barboſam l. de dictionibus vſufrequent dict.* 297. *num.* 2. & ideo ſi prorogatio nequit fieri in proximum illud tempus, cenſeo potius eſſe faciendam commutationem, quam prorogationem.

7 Dico ſeptimo. iſta commutatio fieri poteſt etiam extra confeſſionem. *Boſſius ſec.* 4. *caſ.* 7. *num.* 5. & ita debent dicere omnes, qui tenent commutationem non oportere fieri à confeſſario, cui pœnitens peccata confitetur: de quibus ſupra.

8 Dico octauo. non eſt neceſſe, vt illud pium opus, in quod opera iniuncta commutantur, ſit alligatum diei, quo erat præſtandum ipſum opus præſcriptum. v. g. ſi ob cauſam legitimam mutetur ieiunium feriæ quartæ in eleemoſynam, non oportet, vt eleemoſyna iſta erogetur eodem die feriæ quartæ, ſed qualibet alia die, dummodo ſit intra hebdomadam iubilei. *Henriq. lib.* 7. *c.* 10. *num.* 6. *Sanchez l.* 4. *ſum. c.* 54. *num.* 28. *Santarell. c.* 7. *dub.* 1. *Fernandez in medulla p.* 3. *c.* 7. §. 10. *n.* 1. ratio eſt, quia facultas iſta commutandi opera iniuncta eſt fauorabilis, & ideo ampliãda, ſeruando proprietatem verborũ: in diplomate autem nõ dicitur quod opus pium ſubrogatum debeat fieri eodem die, quo erat peragendum opus iniunctum: & ideo non cogimur ad id aſſerendum.

Dico nono. ſi in diplomate Pontifex non daret facultatem commutandi opera præſcripta ad obtinendum iubileum; tunc non poſſet confeſſarius illa commutare; 9
ita *Paſqualigus de iubil. quæſt.* 216. *n.* 4. & alij, quos ipſe citauit *nu.* 3. contra aliquos, quos idem Author adducit *num.* 2. eiuſdem quæſtionis. probatur autem cõcluſio, quia cum opera præſcripta ſe habeant vt forma ad lucrandum iubileum, & ideo niſi ponantur, non poterit iubileum acquiri. Dices ſicuti impotens ad ſeruandum ieiunium eccleſiaſticum excuſatur ad illud faciendum, & hoc ſine vlla alia commutatione, & tamen ieiunium eccleſiæ plus, aut æquè obligat, ac ieiunium iubilei: ergo poſita impotentia poterit abſque commutatione illud ieiunium non facere, & iubileum lucrari, nulla etiam commutatione obtenta. reſpondeo negando paritatem, quia vbi datur impotentia, nequit dari obligatio: prẹcepta autem eccleſiaſtica non obligant, quando homo eſt impotens, aut ex adimpletione præcepti, notabile detrimentum ſequeretur; at cum conceſſio indulgentiæ, & alia priuilegia, quæ conceduntur per iubileum dentur ex liberalitate Pontificis, poterit Pontifex ſub quacumque forma, & conditione illa concedere, vt ſupra dictum eſt.

Dico decimo. ex cauſa rationabili poſſunt opera præſcripta diuidi, adimplendo 10
aliqua in vna hebdomada, alia vero in ſequente hebdomada. ita ſentit *Lezzana tom.* 3. 99. *regul. verb. Iubileum num.* 19. quando occurrit neceſſaria, aut rationabilis cauſſa. Verum alij magis communiter negant: & ideo ſi quis nequeat omnia opera perficere in eadem hebdomada, petat de illis commutationem à confeſſario, ſi talis poteſtas commutandi in iubileo concedatur.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

De interpretatione danda Iubileo.

SVMMARIVM.

1 *Verba huius diplomatis quando aliquam habent ambiguitatem, interdum latè, interdum ſtrictè debent explicari iuxta qualitatem materiæ.*

2 *Verba iubilei, quæ continent remiſſionem pœnæ amplè ſunt explicanda.*

3 *Ambiguitas, quæ verſatur circa gratias, latè ſecundum aliquos eſt exponenda.*

4 *Opinio Authoris declaratur adhibita diſtinctione.*

5 *Dubietas verſans circa opera iniuncta ſtrictè eſt interpretanda.*

1 Dico primo. interdum verba diplomatis aliquam patiuntur ambiguitatem, & poſſunt quandoque latè, quandoque ſtrictè explicari: quod dependet ab illa quæſtione, an Bulla iubilei ſit odioſa, vel vndequaque fauorabilis: nam ſi eſt fauorabilis, amplè; ſi odioſa ſtrictè eſt interpretanda, ſecundum regulas iuris: odia reſtringenda, fauores ampliandi. vt autem aliqua in particulari declarem.

2 Dico ſecundo. verba iubilei, quæ continent indulgentiam, ſeu remiſſionem pœnæ, amplè ſunt explicanda, quia iubileum ex hac parte eſt fauorabile. *Suarez tom. 4. d. 56. ſec. 2. num. 8. Coninck de indulg. d. 12. num. 2. Nauar. de iub. not. 34. num. 46. Bonac. de ſacr. d. 6. quæſt. 1. punct. 5. Alphonſus de Leone in quæſt. proœm. de iubil. numer. 26. Boſſius ſect. 4. caſ. 8. num. 9. in fine.*

Dico tertio. si ambiguitas verſetur circa gratias, latè verba putant eſſe exponenda, vtpote fauorabilia *Suar. tom. 2. de relig. l. 6. c. 16. num. 3. Henriq. lib. 6. c. 16. num. 3.* ratio eſt, quia ordinantur ad pleniorem abſolutionem faciendam in fauorem animarum, & in ordine ad bonũ commune ſpirituale: quam opinionem *Sanchez l. 4. ſum. c. 54. num. 7.* iudicat probabilem, ſicuti oppoſitam. 3

Sed diſtinctione cenſeo eſſe dirimendã controuerſiam: videlicet, ſi gratiæ continent poteſtatem diſpenſandi, ſunt fauorabiles, & latè interpretandæ, ſicuti etiam ſi continent actualem diſpenſationem, & non ſunt contra ius commune: ſi vero sũt per modum actualis diſpenſationis, & cõtra ius commune, per ſe ſtrictè ſunt explicandæ. vide quæ diximus *in explic. bull. par. 1. tract. 1. cap. 5.* 4

Dico quarto. ſi vero dubium verſetur circa opera iniuncta, tunc ſtrictè verba ſunt explicanda. ita *Suar. l. c. Bonacina punc. cit. num. 75. Alphonſus de Leone vbi ſupra num. 30. & 31. & ſeq. Boſſius l. c.* & ratio eſt, quia cum opera iſta præſcribantur ad conſecutionẽ indulgẽtiæ, vnde ſi omittantur non obtinebitur indulgẽtia, ex quo reſultat damnum ſpirituale, etiãſi omittatur opus ex impotentia, vel ignorantia inuincibili, vt dicunt communiter Doctores, & nos ſupra: hinc fit, vt ſtrictè verba illa, quæ præſcribunt opera iſta, intelligi debeant, & axioma illud, quod profertur de indulgentijs, ſcilicet, *Tantùm valent, quantùm ſonant*, verificatur præcipuè de operibus præſcriptis, quæ ſecundum litteram ſunt exequenda. Et hæc breuiter dicta ſunt de Iubileo extraordinario. 5

LIBER SEXTVS

DE CASIBVS, ET CENSVRIS Reſeruatis.

QVÆSTIO PRIMA.

Qui nam poſſint caſus ſibi reſeruare?

SVMMARIVM.

1 *Quibus modis ſumatur hoc nomen caſus.*
2 *Quid in hac materia importet reſeruatio.*
3 *Quem finem habeat reſeruatio.*
4 *Definitum eſt in Tridentino in Eccleſia eſſe poteſtatem reſeruandi caſus.*
5 *Omnes, qui habent iuriſdictionem ordinariam poſſunt caſus reſeruare.*
6 *Epiſcopi in ſua diœceſi reſeruandi poteſtatem habent.*

ANtequam ad deciſiones deueniam, iuuat nominis Ethymologiam paucis explanare.

1 Quamplura hoc nomen caſus habet ſignificata, & ideò eſt valdè æquiuocum, nam etſi propriè dicatur à cadendo, & ſignificet ruinam, ſeù lapſum, vndè Theologi ruinam Angelorum caſum appellare conſueuerunt, nihilominus vſurpari ſolet ab alijs ad alia ſignificanda per quamdam analogiam, proindè grammatici caſus vocant ea nomina, quæ à recto, quod dicitur Nominatiuum, declinant; ab oratoribus, & Poetis vſurpatur ad denotandam calamitatem, & miſeriam; à Philoſophis inopinatum euentum; à iuriſconſultis quæſtionem de iure; demum à Theologis dupliciter; primo generaliter, quatenus ſpectat ad actiones morales; & ſic ſumitur pro quæſtione de conſcientia, ſecundo magis propriè ad rem noſtram, & ſic importat, peccatum, per quod homo cadit à rectitudine rationis, à gratia Dei, &c. & de caſu in hac vltima acceptione agimus in hoc tractatu, ſub qua acceptione non venit cenſura.

2 Reſeruatio, prout de illa nunc loquimur in ſubiecta materia, eſt ablatio iuriſdictionis, ſeù limitatio iuriſdictionis conceſſæ alicui ſacerdoti inferiori in ordine ad aliquod peccatum, ſeù cenſuram; ità *Floronus de caſ. reſer. p. 1. cap. 1. num. 1. & 2.* propriè enim non appellatur reſeruatio dum nulla conceditur iuriſdictio circa peccata, ſed totalis negatio iuriſdictionis ad abſoluendum à peccatis mortiferis, vt benè notauit *Suarez tom. 4. diſput. 29. ſec. 3. num. 4.* reſeruatio autem erit dum conceditur iuriſdictio ad excipiendas aliorum confeſſiones, & negatur facultas abſoluendi à quibuſdam peccatis, tunc talis negatio connotans iuriſdictionem conceſſam circa alia peccata mortalia dicitur reſeruatio, & idem aſſerimus de reſeruatione cenſurarum.

Finis, quem habet reſeruatio eſt vt ſubditi coerceantur à libertate peccandi, nã facilitas obtinendi abſolutionem, eſſe poteſt in multis incentiuum peccandi, vt affirmatur *in extrauag. Et ſi Dominici gregis de pœnit. & remiſſ.* & ſi in peccata illa labantur meliùs emendari poſſint vt colligitur *ex Concil. Trid. ſeſ. 14. cap. 7.* & affirmant communiter Doctores. *Floron. cap. cit. num. 38. Coriolan. de caſ. reſer. p. 1. ſect. 1. a. 1. nu. 8.* 3

Definitum eſt *in Concilio Trid ſeſ. 14. de ſacram. pœnit. cap. 7.* in Eccleſia eſſe facultatem reſeruandi aliquos caſus, & hoc contra hæreticos nonnullos, qui aſſerebãt reſeruationem hanc eſſe contra charitatẽ; confirmatur etiam ex alijs ſacris canonibus *à Suarez tom. 4 de pœnit. diſp. 29. ſec. 1. num. 2. à Coriolano tract. de caſ. reſer. p. 1. ſec. 1. a. 1. num. 7. & 8.* & communiter ab alijs; ratio eſt, quia iuriſdictio ad abſoluenda peccata, quæ eſt in ſacerdote interiori emanat à ſuperiore, proindè poterit emanare limitatè, & non cum illa amplitudine, quæ reperitur in ſuperiore, limitatio autem illa, quæ inuenitur in iuriſdictione dicitur reſeruatio. 4

Omnes illi poſſunt ſibi reſeruare peccata, qui habent iuriſdictionem ordinariam circa peccata; nam hi dicuntur ſuperiores reſpectu eorum, qui habent delegatam iuriſdictionem, qui dicuntur inferiores in hoc, quatenus habent iuriſdic- 5

Digitized by Google

dictionem cum dependentia ab *illis*, ideòquè Summus Pontifex poteſt in tota Eccleſia, & reſpectu omnium aliorum Prælatorum ſibi reſeruare peccata; nam omnis iuriſdictio, quæ reperitur in omnibus ſacerdotibus, Epiſcopis, & alijs Prælatis ortum habet à plenitudine illius iuriſdictionis, quæ in Summo Pontifice reſidet; vt ait *Suarez l. c.* & eſt certum ſecundum fidem.

Rurſus poſſunt Epiſcopi ob eamdem rationem in ſua diœceſi caſus aliquos ſibi reſeruare, vt dicunt communiter doctores, & docet *Concil. Trid. l. c.* demum poſſunt Prælati regulares caſus in ſua religione ſibi reſeruare, niſi à Pontifice talis facultas impediatur; idcircò non ſolùm Generales pro tota ſua religione verùm etiam Prouinciales pro ſua Prouincia, & prælati locales, vt Priores, Guardiani, Rectores, & ſimiles habent plures caſus ſibi reſeruatos, quos non ipſi auctoritate propria ſibi reſeruarunt, ſed auctoritate, vel Capitulorum, ſeù Congregationum generalium, aut prouincialium ſecundum varia religionum inſtituta: hæc veritas, quæ eſt communis probari ſolet à pari *ex cap. 7. l. c.* nam licet Concilium ibi de ſolo Sũmo Pontifice, & Epiſcopis loquatur, extendi tamen debet eius doctrina ad omnes alios, qui habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, quales ſunt Prælati Regulares, vel eorum capitula, ſeù congregationes. id probat *Suarez tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 18. num. 1. Rodriq. in ſumma tom. 1. cap. 29. num. 3. Coriol. a. cit. nu. 3. & alij*.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quos caſus ſibi reſeruare queant prædicti.

SVMMARIVM.

1 *Non reſeruantur peccata venialia ſecundum aliquos.*

2 *Alij cenſent quod in Eccleſia datur poteſtas reſeruandi venialia.*

3 *Peccata, quæ de facto reſeruantur ſunt mortalia.*

1 Caſus, qui debent reſeruari, non ſunt peccata venialia, quia huiuſmodi peccata, cum non ſint materia neceſſaria confeſſionis, & eorum remiſſio alia via poſſit obtineri, idcircò eorum reſeruatio foret inutilis; non ſunt igitur materia reſeruationis propriè loquendo, quamuis *Suarez diſp. 29. de pœnit. ſec. 3.* diſtinguat, & dicat poſſe in hoc ſenſu reſeruari; vt nequeant ſacramentaliter remitti, niſi à *tali*, vel *tali* ſacerdote; at non poſſe ità reſeruari, vt remaneat obligatio illa confitendi; nam pœnitens poteſt iure ſuo in confeſſione ſacramentali peccata illa venialia tacere, & ferè idem docet *Delugo de pœnit. diſp. 20. ſec. 2.* præterea peccata mortalia, quæ ſunt ſimpliciter interna, quamuis à quibuſdam aſſeratur reſeruari non poſſe, quia Eccleſia non poteſt iudicare de actibus merè internis, & ità ſentiat *Corinlianus ſec. cit. a. 5. nu. 7.* At meliùs *Sotus in 4. ſent. diſp. 18.* 2
qu. 2. a. 5. Suarez loc. cit. dicunt in Eccleſia eſſe poteſtatem reſeruandi peccata mortalia interna, quamuis id non expediat; ratio eſt, quià iuriſdictio illa, per quam confeſſarius inferior abſoluit ab his peccatis cum oriatur à ſuperiore, poterit ſuperior talem iuriſdictionem concedere cum limitatione iſta, videlicet ne inferior abſoluat pœnitentem à tali, vel tali peccato; nequè fundamentum oppoſitæ ſententiæ eſt firmum, quià licet Eccleſia nequeat iudicare de actibus merè internis; tamen hoc intelligitur quoad forum externum, prohibendo, & puniendo talia peccata: ſub hac enim ratione ſolus Deus poteſt hoc facere, qui eſt ſolus cordium ſcrutator; at quoad forum pœnitentiale, in quo pœnitens obligatur iure diuino aperire confeſſario peccata mortalia interna, & ipſe eſt ſimul accuſator, & teſtis, poteſt Eccleſia habere iuriſdictionem, à Chriſto collatam ad iudicandum de his peccatis, & ab illis abſoluendum &c. non expedit tamen talia peccata reſeruare, & de facto nunquam ab Eccleſia fuerunt reſeruata, quià cum huiuſmodi peccata ſint frequentiora, & ità occulta, vt interdum vix ab eodem, qui illa committit, diſcernantur, foret valdè durum talia peccata reſeruare.

Peccata quæ debent reſeruari ſunt peccata mortalia externa, & non quæcunquè, ſed quædam grauiora, & atrociora, vt præſcribit Concilium Tridentinum *loc. cit.* & inſuper hæc habere debent quaſdam conditiones exprimendas inferius, dum de illis magis in particulari erit ſermo. 3

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum reſeruatio ſit odioſa?

SVMMARIVM.

Cẽſent aliqui reſeruationẽ nõ eſſe odioſã. 1

Odioſam alij eam iudicant. 2

Et hoc ab Authore vt probabilius recipitur. 3

Aliqui putant reſeruationem caſuum non eſſe odioſam reſpectu pœnitē- 1

tium, ità *Lactantius Finellius in ſua aurea ſelectione caſuum reſeruatorum*, quem poſtea ſequutus eſt *Floronus tract. de caſ. reſer. par. 1. cap. 1. num. 29.* & ratio, quam iſte Auctor aſſignat, eſt, quia reſeruatio fit in fauorem animæ ipſorum pœnitentium, concedit tamen eſſe odioſam reſpectu confeſſarij, quatenus illius facultatem ad abſoluendum limitat.

2 Cæterum alij exiſtimant reſeruationem eſſe odioſam reſpectu etiam ipſius pœnitentis, ita *Fagundez præcept. 2. lib. 8. cap. 1. num. 28. & cap. 4. num. 8. Zechius de caſ. reſer. caſ. 13. Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. de voto cap. 5. num. 15.* & alibi: *Sachez lib. 1. ſumma cap. 10. num. 74. Bonacina de pœnit. diſp. 5. quæſt. 7. punc. 5. §. 4. & alij*.

3 Et hoc mihi videtur probabilius, quia reſeruatio reddit vſum ſacramenti pœnitentiæ difficiliorem; proindè verba reſeruantia aliquod peccatum, ſtrictè ſunt interpretanda, & quantum ſufficit ad eorum ſenſum ſaluandum, & non debent extendi, neque obſtat contrarium fundamentum, nempè reſeruationem eſſe in fauorem animæ; nam licet hoc ſit verū, tamen non ſequitur non eſſe odioſam ob rationem à nobis aſſignatam; plures enim leges pœnales ſunt, quæ latæ ſunt etiam in fauorem animarum, & tamē cum pœnales ſint, cenſentur odioſæ, & reſtringēdæ quemadmodum vota, iuramenta, &c. quibus adimitur libertas vouentis, & iurantis, quæ quāuis tendant in bonū animæ, tamen ſtrictè ſunt interpretandæ. aliquas limitationes enumerat *Floronus cap. cit. à num. 46.* ſecundum quas reſeruatio, aut lex pœnalis eſſet extendenda. v. g. ſi caſus vnius ſpeciei reſeruatus, includatur in caſu alterius ſpeciei grauiori, vt ſi furtum ſit reſeruatum, rapina etiam intelligi debet reſeruata, quia in rapina furtum includitur, & rapina eſt grauius peccatum. ſecundo quando ſiuè extenſione eſſet inutilis reſeruatio, aut ſinè tali extenſione ſequeretur abſurdum, quando reſeruatio concernit publicam vtilitatem.

QVÆSTIO QVARTA.

An caſus ratione imperfectionis actus ceſſet à reſeruatione.

SVMMARIVM.

1 *Caſus, qui de facto reſeruationi ſubiacet debet eſſe completus, & conſumatus.*
2 *Peccatum externum contra caſtitatem ſi reſeruetur abſque eo quod dicatur debere eſſe completum, quo pacto ſumi debeat.*
3 *Refertur opinio Turriani.*
4 *Refellitur.*
5 *Affertur ratio.*
6 *In dubio caſus non erit cenſendus reſeruatus.*
7 *Idem aſſerendum, quando pro vtraque parte eſt opinio probabilis.*
8 *Quando pro peccato eſt præſumptio fori externi: probabile eſt peccatum eſſe reſeruatum.*
6 *Oppoſita eſt etiam probabilis.*

1 CAſus, qui de facto reſeruatur, regulariter loquendo, debet eſſe completus, & cōſumatus; proindè niſi aliud in reſeruatione clarè exprimatur, actus imperfectus, & inchoatus in ſua ſpecie non eſt reſeruatus v. g. reſeruetur furtum mortale, ſi quis ex praua voluntate incipiat furari, illa inceptio erit peccatum mortale externum; at ſi antequam compleat furtum ſufficiens ad peccatum mortale externum, ceſſet ab actu furandi, illa actio inchoata non erit reſeruata, quia licet fuerit peccaminoſa, moraliter tamen habebat malitiam mortalem per denominationem ab illa volūtate mala; nam inſpiciendo ſolam actionem externam, non erit malitia mortalis, quia ſuppono quod latro per illam actionem inchoatam exterius non ſumpſit niſi paruam materiam; idem aſſero quando homicidium eſt reſeruatum; tunc ſi quis animo occidendi vulneret etiam lethaliter aliquem, ſi de facto ille non moritur ex vi illius vulneris ille qui percuſſit non cenſetur commiſiſſe peccatum reſeruatū: ſimiliter inſpiciendo ius commune, oſcula, tactus venerei, niſi perueniant ad actum conſumatum in religioſis non ſunt peccata reſeruata, nam vt dicemus infra in caſibus reſeruatis pro religioſis, qui à Clemente VIII. fuerunt præſcripti contra votum caſtitatis, caſus reſeruatus dicitur eſſe lapſus carnis opere conſumatus, qualis non eſt neque tactus, neque oſculum, ſed copula, pollutio voluntaria, &c.

2 Si autem reſeruetur peccatum circa caſtitatem quoties exit in actum externum, & non apponatur illa limitatio, opere cōſumatum, tunc poſſet quis dubitare, an quodcumquè peccatum prodiens in actum externum contra caſtitatem cenſeri debeat reſeruatum v. g. ſi quis praua, & mortali intentione dicat alteri verbum turpe, ex ſe leuè, vel exerceat aliquam actionem externam, quæ præſcindendo à praua intentione non foret mortalis, ſed tantùm venialis, poſſet, inquam, quis dubitare, an tale verbum, vel talis actio ſit reſeruata, ità mordicus defendit *Turrianus in ſelectis par. 2. diſp. 31. dub. 71.* eſſe tale 3 peccatum reſeruatum vt oppoſitum vocet impro-

Digitized by Google

Improbabile, & non tutum; ſed non eſt audiendus; cenſeo enim tale peccatum mi-
4 nimè eſſe reſeruatum. hanc opinionem videtur ſequi *Henriquez lib. 6. de pœnit. ca. 14. num. 6. Suarez de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 12. Iacobus Granado in 2. 2. controu. 1. tract. 15. diſp. 13. num.* 14. & nouiſſimè eam expreſsè docet *Cardinalis Delugo de pœnit. diſp.* 20. *ſec. 2. num.* 15.

5 Ratio pro hac ſententia eſſe poteſt, quia reſeruatio vt diximus, cum ſit odioſa, eſt, quantum fieri poteſt, reſtringenda, ac proindè dum reſeruatur peccatum externum contra hanc, vel illam virtutem, intelligi debet quando opus externum ex ſe continet grauitatem requiſitam ad peccatum mortale, & non quando grauitatem deſumit per relationem ad prauam voluntatem, & in tantùm eſt peccatum mortale, inquantùm eſt ab actu interno mortali, vt ſic enim eſſet potius ampliare, quã reſtringere reſeruationem. diſcutienda eſſet quæſtio illa, an caſus in dubio, reſeruatus cenſeatur, & quid quando hinc, & indè eſt probabilitas tum pro reſeruatione, tum pro eius negatione, ſed de vtraquè quæſtione fusè à nobis actum eſt in tractatu de conſcientia dubia circa hoc ſacramentum, ibi omnia videri queunt.

6 In dubio ſi quis lapſus fuerit in caſũ reſeruatũ, ſiuè dubium ſit de iure, ſiuè ſit de facto, peccatum non erit reſeruatum ſecundum probabiliorem ſententiam. *Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 26. numer. 7. Suarez de cenſur. diſp. 40. ſec. 6. num. 5. & alibi Sanchez in ſumma lib. 1. cap. 10. num. 74. Bonacina de pœnit. quæſt. 7. pũc. 5. §. 4. Merolla in diſput. moral. tom. 1. diſput. 3. cap. 3. dub. 2. num. 366.* quamuis oppoſitum cenſeant *Armil. verb. Caſus num. 13. Corduba in reg. S. Franciſci cap. 7. quæſt. 4. punc. 1. caſ. 5. & alij.* ratio pro priori ſententia, quæ eſt lõgè probabilior, deſumitur ex principio ſuperius poſito, videlicet reſeruationem eſſe odioſam, proindè reſtringendam: dubium autem de iure, eſt quando dubitatur, an re vera ſpecies talis peccati ſit ex reſeruatis per legem, ſeù conſtitutionem latam ab eo qui poteſtatem habet reſeruandi; in tali autem euentu debet pœnitens diligẽtiam adhibere, vt certior fiat de reſeruatione, & ſi facta ſufficienti, & morali diligentia, adhuc non poterit agnoſcere veritatem; tunc poterit abſolui à quocumquè confeſſario habente poteſtatem circa mortalia non reſeruata, quia in tali dubio peccatum illud exiſtimari debet non reſeruatum. dubium de facto eſt, cum certum eſt, quod in iure peccatum illud in tali ſpecie ſit reſeruatum, ſed eſt ambiguitas an fuerit peccatum mortale nec ne, vel ob imperfectionem conſenſus; vel materię; in his caſibus aio, peccatum illud non cenſeri reſeruatum, & hoc eſt conforme non ſolùm iuri communi, verùm etiam iuri noſtræ Societatis; nam *in inſtructionibus communibus cap. 6.* vbi agitur de caſibus reſeruatis, & quo pacto debeat ſe gerere ſuperior, dum aliquis petit ab eo licentiam abſoluendi aliquem religioſum à caſibus reſeruatis *nu.* 7. ſtatuitur, quod dum confeſſarius bona fide dubitat, an ſit mortale, quod proponitur, etiam ſi ex genere ſuo reſeruatum ſit, poteſt abſoluere pœnitentem. aduertendum tamen eſt, quod dum dicimus, non eſſe reſeruatum, quando eſt dubium, an caſus ſit reſeruatus nec ne; ſeù an cõprehendatur ſub lege reſeruante, hoc eſſe limitandum, niſi ſuperior ſibi reſeruet etiam caſum dubium, vt de facto reſeruauit Clem. VIII. in quodam decreto caſus pontificios de quibus dubitatur, an ſint reſeruati, & caſus quos ſibi reſeruant ordinarij, quod decretum refert *Quaranta de verbo ad verbum in ſumma bullarij verb. Caſus reſeruati. §. Editio fuit;* vide de hac re *Merollam tom. 1. diſp. 1. cap. 2. corol.* 11. *nu.* 537.

Hoc ipſum eſt dicendum, quando non eſt ſimpliciter dubium, ſed opinio probabilis, an illud peccatum fuerit nec ne reſeruatum? tunc enim ſi pœnitens nequeat perfectiorem habere cognitionem de veritate, poterit deponendo conſcientiam, exiſtimare peccatum illud non eſſe reſeruatum, ſequens probabilem opinionem. 7

Valdè probabile eſt, quando eſt præſumptio fori externi pro veritate peccati admiſſi, illud peccatum eſſe reſeruatum, quia dum non conſtat de veritate, forum internum ſequitur præſumptionem fori externi, ità *Sanchez lib. 1. in ſumma cap. 10. num. 74.* quem ſequitur *Bonacina de pœnit. diſp. 7. quæſt. 7. pun. 5. §. 4.* ponũt exemplum. Prorumpat quis in hæreſim externam, & poſtea dubitet, an dum protulit illam hæreſim, ità mente ſenſerit, an verò illam affirmauerit cauſſa ioci, vel alio fine ſine aſſenſu interno, in iſto caſu aiunt hi Authores præſumptionem eſſe pro hæreſi, proindè illam hæreſim externam eſſe reſeruatam, quia cum verba ſint naturaliter ſigna internæ conceptionis, & intentionis, niſi conſtet de oppoſito, non præſumitur proferentem aliud ſenſiſſe interiùs, & aliud, ſeù alio modo exteriùs loquutum fuiſſe, vt colligitur *ex l. Labeo, ver. Id tubero, ff. de ſupell. leg.* & confirmant, quia in foro externo talis homo cenſeretur hæreticus, ergo idem eſt dicendum in foro interno. 8

Cæterum oppoſita ſententia ſuã habet pro- 9

probabilitatem, videlicet hæreſim illam non cenſeri reſeruatam non obſtante tali præſumptione, & hanc opinionem apud neminem vidi, niſi apud *Franciſcum Merollam dub. cit. num.* 370. *& Cardinalem Delugo ſec. cit. num.* 18. quia cum reſeruatio, vt dictum eſt, ſit odioſa, eſt preſsè intelligenda, ideoquè dum reſeruatur aliquis caſus, niſi aliud in reſeruatione exprimatur, intelligenda eſt reſeruatio de peccato certò, & non præſumpto: confirmat prædictus Author ſuam opinionẽ optima paritate, & ad hominem contra Sãchez, nempè ſi quis emittat votum caſtitatis perpetuæ, & poſtea incipiat dubitare, an fuerit votum perpetuę caſtitatis, præſumptio eſt pro voto, & per conſequẽs tenebitur tale votum ſeruare; at non erit votum Papæ reſeruatum, vt ipſemet *Sanchez* fatetur *in ſumma lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 26. *& cap.* 44. *num.* 3. quod etiam videtur docere *Suarez tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de voto cap.* 26. *num.* 6. nequè obſtat quod in foro externo proferens hæreſim exiſtimatur hæreticus, quia in foro externo heręſis interna ſufficienter probatur verbis exterius prolatis, idcircò niſi aliquid aliud addatur, præſumptio eſt contra proferentem, at in foro interno cum ſit conſcientia ipſius proferentis, apud quem non cõſtat de hæretica intentione, & cũ ſit de illa vera dubietas, externa prolatio non inducit certitudinem hæreſis, & hoc quia reſeruatio eſt odioſa, ergo ſimiliter in caſu noſtro, licet præſumptio ſtèt pro hæreſi, tamen non cenſebitur reſeruata.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum omnis caſus Papæ reſeruatus, ſit reſeruatus, quatenus annexam habet excommunicationem.

SVMMARIVM.

1 *Nullus de facto datur caſus Pontifici reſeruatus niſi ratione cenſuræ.*
2 *Oppoſitum alij probant, & duo figurantur caſus.*
3 *Declaratur motus proprius Sixti V.*
4 *Peccatum, quod committunt malè promoti ad ordines, aliqui dicunt habere annexam ſuſpenſionem, & vt ſic eſſe reſeruatum: alij dicunt reuocatum eſſe motũ proprium Sixti.*

1 LOngè probabilius eſt nullum de facto dari caſum Pontifici reſeruatum, niſi ratione cenſuræ annexæ. *Nauar. in manual. cap.* 27. *num.* 261. *Sylueſt. Caietanus verb. Caſus. Henriquez lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 1. *Ludouic. à Cruce in decl. bull. diſp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 1. & alij apud ipſum: ratio pro hac concluſione non eſt, quod Põtifex nequeat reſeruare ſola peccata ſine cenſura, quia hoc aſſerere; foret manifeſtus error, ſed quia de facto diſcurrentes per omnes caſus Pontifici reſeruatos, vt colligitur ex lectura ſacrorum canonum, ſemper videbimus cenſuram illis
adnexam. Cæterum oppoſitum exiſtimat 2
Suarez tom. 4. *de pœnit. diſp.* 29. *ſect.* 2. *num.* 4. *&* 5. vbi docet duos dari caſus Pontifici reſeruatos abſque cenſura; & primus caſus habetur *in extrauag. Inter cunctas de priuileg. §. Super confeſſione*, vbi Pontifex præcipit Parochis, vt velint admittere confeſſiones ſuorum Parochianorum factas religioſis mendicantibus, ità vt nequeant contra ipſos Parochianos ob hanc cauſſam excipere, niſi in duobus caſibus, nempè quando Parochianus ſubditus eſſet excommunicatus, aut publicus peccator, addit tamen ne audeant in dolum, & fraudem mentiri, aſſerendo talem Parochianum eſſe excommunicatum, publicum peccatorem, &c. & vult vt à tali delicto, niſi plenè ſatisfecerint, & niſi in articulo mortis, abſolui non poſſint, ex hoc loco colligit Suarez, mendacium illud pernicioſum eſſe reſeruatum Pontifici, qui fuit author illius canonis, & tamen non fuiſſe tali delicto impoſitam cenſurã. ſecundus caſus habetur in motu proprio *Sixti Quinti contra clericos malè promotos*, quos noluit excommunicare, ſed ſolùm ſuſpendere, & ipſum peccatum ſibi reſeruat. Sed reſpondeo, quamuis aliqui
dicant fuiſſe extrauagantem illam annul- 3
latam *per Clement. Dudum de ſepulturis, & conſtitutioni Sixti V.* moderationem fuiſſe adhibitam ab alijs Pontificibus ſucceſſoribus; tamen mihi videtur expeditius, ſi dicamus, quod quamuis illa extrauagãs quantùm ad caſum prædictum non ſit reuocata; nihilominus negandum eſt delictum illud eſſe Pontifici reſeruatum; nullũ enim apparet verbum, per quod ſufficienter colligatur reſeruatio; nam illa veluti conditionalis, ſcilicet, non abſoluantur, niſi plenè ſatisfecerint, non eſt ſignum reſeruationis, quia apponitur in alijs locis ſacrorum canonum in ordine ad abſolutionem aliorum delictorum, quæ ſine dubio non ſunt Pontifici reſeruata; nam in *cap. Quamquam, vltimo de vſuris*, admonentur confeſſarii, ne abſoluant publicum vſurarium, niſi prius reſtituerit, aut ſufficientem cautionem de reſtituendo præſtiterit: vſura autem non eſt peccatum Pontifici reſeruatum, etiam quando eſt
publica. Ad ſecundum caſum reſpõdeo, 4
peccatum illud, quod committitur ab eis, qui recipiunt ordines ſine illis conditionibus,

bus, ob quarum defectum remanent ſuſpenſi, eſſe reſeruatum, & habere annexã cenſuram non excommunicationis, ſed ſuſpenſionis. cæterum aliqui dicunt conſtutionem illam Sixti fuiſſe à *Clemente VIII.* reuocatam, ſed quidquid ſit de reuocatione, concludimus hodiè de facto nullum inueniri caſum Põtifici reſeruatum abſquè cenſura annexa; licet, vt ſupra oſtendimus, poſſit Pontifex, ſicuti, & alij Prælati reſeruare caſus, nullam habentes annexam cenſuram.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum in caſibus Summo Pontifici reſeruatis, reſeruatio cadat immediatè in culpam, an verò tantùm in cenſuram?

SVMMARIVM.

1 *Primus ſenſus quæſiti eſſe poteſt ſi dicatur quod reſeruatio fertur in cenſuram, per accidens vero in peccatum.*

2 *Secundus ſenſus eſt ſi dicatur ferri etiam in peccatum, quamuis mediatè.*

3 *Peccatum, cui annectitur cenſura, eſt etiam reſeruatum.*

4 *Difficile eſt probare, peccata Pontifici reſeruari ratione cenſuræ; & explicatio Patris Suarez non placet.*

5 *Tria ad hoc enodandum declarari debēt.*

6 *Primum exponitur dicendo; ſicuti, qui dat facultatem abſoluendi ab excommunicatione, dat etiam poteſtatem remittendi culpam; ita ſtatim ac ſuperior imponit cenſuram eam ſibi reſeruando, intelligitur etiam ipſam culpam ſibi reſeruare.*

7 *Oſtenditur cur ratione cenſuræ peccatum intelligatur Pontifici reſeruatum?*

8 *Ablata cenſura, vel eius reſeruatione, peccatum non remanet reſeruatum.*

1 Dvplicem ſenſum habere poteſt præſens quæſitum: primo ſi dicatur quod reſeruatio ità fiat in cēſuram, vt per accidēs ſolùm cadat in peccatum, nempè ſecundum rationem illam vniuerſalem, quã Doctores communiter dicunt peccatum non poſſe prius abſolui, niſi prius auferatur cenſura excommunicationis, qua eſt ipſe peccator innodatus, & quia in caſu noſtro excommunicatio eſt Pontifici reſeruata, & ab alijs inferioribus tolli nequit; indè eſt, vt peccatum, cui eſt ipſa excommunicatio annexa, non poſſit auferri ab eiſdem inferioribus ob impedimentum ipſius cenſuræ reſeruatæ; quapropter ſi contingeret vt pœnitens inuincibili ignorantia, & bona fide à confeſſario de peccato abſoluatur, tunc obtineret eius remiſſionem; non obſtante cenſura, ita vt non teneatur amplius peccatum illud clauibus ſacramentalibus ſubijcere, vt euenit, quando excommunicatus bona fide recipit abſolutionem à peccatis non reſeruatis: antequam abſoluatur ab excommunicatione, tunc enim directè eſt abſolutus à peccatis, quia excommunicatio non reddit incapacem abſolutionis, ipſum excommunicatum, ſed ſolùm impedit, ne licitè detur abſolutio à culpis, antequam auferatur ipſa cenſura. Secundo poteſt eſſe alius ſenſus quæſiti, videlicet, 2
culpam eſſe reſeruatam mediatè, hoc eſt ratione cenſuræ, quatenus ipſa cenſura ſit adæquata ratio reſeruationis, licet reſeruatio afficiat immediatè vtrumque, nēpè, & cenſuram, & peccatum, quemadmodum in rebus naturalibus dicere ſolemus colorem videri mediante lumine, ſenſus eſt, lumen eſſe veluti rationem formalem, reddens vltimo viſibilem ipſum colorem, qui etiam immediatè terminat viſionem, ſicuti, & ipſum lumen. At ſi in ſubiecta materia, de qua eſt quæſitum, iſte ſit ſenſus, tunc licet bona fide detur abſolutio à peccatis, quibus eſt annexa excommunicatio reſeruata, à confeſſario nō habente iuriſdictionem in caſus papales, pœnitens non manet abſolutus, quia etiam ipſa peccata ſunt immediatè reſeruata, quamuis recipiant reſeruationem intuitu cenſuræ; ex iſto duplici ſenſu primum amplexus eſt *Durandus lib. 4. ſent. diſt. 17. quæſt. 15. num. 13.* & expreſſe *Ludouicus à Cruce de expoſitione bullæ diſp. 1. cap. 3. dub. 1. num. 5.* at ſenſus poſterior eſt communis, eumquè ſequitur *Sotus in 4. diſput. 18. quæſt. 2. a. 5. ver.* [*Nihilominus mos vniuerſalis*] *Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 29. ſec. 2. numer. 8. Sanchez in ſumma lib. 2. cap. 8. numer. 5. Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 10. n. 268. Fagundez præcept. 2. Eccl. lib. 8. cap. 1. num. 3. & alij.*

Hæc autem ſententia, quatenus aſſerit etiam ipſum peccatum eſſe reſeruatum, eſt apud Theologos communis, & colligitur ex *Concil. Trid. ſeſ. 14. cap. 7.* vbi notatur poteſtas, quam habet Pontifex reſeruandi ſibi abſolutionem quorumdam criminum grauiorum. & aduertit Suarez ſermonem ibi eſſe de ſuprema Pontificis poteſtate, vt iam exercita circa reſeruationem, quia loquitur de præterito, ſic inquiens [*Magnoperè verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibuſuis, ſed à ſummis dumtaxat ſacerdotibus abſoluantur. Vndè meritò Pontifices* 3

ſtes maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare.] In his verbis Concilium nullam facit mentionem de cenſuris, ſed solùm de peccatis, proindè dicendum eſt etiam ipſa peccata eſſe ſummo Pontifici immediatè reſeruata.

4 Difficultas autem eſt probandi crimina prædicta eſſe reſeruata ratione cenſuræ; nam aliquis poſſet dicere vtrumquè immediatè, & per ſe reſeruari, & non vnum ratione alterius, atquè adeò etiamſi cenſura extra confeſſionem abſoluatur, manere adhuc peccatum reſeruatum, & eſſe abſoluendum à Pontifice, vel ab eo, qui delegatam facultatem habet ab illo. ſciò à Patre Suarez, & ab alijs rationem huius rei reddi, dicentes, peccatum illud reſeruari ob connexionem, quam habet cum cenſura, & dependenter ab illa, & ideò ablata cenſura, tolli reſeruationem, quæ reſultabat in ipſa culpa vi illius coniunctionis cum cenſura; ſed licet quod dicunt hi Authores verum ſit, nihilominus hoc eſt quod quærimus, videlicet vndè nam habeant, cenſuram, & culpam ita inter ſe comparari, vt culpa dependenter à cenſura habeat reſeruationem? nam etiamſi demus ſimul reſeruari; ex hoc præcisè non videtur neceſſariò inferri poſſe, culpæ reſeruationem eſſe dependenter à cenſura; quia Pontifex poſſet ſimul vtramquè immediatè ſibi reſeruare, & quamuis de facto dicamus non ità eſſe, nihilominus de hac re rationem aſſignare debemus, & addimus, eam, quam dat Suarez non ſatiſfacere, quoniam ęquè incerta eſt, ac ipſamet ſententia; non enim, vt dixi, conſtat nobis culpam dependere, quoad reſeruationem, ab ipſa cenſura, & huius rationem inueſtigamus.

5 Tria igitur ſunt breuiter enodanda, primũ eſt quo ſẽſu culpa dicatur immediatè à Pontifice reſeruari. ſecundũ, an reſeruatio culpæ in caſibus Pontificijs ſit de facto ratione cenſuræ. tertiũ, quà ratione verificetur, ablata cenſura, vel eius reſeruatione, non manere culpam reſeruatam, quod eſt illud, quod primariò hic intendimus.

6 Exordientes autem à primo, hanc rationem reddere poſſumus; ſicuti enim poteſtas abſoluendi à caſibus reſeruatis, quibus eſt annexa cenſura excommunicationis reſeruatæ, neceſſariò trahit poteſtatẽ abſoluendi ab excommunicatione; aliter inutilis eſſet prior illa poteſtas, quia cum ante abſolutionem à peccatis pręmitti debeat abſolutio ab excommunicatione, ideo qui dat facultatem abſoluendi à peccatis, intelligitur dare facultatem abſoluendi à cenſura excommunicationis, quę eſt illis peccatis annexa; ità à pari Pręlatus ſuperior dum imponit cenſuram alicui delicto, eamquè ſibi reſeruat, auferendo poteſtatem abſoluendi ab alijs inferioribus; ſtatim intelligitur ſibi reſeruare culpam, quamuis non ratione ſui, ſed ratione cenſurę, proindè culpa poterit dici immediatè, & mediatè reſeruari: immediatè, quatenus etiam in ipſam cadit reſeruatio, non ſiſtens in cenſura: mediatè, in quantum hanc reſeruationem non habet ratione ſui, ſed ratione cenſurę; cui ſubſternitur, quod euenit in caſibus Pontificijs; & hæc de primo.

Circa ſecundum dubium, aio reſeruationem culpæ in ſubiecta materia eſſe ratione cenſuræ, & hoc probamus ex eo, quod Pontifex in ſacris canonibus, & decretis ſolum proponit ipſas cenſuras, & poſtea illas ſibi reſeruat; ſic expreſsè habetur *in Bulla Cœnæ*, in qua cum *in 19. paragrapho* ſit reſeruatio, ſic dicitur. Cæterum à prædictis ſentẽtijs nullus per aliũ, quam per Romanum Pontificem, niſi in articulo mortis conſtitutus, abſolui poſſit; ſententię autem, ſupra quas immediatius cadit reſeruatio, ſunt excommunicationes ibidem latæ, idemquè colligi poteſt de alijs cenſuris reſeruatis in iure, ſemper enim ſit mentio de ipſa cenſura, quæ poſtea dicitur reſeruari, vt eſt manifeſtum diſcurrenti per ſacros canones: & ad hoc melius oſtendendum Pater Suarez affert excommunicationem latam contra clericorum percuſſores *in cap. Suadente 17. quaeſt. 4.* & ait *Suarez tom. 4. diſp. 19. ſec. 2. num. 9.* reſeruationem huius cenſuræ eſſe primam omnium cenſurarum reſeruatarum à Summo Pontifice, & veluti exemplar omnium reliquarum; ibi enim Pontifex excommunicans percuſſorem clerici ſubdit, [*Et nullus Epiſcoporum præſumat illum abſoluere, niſi mortis vrgente periculo, donec apoſtolico conſpectui repræſentetur*.] In hac autem reſeruatione adnoto fieri à Pontifice explicitam mentionem de ipſo reo, vt ſubiacente excommunicationis vinculo, & ideò reſeruationem immediatius ferri, & cadere in ipſam cenſuram, & ea mediante in peccatum, & ſic aduerti poterit in alijs locis, in quibus de reliquis cenſuris ſit reſeruatio. 7

Ad tertium dico quod, ſi reſeruatio afficit culpam ratione cenſuræ, ſeu cenſura mediante, rectè aſſerimus, ablata cenſura, vel eius reſeruatione, culpam non manere reſeruatam; tota enim ipſius culpæ reſeruatio, cum ſit ob coniunctionem cum cenſura, & ab ipſa cenſura redundet in culpam, non eſt mirum, vt pereunte reſer- 8

ſer-

Digitized by Google

ſeruatione cenſuræ, deſinat reſeruatio in culpa.

Sed vlterius vrgebis, ex doctrina data non bene colligi: reſeruationem culpæ dependere in ſuo conſeruari à reſeruatione cenſuræ, nam quis poſſet dicere ſolùm in fieri, & non in conſeruari dependentiam hanc haberi, atquè adeò non inferri, ablata reſeruatione à cenſura, auferri etiã à culpa. reſpondeo id dici non poſſe, quia cum reſeruatio ſit odioſa, & Pontifex in locis prædictis ſibi reſeruet totum illud conflatum ex cenſura, & culpa, non debemus nos extendere reſeruationem ad partes inuicem ſeiunctas, ſed ſolùm illam reſtringere ad totum coniunctum, ſeù ad partes vt coniunctas. nequè dicas ex hoc ſequi illud ſolùm coniunctum veſuti indiuiſibiliter acceptum eſſe reſeruatum, non autem partes etiam vt coniunctas, ſicuti in compoſitis phyſicis aliqua conueniunt toti indiuiſibiliter ſumpto, quæ non conueniunt partibus etiam vt coniunctis, ſaltem in ſenſu formali: ne dicas, inquam, hoc, quia, vt vidimus, reſeruatio immediatius fertur in ſententiam excommunicationis; nam ipſa ſententia proponitur, & reſeruatur. & hæc ſatis ſint in reddenda ratione huius rei, quæ cum dependeat à ſola voluntate Pontificis, ratio aſſignata, adiuncto communi Theologorum conſenſu, videtur ſatis congrua, & accommodata.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrũ ſi ignoretur cenſuram Pontifici reſeruatã eſſe, peccatum, cui cenſura eſt annexa, maneat reſeruatum?

SVMMARIVM.

1 *Si quis ignoret cenſuram Pontifici eſſe reſeruatam, peccatum, cui annexa eſt cenſura, non erit reſeruatum.*

2 *Vt quis labatur in peccatum reſeruatum, oportet vt ipſum peccatum externum ſit ſecundum ſe peccatum graue.*

3 *Si quis intendat occidere vnum clericum, & caſu occidat alium clericum, caſus non erit reſeruatus.*

4 *Verba, aut ſigna ad manifeſtandam hæreſim internam debent eſſe talia, vt ſint expreſſiua erroris interni, alias proferens non incideret in caſum reſeruatũ.*

1 Dicendum eſt primo: quando quis ignorat, eſſe annexam cenſuram culpis Pontifici reſeruatis, ita vt ratione ignorantię excuſetur ab incurſione cenſuræ, culpas non eſſe reſeruatas v.g. ſi quis ſurripiat bona naufragantium inuẽta in mari, aut in littore maris, & ignoret huic furto eſſe coniunctam excommunicationem, tunc licet furando illa bona peccet grauiter contra iuſtitiam, tamen furtũ illud non erit reſeruatum, quia deeſt illi fundamentum reſeruationis, nempè incurſus in cenſuram, in quam latro ille non incidit ob ignorantiam ipſius cenſuræ coniunctæ cum tali furto, ità *Sanchez l. c.* qui benè infert tale furtũ abſolui poſſe à quocumquè confeſſario, exemplificando hoc in hæretico, de quo ibidem ait, poſſe in tali caſu abſolui à quocumque confeſſario, quia hæreſis illa non erit reſeruata; hæc opinio, quam cenſeo valdè probabilem fundatur in illa ſententia, quæ aſſerit ad incurrendum in cenſuram requiri cognitionem, & ſcientiam ipſius cenſuræ, proindè ſi quis ignoret illam eſſe latam contra tale peccatum in ſpecie, etiamſi peccet patrando illud peccatum, nihilominus excuſari ab incurſione cenſuræ; & ità docent quamplures Doctores, *Suarez tom. 5. de cenſ. diſp. 4. ſec. 9. num. 19. Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 32. num. 13. & 21. Bonacina de cenſur. diſp. 1. quæſt. 2. pũc. 1. num. 13.* Coninck ſimiliter *de cenſur. diſp. 13. dub. 10. num. 90. Caſtropalaus tom. 1. tract. 2. diſp. 1. punc. 17. & alij*, quamuis etiam ſit probabile oppoſitum, videlicet ignorantiam ſolius cenſuræ non excuſare ab eius incurſione, ſi quis labatur in aliquod peccatum, cui ſit cenſura coniuncta; hos authores citat *Sanchez diſp. cit. num. 9.* cum igitur valdè probabile ſit non incurri cenſuram, cum peccãs ignorat, eſſe annexam tali peccato Pontifici reſeruato, erit etiam valdè probabile peccatum illud in eo caſu non eſſe reſeruatum, quia illi deficit fundamentum reſeruationis, nempè cenſura, quæ tali peccato in indiuiduo non eſt coniuncta.

Dicendum eſt ſecundo. vt quis incidat in caſum reſeruatum, oportet ita ſe gerere, vt actus ille externus peccaminoſus, cui eſt annexa excommunicatio, ſit peccatum mortale, etiam ſecundum actionẽ externam, & non per ſolam relationem ad prauam voluntatem, à qua procedit, vt multis caſibus exemplificat *Sanchez li. 2. decal, cap.* 8. e. c. ſi quis putet comeſtionem carnium eſſe licitam tempore quadrageſimæ, quia credit in Eccleſia nõ eſſe poteſtatem prohibendi tales cibos, & tali errore ductus comedat tantillum carnis, ita vt externa illa actio non ſit mortalis ſecundum ſe, ſed ſolùm ſit talis per relationem ad malam voluntatem, à qua procedit, tunc comeſtio illa non erit peccatum reſeruatum, nequè ità comedens incideret in excommunicationem latam contra hæreticos, quia illa vt externa eſt, 2

non eſt mortalis,nequè vt ſic viſa talis comeſtio, niſi aliæ circumſtantiæ occurrant, eſt ſecundum ſe manifeſtatiua hæreſis internæ.

3 Similiter ſi quis intendat occidere, aut enormiter percutere aliquem clericum determinatum v. g. Ioannem, & caſu errãs percutit Petrum etiam clericum, illa percuſſio non erit reſeruata, quia hic, & nũc pro ut exercetur contra Petrum non eſt voluntaria; proindè in ordine ad Petrum non erit mortaliter peccaminoſa (ſuppono ſufficientem diligentiam adhibitam fuiſſe ne Petrus lædatur) & licet ſit mortalis, quatenus procedit ex praua voluntate percutiendi Ioannem, tamen cum effectu non fuit læſiua reſpectu Ioannis; ità *Caſtropalaus tom. 1. tract. 2. diſp. 1. pun. 17. num. 3. Suarez de cenſur. diſp. 22. ſec. 1. num. 54. Sanchez lib. 9. de matrimon. diſp. 32. num. 27. Bonacina de cenſuris diſp. 1. quæſt. 2. punc. 1. num. 20.* contra Couarruuiam, & alios; proindè probabiliter ſecũdum hos doctores aio talem hominem ità percutientem non incurrere excommunicationem, & per conſequens percuſſionem illam non eſſe reſeruatam.

4 Ex principijs poſitis colligo, quod ſi aliquis hæreticus internus diſcredat plura myſteria fidei, v. g. Trinitatem diuinarum perſonarum, Euchariſtiam, Incarnationem, &c. & volens deliberata intentione proferre exterius vnum ex prædictis erroribus, e. c. Deum non eſſe incarnatum, & tamen caſu præter ſuam intentionem proferat, corpus Chriſti poſt conſecrationem non eſſe in Euchariſtia; colligo, inquam, ex principijs ſupra poſitis, talem ità loquentem, non eſſe hæreticum externum, ità vt incidat in excommunicationem, & per conſequens prolationem illam externam non eſſe caſum reſeruatum; ratio eſt; quia licet ille voluerit deliberata voluntate exterius manifeſtare ſuum errorem, tamen illa manifeſtatio pro vt eſt manifeſtatio erroris interni circa Euchariſtiam, non eſt libera, & cum nequè fuerit manifeſtatio alterius erroris, ſequitur non eſſe reſeruatam; & quamuis caſum hunc apud neminem viderim exagitatum, tamen cenſeo euidenter inferri poſſe ex principijs ſupra poſitis: ſimilis huic eſt ille, de quo loquitur *Sanchez lib. 2. decal. cap. 8. num.* 25. dum ait, hæreticum externum nõ eſſe eum, qui in ſomnis, aut ebrietate pronunciauit hæreſim internam, & ratio, quam adducit, eſt, quia tunc hæreſis externa excommunicationi ſubijcitur, quando procedit ab interna, quod debet intelligi liberè, & modo humano: at hæreſis in ſomnis pronunciata, quamuis aliquo modo procedat ab interna, nihilominus non procedit ab illa modo humano; ſic ego dicam, licet manifeſtatio illius erroris, quo quis credit, Chriſtum non eſſe in ſacramẽto Euchariſtiæ procedat ab errore interno, tamen non procedit ab illo liberè, & modo humano, ideoquè non erit caſus reſeruatus.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum Epiſcopis reſeruentur aliqui caſus ſecundum ius commune?

SVMMARIVM.

Quinque ſolent enumerari caſus in iure canonico Epiſcopo reſeruati. 1

Tale ius cenſetur reuocatum, & ideo cõſuetudines, & iura propria particularium Diœceſum ſunt attendenda. 2

Qui nam caſus in Panormitana Diœceſi reſeruantur. 3

Facultas conceſſa ab Epiſcopo abſoluendi ab omnibus cenſuris non comprehendit caſus omnes eidem Epiſcopo reſeruatos, & è contra facultas abſoluendi ab omnibus caſibus non comprehendit omnes cenſuras, ſed ſolùm illas eiſdem caſibus annexas. 4

Summus Pontifex dans facultatem abſoluendi à caſibus intelligitur etiã à cenſuris, & è conuerſo, & qua ratione. 5

Dicendum eſt primo *in extrauagante ſuper Cathedram de ſepulturis* ſolent enumerari quinque caſus Epiſcopis de iure communi reſeruati. primo. omne peccatum, cui de iure communi eſt annexa publica pœnitentia. ſecundo. excommunicatio, quæ contrahitur ob percuſſionem clerici, dummodò non ſit enormis, aut grauis, nam talis eſt Pontifici reſeruata; dicitur autem leuis, non quia non ſit peccatum mortale, ſed prout contradiſtinguitur ab atroci, vt declarauimus in tractatu proprio de excommunicatione. tertio. peccatum, per quod Clericus incurrit in irregularitatem. quarto. incendium domorum, vel frugum. quinto. publica blaſphemia. 1

Dicendum eſt ſecundo. cum prædicta extrauagans; vt communiter Doctorum opinio cenſet, ſit reuocata *in Clemen. dudum de ſepulturis*, idcircò de iure communi nullus inuenitur caſus Epiſcopis reſeruatus, & ideò circa caſus Epiſcopales recurrendum eſt, vel ad ſtatuta propria, & particularia cuiuſcunquè diœceſis, vel ad conſuetudines particulares, ſeu iura propria in qualibet diœceſi, ita *Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 29. ſec. 3. à num. 6. Floronus de caſib. reſer. par. 1. cap. 2. S.* 2

1.

Digitized by Google

1. ver. Septimo dico, Trullenck in expoſit. bullæ cruciat. diſp. 1. cap. 3. num 14. Fagundez præcept. 2. lib. 8. cap. 2. num. 7. & alij.

3 Dicendum eſt tertio. in hac Panormitana Diœceſi caſus, qui reſeruantur Epiſcopo in Synodo ſequentes enumerantur.

Raptores Virginum.

Proiem ſuffocantes.

Nefandum Sodomiæ ſcelus committentes.

Paganis mulieribus abutentes.

Beſtijs abutentes.

Qui alloquuntur turpia cum monialibus, aut cum alijs mulieribus intra monaſterium commorantibus, vel turpe quid intendunt, aut tractant.

Operantes ſortilegia, magicas artes, veneficia, & ſuperſtitiones exercentes, & quolibet ſacramento, vel ſacramentali ad id abutentes.

Falſarij litterarum, ac ſigilli Archiepiſcopalis, & eius Curiæ, & qui litteras, vel ſcripturas, vel furto abripiunt, vel quouis modo mutilant, aut deturpant, ut integrè legi nequeant.

Notarij, qui legata ad pias cauſſas facta non denunciant.

Clerici ad quoſlibet ordines per ſaltum, vel furtiuè promoti.

Bonorum eccleſiaſticorum inuaſores.

4 Dicendum eſt quarto. quando Epiſcopus concedit facultatem alicui ſacerdoti abſoluendi ab omnibus cenſuris ſibi reſeruatis, non intelligitur data ad abſoluendos omnes caſus eidem Epiſcopo reſeruatos abſque cenſuris, ſed ſolum ad caſus, quibus cenſuræ illæ reſeruatæ ſunt annexæ, & è contra cum concedit facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus ſibi reſeruatis, facultas non extenditur ad omnes cenſuras eidem reſeruatas, ſed tantum ad caſus non habentes cenſuram, ità *Fagundez lib. cit. cap. 1. num. 5. Trullench lib. 1. in bullam §. 7. cap. 2. dub. 2. nu. 1. Nauar. in ſumma cap. 27. num. 261. Ludouicus à Cruce in expoſit. bullę diſp. 11 cap. 3. dub. 2.* & ratio eſt, quia Epiſcopi ſolét interdum reſeruare caſus vt coniūctos cum cenſura, aliquando verò caſus ſimplices ſine cenſura; proindè cum materia reſeruata ſit diuerſa, ex vno non infertur aliud; nam à diuerſis non fit illatio.
6 *L. Papinianus, ff. de minor. & cap. Ad audientiam de decim.* ſolùm igitur cum dat facultatem abſoluendi à caſibus, & illi caſus habent annexam cenſuram, intelligitur etiam conceſſa facultas abſoluendi à cenſuris, quæ eiſdem caſibus ſunt coniūctæ; aliter inutilis foret talis conceſſio, quia non poſſet confeſſarius abſoluere ab illis caſibus non ablata cenſura; ſimiliter facultas abſoluendi à cenſuris tollit reſeruationem ab illis caſibus, qui ratione cenſuræ ſunt reſeruati, quia tunc reſeruatio caſuum eſt ſolùm ratione cenſuræ, vt ſupra diximus de caſibus Papæ reſeruatis.

At quando Pontifex dat facultatem ab- 5
ſoluendi à caſibus, intelligitur etiam à cēſuris, & facultas abſoluendi à cenſuris tollit reſeruationem à caſibus, quando confeſſarius à prædictis pontificijs cenſuris abſoluit; & ratio diſparitatis inter has duas facultates, nempè inter illam datam ab Epiſcopo, & illam conceſſam à Pontifice, eſt, quia vt ſupra oſtendimus, nullus eſt Pontifici caſus reſeruatus de facto ſine cenſura, non item de reſeruatione caſuum Epiſcopalium; ità prædicti Authores.

QVÆSTIO NONA.

Vtrum Prælati Regularium poſſint reſeruare ad libitum caſus erga ſuos ſubditos?

SVMMARIVM.

Ante decretum Clem. VIII. poterant Prælati Regulares reſeruare ſibi caſus. 1

Secùs poſt tale decretum. 2

Quales ſunt caſus, quos poſſunt ſibi reſeruare. 3

Nō imponitur à Pontifice obligatio Prælatis vt omnes caſus enumeratos reſeruent, ſed hoc eorum arbitrio remittitur. 4

Aliqui putant Prælatos imponentes cenſuram excommunicationis alijs caſibus, præter enumeratos poſſe ſibi talem cenſuram reſeruare. 5

Oppoſitum cum alijs placet Authori. 6

Limitatio iuriſdictionis quamuis odioſa, ampliatur ob identitatem rationis. 7

A diuerſis fit illatio ob eandem identitatem rationis. 8

In decreto Clementis fit mentio ſolùm de peccatis, & non de cenſuris, quia frequentius peccata reſeruantur. 9

Identitas rationis facit, vt etiam cenſuræ comprehendantur. 10

Inſtantia contraria, & eius ſolutio. 11

Poteſt Prælatus ſibi reſeruare cenſuram ab ipſo impoſitam alicui peccato ex aſſignatis à Clemente. 12

Certum eſt ante decretum *Clementis VIII.* datū *Roma die 26. Maij anno Domini* 1593. quod extat 1
impreſſum *in tom. 4. Bullarij poſt 26. conſtitutionem editam ab Vrbano VIII.* potuiſſe Prælatos regulares reſeruare ſibi caſus in ordine ad proprios ſubditos,

quemadmodum poſſunt Epiſcopi nunc in propria diœceſi, & in ordine ad ſuos ſubditos, vt benè adnotauit *Pater Suarez tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 18. num. 1.* & ait, id eſſe certum eadem certitudine, qua hoc ipſum conſtat de Epiſcopis circa ſuos ſubditos; nam licet *Concilium Trid. ſeſ. 14. cap. 7.* de Papa, & Epiſcopis explicitè mentionem fecerit, nihilominus nomine Epiſcoporum comprehendit omnem Prælatum habentem iuriſdictionem Epiſcopalem: nam reſeruare eſt actus iuriſdictionis, quæ nõ à charactere epiſcopali per ſe dependet; proindè eſt quid commune omnibus habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem, qualem habent Prælati regulares erga ſuos ſubditos.

2 Poſt decretum verò Clementis nequeũt Prælati regulares reſeruare ſibi indifferenter quemlibet caſum; eſt certa ſententia; nam per illud decretum Pontifex quamuis non abſtulerit à Prælatis religioſorum facultatem reſeruandi caſus, tamen voluit eorum poteſtatẽ coarctare ad talem materiam, & ideò vndecim præſcripſit caſus, quos poſſunt ſuperiores regulares in ordine ad proprios ſubditos ſibi reſeruare, qui quidem caſus enumerantur in decreto prædicto, vt ſunt ſequentes.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

3 Apoſtaſia à religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento; quando eò peruenerit, vt extra ſepta monaſterij, ſeu conuentus fiat egreſſio.

Nocturna, ac furtiua è monaſterio, ſeù conuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeù legitimo.

Procuratio, auxilium, ſeù conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtũ, etiam effectu non ſequuto.

Falſificatio manus, aut ſigilli officialium monaſterij, aut conuentus.

Furtum de rebus monaſterij, ſeù conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſquè perſonæ.

Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à ſuperioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad ſuperiores.

4 Pontifex dum prædictos caſus enumerat, non præcipit, vt ſuperiores omnes caſus illos ſibi reſeruent, ſed ſolùm vult, ne alios præter enumeratos reſeruent, imò concedit, vt capitulum generale per totam religionem, & capitulum prouinciale per totam prouinciam poſſit alios caſus præter aſſignatos, pro bono ſtatu religionis, & circumſtantijs occurrentibus reſeruare; ità expreſsè in conſtitutione illa. Poſſunt tamen Prælati religionum, non ſolùm Generales, verùm etiam Prouinciales, imò Rectores, Priores, Guardiani, &c. omnes prædictos caſus, vel quemlibet ipſorum reſeruare; ità *Suarez tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 18. numer. 14.* ratio eſt: quia Pontifex in ſuo decreto indefinitè loquitur de ſuperioribus; proindè omnes ſuperiores comprehendit. in Societate autem Ieſu ſola congregatio generalis poteſt caſus reſeruare, ita *Suarez cap. cit. num. 15. & lib. 8. cap. 5. num. 4.* & ratio eſt, quia ex vna parte nullus ſuperior poteſt alios caſus, præter illos vndecim reſeruare ſine conſenſu capituli generalis, aut prouincialis, vt Pontifex præſcribit: & quia in Societate congregatio prouincialis nullum habet votum deciſiuum præter illud, quod pertinet ad electionem procuratoris, ſed tantùm habet votum conſultiuum cum Patre Generali; idcircò ſola congregatio generalis in Societate ius habet reſeruandi caſus præter enumeratos.

5 Controuerſum autem eſt, an ſuperiores regularium poſſint alios caſus præter expreſſos, ſub excommunicatione maiori prohibere, reſeruantes ſibi abſolutionem talis excommunicationis. affirmat *Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 29. ſec. 3. num. 13. Fagundez precept. 2. lib. 8. cap. 4. num. 3. Coriolanus de caſ. reſer. par. 1. ſec. 2. a. 6. num. 1. Bartholomæus à S. Faustio in theſauro religioſo lib. 6. quæſt. 88. Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 9. diff. 58. n. 5.* ſed negat *Sanchez in ſumma lib. 6. cap. 1. num. 16. Franciſcus Merolla in diſputationibus moralibus tom. 1. diſp. 1. cap. 2. num. 577. Gaſpar Hurtado de ſacram. pœnit. diſp. 11. diff. 7. Megalius in inſtitutione confeſſariorum par. 1. lib. 1. cap. 12. num. 8. & Lezana in qq. regul. cap. 18. num. 21.* & nouiſſimè *Ludouicus Ceſpanus in cur. Theol. tom. 2. tract. 14. diſput. 6. ſec. 2. num. 14.* vbi hanc ſententiam vt probabiliorem recipit, & alij apud *Dianam tom. 8. de dubijs regul. reſol. 49.*

6 Et licet pro vtraquè parte ſint rationes, quæ reddunt probabilem vtramque opinionem, mihi tamen videntur probabiliores, & efficaciores hæ, quæ ſunt pro parte negatiua, quas Sanchez, & alij põderant; potiſſima autem ea videtur, quæ ex fine legis, ſeù ex mente legiſlatoris deſumitur, quæ ob finem illum adæquatè mouetur; in caſu autem noſtro mens pontificis in præſcribendis caſibus, ſuper quos ca-

Digitized by Google

cadere poſſit reſeruatio facienda à Prelatis regularibus, fuit, ne nimia reſeruatio ſit ſpiritualiter ſubditis nocitura, & eos periculo damnationis, & deſperationis remedij ſpiritualis exponant, vt expreſsè patet ex procemio illius decreti. hæc autem ratio locum habet non ſolùm pro peccatis, verùm etiam pro cenſuris reſeruandis, vt de ſe eſt manifeſtum; ideoquè licet ex verbis eiuſdem decreti non contineatur limitatio iuriſdictionis in ordine ad cenſuras; comprehenditur tamen ex identitate rationis, quæ ſufficiens eſt ad extendendam legem ex vno caſu ad alium ſub verbis minimè contentum; vt docet *Panor. cap. fin. de reſcript. à num. 10. Couar. in cap. Alma mater 2. par. §. 4. num. 7. ver. (Secundo) Gomez 1. var. reſol. cap. 5. num. 11. Molina de primog. lib. 1. cap. 5. num. 10. Menoch. lib. conſil. 11. num. 10. & 19. Guttier. quæſt. can. lib. 1. cap. 10. nu. 3. Sylueſt. verb. Lex, quæſt. 18. & alibi, Suarez lib. 6. de leg. cap. 3. num. 16. Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 42. num. 4. & alij* contra paucos oppoſitum ſentientes. dixi ex identitate rationis extenſionem fieri, quia non loquor, quando eſt ſimilitudo, ſed par ratio, nam ex ſimilitudine, & præſertim in odioſis, cenſeo extenſionem hanc fieri minime poſſe; tunc enim interpretatio legis ſecundùm mentem legiſlatoris non erit comprehenſiua alterius caſus, ſicuti eſt præſens. maneat igitur vi illius decreti non poſſe à Prælato regulari imponi excommunicationem in caſibus non exceptis, eamque ſibi reſeruare; hoc
6 enim eſſet legem Pontificis illudere; nam Prælati hoc prætextu excommunicationis reſeruatæ, & impedientis abſolutionẽ à culpa reſeruarent ſibi culpam contra mentem Pontificis, & in perniciem ſubditorum.

Sed dices pro oppoſita ſententia affirmatiua: limitatio iuriſdictionis ordinariæ, quam Prelati in ſubditos habent, eſt odioſa, & non amplianda; igitur non eſt extendenda ad cenſuras.

7 Reſpondeo eſſe ampliandam, quando eſt identitas rationis intenta à legiſlatore, vt accidit in caſu noſtro, & confirmari poteſt à pari *in §. Illud quæſitum ad l. Aquiliam*, vbi pœna, quæ pro furto ſtatuitur, declaratur, extendi ad aliam actionem iniurioſam, quæ damnum infert, & hoc ob identitatem rationis, vide *Gloſſ. §. Exiſtimaro*; & tamen diſpoſitio cum ſit pœnalis eſt odioſa.

Dices ſecundo à diuerſis non fit illatio, & præſertim in odioſis *l. Papinianus ff. de min.* cum autem caſus, & cenſura ſint diuerſa, ex vno non rectè aliud inferre debemus.

Reſpondeo legem illam eſſe intelligendam, quando non eſt identitas rationis, ſed ſolùm ſimilitudo, & paritas. 8

Dices tertio Pontifex ibi ſolùm loquitur de caſibus, ſeu peccatis, non de cenſuris; ergo male lex illa ad cenſuras extenditur. 9

Reſpondet primo Sanchez ſermonem eſſe de peccatis, quia Prælati Pontifice inferiores frequentius peccata, quam cenſuras ſibi reſeruant; & ideò verba, quæ in lege, gratia frequentioris vſus ponuntur, legem nequaquam reſtringunt, vt ex alijs doctoribus confirmat idem Sanchez.

Reſpondeo ſecundo, etiam ſi verba ſint de culpis, nihilominus identitas rationis facit, vt etiam cenſuræ comprehendantur, vt patet in diſpoſitione illa pœnali contra furtum, cuius verba ſolùm furtum continebant, & tamen *in l. Illud quæſitum*, declaratum fuit illud ſe extendere ad aliã actionem iniurioſam, damnum inferentem. 10

Dices quarto, quamuis reſeruata excõmunicatione nequeat culpæ abſolutio cõferri, id per accidens erit exiſtimandum. 11

Reſpondeo, ſicuti arguens non iudicat inconueniens impediri per accidens abſolutionem culpæ, quæ non eſt vna ex ijs, de quibus reſeruatio eſſe poteſt; ita, & ego dicam per accidens eſſe, excommunicationem reſeruari non poſſe, ne reſeruatio indirectè cadat ſupra culpas illas, quæ iuxta diſpoſitionem Pontificis, reſeruari nequeunt, cum autem vtraquè pars defendit ſuam opinionem, recurrens ad euentum per accidens, maior ratio eſt vt legi Pontificiæ fauorem præſtemus, quam iuriſdictioni Prælatorum regularium.

Concedit tamen Sanchez poſſe Prælatum imponendo excommunicationem alicui ex caſibus aſſignatis à Clemente, reſeruare excommunicationem illam; nam ſicuti poteſt reſeruari caſus, poterit etiam excommunicatio, quæ eſt acceſſoria. Et hoc mihi videtur verum. 12

QVÆSTIO DECIMA.

Quis poteſt legitimè abſoluere à caſibus, & cenſuris Pontifici reſeruatis.

S V M M A R I V M.

Caſus reſeruati Summo Pontifici in ordine ad abſolutionem ſunt diuerſi generis, & declaratur diuerſitas. 1

Caſus in bulla cœnæ nemo remittit præter Pontificem niſi in articulo mortis. 2

Abſoluens ab his caſibus ſine facultate habita à Pontifice ex ignorantia craſſa, ſi non eſt affectata, non efficitur cenſu- 3

ra

quemadmodum poſſunt Epiſcopi nunc in propria diœceſi, & in ordine ad ſuos ſubditos, vt benè adnotauit *Pater Suarez tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 18. num. 1.* & ait, id eſſe certum eadem certitudine, qua hoc ipſum conſtat de Epiſcopis circa ſuos ſubditos; nam licet *Concilium Trid. ſeſ. 14. cap. 7.* de Papa, & Epiſcopis explicitè mentionem fecerit, nihilominus nomine Epiſcoporum comprehendit omnem Prælatum habentem iuriſdictionem Epiſcopalem: nam reſeruare eſt actus iuriſdictionis, quæ nō à charactere epiſcopali per ſe dependet; proindè eſt quid commune omnibus habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem, qualem habent Prælati regulares erga ſuos ſubditos.

2 Poſt decretum verò Clementis nequeūt Prælati regulares reſeruare ſibi indifferenter quemlibet caſum; eſt certa ſententia; nam per illud decretum Pontifex quamuis non abſtulerit à Prælatis religioſorum facultatem reſeruandi caſus, tamen voluit eorum poteſtatē coarctare ad talem materiam, & ideò vndecim præſcripſit caſus, quos poſſunt ſuperiores regulares in ordine ad proprios ſubditos ſibi reſeruare, qui quidem caſus enumerantur in decreto prædicto, vt ſunt ſequentes.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

3 Apoſtaſia à religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento; quando eò peruenerit, vt extra ſepta monaſterij, ſeu conuentus fiat egreſſio.

Nocturna, ac furtiua è monaſterio, ſeù conuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeù legitimo.

Procuratio, auxilium, ſeù conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtū, etiam effectu non ſequuto.

Falſificatio manus, aut ſigilli officialium monaſterij, aut conuentus.

Furtum de rebus monaſterij, ſeù conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

Lapſus carnis voluntarius opere conſumatus.

Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſquè perſonæ.

Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à ſuperioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad ſuperiores.

4 Pontifex dum prædictos caſus enumerat, non præcipit, vt ſuperiores omnes caſus illos ſibi reſeruent, ſed ſolùm vult, ne alios præter enumeratos reſeruent, imò concedit, vt capitulum generale per totam religionem, & capitulum prouinciale per totam prouinciam poſſit alios caſus præter aſſignatos, pro bono ſtatu religionis, & circumſtantijs occurrentibus reſeruare; ità expreſsè in conſtitutione illa. Poſſunt tamen Prælati religionum, non ſolùm Generales, verùm etiam Prouinciales, imò Rectores, Priores, Guardiani, &c. omnes prædictos caſus, vel quemlibet ipſorum reſeruare; ità *Suarez tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 18. numer. 14.* ratio eſt: quia Pontifex in ſuo decreto indefinitè loquitur de ſuperioribus; proindè omnes ſuperiores comprehendit. in Societate autem Ieſu ſola congregatio generalis poteſt caſus reſeruare, ita *Suarez cap. cit. num. 15. & lib. 8. cap. 5. num. 4.* & ratio eſt, quia ex vna parte nullus ſuperior poteſt alios caſus, præter illos vndecim reſeruare ſine conſenſu capituli generalis, aut prouincialis, vt Pontifex præſcribit: & quia in Societate congregatio prouincialis nullum habet votum deciſiuum præter illud, quod pertinet ad electionem procuratoris, ſed tantùm habet votum conſultiuum cum Patre Generali, idcircò ſola congregatio generalis in Societate ius habet reſeruandi caſus præter enumeratos.

Controuerſum autem eſt, an ſuperiores regularium poſſint alios caſus præter expreſſos, ſub excommunicatione maiori prohibere, reſeruantes ſibi abſolutionem talis excommunicationis. affirmat *Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 29. ſec. 3. num. 13. Fagundez præcept. 2. lib. 8. cap. 4. num. 5. Coriolanus de caſ. reſer. par. 1. ſec. 2. a. 6. num. 1. Bartholomæus à S. Paulo in theſauro religioſo lib. 6. quæſt. 88. Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 9. diff. 58. n. 5.* ſed negat *Sanchez in ſumma lib. 6. cap. 1. num. 16. Franciſcus Merolla in diſputationibus moralibus tom. 1. diſp. 1. cap. 2. num. 577. Gaſpar Hurtado de ſacram. pœnit. diſp. 11. diff. 7. Megalius in inſtitutione confeſſariorum par. 1. lib. 1. cap. 12. num. 8. & Lezana in qq. regul. cap. 18. num. 21.* & nouiſſimè *Ludouicus Ceſpanus in cur. Theol. tom. 2. tract. 14. diſput. 6. ſec. 2. num. 14.* vbi hanc ſententiam vt probabiliorem recipit, & alij apud *Dianam tom. 3. de dubijs regul. reſol. 40.* 5

Et licet pro vtraquè parte ſint rationes, quæ reddunt probabilem vtramque opinionem, mihi tamen videntur probabiliores, & efficaciores hæ, quæ ſunt pro parte negatiua, quas Sanchez, & alij pōderant; potiſſima autem ea videtur, quæ ex fine legis, ſeù ex mente legiſlatoris deſumitur, quæ ob finem illum adæquatè mouetur; in caſu autem noſtro mens pontificis in præſcribendis caſibus, ſuper quos 6

cadere poſſit reſeruatio facienda à Prelatis regularibus, fuit, ne nimia reſeruatio ſit ſpiritualiter ſubditis nocitura, & eos periculo damnationis, & deſperationis remedij ſpiritualis exponant, vt expreſſè patet ex procemio illius decreti. hæc autem ratio locum habet non ſolùm pro peccatis, verùm etiam pro cenſuris reſeruandis, vt de ſe eſt manifeſtum; ideoque licet ex verbis eiuſdem decreti non contineatur limitatio iuriſdictionis in ordine ad cenſuras; comprehenditur tamen ex identitate rationis, quæ ſufficiens eſt ad extendendam legem ex vno caſu ad alium ſub verbis minimè contentum; vt docet *Panor. cap. fin. de reſcript. à num. 10. Couar. in capi Alma mater 2. par. §. 4. num. 7. ver. (Secundo.) Gomez 1. var. reſol. cap. 5. num. 11. Molina de primog. lib. 1. cap 5. num. 10. Menoch. lib. conſil. 11. num. 10. & 19. Guttier quæſt. can. lib. 1. cap. 10. nu. 3. Syluest. verb. Lex, quæſt. 18. & alibi, Suarez lib. 6. de leg. cap. 3. num. 16. Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 42. num. 4. & alij* contra paucos oppoſitum ſentientes. dixi ex identitate rationis extenſionem fieri, quia non loquor, quando eſt ſimilitudo, ſed par ratio, nam ex ſimilitudine, & præſertim in odioſis, cenſeo extenſionem hanc fieri minimè poſſe; tunc enim interpretatio legis ſecundùm mentem legiſlatoris non erit comprehenſiua alterius caſus, ſicuti eſt præſens. maneat igitur vi illius decreti non poſſe à Prælato regulari imponi excommunicationem in caſibus non exceptis, eamque ſibi reſeruare; hoc enim eſſet legem Pontificis illudere; nam
6 Prælati facilè prætextu excommunicationis reſeruatæ, & impedientis abſolutionem à culpa reſeruarent ſibi culpam contra mentem Pontificis, & in perniciem ſubditorum.

Sed dices pro oppoſita ſententia affirmatiua: limitatio iuriſdictionis ordinariæ, quam Prelati in ſubditos habent, eſt odioſa, & non amplianda; igitur non eſt extendenda ad cenſuras.

7 Reſpondeo eſſe ampliandam, quando eſt identitas rationis intenta à legiſlatore, vt accidit in caſu noſtro, & confirmari poteſt à pari *ex l. Illud quæſitum ad l. Aquiliam*, vbi pœna, quæ pro furto ſtatuitur, declaratur, extendi ad aliam actionem iniurioſam, quæ damnum infert, & hoc ob identitatem rationis, vide *Gloſſ. §. Existimant*; & tamen diſpoſitio cum ſit pœnalis eſt odioſa.

Dices ſecundo à diuerſis non fit illatio, & præſertim in odioſis *l. Papinianus ff. de min.* cum autem caſus, & cenſuræ ſint diuerſi, ex vno non rectè aliud inferre debemus.

Reſpondeo legem illam eſſe intelligendam, quando non eſt identitas rationis, ſed ſolùm ſimilitudo, & paritas. 8

Dices tertio. Pontifex ibi ſolùm loquitur de caſibus, ſeu peccatis, non de cenſuris; ergo male lex illa ad cenſuras extenditur. 9

Reſpondet primo Sanchez ſermonem eſſe de peccatis, quia Prælati Pontifice inferiores frequentius peccata, quam cenſuras ſibi reſeruant; & ideò verba, quæ in lege, gratia frequentioris vſus ponuntur, legem nequaquam reſtringunt, vt ex alijs doctoribus confirmat idem Sanchez.

Reſpondeo ſecundo. etiam ſi verba ſint de culpis, nihilominus identitas rationis facit, vt etiam cenſuræ comprehendantur, vt patet in diſpoſitione illa pœnali contra furtum, cuius verba ſolum furtum continebant, & tamen *in l. Illud quæſitum*, declaratum fuit illud ſe extendere ad aliã actionem iniurioſam, damnum inferentem. 10

Dices quarto. quamuis reſeruata excõmunicatione nequeat culpæ abſolutio cõferri, id per accidens erit exiſtimandum. 11

Reſpondeo, ſicuti arguens non iudicat inconueniens impediri per accidens abſolutionem culpæ, quæ non eſt vna ex ijs, de quibus reſeruatio eſſe poteſt; ita, & ego dicam per accidens eſſe, excommunicationem reſeruari non poſſe, ne reſeruatio indirectè cadat ſupra culpas illas, quæ iuxta diſpoſitionem Pontificis, reſeruari nequeunt, cum autem vtraque pars defendit ſuam opinionem, recurrens ad euentum per accidens, maior ratio eſt vt legi Pontificiæ fauorem præſtemus, quam iuriſdictioni Prælatorum regularium.

Concedit tamen Sanchez poſſe Prælatum imponendo excommunicationem alicui ex caſibus aſſignatis à Clemente, reſeruare excommunicationem illam; nam ſicuti poteſt reſeruari caſus, poterit etiam excommunicatio, quæ eſt acceſſoria. Et hoc mihi videtur verum. 12

QVÆSTIO DECIMA.

Quis poteſt legitimè abſoluere à caſibus, & cenſuris Pontifici reſeruatis.

S V M M A R I V M.

Caſus reſeruati Summo Pontifici in ordine ad abſolutionem ſunt diuerſi generis, & declaratur diuerſitas. 1

Caſus in bulla cœnæ nemo remittit præter Pontificem niſi in articulo mortis. 2

Abſoluens ab his caſibus ſine facultate habita à Pontifice ex ignorantia craſſa ſi non eſt affectata, non afficitur cenſura 3

Digitized by Google

ra excommunicationis, irrita tamen erit abſolutio.

4 *Prædictâ excommunicatio non eſt Pontifici reſeruata, quamuis aliqui oppoſitum cenſeant.*

5 *Sub generali facultate abſoluendi à caſibus Pontifici reſeruatis non comprehenduntur illi, qui in bulla cœnæ continentur.*

6 *Probabile eſt comprehendi crimen hæreſis ſub facultate abſoluendi à caſibus in bulla cœnæ.*

7 *Oppoſitum ſentiunt alij, & hæc opinio eſt tutior, eiuſque deciſio aliò remittitur.*

8 *Poſſe Epiſcopum abſoluere à caſibus bullæ cœnæ, quando ſunt occulti iuxta facultatem in Tridentino conceſſam ſuſtinent aliqui.*

9 *Sed cum alijs partem negatiuam ſuſtinet Author.*

10 *Virtute cruciatæ poteſt vnuſquiſque abſolui etiam à caſibus in bulla cœnæ, excepta hæreſi.*

11 *Et etiam vi priuilegiorum, quibus fruũtur Regulares, poſſunt fideles abſolui à caſibus, exceptis tamen ijs, qui in bulla cœnæ habentur.*

12 *Probabile eſt poſſe ſubditos regulares abſolui à proprijs Prælatis ab omnibus caſibus in bulla cœnæ contentis, excipitur hæreſis in hac concluſione.*

13 *Contrarium ſuſtinent alij, & non rectè Lezana citat Suarez.*

14 *Non poſſunt Prælati Regulares abſoluere ſubditos à peccato hæreſis, & in regnis ſubiectis Inquiſitioni Hiſpanicæ eſt certum, & priuilegium contrarium, eſt ſpecialiter in ſocietate renunciatum in quinta Congreg. generali.*

15 *Banniti poſſunt abſolui à quocumque ſacerdote ab his caſibus, & qua ratione.*

16 *Poſſunt ſubditi Regulares cum licentia Prælatorum ſe ſubijcere Epiſcopo, vt abſoluantur à caſibus occultis Pontifici reſeruatis.*

1 Dico primo. caſus Papæ reſeruati ſi conſiderentur in ordine ad abſolutionem ſunt diuidendi in illos, qui continentur in Bulla Cœnæ, & propter ſui enormitatem ſpecialem quamdam habent reſeruationem, vt infra dicemus, & in illos, qui ſparſim reperiuntur in ſacris canonibus, ſiue in alijs bullis, & conſtitu-
2 tionibus pontificijs, & de vtroque genere caſuum diſtinctè eſt agendum in ordine ad abſolutionem obtinendam.

Dico ſecundo. nemo præter Summum Pontificem abſoluere poteſt à caſibus clauſis in bulla cœnæ niſi in articulo mortis, & niſi habeat facultatem delegatam à Summo Pontifice; ità habetur in vltima clauſula eiuſdem bullæ, & ſi quis contrarium facere præſumpſerit, ſtatim incidit in excommunicationem ab eodem Pontifice in eadem clauſula latam.

Dico tertio. qui ex inconſideratione, 3
aut ex ignorantia etiam craſſa, quæ non excuſet à peccato mortali, dummodò non ſit ignorantia affectata, abſoluet quempiam à prædictis cenſuris, vel ab aliqua ex illis ſine facultate habita à Pontifice, quamuis nihil faciat, & abſolutio ſit irrita ex defectu poteſtatis, nihilominus non incurret in hanc cenſuram; nam quando lex imponens pœnam contra patrantes tale, vel tale delictum, dicit, ſi quis auſus fuerit, vel ſi quis præſumpſerit, tunc per ignorantiã craſſam, niſi ſit ingens temeritas, non ſufficienter incurritur pœna illa; ità *Sanchez lib. 9. de matrim. diſput. 32. num. 37. & 38. & Emmanuel Sà in ſumma verb. Pœna numer. 5.* ait, pœna præſumenti impoſita requirit dolum, & rectè; nam præſumptio dolum importat, vt docet *Cardinal: Clement. 1. de priuileg. quæſt. 39.* tali autem dolo caret ille, qui laborat ſolùm ignorantia craſſa, & in eadem ſententia ſunt *Henriquez lib. 13. de excommun. cap. 23. num. 3. Suarez tom. 5. de cenſur. diſp. 4. ſec. 10. num. 3. Auila par. 2. cap. 6. diſp. 10. dub. 6. Molina to. 5. de iuſt. diſp. 71. num. 13. Nauar. in ſumma Hiſpana cap. 27. num. 24. Petrus Ledeſma in ſumma ſacramen. cap. 3. de excommun. dub. vltimo dicto 3. & alij*, quamuis oppoſitum teneat *Toletus in ſumm. lib. 1. cap. 48. Alterius de cenſuris diſp. 11. de ſuſpenſ. cap. 5.*

Dico quarto, prædicta excommunica- 4
tio non eſt Pontifici reſeruata, ità *Suarez de cenſur. diſp. 21. in fine num. 7. Sayrus lib. 3. cap. 25. num. 7. Duardus in bullam cœnæ lib. 3. §. 3. quæſt. 1. num. 2. Souſa in expoſit. eiuſdem bullæ cap. 24. diſp. 101. num. 3. Toletus in ſumma lib. 1. cap. 31. num. 7.* quamuis *Cortolanus de caſ. reſer. in explicat. bullæ cœnæ* cum agit de abſolutione à caſibus in eadem bulla reſeruatis *num. 3.* ſingulariter Toletum pro oppo- 5
ſita ſententia, ſit reuera in contraria ſententia eſt *Caietanus in ſumma verb. Excommunicatio, cap. 77. & apud Bonacinã in eadem bulla diſp. 1. quæſt. 22. pun. 3. n. 8.* liber ipſe noſtram ſententiam ſequatur, citat tamen pro contraria *Vgualdum, Vgolinum, &c.* ratio fundamentalis pro noſtra concluſione eſt, quia prædicta excommunicatio imponitur poſtquam Pontifex in præcedente clauſula reſeruationem fecit antecedentium caſuum; proindè reſeruatio illa extenditur ſolùm ad caſus præcedentes, non autem ad ſubſequentes, & præſertim cum non ſit omnium eadem ratio.

Digitized by Google

tio. vide *Bonacinam l.c.* qui ſoluit nonnulla argumenta, quibus ducti ſunt aduerſarij ad contrariam opinionem ſuſtinendam.

5 Dico quinto. ſub generali conceſſione caſuum Pontifici reſeruatorum non intelliguntur caſus conceſſi, contenti in bulla cœnæ; *Suarez tom. 4. in 3. par. diſp. 21. ſec. 3. num. 3. Sanchez in ſumma lib. 2. cap. 12. num. 13. Vgolinus tabula prim. cap. 10. §. 4. Garçia de beneficijs par. 11. cap. 10. num. 109. Bonacina de cenſur. diſput. 1. quæſt. 3. pun. 1. num. 13. & alij.* ratio eſt, quia cum hi caſus propter ſui grauitatem habeant ſpecialem reſeruationem, non veniunt in generali conceſſione iuxta illam regulam iuris *in 6. cap. In generali*, videlicet ſub generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus; confirmat etiam totum hoc vſus, & praxis.

6 Dico ſexto. probabile eſt ſub generali conceſſione caſuum bullæ cœnæ, comprehendi crimen hæreſis; *Graff. in aureis deciſ. lib. 4. cap. 15. num. 25. Emanuel Sà verb. Excommunicatio bul. cæn. num. 17. & alij.* quam ſententiam probabilem appellat *Pater Suarez de cenſur. diſp. 7. ſec. 5. num. 12. & Emanuel Sà l.c.* teſtatur; ità declaratum fuiſſe à ſacra Cardinalium congregatione: ratio pro hac concluſione eſſe poteſt, quia cum ex vna parte Pontifex ſinè exceptione, & vniuerſaliter concedat caſus in prædicta bulla contentos, & ex alia parte crimen hæreſis non habeat ſpecialẽ, & diuerſã reſeruationẽ ab ea, quã habent alij caſus in eadẽ bulla incluſi, cum per eamdem reſeruationem omnes reſeruentur, ſequitur quod niſi crimen hæreſis excipiatur, veniat conceſſum ſub illa facultate abſoluendi caſus bullæ cœnæ; & ità de facto quando Pontifex vult illud excipere, id declarat, vt patet in ſummario cruciatæ, quod italico idiomate eſt editũ; & in quibuſdam iubileis, &c.

7 At oppoſitam ſententiam tuentur graues Doctores, quos refert, & ſequitur *Barthol. à S. Fauſto lib. 4. de iub. quæſt. 105.* inter quos eſt *Sanchez lib. 2. ſumm. cap. 12. num. 10. Vaſquez de excommun. dub. 19. num. 5. Suarez l.c. Rodriq. in expoſit. cruciat. cap. 9. num. 70. Auila de cenſur. par. 2. cap. 2. diſp. 1. dub. 7. & alij*, quorum fundamentum magna ex parte nititur in quibuſdã declarationibus diuerſorum Pontificum *Greg. XIII. Pij V. & Rodriq.* refert de verbo ad verbum quemdam motum proprium *Greg. in addit. ad bull. cruciat. §. 9. num. 66.* idcircò hæc opinio quia tutior, & quia eſt tot Doctorum authoritate munita, negari non poteſt, quod ſit probabilior, ſed de hac re in expoſitione bullæ cruciatæ fusè, & ex profeſſo egimus, & eò remitto lectorem.

Dico ſeptimo. poſſe Epiſcopum abſoluere à caſibus bullæ cœnæ, quando ſunt occulti, & etiam à crimine hæreſis occulto, iuxta facultatem illi *à Tridentino* cõceſſam *ſeſ. 24. cap. 6.* ſuſtinent plures, & graues Doctores tum antiqui, tum recentiores, quos citat *Sanchez in ſumma lib. 2. cap. 11. num. 27.* & ex noſtris eam tuetur *Emanuel Sà verb. Epiſcopus num. 37. Henriquez lib. 6. cap. 14. num. 7. & lib. 13. cap. 27. num. 5. lit. Q. Fagundez de præcept. eccl. tract. 2. lib. 8. c. 8. num. 32. & 33.* mouentur autem inter alia fundamenta ad id aſſerendum, quia licet in bulla cœnæ reuocentur omnes facultates, & apponatur, clauſula, *Non obſtantibus quibuſuis Concilijs, &c.* cum tamen non fiat expreſſa mentio Concilij Tridentini non videtur illi derogatum eſſe circa facultatem, quæ in eodem concilio conceditur Epiſcopis circa abſolutionem à caſibus bullæ cœnæ. 8

Sed quamuis hæc opinio aliquam inuoluat probabilitatem, nihilominus non eſt recedendum à communiori ſententia, quæ aſſerit facultatem Epiſcopis conceſſam, abrogatam fuiſſe per clauſulam illam derogatoriam in eadem bulla appoſitam; & ità ſentit *Sanchez l.c. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 10. quæſt. 10.* qui addit, ità declaraſſe tres Pontifices, ſcilicet *Pium V. Greg. XIII. & Clem. VIII. Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 30. ſec. 2. num. 11. & tom. 5. diſp. 7. ſec. 6. num. 2. Toletus in ſum. lib. 1. cap. 41. & multi alij apud* Sanchez. ratio pro hac ſententia eſſe poteſt, quia cum per bullam cœnæ irritentur omnes facultates conceſſæ quibuſcumque perſonis dignitate epiſcopali, aut maiori inſignitis, etiamſi per decreta cuiuſcumquè Concilij in genere, aut ſpecie conceſſæ fuerint, non video cur erat facienda ſpecialis mentio Concilij Tridentini; proindè facultas in ipſo Tridentino Epiſcopis tradita, per bullam cœnæ videtur abrogata quoad caſus eiuſdem bullæ. habent tamen Epiſcopi facultatem abſoluendi à caſibus, & cenſuris reſeruatis papæ, quando ratione alicuius impedimẽti reus nequit habere recurſum ad Pontificem, vt eſt infirmitas, ſenectus, paupertas, inimicitiæ, ſexus vt fœmina, puer, & multa alia canonica impedimenta, quæ enumerantur *in cap. De cetero, cap. Ea noſcitur, cap. Quod de his de ſentent. excommun. in 6.* quæ impedimenta explicat *Bellettus de diſquiſ. cler. par. 1. tit. de fauore clericorum, &c. §. 3. Say. de cenſur. l. 3. cap. 28. à nu. 10.* hanc poteſtatem eſſe in Epiſcopo aſſerunt *Sylueſt. verb. diſpenſatio, quæſt. 9. §. 15.* 9

Hen-

Henriquez lib. 6. cap. 10. num. 1. lib. 12. cap. 3. num. 2. Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 40 num. 3. in ſumm. lib. 2. cap. 13. num. 36. & quamplures apud ipſum; licet ipſe Sanchez excipiat crimen hæreſis *num.* 37. tenetur tamen ità abſolutus ſublato impedimento ſe præſentare Pontifici, vt communiter docent Authores, quos citat Sanchez *num. 36.* vt ſupra, ſed aduertendum eſt Epiſcopum poſſe abſoluere ab his caſibus, quando non adeſt legatus, aut alius habens à Pontifice authoritatem; ſi quis tamen ob morbum perpetuum, & incurabilem fuit ab excommunicatione papali abſolutus ab Epiſcopo, ſi poſteà miraculosè ſanitatem recipiat, non teneri ſe præſentare affirmat *Syluest. verb. Abſolutio* 4. §. 17. *Florentus de caſ. reſer. par.* 1. *cap.* 4. §. 7. *num.* 8. & ratio eſſe poteſt, quia cum morbus fuerit perpetuus, & incurabilis, vanum fuiſſet abſoluere ità impeditum cum onere ſe præſentandi; idcircò abſolutè abſoluendus eſt ſine tali onere, & hæc videtur eſſe mens interpretatiua Pontificis.

10 Dico octauo. virtute bullæ cruciatę poteſt abſolui vnuſquiſque ab omnibus caſibus, & cenſuris contentis in bulla cœnæ (excepta formali, & extrinſeca hæreſi) ità preſcribitur in ipſo diplomate cruciatę, & confirmant expoſitores, eſſent hic examinandæ nonnullæ aliæ quęſtiones, videlicet, an per bullam cruciatæ poſſit eam habens abſolui toties quoties à caſibus Pótifici reſeruatis, quando ſunt occulti ex eo, quod videantur eſſe Epiſcopales, ſtante facultate Epiſcopis vniuerſaliter tradita *in Tridentino ſeſ. 24. cap. 6. de reformat.* circa caſus Pontifici reſeruatos occultos, rurſus, & alia quæſtio, nempè, an crimina, quæ continentur in primo canone bullæ cœnæ, quamuis formales hæreſes minimè ſint, virtute cruciatæ remitti valeant; cæterum cum hæc omnia fusè à me exagitata ſint in explicatione eiuſdem *cruciatæ par. 2. tract. 6. cap. 1. ſec. 10. & cap. 2. ſec.* 4. idcircò ne eadem repetamus, remitto lectorem ad tractatum illum.

Dico nono. non ſolùm vi bullæ, verum
11 etiam virtute priuilegiorum diuerſorum poſſe à religioſis regularibus abſolui Chriſti fideles ab omnibus caſibus, & cenſuris Pontificijs reſeruatis extra bullam cœnæ; ità conceſſit Paulus Tertius Confeſſarijs Societatis Ieſu, vt patet ex priuilegio dato *die* 3. *Ianuarij* 1545. quod extat in litteris Apoſtolicis Societatis, & refertur *in compendio priuilegiorum eiuſdem Societatis Verb. Abſolutio* §. 1. & poſſunt eiſdem vti priuilegijs in ordine ad hûc effectum toties quoties ſiuè caſus ſint occulti, ſiuè publici; nam priuilegium abſolutè, & ſine his limitationibus loquitur; & extat etiam *motus proprius Pij V. editus anno* 1571. *die* 21. *Iulij*, per quem conceſſit omnibus Prælatis religionum, vt poſſint cum ſuis ſubditis exercere facultatem illam, quam Epiſcopi habent vi Tridentini; hunc motum proprium refert *Suarez tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 30. *ſec.* 2. *n.* 7. *Sanchez loco, n. ſequente citando.*

Dico decimo. Probabile eſt in Prælatis 12
religionum facultatem eſſe abſoluendi proprios ſubditos ab omnibus cenſuris Pontificijs etiam in bulla cœnæ reſeruatis (excipio in hac concluſione crimen hæreſis, de quo infra) ità *Suarez tom.* 4. *de relig. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 12. *cap.* 21. *n.* 1. *&* 2. *Hierony. Rodericus in compendio quæſt. regul. Emanuel reſol.* 3. *Portellius de dub. regul. Verb. Abbas n.* 10. & in hac ſententia videtur expreſsè eſſe *Sanchez lib.* 2. *decal. cap.* 11. *n.* 7. dum ſolam hæreſim excipit, *& Merolla in ſuis diſput. moral. tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *n.* 136. & alij apud ipſum. Oppoſitum ſuſtinet *Tamburinus de iure Abbatum tom. 2. Graff. in* 13
appendice lib. 1. *cap.* 7. *n.* 22. *Ioannes de la Cruz de ſtatu religioſo lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *Lezana in quæſt. regul. cap.* 18. *n.* 28. vbi malè citat Patrem Suarez pro ſua ſententia; de his opinionibus, quæ nã ſit ſequenda, non ità facilè ferri poteſt iudicium, cum priuilegia regularium, ex quibus prædicta facultas colligitur, ſint varia, & aliqua cum limitatione loquantur, reſpectu quorumdam caſuum; alia verò ſine limitatione; quæ quidem priuilegia à multis referuntur, & præſertim *in compendio priuil. mendicant. & à Lezana cap. cit.* Igitur vt aliquid cõcludamus; ſatis eſt dicere vtramquè opinionem ſuam habere probabilitatem.

Dico vndecimo. Quod attinet ad cri- 14
men hæreſis *Sanchez loco cit. in decal.* putat non poſſe à prælatis regularium abſolui etiam in ordine ad ſuos ſubditos, quia in illis generalibus conceſſionibus non venit hæreſis; *Suarez de relig. cap.* 20. *cit. n.* 10. *Lezana l. c. & alij*; & hæc ſententia eſt tenenda, & in noſtra Societate, quę reperitur in regnis ſubiectis Sanctæ Inquiſitioni hiſpanicæ, res eſt certa; quia Pater Claudius Aquauiua renunciauit priuilegium abſoluendi ab hæreſi, & voluit in hoc ſubijcere ſubditos ſuos tribunali Sanctæ Inquiſitionis, vt refertur in *V. Congregatione Generali Societatis Ieſu decret.* 21.

Dico duodecimo. Banniti, qui ab om- 15
nibus impunè interfici poſſunt, ſi habeant caſus reſeruatos quoſcumque, poſſunt abſolui à quocumque Sacerdote; & ratio eſt quia ſemper cenſentur eſſe in euidenti mor-

Digitized by Google

mortis periculo; ſecùs ſi haberent ſaluum conductum, & non poſſent impunè occidi, ità *Vgolinus de poteſt. Epiſc. cap.* 15. *§.* 8. *num.* 9. *Naldus in ſumma Verb. Abſolutio à cenſuris n.* 4. *Floronus de caſ. reſer. par.* 1. *cap.* 4. *§.* 8. *n.* 9. *& alij.*

16 Dico decimotertio. Poſſunt ſubditi regulares cum licentia ſuorum Prælatorum ſe ſubijcere Epiſcopo illius diœceſis in qua commorantur, vt ab illo accipiant abſolutionem à caſibus Papæ reſeruatis, quando ſunt occulti; ità *Suarez de pœnit. diſp.* 30. *ſec.* 2. *Henriquez lib.* 14. *cap.* 20. *n.* 5. *Coriolanus de caſ. reſer. par.* 1. *ſec.* 1. *ar.* 23. *n.* 5. *Sanchez in ſumma lib.* 4. *cap.* 39. *nu.* 27. *Merolla tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *diff.* 3. *Molina tom.* 4. *de iuſt. diſp.* 61. qui addit, quod quando in Prælato Monaſterij eſt facultas abſoluendi religioſum illum, tunc non poteſt abſolui ab Epiſcopo ſine licentia; quando verò facultas non eſt in Prælato locali, ſed in Prouinciali, ait requiri conſenſum Prouincialis, ſaltem præſūptum, & addit, ſi Superior irrationabiliter neget hanc licentiam, ſe credere, poſſe ab Epiſcopo abſolui; at ſi dubium eſt, ſi irrationabiliter, an vero rationabiliter licētia negetur, non deberi ab Epiſcopo abſolui religioſum illum; Fundamentum prædictæ concluſionis principalis eſt, quia exēptio religioſorum eſt in fauorem ipſius religionis; quapropter cum licentia Superioris poterit religioſus ſe ſubijcere Epiſcopo, cum in hoc nulla fiat religioni iniuria, & præſertim quando eſt aliqua neceſſitas; & licet religioſi, & eorum Prælati nequeant cedere priuilegio exemptionis in odioſis contentioſis, in fauorabilibus tamen, & quæ concernunt ſolùm iuriſdictionem voluntariam poſſunt; ſic *Ancharan. cap. cum nullus n.* 3. *notab.* 4. *de tempor. ord. in* 6. quem ſequitur *Merolla vbi ſupra*. Hanc opinionem complectuntur prædicti Authores vt probabiliorem; nam oppoſita, quæ negat poſſe ſubditum ſe ſubijcere Epiſcopo, eſt etiam probabilis, & multorum Authorum, quos laudat *Sanchez l. c.* & refert etiam nonnullas alias ſententias medias.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Miniſtro ordinario, qui poteſt abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus abſoluere poteſt à caſibus ſibi reſeruatis, & etiam ſucceſſores in Epiſcopatu.*

2 *Poteſt etiam Vicarius Generalis, at ſi nō erit ſacerdos poterit alteri ſacerdoti delegare hanc facultatem.*

3 *Eadem poteſtas eſt in quolibet ſuperiore illius, qui reſeruauit.*

4 *Capitulum in ſede vacante poteſt abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis.*

5 *Probabile eſt in Capitulo ſede vacante, eſſe facultatem abſoluendi in omnibus caſibus occultis Pontifici reſeruatis, à quibus poterat Epiſcopus abſoluere; aliqui vero negant.*

6 *Prior opinio recipitur ab Authore.*

7 *Vi Bullæ cruciatæ poteſt quilibet confeſſarius abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis toties quoties.*

8 *Archiepiſcopus nequit abſoluere ſubditum ſui ſuffraganei à caſibus ſuffraganeo reſeruatis, niſi tempore viſitationis.*

1 Dicendum eſt primo. abſoluere poſſe ipſum met Epiſcopum, qui caſus illos ſibi reſeruauit, nam ad eum pertinet ſoluere, cuius eſt ligare, *cap. Verbum de pœnit. diſt.* 1. *& l. Qui condemnare poteſt de re iudicata* poſſe etiam ſucceſſorem in officio. eſt communis ſententia; ita *Alterius tom.* 1. *de cenſur. diſput.* 2. *lib.* 4. *c.* 2. *Barboſa de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 52. *num.* 1. *Bonacina de cenſuris in communi diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 1. *nu.* 1. *& alij*. ratio eſt quia in ſucceſſore eſt formaliter eadem iuriſdictio, quæ erat in eo, cui ſucceſſit, licet moraliter ſit diuerſa.

2 Dicendum eſt ſecundo. Vicarium Generalem poſſe etiam abſoluere à caſibus, & cenſuris ſuo Epiſcopo reſeruatis, ſi ipſe Vicarius ſit ſacerdos; nam Vicarius Generalis eſt iudex ordinarius; ita *Abbas in cap. Relatum de offic. iud. deleg. Hoſtienſ. Innoc. cap. Tua nobis de officio Vicarij, Azor. tom.* 2. *lib.* 13. *cap.* 6. *quæſt.* 12. *& cap.* 43. *quæſt.* 5. at ſi Vicarius non ſit ſacerdos, quamuis abſoluere non poſſit, attamen poterit facultatem abſoluendi delegare alicui ſacerdoti, niſi ab Epiſcopo ſit illi interdicta talis delegatio; ſic *Abbas cap. His quæ num.* 3. *cap. Cum olim de maior. & obed. Angelus verb. Confeſſio* 5. *§.* 4. *& alij*, quos laudat, & ſequitur *Floronus de caſ. reſer. par.* 1. *cap.* 4. *§.* 3. *n.* 5. ratio eſt, quia abſoluere à peccatis eſt actus ordinis ſacerdotalis; at delegare eſt actus ſimplicis iuriſdictionis procedens ab eo, qui habet poteſtatem ordinariam, iuriſdictionem autem talem non repugnat eſſe in eo, qui non eſt ſacerdos.

3 Dicendum eſt tertio. eamdem poteſtatem abſoluendi eſſe in ſuperiore illius, qui reſeruauit caſus, ità communiter Doctores *S. Thomas in* 4. *diſp.* 18. *qu.* 2. *a.* 5. *quodlt.* 1. *Syluest. verb. Abſolutio* 1. *§.* 2. *Alterius lib. cit. cap.* 3. *Suarez tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 30. *ſec.* 1. & hoc, quia inferior reſer-

Rr uans

uans ſibi caſum, non poteſt auferre, aut minuere iuriſdictionem, quæ reperitur in ſuo ſuperiore; ſuperior autem, de quo loquimur, non cenſetur ille, qui habet maiorem dignitatem vt ſic, nam Epiſcopus eſt in maiori dignitate, quam ſit Abbas, vel alius Prælatus in ſua religione, & tamen nequit Epiſcopus abſoluere ſubditum religioſum à caſibus reſeruatis Prælato regulari, ſine licentia ipſius Prælati religioſi; intelligi igitur debet ſuperior ille, qui eſt talis in hoc foro, nempè in iuriſdictione illa, quam habet inferior, qui caſum reſeruauit, & ſic Generalis alicuius ordinis regularis poteſt abſoluere quemcumquè religioſum eiuſdem ordinis à quocumque caſu reſeruato, ſiuè ab ipſo Generali, ſiuè à Prouinciali, &c. & idem dico de Prouinciali reſpectu prouinciæ de caſibus reſeruatis ab inferioribus Prælatis vt ſunt Guardiani, Priores, Rectores, Præpoſiti, &c.

4 Dicendum eſt quarto. poſſe ſimiliter eamdem abſolutionem de omnibus caſibus Epiſcopalibus conferri à Capitulo, quando vacat ſedes; nam Capitulum ſuccedit in omnibus ijs, quæ pertinent ad iuriſdictionem Epiſcopalem, quibuſdam exemptis in iure; ità *Barboſa l.c. & Azor. tom. 2. inſtitut. moral. lib. 3. cap. 27. qu. 6. & alij*.

5 Dicendum eſt quinto, valdè probabile eſſe Capitulum ſede vacante, facultatem habere in omnibus illis caſibus papalibus, à quibus poteſt Epiſcopus virtute *Tridentini ſeſ. 24. cap. 6.* abſoluere, quia Capitulũ ſuccedit in omnibus, quæ cõpetũt Epiſcopo iure ordinario, niſi fiat limitatio, & hanc ſententiam ſuſtinet *Barboſa de poteſtate Epiſc. par. 2. alleg. 39. num. 16. Henriq. lib. 14. cap. 18. num. 2. & cap. 20. num. 1. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 2. nu. 10. Auila de cenſur. par. 7. diſp. 10. dub. 6. Garcia de benefic tom. 2. par. 7. cap. 11. num. 21 Caſtropalaus tom. 1. tract. 4. diſput. 4. pun. 3. §. 1. num. 3.* & colligitur ex *Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 30. ſec. 2. n. 4.* quãuis contrariũ ipſe doceat *tom. 5. diſp. 41. ſec. 2. num. 13. & Alterius de cenſur. diſp. 8. de ſuſpenſ. cap. 3. ver. (Ex eodem fundamento) & Filliucius tom. 1. tract. 20. num. 276. Toletus in ſumma lib. 1. ca. 85. num. 6. Bonacina de irregul. diſp. 7. quæſt. 5. pun. 1. num. 7. & alij*, qui probant hanc opinionem; primo, quia Capitulum non ſuccedit in ijs, quæ iure ſpeciali competebant Epiſcopo, vt docet *Innoc. cap. Cum in cunctis de elect. n. 7.* quo pacto conuenit illi facultas prædicta conceſſa in *Trid.* ſecundo ex quadam declaratione Congregationis Cardinalium, per quam
6 declaratur facultas illa conuenire tantum Epiſcopis priuatiuè quoad omnes alios. Sed non eſt recedendum à prima ſentẽtia; & ad primam rationem in contrarium reſpondeo, verum eſſe Capitulum non ſuccedere in ijs, quæ iure ſpeciali delegato competunt Epiſcopo, ſed ſuccedere in ijs, quæ iure ordinario Epiſcopo competunt; ità *Abbas cap. Verum num. 9. de foro compet. Felinus cap. Eam te n. 17. de reſcript.* Poteſtas autem tradita per Tridentinum, licet ſit ſpecialis, eſt tamen ordinaria, quia non eſt annexa perſonæ vt ſic, ſed dignitati Epiſcopali, conceditur enim omnibus Epiſcopis; & perpetuo. Poteſtas autem, quæ eſt annexa dignitati, aut officio, eſt ordinaria vt latè probat *Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 40. n. 14.* & confirmat hanc veritatem, quia Concilium dans hanc facultatem non dicit illã concedere Epiſcopo, tanquam delegato Sedis Apoſtolicæ, vt ſic enim eſſet delegata poteſtas, quamuis perpetua, vt ferè cõmuniter aſſerunt Doctores *Abbas cap. Ad abolendum de hæreticis n. 15.* licet non deſint, qui oppoſitum ſentiant. neque in eodem decreto Concilium ait. [Epiſcopos poſſe in his caſibus authoritate apoſtolica] quæ quidem formula loquendi denotat poteſtatem delegatam, vt inquit *Francus cap. cum aliquibus de reſcript. in 6. n. 4.* & alij, ſed abſolutè concedit Pontifex in eo decreto hanc facultatem Epiſcopis, eamquè perpetuò annectere voluit dignitati Epiſcopali. Ad ſecundam rationem deſumptam ex declaratione Cardinalium; reſpondeo non conſtare de tali declaratione, & etiam ſi de illa conſtaret, puto nõ eſſe recedendum à prima ſententia, cuius rationes ſunt magni ponderis: declaratio enim non facit ius, ſed dat authoritatem, interdum verò pro concurrentibus circũſtantijs declarantur aliquã in alijs circumſtantijs oppoſita, neque eſt nouum citari varias declarationes inter ſe contradicentes, licet non cogamur aſſerere eſſe contradicentes, cum referantur ad diuerſa tempora, & circumſtantias.

Dicendum eſt ſexto. Vi Bullæ Cruciatæ 7
poſſe Sacerdotem legitimè approbatum abſoluere toties quoties à caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſeruatis; patet ex tenore ipſius bullæ, & eſt ſine controuerſia, loquendo de abſolutione cenſurarum data pro ſolo conſcientiæ foro; nam in ordine ad forum externum res eſt alterius conſiderationis; de qua re agi ſolet in expoſitione bullæ. Similiter quilibet Confeſſarius per poteſtatem delegatam ab Epiſcopo, vel à Capitulo in ſede vacante, vel à Prælato Superiore in iuriſdictione, poteſt abſoluere à caſibus, & cenſuris Epiſcopalibus, res eſt certa; nam qui habet poteſta-

tem

tem ordinariam, poterit illam delegare.

8 Dicendum eſt ſeptimo Archiepiſcopum non poſſe abſoluere ſubditum ſui ſuffraganei à caſibus reſeruatis ipſi ſuffraganeo extra tempus viſitationis; res eſt indubitata, & ratio eſt, quia Archiepiſcopus tunc non habet iuriſdictionem in ſubditos illos, ita *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 30. ſec. 2. n. 8. Sanchez lib. 2. decal. cap. 11. num. 6. Bonacina de cenſur. in communi diſp. 1. quæſt. 3. punc. 1. n. 7. & alij*. At tempore viſitationis Archiepiſcopus poteſt abſoluere ſubditos ſui ſuffraganei, ità prædicti Authores. ſunt etiam alij caſus, in quibus Archiepiſcopus extra viſitationē vti poteſt tali iuriſdictione: primo quando appellatur ad ipſum, & lis apud ipſū pendet, nam tunc per appellationem acquirit iuriſdictionem. Secundo quando Suffraganeus malitioſè negat abſolutionē, aut negligenter illam differt, ita ex *Suarez diſp. 7. de cenſur. ſec. 2. n. 32. Bonacina loc. cit.*

QVÆSTIO DVODECIMA.

An Regulares poſſint abſoluere à caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſeruatis virtute ſuorum priuilegiorum?

SVMMARIVM.

1 *Exponitur priuilegium Societati Ieſu conceſſum, per quod datur facultas abſoluendi quoſcumque fideles à caſibus Epiſcopo reſeruatis.*

2 *Referuntur nonnulla Pontificum decreta, quæ videntur prædictæ facultati obſtare.*

3 *Proponitur etiam declaratio S. Congreg. & per extenſum refertur.*

4 *Attendendo ad decretum Clem. VIII. priuilegium prædictum in Sicilia non eſt abrogatum, & qua ratione id probetur.*

5 *Ex vi declarationis factæ à S. Congregat. aliqui exiſtimarunt eſſe reuocatum priuilegium prædictum.*

6 *Alij oppoſitum cenſent, & verba prædictæ declarationis exponunt.*

7 *Author nihil definitè decidit.*

8 *Examinatur epiſtola quædam, per quam videtur vſus priuilegij interdictus à P. G. Claudio Aquauiua Confeſſarijs Societatis.*

9 *Si ſpectetur iuris communis diſpoſitio, prohibitio prædicta extincta eſſet cenſenda poſt mortem P. Claudij.*

10 *Secus eſſet dicendum, ſi inſpiciantur particulares ordinationes noſtræ Societatis.*

11 *Determinat Author poſt nouam impreſſionem compendij priuilegiorum Societatis iuſſu P. Generalis pro tempore exiſtentis implicitè reuocatam fuiſſe prohibitionem P. Claudij.*

12 *Confirmatur alia ratione.*

1 EXtat priuilegium Societati Ieſu conceſſum à *Paulo III. die 3. Iulij* 1545. per quod Sacerdotibus eiuſdem Societatis datur facultas abſoluendi quoſcumque fideles ab omnibus cenſuris, & peccatis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, excipiuntur ſolùm peccata, & cenſuræ, quæ continentur in bulla cœnæ; iddircò ſi nihil aliud obſtaret, poſſent preſbyteri Societatis, alijquè Sacerdotes aliarum religionum communicantium in prædicto priuilegio abſoluere à caſibus Epiſcopalibus; nam particula illa (etiam) in prædicto priuilegio appoſita, cum dicitur *etiam Sedi Apoſtolicæ*, &c. eſt dictio extenſiua, & augmentatiua, vt notat *Barboſa de dict. dict. 95. Menoch. tom. 4. conſil. 336. n. 17. & alij*. inuoluit enim caſū minus dubitabilem, dum exprimit illum, de quo eſt maius dubium; vt idem Barboſa varijs iuribus, & Doctorum authoritate confirmat; cum igitur Pontifex concedit caſus etiam ſibi reſeruatos, includit caſus reſeruatos inferioribus prælatis, tanquam minus dubitabiles; & addo hoc ipſum declaratum fuiſſe à *Gregorio XIII.* vt aſſeritur in *compendio priuilegiorum Societatis Verb. Abſolutio* §. 1.

2 Habentur in contrarium nonnulla Pōtificum decreta, per quæ poteſtas abſoluendi à caſibus ordinario reſeruatis, videtur abrogata: Duo autem inuenio decreta pontificia, & vnam declarationem Cōgregationis Epiſcoporum, per quæ derogatur prædictæ facultati. Primum decretū fuit editum à *Clemente VIII. die 9. Ianuarij* 1601. per quod expreſsè ipſe aufert facultatem conceſſam cuicumque religioni, & inſtituto circa abſolutionem à caſibus Pontificijs non ſolùm in bulla cœnæ, verùm etiam extra illam reſeruatis, & etiam à caſibus, quos ordinarij locorum ſibi reſeruarunt, vel in poſterum reſeruabunt, attamen derogationem, & prohibitionem illam noluit Pontifex extēdere per totum orbem, ſed ſolùm per totam Italiam, excepta Vrbe Romana, & in eodem decreto addit, quod ſi quis præſumpſerit virtute quorumcumque priuilegiorum à prædictis caſibus abſoluere, non ſolum nulliter fient confeſſiones, & abſolutiones, ſed ipſemet abſoluens incidet in excommunicationem, & in alias pœnas: Cæterum hoc decretum fuit poſtea moderatum ab eodem Clemēte, & ſolum reſtrictum ad caſus in bulla cœnæ, & ad caſus Epiſcopales. Secundum

decretum fuit editum à *Paulo V. fel. mem. die 7. Ianuarij 1617.* per quod nihil aliud fecit niſi confirmare, & innouare decretum Clementis.

3 Deniquè eſt declaratio ſacræ Congregationis Epiſcoporum, quæ magis amplè loquitur; nam extendit prædictam derogationem ad Regulares cuiuſcumquè ordinis, & inſtituti non ſolùm intra, verùm etiam extra Italiam; quæ declaratio fuit promulgata *die* 18. *Nouembris* 1628. & quia ferè tota difficultas verſatur circa hanc vltimam daclarationem, cuius verba à nobis inferius ſunt diſtinctè ponderanda; idcircò placet per extenſum de verbo ad verbum illam referre, vt ſic melius, & clarius appareat ratio dubitandi, & noſtra explicatio.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinaliũ negotijs, & cõſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, cenſuit per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt ſacr. Conc. *Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixiſſe priuilegia prius ab eodem concilio, ac deindè etiam ipſius Congregationis decretis ſublata, atquè extincta, ſi quæ habebant abſoluendi à caſibus* Ordinario *loci reſeruatis; quemadmodum nec indulta abſoluendi à caſibus contentis in bulla, quæ in die cœnæ Domini legi conſueuit, vtpotè ſublata per annuam ipſius bullæ publicationem, vires, aut robur acquiſiuiſſe ex ſubſequentibus priuilegiorum cõfirmationibus: ac proindè Regulares cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti etiam neceſſariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiuſmodi, quas, vel hactenus obtinuerũt, vel deinceps fortè obtinebunt, poſſe quemquam abſoluere ab eiſdem caſibus in bulla cœnæ, aut* Ordinario *locis reſeruatis: ac ſi ſecùs egerint, abſolutiones nullas, atquè irritas fuiſſe, ac fore. Ab alijs verò caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſi quidem Regulares habeant à Sede Apoſtolica abſoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe, iiſdem Sacræ* Congregationis *decretis hac de re editis iuſſu ſanct. mem.* Clemen. *VIII. Quam ſacræ* Congregationis *ſententiam ſanctitas ſua ad ſe relatam approbauit, mandauitquè ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obſeruari. Romæ die* 18. *Nouembris* 1628.

Hæc eſt declaratio, in qua notanda sũt verba illa, videlicet, nec extra, nec intra Italiam, nempè poſſe à regularibus abſolui à caſibus prædictis, ex quibus videntur hodiè Regulares vi ſuorum priuilegiorum non poſſe abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis.

Cæterum aio, quod inſpiciendo decretum Clementis VIII. longè probabilius eſt in Sicilia non eſſe ſublatam facultatem regularibus abſoluendi à caſibus Epiſcopalibus. ducor ad hoc aſſerendum, quia in odioſis Sicilia non venit intra Italiam; & ità loquens de hoc decreto Clementis determinat *Horatius Gãbarupta de caſ. reſ. cap. 3. num* 8. & confirmari ſolet ex eo, quod multi hiſtorici loquentes de prouincijs Italiæ, inter eas non enumerant Siciliam, cæteraſquè inſulas adiacentes, vt *Ptolemæus in ſua Geographia lib. 3. tab. 5. Plinius lib. 3. cap. 5. & alij apud Maginum in Geographia par.* 2. cum ſermonem habent de Italia: confirmatur *ex l. Nationem, §. 1. ff. de verb. ſignif.* vbi dicitur, Sicilia medio freto eſſe ab Italia diuiſa: & quamuis nonnulli oppoſitum ſentiant, videlicet, Siciliam eſſe intra Italiam, & nouiſſimè id probet *Franciſcus Merolla to. 1. ſuarum diſp. moral. diſp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 1. afferens nonnulla iura, authoritatem Bartholi, &c. tamen eius argumenta oſtendunt probabilitatẽ illius ſentẽtiæ, & ideò nos in hoc cum res ſit pro vtraque parte probabilis, dicimus in fauorabilibus Siciliam, quemadmodum, & inſulas adiacentes intra Italiam eſſe enumerãdas; in odioſis autem, vt eſt in caſu noſtro eſſe ponendas extra Italiam, quemadmodum in odioſis dum agitur de templo, non comprehenduntur Cappellæ, & cœmeterium, ſi contigua non ſunt, ſecùs ſi contigua, vt expreſsè definitur *cap. Si Ciuitas de ſentent. excommunicat. in 6.* Et hæc probabiliter dicta ſint, inſpiciendo decretum prædictum Clementis, & decretum Pauli V. quod eſt illius decreti confirmatio.

Si verò attendamus ad declarationem Cardinalium datam *anno* 1628. res eſt valdè dubia, idcircò nonnulli ſentiunt, negotium eſſe definitum, quia per illam declarationem, à Pontifice iam approbatam, prohibitio vt vidimus, extenditur ad omnes regulares, tum intra, tum extra Italiam, & ità exiſtimauit *Diana in ſuis eruditiſſimis reſolutionibus par.* 3. *tract.* 17. *miſcell.* 3. *reſol.* 30. *in fine, & Trullench in expoſit. bullæ cruc. lib.* 1. *§.* 9. *dub.* 3. *in fine*, quam opinionem etiam ſequuti sũt nonnulli alij. 5

Non deſunt tamen aliqui viri docti, qui cenſent per talem declarationem S. Congreg. non eſſe reuocata priuilegia Regularium, quoad facultatem abſoluendi ſæculares à caſibus Epiſcopo reſeruatis. ita nouiſſimè *Antonius de QuintanaDueñas in ſuis ſingul. tract. 3. ſing.* 15. *n.* 3. Ratio autem, qua ipſe nititur valde friuola, ni fallor, eſſe videtur, ſupponit enim, reuoca- 6

ca-

zed by Google

cationem priuilegiorum regularium non eſſe ſufficienter publicatam, quod tamen eſt falſum, quia reſponſio, ſeu decretum citatum editum à S. C. eſt ſatis promulgatum, & in libris impreſſum, & per extenſum tranſcriptum, forſitan eo tempore, quo *Quintana Dueña* ſcripſit, ita non erat. Omiſſa autem probatione, qua vtitur Quintana Dueña, recurſūt alij Authores ad intelligentiam verborum ipſius decreti, & dicunt, quod ſi attentè conſiderentur, videbitur priuilegium Pauli III. ſuperius relatum, per quod conceſſa fuit Sacerdotibus Societatis facultas abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis; non fuiſſe ſublatum per prædictam Cardinalium declarationem, proinde vi illius poſſe Regulares abſoluere à caſibus Epiſcopalibus, niſi in particulari aliqua religio aliud ſtatuat. Sic autem diſcurrunt: Sacra Congregatio ſolùm videtur declarare per confirmationes à Sede Apoſtolica poſt Concil. Trid. obtentas, non reuixiſſe ea priuilegia, quæ fuerunt ſublata ab eodem Concilio, & ab ipſamet Sacra Congregatione in ordine ad facultatem abſoluendi à caſibus in Bulla Cœnæ, & ab illis, qui ordinario loci ſunt reſeruati: at priuilegium Pauli III. de quo ſupra, neque ab eodem Concilio, neque à ſacra congregatione fuit ſublatum; ergo non continetur ſub illa declaratione. Maior eſt certa, vtpotè deſumpta ex verbis ipſius bullæ: minor nō alia ratione probari poteſt, niſi ex eo, quod nullibi apparet irritatio prædicti priuilegij; & qui contrarium ſuſtinet, deberet afferre annullationem factam à Cōcil. Trid. vel ab alio decreto Sacræ Congregationis, aut ipſius Pontificis, quod re vera non extat; ergo non obſtante prædicta declaratione prædictum priuilegium manet illibatum, & illæſum, ſicuti prius in hoc Siciliæ regno.

Neque obſtant verba illa, quæ ſunt in eadem declaratione, dum dicitur: *Ac proinde Regulares cuiuſuis ordinis, &c. in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiuſmodi, quas vel hactenus obtinuerūt, vel deinceps fortè obtinebūt, nec intra, nec extra Italiā poſſe abſoluere, etc.* nā ſermo eſt cōtinuatus, & fertur in priuilegia, & cōfirmationes, de quibus antea immediatè declaratio ipſa loquebatur, nēpè de priuilegijs ſublatis per Conciliū, &c. & poſtea confirmatis, quod patet ex illo verbo, *eiuſmodi*, & ideò ſenſus eſt, quòd vi confirmationum, ſicuti vi priuilegiorum prædictorum, nimirum ſublatorum, & confirmatorum, nequeunt Regulares abſoluere, &c. Ex his autem probabiliter concludunt Regulares extra Italiam poſſe vti facultate prædicta.

7 Hæc dicta ſint iuxta horum Authorum mentem, verum in re hac mihi conuenit nihil determinatè definire, ſed omnimodam deciſionem expectare à Sacra Congregatione.

8 Placet tamen ad abundantiorem doctrinam examinare hoc punctum pro confeſſarijs noſtræ Societatis in hoc Regno Siciliæ ex ſuppoſitione prædictæ ſententiæ Nogatiuæ, quæ aſſerit noſtra priuilegia quoad hanc facultatem non eſſe reuocata per decretum ipſum ſacræ Congregationis, quo poſito remanet difficultas, num cōfeſſarijs ſocietatis ſit prohibitus vſus talium priuilegiorum: dubitatio enim cōſurgit ex quadam epiſtola, quam omnibus ſuperioribus immediatis tranſmiſit R. P. Prouincialis huius prouinciæ Siculæ, per quam monebat voluntatem Patris Claudij Præpoſiti Generalis f. m. fuiſſe, vt noſtri nullo pacto vi prædictorum priuilegiorum abſoluant ſæculares à caſibus Epiſcopo reſeruatis, epiſtola autem P. Prouincialis eſt regiſtrata in primo tomo ordinationum Generalium, eiuſque tenor talis eſt.

Il noſtro Padre Generale per vna ſua delli xx. di Giugno mi ſcriue il ſequente capitolo. V. R. facci intendere à tutti i Superiori della ſua prouincia, che noi non vogliamo à conto niuno, che i noſtri ſi ſeruino de' noſtri priuilegij ne' caſi reſeruati à Veſcoui, ne crediamo ſia mente di ſua Santità, che i noſtri mettano in queſto le mani, Quidquid ſit in rigore della bolla de' noſtri priuileggi. Di più che non poſſino in Italia aſſoluere da' caſi Bulla cœna, che non habbiamo tal priuileggio. V. R. lo facci notare à libro, e procuri che s'oſſerui con darne notitia alli Sacerdoti. 11

Hęc ſcripſit, & ordinauit Pater Claudius Aquauiua f. m. quo poſito, erigitur ſtatim ratio dubitandi; nam nullum priuilegium etiam Pontificium poteſt habere effectum ſuum in Societate niſi cum dependentia à voluntate noſtri Patris Generalis, vt cōſtat *ex Bulla Gregorij XIII. de vſu facultatum anno Domini* 1575. vel niſi derogetur prædictæ bullæ per clauſulas ſpeciales, quæ non habentur in bulla Pauli III. concedentis facultatem abſoluendi à caſibus epiſcopalibus: quapropter licet regulares aliarum religionum communicantiū in dicto priuilegio, poſſint illo vti, quia ad ipſos non tranſit cum modificatione prędicta, videlicet dependenter à voluntate Generalis aliarum religionum, vt notat *Suarez de leg. lib. 8. cap. 17. nu. 6. Portellius in dub. reg. verb. priuileg. communi. num. 23. Rodriq. tom. 1. qq. regul. queſt. 55. a. 17. §. Secundum dubium*; in hac tamen prouincia Sicula videntur

noſtri

noſtri non poſſe vti tali facultate ob prohibitionem factam à Patre Claudio.

9 Cæterum ſi dubitatio propoſita, reſoluenda eſſet iuxta iuris communis diſpoſitionem, facilis eſſet ſolutio, & reſponſio, quia prohibitio iſta ſolum duratura fuiſſet viuente dũtaxat Patre Claudio, nã ſe habuit potius per modum ſimplicis prohibitionis, ſeù ſententiæ, quam ſtatuti, inter quæ eſt hoc diſcrimen, quod illa, nempe ſententia vim habeat ſolùm, dum manet in officio ille, qui eam tulit, & proindè eo mortuo, vel ceſſante ab officio, ſtatim ordinatio illa perit, abſque alia reuocatione: at verò ſtatutum, niſi reuocetur, ſemper durat, etiam ceſſante eo, qui illud edidit, vt communiter Doctores affirmant apud *Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 28. n. 47. Suarez de leg. lib. 1. cap. 10. à n. 11.*

10 Prohibitio autem iſta, quæ nõ fuit immediatè niſi a Patre Prouinciali, videtur quædam priuata Epiſtola; idcircò ſtatim, ac obijt Pater Claudius, ea vigorem amiſit. Sed quia inſpiciendo ordinationes noſtrarum congregationum generalium; videlicet *decretum 3. congreg. 4. & decretum 72. congreg. 7.* & nouiſſimam diſpoſitionem R. P. Mutij Vitelleſchi f. m. Generalis Societatis, omnes ordinationes, & diſpoſitiones quomodocumque editæ à Generalibus in noſtra Societate, niſi reuocentur, perpetuò manent; idcircò nequimus prædictæ dubitationi ſatisfacere, ſiſtendo in terminis Iuris communis, cui obſtat ius propriũ noſtræ Societatis; proptereà alia via erit procedendum, vt dubitationem ſoluamus.

11 Dico igitur poſt eãdem Epiſtolãm, iuſſu R. P. N. Mutij Vitelleſchi, qui ſucceſſit P. Claudio, fuerunt noſtra priuilegia iterum impreſſa, & in noua impreſſione appoſitũ fuit prædictum priuilegium abſoluendi à caſibus Epiſcopalibus; ac proindè videtur P. N. Generalis voluiſſe, vt Patres Societatis poſſint frui illo priuilegio, & huic cõceſſioni non obſtat prohibitio facta à P. Claudio, quia prohibitio illa non poterat auferre facultatem à Succeſſoribus in officio, vel illam minuere; & hoc habet veritatem non ſolùm inter Superiores æquales in officio, ſed etiam inter inæquales, & ſubordinatos, dummodò Superior non tollat poteſtatem à Prælato ſibi ſubordinato, v. g. Si Prouincialis neget alicui ſubdito rem aliquam, ſed non tollat facultatem, quam habent alij Prælati ſubordinati ad concedendam rem illam, ſi ſubditus ille petat licentiam de eadem re v. g. à Rectore, valida erit licentia collata à Rectore (ſuppono enim ſermonem eſſe de rebus, ad quas ſe extendit Authoritas Rectoris) quamuis ſubditus male ſe gerat, & contra regulã noſtræ Societatis, non manifeſtando Rectori fuiſſe denegatam ſibi rem illam à Prouinciali.

Et confirmatur alia ratione, per quam oſtenditur, prohibitionem, ſeù ſuſpensionem prędicti priuilegij locum non habere in hoc Siciliæ Regno: nam P. Claudius b. m. vt patet ex tenore Epiſtolæ relatæ, videbatur ſupponere, Epiſcopos ægrè ferre, quod Regulares abſoluerent ſubditos ſuæ diœceſis à caſibus, qui ipſis Epiſcopis ſunt reſeruati: verùm hoc non ità ſe habet, quia cum in hoc regno vigeat priuilegium Cruciatæ, pleniſſimam conferens omnibus, id ſumentibus, poteſtatem, vt poſſint eligere quemcumquè Confeſſarium, ab ordinario approbatum, ſiuè Regularem, ſiuè ſæcularem, & ab eo toties quoties ab his caſibus abſolui, nequeunt Epiſcopi ægrè ferre, ſi regulares etiam alia poteſtate id exerceant, vel relicta poteſtate vi priuilegiorum, abſoluant vi cruciatæ, quã ferè omnes in hoc Regno accipiunt; niſi excipere velimus aliquos adeò pauperes, vt nequeãt erogare in eleemoſynam duos regales, qui pro bulla accipienda taxantur à Commiſſario; & durum, parumquè pium videtur, rigorem huius prohibitionis ſeruare pro his paucis miſerabilibus, quĩ non valentes ob ſummam paupertatem bullam accipere, priuentur etiam beneficio priuilegiorum regularium, & nõ quorumcumque, ſed ſolius Societatis; nam alij regulares idem priuilegium habent ſaltem per communicationem abſquè limitatione: impoſſibile igitur eſt, vt Epiſcopi Siculi de hoc conquerantur, & impoſſibilius eſt, vt Pater Claudius hoc intenderit, quia ſine fructu fuiſſet prohibitio. Idem aſſero de alijs regnis, vbi viget Cruciata; quidquid ſit de reliquo quoad regulares Societatis in alijs prouincijs, vbi non eſt vſus Cruciatæ. Et hæc aſſerere volui ex hypotheſi, illa quod priuilegium noſtræ ſocietati conceſſum non ſit reuocatum per declarationem factam à Sacra Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium. 12

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

Quis poteſt abſoluere à caſibus in Religione reſeruatis.

SVMMARIVM.

De caſibus in Religione reſeruatis eodem modo loquendũ eſt ſicuti de Epiſcopalibus. 1

Viceprouinciales, Viceprapoſiti, Vicerectores, & alij Superiores, qui in alijs Religionibus prædictis correſpondent, ſi ſedes vacat, habent quoad hoc eandem 2

iu-

zed by Google

iuriſdictionem quam habent Prouinciales, Præpoſiti, &c. & probatur.

3 *Si vero ſedes non vacat, aliqui putant carere tali iuriſdictione ordinaria: alij oppoſitum tuentur quibus Author ſubſcribit.*

4 *Per poteſtatem delegatã à reſeruatis abſoluere poſſunt Confeſſarij deputati, quibus ſuperior facultatem confert.*

5 *Si quis ex ordinarijs deputatis poſtulat facultatem à ſuperiore ad abſoluendum ſubditum religioſum ab aliquo caſu reſeruato, & ſuperior illam neget, pro illa vice poterit Confeſſarius ſubditum illum abſoluere.*

6 *In aliquo raro caſu oppoſitum erit determinandum.*

7 *Poteſt ſuperior facultatem hanc alijs confeſſarijs non deputatis concedere.*

8 *Si aliquis confeſſarius extraordinarius petat licentiam à ſuperiore abſoluendi à caſu reſeruato, & ſuperior nolit eam cõferre; iudicãt aliqui, & ſi ille confeſſarius ſit vir pius, & doctus, quod non poſſit pœnitentem abſoluere.*

9 *Contrarium exiſtimant alij ſi vrgeat neceſſitas communicandi, & ſine ſcandalo communio omitti non poſſit.*

10 *Falſum eſt vtrumque extremum, videlicet ſuperiorem nunquam teneri, aut ſẽper teneri conferre talem facultatem.*

11 *Superiores debent oſtendere ſe inclinatos potius ad concedendam quam ad denegandam talem licentiam: refertur quidam tex. notabilis D. Th.*

12 *Interdum debet ſuperior hanc licentiam negare, & quando id accidit.*

13 *Subditi non ſtatim debent iudicare ſuperiorem iniuſtè, vel irrationabiliter licentiam negauiſſe.*

14 *In praxi eſt recipienda ſententia, quæ negat poſſe Confeſſarium extraordinariũ, licentia petita, & non obtenta, pœnitentem abſoluere.*

15 *Sola erubeſcentia, aut timor amittendi bonam exiſtimationem non eſt ſufficiẽs, vt ſine licentia ſuperioris confeſſarius abſoluat pœnitentem.*

16 *Limitatur concluſio.*

17 *Superior delegans iuriſdictionem poterit taxare aliquam pœnitentiam, vt imponatur pœnitenti, & poterit etiam arbitrio confeſſarij ſe remittere.*

18 *Delegatio facultatis, circa abſolutionem à reſeruatis iam commiſſis, quando poſtulatur per alienum ſacerdotem, non admittit onus, vt pœnitens ſuperiori ſe præſentet.*

19 *Facultas abſoluendi conceſſa pro peccatis futuris ſecundum aliquos poteſt admittere onus, vt pœnitens iterum eadem peccata reſeruata ſuperiori, vel alteri Confeſſario aperiat.*

Alij non recipiunt hanc ſententiam. 20

Probabile eſt talem licentiam cum tali onere dari non poſſe, & probatur. 21

Alia eſt ratio de facultate abſoluendi à cẽſuris. 22

Probabilius eſt licentiam cum illo onere dari poſſe. 23

Pœnitens ſi vult vi talis licentiæ abſolui tenetur onus illud annexum acceptare. 24

Si Confeſſarius, non declarando pœnitenti onus, illum abſoluat, aliqui putant teneri pœnitentem etiam poſtea, onus illud acceptare. 25

Alij cum diſtinctione loquuntur, & his ſubſcribit Author. 26

Si poſt enarrationem peccatorum, antequam pœnitens aperiat confeſſario vltimum peccatum, quod ex enarratis eſt ſolũ reſeruatũ; innoteſcat pœnitẽti onus, tenetur illud recipere, ſi velit abſolui: ſecùs ſi innoteſcat poſt enarrata oĩa pecca(ta. 27

Soluuntur argumenta contraria. 28

Quæ dicta ſunt de facultate conceſſa pro abſolutione à peccatis futuris ſi cõmittantur; aſſerenda etiam ſunt de facultate pro abſolutione præteritorum. 29

Pœnitens acceptans onus ſe præſentandi, & cum tali onere recipiens abſolutionẽ, tenebitur ſub graui peccato ſe præſentare. 30

Abſolutio collata ſine declaratione oneris, eſt valida, contra paucos qui tenent eſſe inualidam. ſecus erit dicendum quando facultas datur cum onere tanquam ſub conditione. 31

EO modo, quo loquuti ſumus de caſibus Epiſcopo reſeruatis, proportionaliter dicimus perſonam legitimam, quæ habet poteſtatem ordinariam ad abſoluendum à caſibus in religione reſeruatis, eſſe Generalem illius Religionis, in qua caſus ſunt reſeruati, & Superiores ſubordinatos, vt sũt Prouinciales reſpectu omniũ ſubditorũ in ſuis prouincijs, Guardiani, Priores, Rectores, Præpoſiti, &c. reſpectu illorum, qui ſunt ſibi ſubditi in monaſterio, conuentu, &c. 1

At de Vice Prouincialibus, Vice Præpoſitis, Vice Rectoribus, quibus in alijs Religionibus correſpondent Vicarij, aut Vice Guardiani, an poſſint poteſtate ordinaria abſoluere ſibi ſubditos à caſibus reſeruatis, à quibus poterant abſoluere Superiores, quorum hi vicem gerunt; puto eſſe diſtinguendum: nam Vice Rectores, & ſimiles in duplici ſtatu poſſunt conſiderari: primo in ſede vacante, videlicet quando Rector totius Collegij, aut monaſterij, aut Guardianus mortuus eſt, vel tranſijt tempus 2

Digitized by Google

In quo erat ſuperior: ſecundo poſſunt con-
ſiderari non in ſede vacante, ſed pro tem-
pore, quo Superior abeſt à Collegio, ſeù
Monaſterio v. g. diſceſſit in alium locum
ad aliquod negotium expediendum; vel
ad interueniendum Congregationi; ſeu
capitulo alibi faciendo, &c. quo tempore
ſolent relinquere alium, qui eorum vicē
gerat, & appellatur Vice Rector, Vice
Guardianus, aut Vicarius, &c. His poſitis
aio; ſi loquamur de Vicegerentibus in pri-
mo ſtatu, res eſt indubitata, & aio, hos
habere eamdem poteſtatem ordinariam
circa abſolutionem à caſibus, quam habēt
illi Superiores, quorum vicem gerunt, ita
docet *Suarez tom. 4. de relig. lib. 2. cap.
22. n.* 5. & confirmatur ex compendio pri-
uilegiorum Societatis Ieſu, cum in præfa-
tione expreſsè declaretur, quod nomine
Prouincialis, Præpoſitorum, & Rectorum,
de quibus in eodem compendio ſæpe fit
mentio; ſubintelligendi quoque ſunt Vice
Prouincialis, Vicepræpoſiti, & Vicerecto-
res, quando nimirum nullus eſt Prouinci-
alis, Præpoſitus, aut Rector, &c. & cum
in compendio illo detur Superioribus fa-
cultas abſoluendi noſtros, & ſæculares à
varijs caſibus, & cenſuris; conſequens
eſt, vt dicamus hanc eamdem facultatem
concedi vicegerentibus, dum non habetur
Superior ille, cuius iſte vicemgerit: & ra-
tio pro hac ſententia videtur ſatis aperta;
nam certum eſt debere eſſe aliquem Su-
periorem, in quo reſideat poteſtas abſol-
uendi à caſibus, aliter non rectè prouiſum
fuiſſet conſcientiæ ſubditorum; idcircò cū
nullus alius reperiatur ſuperior cōuentus,
aut domus, præter illum vicegerentem,
aſſerendum eſt, in illo reſidere hanc po-
teſtatem.

At difficultas aliqua videtur de his vice-
3 gerentibus conſideratis in ſecundo ſtatu,
nempè quando habetur Prælatus proprius,
ſed ſolùm abeſt à monaſterio, & de his ne-
gat *Collector priuil mendi. verb. abſolutio
quoad Fratres* §. 7. *&* §. 34. ait enim in
his non reſidere hanc facultatem ordinari-
am; ſed oppoſitum tuetur *Rodriq. tom. 1.
qq. regul. quæſt.* 10. *ar.* 2. 3. *&* apud ipſū
Veracruz. fundat Rodriquez ſuam opinio-
nem in quodam *priuilegio Clementis IV.*
relato ab ipſo *in lib. monum. ordinum ar.* 1.
per quod priuilegium conceditur talis fa-
cultas etiam Vicegerētibus, & expreſsè lo-
quitur de Vicegerentibus non in ſede va-
cante, ſed quando proprius Prælatus mo-
naſterij eſt abſens. cæterum ipſemet *Ro-
driq. art. 1. cit.* referens prædictum priui-
legium non apponit verba prædicta, ſed
alia longè diuerſa; inquit enim, hanc fa-
cultatem concedi generali, Prouincialibus,
Miniſtris, & eorum Vicarijs, & Cuſtodibus,
&c. & ſic videtur conceſſa ſolùm Vicarijs
Generalium, & Prouincialium, &c. quam-
uis in articulo ſecundo eiuſdem quæſtionis
aſſerat, priuilegium extēſum fuiſſe ad Prio-
res, & eorum Vicarios, vt conſtat ex mari
magno Prædicatorum. Rurſus *S. Antoni-
nus 1. part. tit. 19. cap.* 2. affirmat ex vi di-
uerſorum priuilegiorum hanc facultatem
inueniri etiam in Vicarijs Priorum; attamē
hi Authores non determinant, an priuile-
gia iſta intelligi debeant de Vicarijs; & ſi-
milibus tantum in ſede vacante, an etiam
quando proprius Prælatus eſt abſens; pro-
babile tamen eſt de vtriſquè intelligi poſſe,
cum tam ſit proprius Vicarius ille, qui eſt
in ſede vacante, quam ille, qui eſt Vica-
rius in abſentia Prælati, quamuis *Suarez
l. c.* dicat optimum conſilium eſſe, vt Præ-
latus, dum recedit, omnes ſuas poteſtates
committat Vicario. dependet etiam deci-
ſio huius rei ex conſuetudinibus religionū,
& illis eſt ſtandum. In noſtra autem Socie-
tate praxis eſt, vt Viceprouincialis habeat
iuriſdictionem ordinariā, ſicuti habet Pro-
uincialis, niſi à Generali, aut à Prouiciali
in aliquo limitetur, & itā habetur *ex regu-
lis Prouincialis cap.* 1 *num.* 10. at Vice-
præpoſiti, Vicerectores, quando imme-
diatè eliguntur à Generali, aut à Prouin-
ciali habent poteſtatem ordinariam circa
caſus reſeruatos, ſicuti Præpoſiti, & Recto-
res; ſi verò ſupponamus eligi v. g. ſi Vicerec-
tor eligatur ab ipſomet Rectore recedente
in aliquē locū diſtātem, tunc ſi in electione
Rector limitet Poteſtatē, res erit clara, vi-
delicet Vicerectorem non poſſe vti pote-
ſtate tradita, niſi cum illa limitatione, ſub
qua fuit conceſſa, ſed ſi ponatur à Recto-
re nullam adhibitā fuiſſe limitationem, in
tali caſu eſſet attendenda conſuetudo re-
ligionis, vel ſi non extet, cenſeo poteſta-
tem tranſire ad Vicerectorem ſine limita-
tione, & maximè in ijs, quæ pertinent ad
diſciplinam communem ſubditorum, aliter,
vt ſupradixi, non benè prouideretur regu-
lari regimini.

Per poteſtatem delegatam poteſt abſol- 4
uere à caſibus reſeruatis confeſſarius do-
mus, vel Collegij, qui eſt deputatus à Su-
periore ad audiendas confeſſiones regula-
riū, & hodiè ex vi decreti Clementis VIII.
confeſſarij deputati, qui ſunt duo, vel tres,
aut plures ſecundum numerum ſubditorū:
attamen hi confeſſarij non habent talem
facultatem, niſi eam recipiant à ſuperio-
re; & hoc expreſsè colligitur ex decreto
ipſius Clementis; dicit enim Pontifex: ſu-
periores in ſingulis domibus deputēt duos,
tres, aut quatuor confeſſarios pro ſubdi-
torum numero maiori, vel minori, &c. qui
à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus
etiam reſeruatorum abſolutio committa-

tur,

Digitized by Google

cetur; quando caſus occurrerit, &c. igitur ſi facultas abſoluendi committenda eſt his confeſſarijs, quando caſus occurrerit, à ſuperiore eſt concedenda, & eo tempore, quo caſus eueniet; idcircò tunc petenda eſt à confeſſario, & per conſequens antequam ei committatur, eam ipſe nō habet.

5 Cenſeo tamen quod ſi aliquis ex his cōfeſſarijs, caſu eueniente, petat facultatem abſoluendi à ſuperiore, & ſuperior eam denegет, nonobſtante tali negatione poſſit dictus cōfeſſarius abſoluere regularem illum, qui incidit in caſum reſeruatum, & ratio eſt, quia Pontifex per tale decretum expreſsè vult, vt confeſſario committatur abſolutio, & ideo ibidem ſubdit; in quo eam debere committi, ipſe in primis confeſſarius indicauerit; proindè exiſtimandum eſt in eo caſu confeſſarium à Pontifice iuriſdictionem accipere.

6 Attamen in aliquo raro euētu poſſunt occurere tales circumſtantiæ hic, & nunc, vt ſine peccato nequeat committi talis facultas confeſſario, v. g. ſi ſuperior ſciat, & probabiliter iudicet, confeſſarium illum audiendo pœnitentem, ſumpturum occaſionem peccandi, vel aliquod damnum notabile cōtra proximum fore vt eueniat; in his autem euentibus non præſumitur voluntatem Pontificis eſſe, dare talem iuriſdictionem confeſſario, ſed caſus iſte eſt de rarò contingentibus; idcircò abſolutè, & ſimpliciter loquendo, dicendum eſt, teneri ſuperiorem concedere facultatem toties, quoties ab aliquo confeſſario ex deputatis petitur, & ſi ea denegatur, poſſe à cōfeſſario pœnitentem abſolui pro illa vice tantùm.

7 Poteſt etiam hæc facultas delegari à ſuperiore cuilibet alteri confeſſario, qui non ſit ex deputatis, ſiue ſit ſubditus eiuſdem domus, aut collegij, ſiue alterius domus, ſiue alterius religionis, imò etiā ſi ſit presbyter ſæcularis etiā nō approbatus ab ordinario loci; nam approbatio ordinarij requiritur à Concilio Trid. in ordine ad excipiendas confeſſiones ſæcularium, ſed in ordine ad regulares nihil fuit à Concilio innouatum, vt patet expreſsè ex verbis *eiuſdem Concilij ſeſ. 23. cap. 15. de reform.* proindè ad audiendas confeſſiones regularium nulla Epiſcopi approbatio eſt neceſſaria; ità *Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 28. ſec. 4. num. 5. Henriq. lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 4. Fagundez de præc. eccl. par. 2. lib. 7. cap. 2. num. 10. & alij.* quapropter cum ſuperior habeat poteſtatem ordinariam, poterit illam delegare reſpectu ſui ſubditi cuicumquè confeſſario.

8 Difficultas grauis eſt, an quando ſuperior localis denegat alicui confeſſario ſuæ religionis pio, & docto, qui non eſt ex cōfeſſarijs deputatis, facultatem abſoluendi aliquem ſubditum à caſu reſeruato, poſſit confeſſarius ſubditum illum abſoluere. In hac re duas inuenio opiniones: prima negat, id fieri poſſe, ita *Alenſis par. 4. quæſt. 78. membr. 1. art. 2. Sotus in 4. diſp. 18. quæſt. 4. a. 2. Petrus Nauarra de reſtit. lib. 2. cap. 4. num. 269. Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 27. ſec. 4. concl. 2.* & vt probabiliorem illam amplectuntur *Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 13. num. 3. Fagundez par. 2. lib. 3. cap. 9. num. 17. in fine.* ratio fundamentalis pro hac ſententia eſt, quia talis confeſſarius non habet iuriſdictionem circa illa reſeruata, neque illam acquirit ex eo, quod illi negetur; non enim ſatis eſt illam petere, niſi cum effectu illam obtineat, vt colligitur ex *cap. Omnis vtriuſque ſexus de pœnit.* vbi expreſsè ſtatuitur, quod quando quis vult confiteri alieno ſacerdoti, oportet, vt prius licentiam petat à proprio, eamque obtineat, aliter abſolui non poteſt ab illo alieno confeſſario: neque valet dicere in eo caſu concedi facultatem à ſuperiore maiore, nēpè à prouinciali, aut à generali, aut à papa, quia id non conſtat; neque ex aliquo ſigno colligi poteſt.

Cæterum pro contraria ſententia etiā ſunt graues Doctores, tum ex antiquis, tum ex recentioribus *Ioannes Gandauo quodlib. 9. quæſt. 24. Riccardus in 4. diſp. 17. a. 3. quæſt. 7. Palud. quæſt. 3. a. 3. caſu 1. & de religioſis in ſpecie. Henriq. lib. 3. de pœnit. cap. 13. num. 6. in fine cap. 15. num. 6. Rodriq. in ſumma cap. 55. nu. 11. Coriolanus de caſ. reſer. par. 1. ſec. 1. n. 17. Toletus in ſumma lib. 3. cap. 13. caſu quinto, & alij*: videlicet quando ſuperior eſt ſemel, atque iterum requiſitus, vt concedat hanc licentiam, eamque deneget confeſſario pio, & prudenti, & eam nolit concedere, niſi ſub conditione, vt pœnitens ſibi prius præſentetur, & vrget 10
neceſſitas communicandi, vel celebrandi, ità vt ſine ſcandalo omitti nequeat, poſſe à tali confeſſario pio illum pœnitentem abſolui à caſibus reſeruatis; & quamuis ex Doctoribus antiquis non habeamus hanc opinionem circa caſus reſeruatos, cū vniuerſaliter loquantur, quando proprius curatus irrationabiliter negat licentiam ſubdito, vt poſſit alieno confeſſario confiteri; nihilominus eadem eſt ratio de caſibus reſeruatis, quantum ad hoc. rationes pro hac ſententia ſunt plures, & recenſentur à Fagundez *cap. cit.* in relatione ſecundæ opinionis: aliquæ deſumuntur à paritate; nam Epiſcopus, vrgente neceſſitate, ad vitandum ſcandalum graue, poteſt aliquando diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium ex

præſumpta voluntate Pontificis; quamuis illa diſpenſatio eidem Pontifici ſit reſeruata, vt probari ſolet in materia de matrimonio; ſic in caſu noſtro, quando prælatus requiſitus, irrationabiliter negat licẽtiã ꝓdictã, tũc dicẽdũ eſt ex tacita volũtate ſuperioris maioris, qui in eo caſu intelligitur libẽter talẽ facultatẽ cõcedere, illum confeſſarium pium poſſe abſoluere à caſibus reſeruatis; aliter reſeruatio, quæ inuenta, & inducta eſt ob charitatem, militaret contra ipſam charitatem: rurſus à fortiori; quia Authores primæ opinionis concedunt in eo euentu, poſſe pœnitentem illum, habendo contritionem, communicare, aut celebrare ad vitandum ſcandalum; ergo multo magis deberẽt fateri, poſſe abſolutionem recipere ab illo pio confeſſario; nam ſi concedunt maius, quod eſt communicare, aut celebrare, debent potius concedere, quod eſt minus, nempè recipere abſolutionem ab illo confeſſario; præterea *in cap. Placuit diſt. 6. de pœnit.* concedit Pontifex, quod ſi proprius ſacerdos eſt ignorans, poſſit eius ſubditus confiteri alieno ſacerdoti; in hoc autem capite, quamuis Papa exemplificet in ignorantia, tamen facultas illa extendi poteſt ad ſimilia; quando v. g. pœnitens timet aliquod damnum ſpirituale, vel corporale, ſi proprio confeſſario confiteatur; nam in tantum Papa id admittit in caſu ignorantiæ, in quantum ex ignorantia Confeſſarij aliquod damnum ſpirituale poterit recipere pœnitens. nec obſtare videtur *cap. Omnis vtriuſque ſexus, &c.* quia ibi eſt ſermo de ſecularibus, qui non habent tot reſeruationes, quot religioſi: demum neque eſt verum quod cõfeſſarius ille pius abſolueret ſine iuriſdictione, quia in illa occurrentia ſuperior maior intelligitur, licentiam concedere. hęc, & ſimilia dicunt Authores huius opinionis.

10 Circa hanc controuerſiam, vt aperiam quid ſit tenendum; aio, quod extrema ſunt vitanda; vnum extremum eſt aſſerere, ſuperiorem nunquam teneri prędictam licentiam concedere, quę opinio tribuitur Victoriæ, & Nauarro apud Coriolanum, & Suarez, quę opinio eſt improbabilis cõtra communem ſententiam, proindè abijcienda; nam poſſunt occurrere tales circumſtantię, vt ſuperior, ſiue ex iuſtitia, ſiue ex charitate obligetur ad hanc facultatem dandam. Aliud extremum eſt ſemper teneri; nam hoc pacto inanis foret reſeruatio, quia ſi aliqui parum de propria conſcientia curantes, ſcirent nunquam ipſis poſſe negari hanc licentiam, occaſionem, & anſam ſumerent liberiùs peccãdi; proindè finis reſeruationis non obtineretur, & hoc redundaret in perniciem totius religioſæ communitatis.

Dico igitur primo ſermonem dirigendo ad ſuperiores, in concedenda hac licentia faciles, & non difficiles, ac ſeueros ſe oſtendere debent; nam illam negando, poſſunt interdum grauiter peccare; ità *S. Thomas opuſc. 19. cap. 4. ver. (Iterum ad eamdem neceſſitatem)* vbi ait, quod Pręlati piè faciunt infirmitati ſubditorum condeſcendentes, ne omninò in deſperationem labantur, de alijs confeſſarijs eis prouidendo; plus etiam dicit *in 4. ſent. diſp. 17. quæſt. 3. a. 3. quæſtiuncula 4. ad ſextum* inquit enim, *Peccare proprium ſacerdotem, ſi non eſſet facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri, quia multi ſunt adeò infirmi, quod potius ſine confeſſione morerentur, quàm tali confiterentur ſacerdoti, vnde illi, qui ſunt nimis ſolliciti, vt conſcientias ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis inijciunt, & per conſequens ſibi ipſis:* Hæc S. Thomas. eamdem ſententiã ſequuntur *Coriolanus de caſ. reſer. par. 1. ſec. 1. a. 17. Suarez tom. 3. de pœnit. diſp. 30. ſec. 4. n. 8. & plures alij* apud ipſos. Fundamentalis ratio pro hac concluſione eſt, quia reſeruatio inuenta eſt in bonum ſpirituale ſubditorum, & non in deſtructionem, & quia interdum ſubditus licet nullum timeat damnum ſi ſe præſentet coram Superiore, tamen renuit ob erubeſcentiam ſe præſentare, vel quia vult retinere bonam æſtimationem apud Superiorem, ſibique ipſe eſt cauſſa ſpiritualis nocumenti, cum potius eligat perſeuerare in peccato, vel ſacrilegè dimidiare confeſſiones, vel indignè communicare, quam ſe præſentare, & aperire ſuum peccatum; ideo ſuperior debet, per ſe loquendo, indulgere huic infirmitati, & per conceſſionem licentiæ impedire, quantum poteſt, tale nocumentum ſpirituale, cuius cauſſa eſt ipſa infirmitas ſubditi, vt bene aduertit *Suarez loc. cit.* addens doctrinam notatione dignam, videlicet, quod quamuis Superior denegando hanc facultatem, ſperet reliquorum religioſorum vtilitatem futuram ex tali negatione, nihilominus nõ debet licentiam hanc negare, quia totum hoc ſacramentum pœnitentiæ, quemadmodum, & poteſtas ipſius ſuperioris, & reſeruatio ordinãtur in bonum ſpirituale ipſius pœnitentis, ideoque non eſt licitum procurare bonum aliorum, cùm detrimento ſpirituali ipſius pœnitentis, præter quã quod ex tali negatione ſequitur reddi nimis odioſam ipſam confeſſionem, & difficilem, quod eſt graue malum: Concludo igitur cum eodem Suarez ad concedendam hanc licentiam ſufficere nullam occurrere ſpecialem rationem eam denegandi. 11

Ca-

12 Cæterũ debet Superior aliquando negare hanc licentiam; tunc videlicet, quãdo ſecundum leges charitatis probabiliter timet talem licentiam futuram in perniciem ipſius pœnitentis; quatenus eſt accepturus occaſionem liberius peccandi, & iterum, atque iterum cadendi; vel ſi timetur ſcandalum, & damnum aliorum, quod vitabitur negando licentiam; tunc prudens Superior tenebitur negare licentiam, ſed aduertat ne hæc, aut ſimilia ſibi fingat; debet enim eſſe moraliter certus de his malis, certitudine fundata in experientia, inquantum expertus eſt ex relatione confeſſarij, talem religioſum eſſe recidiuum, & parum, aut nihil ſe adiuuare ex conceſſione talis licentiæ, imò potius eſſe illi occaſionem perſeuerandi in malo.

13 Dico ſecundo. ſubditos non debere facilè damnare ſuperiorem, iudicando iniuſtè, aut irrationabiliter negare talem licentiam; imò; vt benè aduertit *Rodriqu. loc. cit.* non debent in hoc fidere proprio iudicio; nam ſæpè decipiuntur, quia ſuperiores ſæpè rectè faciunt denegando hanc licentiam; multoties enim ſubditi ignorant motiua, ob quæ Prælati renuunt aliquibus ſacerdotibus delegare hanc facultatem; nam interdum ſacerdos qui petit facultatem, vel non eſt ita pius, rebuſque ſpiritualibus deditus, vel non ita prudens, vt poſſit regere, & inſtruere pœnitentem; vel aliud ſimile; quapropter deberent ſubditi, niſi habeant moralem certitudinem, quod irrationabiliter negetur licentia, nõ damnare ſuperiorem; & hæc dicta ſint in ordine ad praxim.

14 Dico tertio: ſi conſideremus vtramque ſententiam, vt ſic præſcindendo à circumſtantijs, quæ in praxi occurrere ſolent, aio, & vnam, & alteram eſſe probabilem, quãuis prior ſit communior, & longè ſecurior, & practicè amplectenda; quia non ita facilè contingit à prudente ſuperiore denegari hanc licentiam pio, & docto confeſſario; at ſi ponamus, penſatis omnibus, pœnitentem moraliter eſſe certum de irrationabili negatione, in tali caſu ſi vrgeat neceſſitas communicandi, vel celebrandi, ita vt abſque ſcandalo, ſeu diſpendio propriæ famæ, nequeat pœnitẽs omittere communionem, conficere ſacrum, &c. tunc poterit exiſtimare, & ſe gerere, ac ſi non haberet copiam confeſſarij, vt volunt Authores primæ ſententiæ, vel ſequẽdo ſecundam opinionem fateri ſacramentaliter ſacerdoti pio, & prudenti, cui negata fuit licentia, eique aperiendo, & non reſeruata, & reſeruata, vt ab illis directè abſoluatur, ſi habeat poteſtatem circa mortalia non reſeruata, & ab iſtis indirectè cum propoſito ſe præſentandi corã legitimo ſuperiore, cum primum dabitur opportunitas; vel ſi non habeat confeſſarium habentem iuriſdictionem circa mortalia, confiteatur aliqua peccata venialia, vel aliqua mortalia aliàs legitimè confeſſa, & abſoluta, in quę etiam ſimplex ſacerdos habet poteſtatem, & vt ſic abſoluatur.

15 Aduerte quod ſola erubeſcentia, vel timor amittendi bonam exiſtimationẽ apud ſuperiorem, vel apud confeſſarium deputatum, non eſt ſufficiens cauſa confitendi alieno ſacerdoti, vt expreſsè teſtatur *Nauar. in cap. Placuit de pœnit. diſp. 6. num. 149. 150. & in ſum. cap. 7. nu. 8. Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 27. ſec. 4. in fine*, *& diſp. 30. ſec. 4. num.* 8. vbi addit teneri cum diuina gratia talem difficultatem ſuperare: imò vt rectè notat *Nauar. in dicto cap. Placuit*, quanto quis plus patitur verecundię, eo plus ſatisfacit *cap. Quem pœnitet diſp. 1. eod. tit.* ex quo ſequitur ob erubeſcentiam, vel ob timorem amittendi bonam opinionem apud proprium ſuperiorem, ſeu Confeſſarium, niſi aliud damnum ſequatur, non poſſe aliquem ſine actuali confeſſione, ſi habeat peccata mortalia, communicare, aut celebrare, etiam ſi ſit contritus.

16 Limitanda tamen eſt prædicta doctrina ex citatis authoribus, quando erubeſcẽtia eſt adeo grauis, & tantam inducit difficultatem, vt moraliter ſit impoſſibile eã ſuperare; tunc enim Superior iniuſtè denegabit licentiam, vt qui patitur hanc erubeſcentiam alteri confiteatur, quia ſtante tali morali impoſſibilitate, pœnitens reperitur conſtitutus in manifeſto periculo omittendi confeſſionem illius peccati, vel communicandi, aut celebrandi ſine præuia confeſſione, quod inconueniens Superior tenetur impedire, delegando ſuam poteſtatem, ità *Suarez ſec. cit. num. 12. Nauar. in cap. Placuit cit. Coriolanus de caſ. reſer. par. 1. ſec. 6. a. 17. num. 9.*

17 Superior concedens facultatem abſoluendi à reſeruatis, poteſt illam liberè ſine vllo onere delegare, ſe remittẽs diſcretioni, & prudentiæ Confeſſarij; poteſt etiã, ſi ità expediens iudicauerit, taxare aliquã pœnitentiam. eſt certa opinio, quam in ſè declarat, & probat *Suarez diſp. 30. cit. ſect. 5. Coriolanus a. 19.* & expreſsè habetur in decreto inito à *Clemente VIII. de caſuum reſeruatione prò Regularibus* in fine enim illius decreti ſic inquit: [*Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibuſdam peccatis, etiam nõ reſeruatis à Confeſſarijs imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.*] Particula enim, *Etiam* ieſt

implicatiua alterius caſus non expreſſi, *Surdus Conſil.* 153. *num.* 7. *& Barboſa de dict. dict.* 95. *num.* 5. & ideo in ſubiecta materia includit caſus reſeruatos, de quibus eſt maior ratio, vt interdum taxentur pœnitentiæ, ſolent enim eſſe grauiora peccata.

18 Delegatio facultatis circa abſolutionē à reſeruatis iam commiſſis, cum poſtulatur per alienum Sacerdotem, non admittit onus ſe præſentandi coram Superiore, quia ideo petitur, vt pœnitens eximatur ab onere comparendi, ità *Aegidius Coninck de pœnit. diſp.* 8. *dub.* 15. *num.* 113. *Suarez diſp.* 30. *cit. ſec.* 5. *num.* 1. *Fillius cius de pœnit. tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 296. & multò minùs eſſet imponendum prædictum onus, ſi pœnitens per ſe ipſum peteret à Superiore confiteri alieno Sacerdoti, vt ab illo abſoluatur à reſeruatis; nam tunc ſufficienter ſe præſentat, nec eſt opus, vt iterum compareat, ſicuti notant Authores prædicti.

Tota difficultas eſt, quando petitur delegatio in ordine ad caſus reſeruatos futuros, tunc magna eſt controuerſia apud Doctores, an Superior poſſit delegare hanc facultatem alicui Sacerdoti cum hoc onere, admonendi pœnitentem, vt iterū eadem peccata reſeruata aperiat Superiori per confeſſionem ſacramentalem, cum ipſo Superiore faciendam, vel vt compareat ſolùm extra ſacramentum, narrando peccata.

19 Aliqui, inter quos eſt *Vaſquez de pœnit. quæſt.* 91. *a.* 3. *dub.* 7. *nu.* 13. *& ſeq.* cenſent id fieri poſſe, & tunc obligari pœnitentem iterum ſacramentaliter confiteri, & à ſuperiore recipere abſolutionem ab eiſdem reſeruatis; & per accidens eſſe, quod obligetur ad bis confitenda ſacramentaliter eadem peccata; nam tale onus oritur ex vi pacti initi inter ipſum pœnitētem, & ſuperiorem, vel obligatur, quia ſuperior concedit facultatem cum onere, vt confeſſarius delegatus imponat iteratam confeſſionem in ratione ſatisfactionis, ſeu pœnitētiæ, & ſicuti obligaretur pœnitens ad ſecundam confeſſionem, ſi illam voueret, vel iuraret, vel ex aliquo ſtatuto alicuius religionis ipſa impoſita eſſet, ità obligatur ex vi prædicti pacti.

20 At Suarez non admittit hanc ſententiā *diſput.* 30. *ſec.* 5. *num.* 31. ſicuti etiam illam poſtea reiecit *Vaſquez quæſt.* 93. *a.* 1. *dub.* 6. *num.* 11. *& ſeq.* retractans quod *quæſt.* 91. *cit.* prius dixerat; vrget tamen idem Suarez ibi, poſſe à ſuperiore concedi licentiam cum onere, vt pœnitens ſe præſentet, ſi illud peccatum reſeruatum habeat adnexam excommunicationem, ſiue non habeat; & hanc opinionem plures & graues Doctores ſequuntur præter *Suarez*, vt *Fillius cius cap. cit. num.* 297. *Ludouicus à Cruce in bul. cruciat. diſput.* 1. *cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 6. *Coninck diſp.* 8. *de pœnit. dub.* 15. *& plures alij apud ipſos*, demum aliqui etiam negant, poſſe imponi tale onus, & nouiſſimè eam latè defendit *Ioannes Sanchez in ſelec. diſp.* 12. *à n.* 3. his præhabitis.

Dicendum mihi videtur primo probabile eſſe non poſſe concedi hanc licentiam cum onere, vt pœnitens ritè abſolutus à confeſſario delegato, iterum eadem peccata confiteatur ſuperiori, vel alteri confeſſario iure tantum reſeruationis: ratio eſt, quia, vel ſuperior delegat hanc poteſtatem, vt delegatus abſoluat indirectè, vel directè à reſeruatis. primum neque licitè, neque validè fieri poteſt, quia abſolutio indirectè cadens in aliqua peccata, & directè in alia peccata eſt dimidiata; hoc autem ſine cauſa vrgente, & neceſſaria fieri nequit abſque ſacrilegio, vt de ſe patet ex communi opinione, neque validè ita delegaretur, quia in Eccleſia non eſt poteſtas concedendi licentiam, vt confeſſio ſacramentalis fiat dimidiata; ſi verò aſſeratur ſecundum, videlicet à Superiore delegari facultatem ad directè abſoluendum; tunc per talem abſolutionem pœnitens omninò liber remanet ad iterum eadem peccata aperienda in confeſſione, quia talis abſolutio fuit iudicium vltimum, & definitum, & ratio eſt in promptu; nam omnes Sacerdotes in ordine ad poteſtatē ordinis circa abſolutionem ſacramentalem ſunt pares, & vnus nō recipit talem poteſtatem dependenter ab alio; ſed ſolùm à Chriſto; quamuis quoad applicationem materię vnus Sacerdos poſſit ab alio Sacerdote Superiore dependere; nam applicatio iſta non eſt habita immediatè à Chriſto; at ſemel applicata, Sacerdos ſubdelegatus vi iuriſdictionis actiuæ, quam à Chriſto immediatè recepit, vltimam fert ſententiam ſupra illam materiā ſine ordine ad aliam, vt ità dicam, appellationem, ſeu reuiſionem, quia illud iudicium eſt ſententia Chriſti, & non alterius hominis; cum enim Sacerdos abſoluit, dat ſententiam, vt immediatus Miniſter Chriſti, & non vt miniſter Superioris; neque eſt Superior, qui in eo caſu abſoluit, & licet *Suarez diſp.* 30. *ſec.* 5. *à num.* 22. conetur probare eſſe propriam iuriſdictionem, quæ in hoc foro per homines detur, quod ego non nego; illud tamen ipſum, quod eſt applicare materiam eſt dare iuriſdictionem circa talia peccata; & quamuis poſſit iſta applicatio materiæ, ſeu iuriſdictio limitate concedi in ordine ad diuerſa peccata, tamen in ordine ad vnum, &

idem

idem peccatum numero, conſiſtit in indiuiſibili circa remiſſionem culpæ ſacramentaliter obtinendam; quidquid ſit in ordine ad ſatisfactionem iniungendam, & ad curationem eiuſdem peccati, quoad obligationem in futurum vitandi ſimilia peccata, nam *Ioannes Sanchez vbi ſupra num. 6.* putat pœnitentiam taxari non poſſe quoad quantitatem, & qualitatem, niſi ab eo Iudice; qui eſt Miniſter audiens peccata, & ſacramentaliter abſoluens; idcirco aio, non poſſe vi ſolius reſeruationis à Superiore cõcedi hanc facultatem cum onere, vt iterum pœnitens eadem peccata ſacramentaliter confiteatur, alio tamen titulo pœnitens poterit obligari, videlicet, per votũ, aut iuramentum, vel ſi à Confeſſario in ſatisfactionem iniungatur; à qua tamen poteſt ſe liberare pœnitens, ſi ab alio confeſſario commutetur in aliud pium opus; vel denique poteſt aſtringi ad iterum eadẽ peccata aperienda per aliquod ſtatutum alicuius ordinis regularis, præcipientis, vt bis. c. vel ſemel in anno regulares eiuſdem ordinis faciant confeſſionem generalem, quæ obligatio vi regulæ poterit eſſe cum obligatione graui, vel ſine illa, vt eſt in noſtra Societate. Et confirmatur, quia facultas imponendi tale onus, ſi inueniretur in Superioribus, maximè eſſet in ordine ad caſus reſeruatos, ſed hoc eſt falſum, quia efficacia reſeruationis conſiſtit in hoc, vt Superior impediat per ablationem iuriſdictionis, ne alij Confeſſarij inferiores iudicent de tali, vel tali peccato, & ab illo abſoluant; at non conſiſtit in hoc, quod peccata ſacramentaliter iudicata, & deleta per abſolutionem, iterum iudicentur ab ipſo Superiore.

22 Sed circa abſolutionem à cenſuris reſeruatis non eſt controuerſia; nam in pluribus caſibus datur facultas abſoluendi cum onere, vt Reus ſe præſentet coram legitimo Superiore, quando dabitur opportunitas; *Vaſquez quæſt. 93. a. 1. dub. 6. nu. 15. Coninck. dub. cit.* vt patet cum quis abſoluitur in articulo mortis à caſibus habentibus adnexam cenſuram reſeruatam; Rurſus quando eſt impeditus, & nequit comparere coram Superiore, tunc abſolutio datur cum illo onere, vt præſcribitur *cap. Eos, qui de ſententia excommunicationis in 6.* Ratio diuerſitatis eſt; quia circa abſolutionem à cenſuris Sacerdotes non habent poteſtatem immediatè à Chriſto Domino, ſed eam accipiunt immediatè à Superioribus Prælatis, & ideo poſſunt illã accipere cum hac, aut alia limitatione: at poteſtatem abſoluendi à peccatis omnes immediatè accipiunt à Chriſto, & in illa omnes ſunt pares, eamque ſine limitatione in ipſa ſumptione presbyteratus recipiunt; proinde non eſt limitabilis ab alio homine.

23 Dicendum mihi videtur ſecundo probabilius eſſe poſſe à Superiore delegari facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis futuris cum onere, vt pœnitens etiam abſolutus compareat coram Superiore, vt volunt Authores citati in relatione huius ſententiæ, & ratio eſt, quia talis delegatio dependet à voluntate Superioris, qui rem gratam facit ſubdito, concedendo illi licentiam, vt poſſit abſolui à peccatis reſeruatis futuris; ergo poteſt illam cum conditione prædicta delegare, & in hoc nulli facit iniuriam; imò interdum ità eſt expediens, vt mox videbimus. Et confirmatur; nam in Ordinationibus Præpoſitorum Generalium Societatis Ieſu *cap. 6. de abſolutione à reſeruatis num. 6.* præſcribitur, vt religioſi Societatis iter agentes, quando illis non ſuppetit commoditas proprij Confeſſarij, poſſint abſolui etiam à reſeruatis à Cõfeſſario, licet ſit extraneus; cũ onere tñ, & obligatione ſiſtẽdi ſe poſtea ſuo ſuperiori, ad quẽ vel ituri, vel redituri ſunt: ergo delegare hãc poteſtatẽ cũ tali onere poteſt eſſe res licita, & dependere à beneplacito Superioris delegantis; hoc autem ſoli probant argumenta Patris Suarez, eiuſque diſcurſus, quem facit *loc. cit.*

24 Si pœnitens vult abſolui per hanc facultatem delegatam cum illo onere comparẽdi, tenebitur tale onus recipere, quia eſt veluti pactum inter ipſum pœnitentem, & Superiorem; nam Superior concedit facultatem cum hac conditione, vt pœnitens compareat; at ſi idem pœnitens, occaſione alicuius iubilei pleniſſimi poſtea abſoluatur, tunc nulla remanebit obligatio cõparendi. Probari poteſt à pari; nam Doctores communiter dicunt, quod ſi quis in articulo mortis abſoluatur à cenſuris reſeruatis à quibus extra articulum, aut periculum mortis Confeſſarius abſoluens non habebat poteſtatem abſoluendi, obligatur ità abſolutus, ſi conualuerit ſe præſentare coram legitimo Superiore, habente poteſtatem circa illas cenſuras; addunt tamen hanc limitationem niſi poſtea iterum abſoluatur virtute iubilei, aut ſimilis priuilegij; nam ità poſtea abſolutus remanebit liber ab obligatione ſe præſẽtandi, quia in iubileo &c. non datur facultas abſoluẽdi cum tali onere; ſic docent *Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 10. num. 5. lit. G. Sanchez lib. 2. decal. cap. 15. num. 12. Trullench. in bullam lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 5. num. 12. & alij;* ſimiliter in caſu noſtro idẽ eſt aſſerendum.

25 Remanet alia dubitatio, an ſi confeſſarius delegatus, cui ſuperior conceſſit facultatem abſoluendi à reſeruatis, non decla-

ret

ret pœnitenti onus impoſitum, ſub quo ſuperior deuenit ad licentiam illam, ſed abſoluat pœnitentem, & poſtea manifeſtet illi onus, an pœnitens teneatur illud onus acceptare, *Suarez ſec. cit. num.* 20. *Filliucius tract. 7. de pœnit. cap.* 10. *num.* 298. *& Pellizarius in quæſt. regul trac.* 8. *cap.* 2. *ſec.* 1 *ſubſec.* 2. *num.* 63. putant pœnitentem teneri adimplere conditionem illã; quia re vera Prælatus voluntatem habet efficacem obligandi ſubditum, vt ſe præſentet, & poteſt ad hoc illum obligare; ſicuti ſi quis in aliquo caſu neceſſitatis abſoluatur à caſibus Pontifici reſeruatis, quamuis ante abſolutionem ignoret ſuam obligationem comparendi, ſi tamen ipſi poſtea innoteſcat conditio illa, quæ eſt in iure, nimirum de ſe præſentãdo, tenebitur quãprimum dabitur opportunitas comparere: Cæterum quamuis opinio iſta habeat ſuã probabilitatem, probabiliorem tamen iudico oppoſitam, videlicet in eo caſu non teneri pœnitentem acceptare onus ſe præſẽtãdi coram ſuperiore; & ità affirmat expreſsè *Gaſpar Hurtadus de pœnit. diſp.* 11. *diff.* 12. *& Aegidius Coninck* loquens de onere iterum confitendi, hoc ipſum vult, debere acceptari à pœnitente; ſi verò innoteſcat poſt abſolutionem non teneri, ſic *diſp.* 8. *de miniſ. ſacram. pœnit. dubit.* 15. *num.* 119. *illatio* 1. *&* 2. ex mente aliorũ, quibus ipſe ſubſcribit *à num.* 120. *vſque ad finem illius dubij.*

26 Sed *Caſtropalaus p. 4. de ſacramẽt. pœnit. tract. 23. diſp. unica puncto* 15. *num.* 15. diſtinguit duplicem formam ſub qua concedi poteſt talis facultas: nempè quando conceditur Confeſſario, ſed ſub conditione, & non aliter, vt imponat onus pœnitenti, & ab illo acceptetur, vel ſi concedat facultatem, & ſimul dicat confeſſario, eique iniungat, vt imponat onus illud pœnitenti, Confeſſarius vero obliuiſcatur de impoſitione talis oneris, & ante abſolutionem illud pœnitenti non manifeſtet: in primo caſu docet *Caſtropal.* ſolum indirectè eſſe pœnitentem abſolutum à reſeruatis ob defectum poteſtatis in Confeſſario, quia cum poteſtas fuerit ſub conditione collata, & non aliter; ideo conditione non poſita poteſtas iſta non intelligitur collata fuiſſe: in ſecundo autem caſu vult idem Author pœnitentem directè abſolutum fuiſſe à reſeruatis, quia bona fide proceſſit, proinde cum ignorauerit onus imponendum, non obligabitur illud acceptare, quod etiam docet *Candidus tom.* 1. *diſquiſ. 3. de moralibus art.* 19. *dub.* 1. *concl.* 4. ratio pro hac ſententia eſſe poteſt, quia ſi pœnitens obligaretur poſt abſolutionem obtentam ad acceptandum onus comparendi, vel teneretur ex pacto aliquo inito inter ipſum, & ſuperiorem, ſiuè immediatè, ſiue mediatè, vel ex præcepto, neutrũ dici poteſt, non primum, quia nullum fuit pactum, neque explicitum, vt patet, quoniam nequit eſſe pactum explicitum inter duos, ſi ipſis contrahentibus non innoteſcat, & ab eiſdem acceptetur; neque implicitum, tunc enim fuiſſet pactum implicitum, quando illa licentia ex natura ſua, vel ex aliquo ſtatuto, aut conſuetudine inuolueret tale pactum, & hæc omnia innoteſcerent pœnitenti; at nullum ex his dici poteſt; nam licentia illa ſæpè datur ſine tali onere, neque vt ſuppono, eſt tale ſtatutum in religione, ſicuti in quibuſdam religionibus, vt in noſtra ſocietate eſt ſtatutum, vt religioſi eiuſdem ſocietatis iter facientes, ſi in itinere incidant in caſus reſeruatos, & non habeant confeſſariũ, in quo ſit facultas ordinaria, aut delegata abſoluendi ipſos, poſſint abſolui ab alio cum onere ſiſtendi ſe coram Superiore legitimo; proinde cum in ſola licentia vt ſic, non inuoluatur tale onus, nequit dici, quod pœnitens cum acceptat beneficium abſolutionis, vi licentiæ conceſſæ, implicitè cenſeatur conſentire oneri impoſito. Neque tenebitur ratione præcepti; nam licet, vt ego exiſtimo, in quibuſdam caſibus poſſit Superior id præcipere, ordinariè tamen loquendo, cum Superiores concedunt has licentias etiam cum prædicto onere; non ſolent id præcipere in virtute obedientiæ, nempè vt pœnitens compareat, ſed ſolum imponunt onus comparẽdi cum intentione obligandi eo modo, quo ſecũdum ius obligantur pœnitẽtes, & quãuis explicitè de hoc non cogitent, hoc ſufficit ad aſſerendum nullum præceptum ſpeciale imponi, ſed ſolum intimare onus cum illa vi, quam habet obligandi ſecundum ius. Et hæc ſententia mihi placet.

Alia dubitatio oriri poteſt, quam proponit Coninck, videlicet, an ſi onus innoteſcat pœnitenti poſt narrationem peccatorum, ſed ante abſolutionem, teneatur illud acceptare, ſi velit recipere abſolutionem, & ipſe diſtinguit; ſi enim Confeſſarius admonuit pœnitentem de onere ſtatim ac potuit aliquo modo ſuſpicari illum habere peccata reſeruata, ait teneri pœnitentẽ illud onus ſuſcipere, si velit abſolui, & idem Author proponit modum, quo hoc euenire queat, v. g. ſi fingamus, quod ipſe pœnitens prius ſe accuſet de non reſeruatis, & poſtea vltimo de reſeruato, ita vt Confeſſarius ante expreſſionem illius reſeruati nequiuerit ſuſpicari pœnitẽtem habere caſum reſeruatum; tunc inquit, teneri pœnitentem acceptare onus, & nulla ei fit iniuria, & si nolit, non debet Confeſſarius eum abſoluere; imputandum 27

enim

enim eſt ipſi pœnitenti, qui vltimo loco reſeruatum expreſſit, ſi à Confeſſario poſt auditam confeſſionem non abſolutus dimittatur; at ſi initio Confeſſionis manifeſtet reſeruata, & totam compleat confeſſionem, qua completa Confeſſarius manifeſtet onus, cum quo eſt abſoluendus, tunc, inquit, Ægidius pœnitentem acquiſiuiſſe ius ſtrictum ad abſolutionem, & non obligari ad recipiendam abſolutionem cum illo onere, & Confeſſarium teneri abſolutionem dare, quia fortius eſt ius, quod in hoc caſu habet pœnitens, eo, quod habet ſuperior, vt ſeruetur illi fidelitas à Confeſſario. Hæc ex Coninck, quæ ſunt valde probabilia.

28 Neque obſtat argumentum deductum ex paritate cenſurarũ reſeruatarum, à quibus aliquis in articulo, ſeu periculo mortis abſolutionem obtinuit ab eo, qui extra talem articulum poteſtatem nõ habebat, quia ideo tenetur ità abſolutus, ſi conualuerit, ſe præſentare coram legitimo ſuperiore, quia cenſura eſt quædam pœna ſpiritualis ab eccleſia inflicta; proindè qui in illam incidit, non ſolum tenebitur Deo in foro conſcientię ſatisfacere, verum etiã Eccleſię in foro externo; quapropter cum per illam abſolutionem in articulo mortis ſoli Deo ſatisfecerit, ſi ſuperuiuat, obligabitur etiam Eccleſiæ ſatisfacere, quod pręſtabit, ſe legitimo iudici præſẽtando; at in abſolutione à culpis, annexam non habẽtibus pœnam eccleſiaſticam, hæc ratio nõ militat, ideo eſt diſparitas.

29 Quæ hactenus diximus de onere, ſub quo ſuperior concedit licentiam abſoluendi à reſeruatis futuris, idem eſt aſſerendũ, quando eamdem licentiam concederet alicui ſacerdoti, illam petenti pro aliquo religioſo in ordine ad caſum reſeruatum pręteritum; nam poſſet contingere, vt ſuperior deleget ſuam poteſtatẽ ſub aliquo onere, quod iniungi debet ab ipſo confeſſario excipiente confeſſionem illius religioſi, & ſi vel per obliuionẽ, vel ob aliquam aliã cauſſam, confeſſarius iſte delegatus audiat prius confeſſionem, & poſtea declaret onus, tunc iuxta doctrinam datam ab Aegidio, pœnitens acquiret ius ad abſolutionem, & non tenebitur eam recipere cum illo onere, quod prius ignorabat, vt ſupponimus, & multo magis hoc eſt aſſerendum, ſi confeſſarius poſt datam abſolutionem manifeſtet onus.

30 Si pœnitens acceptauit onus comparendi, quod initio confeſſionis confeſſarius illi manifeſtauit, & recepit ſub illo onere beneficium abſolutionis, tenebitur ſub peccato mortali, quam primum dabitur opportunitas, ſe ſiſtere coram legitimo ſuperiore ità *Suarez ſec. cit. nu.* 11. *Pilliuc. loc. cit. num.* 198. cum alijs, & oppoſitam opinionem, quam idem Suarez ait eſſe quorumdam, appellat improbabilem; ducebantur enim ad illud aſſerendum, quia putabant onus ſe præſentandi eſſe rem parui momenti, & parum referre, ſuperiorem habere notitiam de lapſu ſui ſubditi; at Suarez probat tale onus non eſſe rem parui, ſed magni momenti, & grauẽ eſſe materiam, quoniam eſt materia honeſta pertinens ad Dei cultum, ad reuerentiam debitam ſuperiori, & tendens ad bonum animæ ipſius religioſi; neque grauitas huius materiæ deſumitur per ordinẽ ad notitiam ſimplicem ſuperioris, quia niſi talis notitia referretur ad aliud bonum, foret inutilis, & vana curioſitas; at ordinatur ad reddendam efficaciorem reſeruationẽ, ad conſequendum proprium finem, qui eſt, vt ſubditi retrahantur à committẽdis ſimilibus delictis; hoc autem valdè confert ad ſpiritualem profectum ipſius ſubditi, & totius communitatis religioſæ.

Abſolutio data à confeſſario delegato ſine declaratione oneris eſt valida, ita Suarez contra paucos quoſdam putantes eſſe inualidam, quia cenſebant, facultatem concedi cum illo onere, ſe præſentãdi tanquam ſub conditione declaranda, & acceptanda à pœnitente, ſed melius eſt dicendum, non eſſe talem conditionem de ſubſtantia licentiæ conceſſæ; nam etſi ſuperior poſſit id facere, quia prædicta conceſſio dependet ab eius voluntate, & ideo ad ſui libitum poſſet cum hac, vel illa conditione facultatem delegare; nihilominus dum de tali voluntate nõ conſtat, præſumendum eſt onus illud datum fuiſſe, vt modũ, & non vt conditionẽ. Hoc ſumitur ex vſu; nam cõmuniter in his, & ſimilibus euentibus ità ſolet concedi, & delegari facultas, & impoſitio huius oneris cũ ſit odioſa, non eſt cum tali rigore interpretanda, neque eſt credendum, ſuperiores voluiſſe concedere licentiam illam ſub onere cum tali intentione, vt ſi confeſſarius onus illud non declaret pœnitenti ob inaduertentiam, vel ignorantiam, confeſſio ſit irrita. 31

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

Vtrum Confeſſarius, cui à ſuperiore delegatur poteſtas abſoluendi ſubditum religioſum ab aliquo caſu reſeruato, poſſit eumdem abſoluere, ſi poſt obtentam licentiam, ante confeſſionem incidat iterum in eumdem caſum reſeruatum?

SVMMARIVM.

Figuratur caſus. 1

Par-

2 *Partem affirmatiuam ſuſtinent aliqui.*
3 *Eam limitat Barboſa.*
4 *Partem negatiuam tuentur alij.*
5 *Author conſuetudini Religionis ſe remittit.*

1 CAſus iſte eſt: Titius religioſus committit aliquem caſum ſuo ſuperiori reſeruatum, v. g. lapſum carnis, nolit ob erubeſcentiam ſe præſentare coram ſuperiore, ſed mittit quemdam religioſum ſacerdotem eiuſdem familiæ ad ſuperiorem, vt tacito nomine ipſius Titij petat facultatem à ſuperiore abſoluendi ipſum religioſum delinquentem; ſuperior concedit licentiam, eaque conceſſa, Titius antequam confiteatur iterum labitur in eumdem caſum: quæritur, an virtute illius licentiæ conceſſæ poſſit à confeſſario illo delegato abſolui ab vtroque caſu.

2 Partem affirmatiuam tuentur *Salas de legib. diſp. 17. ſec. 8. num. 51. Bonacina etiam de legib. diſp. 1. quæſt. 3. punc. 7. §. 2. num. 11. Ioannes Prapoſitus in 3. part. S. Thomæ quæſt. de reſeruatione caſuum dub. 3. Graphius par. 1. deciſ. lib. 1. cap. 13. num. 75.* & in ea videtur eſſe *Nauarrus in manual. cap. 12. num. 80. & in tr. de iubileo, & indulg. notab. 34. num. 4. & alij*, quos citat *Floronus de caſ. reſer. par. 1. cap. 4. §. 3. num. 19.* & nouiſſimè hanc ſententiam amplectitur *Pater Diana tom. 4. reſol. moral. tract. 4. miſcel. reſol. 109. Barboſa de poteſt. epiſc. par. 2. alleg. 52. num. 9.* qui tamen limitat hanc
3 ſententiam, quando confeſſarius petit licentiam, vt abſoluat à reſeruatis in quos incidit religioſus ille, quia petitio videtur reſtricta ad peccata commiſſa ante tempus illius petitionis, & ſic non poteſt virtute eiuſdem licentiæ abſoluere religioſum illũ ab alio peccato reſeruato, in quem incidit poſt licentiam obtentam; eamdem limitationem ponit, quando pœnitens per ſe ipſum immediatè talem licentiam peteret; tunc enim intelligitur de peccatis cõmiſſis.

4 Sed contrariam ſententiam, quæ aſſerit, in nullo ex prædictis caſibus poſſe confeſſarium delegatum abſoluere à peccatis reſeruatis patrandis poſt licentiam, quamuis ante confeſſionem cõmiſſis, defendunt *Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 23. quæſt. 2. verb.* (*Item quando*) *Caſtropalaus to. 1. trac. 3. diſp. 4. punc. 11. num. 8. Merolla tom. 2. de leg. cap. 6. diſp. 2. corol. 4.* qui quidẽ Author malè citat pro ſua ſententia *Patrẽ Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 16. n. 2.* nam ibi, & ſequentibus nihil dicit, ex quo Merolla potuit colligere ipſum Suarez eſſe pro ſua ſententia.

5 In hâc autem re eſt iudicandum ſecundum conſuetudinem religionis, aut ex verbis, quibus petitur, & conceditur facultas abſoluendi. placet diſtinctio, quam dat *Cardinalis Delugo diſp. 20. de pœnit. ſec. 8. num. 122.* quæ talis eſt: ſi licentia datur ad abſoluendum pro tali peccato, pro quo poſtulatur facultas, tunc non poterit dari abſolutio pro peccato, quod committitur poſt licentiam, & hoc modo ait idem Cardinalis practicari in noſtra Societate; ſi verò licentia abſoluendi conceditur ad eligẽdum confeſſarium pro hac vice, à quo pœnitens, qui licentiam petit, poſſit abſolui à reſeruatis, vel facultas datur confeſſario, vt audiat pœnitentem eumque abſoluat hac vice, ab eiſdem reſeruatis, tunc poterit confeſſarius pro illa vice abſolutionem dare etiam pro peccato commiſſo poſt licentiam datam, dũmodo illud peccatum ſit ſimile, ſeu eiuſdẽ ſpeciei cum illo patrato ante licentiam.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

Quo pacto debeat ſe gerere habens caſum reſeruatum, ſi velit communicare, & confeſſarius careat poteſtate circa peccatum illud reſeruatum.

S V M M A R I V M.

Habens reſeruata, & carens copia confeſſarij habentis iuriſdictionem; ſi nulla vrgeat neceſſitas communicandi, tenetur abſtinere à communione. 1
Quando ad ſcandalum vitandum vrget neceſſitas communicandi, aut celebrandi; aliqui putant poſſe pœnitentem aperire peccata confeſſario inferiori non habenti iuriſdictionem in reſeruata, & ab eodem abſolui vt communicet, &c. 2
Alij diſtingunt dicentes, ſi ille cum reſeruatis habeat alia non reſeruata; teneri ante communionem omnia tali confeſſario aperire, & cum onere ſe poſtea præſentandi. 3
Alij id admittunt quando reſeruata non habent annexam excommunicationem, ſecùs ſi illam annexam habeant. 4
Ad amplectendam aliquam ex enumeratis opinionibus non eſt ſufficiens excuſatio, ſcandalum vulgariter acceptum, nempè ſola admiratio apud alios, ſed requiritur ſcandalum propriè dictum, nempè occaſio peccati. 5
Si cum reſeruatis habeantur nõ reſeruata, eſt obligatio præmittendi confeſſionẽ ante receptionem eucharistiæ. 6
Si quis non habeat niſi reſeruata, & vrgeat neceſſitas communicandi, & non adſit copia legitimi confeſſarij poterit 7
cum

Digitized by Google

tum ſola contritione accedere ad Eucharistiam.

1 CErtum eſt apud Doctores, ſi nulla ſit neceſſitas communicandi, aut celebrandi, neque omittendo communionem, &c. ſequatur graue ſcandalum, aut periculum infamiæ, teneri, per ſe loquendo, habentem caſum reſeruatum abſtinere à communione, à faciendo ſacro, &c. ita *Suarez* ex communi opinione *tom. 3. in par. 3. S. Thom. quaſt. 66. a. 5. Sanchez in ſelec. diſp. 32. num. 3.* & eſt definitum *in Concil. Trid. ſeſ. 13. cap. 7.* vbi ſtatuit neminem cum conſcientia peccati mortalis quantumuis contritum accedere debere ad ſacram Euchariſtiam abſque præmiſſa confeſſione ſacramentali, & ſolùm in fine illius capitis excipit caſum, in quo vrgeret neceſſitas ſumẽdi Euchariſtiã, & deſit copia confeſſarij, & de hoc, quod dictum eſt, hodie nulla eſſe poteſt dubitatio; proinde reijcienda eſt opinio, quæ tribui ſolet Riccardo, & paucis quibuſdam apud Suarez, aſſerentibus poſſe aliquem, etiam ſi habeat copiam legitimi confeſſarij communicare ſine præuia confeſſione, ſi de propinquo expectet alium, cui maiori cum deuotione ſolitus ſit cõfiteri, reijcienda, inquam, eſt hæc ſententia; nam videtur apertè contradicere decreto Concilij.

2 Aliqua controuerſia eſt apud Doctores, an vrgente neceſſitate communicandi, ſeu celebrandi, & quis communicaturus habeat caſus reſeruatos, & confeſſarius, qui eſt præſens, non habeat poteſtatem ab illis abſoluendi, nec pateat aditus ad ſuperiorem legitimum, & ſi ille omittat communionem, aut ſacrum, ſequatur, aut graue ſcandalum, aut diffamatio, &c. controuerſia, inquam, eſt apud Doctores de modo, quo iſte talis in hoc caſu debeat ſe gerere, & varia ſentiunt; nam aliqui apud *Suarez diſp. 31. de pœnit. ſec. 3. num. 1. vt Riccardus, Durandus, Adrianus* negant hunc talem poſſe in eo caſu abſolui à confeſſario inferiori, ſed cum ſola contritione accedere poſſe ad Euchariſtiam; in hac opinione eſt etiam *Ledeſma in ſumma par. 1. de euchar. cap. 11. concl. 8.* & quidã alij apud *Filliucium tract. 4. num. 213.*

3 Cæterum alij diſtinguunt, & aiunt, quod ſi ille cum reſeruatis habeat etiam peccata non reſeruata non poſſe communicare, ſed debere prius confiteri apud illum confeſſarium, à quo directè abſoluatur à non reſeruatis, indirectè à reſeruatis cum onere comparendi coram ſuperiore legitimo pro ſolis reſeruatis, ſecùs ſi tantum reſeruata habeat. itã ſentit *Suarez ſec. cit. n. 3. Filliucius loc. cit. Layman. de pœnit. tract. 6. cap. 12. num. 10. Henriquez lib. 6. cap. 25. in fine, & apud Suarez Alenſ. Palud. Gerſon, & alij.* Non deſunt tamẽ 4
aliqui, qui diſtinguunt, & inquiunt, ſi reſeruata habent excommunicationem annexam, non poſſe in tali caſu pœnitentem abſolui à confeſſario inferiori ob impedimentum excommunicationis, quæ dum durat, reddit hominem illum incapacem abſolutionis. ita *Sotus Cano, & Ledeſma apud Suarez*, ſed ipſe *Suarez nu. 6. Layman. & alij*, etiam in tali caſu, vrgente graui neceſſitate, cenſent poſſe confiteri confeſſario inferiori; nam excommunicatio quamuis impediat, & arceat hominem ab Euchariſtiæ ſumptione, & abſolutione peccatorum antequam abſoluatur ab ipſa excommunicatione, tamen non reddit hominem inhabilem, & incapacem ad ſacramentum pœnitentiæ recipiendum, & ideo concurrentibus quibuſdam circumſtantijs non ſolùm validè, ſed etiam licitè poterit illud recipi; hæ ſunt principaliores ſententiæ circa caſum propoſitum, quid autem ipſe ſentiam breuiter explicabo.

Et primò aio quod ad eligendum aliquẽ 5
modum ex enarratis, vt poſſit habens caſus reſeruatos communicare, vel ſacrum facere, non eſt ſufficiens excuſatio, ſcandalum vulgariter dictum, quod, vt dicemus in tractatu de ſcandalo, non eſt aliud, niſi quædam hominum admiratio, ſed requiritur ſequi ex omiſſione communionis, aut celebrationis ſcandalum propriè dictũ, nempè occaſionẽ, vt alij peccent, e.c. vt ex illa omiſſione ſequantur iudicia temeraria detractiones, vel aliud peccatum: aut ſequatur notabilis deperditio famę, aut bonę opinionis illius, qui omittit communionem, aut ſacrum; tunc enim eſt ſufficiẽs excuſatio, nam licet tum integritas confeſſionis, tum etiam confeſſio peccatorũ mortalium, de quibus homo habet conſcientiam, ſit de iure diuino præmittenda ante ſumptionem Euchariſtiæ, tamen præceptum de præmittenda confeſſione eſt affirmatiuum; quod quamuis ſemper obliget, nihilominus non obligat pro ſemper, ideoque poſſunt interdum concurrere tales circumſtantiæ, vt pro illo tunc homo excuſetur ab eius adimpletione; & hoc euenit in caſu prædicto, nam auferre occaſionem ſcandali, nempè aliorum ruinæ ſpiritualis, ſtrictius obligat, quàm obliget præceptum de præmittenda confeſſione ante ſumptionem Euchariſtiæ, ſimiliter idem præceptum non obligat cum tanto rigore, vt homo teneatur prodigere ſui famam, & bonam exiſtimationem apud alios: proinde ſi habens caſus reſeruatos, eſſet homo diffamatus, & malæ exiſtimatio-

Tt tio-

Digitized by Google

tionis apud alios, non eſſet locus excuſationi, idcirco ex hoc capite teneretur potius omittere ſumptionem Euchariſtiæ, quā communicare, non præmiſſa integritate confeſſionis, niſi forſitan ex tali omiſſione ſequātur ſcandala propriè dicta. His præmiſſis; eſt determinandum quo pacto in caſibus prædictis, quando ſequūtur ſcandala, aut grauis nota contra propriam, & bonam exiſtimationem, homo ſe gerere debeat, & quænam ſit cenſenda probabilior ſententia ex enumeratis.

6 Secundo dico, quod ſi habens caſus reſeruatos ſimul cum illis habeat peccata mortalia non reſeruata, eſt obligandus ad præmittendam confeſſionem ſacramentalem, vt volunt Authores ſecundæ opinionis relatæ, nempè *Suarez, Filliucius, & reliqui*, ſi confeſſarius ille habeat poteſtatem ad abſoluendum directè à non reſeruatis: concluſio hæc mihi videtur moraliter certa; ita vt nullo modo acquieſcere poſſim contrariæ ſententiæ ſaltem ex principijs intrinſecis. probo autem concluſionem ſequenti diſcurſu: *in Concilio Tridentino ſeſ. 13. cap. 3.* ſtatutū fuit omnes fideles ante ſumptionem Euchariſtiæ teneri præmittere confeſſionem ſacramentalem, ſi habeant conſcientiam peccati mortalis, & præceptum non ſolùm fertur circa omnia mortalia, verum etiam circa ſingula diſtributiuè accepta, adeo vt quodlibet ipſorum ſeorſim ab alio ſit materia illius præcepti: rurſus obligatio fatendi mortalia eſt, vt non quomodocumque ab illis homo abſolutionem obtineat, ſed vt directam abſolutionem recipiat, cum non ſit ſufficiens per ſe loquendo indirecta abſolutio; & quamuis in aliquibus circumſtantijs excuſandus ſit homo, ſi obtineat abſolutionem indirectam ab aliquo peccato recipiens directam abſolutionem ab alijs peccatis, tamen illæ circumſtantiæ occurrentes licet ſint ſufficientes ad hoc, vt pœnitens conuenienter ſumere poſſit Euchariſtiam, habita ſolùm abſolutione indirecta reſpectu illorum peccatorum, non ſunt tamen ſufficientes ad eximendum eumdem pœnitentem ab obligatione confitendi alia mortalia, à quibus poteſt directè abſolui; ponamus quod in aliquo oppido vnus ſit confeſſarius, & pœnitens rationabilem habeat cauſſam non manifeſtandi eidem confeſſario aliquod peccatum, quia ex tali manifeſtatione aliquod damnum timeat, & vrgeat neceſſitas communicandi, nemo eſt, qui in tali caſu liberabit pœnitentem ab obligatione confitendi alia peccata, ex quorum manifeſtatione nullum timeat damnum: ergo à pari in caſu noſtro ſi pœnitens non habeat confeſſarium, à quo directè abſolui poſſit à reſeruatis, nullo modo deobligabitur à confeſſione non reſeruatorum, à quibus directè poſſit abſolui; nam, vt dixi, quodlibet peccatum mortale eſt materia ſufficiens ad obligandum hominem, vt ante ſumptionem Euchariſtiæ confiteatur, etiamſi de alio mortali ob occurrētes circumſtantias hic, & nunc non eſſet obligatio prædicta. Et idem mihi videtur dicendum cum Suarez, & alijs contra nonnullos, ſi illis reſeruatis ſit annexa excommunicatio, à qua confeſſarius nequit abſoluere; & hoc affirmo ob rationem aſſignatam ab eodem Suarez ſuperiùs à nobis relatam.

7 Si præter reſeruata non habeat pœnitēs niſi peccata venialia, vel mortalia alias confeſſa, & abſoluta, tunc placet opinio eorum, qui dicunt, poſſe vrgente neceſſitate communicandi, accedere ad Euchariſtiam præmiſſa contritione; ceſſat enim ratio ſuperius allata in ordine ad alia mortalia non reſeruata, quia cum peccata venialia nequeant inducere obligationem confeſſionis, & pœnitens non habeat niſi reſeruata, à quibus nequit ſacramentalē, & directam abſolutionem recipere, & hæc abſolutio ſit illa, quæ poſtulatur à Concilio, inde fit, vt in tali caſu ſatis ſit contritio, quæ eumdem cauſſabit effectum, quē cauſſaret confeſſio reſeruatorum, & venialium; hanc opinionem docet *Megalius par. 1. inſtitut. confeſſ. lib. 1. cap. 10. n. 15.* cæterum ſi volens communicare, exiſtimet ſe non habere contritionem, tunc obligarem illum ad confeſſionem reſeruatorum, & venialium ſimul, vt mediante abſolutione, fiat ex attrito contritus, & ponat ſe in ſtatu gratiæ, ad hoc, vt dignè recipiat Euchariſtiam.

QVAESTIO DECIMASEXTA.

Vtrum quando nulla eſt neceſſitas confeſſionis, ſed ne nimium cōfeſſio differatur, habens reſeruata poſſit abſolui à confeſſario inferiore?

SVMMARIVM.

Declaratur ſtatus quæſtionis. 1

Aliqui autumant notabilem temporis dilationem eſſe ſufficientem cauſſam, vt quis carens copia legitimi confeſſarij pro abſolutione reſeruatorum, poſſit cōfiteri alteri non habenti talem iuriſdictionem reſeruatorum, ſed habenti in alia peccata non reſeruata. 2

Qualis ſit notabilis dilatio temporis arbitrio prudentum eſt determinandum pēſatis omnibus circumſtantijs. 3

Si ſacerdos ille nullam habeat iuriſdictionem circa mortalia non confeſſa, in tali 4

li caſu ratione ſolius dilationis non poteſt quis à tali ſacerdote abſolui à reſeruatis.

1 DE hoc quæſito mentionem facit *Pater Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 23. ſec. 2. num. 7.* caſus autem talis eſt, Titius lapſus eſt in aliquem caſum reſeruatum, & non adeſt ſuperior, aut alius legitimus confeſſarius, à quo abſolui poſſit, ſed ſolùm eſt præſens alius ſacerdos non habens facultatem circa reſeruata; Titius ſuorum peccatorum pœnitēs deſiderat ab illis abſolui, vt citiùs Deo ſe reconciliet; & quia deberet differre in aliud tempus confeſſionem, ſi expectaret opportunitatem confeſſarij legitimi, quæritur, an in tali caſu, ne nimium differatur confeſſio, poſſit beneficium abſolutionis obtinere à confeſſario inferiori, à quo directè abſoluatur à non reſeruatis, indirectè verò à reſeruatis cum onere ſe præſentandi coram ſuperiore legitimo, quã primum dabitur opportunitas; an verò nequeat ab illo confeſſario inferiori abſolui, & per conſequens debeat expectare copiã alterius confeſſarij, a quo legitimè abſoluatur.

2 *Suarez loc. cit. ex Soto* docet, eſſe cauſſam ſufficientem ad confitendum confeſſario inferiori, quando confeſſio nimium eſſet differenda; non enim tenetur aliquis notabile diſpendium facere profectus ſpiritualis, omittendo communionem, & confeſſionem, per quam ſecurius Deo reconciliabitur, & obtinebit alia auxilia ab ipſo Deo concedenda intuitu ſacramentorum Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, per quæ auxilia melius munietur ad vitanda peccata futura; carentia autem horum auxiliorum, & gratiæ ſanctificantis ſunt longè maiora incommoda, quam ſint tēporalia, ad quæ cauenda interdum, vt ſupra vidimus, poteſt pœnitens abſolui à confeſſario inferiori.

3 Cęterum Pater Suarez, & Sotus non explicant quantum tempus ſit in hac materia notabile, ratione cuius dilatio communionis, vel confeſſionis cenſeatur nimia, & per conſequens ſufficientem præbēs cauſſam, vt Titius poſſit confiteri inferiori confeſſario cum illo onere ſuperius dicto: ſolùm inuenio *Petrum Hurtado trac. de charit. diſp. 84. ſec. 7. ſubſec. 3. §. 190.* qui aſſerit, quod ſi quis interdiu labatur in peccatum reſeruatum, ſi ante decubitũ ſperet copiam habere confeſſarij legitimi, à quo directè abſoluatur, non poteſt in tali caſu confiteri Sacerdoti, non habenti facultatem ad directè abſoluēdum à reſeruatis; nam tempus illud erit breuiſſimum, ac proinde dilatio confeſſionis vſque ad noctem non erit talis, vt det rationabilem, & ſufficientem cauſſam indirectæ abſolutionis, ſeu dimidiatæ confeſſionis; ſed si nõ ſperet legitimum Confeſſarium, niſi die ſequente, & experiatur cum difficultate poſſe elicere actum contritionis, per quõ ſe ponat in gratia, non tenebitur expectare vſque ad diem ſequentem, & ire decubitum cum peccato mortali; nam poſſet contingere, vt inter ſomnum moriatur, & perpetuò damnetur, vt quampluribus hominibus legimus in hiſtorijs accidiſſe, Cæterum in fine idem Author poſtquam fuſius hæc omnia aſſeruit, non auſus eſt aliquid circa hoc punctum determinare, quia vt ipſe ait quæſtionem hãc nullibi vidit exagitatam, & noluit in alterutram partem alijs præire.

Res iſta arbitrio prudentum eſt definienda, quando videlicet nimia cenſenda ſit dilatio penſatis omnibus circumſtantijs, ſed vt aliquid determinatè aſſeramus, puto, quod dum nulla eſt neceſſitas accedendi ad Euchariſtiam, & pœnitens ille reperitur cum bona corporis valetudine, ita vt nullum moraliter ſit periculum mortis, ſpatium vnius hebdomadæ ſit ſufficiens adhoc, vt dilatio exiſtimetur nimia, & præbeat rationabilem cauſſam confitēdi Sacerdoti, non habenti iuriſdictionem circa reſeruata.

Aliqua alia eſſe poteſt dubitatio, quæ eſt veluti appendix prædictæ, nempè an si Sacerdos ille, qui eſt præſens, nullam habeat poteſtatem circa mortalia etiam non reſeruata, religioſus ille habens præter reſeruata ſolùm peccata venialia, aut mortalia aliàs ritè confeſſa, tranſacto tempore notabili, poſſit aperire ſua peccata reſeruata, & ſimul venialia, aut mortalia legitimè abſoluta, vt directè abſoluatur à venialibus, indirectè à reſeruatis; nam ſimplex Sacerdos poteſt excipere confeſſionem venialium, aut mortalium iam confeſſorũ, & abſolutorũ. Mouet hanc difficultatem Suarez in eo caſu, quo vrget neceſſitas communicandi, & quamuis proponat, & exagitet nõnulla argumenta probabilia quæ partem affirmatiuam ſuadeant; poſtea tamen concludit negatiuam, ità *tom. 4. de pœnit. diſp. 31. ſec. 3. n. 9.* & ideo aio non poſſe confiteri ſimplici Sacerdoti, ratione ſolius dilationis ad abſolutionē obtinendam. 4

Digitized by Google

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

Quo pacto debeant ſe gerere Religioſi Peregrini circa abſolutionem à caſibus reſeruatis.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubitatio de religioſis peregrinis.*
2 *Non poſſe generalem, & certam regulam tradi putauit P. Suarez, & ideo examinat aliquos caſus.*
3 *Explicatur conſuetudo, quæ reperitur in Societate Ieſu.*
4 *Animaduerſio circa conſuetudinem prædictam.*
5 *De facultate vi bullæ Cruciatæ in ordine ad religioſos, deciſio remittitur ad aliũ locum.*

1 SI aliquis Religioſus profecturus in aliquem locum diſcedat à ſuo monaſterio, rediturus ad idem monaſterium, in quo habet domicilium, & in itinere labatur in aliquem caſum, reſeruatũ ſuo ſuperiori, dubitatio eſt, à quo nam abſolui poſſit à tali caſu.

2 In hac re, vt benè aduertit *Suarez to. 4. de relig. lib. 2. cap. 19. nu. 2. & 4.* non videtur poſſe aſſignari certa regula generalis pro omnibus, ſed potius conſulenda eſt regula, & conſuetudo vniuſcuiuſque religionis; at dum non conſtat de regula aliqua, aut conſuetudine, & religioſus diſcedens non cogitauerit petere facultatem à ſuo ſuperiore, vt poſſit abſolui etiam à reſeruatis, ſi fortè in illa labatur, à quocumque confeſſario, tunc intelligitur implicitè eſſe conceſſam licẽtiam in facultate peregrinandi, ſaluo ſemper onere comparendi quam primum offeratur occaſio; ità concludit idem *Suarez cap. cit. num 5.* & ratio huius concluſionis videtur eſſe, quia ex vna parte ſuperior tenetur ſuis ſubditis prouidere in hac re; nam in itinere ſi ſunt ſacerdotes, debent celebrare, ac proindè indigent confeſſario: ſi verò non ſunt ſacerdotes, conueniens eſt, vt ſæpè accedant ad ſanctiſſimam Euchariſtiam; & foret ſcandalum aliquando omninò abſtinere à communione vſquedum ad proprium monaſteriũ redeant, vel etiamſi remoueatur ſcandalum, non tenentur abſtinere longo tempore à ſumptione Euchariſtiæ, à ſacramẽto Pœnitentiæ cum notabili propriarum animarum detrimento; ex alia verò parte dum prudens ſuperior licentiam concedit iter agendi, præuidet, vel debet præuidere omnia prædicta; idcircò niſi limitet, intelligitur conceſſa facultas, vt poſſit religioſus ille proficiſcens abſolui à quocumque confeſſario, & ab eodem recipere abſolutionem à reſeruatis, ſi nequeat habere copiam Confeſſarij, qui legitimè poſſit talem abſolutionem dare.

Conſuetudo Societatis Ieſu eſt, vt quãdo aliquis religioſus iter agit, aut ad aliquem locum eiuſdem ſocietatis proficiſcitur, ſi in caſum reſeruatum incidat, abſoluatur ab ordinario confeſſario illius loci, nempè ab illo, qui in illa domo, aut collegio eſt deputatus ad excipiendas confeſſiones religioſorum eiuſdem domus, aut collegij, cum onere tamen ſe præſentandi poſt modum coram proprio ſuperiore, quando redierit, vel ſi talis confeſſarius deputatus nequit haberi, poterit religioſus ille abſolui à quolibet alio ſacerdote ſocietatis, vel ſi is deſit, etiam ab extraneo; ità præſcribitur *in ordinationibus Præpoſitorum Generalium eiuſdem ſocietatis cap. 6. num. 6.* 3

Aduertitur tamen ibi, quod quando aliquis religioſus ſocietatis tanquam hoſpes manet in aliquo collegio, & debet ibidem diù morari e. g. per vnum, aut alterum menſem, & intra hoc tempus labitur in caſum aliquem reſeruatum, poterit abſolui à ſuperiore illius collegij, vel ab altero de eius licentia, eo modo, quo ſubditi eiuſdem collegij, & ſine onere ſe præſentandi coram ſuperiore illius loci, ad quem pertinet ipſe religioſus, qui in caſum reſeruatum eſt lapſus. 4

Poſtularet præſens tractatio de caſibus reſeruatis, vt inquirerem an regulares vi bullæ cruciatæ poſſint eligere confeſſariũ pro reſeruatis, meritò tamen ab hac quæſtione abſtineo, cum pleniſſimè de re hac egerim in explicatione eiuſdem bullæ, & partem negatiuã efficaciſſimis rationibus demonſtrauerim, & ideo ad eam remitto lectorem. 5

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

Quid dicendum de ſæcularibus, dum ad tempus recedunt à propria diœceſi?

SVMMARIVM.

Caſus expenditur in ordine ad ſæculares. 1
Prima ſententia eſt negatiua quæ probatur quadrupliciter. 2
Secunda ſententia affirmans oppoſitum tuetur. 3
Huic opinioni ſubſcribit Author eamque probat. 4
Soluitur primum argumentum in contrarium, concedendo nullum eſſe inconueniens, quod in quibuſdam circumſtantijs 5

Digitized by Google

tijs ab Epiſcopo detur maior poteſtas ſacerdoti extraneo quam proprio.

6 *Aperitur neceſſitas quare taceat, & diſſimulet Epiſcopus in caſu prædicto.*

7 *Occurritur inconuenienti quod obijcitur nempè patere aditum ad ſcelera.*

8 *Fit inſtantia in contrarium, & ſoluitur.*

9 *Diſcrimen quoad hoc inter caſus pontificios, & epiſcopales.*

10 *Si quis peregrinus labatur in peccatum reſeruatum Epiſcopo illius diœceſis in qua reperitur, & non in propria diœceſi reputatur tanquam ſubditus illius diœceſis.*

11 *Vagi tenentur legibus illius loci in quo inueniuntur.*

1 CAſus exagitatus *cap. Præcedente* poteſt extendi ad ſæculares; ponamus igitur, quod Titius ex diœceſi Panormitana, in qua aliquod peccatum eſt reſeruatum Epiſcopo Panormitano, recedat, & perueniat ad alteram, nempè ad diœceſim Montis Regalis, in qua peccatum illud non eſt reſeruatum; dubitatio oritur, an poſſit abſolui à confeſſarijs diœceſis Montis Regalis: hunc caſum exagitat *Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. à num. 4. & Paulus Comitolus in ſuis reſponſionibus moralibus qu.* 28. & duas aſſignant ſententias.

2 Prima negat Titium diſcedētem à diœceſi propria Panormitana, & accedentem ad diœceſim Montis Regalis, poſſe à confeſſarijs Montis Regalis abſolui à peccato reſeruato Archiepiſcopo Panormitano; ità *Caietanus in ſumma verb. Abſolutio ex parte abſoluentis; Sotus in 4. diſp.* 18. *quæſt. 4. a. 1. §. Eſt hic tamen adnotandum. Comitolus loc. cit. Nuñus in 3. par. S. Thom. in addit. quæſt. 8. a. 4. dub. 10. Graphius in deciſ. par. 1. lib. 1. cap. 13. num. 46. & alij.* probat Comitolus ſuam ſententiam his argumentis; & primo non eſſe veriſimile, vt Epiſcopus Panormitanus cōcedat maiorem auctoritatem in ſuum ſubditum ſacerdoti alienæ diœceſis, quam tribuere ſoleat ſacerdotibus ſuis, at his dans poteſtatem audiendi confeſſiones non largitur facultatem abſoluendi à reſeruatis, niſi de illis expreſſam faciat mētionem; ergo in tacita conceſſione, virtute cuius ſacerdotes alienæ diœceſis excipiunt confeſſiones ſubditorum Archiepiſcopi Panormitani, non intelligitur comprehendi facultas abſoluendi à reſeruatis eidem Archiepiſcopo Panormitano; nam vt ſic licentia tacita plus operaretur, quā expreſſa, quod non videtur aſſerendum. ſecundo nulla eſt ratio neceſſaria, ob quā moueri poſſit Epiſcopus vt in illa tacita licentia concedat facultatem circa reſeruata. tertio ex oppoſita ſententia pateret aditus ad plura ſcelera committenda; nam multi diſcederēt à propria diœceſi in fraudem, nempè in hunc tantum finem, vt recipiant abſolutionē à ſacerdotibus alienæ diœceſis, & ſe ſubtrahant à iuriſdictione proprij Ordinarij in magnum eius præiudicium. quarto ſi in delictis, quæ ſunt Summo Pontifici reſeruatis nemo auderet id facere, quamuis difficilior pateat aditus ad Pontificem; ergo multo magis id admitti non debet in delictis Epiſcopo alieno reſeruatis, ad quem aditus longè eſt facilior. Hæc ſunt argumenta efficaciora, quibus Comitolus ſuam conatur ſuadere opinionem.

At ſecunda opinio affirmat, Titium accedentem ad alienam diœceſim poſſe ibi abſolui à caſibus reſeruatis in ſua diœceſi, ſi in eo loco, vbi confitetur, non ſint etiā reſeruata; *ità Suarez loc. cit. Henriquez lib. 6. cap. 8. n. 5. Reginal. tom. 1. lib. 8. cap. 5. n. 69.* & hoc ipſum videtur docere *Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 23. num.* 17. §. *Nec obſtat.* & confirmant ex decreto Eugenij IV. quod refertur in compendio priuilegiorum mendicantium viuæ vocis oraculo, ſcilicet, peregrinos etiam ad breue tempus permanſuros, poſſe confiteri Sacerdotibus illius diœceſis, in qua inueniuntur. 3

Hæc ſecunda ſentētia mihi videtur probabilior, & in praxi ità ſeruatur; nullus enim Confeſſarius indiſcriminatim multorum confeſſiones excipiens ſolet interrogare pœnitentes etiam alienigenas, an peccata, quæ confitentur, ſint reſeruata, in eo loco à quo diſceſſerūt, &c. ſed ipſe videtur ſatisfacere proprio muneri, ſi attendat, an ſint reſeruata in eo loco, in quo confeſſiones audit. præter conſuetudinem iam introductam probari poteſt hæc opinio ex eo, quod poteſt vnuſquiſque, verſans in aliena diœceſi, ſe gerere tanquam incola illius loci, & ſe ſubijcere Epiſcopo eiuſdē loci. 4

Fundamenta autem oppoſitæ ſententiæ facilè ſoluuntur; & ad primum dico nullū eſſe inconueniens, vt in quibuſdam circūſtantijs Epiſcopus concedat maiorem poteſtatem Sacerdotibus alterius diœceſis, quam ſit ea, quam concedit Sacerdotibus propriæ diœceſis, ita exigente cura paſtorali, & prouidentia, quam Superior habere debet erga proprias oues: nam dum aliquis ſubditus iter facit per alienas diœceſes, pateretur graue onus, ſi nō haberet, ad quem poſſet recurrere, & obtinere ab illo remedium abſolutionis, ſi forte in aliquem caſum reſeruatum incideret; deberet enim abſtinere toto tempore peregrinationis à ſumptione Euchariſtiæ, & Conſeſ- 5

Digitized by Google

feſſione Sacramentali cum magno detrimento ſpirituali, & ſic reſeruatio, quæ inuenta fuit in adiumentum ſpirituale, conuerteretur in detrimentum; neque eſt inconueniens aliquando plus operari tacitum, quam expreſſum, quando non militat in vtroque eadem ratio, vt ex Decio notat *Nauar. cap. Placuit de pœnit. diſp. 6. num. 68.* Neque dicas hoc habere locũ, quando ad longum tempus deberet ſubditus moram facere in aliena diœceſi, at ſi breui tempore eſt regreſſurus ad propriũ domicilium v. g. poſt duos, aut tres dies, tunc non cenſeretur detrimentum, abſtinere à ſuſceptione Sacramentorum, donec in propria diœceſi à legitimo Confeſſario abſoluatur. Reſpondeo, eſto hoc, demus, tamen quia conſuetudo introducta, & ſcita ab Ordinarijs locorum conſiderauit id, quod communiter, vel vt plurimum ſolet contingere, nempe quod huiuſmodi peregrinantes multis diebus, & quandoque per vnum, aut alterum menſem verſantur in alienis diœceſibus, non curauit id, quod per accidens euenit, & non ità frequẽter, idcircò Ordinarij approbarunt tacitè praxim introductam.

6 Ad ſecundum patet ex dictis, quæ ſit neceſſitas, ob quam Epiſcopi tacitè conſentiant in conceſſione prædictæ facultatis circa reſeruata.

7 Ad tertium aliqui reſpondent, quod ſi per fraudem, & ad vitandum proprium forum, & iuriſdictionem proprij Epiſcopi quis diſcedat à propria diœceſi, & in aliam proficiſcatur, vt abſoluatur à reſeruatis, reſpõdẽt, inquã, nõ poſſe in tali caſu validè abſolui; ita in ſimili reſpõdet *Coninck diſp. 8. dub. 8. n. 61. Suarez to. 3. diſp. 25. ſec. 2. n. 9. Reginaldus tom. 1. lib 1. cap. 7. nu. 80. & alij*, quos citat, & ſequitur *Bonacina diſp. 5. de ſacram. quæſt. 7. pun. 2. num. 5.* & ſi res ità ſe habet reſpectu eorum, qui bona fide accedunt ab alienam diœceſim; non militat prædictum argumentum. ſed addo probabile eſſe ex conſuetudine etiã eſſe introductum, vt quamuis recedant à propria diœceſi ad vitandum proprium Parochum, poſſint abſolui à confeſſario alterius diœceſis, dum ibi morantur, & ita hoc eſſe probabile ait *Filliucius tract. 7. cap. 7. num. 195.* & præſertim ſi confiteantur ijs, qui à Pontifice habent iuriſdictionem, vt ſunt religioſi mendicantes, & abſolutè eamdem ſententiam ſequuntur *Baſilius Pontius de matrim. lib. 5. cap. 9. num. 6. Caſtropalaus tom. 1. tract. 2. diſp. 1. pun. 24. §. 5. num. 4.* & hæc opinio mihi magis placet, quam confirmo ex quadam doctrina data à *Sanchez lib. cit. diſp. 18. num. 29.* vbi ipſe approbat eam opinionem, quæ vult, quod quando aliqui confluunt, etiam per modum tranſitus in aliquem locum, in quo non eſt receptum decretum Concilij Tridentini circa matrimonia clandeſtina, validè ibi poſſint contrahere eo modo, quo contrahunt incolæ eiuſdem loci, videlicet ſine Parocho, & teſtibus; non tamẽ approbat eam limitationem, quam apponunt nonnulli: videlicet hanc ſententiam ſolum procedere in eo caſu, in quo illi non in fraudem Tridẽtini diuerterent ad ea loca; ait enim hanc limitationem ſibi non placere, & aſſignat rationem, quia ille, qui vtitur iure ſuo, nequit dici fraudem committere ſi diſcedit vt ea ratione effectus impediatur, & id cõfirmat ex iuribus, *regula 55. Nullus videtur. ff. de regul. iur. l. 3. paulo poſt principium. ff. de libero homin. exhib. ibi dolo malo non videtur habere qui iure ſuo vtitur.* Ex hac doctrina confirmo opinionem prædictam; nam etiamſi aliquis diuertat ad alienam diœceſim, vt abſolutionem recipiat à peccatis reſeruatis in ſua diœceſi; tamen cum in hoc vtatur iure ſuo, non dicitur committere fraudẽ, ac proindè validè recipiet abſolutionẽ.

Dices eſſe diſparitatem, quia præſcindendo à decreto Concilij Tridentini, nulla erat lex, quæ irritabat matrimonium clandeſtinum, & ideo non recepto decreto cõcilij, contractus matrimonij retinebat naturam cæterorum contractuum, ad quorum validitatem, ſecundum ius naturæ, ſufficit conſenſus mutuus ipſorum contrahentium; at circa abſolutionem caſuum reſeruatorum habemus decretum ſuperioris reſeruantis, & auferentis poteſtatem ab alijs ſacerdotibus inferioribus; proindè validitas abſolutionis dependebit à voluntate ipſius reſeruantis, quæ non præſumitur tacitè adeſſe, dum aliquis diuertit in alium locum non ſubditum ſuperiori reſeruanti, vt ab alieno ſacerdote abſoluatur. 8

Sed reſpõdeo, quamuis voluntas ſuperioris tacitè concedentis licentiam, vt proprij ſubditi peregrinantes abſoluantur ab alieno ſacerdote, non ſit vt in hunc finem fiat peregrinatio, tamen non conſtat, eius voluntatem eſſe, quod inualidè abſoluantur, ſi in hunc finem peregrinentur; idcircò cum ipſi habeant tacitum conſenſum, vt ſubditi ab alieno abſoluantur, & non reſtringant hanc licentiam, remanet abſolutè conceſſa etiam in ordine ad peccata reſeruata ab ipſo ſuperiore, & hoc aſſero ob rationem fundamentalem ſuperius aſſignatam.

Ad quartum dico, non eſſe eamdem rationem de caſibus Pontificijs, ac de Epiſcopalibus; nam peccata Papæ reſeruata, vbique ſunt reſeruata, etiam in eo loco, in 9

quo

Digitized by Google

quo confeſſarius audit peccata, & ideo in hoc eſſet eadem ratio de caſibus papalibus, & de epiſcopalibus illius loci, in quo fit confeſſio, ſi confeſſarius neque in illos, neque in iſtos habeat legitimam facultatem.

10 Si peccatum eſt reſeruatum Epiſcopo illius diœceſis, in qua pœnitens confitetur, & non in ſua, tunc *Suarez num. 6. eiuſdẽ ſectionis* putat, non poſſe abſolui, quia licet non ſit ſubditus, tamen reputatur vt ſubditus, proindè, vel ab Epiſcopo illius loci, vel ab alio, habente delegatam poteſtatem, eſt abſoluendus, & ita etiam ſentit *Floronus de caſ. reſer. par. 1. cap. 3. n. 40. & eod. cap. §. 4. num. 4. & alij*, contra nonnullos, quos tacito nomine citat Suarez.

11 Loquendo autem de vagis, qui nullibi habent determinatum domicilium, ex cõmuni opinione dicendum eſt, eos teneri legibus vbi reperiuntur, proindè ſi in loco, in quo confitentur, habent peccatum reſeruatum Epiſcopo illius loci, nequeunt abſolui, niſi, vel ab Epiſcopo, vel ab alio, habente poteſtatem delegatam ab eodem Epiſcopo, cui peccata illa ſunt reſeruata; ſic Sotus *in 4. diſp. 18. quæſt. 4. num. 2. §. Eſt hic. Floronus cap. cit. §. 2. num. 5.* contra *Vgolinum de poteſt. epiſc. c. 3. §. 3. num. 4.* qui cenſet vagabundos non obligari alia reſeruatione, niſi Pontificia, quia eorum Parochia non eſt niſi ea, quæ eſt Pontificis Romani, quæ eſt totus orbis.

QVÆSTIO DECIMANONA.

A quo poſſunt abſolui Prælati, cum incidunt in caſus reſeruatos.

SVMMARIVM.

1 *Pontifex nulli reſeruationi ſubijcitur.*

2 *Alij Prælati inferiores ſubduntur reſeruationi caſuum papalium, & ſi caſus ſunt occulti poſſunt eligere confeſſariũ à quo abſoluantur.*

3 *Non eſt neceſſe talem confeſſarium electũ, eſſe cõfeſſariũ ordinarium ipſius Epiſcopi.*

4 *Si caſus pontificij ſunt publici, tunc eadem eſt ratio de his Prælatis, & de alijs fidelibus.*

5 *Epiſcopus incidens in caſum à ſe reſeruatum non ſubditur reſeruationi.*

6 *Prælati regulares ſi incidant in caſus põtificios poſſunt erga ſe ipſos quoad delegationem iuriſdictionis, quod poſſunt in ordine ad ſuos ſubditos.*

7 *Si incidant in caſus reſeruatos in propria religione, quid dicendum ſecundum ius commune.*

Secundum ſtatuta particularium religionum multa ſunt ſpectanda, & primo vi iuris in cap. vltimo de pœnit. & remiſſ. non habent facultatem eligendi quem voluerint vt abſoluantur à reſeruatis. 8

Ex vi priuilegiorum poſſunt eligere, ſecùs ſi id ſit prohibitum in propria religione. 9

Modus procedendi in Societate Ieſu. 10

INcipiendo autem à ſummo Prælato, qui eſt Pontifex, dico, illum nulli reſeruationi eſſe ſubiectum, quia reſeruatio adinuenta fuit, vt initio diximus, in hunc finem, vt peccata aliqua atrociora deferantur ad ſuperiores iudices, & vt cadentes in talia peccata ex difficultate quam ſolent experiri in petenda licentia de abſolutione, abſtineant ſe à committendis ſimilibus delictis; hæ autem rationes ceſſant in Pontifice, quia eſt ſupremus omnium paſtor, & conſequenter non indiget alterius licentia vt abſoluatur, cum omnis iuriſdictio ſpiritualis in illo ſit, ſecundum totam ſuam plenitudinem, & ab illo in alios Prælatos inferiores deriuetur; idcircò poterit cuicumque ſacerdoti confiteri; & de hac re non eſt dubitatio apud catholicos. 1

Alij Prælati inferiores, vt Epiſcopi, Archiepiſcopi, &c. qui ſubijciuntur reſeruationi Pontificiæ, ſi labantur in caſus papales, qui ſint occulti, tunc vigore Tridentini poſſunt abſolui à confeſſario, ab ipſis electo, cui poſſunt delegare poteſtatem, quæ illis conceditur *in Concil. Trid. ſeſ. 24. cap. 6.* nam eam poteſtatem, quam habẽt erga ſuos ſubditos, poſſunt alteri delegare, vt ab ipſo abſoluantur, vt dicunt cõmuniter Doctores, *Henriquez lib. 6. cap. 4. num. 3. cap. 7. num. 5. Sayrus in claui regia lib. 7. cap. 4. num. 5. Emanuel Sà verb. Confeſſor. num. 16. Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 3. num. 3. Suarez tom. 4. diſp. 30. ſec. 2. num. 15. & tom. 5. diſp. 41. ſec. 2. num. 9. & alij apud ipſos.* 2

Ad hoc vt Epiſcopus à tali confeſſario, obtineat abſolutionem caſuum papalium occultorum, non opus eſt, vt ille confeſſarius ſit ordinarius ipſius Epiſcopi, vel cum illo in poſterum confiteatur; neque oportet expreſsè illi concedere hãc facultatem, ſed ſatis eſt, vt illũ eligat in hunc finem, vt abſoluatur, quia talis iuriſdictio ab ipſo Epiſcopo emanat; ita *Sanchez loc. cit. Floronus cap. cit. §. 1. n. 9.* At addit *Suarez loc. cit. de pœnit.* probabile eſſe, quod Confeſſarius electus ab ipſo Epiſcopo non habeat hanc facultatem delegatam ab ipſo Epiſcopo, ſed immediatè à Papa ex vi iuris communis, quatenus per Decretum Concilij Tridentini caſus occulti, qui prius erant Papales, hodie, 3

Digitized by Google

die, ſaltem ij, qui non ſunt reſeruati in bulla cœnæ, exiſtimantur Epiſcopales, quapropter reſpectu Epiſcopi non cenſentur reſeruati.

4 Cæterum ſi Epiſcopi, aut alij Prælati Pontifice inferiores labantur in caſus eidē Pontifici reſeruatos, & ſint caſus publici ea publicitate, quæ ſatis eſt ad hoc, vt ab Epiſcopo vi Tridentini abſolui nequeant, tunc eodem modo eſt ratiocinandum de his Prælatis, ſicuti de reliquis, vt ſupra diximus, in ordine ad abſolutionem obtinendam.

5 Si Epiſcopus incidat in caſus ſibi reſeruatos, non habet locum reſeruatio, & hoc ob eamdem rationem, ob quam hoc ipſum diximus *ſupra n.* 1. de Pontifice cadente in aliquem caſum ſibi reſeruatum; eadem enim eſt vtriuſque ratio, ità *Floronus de caſ. reſer. par.* 1. *cap.* 3. §. 1. *n.* 5.

6 Si Prælati religionum incidant in caſus Pontificios, poſſunt circa ſe ipſos id quod poſſunt erga ſuos ſubditos, quoad facultatem committendam in ordine ad abſolutionem; proinde poterunt dare facultatē, quam circa caſus Pontificios habent, Confeſſario à ſe ipſis electo, & ab illo abſolui; ità *Coriolanus de caſ. reſer. par.* 1. *ſec.* 1. *a.* 22. & hoc probat ex priuilegio Eugenij IV. relato *in compendio priuileg. tit. Abſolutio ordinaria quoad Fratres*. Quod priuilegium quamuis conceſſum fuerit Superioribus Ordinis Carmelitanorum; ob communicationem tamen eodem priuilegio fruuntur reliquæ religiones; idcircò ſi facultas iſta, quam habent Superiores regulares in ordine ad ſuos ſubditos, non eſt illis limitata à Superioribus maioribus, aſſerendum eſt, poſſe illam dare Confeſſario electo, vt ab ipſo abſoluantur; & cenſeo de facto non eſſe limitatam, ſed illa gaudere in tota amplitudine priuilegij omnes ſuperiores regulares; in eadem ſententia eſt *Suarez tom.* 4. *de relig. lib.* 2. *cap.* 24. *à n.* 7.

7 Verum grauis eſt dubitatio, an ſi Prouincialis, aut alius Prælatus regularis inferior incidat in caſum aliquem reſeruatū iuxta regulas, & conſtitutiones religionis, qui quidem caſus ſit ex illis, de quibus facultatem habeat abſoluendi ſubditos, & in ordine ad eoſdē ſubditos poſſit delegare eādē poteſtatem, eſt, inquam, dubitatio an Prouincialis, ſeu alius Prælatus inferior poſſit in ordine ad ſe ipſum committere hanc facultatem alicui Confeſſario, & ab eodem Confeſſario electo abſolutionem recipere ab illo caſu reſeruato; an verò nequeunt abſolui, & conſequenter Prouincialis teneatur ſe præſentare Generali, & alius Prælatus inferior, vt Guardianus, Prior, Præpoſitus, Rector teneatur ſe præſentare Prouinciali?

Si inſpiciamus ius commune, eſt aſſerendum poſſe Prælatum habentem poteſtatem ordinariam circa caſus reſeruatos, eligere ſibi confeſſarium, quem voluerit, eique dare facultatem, vt ab ipſo abſoluatur; non ſolum à caſibus reſeruatis, ſed etiā à cenſuris; & ratio eſt quia qui habet poteſtatem ordinariam ad abſoluendum, aut diſpenſandum poteſt illam per ſe loquendo, niſi reſtringatur alteri delegare; at habetur in *l. more ff. de iuriſd. omn. iudic. & l. cognitio* §. *Cum propriam ff. de officio eius. &* c. *cum Epiſcopus de offic. ordin. in* 6. eamque concluſionem colligo ex doctrina quam communiter tradunt DD. aſſerentes poſſe à Prælato delegari, ſeu alteri committi poteſtatem, ſiue ad abſoluendum, ſiue ad diſpenſandum etiam in ordine ad ipſum Prælatum *Rodriquez tom.* 1. *quæſt.* 21. *regul. art.* 8. *Henriquez pluribus in locis, & præſertim lib.* 6. *de pæn. cap.* 7. *num.* 5. *Sanchez lib.* 8. *de matrim. diſp.* 3. *num* 3. *& apud ipſum quamplures; & etiam in decal. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 11. *Caſtropolaus par.* 4. *de ſacr. pœnitentia tract.* 13. *diſput. vnica p.* 15. §. 5. *n.* 21. *Lay. in ſū. lib.* 5 *tr.* 6. *c.* 10. *q.* 2. *n.* 17. *Merol. t.* 2. *d.* 4. *c.* 6. *dub.* 4. *n.* 147. *Emanuel Sà v. Confeſſor num.* 15. & alij qui omnes dicunt Epiſcopum, & alios Prælatos inferiores regulares poſſe eligere ſibi Confeſſarium, & ab eo abſolui ab omnibus peccatis, & cenſuris, à quibus ipſi Prælati poſſunt abſoluere ſubditos; imò ab eiſdē Cōfeſſarijs electis diſpēſari poſſe in irregularitatibus, votis, iuramentis, &c. ſicuti ipſi prælati poſſūt erga ſubditos; vt expreſsè dicūt quāplures ex citatis auctorib⁹, aliter videretur eſſe Superior peioris cōditionis, quam ſubditi; idcircò inſpiciendo ius commune, dè hac re nulla videtur eſſe difficultas: at ſi cōſideremus particularia ſtatuta religionum, oritur dubitatio.

Referam autem quid colligere potui ab Authoribus, quorum pauci hanc rem examināt, aio igitur primo, quod licet ex vi canonis *in capit. vlt. de pænit. & remiſ.* Prælati regulares habeāt facultatē ſibi eligēdi cōfeſſariū, tamē nō ſequitur poſſe ex vi hui⁹ cōceſſionis eligere cōfeſſariū, vt ab ipſo abſoluātur à reſeruatis, vt expreſsè cauetur c. *Si Epiſcopus de pæn. & remiſ. in* 6. & bene adnotauit *Rodriq. tom.* 1. *qq. regul quæſt.* 21. *a* 8. nam hæc duo cum ſint valdè diuerſa; & ſeparabilia, ex vno aliud nequaquam infertur, ſicuti ſi Superior dabit mihi religioſo facultatem eligendi Confeſſarium, non ſequitur poſſe me abſolui à tali Cōfeſſario à reſeruatis. 8

Secundo dico, quod licet ſecundum ius commune vt ſupra *n.* 7. ſufficiēter probauimus, ſeu ex vi priuilegij Pontificij poſſit 9

Præ-

zed by Google

Prælatus regularis eligere ſibi confeſſariũ pro abſolutione à reſeruatis, ſed ſi ſtatuta propria, & particularia religionis id vetant, tũc non poterit vti iure cõmuni, aut tali priuilegio; v.g. ſi eſt ſtatutũ in religione aliqua vt Prælatus localis habeat cõfeſſariũ à Prouinciali deſignatum pro reſeruatis, & Prouincialis à Generali, & talia ſtatuta ſint confirmata à Pontifice, vel ſit aliquod priuilegium Pontificium ſpeciale in illa religione, vel talis ſit conſuetudo legitimè præſcripta; tunc non poterit Prælatus eligere ſibi Confeſſarium pro reſeruatis. ita *Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 37. ſect. 3. n. 10. Reginal. in praxi tom. 1. lib. 1. cap. 4. n. 38. & alij*, & ratio eſt quia ſtatutum illud ſpeciale derogat communi, nec oportet de illo communi priuilegio quamuis inſerto in corpore Iuris ſpecialem mentionem facere, quia particularis mentio eſſet neceſſaria quãdo ſtatutum illud particulare poſſet habere aliquem effectum ſine derogatione iuris communis, tunc enim eſſet opus ſpecialiter nominare in derogatione priuilegium illud inſertum in corpore iuris.

10 In noſtra autem ſocietate pro abſolutione à reſeruatis, iuxta ius antiquum, P. Generalis aſſignabat particularem confeſſarium Prouinciali, & Prouincialis pariter confeſſarium etiam pro reſeruatis aſſignabat ſuperioribus localibus hoc pacto vt, quod abſit, eueniente caſu, Prouincialis incidens in caſum aliquem reſeruatum, ſi P. Generalis nõ erat præſens, poterat Prouincialis abſolui à confeſſario deſignato cum onere ſe præſentandi Generali per ſe, aut per aliũ; & ſi ſuperior localis incidebat in caſum reſeruatum quod Prouinciali reſeruabatur, & ipſe erat abſens, poterat Præpoſitus, aut Rector abſolui à ſuo cõfeſſario aſſignato cum onere ſe præſentandi per ſe, aut per alium Prouinciali. ita præſcribitur *in lib. ordin. Prępoſ. General. cap. 6. n. 6*, hodiè tamen extat decretum *octauæ congregationis generalis* quod eſt 25. *num. 2.* in quo diſpoſitum fuit, vt ſuperiores locales, quoad caſus reſeruatos abſoluantur ab vno ex confeſſarijs deſignatis à Prouinciali in ea domo, ſeu collegio, & qui ſunt ordinarij confeſſarij in ea familia. & idem diſpoſitum fuit in eodem decreto *num. 3.* pro Prouincialibus quando non eſt præſẽs confeſſarius eidem Prouinciali à P. Generali deſtinatus.

Ruſus in eodem decreto pro ſubditis in paruis collegijs, aut reſidentijs in quibus quatuor circiter, aut quinque ex noſtris inueniuntur, quia difficile eſſet ſaluo ſigillo recurrere ad ſuperiorem pro obtinenda poteſtate abſoluendi à reſeruatis, quando caſus occurriſſet, proindè diſpoſitum fuit vt confeſſarius abſoluat pœnitentem cum onere ſe præſentandi Prouinciali, aut alteri ſuperiori, ſi breui ſit in eius collegium, aut domum diſceſſurus.

QVÆSTIO VIGESIMA.

An Superior poſſit, auditis tantùm reſeruatis, abſoluere ſacramentaliter pœnitentem, eumque pro non reſeruatis remittere ad Confeſſarium inferiorem?

SVMMARIVM.

Aliqui affirmatiuam partem tuentur indiſcriminatim. 1
Alij rationabilem cauſam explicitè requirunt. 2
Si nulla grauis occurrit neceſſitas, id fieri non poſſe, determinat author. 3
Quæ ſit cauſa ſufficiẽs à nonnullis aſſignatur, & recipitur ab Authore. 4
Obiectio contraria refertur, & ſoluitur. 5
Declaratur ſufficientia cauſæ. 6
Eadem eſt ratio quoad dimidiationem, concurrente cauſa rationabili, de Superiore, & de confeſſario delegato. 7
Pœnitens quando ſola reſeruata eſt confeſſus Superiori, vel alteri habenti poteſtatem delegatam, non tenetur poſtea repetere reſeruata quando confitetur Cõfeſſario inferiori. 8

Aliqui partem affirmatiuam tuentur, vt *S. Antoninus par. 3. tit. 14. cap. 19. §. 6. Palud. in 4. diſp. 17. quæſt. 5. Caiet. Verb. Confeſſio condit. 10. Syl. ueſt. verb. Confeſſio primo quæſt. 19. Emanuel Sà Verb. Abſolutio n. 24. vel 25. Nauar. cap. Cum conſideret S. Cautus num. 11. 18. de pœnit. diſp. 5. & in ſumma cap. 26. n. 6. Henricus quodlib. 1. quæſt. 28. Petrus Soto in inſtruct. Confeſſ. lect. 10. Toletus in ſumma lib. 3. cap. 8. num. 3. & alij*: imò Caietanus addit, hanc eſſe Romanæ Curiæ conſuetudinem; dicunt tamẽ teneri poſtea inferiori ſacerdoti integrè omnia peccata tum reſeruata, tum non reſeruata confiteri. Rurſus docent indiſcriminatim id fieri poſſe v. g. poteſt pœnitẽs adire prius ſuperiorem, qui eum abſoluat à reſeruatis, & pro non reſeruatorum abſolutione mittat ad confeſſorem inferiorem; vel primo poteſt adire inferiorem, qui eum abſoluat à non reſeruatis, & mittat pro reſeruatis eumdem ad ſuperiorem: 2
addunt tamẽ non poſſe inferiorem præabſoluere à non reſeruatis, ſi pœnitens ſit irretitus aliqua excommunicatione reſeruata, nam tunc prius eſſet adeundus ſuperior, vt abſoluat, vel vt deleget poteſta-

tem inferiori. omnes hi doctores dum prędictam doctrinam tradunt, non faciunt mentionem, an talis dimidiatio, vt licitè fiat, requirat cauſſam neceſſariam, & vrgentem.

2 Cæterum alij doctores requirunt ad hãc dimidiationem cauſſam rationabilem, ita *Sotus in 4. diſt. 18. queſt. 2. a. 5. §. Deſcendendo autem*, & idem ſentiunt Authores mox citandi in prima concluſione, quãuis de cauſſæ ſufficientia ad cohoneſtandam prædictam dimidiationem, non vniformiter loquantur; nam aliqui videntur aſſerere cauſſam ſufficientem eſſe multitudinem negotiorũ, quibus ſuperior detinetur, ita vt tempus non vacet ad audiendam intègram confeſſionem; alij magis vrgentem requirunt cauſſam, vt videre eſt in lectura ipſorum Authorum. his poſitis.

3 Dico primo. nulla graui occurrente neceſſitate, non poſſe ſuperiorem, auditis ſolùm reſeruatis, ab illis abſoluere, remittẽdo pœnitentem ad alium ſacerdotem pro non reſeruatis; ita *Suarez ſec. cit. num. 6. Vaſquez de pœnit. queſt. 91. a. 3. dub. 10. Hurtado diſp. 11. difficul. 15. Ioãnes Præpoſitus in 3. par. queſt. 9. de caſ. reſer. dub. 6. num. 32. & alij*. & ratio eſt, quia ſine cauſſa proportionata, & vrgente, non eſt licitum confeſſionem dimidiare, vt ſuppono ex his, quæ dicuntur ab Authoribus de confeſſionis integritate, quæ eſt de iure diuino.

4 Dico ſecundo. cauſſa ſufficiens ad hoc, vt ſuperior, auditis tantum reſeruatis, abſoluat, non videtur eſſe illa, quæ à quibuſdam aſſignari ſolet, videlicet multitudo negotiorum, & occupatio, qua ſuperior detinetur, vel concurſus pœnitentium præcisè ſpectatus, vt benè notauit *Suarez num. 7. & Prepoſitus loc. cit.* ratio, quæ mouet ad hoc aſſerendum, eſt, quia etiam ſi ponamus ſuperiorem eſſe ità oppreſſum negotijs, vt tempus ad audiendam totam confeſſionem illi minimè ſuperſit, nihilominus niſi concurrant aliæ circumſtantiæ, quæ cohoneſtent dimidiatam confeſſioné, cenſeo licitè dimidiationem illam fieri non poſſe, quia poterit ſuperior alia via abſque ſui incommodo occurrere neceſſitati pœnitentis, videlicet, vel delegando poteſtatem, nullo audito peccato, vel auditis tantum reſeruatis, delegando poteſtatem confeſſario inferiori, vt ab illo pœnitens omnia peccata aperiens directè abſoluatur.

5 Dices eſſe graue onus reſpectu pœnitentis obligare illum ad iteratam confeſſionẽ eorumdem peccatorum.

Reſpondeo ſi ſuperior velit liberare à tali onere pœnitentem, poteſt non auditis reſeruatis, ſtatim delegare ſuam iuriſdictionem, eumque mittere ad confeſſarium ordinarium; vel ſi pœnitens vrgeat, & ſtatim petat audiri, nolitque expectare tempus opportunius, vt omnia manifeſtet ſuperiori, & ſuperior iudicet, non eſſe expediens delegare ſuam iuriſdictionem, niſi auditis reſeruatis, oportet, vt pœnitens tale onus ſuſtineat.

Cauſſa autem ſufficiens ad hanc dimidiationem mihi videtur eſſe illa, quam ponit *Suarez num. 8. & Prapoſitus loc. cit.* videlicet, ſi ex parte pœnitentis ſit neceſſitas recipiendi ſacramentalem abſolutionem, & ſuperior iuſtis de cauſſis iudicet, non eſſe expediens delegare ſuam poteſtatem alteri ſacerdoti inferiori, & demum ex parte ipſius ſuperioris ſit legitimum impedimentum audiendi totam, & integrã confeſſionem; v. g. plura negotia expediẽda, vel concurſus pœnitentium, aut ſimilia, ita vt tempus non vacet, tunc licitè poterit materialiter dimidiari confeſſio, ita vt ſuperior audiat ſolùm reſeruata, & ab illis ſacramentaliter abſoluat, remittendo ſubditum pro non reſeruatis ad ſacerdoté inferiorem. 6

Quæ dicta ſunt de ſuperiore habente poteſtatem ordinariam circa reſeruata, locum etiam habebunt de Confeſſario inferiori, habente poteſtatem delegatam, & ideo concurrentibus prędictis circumſtantijs poterit abſoluere pœnitentem auditis tantùm reſeruatis; nam in ordine ad hanc dimidiationem, eadem eſt ratio de ordinario, & delegato confeſſario, ita *Suarez loc. cit.* 7

Cenſeo, pœnitentem ritè abſolutum à ſolis reſeruatis à ſuperiore, vel ab alio habente poteſtatem, quando poſtea confitetur ſacerdoti inferiori alia peccata non reſeruata, non teneri iterum repetere reſeruata, quam opinionem docet *Suarez nu. 10. Præpoſitus loc. cit. Vaſquez queſt. 91. a. 3. dub. 10. Ægidius Coninck diſp. 2. dub. 9. num. 80. Nuñus in addit. ad 3. par. qu. 9. a. 2. dub. 4. Zerola in praxi de pœnit. cap. 13. queſt. 15. Bonacina de pœnit. diſp. 5. queſt. 7. pun. 5. num. 4. & alij contra Caiet. verb. Confeſſio condit. 10. Reginaldum lib. 8. num. 90. Henriquez lib. 5. cap. 4. num. 4. cap. 12. & lib. 6. cap. 15. num. 5. & quoſdam alios*, qui volunt in prædicto caſu pœnitentem teneri vni confeſſario integrè omnia peccata, quorum memoriam habet, confiteri: ſed ratio pro noſtra ſententia eſt efficax; ſicuti enim occurrente aliqua circumſtantia, ob quam pœnitens rationabiliter poſſit non manifeſtare aliquod peccatum mortale confeſſario, aperiendo ſolùm reliqua, & ab illis abſolutionem recipiens, non obligatur dum alteri confeſſario poſtea confitetur, repetere illa peccata, quæ priori confeſſario manifeſtauit, 8

Digitized by Google

uit, ſed ſolùm illud peccatum, quod tacuit, & alia ſi poſtea patrauit; ità, & in caſu noſtro cum rationabiliter omittat non reſeruata, & aperiat ſolùm reſeruata, à quibus abſoluitur, non tenebitur iterum reſeruata aperire ſecundo confeſſario; nam directè ab illis abſolutus fuit; neque fundamentum aduerſariorum vim habet, inquantùm dicunt teneri integrè vni confeſſario omnia peccata aperire; nam reſpondeo integrè integritate formali, non materiali, eſt autem integritas formalis, cum ex cauſſa rationabili omittit aliquod peccatum, ſiue cauſſa omittendi ſe teneat ex parte pœnitentis, ſiue ex parte confeſſarij.

QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

Si quis confiteatur ſuperiori, vel alteri habenti delegatam poteſtatem circa reſeruata, & obliuiſcatur reſeruatum, an ceſſet reſeruatio?

SVMMARIVM.

1 *Si quis Superiori legitimo cõfiteatur, cui aliqua reſeruata enarret, reliqua verò obliuiſcatur, extinguitur in omnibus reſeruatio.*

2 *Quando verò nullũ exprimit reſeruatũ, neque indicat voluntatem, vt Superior à reſeruatis abſoluat; aliqui exiſtimãt tolli reſeruationem.*

3 *Probabilius Author cenſet oppoſitum.*

4 *Si tamen pœnitens poſtulet à Superiore, vt abſoluatur à reſeruatis, ſi fortè illa habeat, tolletur reſeruatio.*

5 *Vi iubilei, aut alterius priuilegij ſimilis, ſi quis ſit abſolutus, nulla per obliuionẽ mentione facta de reſeruatis, tollitur reſeruatio.*

6 *Per confeſſionem informem, & etiam inualidam factam ſuperiori tollitur reſeruatio.*

7 *Idem aſſeritur de confeſſione facta Confeſſario habenti delegatam poteſtatem.*

8 *Adnotatur diſcrimen.*

1 DIco primo, ſi pœnitens confiteatur Superiori, & narret aliqua reſeruata, ſed obliuiſcatur nonnulla alia etiam reſeruata, reſeruatio ceſſabit etiam pro oblitis, ità vt pœnitens poſſit illa confiteri Sacerdoti habenti communem iuriſdictionem. ita *Suarez tom. 4. de pœnit. diſp. 31. ſec. 4. n. 14. & 15. Coninck diſp. 8. dub. 12. n. 93. Syluest Verb. Confeſſio 1. quaeſt. 4. Nauar. in ſumma cap. 26. n. 13. Emanuel Sà Verb. Confeſſio n. 7. Angelus eodem Verb. 1. num. 11. Henriquez lib. 6. cap. 16. n. 5. & alij.* ratio eſt in prõptu; nam dum pœnitens manifeſtat aliqua reſeruata, declarat expreſsè Superiori ſuam intentionem, videlicet velle abſolui à reſeruatis, proinde Superior abſoluens quantum poteſt, tollit omnem reſeruationem etiam ab oblitis, quæ tamen pœnitens tenebitur poſtea confiteri, & ſufficit ad illa abſoluenda quilibet Confeſſarius inferior.

Maior difficultas eſt, quando pœnitẽs confitetur Superiori; ſed nullum exprimit reſeruatum, cum re vera illud habeat, ſed illius eſt oblitus, neque indicat Superiori voluntatem recipiendi abſolutionem etiã à reſeruatis, ſi fortè illa habeat; in hoc caſu aliqui ſuſtinent tolli reſeruationem, vt *Gabriel in 4. diſp. 17. quæſt. 1 a. 3. dub. 2. Adrianus quæſt. 4. de Confeſ. Syluest. Angelus Cano, Ledeſma, & alij apud Suarez num. 18.* ſed negat *ipſe Suarez nu. 12. Sayrus de pœnit. cap. 16. nu. 9. Vaſquez in 3. par. quæſt. 91. art. 3. diſp. 5. num. 10. & 11. Bonacina loc. cit.* Dico 2
3 igitur, quamuis prima opinio ſit probabilis, probabiliorem tamen iudico hanc ſecundam, quæ aſſerit, non tolli reſeruationem. Ratio autem eſt, quia in eo caſu dum confeſſio illa fit ſine vlla mentione explicita, aut implicita recipiendi abſolutionem à reſeruatis, non videtur eſſe intentio Superioris tollẽdi reſeruationem, ſed ſolùm tunc videtur habere cõmunẽ, & generalem illam intentionem abſoluẽdi, quæ intentio ità generalis non extenditur ad tollendam reſeruationem: limitant tamen authores hanc ſententiam, ſi caſus foret reſeruatus ratione excommunicationis; nam per generalem abſolutionem, quæ dari ſolet ante abſolutionem peccatorum tollitur excommunicatio à Confeſſario habente poteſtatem abſoluẽdi ab illa excommunicatione, vt quamplures affirmant apud. *Bonacinam punct. 5. cit. num. 2.*

Si pœnitens petat à ſuperiore abſolutionem à reſeruatis, ſi fortè illa habeat; tũc etiam ſi illorum non recordetur, & ideo illa non aperiat, tollitur reſeruatio. ita *Sayrus, Vgolinus, Suarez,* quos citat, & ſequitur *Bonac. punc. cit. num. 4. & 7.* 4

Quando verò Confeſſarius abſoluit virtute Iubilei, aut alterius ſimilis priuilegij, etiamſi pœnitens nullam faciat mentionem de reſeruatis, ſi illa habeat, & bona fide ſit Confeſſus, non remãnebit reſeruatio, de qua re fuſius diximus in tractatu de Iubileo. 5

Si confeſſio reſeruatorum facta Superiori ſit informis, aut inualida, non obſtante hoc, non remanebit reſeruatio; ità *Præpoſitus quæſt. 9. de reſer. caſ. dub. 4. Vaſq. dub. cit. n. 33. Suarez ſec. cit. n. 9.* ratio eſt, quia ſubditus ſufficienter ſe præ- 6

ſentauit coram Superiore quantum ad reſeruationem, licet non ſufficienter quantùm ad remiſſionem peccati: proinde videtur integrè ſatisfeciſſe intentioni reſeruantis; nam cognito peccato, poteſt applicare medicinam, quæ eſt finis reſeruationis. Addit *Suarez num.*10. quod ſi cõfeſſio fuerit nulla ob defectũ doloris, aut propoſiti circa ipſa reſeruata, ſatis eſt poſtea mutare propoſitum, verumque concipere dolorẽ, vt à Sacerdote inferiori ea peccata abſolui queant, & hanc mutationem propoſiti, nouumque dolorem videtur docere eſſe neceſſarium ad tollendam reſeruationem, quam putat manere, ſtãte tali defectu.

7 Quæ dicta ſunt de Confeſſione reſeruatorum facta Superiori, habenti poteſtatẽ ordinariam, affirmanda ſunt, quando confeſſio fit Confeſſario, habẽti ſolùm delegatam poteſtatem, ità *Bonacina pun. cit. n.* 9. *& Præpoſitus dub.* 5. *n.* 29. *Chapeauil. de caſ. reſer. cap.* 8. *Coninck diſp.* 8. *dub.* 12. *n.* 92. *&* 94. *Angles in floribus de Confeſſ. a.* 4. *Ioannes Sanchez in Select. diſp.* 12. *n.* 8. *& alij*: Eſt tamen
8 diſcrimen, in hoc, quod delegatus nequit tollere reſeruationem, niſi in Confeſſione Sacramentali, non autem extra, vt benè notauit idem Præpoſitus; nam cum tali conditione delegari ſolet iuriſdictio circa reſeruata; at Superior poteſt, & extra, & intra confeſſionem ſacramentalem tollere reſeruationem.

QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA.

Peccatum in ſui conſumatione reſeruatũ, ſi antequam conſumetur, illius authorem pœniteat, & ſubſequatur effectus; an ſit etiam reſeruatum?

SVMMARIVM.

1 *Ponitur exemplum.*
2 *Prima opinio aſſerit impediri reſeruationem, ſi peccatum conſumetur poſt quã pœnitens confeſſus eſt, ſecùs ſi ſolum pœniteat ſine confeſſione.*
3 *Immeritò opinio requirens confeſſionem ſacramentalem tribuitur à quibuſdã Thomæ Sanchez.*
4 *Secunda opinio vult lethaliter vulnerantem abſolui non poſſe ab eo, qui non habet poteſtatem abſoluẽdi ab homicidio, cui eſt annexa reſeruatio: probatur duplici ratione.*
5 *Tertia ſententia ſuſtinet ſatis eſſe quamcunque retractationem ad hoc vt peccatum poſtea conſumatum reſeruatione non afficiatur.*
6 *Opinio prior non placet Authori, quia eius fautores coharenter non loquuntur.*
7 *Peccatum conſiſtens in applicatione cauſæ inducentis effectum malum, cui eſt annexa reſeruatio, non eſt reſeruatum.*
8 *Non eſt ſemper verum eamdem militare rationem de caſu dubio, & de caſu certo.*
9 *Non eſt idem iudicium faciendum de re deſtinata ad actum, & de actu ipſo.*
10 *Amplectitur Author tertiam ſententiam, vt probabiliorem.*
11 *Probatur quoad vtramque partem, quam inuoluit.*
12 *Inſtantia contraria proponitur, & diluitur.*
13 *Similiter, & alia inſtantia.*
14 *Retractatio per actum internum in ordine ad impediendam reſeruationem in effectu ſequuto, ſatis eſt ſi fuerit attritio.*
15 *Fagundez, & Caſtropalaus non ſunt ab Authore impugnandi, quia ita loquũtur de confeſſione, vt nõ excludant interiorem pœnitentiam ad impediendam reſeruationem.*
16 *Contrarium ſatis communiter inquiunt Doctores de irregularitate impedĩda.*
17 *Quod eſt amplectendum.*
18 *Quod verò ſpectat ad incurrendam excõmunicationem, quamuis ſentiant aliqui impediri, ſi ante actum conſumatũ, quem peccati pœniteat: alij verò, quibus ſubſcribit Author, aſſerunt reum affici excommunicatione.*

1 PRo huius quæſiti dilucidatione exemplum pono: ſit v.g. reſeruatum homicidium, quando eſt completum, & quis animo occidendi lethaliter aliquem vulneret, ſed priuſquam mors ſequatur, eũ qui vulnus inflixit, facti pœniteat, poſtea verò ille alius ob acceptum vulnus moriatur, & ita perfectè ſit completum homicidium. quæritur an interfector in caſum reſeruatum inciderit.

2 Prima opinio, quam tuetur *Bordonus tom.* 1. *reſol.* 38. *quæſit.* 17. *& reſolut.* 39. *quæſit.* 34. duo aſſerit, primo ſi eum, qui lethale vulnus inflixit, ante vulnerati mortem pœniteat, at ſacramentaliter non confiteatur, morte ſecuta peccatum affici reſeruatione, atque adeo abſolui non poſſe à quocumque ſimplici confeſſario: quod probat à pari; ſicuti enim iuxta communem opinionem non excuſabitur percuſſor, ne cenſuram incurrat, ſi peccato illi cenſura ſit annexa, ita neque excuſabitur à reſeruatione, & præſertim ſi cenſura ſit acceſſoria, quia ſola pœnitentia extra abſolutionem ſacramentalem non tollit re-

ſer-

Digitized by Google

ſeruationem, niſi tollat efficaciam cauſæ: aliter ſequeretur, quod ſi quis animo occidendi alium percuteret, non incideret in caſum reſeruatum, ſi pœniteat eum, antequam mors contingat, quod eſt falſum. ſic diſcurrit *Bordonus loco prius citato*. ſecũdo in poſteriori loco ſuſtinet, non incidere in caſum reſeruatum, ſi quis apponat actum proxmè inductiuum in delictum reſeruatum, & antequam mors vulnerati contingat; cõfiteatur; tũc enim ait quod abſolui poterit à ſimplici confeſſario, quia futura mors, quæ certò imminet non limitat poteſtatem confeſſarij, proinde ſi adſunt cætera requiſita, nil prohibet, quin ſimplex confeſſarius peccatum illud remittat, & ideo poſt abſolutionem obtentam non obligabitur peccator fateri mortem ſequẽtem. hanc opinionem, quatenus requirit confeſſionem ſacramentalem ſuſtinet *Fagundez praecept. 2. eccleſ. lib. 8. cap. 7. nu. 18. Caſtropal. par. 4. tract. 32. cap. 15. §. 2. num. 19.* cui opinioni videtur adhærere Homobonus de caſibus reſeruatis *par. 3. cap. 7. ſec. 2. except. 6. in fine* loquendo de impediente, aut aperiente litteras ad aliũ directas.

3 Hanc eamdem opinionem tribuit Fagũdez, & poſtea Caſtropalaus *Thomæ Sanchez lib. 9. de debito coniugali diſp. 45. nu. 29.* ſed immerito, nam ibi Sanchez nihil prorſus docet de hac opinione, imo ex doctrina, quam tradit, negatiua potius cõcluſio eſſet deducenda, loquens enim de eo, qui cauſam culpabilem dat pollutioni, ſic inquit [*Si pœnituerit legitimè cauſa data, antequam ſubſequatur, vacare culpa pollutionem poſtea ſubſecutam: quia cum cauſa ſit interciſa, iam pollutio eſt omnino inuoluntaria*] *Hæc Sanchez*. ex hac autem doctrina magis eſſet inferendũ, quod, ſi reſeruatio impoſita fuerit pollutioni completæ, in caſu poſito pollutio ipſa reſeruatione nequaquam afficitur, quia eius ſubiectum nempe culpa deficit: igitur error fuit, aut amanuenſis, aut impreſſoris pro tali ſententia Sanchez adducere; ſed contrarium ſuſtinet *Lopez in conſ. par. 1. cap. 31. ver.* [*Præterea quia omnibus*] docens, quod, ſi quis lethaliter inimicum vulneret, & pœnitentia ductus ſacramentaliter confiteatur ſe lethaliter vulneraſſe, ſi poſt confeſſionem ex vulnere illo inimicus moriatur, qui vulnerauit obligatur ad fatendam mortem ſubſecutam; ſicuti etiã ſi quis cauſam culpabilem pollutioni exhibeat, & eum poſtea pœniteat, tenebitur fateri pollutionem, quæ vi illius cauſæ in ſomnis contingit; & hoc, quia actus iſti ſe habent tanquam actus externi procedentes à peccato interno, atque adeo eadem malitia afficiuntur. In hanc eamdem ſentẽtiam tanquam tutiorem inclinat *Sotus in 4. diſt. 13. quaſt. 1. art 7. in ſolutione argumenti contra ſecundum membrum primæ concluſionis ver.* [*hinc fit*] in tali autem doctrina quamuis expreſſe, & formaliter non habeatur caſus de quo loquimur, quia nihil dicitur de reſeruatione; nihilominus ſi Authores hi cohærenter loqui velint, debent aſſerere effectum illum, qui ſubſequitur, nempe mortem, & pollutionem ſubijci reſeruationi: ceſſat enim iuxta ipſorum doctrinam, ratio illa, ob quam ex Sanchez deduximus oppoſitum, videlicet effectum ſubſequentem non affici reſeruatione.

Secunda ſententia ea eſt, quam tuetur *Antonius Naldus in ſumm. ver. actus nu. 29.* quatenus aſſerit lethaliter vulnerantẽ abſolui non poſſe ab eo, qui caret facultate abſoluendi ab homicidio cui reſeruatio eſt annexa. hoc autem probat primo, quia eadem eſt ratio de caſu dubio, & pendenti, quæ eſt de caſu certo, quando agitur de actu aliquo impediendo. cũ igitur vulnus inflictum ſit pẽdens in ordine ad mortem cauſandam; eadem erit ratio de illo, ac de ipſa morte ſecuta in ordine ad impediendum valorem ſacramenti pœnitentiæ. ſecundo, quia idem iudicium facere debemus, de re deſtinata ad aliquem actum, ac de actu ipſo, ergo de vulnere lethali quod tendit ad mortem, idem iudicium, ac de morte erit faciendum: proindè ſi confeſſarius ſtante reſeruatione nõ poteſt abſoluere homicidam; neque poterit vulnerantem. 4

Tertia denique ſententia aſſerit quamcũque retractationem ſufficientem eſſe ad impediendam reſeruationem, ſiue enim qui vulnus dedit ſacramentaliter cõfiteatur, ſiue extra ſacramentum actum contritionis eliciat, imo etiam attritionis; tũc effectu ſecuto, caſus non erit reſeruatus, adeoque à quocumque ſimplici confeſſario remitti poterit. ita *Raphael Auerſa quaſt. 10. de confeſ. ſacr. ſec. 2. ver.* (*Sed diſtinguendum eſt*.) his autem circa aliorum opiniones præhabitis deuenio ad cõcluſiones. 5

Dicendum eſt primo. ſententia Bordoni priori loco relata non placet, quatenus vtramque partem inuoluit nempè negatiuam, & affirmatiuam: hoc eſt quatenus negat reſeruationem impediri, ſi quis apponat cauſam ſufficientem ad mortem, & ſacramentaliter non confiteatur, ſed tantùm retractet prauam voluntatem; & quatenus affirmat impediri, ſi à confeſſario abſoluatur, non placet inquam, quia hæc duo non videntur cohęrenter dicta: vel enim in vtroque caſu impeditur reſerua- 6

ua-

uatio, vel in neutro, par enim eſt ratio quoad hunc effectum de pœnitentia, quæ eſt virtus, & de pœnitentia, quæ eſt ſacramentum: ideoque ſic argumentor ad hoc probandum. intantum per abſolutionem ſacramentalem fit ne effectus ſubſequens reſeruatione afficiatur, in quantum cauſa illius effectus interciſa videtur, atque adeo inuoluntarius erit effectus, & culpa vacabit; ſed etiam per interiorem pœnitentiam abſque ſacramentali confeſſione interciditur cauſa, & effectus ſubſequens erit inuoluntarius, & culpa vacabit: ergo etiam per interiorem pœnitentiã abſq; ſacramẽtali cõfeſſione habebimus ne effectus ſubſequens reſeruatione afficiatur: maior patet, quia nulla alia præter aſſignatam excogitari poterit ratio illius impedimenti: minor mihi videtur nõ minùs clara, quia confeſſio ſacramentalis quamuis vim habeat tollendi reſeruationem, quando eam inuenit; nihilominus non habet vim ad eam impediendam, cũ reſultare debet, niſi ratione pœnitentiæ interioris, per quam voluntas illa praua retractatur: proinde ſine confeſſione ſacramentali pœnitentia ipſa interior erit ſufficiens ad cauſandum, ne reſeruatio conſurgat, tollendo cauſæ efficaciam, non phyſicam, ſed moralem: igitur illa duo, quæ docet Bordonus collectiue non placent, quia in vtroque caſu eadem eſt ratio.

7 Dicendum eſt ſecundo: peccatũ, quod committitur in applicatione cauſæ inducentis effectum, cui eſt annexa reſeruatio, non eſt reſeruatum: vt enim ſupponimus reſeruatio impoſita fuit peccato exterius completo v. g. homicidio, & non vulnerationi, aut propinationi veneni, &c. proinde ſi antequam mors ſequatur, peccatorem pœniteat, aut ſaltẽ confiteatur, non cenſetur reus culpæ reſeruatæ, & ideo abſolutio cadens ſuper peccata non reſeruata, ſtatim habebit ſuum effectum; & cum obicem actu non inueniat, non poterit impediri à futuro euẽtu mortis, quæ ſuperueniens cum non habeat malitiam obiectiuam, quæ tota extincta fuit vi abſolutionis, nequibit reſeruatione affici.

8 Ad rationes autem, quas pro ſe affert Naldus, Reſpondeo, & ad primam aio non ſemper eſſe verum eamdem militare rationem in caſu dubio, quæ militat in caſu certo: nam in odioſis patet contrarium, & præſertim in cenſuris, in legibus pœnalibus, & in caſu noſtro in reſeruatione, quam communiter dicunt Doctores in dubio non eſſe præſumendam. fateor tamen in quibuſdam caſibus eamdẽ eſſe rationem de dubio, & de certo, vt in aliquibus caſibus, v. g. quando agitur de fauore animarum, de vitando damno, in vtilitatem pupilli &c. in præſentia autem cum dubium de morte ſequutura reſpiciat futurum, & ſacramentum, quod confertur, habeat omnia requiſita ad ſuum valorem, & nequeat in ſuſpenſo manere, ſtatim ac applicatur, cauſat effectum, & ideo, culpa iam deleta, reſeruatio locum habere non poteſt.

Ad ſecundum negandum eſt idem iudicium eſſe faciẽdum de re deſtinata ad actum, & de actu ipſo, & maxime quando reſeruatio, & cenſura eſt de actu, & non de rebus ad eumdem actum ordinatis, vt patet in cenſuris, & in reſeruatione, quæ à iure annectũtur actui, & non diſpoſitioni ad actũ. ex his habemus opinionem Naldi non probari ſufficienter per has rationes, atque adeo neque ex illis inferri, à ſimplici confeſſario non poſſe peccatum vulnerationis lethalis ante mortem ſecutam remitti. 9

Dicendum eſt tertio. vltimam ſententiam mihi cæteris probabiliorem videri, nempe etiam abſque ſacramentali confeſſione per ſolũ actum cõtritionis, ita interrumpi cauſam mortis, vt quamuis phyſice remaneat eius efficacia, moraliter tamen, ſeu in ratione cauſę culpabilis non remaneat. Concluſio iſta non ſolum eſt contra primam ſententiam Bordoni, quatenus neceſſario requirit confeſſionem ſacramentalem, vt deleatur culpa, quæ reperitur in applicatione cauſæ ad hoc, vt effectus ſubſequens reſeruatione minimè afficiatur; ſed eſt etiam contra ſecundam opinionem Naldi. Quod autem attinet ad primam partem ſatis probata remanet argumentis, quæ attulimus ad firmandam præcedentem concluſionem, quibus oſtẽdimus eamdem rationem eſſe de pœnitẽtia interiori, & de ſacramento in ordine ad effectum impediendi reſeruationem. ſupereſt igitur, vt ſecunda pars oſtendatur, quæ vi illorum argumentorum non remanet probata, argumenta enim illa ſolùm ex ſuppoſitione procedunt, nempe ſi reſeruatio impediretur virtute abſolutionis ſacramentalis, impediretur quoque vi interioris pœnitentiæ, cum vtrobique eadem militet ratio. erit ergo nobis probãdum abſolutè vi vtriuſque haberi, quod intendimus: & quia omnis difficultas ceſſat, ſi concluſio probetur tantum de pœnitentia interna, nam ſacramentum neceſſario illam inuoluit; ideo ſufficiet concluſionem probare de actu pœnitentiæ tãtum: & ea probata de actu, remanet ſufficienter probata de ſacramento. vt autẽ clarius procedam, admoneo lectorem, quod à me in præſentia ſupponitur celebris 10 11

Digitized by Google

bris illa quæſtio, ſecundum quam Authores dimicant, an effectus, ſiue poſitiuus, ſiue negatiuus, qui ſequitur poſitionem alicuius cauſæ culpabilis moraliter etiam perſeuerantis, & non retractatæ, & eo tempore, quo incipit effectus exiſtere, nō ſubiacet noſtræ libertati, ſit nec ne peccatum, aut effectus peccati: de qua re agitur *in p. 2. D. Thomæ* ſupponitur, inquam, à me controuerſia iſta, cum non pertineat ad rem præſentem, proinde nolo eam decidere; ſed tantum probare intendo effectum ſubſequentem, non affici reſeruatione; igitur ſic argumentor ſiſtendo in exemplo allato de vulneratione, & de morte inde ſecuta. mors ſequens retractationem prauæ voluntatis, & pœnitentiam internam, non imputatur ad culpam: igitur neque vulneratio, neq; mors reſeruatione afficiuntur. antecedens probatur, nam, vt dixi in tractatu illo de vitijs, & peccatis, ad hoc vt omiſſio actus præcepti ſolum volita in ſua cauſa imputetur ad culpam, duæ neceſſario requirūtur conditiones, quarum prima eſt, vt praua illa voluntas, vi cuius cauſa inductiua omiſſionis fuit applicata, perſeueret in ratione cauſæ culpabilis: hoc eſt non ſit ſufficienter retractata, & ſic perſeueret vſque ad effectum exterius completum. ſecunda eſt, vt omiſſio ipſa retineat illam malitiam obiectiuam, quam inuoluebat eo tempore, quo cauſa fuit applicata, & non ſit extincta, vel per abſolutam præcepti ablationem, vel per diſpenſationem particularem, aut per aliam rationem, per quam excuſaretur, qui cauſam culpabiliter appoſuit. quæ ibi diximus de omiſſione, locum etiam habent de effectu pœnitentiæ. cum igitur in præſentia voluntas per pœnitentiam receſſerit à praua illa intentione occidendi hominem, mors ſequens non cenſetur voluntaria in ſe, vt eſt manifeſtum, neque amplius in ſua cauſa, in qua licet prius volita fuerit, poſtea vero per retractationem exiſtimatur moraliter extincta eius efficacia, quamuis phyſicè remaneat: ergo mors ſequens poſt retractationem prauæ voluntatis non imputatur ad culpam, quod erat antecedēs probandum.

12 Sed dices: quamuis poſt retractationem cauſa non maneat moraliter vt culpabilis, ſufficit tamen initio talem fuiſſe, vt mors ſequens cenſeatur culpabilis.

Reſpondeo vt mors eſſet culpabilis, deberet eius cauſa ſpectari ſecundum moralem progreſſum, & non tantum phyſicum, nam licet cauſa in fine progreſſus, ſeu cauſalitatis ſit completè inductiua mortis; nihilominus poſita retractatione, non manet culpabiliter inductiua mortis; & ideo mors nō remanet reſeruata quoad culpam.

Inſtabis vlterius: poſteriores progreſſus complentes cauſam habentur ex vi prioris progreſſus, nimirum eo tempore, quo cauſa perſiſtebat in ratione culpabilis, quia adhuc non erat retractatio: igitur ſaltem mediatè mors erit effectus moralis cauſæ, vt exiſtentis priori illo tempore. 13

Reſpondeo cauſam ſpectatam initio illius temporis, & ſecundum priores progreſſus inſufficientes ad mortem, remotè ſe habere in ordine ad vltimum effectum mortis: proindè mors magis eſt attendēda in ordine ad cauſam proximè, quam remotè ſe habentem, vt euenit in ſimilibus caſibus odium continentibus, v.g. qui fabricat furcam, aut alia inſtrumenta inſeruientia ad mortem delinquentium infligendam, non fit irregularis morte ſecuta, quia ſe habet remotè ad effectum. idem etiam ego dico de reſeruatione, quæ pariter eſt odioſa. & hæc pro antecedente noſtri principalis argumenti ſufficiant. ſupereſt, vt conſequentiam probemus, videlicet neque vulnerationem, neque mortem affici reſeruatione. & de vulneratione manifeſta videtur conſequentia, quia, vt ſupponimus, reſeruatio impoſita eſt homicidio completo, & non inchoato: de morte oſtenditur ex eo quod reſeruatio cum peccatum afficere debeat, ſi illud inueniat extinctum, nequit ipſa ex defectu ſubiecti reſultare.

Quid autem dicendum, ſi pœnitentia interior non fuerit contritio, ſed ſola attritio inſufficiens ſe ſola ad deletionem culpæ mortalis? tunc enim videtur poſſe locum habere reſeruatio cum peccatum inueniat in anima: proindè peccatum vulnerationis non poſſet in tali caſu à ſimplici confeſſario ſacramentaliter remitti. 14

Reſpondeo valde probabiliter cū Auerſa in ordine ad impediendam reſeruationem, ſatis eſſe attritionem, per quam habetur etiam retractatio voluntatis prauæ, & interciſio cauſæ moraliter ſpectatæ. ad rationem in contrarium dico reſeruationē non poſſe immediatè reſultare in peccato habituali, niſi prius affecerit actuale, quod eſt eius immediatum ſubiectum: proindè cum actuale in caſu iſto non fuerit reſeruatum, neque reſeruatum erit in eſſe habituali, ſed remanebit, vt prius.

Quod vero ſpectat ad ſententiam eorū, qui examinantes hunc caſum admittunt noſtram opinionem, quando cauſa intercipitur vi ſacramenti, vt eſt Fagundez, & Caſtropalaus, non ſunt à nobis impugnādi, quia ita loquuntur de ſacramento, vt tamen non loquantur, neque excludant pœnitentiam internam ad reſeruationem impediendam. 15

Quæ-

Digitized by Google

16 Quæres vtrum idem ſit dicendum de irregularitate, & de excommunicatione impoſita vt cēſura peccato exterius completo, ſi antequam compleatur, pœniteat Authorem cauſæ; num auctor incurrat irregularitatem, aut excommunicationem, aut aliam cenſuram.

Reſpondeo quod attinet ad irregularitatem conueniunt fere omnes in parte affirmatiua, ita *Vaſquez p. 2. diſp. 94. cap. 4. Sanchez lib. 2. in decal. cap. 16. in fine. Azor par. 1. lib. 1. cap. 7. ver. Quod ſi obijciat. Caſtropalaus par. 1. trac. 2. diſp. 1. punc. 3. num. 2. Auerſa in p. 2. de bon. & malit. act. quaſt. 20. ſec. 3. ver. (Cum hæc enim.) & de ſacr. conf. l. c. & alij apud ipſos*, quamuis *Quied. in p. 2. de bonit. & mal. hum. act. tract. 4. contr. 6. punc. 7. num. 62.* referat aliquos iuniores apud *Sayrum in clau. reg. lib. 2. c. 6. num. 16.* ſenſiſſe in caſu prædicto irregularitatem non incurri. Sed oppoſitum cum ſententia
17 communi eſt omnino tenendum, quia irregularitas propter ipſum actum externum immediatè imponitur, & non ſupponit neceſſario peccatum. quoad cenſuras autē v. g. quoad excommunicationem, res non eſt ita certa; nam aliqui cenſent, in caſu, quo voluntas per pœnitentiam retractetur, non incurri ab eo, qui cauſam culpabiliter apposuit, & in caſu noſtro eſt, qui lethaliter vulnerauit, & poſtea ante mortem vulnerati pœnituit, non affici excommunicatione ſaltem pro foro interno, quam ſententiam ſatis probabilem putat *Caſtropalaus l. c.* & pro illa citat *Ioannem, Andream, Innocentium, & Tabienam*. & ratio, qua mouetur eſt, quia excommunicatio cum ſit pœna medicinalis ad reprimendam contumaciam, tolli debet ipſa contumacia ceſſante; proindè cum vulnerans e. c. clericum, ante eius mortem per pœnitentiam recedat à contumacia, non eſt excommunicationis pœna multandus.

18 Cæterum alij communiter non excuſāt hunc hominem ab incurſione in excommunicationem, quia licet eo momento, quo reſultat cenſura ille ſit in gratia, & deletum ſit peccatum; nihilominus ſufficit, apponendo cauſam peccaſſe grauiter, eccleſia enim non iudicat de occultis, ſed pœnas pro actu externo imponit, & ne dicas: pro peccato præterito excommunicationem infligi non poſſe: nam, etſi hoc verum ſit; nihilominus in caſu præſenti non dicitur excommunicatio impoſita pro culpa præterita, ſed potius eſt dicendum rēſultare pro peccato præterito excommunicationem illam, quæ impoſita fuit pro peccato futuro.

QVÆSTIO VIGESIMATERTIA.

Nouitij ſubiaceant ne caſibus in Religione reſeruatis?

S V M M A R I V M.

Declaratur titulus quæſtionis, quæ principaliter ſecundum ius commune excogitatur. 1

Prima ſententia aſſerit Nouitios ſubijci caſibus in Religione reſeruatis, & triplici ratione probatur. 2

Secunda opinio eſt oppoſita negans Nouitios his caſibus ſubijci, & communi ratione ſuadetur. 3

Tertia ſententia refertur. 4

Quarta cum diſtinctione procedit. 5

Prædicta ſententia, vt iacent, niſi aliud addatur non placent Authori. 6

Secundum ius commune determinat Author Nouitios non ſubijci reſeruationi. 7

Poteſt Nouitius ſibi eligere confeſſarium, qui habeat vniuerſalem, & indifferentem iuriſdictionem à Pontifice, & probatur. 8

Nequit Nouitius ſine licentia ſuperioris confiteri ſacerdoti regulari, ſi iſte iuriſdictionem habeat dependenter à voluntate Prælati, cum prohibitione ne confeſſiones nouitiorum audiat. 9

Quid dicendum ſi iuriſdictio detur indifferenter. 10

Poteſt nouitius eligere confeſſarium, ſiue ſecularem, ſiue regularem ab Epiſcopo approbatum. 11

Nouitius religionem ingrediens non deperdit prius domicilium. 12

Quamuis dicatur mutare domicilium, non ſit omnino extra iuriſdictionem Epiſcopi. 13

Non requiritur ad valorem huius ſacramenti, vt Confeſſarius, & pœnitens ſint eidem ordinario ſubiecti. 14

Sacerdotes Regulares ab Epiſcopo iuriſdictionem audiēdi confeſſiones recipiūt ſimul cum approbatione, quod probatur contra quemdam recentiorem. 15

Iuriſdictio hæc non confertur ab Epiſcopo ſub conditione ne nouitiorum cōfeſſiones ſacerdos approbatus audiat. 16

Nouitius ſubditur Prælato regulari quoad externam diſciplinam, non autem ſecundum ea, quæ pertinent ad forum internum conſcientiæ. 17

Expenduntur aliqua iuxta mentem Doctorum de acquiſitione domicilij ob ingreſſum in Religionem. 18

Nouitij fruuntur priuilegijs religionis, & comprehenduntur in fauorabilibus 19 *ſub*

zed by Google

ſub nomine Religioſorum, quamuis religionis praeceptis non aſtringantur.

20 *Reſpondetur ad argumenta contraria deſumpta ex conſtitutionibus Pontificijs.*

21 *Nouitius ante expletum tempus probationis ſi emittat tria vota, quæ emittũtur quando fit profeſſio, non ſubditur caſibus reſeruatis eiuſdem religionis.*

22 *Quid dicendum ſpectando particularium religionum inſtituta.*

1 SVb amplioribus terminis præſens quæſitum proponi poſſet, nempe vtrum nouitij abſque proprij ſuperioris licentia eligere valeant alium confeſſarium ab eo, quem Prælatus deſignauit: etſi hoc pacto quæſitum inſtituatur, abſtraheret à peccatis reſeruatis, & non reſeruatis: cæterum placet ſub forma prędicta illud explicare, non ſolum quia ita limitatè de illo frequentius Authores diſſerere conſueuerunt; verum etiam quia in idem vtrumque recidit: quamuis enim primo aſpectu iſta duo diuerſa videantur; nihilominus in ordine ad præſens intentũ non differunt cum ab eodem fonte emanent, nimirum à poteſtate illa ordinaria, quam habet prælatus ad auferendam, vel partem, vel totam iuriſdictionem à confeſſario; prior ablatio eſt formaliſſima reſeruatio, poſterior vero non appellatur reſeruatio, ſed ſimplex carentia poteſtatis ad audienda peccata: ſi igitur Nouitij non ſubiacent decreto, per quod pars iuriſdictionis tollitur, neque ſubiacebunt decreto totam auferenti iuriſdictionem; & ſi ſubiacent illi, & huic ſubijcientur; & ita perinde eſt quoad deciſionem, quæſitũ ſub vna, aut altera forma proponere, & hæc quoad tituli declarationem breuiter ſint dicta. Deuenientes autem ad rem ipſam, de qua eſt controuerſia, poſſumus quæſtionem examinare ſiſtendo tantum in iure communi, vel deſcendendo etiam ad particularia ſtatuta, & conſtitutiones religionum. prius autem loquendo iuxta ius commune varias reperio ſententias.

2 Prima vult nouitios comprehendi ſub lege reſeruationis regularis: ita *Corduba in ſuo quæſtionario lib. 1. quæſt. 30. per totam. Hieronymus Llamas in ſumma par. 1. cap. 5. §. 7. in fine. Peregrinus de priuil. regul. declarando conſt. 10. vrb. 8. §. 61. num. 9. Lezana in quæſt. reg. tom. 1. cap. 24. num. 7. Bordonus in reſol. mor. 38. num. 4. Layman in ſumma lib. 4. tract. 5. cap. 4. num. 4. corol. 4. Pellizzarius in manuali trac. 2. cap. 6. num. 30. Fragoſus in regim. chriſt. reip. par. 1. diſp. 24. §. 15. num. 31.* (*Ex his tribus*) *Gaſpar Hurtadus de pœnit. diſp. 11. diff. 7.* *Addimus*: hæc opinio varijs probari ſolet argumentis, & plura coaceruat Corduba, præcipuum autẽ fundatur in illa ſpirituali ſubiectione, quam actu habent nouitij ad Prælatum regularem, dum manent in tali ſtatu: ſic igitur formamus argumentum. Nouitius ſubijcitur ſpirituali iuriſdictioni Prælati Regularis, ergo ſubiacet caſibus in religione reſeruatis. tum antecedens, tum conſequentia ſunt probanda: antecedens autem ſic. Nouitius non eſt ſicuti vagus, qui nullum firmum habet domicilium, & ideo debet alicui ſuperiori ſpiritualiter immediatè ſubdi, & cum huiuſmodi ſuperior nequeat eſſe Epiſcopus, quia nouitius per ingreſſum in religionem veluti per quamdam domicilij mutationem è ſæculo ad religionem ab Epiſcopi iuriſdictione fuit exemptus, vt colligitur *ex cap. 1. de priuil. in 6.* ideo non remanet alius immediatus ſuperior, cui ſpiritualiter ſubdatur, niſi prælatus regularis, ſub duplici enim iuriſdictione quando vna alteri non ſubordinatur, impoſſibile eſt manere, repugnat enim talis ſubiectio recto regimini cum perturbationem, & confuſionem cauſet. conſequentia vero probatur, nam omnes quoad ſacramentum pœnitentiæ ſubdi debent illi prælato, ſub cuius iuriſdictione ſpirituali manent, proindè nouitij cum ſubijciantur ſpirituali iuriſdictioni Prælati Regularis, ſubdi etiam debent caſibus in Religione reſeruatis. ſecundo probatur ex quadam congruentia, nam ſicuti nouitius fruitur priuilegijs religionis, ita debet eius ſtatutis ſubdi. tertio probatur authoritate ſummorum Pontificum, nam *Clem. VIII. in conſtit. pro inſtructione Nouitiorum*, quæ extat *in tom. 3. Bul. & eſt 83. in ordine* §. 28. ſtatuit confeſſiones Nouitiorum a ſolo Magiſtro eſſe audiendas; & arbitrio ſuperioris ſemel, aut bis in anno ab alio, quem ipſe ſuperior deputauerit. rurſus *Paulus V.* viuæ vocis oraculo hoc ipſum decreuit pro congregatione S. Mariæ Fulienſ. vt refert Peyrinus.

3 Secunda opinio contrarium tuetur, abſolutè enim docet nouitios caſibus in Religione reſeruatis minimè ſubijci: & hæc ſententia plures quam præcedens habet fautores. *Rodriquez in quæſt. regul. tom. 1. quæſt. 21. à 11. & in explic. Bullæ cruc. §. 9. num. 26. in fine. Tamburinus de iure Abbatum tom. 3. diſp. 13. quæſt. 5. nu. 4. Graff. in append. lib. 2. cap. 7. num. 69. Homobonus in comment. de caſ. reſer. caſu 2. de furt. & non. egreſſ. comprehenſio: in exceptione 1. Ledeſma in ſumma par. 1. de pœnit. cap. 13. dub. 4. §. A eſta duda. Naldus in ſum. v. Nouit. num. 7. Miranda in manuali regul. tom. 1. quæſt. 34. art. 16. Henriquez lib. 6. cap. 16. num. 3. ita P. Azor. par. 1. lib. 12. cap. 1. quæſt.*

10. *circa medium*. *Emmanuel Sà in aphoriſ. V. caſus reſeruatus num.* 8. *Villalob. tom.* 1. *trac.* 9. *diff.* 16. *num.* 6. *Portel. in dub. reg. v. Nouitij abſoluti num.*36.*Vega in ſumm. tom.* 2. *cap.* 49. *caſ.* 6. *Iuan de la Cruz de ſtatu relig. cap.* 6. *dub.* 10. *concl.* 2. *Vgolinus de offic. epiſc. cap.* 35. §. 1. *num.* 5. *Coriolanus de caſ. reſ. part.* 1. *ſec.* 3. *art.* 18. *num.* 5. & 6. *Maffeius in ſum. tom.* 1. *trac.* 7. *cap.* 14. *num.* 8. *Alphonſus de Leone de poteſt. confeſ. reſol.* 2. *à num.* 558. *Floronus de caſ. reſer. par.* 1. *cap.* 3. *num.* 6. *Iacobus Mancinus de caſ. reſer. prac.* 3. *dub.* 13. *Barthol. à Sancto Fauſto in theſ. relig. lib.* 5. *qu.* 203. *Diana par.* 3. *trac.* 2. *de dub. reg. reſol.* 4. & *par.* 4. *trac.* 4. *reſol.* 5. *Ioannes Antonius Nouar. in ſumma Bullarum in expoſ. cõſtit. Clem. VIII. ſuperius citata par.* 1. *n.* 54. *Barboſa de appell. verb. appell.* 233. *n.* 29. *Franciſcus Ceſpedes trac. de exempt. reg. cap.* 2. *dub.* 26. *num.* 4. 5. *Marcus Serius in eruditis comment. ſuper cruciatã diſp.* 1. *diff* 10. §. 8. *quæſit.* 8. & *alij*, qui citantur, ſed eos præ manibus habere minimè potui poſſem etiam pro hac eadem ſententia Suarez, & Caſtropalaum afferre; ſed quia quamdam apponunt limitationẽ expeditius mihi viſum fuit eorum ſenſum diſtinctè examinare: quod inferius præſtabo. rurſus in eadem opinione mihi videtur eſſe *Sanchez lib.* 6. *in decal. cap.* 10. *num.* 7. vbi licet explicitè non loquatur de caſibus reſeruatis; nihilominus cum aperte doceat nouitios non aſtringi præceptis, & ſtatutis religionis, eiuſque ſuperiorum, implicitè aſſerit neque ſubijci ſtatuto, per quod caſus reſeruantur. communis autem ratio pro hac ſententia eſt, quia Nouitij ante profeſſionem emiſſam, propriè loquẽdo, non ſunt religioſi, vt patet *per textum in cap. Religioſo*, §. *Quamuis*, *de ſententia excommunicationis in* 6. quod aſſerunt vniuerſaliter Doctores: igitur nequeunt ligari in foro interno ſtatutis, & præceptis religionis; atque adeo non ſubiacent decreto reſeruationis. hæ ſunt ſententiæ ex diametro oppoſitæ, inuenio tamen alias veluti medias inter prædictas ſententias.

4 Tertia ergo opinio ea eſt, quã excogitauit *Aloyſius Turrianus trac. de pœn. diſp.* 31. *dub.* 9. *v.* (*Contrariam tamen ſententiam*.) ibi enim diſputare volens de poteſtate, & non de actu, inquit, poſſe nouitios ſubijci reſeruationi caſuum, quia Prælatus eſt eorum paſtor, & ipſimet nouitij confeſſionem ſacramentalem facientes proprio Prælato, vel alteri de eius licentia, ſatisfaciunt præcepto annuæ confeſſionis: an vero repetiatur de facto huiuſmodi reſeruatio, quæ ad nouitios ſe extendat in vna, aut altera religione, noluit author iſte determinare, ſed ait ſe remittere ad regulas, & ſtatuta earumdem religionum. ex his quæ Turrianus aſſerit, videtur, ni fallor inferri, eius mentem eſſe in decreto illo generali, per quod religiones, vel earum prælati reſeruant caſus, nõ comprehendi nouitios, aliter non recte in dubium reuocaret, num in vna, aut altera religione detur reſeruatio, quæ ad nouitios extendatur, quia notum erat illi in qualibet religione dari ſtatutum reſeruans caſus aliquos.

Quarta opinio diſtinguens ait, ſi con- 5
feſſarius, quem Nouitius eligit iuriſdictionem immediatè habeat à ſummo Pontifice, tunc poſſe nouitios ſine licentia prælati huiuſmodi confeſſario peccata aperire, & ab eodem abſolutionem habere: & hoc quia talis iuriſdictio cum ſit generalis pro omnibus fidelibus, extenditur ad omnes, & ideo ad nouitios, cum nulla ſit ratio illos excludendi. Aduertit autem quod ſi iuriſdictionem hanc regularis habeat media conceſſione, & voluntate ſui Prælati, tunc ſi Prelatus prohibeat audire ſuorum nouitiorum confeſſiones, non poterunt nouitij tali confeſſario vi huius iuriſdictionis confiteri, & irrita eſſet eorum confeſſio ob defectum iuriſdictionis in cõfeſſario, & non ob aliquod impedimentũ ex parte ipſorum nouitiorum; ſi vero confeſſarius habeat iuriſdictionem tantum Epiſcopalem, non poterunt Nouitij ſine licentia Prælati tali confeſſario peccata aperire, quia nouitij ingredientes religionem mutarunt domicilium, & præſertim quoad ea, quæ pertinent ad ſacramenta neceſſaria, & per eumdem ingreſſum exempti facti ſunt à iuriſdictione Epiſcopi. Hanc opinionem ſuſtinet *Suarez tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 14. & ſequentibus, & *Caſtropalaus par.* 3. *trac.* 16. *diſp.* 1. *puncto* 10. *verſus finem*.

Ex his opinionibus, vt iacent, niſi ali- 6
qua addatur explicatio, ſeu limitatio, nulla mihi abſolutè placet; proinde quid vt probabilius ſit admittendum in ſequẽtibus explicabo.

Dicendum eſt primò, ſi loquamur de iu- 7
re tantum communi, Nouitij non ſubiacent caſibus in religione reſeruatis. Ducor ratione illa vniuerſali, qua huius opinionis fautores nituntur, ſcilicet eos non aſtringi præceptis, & ſtatutis religionis, vt recte probat noſter Sanchez loco ſuperius citato, & *Caſtropalaus puncto illo* 10. *num.* 4. *in fine*, & hoc quia non ſunt proprie religioſi niſi largè, atque adeo in odioſis ſub nomine religioſorum ipſi nequaquam comprehenduntur, & conſequenter non ſubduntur ſtatuto re-

ſer-

ſeruanti caſus, quamuis quoad externam diſciplinam teneantur regulas ſeruare, & Prælato obedire, non vi voti, ſed ex quadam decentia, & honeſtate, vt animaduertit Caſtropalaus; aliter non poſſet neque ipſe religionem probare; neque è cõuerſo.

8 Dicendum eſt ſecundo: Poterit nouitius eligere confeſſarium, qui iuriſdictionem vniuerſalem, & indifferentem habeat à Pontifice, ad excipiendas fidelium confeſſiones, & ab eo validè abſolutionẽ ſacramentalem recipere, vt rectè probat *Suarez, & Caſtropalaus ll. cc.* & ratio eſt manifeſta, quia neque ex parte confeſſarij eſt impedimentum, cum iuriſdictio illa proficua ſit pro omnibus fidelibus indifferenter, ſub quibus nouitij continentur; neque ex parte ipſius Nouitij pœnitentis, cum nulla appareat ratio in contrarium, quare excludi debeant, vt enim oſtendimus ipſi non ſubiacent ſtatutis religionis, ita vt teneantur in foro conſciẽtiæ illa ſeruare. Iuriſdictio autem iſta, quam habet confeſſarius à Pontifice conceſſa poterit eſſe, vel per priuilegium ipſi confeſſario communicatum, vel collatum ipſi pœnitenti: & ideo ſi nouitius habeat Bullam Cruciatæ, ex vi illius valide eliget Sacerdotem approbatum ab Ordinario, cui peccata aperiat, vt fusè demonſtraui *in explicatione ipſius Cruciatæ par. 1. tract. 2. cap. 5. ſec. 2. §. 10.*

9 Dicendum eſt tertio: Si confeſſarius regularis pontificiam illam iuriſdictionem habeat dependenter à voluntate ſui Superioris, vt eſt in noſtra Societate, in qua iuriſdictio iſta deſcendit ad confeſſarios per influxum Generalis, aliorumque ſuperiorum; tunc ſi Superior prohibeat ſuis ſubditis ſacerdotibus, ne audiant nouitiorum confeſſiones, inualide confeſſarius nouitium abſoluet ex defectu iuriſdictionis, vt aduertit *Suarez cap. cit. num. 13.* & ratio eſt in promptu, quia cum ſupponatur iuriſdictio iſta deriuare ad religioſos media conceſſione prælati, & non aliter, ideo Prælatus prohibens ſacerdoti ſubdito, ne excipiat confeſſiones nouitiorũ, non communicat illi iuriſdictionem; atque adeo inutiliter confeſſionem nouitij accipiet.

10 Quid autem dicendum, ſi ſacerdos regularis habeat iuriſdictionem à Superiore indifferenter, ſine prædicta expreſſa prohibitione, ne Nouitiorum confeſſiones audiat, ita vt neque id vetet, neque cõcedat, quid inquam ſit dicendum validè nè Sacerdos iſte nouitium abſoluet? Pro ſolutione huius dubij, aio eſſe diligenter ſpectandas regulas, ſtatuta, & praxim religionis: ſi enim extet decretum, quod prohibeat ne alij confeſſarij ab aſſignatis confeſſiones audiant; vel ſi tale non extet, praxis tamen religionis ſit, vt nullo modo Prælati ſoleant id concedere, imò ægrè id ferant; tunc conſtanter cenſeo iuriſdictionem indifferenter, & ſub verbis generalibus conceſſam non ſe extendere ad Nouitios. Et hoc ob regulam illam iuris *in 6. 81. in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter conceſſurus*, cum autem in religione, vt ſupponimus, non concedatur, vt nouitij alijs confiteantur, niſi ſoli magiſtro, vel alteri de eius licentia; inde eſt vt ſub illa conceſſione indifferente, nulla pro nouitiorum confeſſionibus communicetur iuriſdictio. cæterum ſi paſſim id concedatur, & prælati non ſoleant admodum de hoc curare; tunc forſitan non improbabiliter quis aſſereret iuriſdictionem illam vniuerſalem ſe extendere ad nouitios, atque adeo validè ſacerdoti habenti talẽ iuriſdictionem confiteri. in noſtra autem ſocietate res eſt indubitata, tum quia in *regula 7. Magiſtri Nouitiorum* id expreſsè cauetur: tum quia ſi quis ex noſtris ſacerdotibus præſumeret nouitij confeſſionem audire, grauiter à ſuperiore puniretur: & ideo ſub generali conceſſione, nouitij non comprehenduntur, & conſequẽter inualida eſſet eorum confeſſio.

11 Dicendum eſt quarto. poteſt Nouitius eligere confeſſarium, ſiue regularem, ſiue ſæcularem approbatum ab Ordinario, à quo iuriſdictionem habuit. ſententiam hanc quamuis Suarez non admittat, vt ſupra vidimus, nihilominus eam valdè probabilem appellat. eſt tamen contra Caſtropalaum, qui ſententiam Suarez ſequitur. eam vero defendunt Authores, quos in relatione ſecũdæ ſententiæ laudauimus, nam abſolutè, & abſque reſtrictione concedunt nouitium confiteri poſſe cuicumque confeſſario approbato. Probatur quia poſita in confeſſario iuriſdictione abſque limitatione, nullum aſſignari poteſt impedimentum ex parte nouitij, proindè legitimè tali confeſſario peccata ſacramentaliter aperiet, & ab eo abſolutionem obtinebit. reſpondet Suarez *num. 14. illius capitis* rationem quare nequeat nouitius eligere talem confeſſarium, eſſe, quia cẽſetur mutaſſe domicilium in religione, & præſertim quoad ea, quæ ſpectant ad ſacramenta neceſſaria, quale eſt ſacramentum Pœnitentiæ.

12 Sed varijs argumentis iuxta diuerſa Authorum placita poſſumus reſponſionem hanc impugnare, & quidem probando in hoc ingreſſu non deperdi à nouitio priſtinum domicilium, vt ipſemet Suarez fatetur *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto cap.*

Digitized by Google

11. *num. 9.* neque valet reſponſio huius Authoris, nempe fieri non poſſe, vt aliquis ſimul, eodemque tempore duos ordinarios Paſtores habeat inter ſe non ſubordinatos, & licet quis plura domicilia habere valeat; nihilominus pro eo tempore, quo in vno habitat, nequit adire Parochum alterius domicilij. contra eſt, nam idem Suarez ita reſpondens ſoluit *in fine eiuſdem numeri* 14. hanc inſtantiam dicens: non ab omnibus recipi: & ipſe oppoſitum docuit *tom. 4. de pœnit. diſp. 25. ſec. 2. in fine*, igitur ex acquiſitione vnius domicilij non rectè infertur deperditio prioris domicilij.

13 Sed dicere quis poſſet nouitium ita mutare domicilium, vt omnino fiat extra iuriſdictionem Epiſcopi, nam tota Religio eſt exempta, & conſequenter non ſolum quoad profeſſos, verum etiam quoad nouitios.

Sed hæc obiectio non eſt efficax, tum quia non eſt vndequaque, verum nouitios fieri omnino exemptos à iuriſdictione ordinarij, nam Suarez ipſe *l. c. de voto*, ſermonem habens de votis nouitiorũ, docet non poſſe nouitios in ſuis votis diſpenſari à Prælato regulari, ſed ab Epiſcopo: & huius rei rationem aſſignans dicit nouitios manere ſub Epiſcopo in ijs, quæ propriam ipſorum perſonam reſpiciunt: loquitur autem Suarez vi iuris communis, vt ipſemet aduertit, quia ſi religio ſpecialia à Pontifice haberet priuilegia, quæ Prælato regulari maiorem, quoad hunc effectum, concederent facultatem; poſſet Prælatus illam vtique exercere. in hac ſententia plures ſunt doctores, & Sanchez licet eam non ſequatur; nihilominus *lib. 4. in dec. cap. 39. num.* 17. ſatis probabilem vocat, & ex ſe addit poſſe nouitium ſubdi pro diſpenſandis votis, & alijs cauſis, iuriſdictioni epiſcopi. ex hac doctrina infero à pari, ſi nouitij ſubduntur, vel ſaltem ſubijci poſſunt iuriſdictioni epiſcopi pro diſpenſatione voti obtinenda, cur nequeant pro abſolutione peccatorum? par enim vtrobique ratio videtur.

14 Impugnatur etiam ſententia contraria argumento ſatis efficaci, quod noſtram concluſionem rectè probat, tali diſcurſu: nulla eſt neceſſitas, vt confeſſarius, & pœnitẽs ſint eidem ordinario ſubiecti ad hoc vt confeſſarius legitimè approbatus poſſit pœnitentem abſoluere, praxis enim contrarium demonſtrat, quia videmus plures, qui in aliqua diœceſi domicilium non habent, vt ſunt peregrinantes; qui abſque vllo ſcrupulo confitentur ſacerdotibus in illa diœceſi approbatis, & ab ordinario proprio iuriſdictionem habentibus. & ſi dicas tunc peregrinos voluntariè ſubijci iuriſdictioni illius epiſcopi, in cuius diœceſi inueniuntur; & ego hoc ipſum dicam de nouitijs, qui licet non ſint ſubditi ordinario, nihilominus voluntariè poſſunt illi, vel perſonæ delegatæ ab eodem ſe ſubijcere, vt affirmat Sanchez ſupra loquens de diſpenſatione, & alijs cauſis.

Maneat igitur ex dictis validam eſſe cõfeſſionem nouitiorum, quæ fit confeſſarijs ab Epiſcopo iuriſdictionem habentibus.

15 Sed vrgebat in cõtrarium quidam doctus recentior contra quartam concluſionem, probans Confeſſarium regularem, cum ab Epiſcopo approbatur, non recipere ab illo niſi approbationem, quia iuriſdictio Religioſis à Summo Pontifice communicatur. ex quo inferebat nouitiũ non poſſe confiteri ſacerdoti regulari approbato ab Epiſcopo.

Reſpondeo negando aſſumptum, quia etſi regulares à Pontifice iuriſdictionem habeant: atque adeo poſita ordinarij locorum approbatione, alia non indigeant iuriſdictione; nihilominus non pugnat illam à pluribus communicatam habere. quemadmodum poſſem ego habere facultatem commutandi vota, aut in illis diſpenſandi, tum à meo ſuperiore, tum ab Epiſcopo, & ſic in multis alijs facultatibus. Quod autem epiſcopus approbans religioſos præter approbationem det etiam epiſcopalem iuriſdictionem, patet ex tenore litterarum in quibus facultas excipiendi confeſſiones conceditur. forma autem duplex eſſe ſolet in hac curia Archiepiſcopali Panormitana vna pro his, qui examinantur, altera vero pro alijs, quorum ſufficientia eſt nota, vt ſunt doctores, profeſſores Theologiæ, &c. illa ferè his verbis procedit (*Tibi N. N. à noſtris examinatoribus examinato*) ecce approbationem (poſtea ſubditur) *facultatem concedimus, vt hic Panormi, & per totam noſtram Diœceſim audire poſſis confeſſiones Chriſti fidelium vtriuſque ſexus, &c.*) ecce collationẽ iuriſdictionis. illa verò, quæ datur confeſſoribus, quorum ſufficientia conſtat, ſic ait (*Tibi N. N. facultatem concedimus, vt hic Panormi, & per totã noſtram Diœceſim audire poſſis confeſſiones Chriſti fidelium vtriuſque ſexus ſimpliciter, ſtante quod de tua ſufficientia nobis conſtat.*) his verbis in vtraque forma ſignificatur approbatio, & iuriſdictio.

16 Inſtare tñ aduerſarius põt vlteri', q̃uis iuriſdictio cõcedatur regularibus ab epiſcopo ſimul cũ approbatione, præſumi tamen debet illam conferri iuxta mentem, & voluntatem ſuperiorum regularium, qui proculdubio nolunt vt ſacerdotes ipſi eam exerceant audiendo Nouitiorum confeſſiones, ergo Confeſſarius has confeſſiones inutiliter excipiet, ſicuti diximus de iuriſ-

dic-

Digitized by Google

dictione pontificia, quam habent dependenter à voluntate prælatorum.

Reſpondeo: rectè concluderet argumẽtum, ſi eius antecedens eſſet verum, falſum tamen cenſemus, quia in conceſſione huius iuriſdictionis nulla reperitur conditio, ſed abſolutè eſt collata: non ſic autẽ iuriſdictio, quæ emanat à Pontifice, quæ eſt per priuilegium, & in noſtra ſocietate nullo poſſunt ſubditi priuilegio frui niſi cum dependentia à voluntate noſtri Generalis, & per communicationem ab ipſo, vt dicitur in *præfatione initio compendij*, & declarauit *Greg. XIII. in conſtitutione de vſu facultatum in Societate die 3. Maij anno* 1575. vt patet in litteris apoſtolicis pro ſocietate: at collatio iuriſdictionis epiſcopalis nõ prouenit ex priuilegio, ſed ex officio epiſcopi, qui debet cõfeſſarios idoneos repertos approbare, & facultatẽ cõcedere audiẽdi cõfeſſiones propriarum ouium, & ideo non eſt paritas.

Supereſt vt argumenta contraria ſoluamus.
17 Ad primũ autẽ, quod eſt potiſſimũ pro ſententia, quę affirmat nouitios ſubijci reſeruationi. Reſpondeo diſtinguendo illud antecedens hoc pacto, Nouitius ſubijcitur iuriſdictioni Prælati regularis quoad externam diſciplinam concedo, quoad forum internum, & ſecundum ea, quæ pertinent ad conſcientiam, nego antecedens, & ſimul conſequentiam, nempe ſubijci caſibus in religione reſeruatis.

Ad probationem vero antecedentis re-
18 ſpondeo iuxta varias ſententias, nam ſecundum aliquos concedi debet Nouitios quoad domiciliũ quamdam habere ſimilitudinem, & proportionem cum vagis, quatenus ex vna parte ingredientes Religionem fiunt exempti à iuriſdictione ordinarij, & deperdunt primum domiciliũ, ex alia vero parte cum non videantur habere animum firmum manendi in Nouitiatu, in quo reſident ad experiendas regulas, & modum viuendi religionis, vt experimentis habitis, deliberent, an ſint in religione permanſuri, aut ad ſæculum reuerſuri; ideo non cenſentur nouum domicilium acquirere, quia ad acquirẽdum domicilium requiritur intentio ibi perpetuò manendi, vt probat *Sanchez lib. 3. de matr. diſp. 23. num. 1.* Alij vero aiunt in fauorem Nouitiorum, ipſos quoad forum conſcientiæ, neque ſubijci iuriſdictioni Epiſcopi, neque Prælati regularis, licet quoad forum externum, & ſecundũ quamdam decentiam cogi poſſint à Prælato ad ſeruandas regulas, & ſtatuta religionis, & ideo *Sanchez in ſumma lib. 6. cap. 10. num. 17.* ex hoc principio deducit Nouitios neque ab Epiſcopo, neque à ſuo Superiore regulari excommunicari poſſe, niſi in duplici caſu tantum, qui non facit ad rem noſtram.

Ad ſecundum deductum ex congruen- 19
tia fruitionis priuilegiorum; reſpõdeo primo ſi vera eſſet opinio quorumdam, quos refert *Sanchez cap. illo 39. in Decal. num. 16.* videlicet nouitios non gaudere priuilegijs religionis, quia non ſunt perfectè ſubditi, totum corrueret argumentum fundatum in hoc: ſed quia oppoſitum verum cenſeo, reſpondeo ſecundo huiuſmodi argumentum, vel nimium, vel nihil probare: probare nimium, quia poſſet quis ex tali principio oſtendere nouitios ſicuti profeſſos obligari in foro interno ad omnia præcepta Religionis, ita vt illa tranſgredientes grauiter delinquerent, argumentando à pari, nempe, quod ſicuti ſentiunt commoda Religionis, ita debent ſentire & incommoda: hoc tamẽ eſt falſum, nemo enim dixit Nouitios ſub culpa graui aſtringi ad ſeruanda ſtatuta religionis: nihil autem per illud argumẽtum probari, oſtenditur, quia Nouitij cũ in fauorabilibus comprehendantur ſub nomine religioſorum, non autem in odioſis, vt vult communis ſententia, non debet eſſe mirum, ſi gaudentes priuilegijs, non aſtringantur præceptis. Addo etiam commodum, quod habetur in participatione priuilegiorum, ſufficienter compẽſari cum incommodo, quod nouitij patiuntur facientes diſciplinam regularem, eiuſque aſperitates ſuſtinendo.

Ad tertium, quod procedit ex au- 20
thoritate ſummorum Pontificum reſpondeo, & ad conſtitutionem Clem. 8. aio ea, quæ præſcribuntur in illa Bulla pro Nouitijs eſſe ad directionem. Sic communiter Authores noſtræ ſententiæ, & inter alios *Nouarius in explic. illius conſtit.* & ideo Pontifex dicens confeſſiones nouitiorum eſſe audiendas à ſolo magiſtro, id non præcipit, imò nullum apponitur verbum tales irritans confeſſiones. Ad viuæ vocis oraculum Pauli V. aio non conſtare de illo decreto verbali, & neſciri à nobis formam, ſub qua prolatum fuit: addo poſſe etiam explicari ſicuti decretum Clementis, &c. nempe ſolum directiue loqui.


Occaſione autem dictorum quis poſſet quærere, an nouitius, qui ante tempus profeſſionis ob deuotionis feruorem emiſit vota illa tria Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientię, cenſeatur ſubdi caſibus reſeruatis.

Reſpondeo nequaquam, quia per illa 21
tria vota priuata, non acceptata, Nouitij non incorporantur Religioni, neque fiũt religioſi, proinde ſolum indirecte poſſunt illis imponi præcepta à Superiore, videlicet

eet ſubminiſtrando materiam ab ipſis nouitijs Deo promiſſam. vide *Sanchez lib. 6. in decal. num.* 8. & quæ à nobis de hoc puncto dicta ſunt circa vſum bullæ cruciatæ *par.* 1. *trac.* 2. *cap.* 5. *ſec.* 2. §. 11.

12 Et hæc de exemptione nouitiorũ, ſpectato tantum iure cõmuni;ſupereſſet vt aliqua addere,conſiderando particularia ſtatuta religionum; ab hoc tamen puncto paucis me expediam, tum quia ignota mihi ſunt ſtatuta aliarum religionum, proindè non poſſum aliquid determinatè concludere; tum etiam quia vnuſquiſque in alijs religionibus poterit decidere quid ſit agendum, applicatis doctrinis, & ſententijs à me relatis. ſolum nonnulla dicam de noſtra ſocietate, cuius regulas, & ſtatuta ignorare non poſſum. dico igitur pro ſententia, quæ affirmat noſtros nouitios ſubijci caſibus reſeruatis extare decretum Claudij Aquæuiuæ Generalis b. m. per quod prohibetur, vt nemo ex ſocietate cõtrariam defendat opinionem, neque eam vllo pacto conſulat. ſic patet *per epiſtolam ſub 9. Maij* 1614. directam ad P. Prouincialem Siculæ prouinciæ ſcriptam apud nos in libris ordinationũ noſtrorum Generalium, & etiam vt opinor, apud alias prouincias. habetur etiam in regulis magiſtri nouitiorum *cap.* 1. *num.* 7. facultas conceſſa ipſi magiſtro abſoluendi nouitios à reſeruatis, qui ſub eius cura degunt, niſi aliqua de cauſa facultas iſta ſuperiori videatur limitanda.

Ex his igitur, pro nouitijs noſtræ ſocietatis non audeo partem negatiuam ſuadere, probando ipſos caſuum reſeruationi non ſubdi, ſed huius rei deciſionem arbitrio meorum prælatorum remitto, qui pro ſua prudentia, & charitate quid in hac re agendum ſit ſatis nouerunt.



LIBER

Digitized by Google

LIBER SEPTIMVS

EXPENDITVR, NVM ALIQVI CASVS ECCLESIASTICAE pœnæ ſubdantur.

QVAE in hoc Libro diſcutienda ſe offerunt, connexa proculdubio videntur ijs, quæ in præcedente exagitata fuere, ſermo enim ibi erat de reſeruatione, prout eſt quædam communis ratio culpis, & pœnis; nunc vero placet caſus quoſdam ſpeciales, de quibus conſultus fui determinare, an ſcilicet alicui pœnæ ab Eccleſia inflictæ ſubijciantur, & pariter occaſione accepta, de earundem pœnarum diſpenſatione pertractare.

QVÆSTIO PRIMA.

Num irregularitatem incurrat Prælatus iuriſdictionem temporalem habens, ſi cauſam ſanguinis alicui deleget, vt veritatem inquirat, & ſi opus fuerit, reum extremo afficiat ſupplicio.

SVMMARIVM.

1 *Exponitur occaſio inſtituendi quæſtionẽ.*
2 *Tria præmittuntur.*
3 *Per creationem præciſam officialium nulla fit cauſæ delegatio.*
4 *Poteſt epiſcopus committere iudici vt cauſam ſanguinis inquirat, & iuſtitiam exequatur, abſque metu irregularitatis; quod probatur ex iure canonico.*
5 *Et etiam ratione.*
6 *Poſt plenam probationem de crimine, & relationem factam à iudice, poteſt prælatus iniungere iudici, vt iuſtitiam exequatur, abſque metu irregularitatis.*
7 *Probatur ex iure.*
8 *Parum, aut nihil refert delegationem cauſſæ fieri ante, vel poſt relationem.*
9 *Oſtenditur ratione à priori.*
10 *Obiectio ex iure canonico proponitur, & ſoluitur primo.*
11 *Soluitur ſecundo.*
12 *Alia obiectio ex eodem iure proponitur, & diluitur.*
13 *Confirmatur ex praxi communi.*
14 *Tertia obiectio ex iure refertur, & ſoluitur primo.*
15 *Soluitur ſecundo eadem obiectio, & declaratur caſus tempore Alexandri III. prohibitus.*
16 *Reſpondetur ad aliam obiectionem ex iure, & declaratur caſus in eodem iure relatus.*
17 *Exponitur regula [qui facit per alium perinde eſt, ac per ſe ipſum faciat.]*
18 *Bifariam intelligi poteſt, quod Prælatus committendo cauſſam ferat ſententiam per iudices.*
19 *Explicatur exemplo.*
20 *Alia obiectio proponitur, & ſoluitur, & exponitur textus in cap. Epiſcopus ne clerici, vel monachi.*
21 *In caſu præſenti prælatus vult vt ſibi non manifeſtetur ſententia, neque iudicum vota.*
22 *Etiam ſi relatio ad prælatum fiat poſt omnino completam informationem, propter hoc ipſe Prælatus non excedit conceſſionem datam à Pontifice.*
23 *Inquiſitio veritatis eſt conditio antecedẽs ad ſententiam mortis, eiuſq; executionem, non autem eſt antecedens ad delegationem cauſſæ.*
24 *Ex tali delegatione non ſequitur iniuſtitia.*
25 *Quare Proreges in Sicilia ſeruant hunc modum procedendi vt iudices referant veritatem inquiſitam, & pœnam quam reus meretur.*
26 *Talis modus procedendi præſefert pietatẽ.*
27 *Prælatus poſt talem relationem ſi gratiã reo non faciat, aut pœnam non minuat, non videtur minus leuis.*
28 *Talis modus procedendi non inuoluit appro-*

probationem ſententiæ, & executionis.

29 *Eſt valdè conueniens, & neceſſarium vt prælati habentes iuriſdictionem temporalem poſſint illam delegare; poſt veritatem relatam.*

30 *Explicantur cap. Ad audientiam, & cap. Significaſti de homicidio.*

31 *Duplex eſt dubium aliud iuris, aliud facti.*

32 *Quare DD. non loquuntur expreſſè de explicatione tradita ad caput Epiſcopus.*

33 *Per delegationem cauſſæ confertur iuriſdictio temporalis.*

34 *Iudex ad quem fit appellatio debet etiam inquirere cauſſæ veritatem.*

35 *Declaratur ſenſus quorumdam doctorũ, qui videntur ſententiæ Authoris contrarij.*

36 *Neque eſt nimium curandum ſi diſcrepent.*

37 *Obijcitur quod prælati vt fiant Gubernatores in regno ſiciliæ indigent diſpenſatione pontificis; & ſoluitur.*

38 *Concluſio prædictorum.*

1 DE præſenti quæſito præteritis annis non leuis ſuborta fuit dubitatio. cum enim eo tempore huic Siciliæ Regno præfuiſſet pro ſacra Catholica Maieſtate Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus D. Petrus Corſeto Epiſcopus Cephalœdenſis, & quædam cauſa ſanguinis ob homicidium proditorium ad ipſum delata fuiſſet; dubitarunt nonnulli viri docti, an abſque irregularitatis periculo potuiſſet Epiſcopus vti Gubernator ſuam iuriſdictionem, & poteſtatem delegare iudicibus criminalibus magnæ Regiæ Curiæ, vt veritatem illius delicti inquirerent, & quod iuſtitiæ eſſet, executioni mandarent. & quia ſententia quorumdam Theologorum fuerat id minime fieri poſſe, nam, ſi per ſententiam à Iudicibus latam, reus morte punitus fuiſſet, Epiſcopus in irregularitatem incidiſſet; idcirco, & ipſe, & plures alij noſtræ ſocietatis Theologi huic rei ſtudium applicuimus, & quid ſit ſentiendum ſtatuimus. proinde pro veritatis dilucidatione, quæ tunc digeſta fuerunt, in hoc quæſito aperire operæ pretium duxi. vt autem quæ certa ſunt apud omnes ſeiungam ab obſcuris, & incertis, præmittenda ſunt tria, quæ gradatim ſe habent.

2 Primo, num Prælatus eccleſiaſticus temporalem iuriſdictionem habens poſſit creare officiales, vt ipſi in quacunque cauſa, etiam ſanguinis iuſtitiam exequantur. ſecundo, an contingente delicto aliquo in indiuiduo, cuius pœna eſt mors naturalis, poſſit ſpecialiter mandare iudici, alijſque officialibus, vt de tali delicto in particulari inquirant, & procedant, &c. tertio, an veritate comperta, & delicto illo plenè probato, poſt factam relationem ad prælatum poſſit ipſe committere iudicibus, vt de tali delicto prouideant ſecundum leges iuſtitiæ.

De primo nulla eſt difficultas, nam per creationem officialium nulla alia fit commiſſio à prælato, niſi generalis, quæ eſt valdè remota, proindè nullum eſt periculum irregularitatis: de ſecundo autem poterit aliqua eſſe dubitatio, quatenus videtur commiſſio ſpecialis, & non remota ad ſententiam mortis; hoc tamen non obſtante. 3

Dicendum eſt primo; poſſe ſine periculo irregularitatis commiſſionem illam dari à prælato. ita *Suar. de cenſuris diſp. 47. ſec. 1. num. 5. & ſeq. Auila par. 7. diſp. 5. ſec. 2. dub. 4. Vgolinus tract. de irreg. cap. 5. §. 8. num. 1. & 2. Fillinccius tract. 19. cap. 9. quæſt. 7. Gaſpar Hurtado de irreg. diſp. 2. diff. 11. num. 42. & alij.* 4

Probatur primo ex iure canonico, nam *cap. Epiſcopus ne clerici, vel monachi, in 6.* expreſſè ſtatuitur quod, ſi epiſcopus, ſeu quicumque alius prælatus iuriſdictionem obtinens temporalem iniungat ſuper homicidio, aut alio delicto patrato, ſuis officialibus, vt inquirant, & iuſtitiæ debitum exequantur, non ſit cenſendus irregularis etiamſi procedatur ad pœnam ſanguinis. ita etiam docet Gloſ. ibi in explanatione caſus: Barboſa ibidem, & multi canoniſtæ, quos ipſe citat.

Probatur ſecundo ratione, nam commiſſio iuriſdictionis etiam in caſu particulari directè non reſpicit pœnam ſanguinis, ſed rectam gubernationem, & adminiſtrationem: ergo per talem commiſſionem prælatus non erit cenſendus irregularis, morte malefactoris ſequuta. & ob hanc, & non aliam rationem in cap. illo canonico citato potuit pontifex moueri ad declarandum, ob talem commiſſionem, metum irregularitatis abeſſe. & de hoc ſecundo puncto nulla mihi videtur eſſe dubitatio, tranſeo nunc ad tertium, quod propoſui examinandum. 5

Dicendum eſt ſecundo, etiam poſt plenam probationem de crimine patrato, & poſt relationem factam Prælato à iudice, poſſe prælatum iniungere iudici, vt iuſtitiam exequatur ſine vllo irregularitatis metu. moueor ad hoc dicendum, quia ex vna parte certum eſt quod nulla irregularitas, ſiue ex delicto, ſiue ex defectu, incurritur, niſi in caſibus in iure expreſſis, vt dicitur *in c. Is, qui de ſent. excom. in 6.* & communiter ab omnibus admittitur: ſed talis irregularitas contra Epiſcopos habentes iuriſdictionem temporalem, ſi pro- 6

procedant etiam poſt factam relationem à Iudice, non ſolum non eſt expreſſa in iure, ſed neque afferri poteſt vllus textus, ex quo ſufficienter colligatur, vt mox patebit ex ſolutione eorum, quæ vel afferũtur ab aduerſarijs, vel ab alijs excogitari poſſunt; ergo non incurritur irregularitas.

7 Ex alia vero parte *in cap. Epiſcopus cit.* ſufficienter indicatur conceſſio facta Epiſcopis, & alijs eccleſiaſticis habentibus iuriſdictionem temporalem, vt abſque metu irregularitatis poſſint id totum agere poſt ſupradictam relationem; ergo poſitiuè habemus quomodo ipſum ab irregularitate excuſemus. Antecedens, in quo ſolo poteſt eſſe difficultas probatur, quia ſine dubio ipſis etiam aduerſarijs fatentibus in *cit. cap. Epiſcopus,* conceditur eccleſiaſticis habentibus iuriſdictionem temporalem, vt poſſint abſque vlla irregularitate delegare iuriſdictionem, & ſuis officialibus iniungere, vt inquirentes veritatem, iuſtitiæ debitum exequantur; etiamſi poſtea ijdem officiales procedant vſque ad ſententiam, & pœnam ſanguinis, hoc eſt mortis, & mutilationis, & ipſimet propterea ſint irregulares ex defectu lenitatis: parum autem, aut nihil refert quod talem iuriſdictionem delegēt, & talem iniunctionem faciant ante, vel poſt factam relationem, vnde textus non limitat, neque reſtringit, ſed abſolutè loquitur, ergo loquitur in vtroque caſu.

8 Quod autem parum, aut nihil referat, quod delegatio iuriſdictionis, & ſupradicta iniunctio fiat ante vel poſt relationem, patet etiam ex ipſo textu, nam id, quod ibi prohibetur Epiſcopis, & alijs eccleſiaſticis habentibus temporalem iuriſdictionem, eſt agitare per ſe ipſos cauſas ſanguinis, hoc eſt inquirere delictum, accipere teſtes, formare proceſſum, torturare reũ, ferre ſententiam mortis, illam exequi, & alia huiuſmodi facere, cæterum non prohibetur, imo ipſis expreſſe conceditur tãquam debitum propter iuriſdictionem tēporalem, quam obtinent, vt illa omnia per alios faciant, nempe committendo illis, & delegando iuriſdictionem, & poteſtatem, qua mediante ipſi officiales inquirant veritatem, accipiant teſtes, forment proceſſum, mittant ad torturam, ferant mortis ſententiam, & mortis pœnam infligant. Vnde in textu dicitur quod [*licet clericis cauſſas ſanguinis agitare non licet, eas tamen cum iuriſdictionem obtinent temporalem, debent, & poſſunt, metu irregularitatis ceſſante; alijs delegare*] & hoc redditur pro ratione Superioris dicti, quod occurrente caſu homicidij, aut alterius maleficij iniungant Ballino, aut alij cuicumque, vt ſuper hoc veritatem inquirentes, iuſtitiæ debitum exequantur.

Si igitur iſti Eccleſiaſtici, ſiue ante, ſiue poſt ſupradictam relationem, nihil aliud faciant, niſi id quod fecit noſter Epiſcopus, hoc eſt ſolum delegent iuriſdictionē, & poteſtatem, & committant alijs cauſas ſanguinis, non curat Pontifex, imo expreſſe concedit; cum enim id ibi abſolute, & ſimpliciter concedat, neque diſtinguat quod illa delegatio, & commiſſio fiat ante, vel poſt relationem factam ab officialibus, neque nos diſtinguere, & limitare debemus; vbi enim textus non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus.

Huius autem rei vlterior ratio veluti à priori eſt in promptu, & manifeſta. nam ſicuti eſt res longe diuerſa, & diſtincta, actus primus, quam actus ſecundus v. g. vis calefactiua ignis exiſtens in igne, quæ eſt actus primus, eſt longè diuerſa, & diſtincta à calefactione eiuſdem ignis exiſtente in manu, quę eſt actus ſecundus: ita longè diuerſa, & diſtincta res eſt conferre alicui actum primum, vnde ille poſtea faciat actum ſecundum, quam facere ipſum actum ſecundum. Atqui in caſu noſtro iuriſdictio, & poteſtas ferendi ſentētiam mortis eſt actus primus reſpectu ipſius prolationis ſententiæ, quæ eſt actus ſecundus, ergo longe diuerſa res eſt, conferre talem iuriſdictionem, & poteſtatē, quam ſit ipſum exercitium talis iuriſdictionis. ſicuti aliud eſt quod Epiſcopus cõferat ſacerdoti iuriſdictionem, & poteſtatem abſoluendi à peccatis, & hic, & nũc poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, quam abſolutio ipſa etiam à reſeruatis; vnde conferendo talem iuriſdictionem non dicitur abſoluere pœnitentem. ſed noſter Epiſcopus, & quicumque alius eccleſiaſticus iuriſdictionem habēs temporalē nõ ſolum ante habitam relationem ſupra explicatam, ſed etiam poſt illam, dat ſolũ iuriſdictionem, & poteſtatem ferendi ſētentiam mortis, vt conſtat ex re ipſa, & verbis initio poſitis, ergo etiam poſt illã relationem non ipſe fert ſententiam mortis, ſed alius. Cum autem in textu illo non prohibeatur, ſed concedatur poſſe conferre iuriſdictionem, & poteſtatem ferendi ſententiam mortis, ceſſante metu irregularitatis, excludatur autem agitatio cauſæ ſanguinis per exercitium ipſum propriæ iuriſdictionis, manifeſte, aut ſufficienter deducitur, quod Epiſcopus committendo cauſas ſanguinis etiam poſt illam relationem, non facit contra, ſed iuxta diſpoſitionem illius textus. 9

Sed obijcies primo *in cap. ſed nec, Ne clerici, vel monachi*; prohibetur ne clerici ſuſcipiant iuriſdictiones ſub Principibus, 10

 bus,

bus, & ſæcularibus viris, quod ſi ſecus faciant, deponendi ſunt: ergo Epiſcopus noſter non potuit acceptare officium Gubernatoris, & iuriſdictionem à Rege, & ſic non poteſt gaudere priuilegio, ſeu cõceſſione illa poſita *in cap. Epiſcopus ſup. cit.* vel certe ſubiacere debet pœnæ depoſitionis, quæ indicat irregularitatem.

Reſpondeo primo dato antecedente, negando conſequentiam. dico enim Sereniſſimum Regem Hiſpaniarum habere licentiam à ſummo Pontifice conſtituendi Eccleſiaſticos in regnis ſuis Præſidentes, Vicegerentes, Gubernatores, &c. vt patet tùm ex quotidiana praxi, & conſuetudine, tùm ex teſtimonio grauiſſimorum virorum aſſerentium tale priuilegium Regis noſtri: ac proinde Epiſcopum noſtrum non eſſe tranſgreſſorem illius ordinationis, ſed de licentia Sedis Apoſtolicæ ſuſcepiſſe munus, & iuriſdictionem, quam habet dependenter à Rege, vt nunc ſuppono, & ex cuius ſuppoſitione ſuſtineo ſuprapoſitam ſententiam de delegatione iuriſdictionis in cauſſa ſanguinis.

11 Reſpondeo ſecundo etiam, ſuppoſito quod noſter Epiſcopus ſine vlla licentia Pontificis: & cum tranſgreſſione illius canonis (*Sed nec*) ſuſcepiſſet munus, quod habet Gubernatoris, & iuriſdictionem temporalem (quod falſum quidem eſt) ſed quia iuuat ad pleniorem præſentis caſus explicationem, in hac ſuppoſitione caſũ examinare; reſpõdeo inquã, quod adhuc poteſt gaudere conceſſione ſuprapoſita in *c. Epiſcopus*, quia nimirum talis conceſſio non dependet ab hoc, quod Epiſcopus licitè, vel illicitè habeat iuriſdictionem temporalem, ſed ſimpliciter ab hoc, quod illam vere, & valide obtineat, certum autẽ eſt, quod noſter Epiſcopus valide potuerit ſuſcipere, & de facto valide obtinuerit iuriſdictionẽ temporalẽ, & munus gubernatoris, quãtumuis ſupponatur, quod illicite propter diſpoſitionem eius canonis acceperit, neque enim per talem Canonem redditur incapax talis muneris, & iuriſdictionis.

12 Obijcies ſecundo *in cap. Epiſcopus*, conceſſio illa fit ſolum Epiſcopis, & alijs eccleſiaſticis, qui perpetuo obtinent iuriſdictionem temporalem, ſiue ratione patrimonij, ſiue ratione beneficij: At noſter Epiſcopus ſolum ad tempus, & non perpetuo, nec ratione ſui patrimonij, vel beneficij habet proregiam iuriſdictionẽ temporalem: ergo illi non fit talis conceſſio, ac proinde incurrit in irregularitatem, ſicuti incurrerent reliqui non habẽtes iuriſdictionem temporalem, ſi alijs cõmitterent, & mandarent cauſas ſanguinis.

Reſpondeo negando antecedens, tum quia id aduerſarij non probant, & gratis aſſumunt, tum quia oppoſitum probari poteſt ex eodem principio, quo Doctores communiter, & ipſi aduerſarij oſtendunt iuriſdictionem illam temporalem, de qua loquitur textus, non eſſe reſtrictam ad iuriſdictionem ratione beneficij, ſed ampliari etiam ad eam, quæ eſt ratione patrimonij, dicunt enim, & bene, quod caput illud abſolute, & ſine reſtrictione loquitur de habentibus iuriſdictionem, nec diſtinguit de hoc, vel illo mõ, & dicũt ꝙ eſt beneficiũ Principis, beneficiũ autem Principis eſt late interpretandum, & vbi Canon non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Sic ego etiam dico, quod cum Pontifex Bonifacius in eo textu non reſtringat ſe ad caſum perpetuæ iuriſdictionis ratione beneficij, vel ratione patrimonij, neque nos diſtinguere, & limitare debemus, ſed debemus gratiam, & beneficium illius latè interpretari, etiam quando eccleſiaſtici ad tempus obtinent quãcunque iuriſdictionem temporalem.

Huius autem interpretationis fundamentum habetur in ipſo met textu: primo quia pro ratione eius conceſſionis ibi affertur, quod talis perſona habeat iuriſdictionem temporalem, ſed hæc ratio militat etiam, quando eccleſiaſtici iuriſdictionem habent ſolum ad tempus, & ex alterius voluntate, ergo, &c. ſecundo quia talis ratio profertur his verbis [*Nam licet clericis cauſſas ſanguinis agitare non liceat, eas tamen, cum iuriſdictionem obtinent temporalem, debent, & poſſunt, metu irregularitatis ceſſante, alijs delegare*] hæc autem verba indicant id, quod volumus; particula enim illa (*cum*) quæ ibi ſignificat (*quando*) non denotat perpetuitatem, ſed qualecumque tempus, quo illi habent iuriſdictionẽ ratione ſui patrimonij, alioquin ſi haberent in animo eã non retinendi perpetuo, ſed renuntiandi, non poſſent committere, & delegare cauſſas ſanguinis, quod eſt inconueniens, neque ab ipſis aduerſarijs admittitur. ſimiliter particula illa (*obtinent*) non indicat perpetuitatem, cum verificari poſſit etiã pro paruo aliquo tempore, imò etiam pro vno inſtanti, vt conſideranti patebit.

Rurſus hoc ipſum probari poteſt ex cõmuni praxi eorum, qui ſunt Gubernatores, ſeu vicelegati in ipſo met ſtatu ſummi Pontificis. hi enim ſolum ad tempus, & nõ ratione beneficij, neque patrimonij, ſed ex voluntate, & beneplacito ſummi Pontificis diſponentis, non vt Pontifex eſt, ſed vt princeps, & dominus temporalis, conſtituuntur in tali officio, & tamen vtuntur ſupradicta conceſſione, & delegant cauſſas ſan- 13

ſanguinis non quidem ex vi illius diſpenſationis ab homine, ſed ſolùm à iure citato. & expreſsè hoc teſtatur inter cæteros *Bartholomæus Vgolinus tract. de irregul. c. 5. §. 8. num. 7. & 8.* qui eſt in noſtra ſententia, pro qua affert etiam alios auctores, his verbis: (*Non ſolùm clerici beneficio huius canonis fruuntur, qui iuriſdictionem hanc perpetuam habent, verum etiam qui ad tempus, vt Præſides à Romano Pontifice miſſi in Romandiolam, & Picenum ad iuriſdictionem temporalem exercendam; nam, & ipſi irregularitatẽ euadere poſſunt, hac ratione criminales cauſſas ſpeciatim, & generatim delegando.*) ita dixit *Philip. Franc. in cit. cap. fin.* idem aſſerit *Io. Andr. ab ipſo relatus, & Geminian. ibid. num. 7.*

14 Obijcies tertio. *in cap. In Archiepiſcopatu de raptoribus* Alexander III. requiſitus à noſtro Archiepiſcopo Panormitano illius temporis, an poſſet punire raptores mulierum, & puerorum, committentes præterea, homicidium, ſtante quod Rex Siciliæ huiuſmodi caſus illi, & alijs Epiſcopis commiſerit puniendos, reſpondet his verbis (*Tales in iuriſdictione tua exiſtentes pecuniaria poteris pœna mulctare, & etiam flagellis afficere, ea moderatione adhibita, quod flagella in vindictam ſanguinis minimè tranſire videãtur. ſi verò ita fuerit grauis exceſſus, quod mortem, vel detruncationem membrorum debeant ſuſtinere, vindictam reſerues regia poteſtati.*) ergo Epiſcopus noſter, & omnes epiſcopi Siciliæ, quando non habent peculiarem diſpenſationem, etiamſi habeant à Rege iuriſdictionem puniendi, non poſſunt ſine irregularitate immiſcere ſe in cauſsã ſanguinis, & procedere ad occiſionem, & mortem, nec per intermedias quidem perſonas, & per delegationem iuriſdictionis, & poteſtatis.

Reſpondeo negando conſequentiam, vel diſtinguendo conſequens: non poſſunt ſine irregularitate immiſcere ſe in cauſsã ſanguinis per intermedias perſonas dicẽdo ipſis, vt occidant, & mutilent vt ferãt ſententiam mortis, vel quid ſimile, concedo; non poſſunt ſine irregularitate immiſcere ſe in cauſsã ſanguinis per intermedias perſonas ſolum delegando illis iuriſdictionem, ac poteſtatem, & iniungendo, vt inquirentes veritatem, exequantur debitum iuſtitiæ, ſuppoſito ſcilicet quod habeant ordinariam iuriſdictionem, & poteſtatem delegandi; quomodo res ſe habet in caſu noſtro, & nego conſequentiã. & quidem ſi rectè aduertatur, magna eſt diſparitas inter illum caſum, & noſtrum. nam primo quidem in illo Rex Siciliæ non contulit Archiepiſcopo Panormitano, & alijs epiſcopis Siciliæ iuriſdictionem, ſeu poteſtatem ordinariam circa illa delicta, quam poſſent alijs delegare, ſed ſolum delegatam, vt expreſsè notauit Gloſſa ibidẽ, & patet legenti. ponderans enim illud verbum (*reſerues regia poteſtati*) inquit (*cum ſis delegatus*) delegatus autem in omnium ſententia non poteſt ſubdelegare. Quod ſi tunc Epiſcopi non poterant ſubdelegare alijs iuriſdictionem, ſeu poteſtatem, ſed ſolum per ſe ipſos illam exercere, clarũ eſt ꝙ nõ poterant ſe tali mõ immiſcere in cauſã ſãguinis puniẽdo ſine irregularitate, cũ per c. *Epiſcopus*, nihil tale concedatur. at in noſtro caſu Epiſcopus Cephalœdenſis habuit à Rege iuriſdictionem, & poteſtatem ordinariam, quam poterat alijs delegare, ſicuti delegant alij Proreges, & Præſides, ſeu Locumtenentes; vnde conſtituit Iudices, Capitaneos, & ſimiles officiales, conceſſit litteras patentes Baronibus, & Titulatis ad procedendum in terris ſuis, &c. per *cap.* autem *Epiſcopus, ſup. cit.* conceſſum eſt, quod metu irregularitatis ceſſante poſſit, & debeat alijs delegare.

Vbi obiter aduerte quod neque eo tempore, ſcilicet Alexandri III. extabat diſpoſitio *capitis Epiſcopus*, quam fecit multis poſt annis Bonifacius VIII. ac proindè neque tunc Siciliæ Epiſcopi poterant vllo modo lætari vlla conceſſione, qua fortaſſe vſi fuiſſent, petita prius à Rege, & obtentã iuriſdictione ordinaria, & poteſtate ſubdelegandi, ſi eo tempore ille canon extitiſſet. at hoc tempore illa diſpoſitio extat, & eſt in viridi obſeruantia, eaque gaudere poſſunt quotquot à Rege præficiuntur Regno Siciliæ, & obtinent ordinariam iuriſdictionem temporalem circa delicta.

Secundo in caſu illo temporis Alexandri III. committitur à Rege Siciliæ Epiſcopis ipſamet punitio, & executio pœnæ, vt patet ex verbis textus [*Cum exceſſus huiuſmodi Rex Siciliæ tibi, & alijs commiſerit puniendos.*] & paulò poſt [*Vindictam reſerues regia poteſtati*] punitio 15
enim, & vindicta deſignant actum pœnæ. vnde Pontifex ibidem dicit, quod tales Epiſcopi poterant pecuniaria pœna mulctare, & etiam flagellis afficere, ſed citrà vindictam ſanguinis. at in noſtro caſu cõmittitur noſtro Epiſcopo, & traditur plena poteſtas etiam ad conſtituendos iudices, & delegandam iuriſdictionem, & poteſtatem: atque ita mirum eſſe non debet, ſi id licitè poſſit ſine metu irregularitatis, quod non poterant antiqui Epiſcopi Siciliæ, neque enim ipſe procedit ad vindictã ſanguinis, ſed ſolum confert alijs iuriſdictionem, ſeu poteſtatem, & actum primum, quo ipſi poſtea vtantur, & exeant in actũ

by Google

ſecundum punitionis, & vindictæ.

16 Obijcies quarto. *in cap. Ex litteris de exceſſ. Prælat.* Innocentius III. reputauit irregularem Epiſcopum Albigenſem, atq; epiſcopatu priuauit, eo quod in ſua, & iudicis præſentia fuit quidam latro ſuſpenſus; ergo multo magis eſt irregularis, qui poſt relationem ſuprapoſitam committeret iudici iuriſdictionem, & poteſtatem, ex qua poſtea oriatur ſententia ſanguinis, & mortis exequutio.

Reſpondeo negando conſequentiam; ille enim caſus eſt longè diuerſus à noſtro, quia ille Epiſcopus fuit irregularis ex delicto propter homicidium voluntarium, & iniuſtum, non autem ex defectu lenitatis propter homicidium iuſtum, de quo eſt præſens diſputatio. iniuſtitia autem illius homicidij, præter peccatum ſuperſtitionis commiſſum ab eodem Epiſcopo, conſtat ex ipſo met capite, in quo refertur, quod abſque vlla canonica, & iuridica probatione delicti, ſed potius cum ſuperſtitioſa, & vulgari illa purgatione candentis ferri, per quam tentatur Deus, & non cognoſcitur veritas, Epiſcopus ille tulit ſententiam, & interfuit ſuſpenſioni illius latronis, illam auctorizando, &c. quod totum iniuſtum eſt. vnde pontifex ibidem inquit. [*Nos quia idem Epiſcopus non ſolum in iudicio candentis ferri, verum etiam in furis ſuſpēdio grauiter noſcitur deliquiſſe, cum his non tantum auctoritatem præſtiterit, ſed etiam præſentiam exhibuerit corporalem, ipſum indignum altaris miniſterio reputamus.*] in noſtro autem caſu Epiſcopus neque interuenit corporaliter ſuſpenſioni, neque committit iudicibus, vt per iniuſtam, & ſuperſtitioſam delicti probationem procedant, aut alio modo iniquo, & illicito inquirant veritatem; ſed ſolum delegat illis iuriſdictionē, & poteſtatem, iniungitque, vt recto modo inquirant, & debitum iuſtitiæ exequantur modo ſupra explicato. quod totum non ſolum iuſtè, & licitè fit, ſed etiam cū merito, & laude apud Deum, & homines. his adde quod etiamſi ſupponeretur ille Epiſcopus iuſtè proceſſiſſe, neque incurriſſe in irregularitatem ex delicto, ſed ſolum ex defectu lenitatis, adhuc ille textus non eſſet contra nos, quia ſine dubio talis Epiſcopus deſcendit ad actum ſecundū ferēdi ſententiā, cum dixit iudici, quod ſi fur euaderet malum eſſet, & ſua præſentia voluit, approbauit, & auctorizauit ipſam met furis ſuſpenſionem, & mortem, qui eſt actus ſecundus. ſed noſter Epiſcopus nihil tale agit, neque deſcendit ad vllum actum ſecundum vetitum ſub pœna irregularitatis, vt conſtat ex dictis, & meliùs etiam confirmabitur ex dicendis.

Obijcies quinto. *in regula 72. de reg. iur. in 6.* dicitur quod *qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum.* ſed noſter Epiſcopus committendo cauſam, quando iudices referunt reum eſſe dignū morte, & debere ſuſpendi, dat per illos ſententiam mortis, atque ſuſpendit; ergo perinde eſt, ac ſi daret per ſe ipſum, quod ſine dubio ipſi vetitum eſt per canones, etiam ſub pœna irregularitatis ex defectu lenitatis. 17

Reſpondeo regulam illam fallere in caſu noſtro, vt manifeſtè probari poteſt ex *cap. Epiſcopus*, quod nos ſupra explicuimus, & notauit *Gloſſa ad regulam 68.* [*Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum.*] *de reg. iur. in 6.* afferēs enim caſus, in quibus regula illa fallit, ponit inter alios iſtum his verbis [*Item Prælatus clericus habens iuriſdictionem temporalem audit, & iudicat de cauſſa ſanguinis per alium, non per ſe;*] & citat *cap. Epiſcopus* ſupra relatum, vbi hoc ipſum aduertit: nam explicans verba illa [*Poteſt cauſſas ſanguinis delegare.*] infert hanc conſequentiam [*Ergo poteſt quis per alium, quod non per ſe.*] ad argumētum ergo in forma reſpondeo, negādo maiorem illam vniuerſalem prout comprehēdit caſum noſtrum. probo autem non cōprehendere, quia Bonifacius VIII. *in eo cap. Epiſcopus* per diſpoſitionem ſupra explicatam, virtualiter excepit, vt ipſa Gloſſa notauit, & quidem rectè: regula enim illa habet verum ex quadam iuris interpretatione, vt ſcilicet tunc ſolùm cēſeatur quis facere per ſe ipſum, quod facit per alium, quando ius fauet, aut ita interpretatur, quemadmodum expreſsè dixit *Gloſſa ad illam regulam 72.* & docent communiter iuriſtæ. ſed ius in caſu noſtro non ſolum non fauet, neque ita interpretatur, ſed potius reſiſtit, dum in *cap. Epiſcopus* diſponitur, vt ſupra explicatum eſt, ergo regula illa non habet verum in caſu noſtro, neque illum comprehendit.

Vlterius autem hic aduerti debet, quod ego negaui maiorem, non quod putem minorem illam veram eſſe, imò dico debere ſimpliciter negari, nec poſſe facilè concedi, niſi præcedente aliqua declaratione, & diſtinctione, duplici enim modo intelligi poteſt quod Epiſcopus committendo cauſſam, &c. ferat per iudices ſententiam mortis, atque ſuſpendat: primo quod, quando iudices referunt, dicendo v. g. quod Titius eſt dignus morte, & debeat iuxta allegata, & probata ſuſpendi; conſentiat idem Epiſcopus, & hoc ipſum affirmet, v. g. reſpondendo: Benè dicitis Titium eſſe dignum morte, & ego idem iudico, committo igitur vobis cauſſam, & man- 18

mando vobis, vt feratis talem ſententiam mortis, & ſuſpendatis; etſi hunc ſenſum faciat illa minor, quem prima facie videtur facere propter illud verbum [*dat ſententiam mortis*] quod denotat actum ſecundum, falſa eſt, eiuſque falſitas patet, tum ex ſupradictis, tum ex ipſis verbis formalibus ſupra relatis, in quibus præciſe dicit noſter Epiſcopus, quod M. R. C. inquirat veritatem, & prouideat de iuſtitia, ac propterea minor eſt neganda ſimpliciter. ſecundo modo poteſt intelligi, quod det per illos ſententiam mortis, quatenus tunc delegat iuriſdictionem, & dat poteſtatem iudicibus iudicandi, & exequendi debitum iuſtitiæ, quæ eſt collatio actus primi reſpectu iudicij, & prolationis ſententiæ, quæ eſt actus ſecundus, & ipſum exercitium actus primi, nempe iuriſdictionis, & poteſtatis, quem actum primum ſi iudices non acciperent, non ferrent ſententiam, neque ſuſpenderent, &c. & ſi hunc ſenſum faciat illa minor, poſſet concedi ſine vllo abſurdo iuxta ea, quæ ſupra notauimus. Sed quia hic ſenſus non eſt proprius talis modi loquẽdi, & facile poſſet in ſimilibus circumſtãtijs parere ſcandalum, vel admirationem, præſertim in populo, ideo ſine declaratione, vel diſtinctione concedenda non eſt.

19 Exemplo poteſt hæc res magis explicari, & confirmari. Dedit Deus homini voluntatem, & liberum arbitrium ad peccandum, & non peccandum, & eo ipſo tempore, quo homo peccat conſeruat illi talem poteſtatem, quæ eſt actus primus in ordine ad volitionem peccaminoſam, quæ eſt actus ſecundus. Si quis diceret: Deus dat homini liberum arbitrium, ergo Deus peccat per hominem, ſine dubio malè diceret, quia ſcilicet ad hoc, vt Deus diceretur peccare etiam per hominẽ, & mediante libero hominis arbitrio, requireretur aliquid aliud præter collationem actus primi liberi arbitrij, quod Deo competere non poteſt, quoniam autem illa locutio, Deus peccat per hominem, denotat actum ſecundum, & malitiam peccati, ad quam Deus minime
21 cõcurrit: ideo propoſitio illa eſt ſimpliciter neganda tanquam falſa. Quod ſi per illã locutionem intelligeremus præciſe, quod Deus det, & conſeruet actum primum, & cum poſſit tollere liberum arbitrium, & impedire actum ſecundum peccati, non tamen tollit, ſed permiſſiue ſe habet ad talem actum, &c. vera eſſet propoſitio, & concedi poſſet; ſed eſſet ſenſus minus proprius, & offenderet aures etiam ſapientum, & ideo ſimpliciter illa propoſitio neganda eſt. Sic ergo in caſu noſtro hæc propoſitio (Epiſcopus talis dat ſententiã mortis per iudices) quia denotat actum ſecũdũ ferẽdi ſententiã, & iudicandi, qui proprius eſt iudicum, & non Epiſcopi; hic enim præciſe dat ſolum iuriſdictionem, & poteſtatem, qui eſt actus primus, relinquendo in iudicum libertate quod iudicẽt, & exerceant actum ſecundum, ideo neganda ſimpliciter eſt, & ſolum concedenda cũ declaratione, vt ſupra. Quod autem ſit in libertate iudicum ferre, vel non ferre ſẽtentiam mortis, bene, vel male iudicare, & actus talis, vel talis iudicij boni, vel mali ipſis tribuendus ſit, non autem conferenti iuriſdictionem, res eſt non ſolum in caſu noſtro propter ſupradicta, ſed etiã in alijs manifeſta. vnde communiter Doctores inferunt, quod quando iudices male, & iniuſtè ferrent ſententiam mortis, & male vterentur iuriſdictione accepta à ſuperiore eccleſiaſtico, ipſi ſoli eſſent rei homicidij iniuſti, & irregulares ex delicto, nullo autem modo Superior, niſi malitioſe conſentiret.

Obijcies ſexto *in cap. Epiſcopus cit.* cõ- 20
ceditur tantum, vt prælatus iuriſdictionẽ obtinens temporalem iniungat Balliuo, ſeu Iudici, ſeu alij cuicumque, vt ſuper homicidio, vel alio delicto veritatem inquirens, iuſtitiæ debitum exequatur, Sed facta relatione à Iudice ipſi Prælato, non eſt amplius locus inquiſitioni veritatis, ſupponitur enim iã cognita veritas, quòd delinquens ſit dignus morte, & debeat v. g. ſuſpendi, vnde hoc ipſum refertur Epiſcopo; ergo plus aliquid facit Epiſcopus, quod ibi à Summo Pontifice non cõceditur, atque adeo delinquit, & ſubiacet pœnæ irregularitatis per alios Canones conſtitutę.

Reſponderi primo poteſt, negando maiorem: non ſolum enim ibi à Pontifice conceditur prædicta iniunctio inquiſitionis veritatis, & executionis debiti iuſtitiæ, ſed præterea etiam aliquid aliud, nempe delegatio cauſſæ ſanguinis, hoc eſt mutilationis, & mortis, vt aperte ibi dicitur his verbis (*Nam licet clericis cauſſas ſanguinis agitare non liceat, eas tamen, cum iuriſdictionem obtinent temporalem, debent, & poſſunt, metu irregularitatis ceſſante, alijs delegare,*) & per hoc tanquã per aliquid maius probatur illud minus: in eo autem, quod eſt delegare alijs cauſſas ſanguinis, inuoluitur collatio iuriſdictionis, & poteſtatis ferendi ſententiam mutilationis, & mortis, vt interim ſuppono, & alibi oſtendi. Lege *Suar. ſec. cit. num.* 5. *&* 6. Certe non idem eſt iniungere inquiſitionem veritatis, & executionem iuſtitiæ, ac cauſſas ſanguinis delegare, neque ibi ponitur tanquam idem, ſed vt diuerſum ne dicamus Pontifi-

fi-

Digitized by Google

ficem probare idem per idem, atque ita malè aſſumitur ab aduerſarijs, quod nihil aliud ibi conceditur, quam iniunctio inquiſitionis veritatis, & executionis debiti iuſtitiæ.

21 Sed data, & non conceſſa hac maiore reſpondeo ſecundo negando minorem: vt enim à fide dignis, & peritis in hoc negotio accepi, in illa relatione vult Epiſcopus, vt ſibi non propaletur à iudicibus neque ſententia, neque ſuffragium, ſeu votum ipſorum, & etiam poſt factam relationem Epiſcopo de tortura iam data reo, eiuſque delicti confeſſione, adhuc ſupereſt inquirere veritatem, præſertim in duobus, quorum alterum eſt, an confeſſio facta à reo ſit conformis, & concordet in omnibus, & ſingulis cum depoſitione teſtium: alterum poſito, quod concordet, an fuerit facta ex ſuggeſtione alterius, præſertim Fiſci. Quod ſi tunc ignoratur iudicum ſuffragiũ, & votum, atque adhuc ſupereſt aliquid inquirere, certum eſt quod commiſſio, & delegatio cauſſæ non poteſt importare mandatum de homine interficiendo, & connotare ſententiam mortis tunc datam ab Epiſcopo, vel collationem iuriſdictionis, & poteſtatis ad hunc finem, & effectum determinatum interfectionis, ſed dicit tantum puram delegationem iuriſdictionis, & poteſtatis indifferenter collatæ ad examinandam veritatem, & iuſtitiam agendam: in quo, ipſis etiam aduerſarijs fatentibus, nulla poteſt eſſe ſuſpicio, neque vmbra irregularitatis. vide auctores citatos *num.* 3.

22 Vlterius tamen, ad pleniorem doctrinã, & maiorem cõſcientiæ ſecuritatem, reſpõdere mihi poſſe videor, data non ſolũ maiori, ſed etiam minori, negando conſequentiam illã: ergo plus aliquid facit Epiſcopus, quod ibi à Pontifice non conceditur. dico enim quod etiamſi relatio illa fieret poſt omnem inquiſitionem veritatis, neque ſupereſſet aliquid inquirendum, adhuc tamen ille non faceret aliquid plus, quam conceditur à Pontifice, ſed potius aliquid minus, nam cum ibi duo concedantur ſine metu irregularitatis, quorum vnum eſt iniunctio inquiſitionis veritatis poſt patratum delictum; alterum iniunctio executionis debiti iuſtitiæ, ſi tunc Epiſcopus hoc ſecundum facit, & non primum, minus certè facit, quam ſi vtrumque faceret. omittit autem primum, quia iam factum inuenit. neque apparet, quare ſit neceſſarium, vt vtrumque ſimul faciat, ſi velit nõ incurrere in irregularitatẽ.

23 Dices: inquiſitio veritatis eſt conditio prærequiſita à Pontifice ad hoc, vt poſſit iniungi executio debiti iuſtitiæ, ergo niſi antecedat, aut certè concomitanter ſe habeat ad iniunctionem executionis, non poteſt Epiſcopus ſine irregularitate operari.

Reſpondeo inquiſitio veritatis eſt conditio prærequiſita, & antecedens ad executionem iuſtitiæ, ſententiam mortis, &c. & concedo; eſt conditio prærequiſita, & antecedens ad iniunctionem executionis debiti iuſtitiæ, ſeu ad delegationem cauſſæ ſanguinis, ad collationem iuriſdictionis, & poteſtatis iudicandi, &c. quaſi vero Epiſcopus non poſſit hæc facere, ſi inueniat iam factam inquiſitionem veritatis, & nego antecedens, & conſequentiam. & reddo rationem talis negationis, quia ex vna parte non poſſunt aduerſarij demonſtrare, nec ſufficienter probare, quod conceſſio illius capitis ſolum ſit facta pro ijs, qui ante inquiſitionem veritatis iniungunt executionem debiti iuſtitiæ, delegant cauſſas ſanguinis, conferunt iuriſdictionem, & poteſtatem iudicandi, non autem pro ijs, qui volunt, vt noſter Epiſcopus, aliquid ex illis facere eo tempore, quo eſt iam inquiſita veritas, & inuenta: ego autem ex altera parte ſufficienter oſtendi, quod vtroque tempore poſſunt, & adhuc magis oſtendo, quod poſſunt, & quidem etiam conuenientius poſt factam inquiſitionem veritatis, quàm ante illam: nam ideò inquiſitio veritatis, imò, & ipſa veritas iam inuenta debet præcedere ſententiam, & executionem mortis, quia aliàs iniuſtè procederetur, & excederentur termini iuriſdictionis, nullus enim princeps, ſiue eccleſiaſticus, ſiue ſæcularis habet poteſtatem occidendi cauſſa incognita, & non probato delicto, vnde ſi ſecus faceret, peccaret contra iuſtitiam, & ſubiaceret pœnæ irregularitatis ex delicto. ne igitur ſequatur hoc inconueniens, prærequiritur illa inquiſitio veritatis, tamquam conditio, ſine qua non. ſed hoc inconueniens non ſequitur, ſi poſt inquiſitam, & inuentam veritatem iniungatur executio iuſtitiæ, delegetur cauſſa ſanguinis, conferatur iuriſdictio, & poteſtas iudicandi, &c. neque ſequitur aliud incommodum, ſed potius commodum: ergo, &c.

Et quidem quod nõ ſequatur iniuſtitia, neque excedantur termini iuriſdictionis, ſi poſt inuentam veritatem iniungatur executio iuſtitiæ, patet tum ex vſu omnium ferè Principum, & præſertim Proregum Siciliæ, tum ex communi ſententia etiam aduerſariorum, qui non ſolum id docent de laicis, ſed etiam de eccleſiaſticis habẽtibus iuriſdictionem temporalem, quod validè, & iuſtè poſſunt quocumque tempore delegare iuriſdictionem, & poteſtatem ferendi ſententiam mortis etiam poſt inquiſitam, & inuentam veritatem, & poſt 24

de-

delictum non ſolùm ſufficienter, & plenè, ſed etiam pleniſſimè, & notoriè probatū. ſolùm autem hi dubitant, vel affirmant nō licere propter prohibitionem Pontificis ſub pœna irregularitatis ex defectu lenitatis. ſed hoc vltimum non rectè dicunt, vt ſupra oſtendi, & velint nolint ipſimet oppoſitum aliquo modo dicunt, & ſibi contradicunt: nam cum dicunt, quod noſter Epiſcopus, & cæteri eccleſiaſtici habentes iuriſdictionem temporalem, poſſunt ante inquiſitionem, & relationem ſibi factam veritatis, delagare alijs v.g. iudicibus cauſſas ſanguinis, & conferre iuriſdictionem, & poteſtatem iudicãdi, &c. illi vero alij, videlicet, iudices per hāc ipsā poteſtatē acceptam iudicant, & ferunt ſententiam poſt inuentam, & relatam veritatem, ſimul etiam implicitè videntur dicere quod noſter Illuſtriſſimus, & cæteri eccleſiaſtici delegant cauſſas, & conferunt iuriſdictionem, & poteſtatem iudicandi, etiam poſt inquiſitam, inuentam, & relatam veritatem; cum enim talis iuriſdictio, & poteſtas ſit delegata, pendet ſine dubio à nutu, & voluntate delegantis, & potentis illam tollere tunc, quando delegati ferunt ſententiam mortis: ſi ergo tunc illam non tollunt, vt in rei veritate, & per ipſos aduerſarios non tollunt, cenſentur tūc illam concedere, ſeu continuare præcedentem conceſſionem. Quod autem ſequatur aliquod commodum, ſi noſter Epiſcopus id faciat poſt inuentam, & relatam veritatem, probatur primo, quia ita iudices meliùs ſeruabunt iuſtitiam, & difficiliùs corrumpentur mediante pecunia, aut virorum potentium interceſſione. cum enim ſciant teneri ſe, ante acceptam poteſtatem ferendi ſententiam, referre omnia, & ſingula Epiſcopo, qui pro ſua ſingulari iuriſperitia, & ingenij ſagacitate facilè cognoſcet imperitorum errores, etſi quas deteget fraudes, & dolos, ſtatim ipſos repellet, alioſque ſubſtituet fideliores, ſine dubio diligentius inuigilabunt, ac ſtudioſius inquirent veritatem, vt iuriſdictionem, ac poteſtatem accipiant, nec cū dedecore redarguantur.

25 Secundo probatur, quia ita poterit aliquando reus obtinere gratiam, vel ſubire pœnam mitiorem. nam inter alios fines, quare Proreges in Sicilia ſeruant hūc modum procedendi, vt ſcilicet per iudices fiat ſibi relatio veritatis inquiſitæ, & ſententiæ quam rei merentur, tum vero ipſimet ferant, aut mandent iudicibus, vt ferant talem determinatam ſententiam, vnus eſt, vt videant, vtrum debeant, aut velint relaxare, ſeu minuere pœnam, & commutare (vt non raro commutant) in aliam mitiorem. cum ergo hanc relaxationem, & commutationem non poſſit M. R. C. de ſe, & per ſe ipſam facere, ſi faciant (vt de facto faciunt aliquãdo Proreges) benigniores ſe oſtendunt, & mitiores. Hunc eumdem finem habet etiam Epiſcopus, quando non delegat cauſſas, nec confert iuriſdictionem, & poteſtatem ante, ſed poſt inquiſitam veritatem, & relationem ſupra explicatam; ergo modus ille delegandi cauſſas, & conferendi poteſtatem vertit ſine dubio in commodum, & vtilitatem rei, ac ſimul oſtendit noſtri Epiſcopi clementiam, & lenitatem.

Vnde ſoluitur quod poſſet aliquis obijcere, quod ſi tunc, & non antea deleget cauſſas, & conferat poteſtatem, videatur minus pius, & lenis, ac proinde non ſit mirum, ſi tunc incurrat irregularitatem ex defectu lenitatis. dico enim ex tali modo procedendi apparere potius exceſſum, quam defectum lenitatis: ſi enim ante inquiſitionem, & relationem veritatis delegaret cauſſas, & conferret poteſtatem, qua iudices abſque vlla alia relatione vterentur, non poſſet vnquam accidere, quod reus liberaretur à morte, quam iuxta leges meretur, illam enim euitare ſolum poteſt ex priuilegio, & gratia Principis, cum M. R. C. non habeat poteſtatē niſi ſecundum leges iudicandi. 26

Quod ſi adhuc vrgeas: ergo ſaltem quando noſter Epiſcopus non facit gratiam, aut minuit pœnam mortis, videtur minus lenis, & clemens. Reſpondeo tūc debere iuxta regulas prudentiæ videri magis iuſtum. huic autem actui iuſtitiæ aio nō eſſe annexam irregularitatem, quia ſcilicet Epiſcopus in tali iniunctione non ſe gerit, vt reliqui Proreges, qui audiunt Iudicum ſuffragium, & votum, feruntque per ſe ipſos ſententiam mortis, aut ferendam præcipiunt, aut certe latam approbant, vt patet ex communi illa formula, quæ ſcripto excipitur [*excellentia ſua prouidet, & mandat quòd Titius ſuſpēdatur*;] ſed ſolam delegat cauſſas, & cōfert iuriſdictionem, ſeu poteſtatem iudicandi, & nullo modo neque per ſe, neque per alios deſcendit ad actum ſecundum, vt patet ex diuerſa illa formula initio poſita, & ſupra explicatum eſt. 27

Sed hic vlterius aduerti debet, quod modus iſte procedendi nullo pacto neque directe, neque indirecte inuoluit voluntatem beneplaciti, ſeu approbationis in ordine ad actum ſecundum ſententiæ, & executionis mortis, ſed ad ſummum indicat voluntatem permiſſionis per non appoſitionem impedimenti, & per quamdam non repugnantiam: ad eum fere modum, quo Deus dicitur velle peccata, ſcilicet permiſſiue, quamuis enim Deus det li- 28

liberum arbitrium, illudque conſeruet eo ipſo tempore, quo homo peccat, nec impediat peccatum, quod poſſet, ſed non tenetur impedire; adhuc tamen ipſe non peccat, neque ipſi poteſt attribui peccatum, ſed ſolum poteſt dici, quod illud permittat. Pari ergo modo noſter Epiſcopus, quamuis poſt inquiſitam, & relatam à iudicibus veritatem, deleget illis cauſſas, & conferat poteſtatem ferẽdi ſententiã, ac poſſet, ſi vellet, impedire ſententiam mortis ab ipſis ferẽdã, ſed ratione ſui officij nõ tenetur impedire, imò etiã aliquãdo tenetur non impedire; non ideo tamẽ poteſt dici quod ipſe per ſe, vel per alios ferat ſententiam mortis, ſed ad ſummum, quod permiſſiue ſe habeat ad illam per quandam non repugnantiam, & non appoſitionem impedimenti, quam quidem rationabiliter, & prudenter vult, imò etiã ſæpe tenetur velle, vt publico, & communi bono proſpiciat, vt ſatisfaciat ſuo muneri, & debito iuſtitiæ.

29 His adde quod magis neceſſarium, vel conueniens eſt, quod noſter Epiſcopus, & quicumque eccleſiaſtici habentes iuriſdictionem temporalem poſſint, & debeant illam delegare poſt inquiſitam, & relatam veritatem, quam ante illam. nam cum ipſis non liceat cauſſas ſanguinis agitare, debent (vt ait Pontifex c. cit.) ſine metu irregularitatis illas delegare, ſed poſt inquiſitam, & relatam veritatem, minus ipſis licet cauſſas ſanguinis agitare, antea enim cauſſę ſanguinis erant indeterminatæ ad pœnam mortis, poſtea vero ſunt, ex ſuppoſitione facta iam determinatæ ad talem pœnam mortis, ergo tunc magis debent illas delegare, nam aliàs ſequeretur, quòd quando in atrociſſimis delictis notorie conſtat de delinquente, & notorie illi debetur pœna mortis, tunc nõ poſſent eccleſiaſtici habentes iuriſdictionẽ temporalem delegare cauſſas ſanguinis, & conferre alijs iuriſdictionem, & poteſtatẽ, quod eſt inconueniens; ſic enim minora, & magis occulta crimina punirẽtur, atrociora vero, & magis nota remanerent impunita. ne igitur tale inconueniens ſequeretur, oportuit vt Pontifex, qui per aduerſarios in eo textu prouidit in minoribus, prouideret etiam in maioribus: atque adeo nos certè dicimus, quod in eodem *cap. Epiſcopus*, diſpoſuit, vt eccleſiaſtici habentes iuriſdictionem temporalẽ in quocumque caſu, & quibuſcumque circumſtantijs, in quibus ipſis non liceret agitare cauſſas ſanguinis, eaſdem, ceſſante metu irregularitatis delegarent, dummodo non deſcenderent ad vllum actum ſecundum inquiſitionis, ſententiæ, executionis, &c. ſed conferrent tantum actum primum iuriſdictionis, & poteſtatis modo ſupra explicato.

Obijcies ſeptimo: *in cap. Ad audientiã, & cap. Significaſti tit. de homicid.* dicitur 30 quod exiſtente dubio an aliquis ſit homicida, cenſendus eſt irregularis, & vt talis debet ſe gerere in omnibus, aſſignatur autẽ ibi pro ratione, quod in dubijs tutior pars eſt eligenda. ſed in caſu noſtro eſt dubium an irregularitas ſit annexa cum ſupradicta commiſſione, iniunctione, &c. poſt factam relationem veritatis, &c. ergo tutior pars eſt eligenda, atque adeo omittenda eo tempore illa commiſſio, iniunctio, &c. & ſequenda oppoſita ſententia.

Reſpondeo primo, quando dicitur etiam in materia irregularitatis quod in dubio tutior pars ſit eligenda, ſermo eſt de vero, & puro dubio, & dubio practico, non autem quando ſunt vtrinque probabiles opiniones. in noſtro autem caſu non eſt verum, & purum dubium, neque dubium practicum, ſed noſtra expoſitio, & ſententia eſt, vel certa, vel ad minimum probabilis. licet igitur extent vtrinque opiniones probabiles cum aliquo dubio ſpeculatiuo, poterit noſter Epiſcopus tutiſſime ſequi quam partem velit. lege, ſi placet, *Suarez tom. 5. in 3. p. diſp. 40. ſec. 5. Auilam de cenſ. par. 7. diſp. 2. dub. 5. & Gaſparem Hurtadũ*, qui expreſsè loquens de irregularitate tum ex delicto, tum ex defectu ſic habet (*Eſt difficultas, an quando eſt dubium purum abſque probabili iudicio, an alicui delicto, vel defectui ſit iure expreſsè annexa irregularitas, qui ſic eſt dubius, cenſeri debeat irregularis, & ſe gerere vt talem. addimus autem, quando eſt dubiũ purum abſque vllo iudicio probabili, quia quando probabiliter, ſeu prudenter iudicatur non eſſe annexam irregularitatem, quamuis etiam ſit probabile iudicium pro oppoſita parte, poteſt quis ſe gerere non vt irregularem iuxta communem, & generalem ſententiam in tractatu de conſcientia.*) ſed dato etiam, & non conceſſo quod eſſet in re noſtra purum dubium, adhuc.

Reſpondeo ſecundo, duplex eſſe dubiũ, 31 aliud iuris quando dubitatur an ſit tale ius v.g. prohibens homicidium ſub pœna irregularitatis, aliud ſolius facti, quando poſita certitudine iuris prohibentis v.g. homicidium ſub pœna irregularitatis, dubitatur an verè contigerit tale factum v.g. homicidium. in dubio iuris, nemo cenſeri debet irregularis, & pars tutiſſima eſt, quod talis non reputetur, tum in foro exteriori, tum in foro interiori, vt optimè docet *Couarr. in Clement. furioſus, initio. Nauarr. in c. Si quis, de pœnit. num. 35. & alij* paſſim, quos citant, & ſequuntur

zed by Google

tur Suar. & Auila locis cit. & rectè probãt *ex cap. Is,qui de ſent. excom. in 6.* vbi manifeſtè dicitur nullam irregularitatem incurri, niſi in caſibusq́ in iure expreſſis. At vero in dubio facti poſita certitudine iuris cenſeri debet irregularis, & tutior pars eſt, quod talis reputetur ſaltem in foro exteriori, de quo maximè loquuntur textus citati. debet igitur diſtingui maior; & negata in eo ſenſu, in quo procedit minore, negari debet conſequentia. quia in caſu noſtro ad ſummum eſt dubium iuris, an ſcilicet ſit aliquod ius prohibens ſub pæna irregularitatis, quod delegetur cauſſa, & conferatur iuriſdictio, ſeu poteſtas iudicandi à noſtro Epiſcopo poſt inquiſitã, & inuentam veritatem, & ideo in diſputationem cadit, quid intellexerit Pontifex *in c. Epiſcopus cit.* cum voluit poſſe Epiſcopum iniungere ſuo miniſtro, vt veritatem inquirat, & iuſtitiæ debitum exequatur. vide citatos auctores, & Hurtadum ibidē, vbi ſic loquitur (*certum eſt ob nullum delictum, aut defectum, cui in iure non ſit expreſsè annexa irregularitas, incurri irregularitatem, vt dicitur in cap. Is,qui de ſent. excom. in 6. eſt enim rationi conſonum, vt pœnalitas iure lata pro vno caſu, non extendatur ad alium ob aliquam ſimilitudinem, odia enim ſunt reſtringenda.*)

32 Obijcies octauo. expoſitio ſuprapoſita ad *cap. Epiſcopus*, quamuis non careat probabili ratione, & præſertim illa, quam ſupra explicuimus, caret tamen auctoritate Doctorum, ergo non eſt amplectenda.

Reſpondeo caſum ſuprapoſitum non inueniri in auctoribus expreſsè, & in terminis diſputatum, ſiue quia videntes eſſe certum, & ſufficienter indicatum in *cap. Epiſcopus cit.* putarunt non eſſe neceſſariũ de ipſo agere in particulari, ſicuti neq; de multis alijs ſingularibus tractant, de quibus tamen in dies oritur controuerſia; ſiue quia tradiderunt principia vniuerſalia, & declarationes illius textus, ex quibus rectè deduci poſſit præcedens reſolutio; & quiſq; vel mediocriter doctus de ſe intelligere; & colligere poſſit, quid ipſi ſēſerint. nam Theologi, & Iuriſtæ explicantes illud *cap. Epiſcopus*, quatenus abſolutè, & ſimpliciter docent poſſe Epiſcopum habentem iuriſdictionem temporalem committere, & delegare alijs non ſolum in generali, ſed etiam in ſpeciali, & in indiuiduo cauſſas ſanguinis, & hoc non reſtringunt, nec limitant ad tale, vel tale tempus, ſicuti etiam textus ille abſolutè loquitur, neque limitat, & reſtringit, dãt nobis intelligere, quod ipſi ſunt in hac ſententia, videlicet quod poteſt Epiſcopus iſte conferre iuriſdictionem, & poteſtatem iudicandi non ſolum ante, ſed etiam poſt inquiſitam, & relatam veritatem, vbi enim auctores, & iura non reſtringunt, neque diſtinguunt, neque nos reſtringere, aut diſtinguere debemus, atque adeo rectè illos pro nobis afferimus. non poſſunt autem aduerſarij pro ſua ſententia illos afferre, cum illorum dicta reſtringunt, niſi afferant rationem talis reſtrictionis. hãc autem commodè afferre non poſſunt, vt conſtat ex dictis.

33 Et quod per delegationem cauſſæ ſanguinis, auctores velint comprehendere, & denotare collationem iuriſdictionis, & poteſtatis, patere poteſt legenti *Vgolinum tr. de irreg. c. 5. quæſt. 10. Suar. tom. 5. de cenſ. diſp. 47. ſec. 5. num. 5. & 6. Gloſſam ad cap. In Archiepiſcopatu de raptor. verbo Reſeruet*. hoc ipſum etiam indicant auctores illi, qui docent, quod Epiſcopi habentes iuriſdictionem temporalem, poſſunt ex vi illius capitis, ſi contingat, quod à ſuo delegato appelletur, conſtituere alium iudicem appellationis, eique delegare iuriſdictionem, & cauſſas ſanguinis. nam poſt inquiſitam veritatem, imò etiam poſt traditam ſententiam à delegato, confertur alteri iuriſdictio, & poteſtas iudicãdi. hi ſunt *Gloſſa ad cap. Epiſcopus*, citãs *Bernardum, Innocentium, & alios; Vgolinus* §. 8. *cit. nu.* 4.

34 Quod ſi dicas iudicem appellationis debere inquirere veritatem, antequam ferat ſententiam. reſpondeo quod etiam iudices in noſtro caſu debent adhuc inquirere veritatem, & hoc ipſum ab Epiſcopo iiſdem iniungitur. & dato etiam quod non inquirerent, parum refert in ordine ad iniungētem, ſatis enim eſt quod ipſe velit, & iniungat, quod iterum inquirant, & benè videant veritatem, nec mandet occidere, nec mutilare, & totum negotium committat iudicibus, vt pro ſuo arbitrio procedant ſeruata forma iuſtitiæ. facit ad hoc ſententia *Tolet. in sũma l. 1. c.* 80. his verbis explicata (*Prælati, & perſonæ eccleſiaſticæ iuriſdictionē temporalem habentes poſſunt, & debent curam adminiſtrandi iuſtitiam ſæcularibus demandare, quibus iniungant, vt adminiſtrent iuſtitiam contra malefactores, etiamſi ſciant ex hoc aliquos morte plectendos, & de facto interficiantur, ſintque propterea officiales, & mandatarij irregulares, cap. Epiſcopus ne cler. vel mon. in 6. poſſunt etiam huiuſmodi perſonæ eccleſiaſticæ dicere mandatarijs, & miniſtris ſuis, ne patiamini malefactores viuere ſecundum Archidiac. c. Si quis viduam, diſt. 50. & Gloſſam cap. Clerici. ne cler. vel mon. & ſecundum Syluestrum verbo Homicid.* 1.

gitized by Google

§. 11. *ſuper maleficio tali inquire, & adminiſtra iuſtitiam, dummodo* (nota hæc verba, per quæ Toletus excludit ſolum actum ſecundum, vt nos ſupra fecimus) *non mandet occidere, aut mutilare*.) & hoc idē probat à ſimili de inquiſitoribus propter ſimilem conceſſionem, quam habent à Papa (*hac eadem de cauſſa* (inquit) *inquiſitores tradentes hæreticum Curiæ, etiamſi ſciant comburendum, non ſunt irregulares, vt dicit Hoſtien. cap. Ad audientiam de homic. eſt enim hoc eis per ſedem Apoſtolicam conceſſum*.) Neque vero nobis aduerſatur Suar. ſed ſi attentè legatur, maximè fauet, nam *ſec. 2. cit. nu. 5.* mouens dubium, quare princeps, vel dominus temporalis delegando iuriſdictionē videatur irregularis (*quia* (inquit) *dans iuriſdictionem videtur eſſe cauſſa principalis, cuius alius eſt inſtrumentum, ergo magis influit, & propinquius in ſuo ordine, ergo magis contrahit irregularitatē*,) & ſtatim affert argumentum in contrariū his verbis (*In contrarium eſt, quia ſi hoc ita eſt, neque Epiſcopi poſſent habere iuriſdictionem temporalem, & illam committere quoad huiuſmodi caſus, nec religioſi, & alia perſona eccleſiaſtica, quod eſt contra vſum eccleſiæ*,) & poſtea ſoluit nodum hoc modo (*Reſpondeo ex vi huius commiſſionis, ſeu delegationis, ſi purè, ac debito modo fiat, non incurri irregularitatem*.) ego autem dico quod à noſtro Epiſcopo purè, ac debito modo fit, dum fit modo ſupra explicato; ergo idem dico, quod Suarez, & probo, quia ille addit (*Adiungo autem hanc conditionem, quia neceſſe eſt, vt talis delegatio non fiat determinate ad punitionem faciendam per mortem, vel mutilationem, alioquin iam non tam committeretur iuriſdictio, quam daretur mandatum de homine interficiendo, ſolaque executio committeretur, & ſententia ſupponeretur lata à Iudice committente*.) Et ego ſubſumo: Delegatio iuriſdictionis, & poteſtatis non fit à noſtro Epiſcopo determinate ad punitionem faciendam per mortem, vel mutilationem, ſed potius indeterminate, & ideo mandat iudicibus, vt inquirant veritatē, & de ſe, & per ſe ferant ſententiam, quam velint, & ſolum determinate præcipitur, vt ſeruent leges iuſtitiæ, quod expreſſe conceditur in *cap. cit.* ijs verbis (*iniungat Balliuo, vt debitum iuſtitiæ exequatur, &c.*) neque ab ipſo datur mandatum de interficiendo, ſed de prouidendo ex iuſtitia, vt ſcilicet debito modo vtantur iuriſdictione; & poteſtate tradita iudicandi, neque committitur executio interfectionis, neque ſupponitur lata ſententia ab ipſomet Epiſcopo, quia tunc neque ab ipſo, neque ab alijs fertur ſententia, ſed feretur poſt aliquot dies à ſolis Iudicibus, vt manifeſte declaratur per verba ſupra relata, imò antequam feratur eſt prorſus ignota Epiſcopo, qui pro ſua integritate, & maiori obſeruantia in præcedenti relatione M. R. Curiæ inſtituit, vt nullum ſibi propalaretur iudicum votum: atque adeo tollitur omnis ſuſpicio quod Epiſcopus noſter concurrat ad actum ſecundum ſententiæ, & executionis mortis, ergo exactiſſime adimpletur ſententia, & monitio Suarij. Neque obſtant verba illa ſequentia (*Pura delegatio iuriſdictionis, vel commiſſio officij, quod iure ordinario illam includit, eſt quando indifferenter datur iuriſdictio ad examinãdam cauſſã, & iuſtitiam agendam, ſiue committatur, in generali quoad omnia crimina, ſiue in particulari quoad tale factum*) nam ego dico, quòd ab Epiſcopo noſtro indifferenter datur iuriſdictio, & poteſtas, tum ad inquirendam cauſſam, tum ad iuſtitiam agendam, etiamſi detur poſt aliquam inquiſitionem, & relationem veritatis, vt conſtat ex facto initio propoſito, & reſponſione ſecunda ad ſextum. 35

Sed dices ſaltem nobis eſſe contrarios authores illos, qui docent Epiſcopos quãuis poſſint eligere, & nominare Iudices, non poſſe tamen ſine irregularitate conferre illis authoritatem, ſeu iuriſdictionē, & poteſtatem iudicandi in cauſſa ſanguinis, ſed tantum poſſe per ſolam iudicum electionem, & nominationem exercere nudum miniſterium creandi illos iudices, qui poſtea de ſe iudicent iuxta præſcripta legum, poteſtatem vero, & iuriſdictionē occidendi ipſis conferri à Republica, vel à Principe illo ſeculari, qui primus inſtituit officium illud, nempe iudicis, Prætoris, Balliui, &c. & à quo Epiſcopi acceperunt ius illud eligendi, nominandi, &c. hoc autem explicāt exemplo Cardinaliū, qui habent ius eligendi; & eligunt Pontificem, non conferunt tamen Pontificiam iuriſdictionem, quæ immediatè à Chriſto Domino fertur, cum vero nos dixerimus oppoſitum, videmur ſentire contra hos authores.

Reſpondeo primo hos authores in pũcto principali, quando dicimus poſſe Epiſcopos, etiam poſt factam relationem, & veritatis inquiſitionem, committere Iudicibus, vt iuſtitię debitum exequantur, nobis non eſſe contrarios, ſed diſcrepare tantum in modo explicandi, & aſſignandi rationem huius veritatis, & parum facit præſertim in ordine ad praxim quod

hoc

hoc vel alio modo res explicetur. nam ſicuti nos, qui ſupponimus iuriſdictionem, & poteſtatem iudicandi conferri non à Republica, vel à Principe, ſed ab ipſis Epiſcopis habentibus dominium temporale, dicimus poſſe ab ipſis ſine periculo irregularitatis illam iudicibus communicari, quia collatio iuriſdictionis, & poteſtatis, ſeu actus primus, & potentia iudicandi nõ eſt prohibita, ſed conceſſa *in cap. Epiſcopus citato* ita illi ſupponentes oppoſitum principium recurrunt ad hanc rationem, videlicet ex eo quod Epiſcopis ſit prohibita collatio iuriſdictionis, & poteſtatis, illam minimè conferre, ſed ſolum nominare, & eligere hanc, vel illam perſonam in iudicem, non ſolum antequam caſus occurrat, ſed etiam poſt delictum patratum, ad quam nominationem, & electionem ſequatur communicatio poteſtatis, & iuriſdictionis in cauſſa ſanguinis per Republicam, vel Principem ſuperiorem; & ita in re noſtra liceret per hos authores Epiſcopo, de quo loquimur, poſt factam relationem, & inquiſitionem veritatis eligere, & deſignare hunc potius, quam illũ in tali caſu particulari, quia hoc ipſo quod ita deſignatus, & electus eſt, accipit à Rege noſtro extraordinariam iuriſdictionem iudicandi, & non prout eſt Rex Hiſpaniarum, & aliorum regnorum, quæ communibus legibus imperialibus vtuntur; ſed prout eſt Rex Siciliæ, in qua præter communem, & ordinariam iuriſdictionem, & poteſtatem, quam iuxta leges communes accipiunt Iudices, quando vel ab ipſo, vel ab Epiſcopis tanquam dominis temporalibus nominantur, accipiunt etiam iuxta leges municipales, & ſtatuta particularia huius regni aliquam peculiarem, & extraordinariam poteſtatem, & iuriſdictionem ab eodem Rege, quando nominantur, &c. vel ab ipſo, vel à Proregibus, vel ſaltem ab Epiſcopis habentibus Proregiam dignitatem, & poteſtatem. Hi autem authores parum curant, aut curare debent, ſi fiat talis nominatio, & deſignatio perſonæ iudicis, ſiue ante, ſiue poſt inquiſitionem veritatis, & ſiue pro multis cauſſis, ſiue pro vna tantum cauſſa ſanguinis, dummodo ſemper maneat quod Epiſcopi nõ cõferant iuriſdictionem, & poteſtatem iudicandi, ſed ea conferatur à Republica, vel à Rege, & Principe ſæculari. hunc quidem explicandi modum nos ipſi libenter amplecteremur, ſi principium horum authorum ſolidum eſſet, & certũ, vel ſaltẽ à maiori doctorũ parte receptũ; ſed quia vix eſt probabile, & oppoſitũ eſt verius, et communiter à ſcriptoribus traditum, mirum eſſe non debet, ſi rem alio diuerſo modo explicamus. Verum hæc diuerſitas, quia non tam practica eſt, quam ſpeculatiua obeſſe non poterit præcipuæ deciſioni, & practicæ veritati.

Quod autem Authores, qui ſuſtinent oppoſitum principium modo relatum, non diſcordent in reſolutione, et puncto principali, non ego ſolus, & primus omnium affirmo, ſed alij ante me prudenter adnotant, & præſertim *Solonius, & Bañes* circa illud dictum *S. Thomæ 2. 2. quæſt. 64. ar. 4. ad tertium, ſcilicet quod Prælati Eccleſiarum accipiunt officium Principum terræ, non vt ipſi iudicium ſanguinis exerceant per ſe ipſos, ſed quod eorum authoritate per alios exerceatur,* nam mouẽtes dubium, quod magis indecens eſt authoritatiuè, quam miniſterialiter occidere, hoc eſt conferendo authoritatem, & poteſtatẽ occidendi, quam exercere ipſam occiſionem, quia qui occidit authoritatiuè eſt cauſſa principalior, quam ſit qui miniſterialiter, & dependenter. tamen poſt prædictam ſententiam S. Thomæ quod non ſit eccleſiaſticis prohibitum, ſed conceſſum, vt conferant authoritatem, & poteſtatem iudici delegato, vt iudicet cauſſas ſanguinis, affert Bañes ſtatim ad argumentum ſolutionem aliquorum Theologorum, ſed tacito eorum nomine, qui vt excuſent Epiſcopos, quod non ſint cauſſa præcipua ſententiæ iudicis delegati; recurrunt ad hoc quod ipſi tantum eligant, & nominẽt iudicem, Reſpublica vero, vel Princeps ſæcularis conferat iuriſdictionem, & poteſtatem: Sed poſtea non diſcordant ab iſtis Theologis in concluſione, & deciſione principali, ſed ſolum in ratione, ſeu reſpõſione ad argumentum. & Solonius quidem dicit quod ſolutio argumenti per talem explicandi modum non eſt optima; Bañes vero ait quod horum Theologorum ſentẽtia ſcrupuloſior eſt, quam oportet, & explicant, & confirmant ſuam, & Angelici Doctoris ſententiam de collatione iuriſdictionis, & poteſtatis iudicandi abſque vllo actu ſecundo, & exercitio ferendi ſentẽtiã, occidendi, &c. vt ſtatim referemus.

Reſpondeo ſecundo. quod etiamſi iſti 36
authores diſcordarent in puncto principali à noſtra ſententia, non admodum nobis curandum, nec dolendum eſſet, quia pauci ſũt, & diſcedunt ab aurea doctrina S. Thomæ, et communi Theologorum, & Iuriſtarum opinione, proceduntque ex falſo, aut minus probabili principio, contra quod ſcribunt Canoniſtæ cum Gloſ. *in cap. Clericis, & cap. Sententiam ne cler. vel mon.* ac etiã ſcribũt Theologi ſuperius citati *Suar. Toletus, Vgolinus, & reliqui.* vide *Bañes in 2. 2. quæſt. 64. art. 4.* vbi proponens hanc quæſtionem, vtrum Prælati eccleſiæ, qui habent temporalem iu-

Digitized by Google

riſdictionem, poſſint concedere facultatem iudicibus à ſe deſignatis ad iudicandum in cauſſa ſanguinis, reſpondet hoc modo [*Quamuis prohibitum ſit clericis proferre ſententiam in cauſſa ſanguinis, & multo magis alia exercitia miniſterialia, non tamen prohibetur eis cõcedere authoritatem iudici delegato, vt iudicet huiuſmodi cauſſas.*] & paulo poſt *Epiſcopus, & quicumque clericus habens authoritatem, & poteſtatem ſecularem poteſt ex iuris conceſſione abſque aliqua diſpenſatione, committere vices ſuas alieno iudici, vt in cauſſa ſanguinis ſententiam ferat. ratio autem quare hæc authoritas non dedeceat Epiſcopum eſt, quia per talẽ commiſſionem in vniuerſali nõ amittitur manſuetudo eccleſiæ, ſed ſolum per exercitium in particulari circa occiſſionem malefactoris.* & ſoluens argumentum propoſitum de indecentia ſubdit [*Non eſt indecens occidere malefactores authoritatiuè*] intellige, vt patet ex contextu, *conferendo alteri authoritatem, & poteſtatem iudicandi de occiſione, ſicut eſt indecens occidere miniſterialiter, indecentia autem illa conſiſtit in prolatione ſentẽtiæ, in accuſatione, in teſtificatione contra reum particularem, & in ipſo exercitio occidendi phyſicè; at vero quod hæc fiant authoritate prælati eccleſiaſtici non eſt indecens, quia quamuis ſit cauſſa principalior, eſt tamen vniuerſalior, ſicuti, & ipſe legiſlator, qui tulit leges iuſtas de occidendis malefactoribus non amiſit mãſuetudinem eccleſiaſticam, neque eſt irregularis, etiamſi authoritate legis plurimi malefactores occidantur: denique cum iſta prohibitio ſit eccleſiaſtica, ne clerici occidant malefactores, non amplius extẽdenda eſt, quàm ex ipſo iure, & approbata conſuetudine colligitur.* hæc ille. quibus conſimilia habet Solonius l. c. loquẽs enim in terminis non ſolum de ſupremis dominis, quales ait eſſe nonnullos Prælatos in Armenia, qui nullum in temporalibus cognoſcunt ſupremum Principem, vel Regem; ſed etiam de inferioribus alicui regi, vel Principi, vt in Hiſpania, & Gallia, & expreſsè probans hos omnes cõmunicare immediatè ſuis iudicibus authoritatem, & poteſtatem iudicandi in cauſſa ſanguinis, reſpondet ad argumentum his verbis [*Reſpondeo concurrere quidem illos, ſed non per ſe ipſos, ſed per iudices tribuentes illis authoritatem, qua ratione rectè poſſunt concurrere, cum hoc non ſit eis prohibitum, ſed conceſſum, & neceſſarium, per ſe autem ipſi concurrere non poſſunt, quia eſt illis prohibitum à iure, à quo petenda eſt, & penes quod exiſtit, quid poſſint, & quid non poſſint.*] hæc volui ab his authoribus tranſcribere, quia oſtendendum erat quam conformis ſit noſtra ſententia S. Thomæ, & eiuſdem ſcholæ, & quam ſolida ſit ratio à me ſuperius tradita de diuerſitate collationis actus primi Epiſcopis à iure conceſſi, ab exercitio actus ſecundi eiſdem à iure prohibiti.

Dices videtur eſſe communis ſenſus quod eccleſiaſtici ſi conſtituantur Præſidẽtes, aut Gubernatores in Regno Siciliæ, non poſſint ſine diſpenſatione ſe gerere ſicut alij Proreges ſæculares: vnde illam ſolent à Pontifice petere, & obtinere: ergo noſtra deciſio, aut eſt deficiens, aut ſingularis. 37

Reſpondeo nos nunquam ſupra dixiſſe, quod Epiſcopus noſter ſine diſpenſatione Pontificis poſſit in cauſſa ſanguinis procedere de mandato principis; imò tanquam certum putamus non licere, quia hic modus procedendi importat actum ſecundũ ſententiæ mortis, qui ab ipſo immediatè eliciatur, vt elici ſolet ab alijs Proregibus ſæcularibus: talis autem actus ſecundus eſt omnino vetitus eccleſiaſticis, vt ſupra diximus, & patet *ex cap. Clericis. ne cler. vel mon.* per illa verba [*Prohibemus, ne, aut per ſe truncationes membrorum faciant, aut iudicent inferendas.*] imò vero etiam non admittimus, neque ab vllo admitti debet, quod liceat noſtro Epiſcopo abſque diſpenſatione Pontificis procedere eo modo, quo ſolent cæteri proreges ſæculares, qui, quando à M. R. C. ſit relatio, quod Titius ſit dignus morte, ipſi met, aut ferunt talem determinatam ſententiam, aut eandem mandant iudicibus ferendam, aut iam ab illis latam approbant, & ſcribi permittunt (*excellentia ſua mandat, & prouidet, quod Titius ſuſpendatur, &c.*) quæ eſt formula hactenus in Curia vſurpata. monemur autem ad hoc dicendum, quia ſi Epiſcopus noſter hoc modo procederet, ſine dubio deſcenderet ad illum actum ſecundum, quẽ ſæpe ſupra diximus eſſe in iure citato prohibitum: & ideo pro obſeruatione canonum, & recta huius Regni gubernatione prudenter eſt adhibitus ille modus communicandi, & conferendi iuriſdictionem, & poteſtatem magnæ Regiæ Curiæ, aut alteri perſonæ particulari, quæ per ſe ferat quam ſententiam velit: vnde non amplius vſurpatur antiqua illa ſententiæ formula ſæcularium Proregum, ſed alia diuerſa, & conueniens Gubernatori, & Principi eccleſiaſtico, nimirum cum eccleſiaſtici per ſe ipſos non poſſint exercere poteſtatem iudicandi in cauſſa ſanguinis, ſicuti poſſunt alij ſæculares, expedit vt illam conferant alijs præſentibus, & exiſtẽti-

ti-

Digitized by Google

tibus in eadem vrbe, vbi ipſi degunt. quãquam enim tam ipſe, quam alij Proreges talem poteſtatem communicent abſentibus v. g. Marchionibus, Ducibus, & alijs Baronibus Regni, quia decet abſentes eorum ſubditos non extrahere, & ad ſe vocare; ita quia dedecet eccleſiaſticos exercere per ſe ipſos cauſſas ſanguinis erga præſentes, conuenit præſentibus illam iudicibus delegare, & conferre ſimilem poteſtatem.

38 Concludo igitur, quod mea opinio, & reſolutio non modo non eſt contra omnium ſenſum, & authorum ſcripta; ſed etiã maximè conformis iuri canonico, & omnino communis.

QVÆSTIO SECVNDA.

An Regularis priuatus voce actiua, & paſſiua à Prælato immediato, ſi appellat ad Generalem, durante appellatione, poſſit eligi in Superiorem.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur caſus, & explicatur.*
2 *Duo præmittuntur inquirenda.*
3 *Per appellationem factam ad Generalem ſuſpenditur pœna inflicta à viſitatore.*
4 *Inſtantia proponitur, & diluitur.*
5 *Appellatio ſuſpendens pœnam, omnia reducit in priſtinum.*

1 QVidam Regularis per pœnam arbitrariam fuit priuatus à quodam Viſitatore ſuæ religionis voce actiua, et paſſiua, quoad proximum capitulum ſequens tantum, & dũtaxat: attamen Regularis ille de ſententia iſta appellauit ad Patrem Generalem, & appellatio admiſſa fuit à Viſitatore, & & in hunc finem ſcripturæ tranſmiſſæ fuerunt ad ipſum Generalem, apud quem nũc his pendet. quæritur an pendente lite poſſit dictus regularis eligi in ſuperiorem in proximo capitulo faciendo.

2 Pro huius quæſiti deciſione duo ſunt diſtinctè inquirenda, & determinanda: primo an per illam appellationem non ſolùm deuoluat cauſa ad Generalem, ſed etiam ſuſpendatur executio pœnæ. ſecundo an poſito quod ea ſuſpendatur, ſi Regularis ille priuatus à ſuo Viſitatore, eligatur in ſuperiorem, valeat electio?

3 Ad primum dico per appellationem factam à prædicto regulari ad Generalem ſuſpendi pœnam illam inflictam à Viſitatore priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ. ita *Nauar. lib. 2. conſil. de appellat. conſil.* 8. quamuis non rectè eum citet *Sigiſmundus de Bonomia de elect. par. 2. cap. 5. dub. 94. num. 6. Rodriq. tom. 1. qq. regul. qu. 29. art. 5. Sigiſmundus loco cit.* qui omnes in terminis docent hanc ſententiam: alij verò vniuerſaliter aſſerunt per appellationem ſuſpendi omnem ſententiam, exceptis dumtaxat ſententijs cenſurarum eccleſiaſticarum, nempe excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, de quibus fit exceptio *cap. Si cui, §. fin. de ſententia excommunic. in 6.* adiuncto *cap. Ad hæc quoniam, de appellat.* quando ſcilicet abſolutè, & non conditionatè feruntur, vel ſi ferũtur cõditionatè, cõditione tamẽ purificata tranſeunt in abſolutas. & ita exceptis prædictis cenſuris, vniuerſaliter dicimus per appellationem ſuſpendi ſententiam. ſic *Panor. cap. Sæpè contingit de appell. num. 15. 16. Gomez de delictis tit. de homicidio num. 69. 70. Robertus Lancellotto de atten. appell. pend. par. 2. cap. 12. num.* 89. 91. vbi ait per appellationem extingui iudicatum, conſeruari ſtatum appellantis, & ipſam appellationem ſe habere veluti tiriacam aduerſus venenũ. *Sayrus in claui regia lib. 4. cap. 9. per totum*, & præſertim *num. 9. 10. & alij apud ipſos*; & expreſsè deciditur *cap. Venientes de iur. iuran. §. 1. Gloſ. ibi*, & colligitur *ex l. furti, de his, qui notantur infamia.*

Dices appellatio non videtur habere vim ſuſpenſiuam, ſed ſolum deuolutiuam, quando agitur de illa pœna, quæ vocatur ſuſpenſio, vt ſupra vidimus *ex cap. Si cui citato*; at in præſentia cum ſermo ſit de pœna ſuſpenſionis, vt ponitur in expoſitione facti, idcirco appellatio facta ab illo regulari ſolum operabitur effectum deuolutiuum, & non ſuſpenſiuum. 4

Reſpondeo in textu illo citato locutionem eſſe de ſuſpenſione, quæ eſt ſpecies cenſuræ, non autem de ſuſpenſione quomodocumque accepta, quæ nullo pacto eſt cenſura, vt eſt ſuſpenſio à voce actiua, & paſſiua, imò ibi ſolum fit mentio de ſuſpenſione ab officio, & ab ingreſſu eccleſiæ, quamuis nonnulli Authores ob rationis identitatem extendant illam ad omnes ſuſpenſiones, quæ verſantur circa materiam merè ſpiritualem, *vt Gloſſ. ibidem* notat, & *Sayrus cap. cit. nu.* 8. at ſuſpenſio iſta, de qua agimus, non eſt de materia ſpirituali, ſcilicet de materia, quæ ſpectat ad clericum, vt clericum, ſed de materia communi clericis, & laicis, qualis eſt electio actiua, & paſſiua; & licet electio iſta reſpiciat regulares, quia eſt in ordine ad dignitates eccleſiaſticas, nihilominus talis dignitas per ſe non eſt neceſſario affixa clericatui, ſed ſolum interdũ per accidens iuxta varia religionum inſtituta, non enim repugnat religioſum laicum

cum eligi poſſe in ſuperiorem, vel habere ſuffragium ad eligendum. & hæc de primo quæſito.

5 Ad ſecundum dico ſolutionem facilem eſſe, & colligi manifeſtè poſſe ex dictis, nā ſi appellatio prædicta operatur effectum ſuſpēſiuum, neceſſario inferri debet, quod omnia reducat in priſtinum, & per conſequens regularem illum, niſi aliunde canonicum habeat impedimentum, poſſe, ſicuti prius, habere vocem actiuam, & paſſiuam, & poſſe à capitulo proximo ſequēti eligi in ſuperiorem, durante appellatione apud Generalem, ad quem pertinebit ferre ſententiam, an ille regularis debeat puniri priuatione ſuffragij, & ſi Pater Generalis confirmabit ſententiam latam à Patre Viſitatore, tunc Regularis ille, ſi forſitan inueniretur electus in ſuperiorem, remanebit ſtatim priuatus, quia confirmatio iſta retrotrahitur ad præcedentia.

Et hæc dicta ſunt ſecūdum ius commune, nam ſi ſtatuta, conſtitutiones, & priuilegia Religionis contrarium poſtulant, & limitant ius commune; tunc me remitto ad ea, quæ in illis determinantur. Hæc eſt mea ſententia, quam aliorum prudētum iudicio libenter ſubmitto.

QVÆSTIO TERTIA.

Num Regularis de aliquo crimine accuſatus, ſi infamia non præceſſerit, ſit in Prælatum eligibilis?

SVMMARIVM.

1 *Species facti.*
2 *Per ſe loquendo non expedit talis electio.*
3 *Eſſe inualidam probari poteſt ex iure ciuili, & canonico.*
4 *Ad hoc vt nequeat promoueri debet præcedere infamia apud cordatos viros.*
5 *Secundum aliquos ad contrahendam infamiam iuris, requiritur publica fama de delicto.*
6 *Oppoſitum cum alijs ſentit Author, & probat ex differentia, quæ habetur inter infamiam facti, & infamiam iuris.*
7 *Reſpondetur directè ad quæſitum.*

1 ANtequam ad huius quæſiti deciſionem perueniam, propono caſum. Petrus regularis cuiuſdam inſtituti, ob quoddam crimen fuit in iudicium coram proprio ſuperiore vocatus, nulla tamen præcedente infamia apud alios, quærimus, an poſſit valido eligi in Prælatum alicuius monaſterij.

2 Dico valide, eligi in Prælatum, nam certum eſt per ſe loquendo, id fieri non debere accuſatione pendente.

3 Videtur inualida eſſe electio, vt videtur expreſsè colligi poſſe ex vtroque iure ciuili, & Canonico, nempe *ex l. Reus. ff. de muner. l. Reum criminis Cod. de procurat. & ex cap. omnipotens de accuſ. cap. Tantis diſt.* 81. quod confirmant etiam ibi ſcribentes, & ratio eſt, quia indecens iudicari debet promotio illius, qui de graui crimine notatur; proinde, antequam ad nouam dignitatem promoueatur, oportet prius accuſationem illam elidere, & ſe innocentem oſtendere; quamuis non ſit priuandus dignitate prius acquiſita ante ſententiam declaratoriam criminis, & condemnatoriam, vt notant cōmuniter Authores, tum ſcribentes ſuper iura citata, tum etiā alij, & aduertit *Lauorius de elec. can. tit. 4. cap. 16. num.* 105. *Barboſa de poteſt. Epiſ. par. 2. alleg. 43. num. 19. Cāpanili in diuerſ. iur. can. rub. 11. cap. 18. num. 5. Garçia de benef. par. 7. cap. 8. nu.* 35. *& alij* communiter, non enim rationabile cenſetur priuare aliquem beneficio, & iure, quod poſſidet, antequam ipſe probetur reus, & dignus priuatione illa.

4 Sed dicendum eſt ad hoc vt accuſatus nequeat promoueri ad nouum beneficiū, ſeu dignitatem acquirendam, debere ante accuſationem præcedere infamiam apud graues, & cordatos viros, & hoc pacto intelligenda ſunt iura prædicta ciuilia, & canonica in contrarium adducta. & ita docet *Hoſtienſ. in cap. meminimus. de accuſ. num. 2. Ioan. Andr. ibid. num. 6. Felinus in cap. omnipotens cit. num. 2. Panorm. ibidem num. 4. Romanus ſing. 443. Nauar. de accuſ. conſil. 6. Peyrinus in additam. priuileg. regul. ad conſtit. Clem. VIII. cap. 9. num. 25. Petrus de Baiſio in direct. electionum par. 2. cap. 23. num. 2. Garçia cap. illo 8. num. 7. Barboſa vt ſupra num.* 14. *Lauorius num.* 104. *& alij*, qui communi conſenſu dicunt ita accuſatum alicuius criminis, ſi infamia apud graues viros non præceſſit, poſſe promoueri, aliter daretur occaſio, vt à maleuolis, & prauis hominibus facili negotio impediretur promotio perſonæ dignæ mediantibus falſis accuſationibus ante inquiſitionem, infamiam, & ſufficientem probationem de crimine, quod eſt magnum inconueniens, & fraudibus lata via aperiretur, vt bene aduertit Panormitanus loco citato. hanc autem doctrinam de diffamatione perſonæ communiter requirunt Doctores loquentes de infamia facti, nimirum de ea quæ reſultat, quando quis notatur de aliquo delicto apud graues homines, ratione cuius bona opinio ipſius delinquentis vel totaliter, vel ſaltem notabiliter minuitur, nam infamia iuris oritur, etiamſi ſit oc-

cul-

culta: ea vero eſt, quæ ab ipſo iure imponitur, ſiue canonico, ſiue ciuili ob aliqua crimina, & delicta, ſed ad hanc infamiam generandam requiritur quod crimen ipſe reus in iudicio confeſſus ſit, vel de illo ſit conuictus, vt habetur *per textum cap. Teſtamentum de teſtibus*; & notat *Barboſa alleg. cit. num.* 13. qui *num.* 16. addit debere conſtare de ſententia data.

Controuertitur autem apud Doctores:
5 num ad contrahendam infamiam iuris ſit neceſſarium, publicam famam delicti extare, & delictum eſſe etiam publicatum. affirmat *Couar. lib. 3. var. reſol. cap. 3. n. 2. & Henriquez in ſumma lib.* 14. *cap.* 5. §. 3. ſed alij oppoſitum ſentiunt *Felinus in cap. Teſtimonium cit. num.* 15. *Paulus de Caſtro in l. improbum fœnus, C. ex quibus cauſ. infamia num.* 1. *Garçia cap.* 8. *cit. num.* 19. *Barboſa alleg. dicta nu.* 18. *& alij*.

6 Et hæc ſecunda opinio eſt probabilior, & admittenda, nam inter alias differentias, quæ aſſignari ſolent inter vtramque infamiam, vna eſt, vt infamia iuris poſſit eſſe occulta, ſecùs autem infamia facti.

Ex his omnibus, quæ hactenus dicta
7 ſunt, directè reſpondeo ad quæſitum, Petrum Regularem, non obſtante accuſatione, ſi nulla apud graues viros infamia præceſſit, eſſe eligibilem in Prælatum. moneo tamen id fieri non debere abſque graui neceſſitate, niſi ſatis probabiliter appareat, accuſationem ex calumnia, & fraude procedere ad impediendam promotionem. nam ſi ſuperior, apud quem delata eſt accuſatio, iudicet in accuſatione eſſe aliquid ponderis; tunc deberet non promouere accuſatum, niſi prius cauſſam examinet ad veritatem inueniendam.

QVÆSTIO QVARTA.

Sit ne Apoſtata, aut ſaltem fugitiuus cenſendus regularis, abſque Prælati licentia ad aliam laxiorem tranſiens religionem.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur caſus, qui proponitur in titulo.*
2 *Refertur prima opinio aſſerens talem religioſum non eſſe apoſtatam.*
3 *Probatur ratione fundamentali ex definitione apoſtaſiæ.*
Opinio alia affirmat eſſe apoſtatam.
4 *Primam vt communiorem ſequitur*
5 *Author, & probat.*
6 *Quamuis inualidè profiteatur in alia Religione non dicitur deſerere totaliter ſtatum religioſum.*
7 *Obijcit Suarez: iuxta modum explicandi quem amplectitur author, controuerſiam fieri de nomine.*
8 *Impugnatur.*
9 *Licet ex primæua ſignificatione nominis explicite non habeatur ad apoſtaſiam requiri animum deſerendi ſtatum, implicite tamen habetur.*
10 *Si fingeretur per impoſſibile dari duas fides ambas veras, tranſiens ex vna ad aliam non diceretur totaliter deſerere fidem.*
11 *Reſpondetur ad exemplum adductum à Suarez de circũciſo, ſi ex lege hebræorum tranſiuiſſet ad legem naturalem.*
12 *In iure explicitè non habetur explicatio apoſtaſiæ, neque illa, quam dat Author, neque illa Suarij, ſed declaratur per analogiam apoſtaſia ab Ordine, quæ in iure continetur.*
13 *Exponitur Bulla Pauli III. Societati conceſſa.*
14 *Per dictionem, alios, interdum diſſimilitudo importatur.*
15 *Quo ſenſu in bulla Pij V. dicitur puniendos eſſe tanquam apoſtatas eos, qui è ſocietate abſque debita licentia, tranſeunt ad aliam religionem.*
16 *In bulla Gregorij nihil contra ſententiam Authoris habetur.*
17 *Siſtendo in ſolo iure communi, & in ordine ad pœnas, æqualiter ſe habent fugitiuus, & apoſtata, ſecùs ſpectando iura particularia religionum.*
18 *Quàmuis aliquis deſerens propriam religionem, in alia inualidè emittat profeſſionem, tamen non dicitur apoſtata.*
19 *Et hoc erit verum, etiam ſi tranſiens non ignoret inualiditatem profeſſionis.*
20 *Si Religioſus ſine licentia recedit, & ingreditur aliam religionem, ſecundum aliquos non erit fugitiuus: alij vero diſtingunt, & dicunt, ſi tranſit ad alium locum eiuſdem religionis non eſſe fugitiuum, ſecus ſi ad locum alterius religionis, & hoc vltimum placet authori.*

PRo maiori quæſiti intelligentia caſum ſic declaro, Titius cuiuſdam inſtituti regularis, ægrè ferens ſui ordinis rigidam diſciplinam, ad aliam religionem diuerſi inſtituti, ſed mitiorem ſe recipere intendens, nullà à proprio Prælato licentia obtenta, è proprio monaſterio receſſit. Quæritur num religioſus iſte exiſtimari debeat apoſtata; aut ſaltem fugitiuus, atque adeo pœnis contra huiuſmodi delinquentes puniendus. 1

Prima opinio ſatis communiter recepta eſt, religioſum hunc non eſſe apoſtatã, ſic *Rodriquez in quæſt. regul. tom.* 1. *qu.* 30. *a.* 1. *Ledeſma de ſtatu religioſo in cõmu-* 2

muni cap. 8. concluſ. 4. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 41. num. 102. ver.(Dico cum licentia Prælati) Emanuel Sà in aphor. ver. (Religio) num. 71. Sanchez in decal. lib. 6. cap. 8. num. 8. Graſſius par. 2. lib. 3. deciſ. 29. num. 12. Sayrus in deciſ. lib. 5. tit. 7. deciſ. 1. Nauarrus lib. 5. conſil. tit. de apoſt. num. 5. Coriol. de caſibus reſeruatis par. 2. caſ. 2. num. 9. Syluius in 2. 2. S. Thomæ quæſt. 12. articolo 1. concluſ. 2. Pellizzarius in quæſt. regul. tom. 1. tract. 8. ſect. 3. num. 44. Bordonus in reſolut. moral. 41. quæſ. 5. Bonacina qu. 2. de clauſ. p. 11. §. 1. num. 4. Peyrinus tom. 1. de ſubdito quæſt. 1. cap. 26. in 2. notando, & quamplures alij antiqui, & recenſiores, apud laudatos Authores.

3 Vnicum huius ſententiæ fundamentum eſt, quia ad veram, & realem apoſtaſiam, neceſſario, præter receſſum, requiritur animus nunquam redeundi ad ſtatum illum, à quo quis diſcedit, & in hoc apoſtata diſtinguitur à fugitiuo ſpecialiter dicto, fugitiuus enim, vt vniuerſaliter doctores aſſerunt, ille cenſendus eſt, qui ita recedit à ſua religione, & ab odedientia prælati ſe ſubtrahit, vt tamen animum habeat ad illam redeundi poſt aliquod tempus. ſed Titius non ita recedit à ſtatu religioſo, vt totaliter velit ab illo ſe eximere, cum re vera, vt ſupponimus, intentioné habeat ingrediédi in aliam religionem, igitur non erit cenſendus ſimpliciter apoſtata a Religioſo ſtatu. ſic hi Auctores diſcurrunt.

4 Secunda vero opinio tuetur oppoſitum; videlicet religioſum hunc non obſtante animo illo tráſeundi in aliam religionem, ſine debita Prælati licentia, eſſe verum apoſtatam, ita Suarez *lib. 4. de relig. trac. 3. lib. 3. cap. 12. à num. 17.* & *tom. 5. de cenſur. diſp. 31. ſec. 6. num. 4.* quam ſententiam ſequitur etiam *Lorca in 2. 2. S. Thomæ quæſt. 12. ar. 1. diſp. 51. num. 6. Caſtropalaus par. 3. tract. 16. de ſtatu religioſo diſ. 4. p. 16. nu. 7. Petrus Hurtado de fide tom. 1. diſp. 89. §. 1.* probari ſolet hæc opinio varijs argumentis, & primo, quia licet Titius Religioſus videatur non recedere à ſtatu religioſo, recedit tamen à tali religione animo ad illam nunquam reuertendi; ergo erit apoſtata reſpectu talis religionis: confirmatur primo, quia modo illicito recedens à propria religione, & inualidè aliam ingrediens iuxta opinionem Sanchez eſt fugitiuus vt docet *num. 9.* ergo iuxta eius ſententiam debet eſſe apoſtata. Probatur conſequentia, quia ille receſſus, qui eſt ſufficiens ad conſtituendum fugitiuum, erit etiam ſufficiés ad conſtituendum apoſtatam, ſi fiat cum animo nunquam regrediendi, nam pones hoc, & non pones receſſum, fugitiuus, & apoſtata inter ſe diſtinguũtur. ſecundo probatur. iſte ſic recedẽs punitur vt apoſtata; ergo vt talis erit reputandus. antecedens probat Caſtropalaus ex varijs bullis Pontificum conceſſis noſtræ ſocietati contra recedentes illicitè ab illa, & tranſeuntes ad aliam in quibus determinatur hos tanquam apoſtatas eſſe puniédos. (excepta Carthuſiana) iuxta *Bullam Pauli III. Pij V. et Greg. XIII.* ergo hę bullę ſuponũt hos eſſe tales. quędam alia à Suarez adducta infra commodius diſcutientur.

Ex his duabus ſententijs primam, vt communiorem, & probabiliorem eligo, & ducor ratione illa fundamentali allata pro eadem ſententia, quam clarius explico deducendo argumentum ex etymologia nominis, nam græcè apoſtasia, latinè receſſus; hoc autem nomen per quandam appropriationem Doctores vſurpant ad ſignificandum triplicem receſſum ſecundũ triplicem coniunctionem hominis ad Deũ, videlicet à fide, à religione, ab ordine, vt autem aliquis abſolutè, & ſimpliciter cenſeatur apoſtata oportet, vt ſimpliciter recedat ab aliquo ex prædictis ſtatibus: ideoq; vt ſit apoſtata à fide, neceſſe eſt vt totaliter illam deſerat; inde eſt, vt hęreticus nequaquam ſit apoſtata, nam, & ſi reuera totalem fidem diuinam amittat, quia tamen religionem Chriſtianam profitetur: idcirco propriè non dicitur apoſtata, vt rectè animaduertit *Sanchez lib. 2. in decal. cap. 7. num. 15. citans canum. lib. 12. de locis Theolog. cap. 9. ver. ſed primũ argumentum, & Vgolinum de cenſ. Põtifici reſer. p. 2. cap. 1. § 1. num. 7.* quidquid dicat *Suarez diſp. 16. de fide ſec. 5. num. 5.* & quidam alij aſſerentes, hæreticum etiam in vno articulo eſſe apoſtatam, vel enim largè loquuntur, quatenus hæreticus negando vnum articulum, totaliter à vera fide recedit, etiam ſi profiteatur ſe eſſe Chriſtianum, vel ſtrictè, & propriè de apoſtaſia, & ſunt omnino reijciendi, nam hoc pacto confunderetur hæreticus cum apoſtata, qui communiter diſtingui ſolẽt. maneat igitur per totalem receſſum à fide & Religione Chriſtiana, conſtitui apoſtatam ab ipſa fide, ab Ordine autem quis apoſtata diceretur, ſi abſque cauſſa rationabili ita ſe gereret deſerendo habitum clericalem, qui eſt ſignum clericatus, vt ab hominibus ſecularis reputaretur. Demũ ille exiſtimari debet Apoſtata à religione, qui totaliter recedit à ſtatu religioſo, cum autem ex vna ad aliam religionem tranſit, non dicitur ſimpliciter deſerere ſtatũ religionis, niſi cum addito, & ſecundum quid, népe deſerere talem religionem, quod nõ eſt ſatis ad denominandum eum, qui rece-

cedit, ſimpliciter apoſtatam, affero in-
ſtantiam ex rebus phyſicis, cum enim ho-
mo v. g. ex vno loco ad alium tranſit, non
dicitur abſolutè, & totaliter relinquere vbi;
ſed relinquere tale vbi; tūc enim diceretur
abſolutè relinquere vbi, quando vno de-
perdito, nullum aliud acquireret. Et ſic
in alijs ſimilibus. Cum igitur receſſus ab
vna religione ad aliam non ſit receſſus à
ſtatu religioſo, niſi tantum ſecundum quid;
ideo nequit Titius recedens inuito Prælato
à ſua religione, cenſeri apoſtata à religio-
ne, & ſi quis id concedat, & addat eſſe
apoſtatam à ſua religione, contra ego re-
ſpondeam, ſicuti recedens ab vno fidei ar-
ticulo, vt ſic non appellatur propriè lo-
quēdo apoſtata à fide, ſed ſolum hæreticus;
ita recedens ab vna religione, ſi tranſeat
ad aliā non debet vocari ſimpliciter apo-
ſtata, quod nomen impoſitū fuit ad ſigni-
ficandum totalem receſſum ab aliquo ex
prædictis tribus ſtatibus.

6 Dices cum *Suarez l. c. de relig. num. 16.* & cum alijs: Titius recedens à ſua religio-
ne, in qua profeſſus eſt, abſque facultate
Prælati, nunquam ad illam reuerſurus,
etiam ſi tranſeat ad aliam, cum in hac alia
inualide profiteatur, ſimpliciter deſerit
ſtatum religioſum, atque adeo apoſtata
eſt, nam dici ſolet ex axiomate Iuriſta-
rum *non cenſeri factum id quod effectum
non habet. Barboſa in axiom. 93. num. 18.*
& id confirmat diuerſis legibus.

Reſpondetur cōſequens illatum eſſe
negandum, quia licet Titius ſubtrahat ſe
ab omni obedientia ſtatus religioſi, nihil-
ominus cum non habeat animū deſerendi
totaliter ſtatū religioſū, & cum ſe ſubmit-
tat obedientiæ alterius religionis, quam-
uis inualidè profiteatur, non erit apoſta-
ta, quoniam ad apoſtaſiam propriè dictā
eſſentialiter requiritur animus recedendi
ab omni religioſo inſtituto. Ad axioma
autem iuriſtarum reſpōdeo cum Sanchez,
quod quamuis perinde ſit non efficere, ac
inualidè efficere; hoc tamē intelligi debet
in ordine ad illos effectus, qui non poſtu-
lant determinatam intentionem operan-
tis, & qui ab illa minimè dependent, cum
autem apoſtaſia formaliter conſtituatur
per receſſum totalem à ſtatu, prouenien-
tem ex poſitiua voluntate ipſius totalis
receſſus, inde eſt vt deficiente tali volun-
tate, licet in re, & veluti materialiter ſit
totalis receſſus, nihilominus cum ex volū-
tate illa non procedat, idcirco non habe-
tur formalis apoſtaſia: quemadmodum
hæreticus, qui negat vnum fidei articulū,
quamuis totaliter a fide diuina recedat,
quia tamen negatio illius articuli nō pro-
uenit ex intentione deſerendi totaliter
fidem, proinde non eſt formaliter Apo-
ſtata.

Sed vrgebis ulterius cum *Suarez cap. 12. cit. num.* 17. 18. si quis modo prædicto 7
explicet apoſtaſiam, videtur de voce cō-
tendere, & conſequenter reducere con-
trouerſiam hanc ad quæſtionem de modo
loquendi, deberet autem oſtendere, in vo-
ce iſta talem eſſe ſignificationem, aut ex
primæua ſignificatione, aut ex vſu iuris,
neutrum tamen probari poterit: non pri-
mum, quia apoſtatare in latino rigore ſi-
gnificat tātum deficere ab eo, & impugnare
id quod antea probabatur: & ſic dicitur apo-
ſtata à fide, qui ab illa deficit, eamque
impugnat, quam antea probaret. & licet
tranſire nequeat ad aliam veram fidem,
quia vera fides vna tantum eſt; nihilomi-
nus ſi per impoſſibile fingeremus duas ve-
ras fides; tunc tranſitus ab vna in aliam
eſſet apoſtaſia. & ita de facto, inter hære-
ticos, apoſtata exiſtimatur, qui ab vna
ſecta ad aliam tranſit: & exemplo accō-
modato ipſe Suarez hoc confirmat: nam
ſi tempore antiquæ legis aliquis circumci-
ſus voluiſſet præputium adducere, & tran-
ſire ad ſolam legem naturæ etiam ſub ve-
ra fide, & vnius Dei cultu; fuiſſet tamen
apoſtata, vt indicat *S. Paulus 1. ad Cor.*
7. igitur ex vi primæua vocis nequit illa ſi-
gnificatio inferri. neque ex alio capite,
nempe ex vſu iuris, quia nullibi in iure
extat talis explicatio; imò potius hos om-
nes iniquos deſertores ſuorum inſtitutorū
ius apoſtatas vocat. hoc autem *num.* 19.
ſequente Suarez confirmat ex bullis pon-
tificijs ſuperius relatis. demum id probat
ex eo quod talis ſignificatio non erat ne-
ceſſaria ad effectus iuris, nempe ad ali-
quas pœnas, qualis eſt excommunicatio,
infamia, &c. quoniam omnes effectus,
quos ius operatur in apoſtatas; operatur
etiā in hos deſertores ſuæ religionis prop-
ter aliam non meliorem: ex quo infert
nullius vtilitatis eſſe, negare delictum hoc
eſſe veram apoſtaſiam. ſic diſcurrit Suarez,
qui plura tangit, & ſingula ſunt examinā-
da. Et primo ad id quod aſſerit quæſtio-
nem à nobis reuocari ad modum loquen- 8
di: reſpondeo controuerſiam ita eſſe de
nomine, vt etiam ſit de re, nam ſi iura, &
Pontifices pœnam aliquam, ſiue eccle-
ſiaſticam, ſiue temporalem contra apoſta-
tas imponerent; tunc leges iſtæ cum eſſēt
odioſæ, & reſtringendæ, ſub nomine apo-
ſtatæ, non intelligeretur niſi ille, qui de-
ſereret totaliter ſtatū, & re, & animo,
proinde eſſet eximendus à pœnis prędictis,
qui ſtatum v. g. religionem non ita deſere-
ret: hoc enim nomen, apoſtata, in odio-
ſis ſtrictiſſimè eſſet ſumendum, nempè pro
illo, qui abſolutè, & rigoroſè talis eſt, ſi-
cut in ſimili idem *Suarez tom.* 5. *in* 3. *p.*
diſp. 44. *ſec.* 1. *num.* 3. loquens de irre-

gularitate, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, & illud explicans ait: in iuribus non dici abſolutè, & ſimpliciter homicidium voluntarium, niſi dolus, & animus occidendi intercedat. & ſimiliter ex iuris interpretibus aſſerit, quoties ſimpliciter agitur de pœnis homicidæ, intelligendum eſſe de illo, qui animo prædicto homicidium committit: quia ille tantum appellatur ſimpliciter homicida iuxta ius commune: nam pœnæ reſtringendæ ſunt. quæ autem Suarez dicit de homicida, ego dicam de apoſtata, ille enim tantum ſimpliciter ita appellatur, qui abſolutè, & ſimpliciter, & non ſecundum quid, recedit à ſtatu, quem profitebatur, & in caſu præſēti à ſtatu religioſo, talis enim per antonomaſiam appellatur apoſtata, vt ipſe met Suarez fatetur *ſec. 5. citata de fide nu. 6.* & ideo valet paritas iſta etiam ad hominem: quemadmodum animus occidendi directus requiritur ad conſtituendum homicidam vt ſic; ita, & animus deſerēdi totaliter ſtatū religioſum, requiritur ad conſtituendum apoſtatam vt ſic. modus autē ille ſecundum quem Titius deſerit religionem, cum non procedat ex animo recedēdi totaliter à ſtatu religioſo; idcirco non erit ſufficiens, vt idem dicatur abſolutè, & rigoroſè apoſtata.

9 Secundo ad id, quod dicitur, non poſſe, videlicet ex primæua ſignificatione oſtendi, ad apoſtaſiam requiri animum ſimpliciter, ſeu totaliter recedendi à ſtatu, reſpondeo quod, quamuis explicitè in ſignificatione nominis non habeatur; implicitè tamē continetur, & maximè adiūcto adminiculo iuris, & vſu loquendi apud doctores: nemo enim dicitur recedere ſimpliciter ab aliquo loco, niſi totum ipſum locum deſerat: ſi enim quis manens in oſtio cubiculi recedat extra illud poſitione vnius tantum pedis, non dicitur ſimpliciter recedere è cubiculo, ſed ſolum ſecundum quid. & ſimiliter qui deſerit opinionem aliquam, quam prius tuebatur, non dicitur ab illa ſimpliciter, & omnimodè diſcedere, ſi eam defendere incipiat, & nouam aliquam modificationem, ſeu limitationem adhibeat; ſed ſolum quando eam totaliter deſerit. ſic, & in caſu noſtro. falſum igitur eſt ex primæua vocis ſignificatione id non colligi. ex alio etiam capite id clariùs habetur, nam iura, & doctores apoſtatam appellant eum, qui totaliter deſerit ſtatum, quem profitebatur, hoc nomine intelligentes deſertores illos, qui recedunt à ſtatu aliquo ſacro, vt ab ordine, religione, & fide. addo etiam non videri rectè explicatum vocabulum à Suarez, cum dicat quod apoſtatare ſignificet deficere, & impugnare, quod antea probabatur: potius enim fuiſſet dicēdum ſignificare id, quod eſt recedere, nō enim oportet, vt qui recedit à fide, aut religione, eā impugnet, vt dicatur ab alterutra apoſtatare: & hoc patet ex ipſa met voce græca, nā à quodā verbo græco, quod ſermone latino valet, abſcedo, ſeu deficio, deriuatū eſt nomē abſtractū (apoſtaſia) nēpe abſceſſio, ſeu defectio, vnde ortum eſt hoc nomen (apoſtata) hoc eſt transfuga, & deſertor ſui inſtituti.

Tertio in caſu illo ficto, & impoſſibili de duplici fide vera. ego dicerem, qui recederet ab vna ad aliam, eum non eſſe proprie apoſtatam à fide ſimpliciter, ſed ſecundum quid. & ſi inter hæreticos vocetur apoſtata, qui ab vna ad aliam ſectam trāſit, nihil curamus de ſenſu, & modo loquendi hæreticorum: cum enim ipſi in multis errent, non eſt mirum errare etiā in hoc. & addo ideo ab ipſis apoſtatam appellari tranſeuntem ad aliam ſectam, quia vnuſquiſque eorum iudicat ſectam ſuam eſſe veram religionem, & in ea vigere veram fidem, alias autem eſſe falſas. 10

Ad exemplum vero illud de circumciſo tranſeūte ad legem naturalem, aio nequaquam eum potuiſſe ſimpliciter apoſtatam appellari, ſi retinuiſſet veram fidem in Deum, quæ eſſentialiter eadem erat apud gentiles, agnoſcentes verum Deum, & apud hebræos, & ſolum in cæremonijs erat inter eos diſcrimē: quāuis peccauiſſet in huiuſmodi tranſitu, & valde improprie, & diminute dictus eſſet apoſtata, cū ſolas cęremonias legis deſeruiſſet. locū autem S. Pauli adductum ab ipſo Suarez nempe 1. *ad Cor. cap. 7.* quaſi ibi apoſtatam appellet circumciſum tranſeuntem ad legem naturalem, non inuenio; ſed ſolum reperio ibi ab Apoſtolo exhortari circumciſos, vt nolint adducere præputium: eius autē verba hęc ſunt [*circumciſus aliquis vocatus eſt? non adducat præputium. in præputio aliquis vocatus eſt? non circumcidatur. circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt: ſed obſeruatio mandatorum Dei. vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*] Hæc Paulus, qui ſolum verbis prædictis ſuadet, vt hebræus circumciſus non quærat præputium, neque præputium habentes circumcidātur; ſed vnūſquique permaneat in ſuo ſtatu, & conditione; ex quibus, ni fallor, nihil deduci poterit pro ſententia Suarij. 11

Quarto ad id quod dicit idē author, videlicet in iure non haberi talem explicationem apoſtaſiæ, fateor explicite, & clare non haberi, ſicuti neq; illa Suarij habetur. *Sed in rubr. de apoſt. cap. 1. & 3.* ſolū exponitur apoſtaſia ab ordine, quæ contingit, quan- 12

Digitized by Google

quando quis manens in ſacris totaliter, & pro omni tempore derelinquit habitum clericalem: & idem colligitur *ex cap. 3.* per quandam autem analogiam aliam ſimilem totalem derelictioné requirimus in apoſtaſia à fide, vel à religione. & quamuis in iure aliquando omnes iniqui deſertores, apoſtatę appellentur, ſicut hoc ipſum inuenimus apud Patres; debét id intelligi de apoſtaſia large ſumpta, & non de apoſtaſia ſtricte accepta. nam interdum homo peccās dicitur à Deo apoſtatare, quatenus totaliter recedit ab eius gratia, & amicitia: & talem apoſtaſiam in omni peccato inueniri docet *S. Thomas 2. 2. queſt. 12. ar. 1. in corp. & ad primum.* & in hoc ſenſu aliqui Patres loquuti ſunt, quos refert *Suarez ſectione illa 5. num. 2.* & quamplures canoniſtæ, & etiam Theologi, quos laudat *Sanchez cap. illo 8. num. 5.* apoſtatam appellant religioſum, qui ita cooperit habitum ſuæ religionis, vt exterius apparere nequeat. large enim loquuti ſunt de apoſtaſia, vt ibidem ipſe Sanchez notat.

13 Quinto ad Bullas Pontificum pro ſocietate conceſſas reſpondeo ad ſingulas, & incipio ab ea, quam edidit Paulus III. qui ſine debita licentia egredientes è ſocietate expreſsè apoſtatas appellat. reſpondeo tamen, ſi verba huius bullæ attente legantur, videbimus duo perſonarum genera ibi à Pontifice diſtingui: vnum genus eſt eorum, qui abſque licentia poſt emiſſioné votorum elapſo biennio nouitiatus, egrediuntur è Societate animo aliam ingrediēdi religionem, præter Carthuſiam; alterum vero genus eorum, quos apoſtatas à religione Pontifex vocat, & omnes illos eiſdē ſubijcit pœnis: verba autem bullæ hæc ſunt [*ipſique Generales, & alij inferiores Prapoſiti per ſe, vel alios, illos ſic egreſſos, ac alios quoſcumque dicta ſocietatis apoſtatas*] vide quo pacto Pontifex contradiſtinguat eos, qui egrediuntur animo alium ingrediendi ordinem, ab ijs, qui vt apoſtatæ ſocietaté deſerunt. Animaduerſio autem, quam Caſtropalaus facit ponderans dictionem illam, alios, quæ ſimilitudinem denotat, non obſtat nobis, quia ſi ſimilitudinem importat; neceſſario debet ſupponere diſtinctionem, & non identitatem inter ipſos, qui ſimiles dicuntur, idcirco cum ſecundum genus perſonarum, de quibus ibi loquitur Pontifex, contineat apoſtatas, primum vero genus non apoſtatas; ſed ſimiles apoſtatis includere debet: aliter non debuiſſet Pontifex, apponere alietatem inter vtrumque genus, ſi tum primi, tum ſecundi generis eſſent apoſtatę. Addo etiam ſimilitudinem non oportere eſſe in omnibus conditionibus, ſatis enim erit ſi in aliqua communi ratione inueniatur, vt notat *Barboſa dic. 26. num. 7.* ratio autem communis in prædictis perſonis eſſet receſſus illicitus à religione præſcindendo à termino ad quem, & ab intētione ſub qua fit.

14 Rurſus per dictionem illam, *alios*, interdum diſſimilitudo importatur, vt Lucę 23. vbi cum enarretur Chriſtum Dominū Crucem baiulaſſe, dicitur: *ducebantur, & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur*. particula enim illa, *& alij*, diſſimilitudinem quoad qualitatem perſonarū importat: igitur non debuit Caſtropalaus nimium vrgere dictione illa, contra noſtram ſententiam, cum plura habeat in iure ſignificata. demum ſatis probabiliter dicere poſſumus Pontificem vſum fuiſſe illo vocabulo, large illud ſumendo, inquātum per apoſtatam intelligitur omnis iniquus deſertor ſuæ religionis, & non curauit illud ſumere ſecundum eius rigoroſū ſignificatum, quod etiam, vt vidimus, frequenter ab Authoribus fieri ſolet.

15 Sexto ad Bullam Pij V. in qua ſuperioribus ſocietatis conceditur facultas capiendi, incarcerandi, & puniendi tanquam apoſtatas omnes tranſeuntes è ſocietate ad aliam religionem, Carthuſia excepta, facilis eſt reſponſio, nam ex vi illius dictionis, *tanquam*, nihil determinate colligi ab aduerſarijs poterit, quia dictio illa regulariter importat improprietatem, & fictionem, vt bene adnotat *Barboſa dic. 402.* quod ex iuribus, & plurium iuriſtarum authoritate comprobat, & ideo ſi hoc pacto acciperetur, potius nobis, quam aduerſarijs faueret: nam per eam ſignificaretur, puniendos eſſe eos, de quibus ibi eſt ſermo, eos autem non eſſe verè, & propriè apoſtatas, ſed ſolum fictè, & impropriè. relinquo nihilominus talem ſignificationem impropriam, & aio per dictionem illam *tanquam* ſępè ſimilitudinem importari, & non veritatem ſignificati, licet etiam quandoque ſit expreſſiua veritatis, quod non nego, igitur ex eo quod Pontifex dicat *tranſeuntes ſine licentia, &c. tanquam apoſtatas eſſe puniendos*, nō rectè colligitur ſermonem eſſe de apoſtatis propriè dictis, idem etiam aſſero de alijs ſimilibus dictionibus, vt eſt dictio, *veluti, vt, &c.* vt idem Barboſa probat de his dictionibus agens.

16 Septimo. ad bullam Greg. XIII. reſpondeo nihil in ea haberi, quod ad nos pertineat, cum ſolum dicat, eos, qui tranſgrediuntur ea, quæ circa egreſſum è ſocietate in ea bulla præſcribuntur, in excommunicationem, & alias pœnas apoſtatarum incurrere: non autem Pontifex dicit eſſe apoſtatas; ſed ijſdem pœnis eſſe mulctandos,

17 Octauo. denique ad vltimum, quod Suarez adducit, videlicet ſignificationẽ apoſtaſiæ à nobis receptam non eſſe neceſſariam ad effectus iuris, quia omnibus effectibus, nempe omnibus pœnis, quibus puniuntur apoſtatæ, puniuntur etiam deſertores religionis per fugam; proinde nullius vtilitatis eſſe negare, fugam ad aliam laxiorem religionem abſque licentia, eſſe apoſtaſiam.

Reſpondeo quidquid ſit, verũ ſi in ſolo iure communi ſiſtamus, in ordine ad pœnas æqualiter ſe habeat fuga illicita ſpecificè ſumpta, & apoſtaſia rigoroſè accepta; nihilominus ſi ſpectemus iura particularia in religionibus vigentia, poſſet contingere vt ex vi regulæ, ſeu conſtitutionis, pœna ſit impoſita apoſtaſiæ, & tunc verſantes in odioſis deberemus verba legis, aut ſtatuti pœnalis, reſtringere quoad ſuũ ſignificatum, & ſumere apoſtaſiam rigoroſè, & non amplè acceptam, & conſequenter eximere à talibus pœnis religioſũ illum, qui eſſet ſolum fugitiuus; imo ſecundum *Sanchez l. c. in decal. numer.* 11. excõmunicatio lata à Pio V. in bulla prædicta contra recedẽtes è ſocietate, de qua excommunicatione fit mentio in compendio noſtrorum priuilegiorum *v. apoſtatæ*, §. 1. & 2. non comprehendit puros fugitiuos, qui ita fugiunt ad tempus, vt animum redeundi habeant; ſed apoſtatas tantum, quamuis Suarez oppoſitũ tueatur *cap. cit. num.* 16. ſed quidquid ſit de hoc puncto, ſine vlla dubitatione in aliquo religioſo inſtituto, aut in aliqua conſtitutione pontificia poterit inueniri pœna impoſita contra apoſtatas: & tunc non parum iuuabit ſignificatio apoſtaſiæ à nobis allata, quia tunc cum ageretur de pœnalibus, quæ ſunt odioſa; verba inſtituti, ſeu cõſtitutionis ſtrictè pro veris apoſtatis, & non pro fugitiuis animum redeundi habentibus deberent interpretari. & hæc ſufficiant pro diſcuſſione doctrinæ traditæ à Suarez. duæ tamen rationes adductæ à Caſtropalao ponderandæ ſunt.

18 Obijcies primo. Titius recedens è ſua religione, eo modo quo initio caſum formauimus; neceſſario relinquit illam cum animo deſerendi ſtatum religioſum ſimpliciter, & totaliter; ergo eſt apoſtata. patet hæc cõſequentia ex declaratione apoſtaſiæ à nobis aſſignatæ. antecedens probatur, quia ille ita recedit, vt voluntatẽ habeat non redeundi, & ſcit quod inualidè in qualibet alia religione (excepta Carthuſia, iuxta bullam Pauli Tertij, Pij V. & Gregorij XIII.) profitetur; ergo quantum eſt ex ſe recedit cum animo deſerendi ſimpliciter, & totaliter ſtatum religioſum.

Reſpondeo negando antecedens: ad cuius probationem aio, quod licet Titius inualidè in alia religione profiteatur, & hoc ab ipſo non ignoretur, nihilominus non rectè infertur, eum deſerere ſtatum religioſum, nam tranſiens ad aliam religionem, verè ſe ſubmittit iugo religioſæ obedientiæ ad experienda eiuſdem religionis exercitia, & aſperitates; & quamuis nulliter in illa profiteatur, retinet tamen vota, quæ in priori religione emiſit, & ideo negatur incurrere in apoſtaſiam propriè dictam.

Obijcies ſecundo. ſi Titius non ignoret, vt ſupponimus, nullitatem profeſſionis in alia religione emittendæ, impoſſibile eſt vt habeat animum commutandi ſtatũ prioris religionis cum ſtatu ſecundæ, quoniam in illis circumſtantijs talis commutatio non eſt poſſibilis; ergo ſaltem implicitè facto ipſo animum habet deſerendi totaliter religioſum ſtatum, ex quo deducitur in veram apoſtaſiam incurrere. 19

Reſpondeo in Titio eſſe veram intentionem commutandi vnum ſtatum cum alio, quia, vt diximus, verè ſe ſubmittit obedientiæ alterius Prælati, nihil quantum ad hunc effectum officiente inualiditate profeſſionis.

Et hæc ſatis ſint de prima huius quæſiti parte, nempe de apoſtata. ſupereſt vt aliqua pauca addamus de ſecunda parte, videlicet de fugitiuo, hoc eſt, an recedens abſque licentia prælati animo ingrediendi aliam laxiorem religionem ſit ſaltem fugitiuus. aliqui quos tacito nomine citat *Syluester v. Apoſtaſia quæſt. 4. numer.* 9. negarunt hunc talem eſſe fugitiuum, at ipſe diſtinctione vtens ait, quod ſi religioſus recedat à proprio monaſterio, & ad aliud eiuſdem ordinis tranſeat, non ſit fugitiuus, quia ſub eodem Prælato manet, nempe Prouinciali, aut Generali; ſi vero tranſeat ad monaſterium alterius ordinis, ſit fugitiuus, retrocedit enim ab obediẽtia proprio Prælato debita, inualidè in hoc alio monaſterio profeſſionem emittẽs; & hanc ſententiam cum tali diſtinctione admittit *Sanchez cap. illo* 8. quæ mihi etiã placet. & hæc de præſenti quæſtione ſint ſatis. 20

QVÆSTIO QVINTA.

An Superior Religionis non curans, vt tempore, & loco aſſignato in ſuo monaſterio perlegatur Bulla de celebratione miſſarũ, in pœnas ipſo facto incurrat, in eadem bulla, præſcriptas.

SVMMARIVM.

Superior quidam regularis non curans vt 1

1 *vt ſtatutis diebus in publica menſa legeretur bulla de celebratione miſſarũ; an pœnas bullæ ipſo facto incurrerit.*
2 *Referuntur verba bullæ.*
3 *Deciſio huius quæſiti depẽdet ab illa quæſtione, an reus teneatur ſtatim ſuſcipere pœnam, ante ſententiam ſaltem declaratoriam criminis.*
4 *Prima opinio, aſſerit ipſo iure incurri pœnam abſque alia ſententia.*
5 *Alia opinio negat.*
6 *Tertia opinio diſtinguit pœnas requirentes executionem, & non requirentes illam.*
7 *Aſſignatur quarta opinio diuerſum aliquod aſſignans.*
8 *Author ſecundam opinionem admittit.*
9 *Confirmatur concluſio.*
10 *Inſtantia contraria refertur, & ſoluitur.*
11 *Superior non curans, vt legatur bulla prædicta non tenetur dimittere officiũ, neque eſt illo priuatus ante ſententiam declaratoriam.*
12 *Nec eſt talis ſuperior repellendus à capitularibus, niſi prius præcedat ſententia declaratoria.*

1 QVidam ſuperior regularis per multos annos non curauit, vt ſtatutis diebus in ſuo monaſterio, & in publica menſa perlegeretur bulla edita ab Vrbano VIII. de celebratione miſſarũ, proinde quæritur, an incurrerit in pœnas appoſitas in dicta bulla, videlicet in priuationem officij, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, ita vt ex publicis capitulis, ſeu congregationibus à religioſis capitularibus abſque alia ſententia iure poſſit excludi.

Antequam ad deciſionem caſus deueniamus, proponenda ſunt verba bullæ, ſunt autem hæc in §. 15.

2 *Porro ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, ſeu deſuetudinem abeant, ſuperiores locales cuiuſque monaſterij, conuentus, ac domus regularis curare, atque efficere teneantur ſub pœna priuationis officij, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vt in perpetuum ſexto quoque menſe, ideſt feria ſexta poſt primam dominicam aduentus, & feria ſexta poſt octauam corporis Chriſti præſentes ordinationes in publica menſa perlegãtur.* hæc ex bulla.

3 Huius quæſiti deciſio dependet ab illa controuerſia paſſim exagitata apud doctores, videlicet, de obligatione, quæ oritur in reo circa executionem pœnæ impoſitæ per aliquam legem, cuius rei determinationem reddit difficilẽ varietas opinionum, & pœnarum diuerſitas. circa hoc punctum plures refert, & ponderat ſententias *Suarez de leg. lib. 5. cap. 5. Vaſq. in p. 2. diſ. 168. & alij.* id vero, quod quærimus, eſt, an prærequiratur ſententia iudicis, ſaltem declaratoria criminis; an vero ante omnem ſententiam reus incurrat pœnas à lege impoſitas. ex deciſione autem huius rei colligitur determinatio, & reſponſio ad quæſitum propoſitum:

Prima opinio vniuerſaliter aſſerit reum incurrere in pœnas abſque alia ſententia, ſi in lege imponente pœnas apponantur verba illa, aut æquiualẽtia; (ipſo iure, &c.) & ita tenet *Alphonſus de Caſtro lib. 2. de lege pœnali à cap. 8. Felinus in cap. Rodulphus: de reſcriptis num. 38. Tiraquel. in l. Si vnquam. v. Reuertatur pluribus in locis, & præſertim num. 275. 317. & alij apud Sanchez lib. 2. ſumma cap. 22. n. 7.* 4

Secunda opinio extremè oppoſita docet quòd præciſis cenſuris eccleſiaſticis, & irregularitate, ex eo quod in lege apponantur verba illa (ipſo facto, ipſo iure, &c.) non ſequitur, non requiri ſententiam ſaltem declaratoriam criminis commiſſi, ad hoc vt reus incurrat pœnas, dixi ex eo quod apponantur verba illa, nam ſi aliũdè conſtet de mente legiſlatoris volentis, vt reus abſque expectatione ſententiæ incurrat, ſtatim incurret. & ita tenet *Sotus de iuſt. lib. 1. quæſt. 6. art. 6. concl. 1. Sanchez l. c. num. 20. cap. 39. num. vlt. lib. 6. cap. 15. num. 65. cap. 17. num. 38. 39. Molina tom. 1. de iuſtitia d. 95. num. 14. d. 96. num. 8. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 29. num. 63. cap. 35. num. 147. Caſtropalaus de lege pœnali tract. 3. diſp. 2. punc. 2. à num. 6.* 5

Tertia opinio diſtinguit pœnas in eas, quæ non requirunt executionem, ſeu actionem, & in eas, quæ actionem requirũt. & de primis ait eſſe neceſſariam ſententiã declaratoriam delicti commiſſi, ad hoc vt reus ſubeat pœnam, & ideo loquendo de pœna priuationis beneficij, aut officij obtenti, affirmat delinquentem non eſſe ſtatim priuatum tali beneficio, ſeu officio, vſque dum accedat ſentẽtia: ſecùs de alijs, quæ conſiſtunt in ſola priuatione, vt eſt inhabilitas ad obtinendum aliud beneficium, priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ: & hanc opinionem docent quamplures, inter quos *Couarr. 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 8. num. 10. adiuncto §. 5. num. 8. Suarez lib. 5. de legibus cap. 8. num. 3. & ſeq. & cap. 9. Layman. in theologia morali lib. 1. trac. 4. cap. 15. Salas de legib. cap. 15. ſec. 2. Vaſq. p. 2. d. 170. cap. 3. Merolla de legib. diſp. 4. cap. 5. dub. 4. num. 25. & dub. 5. num. 101. & multi apud ipſos.* 6

Videtur etiam aſſignari poſſe quarta opinio, aliquod diuerſum aſſignas quam refert, & ad quam inclinat *Malderus in p. 2. S. Tho. quæſt. 96. art. 4. dub. 5. nũb.* 7

4.

Digitized by Google

4. videlicet non teneri reum vltro relinquere poſſeſſionem beneficij, antequam ſaltem iuridicè declaretur commiſiſſe tale crimen, cui eſt annexa pœna: & hoc vt probabilius amplectitur in ſexta concluſione, idemque aſſerit de ſuffragio actiuo ſecundum probabilem ſententiam in cõcluſione tertia, & ait priuari ſuffragio paſſiuo ipſum reum per ſolam legem pœnalẽ ante omnem ſententiam iudicis. hæ ſunt principaliores ſententiæ.

8 Dicendum tamẽ eſt reum neque beneficio, ſeu officio, neque voce actiua, & paſſiua priuari ante ſententiam declaratoriam iudicis de crimine commiſſo, ac proinde conuenio cum authoribus ſecundæ ſententiæ, quamuis tertia opinio ſit valdè probabilis, & magis communis. probo hanc concluſionem ita vniuerſaliter poſitam, ex principijs iuris in hunc modum. ſi nulla eſſet neceſſitas expectandi ſententiam, ad actualem incurſionem harum pœnarum, maximè quia verba illa in lege poſita, ſcilicet (ipſo facto, ipſo iure, &c.) ſtatim ſe ipſis trahunt executionẽ: at hoc eſt falſum: ergo reus neque beneficio, ſeu officio, neque voce actiua, aut paſſiua priuatur ante ſententiam declaratoriam criminis commiſſi, etiamſi in lege imponente pœnam, dicatur incurri (ipſo facto, ipſo iure, &c.) maior certa eſſe debet, quia præcipuum fundamentum aduerſariorum eſt illud, quod à nobis ponitur in ipſa maiore. minor vero ſuadetur, quia cum lex pœnalis ſit valde odioſa eſt reſtringenda ſecundum regulas iuris *in 6. Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari*: cum igitur verba illa (ipſo facto, ipſo iure) poſſint habere alios effectus, & ſecundum illos verificari; non ſunt extendenda ad omnem effectum, quem habere queunt; aliter non reſtringerentur, quod eſſet contra regulam iuris. quod autem plures alios habere poſſint effectus, eſt manifeſtum, eoſque enumerat *Sanchez lib. 2. ſumma cap. 22. à num. 26. Caſtropalaus l. c. Merolla diſ. 4. cap. 5. à num. 69. Vaſq. diſp. cit. cap. 4. & Antonius Gomez tom. 3. opuſ. cap. vlt.* effectum autem, quem cauſant, & facit ad rem noſtram, eſt iſte, nempe quòd poſita ſententia declarante, reum patraſſe tale crimen, ſine ſententia condemnatoria, ſit priuatus officio, & beneficio, &c. & quoad dominium, & quoad poſſeſſionem: rurſus ſi reus debet reſtituere bona in pœnam delicti, ſententia illa declaratoria retrotrahitur, ita vt reus teneatur reſtituere bona, & fructus perceptos à die cõmiſſi criminis, ad quod non teneretur, ſi lex eſſet de pœna imponenda. vide authores citatos multa de hac re decidentes.

Et confirmari poteſt noſtra concluſio ex quadam congruitate valdè accommodata humanæ imbecillitati, nam æquitas non patitur, vt aliquis ſit condemnatus ad dimittendum officium, & repellatur à ſuffragio ferendo, vel ab eodem recipiendo, antequam audiatur, nam poſſunt tales occurrere circumſtantiæ, & conditiones, vt crimen valdè extenuetur, ita vt reus, vel liberetur, vel non cum tanto rigore puniatur. 9

Dices: committens delictum, cui eſt annexa pœna excommunicationis, aut ſuſpenſionis, &c. ſi lex dicat: reum patrãtem tale, vel tale delictum, ipſo facto, ſeu ipſo iure incurrere in excommunicationem, incurret, &c. & hoc non ob aliã rationem, niſi quia pœnæ, quæ non requirunt actionem, & conſiſtunt in pura priuatione, ſi lex illas imponens dicit (ipſo facto) ſtatim afficiunt reum, illũque obligant ſine alia ſententia. 10

Reſpondeo concedo, quòd excommunicatio, & interdictum, quæ ſunt cenſuræ eccleſiaſticæ, ſtatim afficiunt delinquentem; ſi lex illas imponens vtatur his verbis (ipſo facto) vel æquiualentibus; nego tamen cauſam adæquatam huius incurſionis ante omnem ſententiam eſſe illam, quę aſſignatur, ſcilicet has eſſe pœnas purè priuatiuas, vt benè notauit *Sanchez lib. 6. de matr. diſ. 30. num. 2.* & aio cauſam huius rei eſſe mentem ipſius legiſlatoris, qui vult, vt reus ſtatim in has pœnas incurrat ante ſententiam iudicis. mentem autem legiſlatoris declarauit communis vſus, nam doctores ita intelligunt has leges imponentes cenſuras, & hoc fuit valdè conſentaneum rationi, nam cum hæ pœnę ſint medicinales, & ſpirituales, ſtatim ligant animas fideliũ: cũ enim ſint medicinales, infliguntur ab eccleſia, vt homo reſipiſcat, & recedat à contumacia; at pœnæ, de quibus eſt noſter ſermo, non ſunt medicinales, ſed purè pœnales, proindè non debent ſtatim ligare ſicuti illæ, & non omnes ſunt ita receptę vt ſtatim ante omnem ſententiam afficiant reum, & ideo ſi ex ipſa met lege, vel ex vſu declarante intentionem legiſlatoris, non conſtet talem fuiſſe mentem legiſlatoris, vt delinquentes ſtatim abſque ſententia declaratoria has pœnas incurrant, debemus de ſimilibus pœnis iudicare ſecundum principia iuris, videlicet, vt ſumantur limitatè quantum fieri poterit iuxta *regulam 15. iuris*, in qua præſcribitur, odia eſſe reſtringenda.

His omnibus vniuerſaliter præmiſſis, deueniendo ad deciſionem caſus propoſiti, aio quod prædictus ſuperior non tenetur dimittere officium, neque eſt illo priuatus ante ſententiam declaratoriam criminis, & 11

Digitized by Google

& hoc eſt longe probabilius, quam oppoſitum, & fere communiter recipitur ab authoribus. quod vero ſpectat ad priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ, quamuis plures ſint doctores, qui ſuſtineant in talē pœnam ſtatim incurri; nihilominus contraria ſententia, quam ſecuti ſumus, habet ſuam probabilitatem, & ſuos patronos,
12 vt vidimus; idcirco ſuperior ille poſſidens ſuum ius non eſt repellendus à capitularibus, niſi prius præcedat ſententia declaratoria criminis, quæ quidem ſententia, ſeu declaratio eſt ferenda ab eo, cui legitimè ſubditur ſuperior iſte localis, e. c. à Prouinciali, Generali, &c. & ſi capitulum iuxta inſtitutum religionis habebit ſuperioritatem, poterit declarare crimen cōmiſſum, & poſtea declarato crimine repellere ſuperiorem illum localem à capitulo. & hæc dicta ſint probabiliter; ea tamen ſubmitto prudentum iudicio.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum ſi puella, in monaſterium, profeſſionis, vel educationis gratia ingreſſa, ibidem commoretur vltra legitimum tempus, cenſuram contrahat?

SVMMARIVM.

1 *Exponitur caſus de quadam nobili puella monaſterium, gratia profeſſionis, vel educationis, ingrediente.*

2 *Proponuntur varia pontificum bullæ de hac re agentes.*

3 *Adducuntur authores de eadem re loquentes.*

4 *Contra cogentes mulieres ad ingreſſum impoſita eſt excommunicatio.*

5 *Coactio ad ingreſſum monaſterij, & coactio ad ſumēdum habitum monialium non numerantur à quibuſdam, vt membra contradiſtincta in ordine ad cenſuram impoſitam à Concilio.*

6 *Oppoſitum alij tuentur.*

7 *Cogens ad ingreſſum exceptis quibuſdam caſibus peccat grauiter.*

8 *Probabile eſt cogentes ad purum ingreſſum non affici excommunicatione.*

9 *Cogens ad ingreſſum cum intentione vt mulier habitum ſuſcipiat, &c. ſtatim poſito ingreſſu incurrit excommunicationem.*

10 *Ingreſſus, prout ſtat ſub illa intentione, eſt ſufficiens, vt eo poſito, cogens incurrat cenſuram.*

11 *Probabile etiam eſt, cogentes ad purum ingreſſum incurrere in excommunicationem.*

12 *Soluitur fundamentum contrariæ ſententiæ, ſiſtendo in hac ſecunda ſententia.*

13 *Conſulentes, & auxilium præſtantes ad talem ingreſſum eadem cenſura afficiūtur.*

14 *Coactio eſt duplex directa, & indirecta.*

15 *Conſulentes, &c. non ſtatim dato conſilio incurrunt, ſed poſito ingreſſu.*

16 *Proponitur an eadem ſit ratio de commoratione intra monaſterium, ac de coactione ad ingreſſum.*

17 *Pars negatiua eſt aliquorum.*

18 *Partem affirmatiuam oppoſitam tuentur alij.*

19 *Vtraque opinio eſt probabilis, & deciſio dependet ex determinatione, an decretū Concilij de hac re ſit odioſum, an vero fauorabile, & referuntur varia ſententia.*

20 *Idem dicendum de conſulentibus, adiuuātibus, &c.*

21 *Expenditur caſus iuxta motum proprium Pij V. & aliorum pontificum quoad incurſum cenſurarum, quando ingreſſus fit prætextu facultatum.*

22 *Partem negantem ſuſtinent aliqui.*

23 *Alij vero affirmantem, ſiſtendo in motu proprio Pij V.*

24 *Alij id ipſum ſentiant de bullis aliorum pontificum contra ingredientes, abſque prætextu facultatum.*

25 *Et hac ſententia magis placet authori.*

26 *Commoratio puellæ in monaſterio non iuſtificatur ex eo quod eius cognati nolint eam in propriam domum admittere.*

27 *Neque cohoneſtatur, ſpe futuræ licentiæ à ſummo Pontifice habendæ.*

28 *Nullum dedecus in familiam ex egreſſu puellæ reſultat.*

29 *Si puella ſæuitiam cognatorum prudenter timeret, poſſet commoratio, & licentia habita ab Ordinario cohoneſtari ex præſumpta voluntate pontificis.*

PVella quædam ex nobili, & illuſtri familia, decimum circiter ſuæ ætatis annum agens, patre mortuo, ſuperſtites habens matrem, fratrem natu maiorem, ſororem, aliosque cognatos, præteritis annis ingreſſa eſt quoddam monialium monaſterium, qua intentione, & quo iure ignoro, quia varijs modis caſus à diuerſis refertur: ſed ſupponendo eam legitimè ingreſſam fuiſſe, in præſenti tamen, profitendæ vitæ monaſticæ voluntatem non habet, vt ſæpè eam declarauit, & toto tempore, quo in dicto monaſterio commorata eſt, quod fuit trium ferè annorum; nec tanquam nouitiam ſe geſſit, nec religioſum habitum induit: vnde ex vna parte moniales renuunt iam ampliùs eam retinere: ex alia vero parte eius mater, 1

Digitized by Google

ter, & frater, & quidam ex cognatis inſtanter petierunt à Reuerendiſſimo Domino Vicario, tunc ſede vacante, huius diœceſis Panormitanæ, vt dignaretur cõcedere, vt per duos alios menſes poſſet in dicto monaſterio commorari. quæſitum autem à me fuit, an his ſtantibus, poſſet Vicarius tuta conſcientia id facere. vt igitur diſtinctiùs procedam, primo tradam doctrinam, abſtrahendo ab hoc caſu in indiuiduo; deindè vero deſcendam ad illum.

§. PRIMVS.

Proponuntur iura Bullarum Pontificum diuerſorum, & Authores de hac re loquentes.

2 INgreſſum in clauſuram, ſeu monaſterium monialium ab antiquo tempore fuiſſe interdictum, eſt omnino manifeſtũ: id enim ſtatuerunt diuerſa concilia, quæ reperiuntur in tomis conciliorum, & referuntur *à Suarez tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 10. num. 1. & à Tamburino de iure abbatiſſarum, & monialium diſp. 1. quæſito 1. diſp. 8. quæſito 3. & diſp. 22. quæſito 1.* in quibus concilijs, cum quibuſdam tamen limitationibus ex parte perſonarum, & actionum, facta eſt prohibitio abſque vllà cenſura: Bonifacius Octauus fuit primus, qui hanc clauſuram reſtringens, illam integrè præcepit, vt notat *Suarez cap. cit. num.* 2. & addidit cenſuram, & ita habetur *cap. Periculoſo de ſtatu regul. in 6.* poſtea vero *Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de regul. cap. 5.* confirmauit decretum Bonifacij, vniuerſalem adhibens prohibitionem ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ: excepit tamen caſus quoſdam neceſſarios cum licentia Epiſcopi, vel ſuperioris in ſcriptis obtenta. cenſura autem iſta, ſicuti, & illa Bonifacij nemini eſt reſeruata. in progreſſu vero tẽporis, Pontifices nonnullas ediderunt bullas prohibentes hunc ingreſſum, & reuocantes omnes licentias, facultates, &c. & inter alias celebris eſt illa *Pij Quinti anno* 1566. quæ incipit [*Regularium perſonarum*] alia poſtea fuit edita *à Gregorio XIII.* incipiens [*Vbi gratiæ*] *anno* 1575. demum fuerunt editæ aliæ bullæ *à Sixto Quinto, & Vrbano Octauo*, quæ omnes referuntur *à Quaranta ver. Monaſterium monialium, & à Tamburino loco infra citando, & ab alijs.*

3 Authores vero, qui de hac re ex profeſſo agunt, ſunt *Nauarr. tom. 4. de reg. num. 67. Rodriquez in queſt. regul. tom. 1. à quæſt. 46. Zerola in praxi ver. Moniales. Quaranta loc. cit. Confectius in priuil. mendic. tit. 20. cap. 6. Sorbus in comp. priuil. mendic. p. 2. ver. Ingreſſus monialium: Azorius tom. 1. inſtit. moral. lib. 13. cap. 8. Suarez loco cit. Sanchez in ſumma lib. 6. cap. 16. Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 102 ſuper concil. Trid. loc. cit. in collect. decret. ver. Moniales, & ſupra decretales in cap. Periculoſo cit. & de iure eccleſiaſt. lib. 1. cap. 44. à num. 92. Caſtropalaus in opere morali tom. 3. de voto obedientiæ, diſp. 4. §. 9. Coriolanus de caſibus reſeruatis p. 2. cap. 3. à nu. 27. Tamburinus loc. cit. Portel. in dub. reg. ver. Clauſura monialium: Piaſecius in prax. Epiſcopi p. 2. cap. 3. num. 55. Nouarius in ſumma bullarum de clauſura Merolla in opere morali to. 1. diſp. 1. cap. 2. num. 451. & deinceps: Gauantes in enchirid. ver. Moniales.* hi ſunt Authores, quos videre potui.

§. SECVNDVS.

Vtrùm cogens mulierem ad monaſterium ingrediendum, incidat in excommunicationem poſitam in Cõcil. Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 5.

AD tuendam ingreſſus, & religioſæ profeſſionis libertatẽ, excõmunicationẽ ipſo facto incurrendam impoſuit cõcilium contrà eos, qui quomodocũque cogunt fœminam ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque religionis, vel ad emittendam profeſſionem, &c. circa hoc concilij decretum dubitant doctores, an coactio ad ſolũ ingreſſum, & non ad habitum aſſumendũ, vel ad profeſſionem emittendam, ſed ad alium finem v. g. vt in monaſterio educetur, & poſtea occurrente occaſione nuptui tradatur, ſit ſufficiens, vt cogens incidat in excommunicationem. & videtur non eſſe ſatis, nam concilium quamuis videatur illa tria, vt membra diſtincta numerare; nihilominus coactio ad ingreſſum videtur prohiberi tanquam ratio quædam communis ad illa duo, nempè ad ingreſſũ ob ſuſceptionem habitus, vel ad ingreſſũ ob profeſſionem emittendam, & ideo ſi quis cogat ad ingreſſum ob alium finem diuerſum ab his duobus recenſitis, non videbitur operari contra decretum concilij, & per conſequẽs neque incurret in excõmunicationem, licet alioqui coactio iſta, etiam in alium finem, poſſit eſſe peccatum mortale. ego autem ſolum in hac quæſtione conſidero coactionem illam, quæ ex vi concilij ſubiacet excommunicationi: & exemplifico caſum in Puella Virgine iuxta quæſitum, de quo interrogatus fui, & quæ dicturus ſum de hac puella, intelligi debent de quacumque alia muliere, nam de-

igitized by Google

decretum concilij eſt vniuerſale reſpectu quarumcumque fœminarum. his poſitis.

5 Aliqui exiſtimant coactionem ad ingreſſum non eſſe membrum diſtinctum à duobus ſubſequētibus. ita *Rodriquez in ſumma tom 2. cap. 8. num.* 10. *Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 9. num.* 2. 3. 4. quamuis *de cenſuris diſp.* 23. *ſect.* 7. *numer.* 9. ſenſerit cum authoribus, qui dicunt ſufficere ad incurrendum in excommunicationem, coactionem ad ſolum ingreſſum, & ad habitandum in monaſterio, etiam proprio habitu retento: *Sanchez in decal. lib. 4. cap. 4. num.* 12. *Bonacina de cenſuris, & excommunicationibus in particulari extra bullam cœne diſp. 2. q. 2. punc. 2. num. 6.*

6 Sed oppoſitum tuetur *Nauar. in conſil. lib. 3. de regular. conſil, 6. Filliuccius tr. 14. cap. 6. num. 89. Zerola in praxi Epiſcopi par. 2. ver. Moniales concl.* 13. *Portellius ad dub. regular. num.* 9. cum quadam limitatione, nempè ſi puella ſit pubes, nam ante pubertatem oppoſitum cēſet, quam limitationem puto à nemine reijci, licet illam explicitè non ponant authores omnes; ſed ſolum aliqui inter quos eſt *Suarez cap. cit. num.* 4. hanc ſententiam docet etiam *Barboſa de poteſt. epiſc. par. 3. alleg.* 104. *num.* 5. *& alibi: Megalius in 3. lib. 4. cap. 6. num.* 100. *Tamburinus de iure abbatiſſ. diſp. 1. q. 4. num. 4. & ſeq.* cum limitatione illa, quam ponit Portellius, & alij, quos citat, & ſequitur *Diana par. 2. tract.* 15. *qui eſt primus ex miſcellaneis reſol.* 57.

7 Dicendum eſt primo, certum eſſe, & abſque controuerſia, cogentes puellam puberem ad purum, & ſimplicem ingreſſum in monaſterium præterquam in caſibus à iure expreſſis, vt loquitur conciliū, peccare grauiter, & contra iuſtitiam, nam puella, quando peruenit ad annos pubertatis, in his, quæ ad ſtatum animæ pertinent, eſt omnino ſui iuris, vt rectè aduertit *Suarez de relig. loc. cit.* proindè nequit cogi etiā à parentibus ad viuendū in clauſura monaſtica; & ideo de hac concluſione nequit eſſe dubitatio. dixi præterquam in caſibus à iure expreſſis: nam vt aduertit Suarez, Sanchez, & alij poterit mulier ſecundum iura cogi ad manendum intra monaſteriū in pœnam, vel ob cautionem. dantur enim aliqui caſus, in quibus parentes poſſunt, imò debent cogere filiam puellam ad ingrediendum monaſterium, vt contingeret, ſi puella in periculo pudicitiæ, vel occiſionis, vel in aliquo alio ſimili caſu verſaretur vide *Suarez cap. cit. num. 4. & de cenſur. loco cit.*

8 Dicendum eſt ſecundo, probabile eſſe cogentes ad purum ingreſſum in monaſterium abſquè intentione, vt puella coacta habitum religioſum aſſumat, vel profeſſionem emittat, non ligari excommunicatione prædicta à Concilio impoſita. concluſionem hanc eſſe probabilem, & doctorum authoritas illam tuentium, & ratio non contemnenda ſuadet; quia, licet cōcilium illa tria membra, videlicet, ingreſſum, habitum religioſum, & profeſſionē, vt diſtincta propoſuerit; primum tamen membrum poteſt abſque verborum improprietate, & ſenſus extorſione, ſumi in ordine ad duo illa membra ſequentia, & veluti cum eiſdem identificatum.

9 Quæres hic, vtrum, ſtante hac opinione, quod nimirum cogens ad ingreſſum cenſuram incurrat; ſolum, quando coactio ad ingreſſum, eſt ex intentione, vt mulier habitum ſuſcipiat, vel profeſſionem emittat; incidat in excommunicationem ſtatim ſecuto ingreſſu: an vero oporteat, vt actu fiat habitus ſuſceptio, vel profeſſionis emiſſio: videtur enim eſſe ſecundū aſſerendum, quia, vt cenſura incurratur, actus, ob quem incurritur debet eſſe perfectus, & completus eo complemento, quod poſtulat ille, qui cenſuram imponit, vt fuſe explicatur in materia de cenſuris: & ideo ſolus ingreſſus non videtur actus perfectus ad incurrendam hanc excommunicationem, ſed requiri videtur actualis ſuſceptio habitus, vel profeſſio. ſed omnino eſt dicendum ſufficere ſolum ingreſſum, ad quem puella coacta eſt, ſi cogēs illa intentione, ſiue directè, ſiue indirectè induxit ad ingrediendum. ita *Suarez loc. cit. in tract. de relig. Sanchez. & alij authores* nil aliud requirentes ad cenſurā hanc incurrendam, niſi ingreſſum procedentem ex illa intentione, vt expreſſe colligitur ex decreto Concilij: cum enim diſiunctiue loquatur ponens ingreſſum, vt membrum diſtinctū à ſuſceptione habitus, vel à profeſſione; nequit alio modo explicari, niſi vel de ingreſſu puro, vel ſaltem de ingreſſu ordinato ad vnum ex illis duobus: & cum iuxta hanc ſententiam quam vt probabilem retulimus non loquatur concilium de puro ingreſſu; conſequens eſt, vt loquatur de ingreſſu ordinato ad illa duo.

10 Dices, coactio illa externa poteſt eſſe indifferens ad ſuſcipiēdum habitum, & ad profeſſionem, vel ſolum ad educationem, etiam ſi fiat ex intentione ſuſcipiendi habitum, &c. dum igitur talis intentio exterius non exprimitur, non videtur poſſe ſubiacere pœnis eccleſiaſticis, quia eccleſia nequit iudicare de occultis.

Reſpondeo, quamuis coactio illa poſſit eſſe modo explicato indifferens ad diuerſos fines, ſi procedat tamen ex immedia-

tione finis prohibiti à concilio, ſubiacet excommunicationi: nam licet eccleſia nequeat de ijs, quæ ſunt omnino occulta, directè iudicare, poteſt tamen indirectè, quatenus nimirũ sũt veluti forma act' externi, vt patet in multis v. g. Eccleſia præcipit annualẽ cõfeſſionẽ peccatorum mortalium, eamque veram, & ſacramentalẽ; at ſi quis exteriùs confiteatur abſque vera intentione fatendi ſacramentaliter, vel ſine vllo dolore; non erit accuſatio ſacramẽtalis, & per cõſequẽs non adimplebitur ab hoc pœnitente præceptũ eccleſiaſticũ: & ſi contra non adimplentes imponeretur excommunicatio; ita ſe accuſans eſſet excommunicatus. ſimiliter ſi quis proferat, vel ſcribat hæreſim; ſi prolatio illa, vel ſcriptio procedat ex errore intellectus; incurrit ità loquens, aut ſcribens, in cenſuram, & tamen prolatio, & ſcriptio ſunt indifferentes, cum poſſint ex prauo, vel recto intellectu procedere. & ſic in infinitis alijs; hoc ipſum euenit in caſu noſtro: nam concilium voluit actionem illam externam prohibere, vt procedentem ex tali determinata intentione, & ideo intentio iſta non ſecundum ſe abſolutè, ſed vt forma illius actus externi ſine dubio cadere poteſt ſub iuriſdictionem eccleſiæ.

11 Dicendum eſt tertio probabile etiam eſſe, cogentes puellam puberem ad purũ ingreſſum ſine animo, vt habitũ ſuſcipiat, vel profeſſionem emittat incurrere in hãc excommunicationem, vt volunt authores ſecundæ ſententiæ. Probatur concluſio, quia concilium bis in eodem capite tres illos effectus enumerans vt diſtinctos, loquitur ſine limitatione, & eſt regula expreſſa in iure *de reg. iuris in 6. in alternatiuis ſatis eſſe veritatem in vno ex extremis*; ergo ſatis erit ad hoc, vt quis incurrat in hanc excõmunicationem, ſi cogat puellam ad purum ingreſſum, quamuis nõ cum ea intentione, vt habitum ſuſcipiat, vel profeſſionem faciat. intentio enim concilij fuit, vt ingreſſus etiam ob alium finem, nempè ad educationem ipſius mulieris, eſſet liber, & non coactus.

12 Ad fundamentum autem primæ ſentẽtentiæ, ſiſtendo in hac opinione; negandum eſt, primum illud membrum ſumi à concilio, vt quid commune ad duo ſequentia, neque hoc ipſi aduerſarij probãt: aio igitur illud membrum ſumi, vt contradiſtinctum à reliquis duobus, aliter debebat concilium id explicare, ad vitandã erroris occaſionem. & hæc probabiliter dicta ſint in fauorem huius ſecundæ ſententiæ.

§. TERTIVS.

An conſulentes, & auxilium ad hunc ingreſſum præſtantes, eidem excommunicationi ſubiaceant?

Dicendum eſt, eos, qui aliquo modo conſilium dant, vel auxilium, ſeu fauorem puellæ ingredienti per ingreſſum coactum, & à concilio prohibitum; eadem ligari excommunicatione. ita ſtatutum fuit à concilio in eodem capite, & ponitur ab eiſdem authoribus ſuperius laudatis, & præſertim à Suario, Bonacina, Tãburino, *Caſtropalao de prærequiſitis ad relig. diſp. 1. p. 9. num.* 8. excommunicatio autem iſta eſt vniuerſalis, extenditurque ad omnes, & ſingulas perſonas cuiuſcumque qualitatis, & conditionis, quæ conſentiunt, vel authoritatem præſtant ad hunc ingreſſum, ſcientes, vel debentes ſcire, aut aduertere coactionem, vel aliquo modo ad ipſum ingreſſum cooperantes: & ideo eadem cenſura ligatur Epiſcopus, aut eius Vicarius, vt rectè notat Bonacina ſi authoritatem tali actui præbeãt. 13

Coactio autem iſta poteſt eſſe directa, vel indirecta: directa ſi cogens expreſsè id intendat, & ſignificet; indirecta, ſi parentes, ſeu alij, ſub quorum tutela, vel cura manet puella, eam rigidè nimium tractent in hunc finem, vt monaſterium ingrediatur, &c. ita vt puella ad exceſſum rigoris declinandum, moueatur ad ingreſſum. 14

Sed eſt aduertendum excommunicationem hanc non incurri, ſtatim præſtito conſilio, fauore, authoritate, &c. ſed ſequuto effectu, nempè ipſo ingreſſu. ita communiter doctores de hac re loquẽtes, nam actiones prædictę prohibentur propter ipſum actualem ingreſſum. 15

§. QVARTVS.

Vtrum, quæ dicta ſunt de ingreſſu, locum habeant in commoratione in Monaſterio?

Hactenus loquuti ſumus de ingreſſu in monaſterium, nunc videndum ſupereſt, an, quæ diximus de ingreſſu, militent in commoratione. & gratia exempli poſſumus dupliciter caſum proponere: primo ſi puella licitè ingrediatur, videlicet animo vitæ monaſticæ agendæ, & poſtea in nouitiatu animum mutet. ſecundo, ſi ad educationem cum debita facultate, & requiſitis ingrediens monaſterium, ibi tẽpore præſcripto commoretur, eoque trãſacto, abſque noua licentia ibidem permaneat. 16

neat. & vt certa ſupponamus, conueniũt doctores ſine diſcrepantia in mora illa interuenire grauem culpam, cum ſit contra decreta concilij, & varias bullas pontificias, & res ſit magni momenti: quamuis ob paruitatem materiæ commorans excuſetur, vt ſi tranſacto tempore præfixo, breui ſpatio in monaſterio permaneat ad videndas exempli cauſſa officinas, vel aliquid aliud, vt ait *Sanchez cap. cit. nu. 69. Merolla cap. etiam cit. diſſ. 7 & alij* apud ipſum: ſed dubitatio eſt, an ſi mora ſit notabilis, incurratur cenſura, præter peccatum mortale.

17 Partem negatiuam ſuſtinet Sanchez remittens ſe ad ea, quæ dixerat *cap. 15. præcedente n.* 70. de monialibus cum licentia egreſſis, & poſtea ceſſante fine egreſſus, illicitè commorantibus extra monaſteriũ, & ad illud non reuertentibus. par enim eſt ratio de licitè egredientibus, & ceſſante fine egreſſus, illicitè permanentibus, & de ingredientibus, & poſtea illicitè permanẽtibus. Fundamentũ, in quo author iſte nititur, eſt, quia excommunicatio eſt impoſita illicitè ingredientibus, at illicitè cõmorãs, nõ dicitur illicitè ingreſſa, proindè libera erit à cẽſuris, quæ illicitè ingrdiẽtibus ſunt impoſitæ. Et in eadem ſententia videtur eſſe *Tamburinus diſp. 1. cit. q. 2. num.* 10. *Barboſa de poteſt. Epiſ. p. 3. alleg.* 102. *num.* 65. *Franciſcus Leo in theſau. Eccleſ. p. 2. cap. 16. num.* 54. *& apud ipſos Campanile in diuer. iuris rubr.* 12. *cap. 16. num.* 26. ſed hi authores non ita clarè loquuntur, ſicuti loquuntur Sanchez, & Bonacina, quia ſolum dicunt, quod tranſacto tempore educationis, nẽpè 25. anno, ſi fœmina ſtatim non egrediatur, non afficiatur excommunicatione, ſed debet illi ordinarius præfigere tempus ad eligendum, vel egreſſum vel ſuſceptionem habitus; & pro hoc citant declarationem S. C. at non dicunt quod ſine licẽtia in monaſterio diù permanẽs nõ incurrat cenſuram; immo oppoſitum videntur ſignificare cum ſe reſtringant ad commorationem in monaſterio per breue ſpatiũ, dicẽtes nõ incurrere in excõmunicationẽ ſi ſtatim non egreditur, quaſi dicant breuitate temporis excuſari; igitur ſi ſpatium commorationis erit longum non excuſabitur, aliter ſi in vtroque caſu excuſaretur, ſiue breui, ſiue longo tempore cõmoretur non erat apponenda limitatio per particulam illam, *ſtatim*, ſed abſolutè, & ſine addito erat loquendum.

18 Sed partem affirmatiuam alij Doctores amplectuntur. *Nouarius ſumma bullarum in bullam Pauli V. de clauſura n.* 6. *Naldus eodem ver. num.* 11. *Merolla diſſ. 7. cit. num.* 498. *Caſtropalaus de voto obedient. diſp 4. p. 9. num* 21. *& apud ipsũ Llamas in meth. curat. in append.* §. 101 & licet hi duo vltimi authores loquantur de commoratione quam facit monacha egreſſa ex legitima licentia extra monaſterium, eadem tamen eſt ratio, de ingreſſu, immo maior: probant Authores hanc ſententiam ex eo quod commoratio illa intra monaſterium videtur continuatus quidam ingreſſus, proinde ſi fiat abſque neceſſitate, & legitima licentia, erit cõtra decretum Concilij, & bullas pontificias; ideoque commorans ligabitur cenſuris impoſitis à Concilio, & pontificibus.

Vtraque opinio eſt probabilis: eiuſque decisio magna ex parte dependet ab eo, an decretum prohibens ingreſſum, ſit fauorabile; an vero odioſum. nam aliqui apud *Dianam de dub. reg. reſol* 67. putãt eſſe odioſum, atque adeo reſtringendum, quapropter cenſura non videtur extendẽda vltra ingreſſum; alij vero aiunt eſſe fauorabile, quia maximè conducit ad ſpiritualem monialium profectum, & ſalutem vt inquit *Sanchez cap. 16. num.* 91. ideoq; ob hanc rationem ab ipſo extenditur: & eſſe fauorabile expreſsè docet *Merolla l. c. & alibi*, quod ſi ita eſt, cenſura comprehendet etiam illegitimam commorationem. & poteſt ſuaderi hac ratione, nam cum omnes vtriuſque ſententiæ doctores vniformiter ſentiant commorationem illegitimam, & notabilem eſſe graue peccatum, & non alia ratione id eſſe poſſit, niſi quia eſt contra concilium, & ſtatuta pontificia, nam certum eſt non eſſe contra ius naturæ, aut contra ius diuinum; ergo erit contra ius poſitiuum humanum, nullum autem datur ius poſitiuum prohibens commorationem, niſi Concilij Tridentini decretum, canones, & bullæ põtificiæ, in quibus omnibus prohibitio eſt ſub cenſura, & ideo vel eſt dicendum cõmorationem non eſſe prohibitam, vel eſſe prohibitam ſub cenſuris. 19

§. QVINTVS.

Quid dicendum de conſulentibus illegitimam commorationem in Monaſterio, & ad illam præſtantibus fauorem auctoritatem, &c.

QVæ diximus de puella illegitimè cõmorante ſunt aſſerenda de his, qui fauorem, aut conſilium præſtant, aut alio modo cooperantur ad commorationem; & ideo certum eſt hos omnes mortaliter peccare ſi vno ex prædictis modis influant; faciunt enim directè contra decretum Tridentini in re graui: an vero præter peccatum mortale incidant in ex- 20

communicationem latam ab ipſo Tridentino, contra conſulentes, fauorem præſtantes, &c. dependet determinatio à præcedente quæſtione, ſi enim coactio prohibita ab ipſo Tridentino comprehendit commorationem, manifeſtum erit omnes prædictos eadem cenſura ligari; qua ligantur cogentes, quia concilium de his omnibus vniformiter loquitur: ſi vero verba concilij ſtrictè ſunt intelligẽda, & coactio quæ ſub cenſura interdicitur, reſpiciat ſolum primum ingreſſum, tunc conſulentes moram, &c. non incurrunt cenſuram, ſed tantum grauiter peccant, & vtrumque vt dixi probabile eſt.

§. SEXTVS.

Quid ſit dicendum ſpectando, motum proprium, Pij V. Gregorij XIII. aliorumque Pontificum reuocantium omnes licentias, ingrediendi Monaſterium monialium, & probibentium ingreſſum?

21 IN præcedentibus loquuti ſumus in terminis Concilij Tridentini, eiuſque decretum conſiderantes; nunc vero ad maiorem doctrinam placet nonnulla expendere ſpectando bullas pontificias, per quas reuocatæ fuerunt omnes licentiæ ingrediendi monialium monaſteria ſine legitima cauſſa, & in caſibus neceſſitatis à iure præſcriptis.

Dubitatio examinanda circa prædictas bullas oritur ex eo, quod in bullis ipſis videntur Pontifices imponere cenſuram ingredientibus ex prætextu facultatum cõceſſarum, ſiue à ſummis Pontificibus, ſiue ab Epiſcopis, &c. & contra illos qui ſub tali prætextu ingrediuntur Pius, & Gregorius tulerunt excommunicationem ipſo facto incurrendam, quam etiam extenderunt ad Prælatos admittẽtes tales mulieres in monaſterium, & præter excommunicationem impoſuerunt alias pœnas vt patet ex ipſiſmet conſtitutionibus, quapropter emergit dubitatio, an fœmina ingrediens non prætextu facultatum, & licentiarum, ſed alio titulo, etiam illicito, incurrat cenſuras contentas in dictis conſtitutionibus.

22 Negat *Suarez tom. 5. in 3. p. de cenſur. d. 22. ſec. 6. num. 11. Rodriquez tom. 1. qq. regul. diſp. 47. ar. 1. Bonacina de clauſ. diſp. 4. p. 5. num. 4.* & quamplures apud ipſum, & ratio in qua hi authores nituntur eſt, quia conſtitutiones ſermonem habent ſolum de ingrediẽtibus ſub prætextu licentiarum habitarum, vel à Pontifice, vel ab Epiſcopis, aut alijs prælatis, in caſibus non comprehenſis in facultatibus, vel à non valentibus tales licentias concedere.

At *Sanchez in decalogum lib. 6. cap. 16. num. 79.* admittit hanc opinionem loquendo de motu proprio Pij V. nam ipſe Pius declarauit mentem ſuam in *alio motu proprio edito anno 1570. die 16. Iulij*, qui incipit (*Romanum Pontificem*) ait enim expreſsè intentionem ſuam, in alio motu, fuiſſe comprehendere mulieres, non ſolum habentes, & prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi monaſteria, ſed etiam omnes, & quaſcumque mulieres alias. 23

Alia denique ſententia eſt eorum qui dicunt, etiam vi motus proprij Gregorij, ingredientes ſine prætextu prædictarum facultatũ, incurrere cẽſuram latam in ipſa conſtitutione Gregorij, & ita ſentiunt *Nauarrus in ſumma cap. 27. num. 150. Comitolus in reſponſ. moral. lib. 6. quæſt. 47. Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 8. quæſt. vltima Filliuccius tom. 2. trac. 29. cap. 8. num. 170. Merolla tom. 1. diſp. 1. cap. 2. num. 449. & alij.* quos ipſe laudat *num.* 440. & ratio ipſorum deducitur ex identitate rationis, quæ ſi in lege pœnali eſt expreſſa comprehendere intelligitur caſus omnes in quibus eadem ratio militat, ratio autẽ, quam in eo motu aſſignat Pontifex, eſt cõſulere monalium quieti, & tranquillitati, & remouere ea omnino quæ illas auocare poſſent, à ſpiritualium rerum cogitatione, & exercitio, &c. vt patet ex tenore ipſius bullæ, hæc autem ratio militat etiam reſpectu illarum mulierum quę abſque licentiarum prætextu ingrediuntur vt de ſe patet. 24

Et hæc ſententia mihi magis placet, & præſertim ob alias rationes quibus probatur, & declaratur à *Merolla loc. cit.* 25

Eſſet pro complemento aliquid dicendum de admittentibus tales mulieres, ſed quia hoc non facit ad rem noſtram, ideo illud omitto; & applico doctrinam prędictam caſui particulari, de quo eſt ſermo.

§. SEPTIMVS.

Num cognati Puellæ nolentes eam in domum propriam admittere, hanc iuſtam petitionis ſuæ cauſſam afferant.

DIcẽdum eſt petitionem, prout ab ipſis puellę cognatis proponitur, nõ eſſe iuſtificatam: ergo non poteſt Generalis Vicarius, neque validè, neque licitè licẽtiam concedere, vt puella in monaſterio commoretur ductus motiuis, quæ ab eiſdem poſtulantibus afferuntur. conſequentia cum ſit manifeſta non indiget probatione, 26

tione, quia cum lex prohibens ingreſſum, & commorationem in monaſterio ſit à ſuperiore, nempe à ſummo Pontifice, nequit inferior Prælatus abſque cauſſa iuſta in eadem lege diſpenſare. antecedẽs vero probatur in quo videtur difficultas, nam mater, & præſertim frater puellę non aliam adducunt rationem niſi beneplacitũ propriæ voluntatis, quod ſcilicet nolunt iterũ in propriam domum Puellam admittere, cum tamen in omni foro interno, & externo ad id teneantur, quia cum Puellę ſint alimenta præſtanda, inter alimenta, domus in qua habitare poſſit, eſt enumeranda, & maxime quia cum ſit virgo, indecẽs eſt, vt ſola abſque cuſtodia matris, aut alterius cognati in gradu coniunctiſſimo maneat, præterquam quod, eius frater, & mater nunquam id forent permiſſuri, proinde tum mater, tum frater velint nolint, tenentur in omni foro puellam ipsã in propriam domum admittere; igitur, niſi aliud afferant motiuum, nullo modo poterunt iuſtam habere cauſſam non vocandi ad ſe filiam, & ſororem; & ſi frater minis puellam ipſam terreat in hunc finem, vt ipſa perterrita cedat iuri legitimo, quod habet vt admittatur, tunc frater peccabit grauiter, & contra pietatem, & forſitan contra iuſtitiam.

§. OCTAVVS.

Vtrum commoratio Puellę in monaſterio cohoneſtetur, ſub ſpe futuræ licentiæ à Summo Pontifice obtinendæ.

27 NEque ex hoc capite iuſtificãt petitionem, primo, quia commoratio ipſa nequit cohoneſtari per ſolũ reſpectum ad futuram licentiam, niſi antecedenter ſit cauſſa vrgens interpretandi voluntatem Pontificis, aliter ſi ſolus reſpectus ad licentiam ſubſequentem ſufficeret, quampluríma, quæ per ſacros canones, & bullas põtificias prohibentur, & quorum diſpenſatio ad Pontificem reſeruatur, poſſent licite diſpenſari, quod nemo aſſerit: ad cohoneſtandas autem similes diſpẽſationes duo requiruntur, videlicet ſpes futuræ licentiæ, & cauſſa proportionata ad epichyam de voluntate Pontificis, at hoc nõ habetur in caſu noſtro, quia nulla cauſſa vrgens ad faciendam similem epichyam proponitur, cum petitio ſolum innitatur alicui conſequenti, nempè licentiæ obtinendæ, & pro cauſſa ſolum aſſignetur voluntas nolentis adducere puellam in domum fratris, & pro hac voluntate negatiua non adducitur vllum motiuum rationabile, & proportionatum, immo pręſumptio vehemens, ne dicam violenta, eſt proprium incommodum irrationabile. ſecundo interrogo; petitio commorandi in monaſterio, cuius nomine eſt ſummo Pontifici proponenda? ſi fiat nomine puellæ omnino inſciæ, & Pontifex concedat, cõceſſio erit omnino irrita, vtpotè ſubreptitia, quia falſum exponeretur, nempè fingeretur puella ipſa ſupplicans, cum re vera ita non ſit; ſi vero fiat conſcia ipſa puella, erit etiam nullius valoris, quia puella iam declarauit intentionem ſuam, nolens libẽter in monaſterio commorari, & coacta condeſcenderet: rurſus addo quod eſſet omnino Pontifici exponendum, moniales nolle retinere puellam, quia Pontifex in hac re maximi facit ipſarum monialium voluntatem, quod apertè colligitur ex breuibus, quæ ab ipſo conceduntur, in quibus ſemper concedit licentiam ingrediendi monaſterium, præmiſſo aſſenſu monialium capitulariter conuenientium.

Neque dicas, eſſe dedecus familię, ſi puella egrederetur, niſi ratione alicuius matrimonij contrahendi: nam hoc eſt omnino falſum vt experientia comprobat, videmus enim paſſim mulieres illuſtriſſimę familiæ egredi è monaſterijs etiam in ætate iuuenili abſque occaſione matrimonij; ſed ex puro ipſarum beneplacito; & huius facti multa habemus exempla omnibus nota. 28

§. NONVS.

An ſi fieret petitio ab ipſa puella, poſſet licentia danda à Vicario, cohoneſtari.

SI puella prudenter timeret ſęuitiam fratris nolentis ipſam admittere in propriam domum, & non haberet alium locum in quo decenter poſſet habitare, tunc Vicarius ex prẽſumpta Pontificis voluntate condeſcendere poſſet, vſque dum Pontifex certus fieret, & diſpenſaret, ſed frater viueret in malo ſtatu, sicuti etiam alij cognati, & familiares conſentientes, & fouentes malam ipsius fratris voluntatem, dum impiè, & iniuſtè denegat ſorori id, ad quod tenetur. Et hęc eſt mea ſententia, quam aliorum Theologorum iudicio ſubmitto. 29

QVÆSTIO SEPTIMA.

Monialis petauro ad Monaſterij muros ludens, ſi in agitatione ex illis egrediatur, num clauſuram violet?

SVMMARIVM.

Quæſitum ſub his terminis, parùm tamen mutatis proponunt aliqui. 1

De-

2 *Deciſio pendet ex determinatione, quo pacto ſit attendenda grauitas, & leuitas materiæ in re hac.*

3 *Prima ſententia deſumit grauitatem, & leuitatem in ordine ad totalem, vel partialem corporis egreſſum.*

4 *Secūda vero eam accipit in ordine, ad ſpatium vltra limites clauſuræ, & ad moram temporis.*

5 *Conciliantur duo loca P. Dianæ, quæ videntur contraria.*

6 *Prior opinio procul dubio in praxi eſt cōſulenda.*

7 *Poſterior vero probabilior cēſetur ab authore.*

8 *Efficax ſolutio ad argumentum, quo vtitur Sanchez.*

9 *Confirmatur eadem ſolutio.*

10 *Obiectio ex doctrina Pellizzarij non vrget contra ſententiam Authoris.*

11 *In ſententia Authoris non violatur clauſura, ſi monialis ſe ponat in rota communi, eāque reuoluat ad partem externam.*

12 *Neque ſi eadem monialis ſtet in oſtio clauſuræ.*

1 QVæſitum ſub his terminis, parùm tamē inſtrumentis huius ludi variatis, apud *Carolum Baucium in ſuis ſingularibus, & Franciſcum Pellizzarium de monialibus loco infra citando* adinueni: quod maioris claritatis gratia ſic declaro; Berta monialis animi leuitate ducta funem quendam tecto, propè monaſterij muros, appendit, eique inſidens, illumque manibus apprehendens toto corpore è terra eleuata, motu reciproco, ſe agitat, nunc extra, nunc intra clauſuram, quem ludum Petaurum voco, ſeu ludum nauis, vt ait Pellizzarius, quo adoleſcentes paſſim ſe exercent, & qui apud Tuſcos Altalena, apud Hiſpanos Colompio, apud Siculos vero Bozzica, nuncupatur. Quærimus igitur num in egreſſu illo è clauſura Berta tranſgrediatur præceptum impoſitum à diuerſis Pontificibus, & à Concilio Tridentino innouatū *ſeſſ.* 25. *de regu. cap.* 5. & in cenſuram excommunicationis *à Pio V. in ſua* 8. *conſtit.* latam incurrat.

2 Huius quæſiti deciſio totaliter dependet ex determinatione, vtrum in materia iſta detur, paruum, ſeu modicum, nec ne, vt autem omnis æquiuocatio, & obſcuritas tollatur; aduerto in hac re paruitatē, aut materiæ grauitatem, in ordine ad duo ſpectari poſſe, & primo in ordine ad corpus ipſum egrediens; ita vt tunc dicatur materia grauis, quando maior pars, vel totum corpus ſit extra, paruitas vero cum minor pars, vel nō totū corpus ſit extra. ſecūdo ſumi poteſt ſe in ordine ad ſpatiū extra clauſurā, & ad tēporis morā, ita vt grauitas ſit, ſi p notabile ſpatiū loci, extra portā monaſterij, & per diuturnā moram, corpus ſit egreſſum; contra vero paruitas, ſi per breue ſpatiū breuemque moram monialis maneat extra clauſuram. difficultas autem, & controuerſia in re hac non conſiſtit, vtrum detur paruitas materiæ, nec ne; omnes enim, & merito id fatentur, cum nulla appareat ratio id negādi; ſed conſiſtit in declaranda materiæ leuitate, ideoque varias doctorum opiniones referam.

Prima enim, & ſatis communis ſententiā vult, paruitatem materiæ in re iſta priori modo eſſe ſpectandam; nimirum quando monialis partem ſui corporis extra, partem vero intra clauſuram habet; & ſi ſecundum totum corpus ſit egreſſa, aſſerit eſſe materiam grauem, & pœnis ſubiectam; quamuis diſtantia à clauſura ſit minima, & minima etiam ſit temporis mora. ita *Tamburinus de iure abbatiſſarum diſp.* 19. *quæſ.* 4. *caſu* 1. *Sanchez in decal. lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 70. *Bonacina de clauſ. quæſtione* 1. *puncto* 1. *num.* 3. *& puncto* 4. *num.* 2. *& demum puncto* 8. *nu.* 7. *Portellius in dub. reg. v. Clauſura monialium, num.* 25. *Baucius in ſingul. caſu* 260. *Texeda tom.* 1. *controu. lib.* 2. *tract.* 1. *controu.* 14. *dub.* 1. *num.* 9. *Ioſeph Gibalen. de clauſ. monial. & de pœnis contra eam violantes diſquiſ.* 1. *cap.* 8. *§.* 1. *num.* 1. *Diana par.* 3. *tract.* 2. *de dub. regul. reſol.* 52. *ver. Difficultas eſt, Pellizzarius de clau. cap.* 5. *ſect.* 2. *num.* 71. quem quidem authorem non immeritò pro hac ſententia citamus, nam ſi attentè legatur ex duplici capite contrariam damnat, nempe tum ratione perfecti egreſſus, tum ratione moræ, quatenus omnes delationes illæ, quæ in agitatione contingunt, ſecundum quas totum corpus monialis extra clauſuram transfertur, ſimul ſumptæ notabilem conſtituunt moram. 3

Fundamentum huius opinionis eſt, quia cum clauſura determinatis limitibus finiatur, tunc ſimpliciter violari dicitur, quando monialis exiſtit extra illam ſecundum totum ſuum corpus, vt ſic enim perfectus, & completus erit egreſſus minimum non admittens.

Secunda vero opinio, quam nonnulli docti viri tuentur, mitiùs loquitur, ſuſtinens paruitatem, aut grauitatem materiæ, poſteriori acceptione eſſe ſumendam, atque adeo quando egreſſio eſt per vnum, aut alterum palmum diſtantem à clauſura, & pro breuiſſima temporis mora, aſſe- 4

ſerit eſſe quid modicum, & per conſequẽs non excedere venialem culpam, & ideo non ſubijci grauiſſimis pœnis contra violãtes clauſuram latis, ita ſentiunt *Graſſius de caſ. reſer. lib. 1. cap. 5. num. 45. Naldus in ſum. ver. Clauſura num. 4. Merolla tom. 1. diſp. 1. cap. 2. difficult. 7. num. 902. Bordonus tom. 2. de clauſ. regul. nu. 67. 68. Diana par. 5. tract. 5. reſol. 22. ver. Sed non deſinam*, vbi videtur implicitè retractare contrarium *quod par. 3. loco cit.* docuerat.

5 Cæterum vt quantum fieri poteſt virum doctiſſimum, & in his rebus præſertim moralibus valdè accuratum, à contradictione, ſeu à retractatione liberemus, eius mentem vtrobique declaramus. in tertia enim parte ſuam voluit nobis explicare ſententiam, in quinta vero referens opinionem Naldi, & Merollæ, eam non vt propriam, ſed vt alienam, amiciſſimi tamẽ viri, ingenioſè, & ſubtiliter modificauit. Priorem ſententiam, quæ non admittit talem materiæ paruitatem, *Pellizzar. de clauſ. monial cap. 5. ſec. 1. nu. 19.* licet ſatis probabilem appellet, nihilominus oppoſitam ſententiam non auſus eſt damnare quamuis *ſect. 2. ſeq. num. 71.* eam impugnet.

6 Dicendum eſt primo, ſententiam priori loco relatam proculdubio eſſe admittẽdam in praxi, cum altera ad minus à peccati venialis labe, minimè ſit immunis, cohoneſtari enim nequit si egreſſus ille per ludum fiat.

7 Dicendum eſt ſecundo, aliam ſententiã, quatenus aſſerit egreſſionem illam ſecundum ſe eſſe quid modicum, & conſequenter ſolum peccatum veniale, mihi probabiliorem videri. dixi ſecundum ſe, vt præſcindã ab ipſius multiplicitate, de qua inferius. Prabatur autem tali pacto, egreſſus ille ſecundum ſe nulli virtuti grauiter, ſed ſolum leuiter opponitur, igitur eſt quid modicum in genere moris; patet conſequẽtia, quia grauitas, & leuitas materiæ, in trãſgreſſione legis, aut præcepti tota mẽſuratur per ordinem ad virtutem cui opponitur; ideoque ſi leuis erit oppoſitio, leuis erit etiam trangreſſio, ſi vero grauis eodem pariter modo erit tranſgreſſio, tota ergo difficultas in antecedente reperitur, ideoque illud ſic oſtẽdo. ſi inueniretur in egreſſu illo grauis oppoſitio, quam aduerſarij intendunt, vel haberetur ex natura rei, vel ex lege poſitiua, neutrum dici poteſt; ergo nulli virtuti grauiter opponitur, maior videtur certa; quia ex nullo alio capite oppoſitio iſta haberi poterit; minor autẽ ſecundum vtramque partem demonſtratur, non ex natura rei, quia præſcindendo à conſtitutionibus pontificijs, egreſſus ille ſecundum ſe eſt actio indifferens, quæ benè, & malè exerceri poteſt: non ex lege poſitiua, quia ex lege nihil aliud infertur, niſi egreſſum hunc eſſe illicitum, non autem grauiter illicitum. ſicut acceſſus ad moniales eſt prohibitus regularibus, nemo tamen ambigit, in illo dari poſſe materiæ paruitatem, nam ſi mora ſit breuis, paucisque verbis Regularis monialem alloquatur, leuis erit culpa, & ſic in alijs ſimilibus.

Sed poſſet quis ex doctrina Sanchez, & aliorum reſpondere, concedendo paruitatem materiæ in egreſſu, ita vt eam deſumat ſolum ex egreſſu imperfecto, & ſemipleno, quando ſcilicet non totum corpus, ſed pars extra clauſuram transfertur, at quando egreſſus eſt perfectus, & plenus vt accidit, cum totum corpus monialis à clauſura recedit, dicat eam nõ eſſe leuem, ſed grauem materiam. 8

Contra hanc reſponſionem efficaciter vrgeo, tali pacto, vel egreſſus, quem aduerſarius perfectum appellat, ſumitur phyſicè, vel moraliter, ſeu politicè, ſecundum communem hominum exiſtimationem in ordine ad mores, ſi priori modo; nimirum phyſicè, poſſet multis alijs ſimilibus, eius inſufficientia oſtendi ad conſtituendam materiæ grauitatem, v. g. ablatio vnius oboli inuito domino eſt furtum completum, leue tamen, & comeſtio vnius, aut alterius buccellæ carnis die veneris, phyſicè loquendo, eſt completa comeſtio, nihilominus, leuis erit in genere moris, & omiſſio vnius, aut alterius orationis Angelicæ, aut Dominicæ per votum Deo promiſſæ, eſt completa fractio voti, non autem erit grauis, ſed leuis, & ſic in ſexcentis alijs ſimilibus id reperiemus: si vero egreſſus ſecundo modo ſumatur, nempè moraliter, peto ab aduerſarijs, ex quo capite colligant grauitatem materiæ, & notabilem oppoſitionem cum virtute? ſanè id aſſignare nequeunt. si denique recurrant ad finem, ob quem Pontifices ducti fuerunt ad prohibendum ſub grauiſſimis pœnis, huiuſmodi egreſſum, nihil probant, quia omni ſufficienti fundamento carent ad colligendam grauitatem materiæ, & ad reijciendam omnem leuitatem, etiam in ipſo completo egreſſu, nam finis huius prohibitionis fuit honeſtas, & decentia ſtatui monialium conueniens, & pariter vitatio periculi, & ſcandali contra virgineam puritatem, quam moniales ipſæ profitentur, ſed non omnis actio ſtatui religioſo indecens cenſetur moraliter grauis, aliter ſi religioſus immodeſtè per vrbem incedat, immoderatè rideat, aut loquatur, &c. grauiter peccaret, quod eſt apertè falſum. quod verò attinet ad aliud caput prohibendi

di

di egreſſum, nempe ad fugiendum periculum, ſeu ſcandalum, aio quod poſſet in talibus circumſtantijs monialis ludere, ita vt nullũ adſit periculũ, aut ſcandalũ, videlicet nemine inſpiciente, & ſecretò, tunc enim nullum prorſus erit periculum, aut ſcandalum, remoto autem periculo, egreſſus grauem dehoneſtatem non haberet. maneat igitur dari poſſe leuitatem materiæ in ipſo met egreſſu completo; atque adeo non tranſcendere venialem culpam.

9 Et confirmari poterit, quia paruitas egreſſus non ſolum ſumi debet per ordinẽ ad receſſũ à terminis clauſurę, verũ etiã per ordinẽ ad morã tẽporis intercedentis inter egreſsũ, & regreſsũ, & cũ hæc ſit modica, modicus etiã in genere moris ęſtimabitur egreſſus, ita vt ob celerẽ reuerſionẽ moraliter reputetur ac ſi non fuiſſet, nam id quod, breuiſſima mora, durat, moraliter cenſetur non duraſſe, vt colligitur, *ex cap. nam, & ego. de verb. ſignificat.* quæ verba ſunt *Salomonis cap. 4. prouerb.* ſic dicentis [*Nam, & ego vnigenitus ſum corã matre mea*] per hęc verba proponit S. Hieronymus dubium, qua ratione Salomon dicat ſe vnigenitum, cum habuerit fratrẽ alium vterinum ante ſe, & reſpondet, quia ille nuper natus, ſtatim è vita deceſſit, ideo ſe habuit, ac ſi natus non fuiſſet, & ex hoc notat *Gloſ. non videri factum, quod non durat factum*. quare id probat *Barboſa* iuribus, & auctoritate Doctorum in ijs, quæ habẽt tractum ſucceſſiuum *axiom. 93. num. 14.* & in ijs, in quibus ceſſatio actionis eſt in poteſtate ipſius operantis, vt ipſe met Barboſa declarans textum citatum canonicum Ibi aſſerit; ſic in caſu noſtro monialis ludum ſucceſſiuum exercens, ſtatim poſt egreſſum regrediens, non videtur moraliter egreſſa.

Obijcies ex doctrina Pellizzarij loco citato adducta in hunc modum; in ludo illo
10 ſuperiùs poſito reperiuntur plures delationes totius corporis monialis extra clauſuram; & quamuis demus quamlibet delationem, & egreſsionem ſeorſim ab alijs, eſſe paruam materiam, nihilominus omnes ſimul ſumptæ conſlant moram diuturnã tẽporis, quatenus ratione intentionis, per quam monialis vult ludum continuare, connectuntur in vnum, ſicut in furtis minimis, quodlibet eſt leue, ſimul tamẽ conſtituere poſſunt notabilem quantitatem ſufficientem ad peccatum mortale.

Reſpondeo hoc argumento contra nos inutiliter vrgeri, quia ſi ludus ita continuetur, vt omnes eius egreſſus notabilem temporis moram conſumant, tunc eſto ſit graue peccatum, non ſumus tamen in caſu, quia nos loquimur, quando egreſſus, ſiue vnicus, ſiue multiplex per modicum temporis durat, quanta autem mora requiratur, vt tempus cenſeatur notabile, arbitrio prudentis eſt decidendũ, certum enim eſt longiorem requiri durationem; quando egreſſus ſunt interpolati, quàm cum eſt vnicus continuus, imo quanto longiùs interponitur tempus inter vnum, & aliũ tãto plures requiruntur egreſſus, ad grauẽ materiam conſtituendam, vt in furtis minimis diſcurrunt authores.

Ex his omnibus, quæ dicta ſunt à fortiori colligimus non violari clauſuram, ſi monialis ponat ſe in rota communi, eamque reuoluat ad exteriorem partem, ad quam accedere ſolent ſæculares, ſi è rota illa nõ egrediatur, ita *Tamburinus loc. cit. §. 5. Lezana de quæſt. regul. tom. 1. cap. 25. num. 18. Bonacina p. illo 8. num. 7. Pellizzar. ſec. 2. cit. num. 72.* quamuis oppoſitum ſentiat *Comitolus in reſponſ. moral. lib. 6. quæſt. 3. Portell. l. c. num. 25.* 11

Et ſimiliter colligim⁹ nõ violari clauſurã, ſi monialis ſtet in oſtio, ita *Sãchez, & Pellizzar. ll cc.* ſtans enim in oſtio cenſetur ſtare in eadem domo, vt apud Sanchez docet *Bartholus, Baldus, Alexander, Iaſon.* 12

QVÆSTIO OCTAVA.

Num Titius in varios prorumpens contra fidem errores, ſi admonitus adhuc in illis perſiſtat, putans ſe hæreticũ non eſſe, ſit cenſendus formalis hæreticus, & in excommunicationem incurrat?

SVMMARIVM.

Figuratur caſus. 1
Aliqui exiſtimant in tali caſu Titium cenſendum eſſe formaliter hæreticum. 2
Alij oppoſitum tuentur. 3
Aliud eſt determinare, quæ nam opinio ſit verior, aliud vero quid amplectendum ſit in praxi. 4
Priorem opinionem eligit Author. 5
Poſterior eſt probabilis. 6
Poſita probabilitate poſterioris ſententiæ, in praxi Titius non debet iudicari formaliter hæreticus. 7

Conſultus fui; an Titius, qui plures protulit errores contra fidem catholicam, ſi poſt admonitionem factam à Dominis Inquiſitoribus, & à nõnullis Theologis aſſerentibus propoſitiones illas eſſe contra determinationem Eccleſiæ, in ijſdem adhuc perſiſtat erroribus, & non concedat errores illos eſſe contra de- 1

Digitized by Google

definitionem Eccleſiæ, imo proteſtetur ſe credere id, quod Eccleſia docet; ſit cenſendus formaliter hæreticus: an vero
1 ſit ſolum vehementer de hæreſi ſuſpectus.

2 Prima opinio eſt multorum, qui in caſu prædicto putant Titium exiſtimandum eſſe formalem hæreticum: & in hac ſententia eſt *Ferdinand. Caſtropal. de hæret. tract. 4. diſp. 3. punc. 2. num. 6. & apud ipſum Vgolinus, Rebuffus, & Bartholus;* idem etiam ſentit, licet aliquas adhibeat diſtinctiones *P. Suarez de fide diſp. 19. ſec. 3. num. 21. Peña in direct. 1. par. com. 26. ad quæſt. 12. & alij*. ratio pro hac ſententia eſſe poteſt; quia poſt ſufficientem propoſitionem, & inſtructionem, per quam Domini Inquiſitores, & Theologi, Titio proponunt oppoſitas propoſitiones eſſe ab Eccleſia definitas, tunc ſi Titius adhuc perſiſtat in ſuis erroribus, cenſendus erit pertinax, & conſequenter formalis hæreticus; nam illa declaratio, facta à Dominis Inquiſitoribus, & Theologis, facit moralē euidentiam, veritates illas, quas Titius credere nolit, fuiſſe ab eccleſia definitas; proinde videtur ipſe Titius contemnere eccleſiæ authoritatem, eique contradicere; aliter nemo cenſendus erit hæreticus, cum nullus ſit ex hæreticis, qui velit vera Eccleſiæ non credere.

3 Secunda opinio eſt aliorum, qui oppoſitum ſentientes aiunt, Titium in caſu prædicto non eſſe cenſendum hæreticum. ita *Canus de locis Theol. lib. 12. cap. 9. verb. Ad quid pertinacia. Corduba in ſuis qq. Theol. lib. 1. q. 17. §. 7. Vaſquez in p. 2. diſp. 126. cap. 3. num. 6. Valentia in 2. 2. diſp. 1. q. 11. puncto 1. diſſ. 4. Sanchez in ſumma lib. 2. cap. 7. num. 25. Tarrianus in 2. 2. diſp. 55. dub. 2. ver. Item ex doctrina, Malderus Epiſcopus Antuerpienſis in 2. 2. q. 11. d. 2. membro 2. ver. Ex hac propoſitione: & alij*, qui licet conueniant aſſerēdo pertinaciā hāc eſſe peccatū mortale, & reductiuè pertinere ad hæreſim; nihilominus dicūt non eſſe pertinaciā ſufficientem ad conſtituendum Titium hæreticum formalem. fundamentum huius opinionis eſt, quia dum Titius non intendit contradicere eccleſiæ, eiuſque definitioni; ſed eſt paratus credere id quod eccleſia ſtatuit, & ſolum nolit aſſentiri dictis Inquiſitorum, & illorum Theologorum; qui vt particulares homines, cum non ſint regula infallibilis, decipi poſſunt; quamuis, vt dixi, peccet grauiter non credendo; nihilominus non erit hæreticus.

4 Pro ſolutione huius difficultatis ſupponendum eſt; aliud eſſe determinare, quænam ſit verior ex relatis opinionibus: aliud vero quid hic, & nunc ſit amplectendum in praxi.

Dico igitur primo opinionem primo loco relatam mihi videri probabiliorem, & veriorem. ad hoc aſſerendum ducor fundamēto, in quo authores eiuſdē opinionis nituntur, quod ſolidiùs cenſeo, quam ſit fundamentum oppoſitæ ſententiæ. 5

Dico ſecundo à nemine, meo iudicio, negari poterit ſecundam opinionem eſſe probabilem, cùm illam defendant graues Theologi, & non contemnendum habeat fundamentum. 6

Dico tertio poſita probabilitate ſecundę ſententię non videtur Titius cenſendus hæreticus formalis. probatur concluſio, quia quando iura ſunt obſcura, reo eſt fauendum; vt dicitur *in reg. iur. in 6.* naturalis enim ratio dictat debiliori parti eſſe fauendum; reus autem eſt veluti debilior pars. rurſus quando reus æqualiter ſe defendit, non adhuc probatur nocens: idcirco eſt illi fauendum ex doctrina, quā tradit *Menochius lib. 2. de arbit. cent. 1. caſ. 98.* & hanc ſententiam ſequuntur *Sayrus in clau. reg. lib. 1. cap. 11. num. 12. & ſeq. Pilliucius tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 144. & alij doctores*, qui docent in dubijs pro reo. concludo igitur in caſu noſtro dum Titius, ne cenſeatur hæreticus formalis, habeat pro ſe tot doctores, ita erit pro eo iudicandum. 7

QVÆSTIO NONA.

Num proferens verba ambigua, ſit cenſendus irregularis, ſi alius occaſione eorundem verborum, homicidium committat.

SVMMARIVM.

Titius ſæpe mortem Sempronio minitans, venenum eidem ei propinauit, mors tamen ſecuta non fuit. 1

Antonius reſpondens ad epiſtolam, quam Titius de hac re ſcripſerat; dixit ſi applicata iuuant, continuata ſanant, dedit Titius ſecundo venenum, & mortuus eſt Sempronius. 2

Duo ſunt inquirenda, primo an verba iſta ſe habuerint per modum conſilij, nec ne: ſecundo an Antonius poſſit excuſari ab irregularitate ob mortem Sēpronij ſecutam, etiam ſi verba fuerint conſiliatiua. 3

In dubio iuris nemo præſumendus eſt irregularis. 4

In dubio facti licet aliqui idem ſentiant, nihilominus in dubio homicidij oppoſitum eſt iudicandum. 5

Verba illa, vt iacent non ſunt conſiliatiua, & eorum ſenſus aperitur. 6

Ex alio capite Antonius excuſari poteſt ab 7

irregularitate, etiam poſito quod verba fuerint conſiliatiua.

8 *An Antonius ita ſcribens peccauerit ratione ſcandali, eſt alia conſideratio.*

1 TItius diù minitatus eſt mortem Sempronio, & tandem ei venenũ dedit, at nulla hinc ſecuta mors eſt; nihilominus Titius à ſuo propoſito nõ deſtitit, & ideo epiſtolam quandam Antonio presbytero ſcripſit, vt ipſum certiorem faceret de hac re, non vt ab ipſo Antonio peteret conſiliũ. Antonius reſcripſit Titio, & reſpondens his verbis vſus eſt:
2 *Si applicata iuuant, continuata ſanant*. Titius tandem ſecundum dedit venenum pharmaco mixtum, & occidit Sempronium.

3 Vt quæſito plenè ſatisfaciam, duo oportet expendere, & determinare; primo, an verba, quæ ab Antonio ſcripta fuere, conſilium de morte inferenda contineant? ſecundo etiamſi fingamus verba illa eſſe cõſiliatiua mortis, an Antonius ex alio capite ab irregularitate ſit excuſandus?

4 Dico primo in dubio iuris, poſt moralem diligentiam adhibitam, ſi adhuc dubium perſeuerat, nemo eſt cenſendus irregularis. eſt communis ſententia. *Conar. in Clemen. Si furioſus par. 3. initio num. 3. Lopez par. 2. inſtruct. conſc. cap. 22. Azorius tom. 1. inſtit. moral. lib. 2. cap. 19. quæſito 10. Suarez tom. 5. In 3. p. d. 40. ſec. 5. num. 28. & ſeq. Sayrus de cenſuris lib. 6. c. 2. num. 16. Sanchez in ſumma lib. 2. c. 10. num. 42. Rebell. de iuſt. lib. 1. quæſt. 2. ſec. 2. num. 13. Salas in p. 2. tract. 8. diſp. vnica ſec. 10. Bonacina de cenſ. d. 7. quæſ. 1. punct. 6. num. 2. & alij*. colligunt hanc concluſionem *ex cap. Is, qui. de ſent. excom. in 6.* ratio autem pro concluſione eſt, quia niſi ius imponés irregularitatem ſit expreſſum, poſſeſſio ſtat pro immunitate, nam lex indicens pœnã debet innoteſcere, & eſſe ſufficienter expreſſa, aliter non obligat.

5 Dico ſecundo, de dubio facti quamuis *Henriquez in ſum. lib. 13. cap. 16. nu. 3.* putet eandem eſſe rationem, ac de dubio iuris, quæ ſententia à quibuſdam non cenſetur improbabilis; attamen communis ſententia doctorum loquentium de dubio facti circa homicidium, quidquid ſit de dubio irregularitatis circa alias materias, docet ita dubitantem, etiam poſt adhibitam diligentiam, cenſendum eſſe irregularem, ita Authores in prima concluſione citati, fundantur enim in eo quod videtur hoc deciſum *in cap. Ad audientiam & cap. Significaſti 2. de homicidio*. tunc cum in foro externo irregularis ſit iudicãdus, idem eſt dicendum in foro interno; ſi oppoſitum non conſtet. vide Authores citatos, multa circa hanc rem exagitantes.

Dico tertio, verba illa ab Antonio ſcripta, penſatis omnibus, non continere cõſilium. & vt hoc probem ſuppono ironicè eſſe prolata, nam licet dicatur: *Si applicata iuuant, continuata ſanant*: verus tamen ſenſus intentus fuit iſte, aut ſimilis; ſi applicata nocent, continuata occidunt. quod autem hunc ſenſum, vel ſimilem habere debeant, eſt manifeſtum, aliter fuiſſent inepta, & non ad propoſitum. quo poſito dico, quòd, quamuis in hoc ſenſu ſint ambigua, an fuerint practicè per modum conſilij prolata, an verò ſpeculatiuè per modum doctrinæ, ſeu veritatis declarandæ; tamen in caſu noſtro aio hoc ſecundo modo eſſe intelligenda, quia Antonius, vt dicitur in quæſito, ſemper diſſuaſit Titio mortem inferendam Sempronio, ideoque tantum abeſt, vt verba illa includant conſilium de morte inferenda, vt potius contineant conſilium de oppoſito, quaſi dicat, ſi pharmacum applicatum nocet, continuatum mortem cauſabit, quam ſemper diſſuaſi. 6

Dico quarto, poſſe Antonium ex alio capite excuſari ab irregularitate, etiamſi ponamus verba illa eſſe conſiliatiua. poteſt inquam excuſari, ſi re vera Titius non fuit motus, neque excitatus ex vi illorum verborum ad mortem inferendam, neque ad faciliùs, aut acriùs illam cauſſandam; & hoc colligi poteſt ex coniecturis, videlicet, ſi independenter ab Antonio Titius erat inimicus, præparabat venenum, vel alia inſtrumenta cauſatiua mortis, & præſertim ſi ipſe teſtatur non fuiſſe vllo pacto excitatum, neque à verbis Antonij, neque per illa verba faciliùs mortem intuliſſe Sempronio. at de hoc eſt illi adhibenda fides, ſi eſt vir fide dignus. *ita Sayrus de cenſuris l. 7. cap. 3. num. 2. Auila de cenſ. par. 2. d. 6. ſec. 2. dub. 3. concl. 3. Ugolinus de cenſ. cap. 16. §. 10. Quid igitur concludendum. Henriq. l. 14. cap. 16. num. 3. Bonacina de cenſ. d. 7. quæſt. 4. punct. 8. num. 19. Rodriq. in ſumma par. 1. cap. 278. concl. 24. Sanchez in ſumma cap. cit. num. 44. & alij.* 7

Et hæc ſaluo meliori iudicio dicta ſint de irregularitate. an vero Antonius verba illa ſcribens, quatenus poterat præbere occaſionem ſcandali, & mortis, peccauerit nec ne, eſt alia conſideratio. 8

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMA.

Titius falsò aſſerens facultatem habere à proprio ordinario, & ſic ab alio preſbyteratum recipiens; num dicatur furtiuè promotus, & in irregularitatem incurrat?

SVMMARIVM.

1 *Supponitur in iure canonico pœna irregularitatis impoſita furtiuæ promotioni.*

2 *Enarratur caſus.*

3 *Fuiſſe furtiuam promotionem cenſuerunt aliqui.*

4 *Declaratur quot modis dici poteſt promotio furtiua.*

5 *Deciditur ab Authore promotionem hanc propriè, & ſtrictè loquendo furtiuam minimè fuiſſe.*

6 *Probatur ex ipſo nomine.*

1 SVppono in iure canonico pœnam irregularitatis impoſitam eſſe contra eos, qui verè furtiuè ad ordines promouentur, vt colligitur ex *cap. 1. De eo, qui furtiuè, &c.* quamuis non deſint, qui putent pœnam hanc non eſſe propriè loquendo veram irregularitatem, ſed potiùs ſuſpenſionem, & de hoc puncto diſſerit *Suarez tom. 5. de cenſ. diſp. 41 ſec. 3. num 5. Bonacina de irreg. diſp. 7. queſt. 3. p. 4. num. 6.* aduerto tamen in quibuſdam impreſſionibus deeſſe hoc punctum: examinat etiam illud *Caſtropalaus par. 6. diſp. 6. p. 17.* cæterum ad rem noſtram hoc parùm refert, quia ſolum intendimus expendere, num prædicta promotio ſit propriè loquendo furtiua, atque adeo promotus pœnam eccleſiaſticam incurrat, ſiue ea ſit vera irregularitas, vt eſt probabilius, ſiue ſuſpenſio.

2 Caſus autem euenit de facto, de quo ipſe conſultus fui, & ita eum explico. Titius Diaconus habēs quoddam breue pōtificium, per quod ipſi cum clauſulis conſuetis conceſſum fuit poſſe ad omnes ſacros ordines à quocūque catholico Antiſtite promoueri, non ſeruatis temporum interſtitijs, cum licentia tamen proprij ordinarij, &c. ipſe vero, aut ex ignorantia, aut vt ipſe mentiebat ex alterius conſilio, aut denique ex malitia, ſimulans licentiam habuiſſe à proprio ordinario, promotus fuit ad ſacrum presbyterátum ab alieno Epiſcopo. quæritur nunc an promotio iſta fuerit furtiua, & per conſequēs an Titius irregularis fuerit cenſendus. (ſuppono in præſentia pœnam à iure impoſitam eſſe irregularitatem,) & loquor de ipſa promotione ſecundum ſe ſpectata, nam ſi Titius ignorantia inuincibili laborans promotus fuit, non erit caſus quem quæro. maioris tamen claritatis gratia ſupponatur ex induſtria, & malitiosè id feciſſe; quæritur an fuerit formaliter, & non ſolum materialiter promotio furtiua, & Titius verè dicatur furtiuè promotus, & in pœnam irregularitatis incidiſſe?

Non defuit qui diceret ordinationem illam furtiuam fuiſſe, probatur, quia Titius clericus dolosè acceſſit ad ſuſcipiendum ordinem, & Epiſcopum decepit. & confirmatur, quia Auctores explicando modos, in quibus dicitur quis furtiuè ordinem recipere, inter alios ponunt illum, qui eſt per carentiam litterarum dimiſſorialium, vt videre eſt apud *Caſtropalaum par. 6. diſp. 6. p. 17. num. 1.* qui eundem modum tertio ponit loco. 3

Pro ſolutione huius difficultatis, & etiā probationis, cum ſua confirmatione, aduertendum diligenter eſt, furtiuam ordinationem multiplicem eſſe; ideoque, & ſtrictè, & largè ſumi ſolere; eius autem latitudo oritur ex ſignificatione vocabuli, nam omnis deceptio cognita, & intenta furtiua appellari poteſt, v. g. ſi duo contrahentes conueniant ad quandam negotiationem exercendam, & alter dolosè decipiat alium, dici poſſet furtiuè procedere, ideoque contractus ille eſſet furtiuus vt ſi fingas habere facultatem illam contrahendi, aut vendendi, permutandi rem aliquam, careat tamen facultate iſta, vel ſit minor, & nequeat abſque tutore, ſeu curatore contrahere, vel vendat rem nō ſuam, vel rem vitio occulto laborantem, vel quid ſimile; tunc omnes hæ actiones rectè vocari poſſunt furtiuæ, quia per quālibet ex illis decipitur alter contrahens, ſic in caſu noſtro poſſet ordinandus decipere Epiſcopum à quo eſt promouendus multipliciter, vel ſimulando ætatem ſufficientem, quam de facto non habeat, vel falſificando patrimonium, vel litteras dimiſſoriales fingendo, quas de facto non habet, vel abſque conſcientia, ideſt notitia, & abſque voluntate Epiſcopi ordinantis, cum alijs promouendis ſe ingerēdo, quod varijs modis contigere poterit, vt declarat Suarez loco infra citando: omnes autem hi modi merito furtiui dicuntur; proinde ſi pœna irregularitatis impoſita fuiſſet modo furtiuo vniuerſaliter accepto, proculdubio clericus, de quo eſt præſens ſermo diceretur furtiuè promotus, & in irregularitatem incurriſſe, ſed res nō ita ſe habet, nam pœna irregularitatis nō eſt impoſita cuicumque doloſæ ordinationi, ſed illi, quæ ſtrictè loquendo appellatur furtiua, & contingit modo vltimo ex- 4

Digitized by Google

plicato, quando ſcilicet ſine notitia, & voluntate ordinantis ſe intrudit non examinatus, nec approbatus, & iſte modus propriè dicitur furtiuus, cui coniuncta eſt irregularitas, vt exponunt Authores, nam non eſt impoſita irregularitas alijs modis, ita *Suarez diſp. 62. de cenſ. ſec. 3. num. 5.* qui ait communiter ſic furtiuam ordinationem exponi ab Authoribus, ita etiam *Sayrus lib. 7. de cenſ. cap. 9. num. 37. Bonacina de cenſ. diſp. 7. quæſt. 3. p. 4. n. 6. Layman. de irregul. lib. 1. tract. 5. par. 5. cap. 3. num. 1. Filliuccius Caſtropalaus ll. cc. Gaſpar Hurtado de cenſ. diſp. 2. diff. 1. num. 3. Theſaurus in praxi eccleſ. par. 2. de ord. cap. 7. ver. Aduertendum tertio, & alij.* his præhabitis reſpondeo directè ad quæſitum.

5 Dicendum eſt clericum prædictum non fuiſſe furtiuè promotum, strictè loquendo, ita ex communi Doctorum doctrina, qui furtiuam promotionem preſsè ſumptam appellant eam, quam deſcripſimus, nempè quando ipſe promotus non approbatus ab Epiſcopo ordinante cum alijs ſe ingerit, & ita *in tract. de cenſ. Sayrus lib. 7. cap. 9. num. 32. Maiolus de irregularitate lib. 4. cap. 8. Suarez d. 42. ſec. 3. nu. 5. Bonacina diſp. 7. q. 3. p. 4. num. 6. Coninck diſp. 18. dub. 5. num. 42. Caſtropalaus, & Filliuccius ll. cc. Gaſpar Hurtado diſp. 2. diff. 1. nu. 3. Layman. in ſum. tract. 5. lib. 1. par. 5. cap. 3. num. 1. Antonius Theſaurus in praxi eccleſiaſtica par. 2. de ordine cap. 7. ver. Aduertendũ tertio. Barboſa in cap. Primum de eo qui fur. num. 6. & alij.* & ex his patet ſolutio ad fundamentum contrariæ opinionis, & ad eius confirmationem.

6 Probatur quia, vt nomen indicat, illa eſt furtiua promotio propriè dicta, quæ eſt occulta, & contingit quando promotus ſine ſcientia ordinantis, non vocatus, clãculum conſociatur alijs; reliqui vero modi reſpectu Epiſcopi ordinantis non dicuntur furtiui propriè loquendo, vt eſt v.g. oſtenſio falſarum dimiſſorialium, fictum patrimonium, ætas inſufficiens, vel alius modus ex illis, quos enumerat Filliuccius loco ſuperius citato; hi autem modi non dicuntur furtiui, quamuis doloſi, nam Epiſcopus fidem præſtans ordinando, cum examinat, approbat, & vocat per miniſtrum, vt accedat ad gradum recipiendũ.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Clericus per indebitam presbyteratus receptionem ſuſpenſus, num in eadem ordinatione cum Epiſcopo celebrans, fiat irregularis.

SVMMARIVM.

Ratio dubitandi. 1
Eadem difficultas locum habet de excommunicato. 2
Prima opinio affirmat. 3
Contrariam ſuſtinet Author. 4
Obiectio in oppoſitum, eiuſque ſolutio. 5

Caſus iſte annexus præcedenti eſt, nam clericus ille licet non incurrerit irregularitatem, ex eo, quod abſque ſui ordinarij licentia ſacrum presbyteratus ordinem ſuſceperit; nihilominus, de eodem poſtea fuit dubitatum, an ſaltem celebrando ſimul cum Epiſcopo, vt moris eſt, & conſecrando, irregularitatem contraxerit, quæ de iure impoſita eſt, *cap. 1. de ſententia excommunicationis in 6.* verſus finem, contra eos, qui in ordine, à quo ſunt ſuſpenſi, miniſtrant.

Poſſet etiam difficultas fieri de excommunicato, nam ſolent Epiſcopi cum ordinationes celebrant, cenſuram excommunicationis ipſo facto incurrendæ imponere contra illos, qui in ea ordinatione accedunt ad promotionem ſine debitis requiſitis, nempe ante legitimam ætatem, abſque titulo, aut ſine licentia proprij ordinarij, &c. Ponamus igitur clericum, de quo ſupra egimus, incurriſſe in excommunicationem impoſitam ab Epiſcopo ordinãte, contra ordinandos ſine licentia proprij ordinarij, tunc iſte promotus contraheret cenſuram in eo momento, quo ordine v. g. ſubdiaconatus, diaconatus, aut presbyteratus inſignitur, poſtea vero iuxta ritum eccleſiæ ſolet aſſiſtere Epiſcopo in eodem ſacro, & ſolemniter epiſtolam, aut euangelium canere, aut ſi eſt ad ſacerdotium promotus, concelebrare, & conſecrare cum ipſo Epiſcopo, quæritur, num iſte talis conſecrando fiat irregularis. 2

Prima ſententia affirmat, clericum ita miniſtrantem in irregularitatem incidere, & hoc dicere debent Authores, quos quæſito præcedente attulimus pro ſententia, quæ id aſſerit de ijs, qui ſuſpenſi in ordine inferiori, aſcendunt ad ſuperiorem, vt *Couar. Maiolus, Nauarrus*, eſt enim eadem immo fortior ratio, nam iſte excommunicatus maiori excommunicatione, conſecrat, atque adeo exercet proprium ſacerdotis munus, neque eximendus 3

dus eſt ab hac pœna, ex eo quod ſimul cũ Epiſcopo conſecret, nam ſimultas iſta nõ prohibet, quin verè celebret.

4 Sed puto oppoſitum eſſe omnino dicẽdum, videlicet hoc pacto celebrantem in irregularitatem minimè incidere, ita Barthol. Medina in inſtruct. confeſſ. lib. 2. cap. 11. Sayrus de cenſuris lib. 4. cap. 16. num. Henriquez lib. 14. de irreg. cap. 12. §. 6. in fine, Suarez de cenſ. diſp. 31. ſect. 1. num. 72. & ratio fundamentalis huius cõcluſionis, in qua prædicti Authores nituntur eſt, quia actio illa, quã promouendi ſimul cum Epiſcopo ordinante exercent moraliter non diuerſa, ſed vna eademque actio exiſtimatur, cum ipſa ordinatione, igitur cum ratione talis illicitæ ordinationis incurratur cenſura, nequit incurri irregularitas propter actiones illas, quæ ſunt circumſtantiæ euſdem vnitæ ordinationis, non enim videtur rationi congruũ, vt ob eandem vnicam actionem, in qua incurritur cenſura, incurratur etiam irregularitas ob fractionem cenſuræ; nam iura, quæ pœnam irregularitatis clerico ſuſpenſo actum ſui ordinis exercenti imponunt; intelligi debent de actu ordinis diſtincto ab eo, ob cuius exercitium incurritur cenſura; quod Suarez etiam confirmat ex conſtitutione Pij II. quæ incipit, *Cum ex ſacrorum*, *&c.* & eſt ſeptima in bullario, ex verbis autem, quæ in ea cõſtitutione habẽtur colligit iſte Auctor diſtingui à Pontifice ordinationem, & vſum ordinis, ob quem irregularitas imponitur, & idem etiam confirmat *ex motu proprio Sixti V.* proinde cum conſecratio illa non ſit actus diſtinctus ab actu ordinationis, non eſt ille vſus ordinis, cui eſt irregularitas affixa; & quamuis phyſicè loquendo hæ duæ actiones ſint realiter diſtinctæ, & vna tempore aliam præcedat, nihilominus moraliter ambæ cẽſentur vna integra actio, nam celebratio, ſeu conſecratio eſt veluti appendix, ſeu pars completa ordinationis; idcirco cum in ordinatione promotus ſuſpenſus fiat, nequit, per eandẽ ordinationem in irregularitatem incidere, in quam tamen incurreret ſi peracta tota illa functione celebraret, tunc enim promotus omnino voluntariè exerceret miniſterium illud, quod tamen non accidit celebrando in ordinatione ipſa, quæ continet omnes prædictas functiones, quarum aliquæ ſunt formaliter ipſa characteris impreſſio, aliquæ vero ſunt acceſſoriæ, ſed neceſſario requiſitæ, vt eſt conſecratio, nam ſacerdos ordinatus debet omnino cũ Epiſcopo ordinante proſequi miſſam, & conſecrare iuxta eccleſiæ ritum; ita vt hæ actiones ſtante ritu non ſint ſeparabiles.

5 Sed vrgebis eſto admittamus talem neceſſitatem in eo, qui fit presbyter, nulla tamen videtur neceſſitas in eo, qui fit diaconus, quia diaconatu inſignitus, non cogitur in eadem ordinatione aſſiſtere Epiſcopo, & canere euangelium, ideoque ſi recipiendo gradum diaconatus fuit ſuſpenſus, aut excommunicatus, ſi poſtea ſolemniter euangelium recitet, exercebit actum illius ordinis, à quo eſt ſuſpenſus, proindè in irregularitatem incidet, & hæc inſtantia facta fuit in fine precedentis poſtulati.

Reſpondeo licet non appareat eadem neceſſitas in diacono, quæ reperitur in promoto ad ſacerdotium, quia cum plures ſint promoti, non omnes, ſed vnus tantum ex illis miniſterium illud exercere debet: nihilominus, ratio excuſandi ab irregularitate, militat etiam in diacono, & ita docet Suarez *diſp. illa* 31. *ſec.* 1. *num.* 72. *& ſeq.* & hoc vt diximus ex eo, quia vna eademque cenſetur moraliter actio. addit etiam Suarez aliam rationem, nam ſi vnus tantum eſſet promotus, idem ferè omnino procederet, ac in eo, qui promouetur ad ſacerdotium, & per accidens eſt eſſe plures, immo quando ſunt plures ſi iſte ſuſpenſus non ſe ingerat, & inuitetur ad canendum, quamuis conſultius faceret ſe excuſando; nihilominus, non eſt ad id moraliter obligandus, ne aliquam ſuſpicionem, ſeu notam præbeat. ſed ratio iſta Patris Suarez patitur difficultatem, proindè ſufficienter ſententia probatur ex actionis vnitate moraliter ſumptæ, vt ſupra diximus.

QVÆSTIO DVODECIMA.

Suſpenſus ab ordine inferiori, quem habet, ſi ad Superiorem promoueatur, an irregularitatem contrahat?

S V M M A R I V M.

Præſupponitur, contra violantem cenſuram, exercendo actum ordinis ſacri, eſſe in iure impoſitam irregularitatem. 1

Exemplum ponitur ad declarandum quæſitum. 2

Prima ſententia vult incurrere in irregularitatem. 3

Negatiuam tuetur author. 4

Ratio adducta à Suarez nõ placet authori, & quare. 5

Probatur meliori ratione. 6

Qui promouetur ad diaconatum non eſt neceſſe vt epiſtolam recitet, & eam ſubmiſſa voce legens, non dicitur ſolemniter illam recitare. 7

Diaconi quãuis in brachio manipulũ gerãt, & epiſtolã legãt, nõ dicũtur ſolẽniter, & vt exercentes actũ ordinis eã recitare. 8

Quæ-

1 QVæſitum procedit ſupponendo ius canonicum imponens irregularitatem ei, qui ligatus aliqua censura exercet actum aliquẽ maioris ordinis, vt patet *ex cap. Si quis Episcopus 11. quæſt. 3. & cap. Is cui de ſent. excom.* & in hoc non eſt apud Doctores controuerſia, eo autem præſuppoſito, procedit præſens quæſitum, de quo claritatis gratia.

2 Pono exemplum, Titius gradum ſubdiaconatus habeat, & ob aliquod delictum ſit ſuſpenſus ab illo, & ante huius cenſuræ abſolutionem promoueatur ad diaconatũ, quærimus an promotione iſta fiat irregularis. ratio dubitandi, pro parte affirmatiua eſt, quia aſcendens ad gradum illum ſuperiorem neceſſario exercere debet officium gradus inferioris, videlicet, ſubdiaconatus, incedit enim cum alijs in habitu ſubdiaconatus ſolemniter epiſtolam dicens, atque adeo munus huius ordinis inferioris, à quo eſt ſuſpenſus, exercet; ergo in irregularitatem contra frangentem cẽſuram in actu ordinis ſacri incurrit, & idẽ dici poteſt ſi diaconus ſuſpenſus promoueatur ad ſacerdotium.

3 Affirmant incurrere in irregularitatem *Couarruuias in cap. Alma mater, par. 2. §. 3. num. 5. Maiolus de irregularitate lib. 4. cap. 34. num. 1. & ſeq. Nauarrus lib. 1. conſil. de temp. ord. conſil. 26. ver. Tertio quod etiam.*

4 Sed, his minimè refragantibus, pars negatiua eſt omnino admittenda, quam tuetur *Sayrus de cenſ. cap. 16. num. 22. Hieronymus à Sorbo in annotationibus ad compendium priuileg. mend. ver. Sed hic aduertenda eſt. Suarez de cenſ. diſp. 42. ſec. 3. num. 2. ver. Dices, Layman. li. 1. ſum. tract. 5. de irregular. cap. 3. n. 5.* & prius hoc ipſum tetigerat *par. 3. cap. 1. coroll. 6. verſ. Eademque ratio eſt, Diana par. 4. tract. 2. reſol. 92.* & alij.

5 Probat Suarez concluſionem, quia actio illa propriè loquendo, non eſt miniſtratio ordinis inferioris, magis enim eſt vſus paſſiuus, quam actiuus, inquantum ordo inferior eſt diſpoſitio ad ſuperiorem; ſed ratio iſta mihi non placet, ſi enim cõcedatur, quod aſcendens ad ordinem ſuperiorem, exerceat actum ordinis inferioris, non video quare ita illum exercẽs, non dicatur propriè miniſtrare in ordine, & ſanè non alio modo explicari poteſt propriè exercitium ordinis, niſi per poſitionem actus eiuſdem ordinis, ita vt nequeat actus iſte exerceri niſi ab habente characterem illius ordinis, & ſi hoc non eſt propria miniſtratio, eſſet explicandum quid illi deſit, eſſe autem potius paſſiuum vſum, quatenus eſt diſpoſitio, non tollit proprietatem actus pertinentis ad ordinem; & ideo melius videtur, id probandum, ex eo quod in iure non ſit expreſſa impoſitá pœna irregularitatis huic delicto, nempè ſi ſuſcipiat ordinem is, qui eſt aliqua cenſura innodatus: ſanè *Suarez diſp. 31. ſec. 1. num. 57.* ſicut etiam *Filliuccius, tract. 20. cap. 7. num. 191.* aiũt in iure eſſe ſuſpenſionem, & non irregularitatem impoſitam contra eum, qui excommunicatione, ſuſpenſione, aut interdicto ligatus, ordinem aliquem recipiat, & ita explicant *cap. 1. de eo, qui fur. & cap. Cum illorum de ſent. excom.* ex quibus locis, & maximè ex ſecundo colligunt aliqui impoſitionem irregularitatis contra ita delinquentem; at loca iſta à Suarez explicantur de pœna ſuſpenſionis tantùm.

6 Sed quidquid ſit de hac ſententia, aliam do reſponſionem, negando, ab eo, qui aſcendit ad ordinem ſuperiorem, exerceri proprium actum ordinis inferioris, vt rectè animaduertit Sayrus, ex eo quod promouendus, qui ſit ſuſpenſus ab ordine inferiori, & in eiuſdem ordinis apparatu, nullam incurrit irregularitatem, quia nullo iure habetur apparatum ordinis eſſe exercitium eiuſdem ordinis, & ideo benè addit idem Author, ſi aliquis ſubdiaconus ſit ſuſpenſus ab illo ordine, quamuis cum ſacerdote accedat ad altare cum habitu ſubdiaconatus, ſi nullum eiuſdem ordinis actum exerceat, irregularitate minimè afficitur.

7 Quod vero attinet ad lectionem epiſtolæ, aio id non eſſe neceſſarium, quoniam ſæpè ordinandi, ſunt in magno numero, & certum eſt non omnes ſolemniter epiſtolam, aut euangelium canere, addo ex Rubricis Pontificalis Romani, in quo præſcribitur Ritus ſeruandus, in collatione omnium ordinum, ita diſponi, vt omnes ordines conferantur, partim poſt partim immediatè ante epiſtolam, ſanè ſubdiaconi poſt lectionem epiſtolæ promouentur ad diaconatum; proindè ex vi Rubricę, & praxis, non eſt neceſſe, vt ordinandus exerceat actum proprium ordinis ſubdiaconatus legendo ſolemniter epiſtolam, à quo ordine eſt ſuſpenſus, & licet ſubmiſsè legant epiſtolam cum Epiſcopo celebrante; lectio tamen illa non eſt ſolemnis, & recitatur abſque eo quod manipulum, more ſolito ſit poſitum in brachio ſiniſtro, nam ſubdiaconi ordinandi gerunt illud in manu ſiniſtra, cum tunicella, vt dicitur in
8 Pontificali. Diaconi vero licet gerant manipulum in brachio, non dicuntur tamen epiſtolam recitare ſolemniter, quia non recitant, exercentes officium ſubdiaconi cum celebrante, ſicuti ſunt ea, quæ exercen-

Digitized by Google

centur à ſubdiacono miniſtrante cum ſacerdote in miſſa ſolemni, atque adeo lectio illa poſſet etiam exerceri ab aliquo, qui ſolum minoribus ordinibus eſt inſignitus, ſed quid dicendum quando peracta ordinatione Epiſcopus proſequitur miſſam, & vnus ex diaconis illis ordinatis canit euãgelium. tunc enim videtur exercere ſolẽnites officium diaconi, & ideo cum ſupponatur ſuſpenſus fiet irregularis. ſolutio huius inſtantiæ habebitur in ſequenti quæſito.

QVAESTIO DECIMATERTIA.

Occaſione cuiuſdam facti explicantur cõditiones requiſita ad homicidium voluntarium, & caſuale, in ordine ad diſpenſandum ab Epiſcopo in irregularitate ex illo reſultante.

S V M M A R I V M.

1 *Præſupponitur facultas conceſſa Epiſcopis per Tridentinum ad diſpenſandum in irregularitatibus ex homicidio, & declarantur conditiones requiſita ad hoc vt homicidium dicatur voluntarium.*
2 *Figuratur caſus.*
3 *Aliqui putarunt Sortem non incurriſſe in irregularitatem.*
4 *Alij cenſuerunt fuiſſe irregularem ex homicidio voluntario.*
5 *Alij vero voluerũt irregularitatem fuiſſe ex homicidio caſuali.*
6 *Quo ſenſu Authores ſumant rationem voluntarij in hac re.*
7 *Refertur primus modus declarans homicidium, quod dicitur ex propoſito illatum.*
8 *Secundus modus valdè reſtrictè illud exponit.*
9 *Tertius media via incedit.*
10 *Hic vltimus, vtpotè iuri conformior admittitur ab Authore.*
11 *Probatur ex iure canonico.*
12 *Suadetur ex conditione rerum pœnaliũ, & ex odioſis.*
13 *Confirmatur ex quadam doctrina tradita à Iulio Claro.*
14 *Deciſio quæſiti, per quam Author ab irregularitate homicidij voluntarij eximit Sortem proferentem verba illa.*
15 *Abſtinet Author à determinando, num à Sorte fuerit contracta irregularitas ex homicidio caſuali.*
16 *Quæſitum proponitur, & ſoluitur.*
17 *Ex deciſione huius quæſiti colligitur etiã deciſio quæſiti principalis.*

VT exactè intelligatur amplitudo illius facultatis, quæ virtute Tridentini Epiſcopis conceditur ad diſpenſandum in irregularitatibus ex homicidio prouenientibus, eſt omnino neceſſarium tamquam baſim, & fundamentum præmittere conditiones, quæ à iure, & à Doctoribus poſtulantur, vt homicidium cenſeatur voluntarium, & condiſtinguatur ab illo, quod caſuale appellatur. nam *Concilium ſeſſione 24. cap. 6. de reformatione* declarauit licere Epiſcopis diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto procedentibus, illa excepta quę oritur ex homicidio voluntario, exceptiſque alijs ad forum contentioſum deductis; proindè ad decidendum quando Epiſcopus poterit in eiuſmodi irregularitatibus diſpenſare, quando vero minimè, oportet in homicidio prius ſtabilire rationem voluntarij, & rationem caſualis ex quo poſtea facili negotio determinabimus, num Epiſcopus in irregularitate ex illo ſuborta poſſit diſpenſare nec ne? occaſionem autem mihi præbuit examinandi punctum hoc, caſus de quo his diebus conſultus fui; talis enim erat. 1

Titius ſermonem familiariter habens cum Sorte, enarrabat illi deperditos filij ſui mores, cum quadam meretrice, ob quam magnam propriæ ſubſtantiæ partem conſumpſerat; dum autem Titius vehementi animi dolore, hæc manifeſtabat; Sortes illi ſubiunxit formalia verba [*Nemo eſt, qui illam* (intellige meretricem) *percutiat, & è ſuo conſpectu auferat.*] ad quod nihil Titius tunc reſpondit, elapſis tamen quibuſdam diebus, mulier illa, mortua inuenta fuit in quodam flumine; & ideo cupiens Sortes ad ſacros ordines aſcendere, ambigit, num aliqua ſit affectus irregularitate, quæ promotionem ad ordines impediat: proindè à nonnullis Theologis conſilium petijt, quid in re hac eſſet faciendum. 2

Non defuere, qui Sortem ab irregularitate exemerint, ducti ex eo, quod verba illa à Sorte prolata fuerunt inaduertenter, & non cum animo inducendi Titium in homicidium, neque ex præuiſione quod Titius moueretur ad illud patrandum. 3

Alij vero aſſeruerunt, Sortem in irregularitatem incidiſſe, eamque fuiſſe ex homicidio voluntario, ſupponebant enim mortem illatam fuiſſe à Titio, de quo non dubitabatur, & ad eã patrandã ipsũ excitatum fuiſſe verbis à Sorte prolatis, dum ſic diſcurrebant, verba illa ex ſe ſunt apertè conſiliatiua mortis inferendæ, proindè quamuis demus à Sorte prolata minimè fuiſſe ex tali intẽtione, nihilominus ad irregularitatem homicidij voluntarij ſufficit 4

in

in actu exercito cauſſam ad illud aptè inferendum apponere, ideoque licet non directè, ſatis tamen erit indirectè homicidium intentum fuiſſe, nempè in cauſſa cognita vt apta ex ſe ad mortem cauſſandā, quamuis mediate, & ſic coherenter concludebant non poſſe in tali irregularitate Epiſcopum diſpenſare.

5 Alij denique media incedentes via partim conueniebant cum prima, partim cum ſecunda ſententia, & aiebant ſortem cōtraxiſſe irregularitatem, non ex homicidio voluntario, ſed caſuali, & ad eam ſe extendere facultatem, quæ Epiſcopo per Tridentinum conceditur, ad diſpenſandū.

Pro ſolutione huius difficultatis declarandum nobis eſt id, per quod conſtituitur occiſio in ratione homicidij voluntarij, vt diſtincti à caſuali, quapropter nonnulla tum ex his quæ dicunt Authores de hac re loquentes, tum ex iure canonico, & ciuili ſunt præmittenda, & diligenter attendenda.

6 Suppono igitur primò, doctrinam quādam, quam tradit *Sayrus lib. 7. de cenſ. cap. 7. num. 8.* quæ ad rem hanc decidendam non parum facit, loquens enim de vtroque homicidio, illud bifariam conſiderat, videlicet in ordine ad culpam, & in ordine ad facultatem diſpenſandi in irregularitate conſequente; primo autem modo ſi ſpectetur, vtrūque eſt peccatum, atque adeo voluntarium, de ratione enim peccati eſt eſſe liberum, & voluntarium, & in hoc ſenſu non ſumitur, quando iura, & Authores diſtinguunt vnum homicidium ab alio, neque nos in præſentia ſub hac ratione de illo agimus: ſecundo autem modo dicitur voluntarium quatenus ex propoſito eſt intentum, caſuale vero quādo nō eſt ex intentione cauſſandi ipſū homicidium, modo infra melius explicando, in hoc autem non video controuerſiam magni momenti inter Doctores; quæ tamen reperitur in declarando, quid ſit ex propoſito occidere, & aliqui vno modo, alij vero alio modo id exponunt: declarato autem hoc puncto facilè fiet manifeſtū quid ſit homicidium voluntarium, quid caſuale, prout de illis in præſentia loquimur, tres autem dicendi modos inuenio.

7 Primus modus ponitur à *Couarr. cap. ſi furioſus, Clement. V. de homicidio voluntario, & caſ. par. 2. num. 1. ver. Voluntarium homicidium*, vbi explicat eſſe illud, quod dolo, & malo animo committitur, ex quo ſequitur irregularitas, & addit; per voluntarium homicidiū ſe intelligere non ſolum quando occidens explicitè tendit in mortem alterius, eamque directè vult, ſed quoties tendit in actum, ex quo per ſe, & immediatè mors ſequitur, & non per accidens, & exemplificat in eo, qui prauo animo aliquem percutit intendens tantum iniuriam ei irrogare, & cicatrice eius faciem ſignare, & non occidere, ſed non poteſt ita manum temperare quin grauis ſit percuſſio ex qua poſtea mors contingat, hoc autem vult Couarr. eſſe voluntarium homicidium, quia voluntas percutientis quando fertur in percuſſionē, tendit in omne id quod per ſe, & non per accidens immediatè ſequitur ex illa.

Secundus modus valdè reſtrictè ſumit homicidium voluntarium, videlicet illud tantùm quod ex propoſito fit, nempè per ſe, & directè intēditur, ſecùs tamen ſi abſque intentione occidendi fiat aliquid, vnde mors, etiam vt plurimum ſequi ſoleat. 8
ſic *Emmanuel Sà in aphoriſmis ver. Homicidium, num. 4.* quæ opinio vt teſtatur *Bonacina de cenſ. d. 7. quæſt. 5. num. 2.* non videtur improbabilis, & hoc pacto explicat Vaſquez iuxta mentem Tridentini homicidium voluntarium *par. 2. d. 100. nu. 39.* nimirum per hoc quod ſit ex propoſito, & directè volitum; & in eadem ſententia videtur eſſe *Antonius Gomez to. 3. var. reſol. num. 15. 16.* contradiſtinguens homicidium, quod dolo, & propoſito committitur ab eo, quod caſu, perpatratur, quod ibi varijs probat exemplis, per illud autem intelligit homicidiū directè volitum, cui debetur pœna mortis, quod negat deberi homicidio, quod non fit ex dolo, quam materiam fusè ibidem examinat, ſimiliter *Salcedo in pract. criminali cap. 97.* explicat homicidium voluntarium per hoc, quod fiat animo deliberato, & inito conſilio.

Tertius modus, veluti medius inter prædictos non ita amplè ſicuti primus, neque ita ſtrictè ſicuti ſecundus loquitur, atque homicidium voluntarium appellari illud, quod, vel directè, ſeu ex propoſito intenditur, & vt aliqui dicunt in actu ſignato, vel indirectè nimirum in ea actione, quæ eſt ita cauſſa mortis proxima, vt moraliter non contingat, vt non inferat mortem, vt veneni propinatio, & quid ſimile: & hoc pacto dicunt in actu exercito, ſeu æquipollenter homicidium eſſe voluntarium. ſic *Nauarrus in Ench. cap. 27. num. 240. Suarez d. 44. ſect. 2. per totam, & præſertim num. 5. Rodriquez in ſumm. par. 1. cap. 178. num. 1. & cap. 179. nu. 2. Auila par. 7. diſp. 6. ſec. 2. dub. 1. Sayrus, & Fillincius tract. 20. cap. 5. num. 3. 4. 5. Bonac. vt ſupra, Caſtropalaus part. 6. d. 6. p. 5. § 1. num. 1. Stephanus Bauny tract. 11. quæſt. 59. initio, Iulius Clarus in pract. crim. lib. 5. § Homicidium, num. 2. & ſequ.* explicans homicidium voluntarium per hoc quod ſit ex propoſito, 9

Digitized by Google

to, & animo deliberato. conueniunt autem hi Auctores in hoc, quod ad hoc vt homicidium dicatur voluntarium requiritur expreſſa, & directa voluntas, in ipsũ homicidium, vel in actionem moraliter inſeparabilem ab illo.

Hi ſunt modi explicandi homicidium voluntarium, quos apud Authores de illo agentes inuenire potui; ſupereſt, vt quid ipſe ſentiam in medium afferam.

10 Dicendum ergo eſt; ex modis enumeratis vltimus vtpotè communior iurique cõformior mihi magis placet, illumque probo ex iure ciuili *per textum in l. Cornelia ff. ad leg. Cornel.* vbi homicidium, quod ſequitur ex culpa lata, expreſsè contradiſtinguitur ab illo quod fit ex dolo, vt rectè *in eo loco* animaduertit *Bartolus*, docens in pœnis corporalibus latam culpam non æquiparari dolo, quod etiam notat *Gloſſ. in addit. eiuſdem legis*.

11 Secundo probatur ex iure canonico, nẽpè *ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. de reformat.* vbi ſtatuens irregularem ex homicidio eſſe à ſacro altari repellendum, diſtinguit homicidium voluntarium, à caſuali; illudq; explicat his verbis, *Quod eſt per induſtriã, & per inſidias factum*, & declarat etiam conditionem illius, qui voluntarius homicida nuncupatur, his verbis; nempè, *qui ſua voluntate homicidium perpetrauerit, &c.* poſtea paucis interiectis exponens homicidium caſuale, ſic habet. *Si vero homicidium non ex propoſito, ſed caſu fuerit perpetratum, &c.* ex his autem habemus homicidium voluntarium in ordine ad diſpenſandum in irregularitate, quæ ex illo reſultat, exponi à Concilio per hoc, quod voluntate occidendi, ideſt ex propoſito, committitur, quando vero ita non eſt, caſuale appellabitur, neque ex hoc inferas homicidium voluntarium, prout de illo nunc loquimur, eſſe tantùm illud, quod in actu ſignato, & directo eſt volitum, nam verba Concilij iuxta ſententiam vltimo loco relatam, ſunt intelligẽda alterutro ex prædictis modis, videlicet, vel per voluntatem formaliter, & directè tendentem in mortem, vel æquiualenter, quatenus applicatur cauſſa, quæ eſt ita morti propinqua, vt ex illa ineuitabiliter ſequi ſoleat; tunc enim apponens talem cauſſam, cuius efficaciam cognoſcit, conuincitur velle mortem alterius per cauſsã illam appoſitam, & quamuis mors directè, & formaliter non ſit ſecundum ſe intenta, erit tamen intenta, quatenus præuia cognitione applicatur cauſſa ex ſe proxima ad mortem cauſſandam, vt euenit, quando quis venenum alteri propinat, aut enſe, vel ſimili inſtrumento ferit aliquem indiſcriminatim, tunc enim lethaliter vulnerans, ſi mors ſequatur, cenſebitur irregularis ex homicidio voluntario per æquiualentiam, nam modus ille vulnerãdi eſt talis, vt ex ſe ſit illatiuus mortis, & ita percutiens conuincetur velle mortem, quod intelligo ſi modus ille feriendi vt talis præcognoſcatur.

Tertio probatur concluſio, quia cum verſemur in pœnalibus, & in pœna, cuius diſpenſatio eſt ſoli ſummo Pontifici reſeruata, ideo lex cenſebitur odioſa, eiuſque verba ſunt ſtrictè intelligenda; proindè cum Pontifex ſibi referuat diſpenſare in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, debemus homicidium ipſum voluntarium, quantum fieri permittitur preſsè explicare, nempè de illo, quod eſt directè intentum, vel formaliter, vel ſaltem per æquiualentiam, vt ſupra declarauimus. 12

Et confirmatur, nam vt rectè animaduertit *Iulius Clarus, ex Iaſone, & alijs, in pract. criminal. lib. 5. §. Homicidium, num. 3. & infra in eodem lib. § fin. quæſt. 84. num. 1. ver. Ex hac concluſione infertur*, quando ſtatutum diſponit, vt homicida ſit decapitandus, intelligi debet de homicidio illo, quod per dolum fuit patratum, non autem de illo, quod culpa fuit commiſſum ſine dolo, nempè de illo, quod ſine intentione occidendi fuit cauſſatum, vt ipſemet Clarus exponit, igitur à pari ſicuti in iure ciuili per homicidium, cui pœna capitis eſt impoſita, intelligitur ſolum illud, quod fit ex dolo, & ex propoſito, ita ego dicam in iure canonico; irregularitas, cuius diſpenſatio ad ſolum Pontificem ſpectat, cenſetur impoſita ſolùm illi homicidio, quod ex dolo, ſeu ex propoſito committitur, nam in pœnalibus, & odioſis, nomine homicidij volũtarij venire debet tantum homicidium illud, quod rigoroſè appellatur voluntarium, & tale eſt, quod directè intenditur, vel in actu ſignato, vel exercito, ſeu, vt diximus, in ſe, vel in cauſſa moraliter inſeparabili, nam velle talem cauſſam cognitam, vt cauſſatiuam mortis, eſt velle ipſam mortem exercitè. 13

Ex his autem directè reſpõdeo ad quæſitum principale, & aio, quod Sortes, qui protulit verba illa, etiam ſequuta morte, & à Titio illata, non contraxit irregularitatem ex homicidio voluntario. probatur, quia ex vna parte Sortes non protulit verba illa, ex intentione inducendi Titium ad interficiendam mulierem, & ſic homicidium ſubſequens reſpectu Sortis excluditur à ratione voluntarij directè, & formaliter, ſeu in actu ſignato: ex alia vero parte, illorum verborum prolatio in caſu præſenti non cẽſetur cauſſa moraliter in- 14

ſeparabilis ab efficaci illatione mortis, & ita excluditur homicidium à ratione volũtarij ſecundo modo explicati, nempè in actu exercito, nam ad hoc vt verba iſta cenſerentur talis cauſſa, multa concurrere debuiſſent, primo vt perſona, ad quam directa fuere, ita fuerit affecta vt quacumque leui ſuaſione facillimè induceretur ad homicidium patrandum: ſecundo, vt res, de qua agebatur, eſſet ſufficiẽs ad excitãdũ animũ illius ad mortẽ inferendam, vt eſſet ſi quis iniuriam grauiſſimam in honore paſſus fuiſſet. Sed inhoneſta illa familiaritas, quæ reperiebatur inter filium Titij, & meretricem non ſolet communiter inducere patrem, aut alium ſanguine coniunctum cum viro committente fornicationem, ad interficiendam mulierem, nam plures occurrũt modi talem prauam amicitiam impedientes, abſque eo quod deueniatur ad occiſionem, cum igitur tales circumſtantiæ minimè occurrerint, quando Sortes verba illa protulit; idcirco non eſt credendum appoſuiſſe cauſſam inſeparabilem ab efficaci inductione mortis.

Dixi contractam à Sorte non fuiſſe irre-
15 gularitatem ex homicidio voluntario, nam de illa, quæ reſultat ex caſuali nõ loquor, conſideranda enim ſunt plura, ex parte ipſius Sortis alloquentis, ſi v. g. tunc tẽporis ſufficientem aduertentiam habuerit de efficacia illorum verborum nec ne, & de conditionibus Titij, ad quem verba dirigebat, & etiam conſideranda plura ſunt ex parte Titij, nam potuit contingere, vt mulier ab alio, quàm à Titio fuerit interfecta, & à Titio, eſſet inquirendum, an motus fuerit per verba illa à Sorte prolata, nec ne; nam forſitã alio motiuo ductus fuit ad interficiendum. conſtante tamen delicto commiſſo à Titio, ſi dubium ſit, an verba Sortis influxum habuerint, cenſeo contra ipſum Sortem eſſe præſumendum, vt in ſimili aſſerimus *tract. de conſcien. dub. diſcept. 6. cap. 7. §. 8. n. 3.*

Quæres num quis contrahat irregulari-
16 tatem ex homicidio voluntario, ſi alteri dicat, percutè traditorem, & ille percutiens lethaliter vulneret, & tandem percuſſione illa affectus moriatur.

Reſpondeo de hoc caſu nuper conſultus fui, & illum exagitatum inueni apud *Iulium Chartarium in ſuis deciſ. crim. 19. num.* 14. qui cum diſtinctione reſpondet, & primo abſolutè, & ſimpliciter loquendo, inquit, vi prædictorum verborũ non poſſe colligi mandatum ad homicidium, imò nec ad vulnus inferendum, ex quo mors ſequi debeat, nam verba ſunt valde generalia, & obſcura, proindè poterant in mitiorem partem explicari à mãdatario, nempè quod ſignificarent vt alapam, vel pugnum, daret, vel quid ſimile, pro qua ſententia idem Auctor plures laudat, limitat tamen illam caſu, quo mandatarius habuerit enſem, vel pugionem euaginatum, aut alia arma offenſiua ad mortem, & tunc, vt veriorem amplectitur oppoſitam ſententiam *nu.* 15. & citat multos Auctores: ex hac autem doctrina, quam Author iſte nobis tradit col- 17
ligi poteſt deciſio huius quæſiti, aio igitur in caſu prædicto omnes circumſtantias eſſe conſiderandas, videlicet non ſolùm verba proferentis, & excitantis ad percuſſionem, & rurſus perſonam, ad quam diriguntur verba, ſed etiam eſſe principaliter conſiderandum inſtrumentum, quod præ manibus habet percutiens, nempè ſi eſt aptum ad inferendam mortem nec ne. his bene perſpectis, poterit iudicari vtrũ verba ſint ad mortem excitantia, & conſequenter vtrum irregularitas reſultans in loquente ſit cenſenda ex homicidio voluntario, atque adeo à ſolo ſummo Pontifice diſpenſabilis, an potius ex caſuali, & diſpenſabilis ab Epiſcopo.

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

An poſſit Epiſcopus diſpenſare in irregularitate, quæ prouenit ex delicto ad forum contentioſum deducto, & iampunito?

SVMMARIVM.

Quæſitum ſupponit facultatem à Tridentino Epiſcopis collatam. 1
Prima opinio negat poſſe ab Epiſcopo diſpenſari. 2
Ratio fundamẽtalis in qua Authores prædictæ opinionis nituntur. 3
Secunda opinio affirmans, quæ ratione fundatur. 4
Oſtenditur mentem Henriquez eſſe dubiam. 5
Vtraque opinio eſt probabilis. 6
Probabilior eſt ſecunda iuxta ſenſum Authoris. 7
Diluitur ratio in contrarium. 8

PRæſens quæſitum ſupponit decretum Concilij Tridentini in quæſtione præcedente relatum, per quod ſcilicet Epiſcopis datur facultas diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus, quæ ex delicto occulto proueniunt, exceptis tamen illis, quæ oriuntur ex homicidio voluntario, vel ex delictis deductis ad forum contentioſum. his præhabitis: inſurgit difficultas, & dubitatio. ponamus g. e. delictum aliquod cui irre- 1

gu-

Digitized by Google

gularitas eſt annexa, vt eſt celebratio miſſæ ab excommunicato, qui ob tale delictum in irregularitatem incidit: accuſetur poſtea de eodem delicto apud iudicem competentem, nempè eccleſiaſticum, & conuictus condignam ſubeat pœnam, quibus peractis poſtulet ab Epiſcopo, vt ſibi diſpenſet virtute Tridentini in irregularitate illa. quærimus in præſentia an Epiſcopus valeat in tali irregularitate diſpenſare.

2 Prima opinio negat, eamque tuetur *Guttierrez in quæſt. can. lib. 1. capite 3. num. 10.* qui teſtatur, caſum ſibi occurriſſe, cum ſede vacante, erat Proepiſcopus in Eccleſia Ciuitatenſi; offerebatur enim quidam ſacerdos, qui ab excommunicatione non abſolutus miſſam celebrauerat, adeoque irregularitatem ex delicto contraxerat, promotor autem fiſcalis petebat, vt iſte ſacerdos condignè puniretur, & poſtea ab ipſo Proepiſcopo abſolueretur, ducebatur promotor ad id ſuadendũ auctoritate Theologorum, qui ſuſtinebãt poſt delicti punitionem poſſe ab Epiſcopo id fieri. at Guttierrez Proepiſcopus in ſua ſententia perſiſtens, nunquam potuit ab ea diuelli, proindè noluit id facere, niſi prius habuerit licentiam à Nuncio Hiſpanico, ſic ipſemet refert in eo loco, & in eadem ſententia eſt *Emmanuel Rodriqu. in ſumm. lib. 1. cap. 68. in fine Barboſa*, vt veriorem illam ſequens *de offic. & poteſt. epiſc. par. 2. alleg. 39. num. 35. Bonacina de cenſuris diſp. 7. q. 5. p. 1. nu. 5. Sayrus de cenſuris lib. 4. cap. 17. nu. 23. Garçia de beneſ. par. 7. cap. 11. num. 50. Caſtropalaus par. 6. diſp. 6. p. 7. num. 13.*
3 qui, vt probabilius id tuetur. ratio vero vnica, & fundamẽtalis in qua huius ſententiæ Auctores nituntur eſt, quia Tridentinum excludit à poteſtate Epiſcopi irregularitates, quæ proueniunt ex delictis ad forum contentioſum deductis, & quamuis delictum ſit iam punitum, negari non poteſt quin fuerit, & ſit deductum ad forum contentioſum: igitur ſemper manet impedimentum per quod Epiſcopus nequeat in tali delicto reſeruato, & in irregularitate eidem delicto annexa diſpenſare.

4 Secunda opinio oppoſitum tuetur, videlicet, delicto iam punito, & cauſa expedita poſſe in tali irregularitate ab Epiſcopo diſpenſari. ſic docet *Auila de cenſ. par. 7. diſp. 10. dub. 7. Reginaldus in praxi lib. 3. tract. 2. cap. 3. ſec. 4. nu. 29. ver. Sextum eſt, Sanchez in decal. lib. 2. cap. 11. num. 21.* licet non loquatur explicitè de irregularitate, ſed de delictis in communi iuxta Tridentinum, *Layman. lib. 1. tract. 5. par. 5. cap. 9. nu. 5. Gaſpar Hurtadus de irregularit. diſp. 2. diff. 20. num. 68. ver. Et nomine irregularitatis*; quam ſententiam Doctiſſimus, & amiciſſimus *Diana* vt probabilem, & tutam ſuſtinet, *par. 4. tract. 2. reſol. 97.* ducuntur ad hanc ſententiam amplectendam ex eo, quod intentum Concilij prohibentis ne ab Epiſcopis abſoluantur delicta deducta ad forum contentioſum, fuit ſeruare decentiam, & auctoritatem iudicis dũ cauſſa coram illo verſatur. citari ſolet pro hac
ſententia *Henriquez lib. 14. de irreg. cap.* 5
7. nu. 5. ſed ſi attentè huius auctoris verba conſiderentur dubiam eius mentem habebimus; loquens enim de irregularitate quæ oritur, ex culpabili ſuſceptione ordinis ſacri, aut ex eius adminiſtratione, quæ prius ſoli pontifici erat reſeruata: ſic, inquit, [*Nunc poſt Concilium Tridentinũ reſeruatur ſi procedat ex delicto publico, aut quamdiu manet deductum ad forum contentioſum.*] ex his vltimis verbis Auila, & Sanchez inferunt de mente huius auctoris eſſe, ab Epiſcopo diſpenſari poſſe quando crimen deductum ad forum externum fuit punitum, nam aduerbium illud, *quamdiu*, importat hoc, ſcilicet, non manere reſeruatum, quãdo amplius non manet in illo foro, at poſt eius punitionem non manet amplius in foro iudiciali, ergo non manet reſeruatum. cæterum illatio iſta non videtur firma, quia poſſet quis dicere ſermonem eſſe quando reus declaratur innocens, vel delictum non potuit ſufficienter probari, tunc enim deſinit eſſe in eo foro, non autem ſermonem eſſe de crimine ſufficienter probato, & punito; quia tunc non dicitur propriè non manere: immò tunc verè manet firmum in eodem foro, & ſic nequimus ex verbis illis apertè colligere mentem Henriquez, proindè non debet pro hac ſecunda opinione ita liberè citari. ſupereſt nũc vt de vtraque opinione iudicium feramus.

Dicendum eſt primo. negari non poſſe 6
vtramque eſſe probabilem, & in praxi admitti poſſe, tum auctoritate eorum, qui illam defendunt, tum etiam ratione.

Dicendum eſt ſecundo. inter vtramque 7
ſententiam, ſecunda mihi videtur probabilior, quia nullum aliud motiuum habere potuit Concilium limitans facultatem Epiſcopis præter aſſignatum, proindè ceſſante adæquate fine illo, nulla apparet ratio, aut congruentia, ob quam Concilium voluerit coarctare poteſtatem Epiſcopis.

Ad rationem autem pro contraria ſen- 8
tentia facilis eſt reſponſio, diſtinguendo conditionem illam limitatiuam à Concilio appoſitam, cum enim dicitur non poſſe ab Epiſcopo abſolui delicta quæ ſunt deducta ad forum cõtentioſum diſtinguo,

& manet ſub actuali iudicio concedo, finito iam iudicio, nego, & hoc ob rationem ab auctoribus huius ſententiæ aſſignatam; nam diſpenſatio, ſeu abſolutio, quæ ab Epiſcopo, poſt delicti punitionem confertur, nihil auctoritati iudicis detrahit, cum ipſe iam, mediante pœna inflicta definitiuè functus ſit officio ſuo.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

Vtrum Epiſcopus diſpēſare valeat in Bigamia interpretatiua, & ita diſpenſatus ſit immunis à gabellis ſoluendis?

SVMMARIVM.

1 *Formatur caſus.*

2 *Non poſſe ab Epiſcopo in tali bigamia diſpenſari plures docent.*

3 *Probabile eſt poſſe.*

4 *Probabiliorem eſſe priorem ſentētiam affirmat Author.*

5 *Si Epiſcopus diſpenſet, & poſtea reperiatur inualida diſpenſatio, bigamus nō gaudet immunitate quoad gabellas.*

6 *Diſpenſatio Pontificia cum bigamo non reddit illum immunem quoad præterita.*

7 *Aliqua proponuntur conſideranda ad videndum, an bigamus fuerit immunis, dum eſſet ſolis minoribus inſignitus.*

1 CAſus ita formatur. Titius duxit in vxorem Bertam viduam, qua mortua fuit promotus ad ordines minores, & vt ipſe aſſerit cum diſpenſatione Epiſcopi circa bigamiam illam interpretatiuam.

2 Dicendum eſt primo. Epiſcopum non poſſe diſpenſare cum Bigamo interpretatiuo ad ſuſcipiendos minores ordines; docent quamplures canoniſtæ, & theologi: *Couarr. in Clem. ſi furioſus par. 1. §. 2. n. 4. Ioan. Andr. Anchar. in cap. vni. de big. in 6. Barboſ. de poteſt. epiſc. par. 2. alleg. 49. num. 25. Marcellus Vulpe in praxi iudic. fori eccleſ. cap. 45. num. 10. Suarez de cenſ. diſp. 49. ſec. 6. num. 5. Bonacina de irregul. diſp. 7. quæſt. 2. punc. 5. num. 15. Ioannes Prep. quæſt. 5. de irregul. dub. 7. num. 137. Piaſecius in praxi epiſcopali par. 1. cap. 1. num. 60. & alij apud ipſos.* & ita fuiſſe deciſum à ſacra cōgregatione, refert *Garçia de benef. par. 7. cap. 6. nu. 7. & à Sixto V. vt refert Vulpe cap. cit. num. 11.*

3 Dicendum eſt ſecundo. probabile eſt in Epiſcopo eſſe poteſtatem diſpenſandi in tali bigamia. ita quamplures, quos citat, & ſequitur *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 86. nu. 11.* quam opinionem *Suarez loco cit.* probabilem appellat, & in praxi docet ſeruari poſſe, vbi fuerit vſu recepta.

Dico tertio. probabiliorem eſſe priorē ſententiam, & in praxi ſequendam, niſi conſuetudo ſit in contrarium, ducor tum authoritate eorum, qui eam defendunt, tum quia praxis ita oſtendit. 4

Dico quarto. ſi ſupponamus diſpenſationem illam factam ab Epiſcopo, fuiſſe inualidam, aut fuiſſe confictam, & re vera Titium illam non obtinuiſſe, tunc aio Titium non potuiſſe gaudere immunitate à gabellis ſoluendis, dum ſolis ordinibus minoribus erat initiatus. probatur per textum *cap. Vnico de bigamis in 6.* vbi Pōtifex abſolutè, & ſine vlla diſtinctione ſtatuit, & declarat bigamos omni priuilegio clericali eſſe nudatos: prohibens illis deferre habitum clericalem, & tonſuram. cum igitur Pontifex priuet bigamos omni eccleſiaſtico priuilegio, conſequens eſt, vt dicamus eos eſſe priuatos priuilegio immunitatis à gabellis ſoluendis, proindè ex iſto capite Titius poſſet cogi ad reſtituendam illam pecuniæ ſummam, quam prætextu prædictę immunitatis ſibi appropriauit, niſi alia ratio ei ſuffragetur. 5

Quæres vtrum ſi Titius obtineat diſpenſationem à Pōtifice ad ordines ſacros, gaudeat immunitate à gabellis etiam quoad pręteritum. Dico quod ſola, & præciſa diſpenſatio obtenta à ſummo Pontifice ad ordines ſacros, non fauet prædicto clerico, quoad immunitatem in ordine ad præterita, niſi aliud in diſpenſatione caueatur, quæ eſt videnda. 6

Demum placet circa caſum propoſitum nonnulla apponere, & ideo aio quod aliqua ſunt conſideranda ad videndum, an prædictus clericus fuerit immunis à gabellis, dū erat ſolis minoribus ordinibus initiatus, & primo eſt petendum ab ipſo, vt oſtēdat diſpenſationem habitam ab Epiſcopo circa promotionem ad minores ordines, ipſi enim incumbet diſpenſationem probare, cum enim conſtet de impedimēto, debet ipſe oſtendere, impedimentum per diſpenſationem ablatum fuiſſe. ſecundo eſt videndum, an in minoribus conſtitutus ſeruauerit omnes conditiones à Cōcilio *Tridentino* requiſitas *ſeſſ. 23. cap. 6. de reformatione*, ad hoc vt immunitate gaudere potuerit. 7

QVAE-

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

Poſſit ne prædium Eccleſiæ relictum cum facultate alienandi, abſque ſolemnitate, & aſſenſu apoſtolico alienari, abſque eo quod alienans cenſuras, & pœnas incurrat?

S V M M A R I V M.

1 *Proponitur idem caſus, de quo Author fuit conſultus.*

2 *Prima ſententia negat à Prælato talem alienationem fieri poſſe.*

3 *Conditio de facultate alienandi iuxta mentem aliquorum cenſetur turpis, & ideo reijcienda.*

4 *Probatur eadem ſententia paritate quadam.*

5 *Secunda opinio affirmat alienationem illam abſque ſolemnitate fieri poſſe.*

6 *Aſſignatur præcipuum huius ſententiæ fundamentum.*

7 *Pro deciſione proponitur triplex forma, ſub qua teſtator diſponere poterat.*

8 *Si iuxta priorem modum fiat diſpoſitio nulla requiritur ſolemnitas.*

9 *Si teſtator ſub forma diſiũctiua diſpoſuerit de legato, nempe relinquendo arbitrio Prælati, vel incorporationem, vel alienationem, res non eſt ita certa, quãuis probabilius videatur Authori alienationem fieri poſſe, ſi ſuperior id monaſterio vtilius fore iudicauerit.*

10 *Nullum ius extat probibens quin teſtator diſponat cum clauſula, per quam detur facultas alienandi.*

11 *Obiectio, qua probatur diſpoſitionem hãc fieri non poſſe, quia eſt pro tempore, quo res eſt effecta iam eccleſiaſtica, diluitur.*

12 *Declaratur textus in cap. Sic quidam, & cap. Decretum 10. q. 1. ex quibus obiectio contraria deſumpta fuit.*

13 *Si Prælatus, cui fuit conceſſa facultas diſiunctiua, vel alienandi, vel incorporãdi exerceat actum aliquem poſitiuũ, quo rem alijs monaſterij bonis incorporet, non poterit amplius alienare.*

14 *Inſtantia in contrarium, proponitur, & diluitur.*

15 *Facta prima determinatione, ſeu electione, ceſſat facultas data ſub diſiunctione.*

16 *Confirmatur varijs exemplis adductis à Tiraquello.*

17 *Actus poſitiuus deſtruens facultatem prædictam non ſufficit ſi tantùm ſit internus.*

18 *Neq; quicũq; externus actus erit ſufficiẽs.*

19 *Requiritur quod ita ſit externus, vt publico inſtrumento manifeſtetur.*

20 *Si facultas alienandi detur tertio modo, nempè nil dicendo de ſolemnitate, poſſet aliquis dicere, fieri poſſe alienationem.*

21 *Eſſe conſiderandas circumſtantias docet Author.*

22 *In dubio, præſumendum eſt noluiſſe teſtatorem recedere à forma iuris communis, & ideò ad alienandum, ſolemnitatem eſſe præmittendam.*

23 *Ad primum argumentum pro priore ſententia, negandum eſt conditionem de facultate alienandi eſſe turpem.*

24 *Non valet paritas de bonis relictis monaſterio incapaci cum facultate incorporandi, & de facultate alienandi conceſſa monaſterio bonorum immobilium capaci.*

25 *In caſibus relatis in prima, & ſecunda concluſione licita erit alienatio, atque adeo Prælatus regularis alienans nullis ſubijcitur pœnis.*

PRo huius quæſiti deciſione illum eũdem propono caſum peculiarem, de quo his diebus nonnulli viri docti dubitarunt. Quæ autem de hoc caſu in indiuiduo determinabimus, erunt pariter admittenda in omni ſimili euentu. caſus ſub hac enarratur forma. 1

Titius in ſuo teſtamento quandam titulo gratuitæ donationis vineam cuidam regularium monaſterio legauit, cum hac tamen clauſula diſiunctiua, vt eiuſdem monaſterij ſuperior poſſit vineam, vel bonis monaſterij incorporare, vel ſi ita expediens iudicauerit, vendere, vel alio modo alienare, nulla præmiſſa ſolemnitate, neque aſſenſu apoſtolico expectato iuxta præſcriptum Pauli II. in extrauag. & aliorum Pontificum conſtitutiones, per quas omnes ſimiles alienationes ſub grauiſſimis pœnis, omniumque actuum inualiditate prohibentur. hæc pro facto ipſo enarrando. hoc igitur poſito, quærimus num ſuperior regularis monaſterij legatarius, ſtante diſiunctiua illa, validè, & licitè poſſit vineam relictam alteri vendere, eiuſque pretium in beneficium monaſterij applicare, omittendo ordinarias ſolemnitates, nullumque poſtulando à ſummo Pontifice, aut à ſacra Eminentiſſimorum Cardinalium Congregatione aſſenſum.

Prima ſententia negat id fieri poſſe abſque debita ſolemnitate, & apoſtolico aſſenſu. ita ſuſtinet *Stephanus Quaranta in ſum. bull. verb. Alienatio num. 31. 32. Aloyſius Riccius in praxi deciſ. 674. Bonacina de contract. diſp. 3. quæſt. 8. punc. 4. num. 8. Bordonus reſol. 27. ex moralibus num. 44. Eligius Baſſæus in floribus verb. alienatio num. 8. Ioan. Bapt. Ventriglia in praxi rer. not. annot. 1. §. 2. n. 31.* 2

Pro-

3 Probatur autem hæc opinio primo, quia conditio illa de facultate alienãdi eſt turpis, & in iure prohibita, proindè eſt reijcienda, & habenda pro non adiecta.

4 Secundo probatur à pari, ſi quis concederet rem ſtabilem monaſterio bonorum immobilium incapaci cum clauſula, vt rẽ illam retineat; conditio iſta vt turpis, & iuribus improbata reijceretur, eaque non obſtante, monaſterium non aſtringeretur ad rem illam retinendam; igitur à pari, ſi quis relinqueret rem ſtabilem monaſterio capaci cum clauſula alienandi, non poſſet monaſterium alienare, niſi ſeruata ſolemnitate: & clauſula illa oppoſitum præſcribens, cum ſit in iure reprobata, erit reijcienda.

5 Secunda ſententia oppoſitum tuetur, videlicet alienationem illam abſque ſolẽnitate, & aſſenſu apoſtolico licitè, ne dum validè fieri poſſe. Authores, qui hanc ſententiam defendunt, & citari poſſunt, in duas claſſes diuidimus: nam aliqui expreſſè eam docent; aliqui vero vniuerſaliter loquuntur de alienatione vt ſic per leges prohibita, nihilominus ex eorum doctrina, & exemplis, quæ afferunt, poſſumus deducere poſitam ſententiam, reſtringentes ſermonem ad alienationem bonorum eccleſiaſticorum. Authores autem, qui in particulari, de alienatione rerum eccleſiaſticarum loquuntur, & opinionem hanc defendunt, ſunt *Caſtropalaus tom. 2. tractat. 12. diſput. vnica puncto 15. §. 2. num. 14. Marius Antonius Macerat. var. reſ. lib. 1. reſol. 99. num. 5.* & fauet huic opinioni id, quod ponit arguẽdo ex alienatione bonorum minoris, ad alienationem rerum Eccleſiæ *reſol. 112. caſ. 44.* fusè de hac re *Thomas Pelliciomius in quæſt. vtriuſque iuris quæſt. 41. cap. 15. ver. quid autem dicendum.* Authores vero ſecundæ claſſis, ex quorum doctrina inferimus ſententiam hanc, ſunt plures canoniſtæ, qui ſermonẽ inſtituẽtes de bonis minorum, quæ nequeunt alienari, niſi vrgente neceſſitate, & præmiſſo Iudicis decreto, docent, quod, ſi Pater in teſtamento diſpoſuit, facultatem concedens tutori de alienando, tunc nullum requiritur decretum Iudicis. & ad hoc cõfirmandum inter alia adducere ſolent caſus ſimiles de alienatione rerum eccleſiaſticarum, & ideo non immerito authores iſti laudari poſſunt pro hac ſententia. *ita Soccinas ſenior conſ. 48. num. 4. 5. & conſil. 53. num. 16. 19. vol. 1. Anchar. conſil. 217. Philippus Francus de reb. eccleſ. non alien. cap. 1. in 6. limit. 9. Lupus alleg. 26. Pelinus cap. Eccleſia S. Mariæ de conſtit. num. 77. & alij.* Huius ſententiæ

6 præcipuum fundamentum eſt dominium, quod habet vnuſquiſque de re propria diſponenda, quando diſpoſitio neque aliquod impoſſibile, neque aliquod turpe continet: at donare, ſeu relinquere bonum aliquod ſtabile cum poteſtate, vt donatarius, ſeu legatarius valeat illud alienare, neque impoſſibile, neque turpe continet: ergo poterit licitè Dominus de re propria diſponere, & donatarius cum tali facultate bonum illud recipere. Hæ ſunt authorum ſententiæ cum eorum fundamentis fideliter relatæ. ſupereſt, vt quid mihi videatur, in medium afferam.

Ad pleniorem autem huius difficultatis deciſionem triplicem conſiderãdum propono modum, ſub quo teſtator rem illam legare poterit. Primo ſi dicat: lego prædium meum tali monaſterio ſub conditione, vt ſi opportunitas ſe offerat, & maius ſit ipſius monaſterij beneficium, teneatur ſuperior prædium illud vendere, & eius pretium applicare in vtilitatem monaſterij. Secundo ſi non obliget ſuperiorem, ſed in eius arbitrio relinquat alienationẽ cum clauſula expreſſa, vt ſuperior poſſit vel incorporare prædium cum reliquis bonis monaſterij, vel illud alienare abſque præuia ſolemnitate, & aſſenſu Apoſtolico. Tertio ſi abſolutè, & ſimpliciter concedatur facultas alienandi, nihil tamen addẽdo de ſolemnitate, & aſſenſu Pontificio. formulæ iſtæ inuicem differentes requirunt vt de ſingulis determinemus quid dicendum. 7

Dico igitur primo, ſi legatum fiat primo modo, res eſt omnino indubitata, nimirũ non eſſe neceſſariam ſolemnitatem &c. Probatur, quia alienatio non erit merè voluntaria, ſed neceſſaria, in qua locum non habent pontificiæ conſtitutiones: peccaret enim grauiter, & contra iuſtitiam ſuperior, ſi caſu occurrente omitteret alienationem contra teſtatoris mentem, imò in hoc cenſebitur potius ipſe teſtator, quã ſuperior alienare, nam ſuperior ſe habebit veluti executor diſpoſitionis factæ ab ipſo teſtatore. & de hac concluſione puto nullam eſſe poſſe difficultatem. 8

Dico ſecundo, ſi teſtator ſub alia formula inſtituat legatum, videlicet cum clauſula illa diſiunctiua, nempè concedendo prædium cum facultate, vel illud incorporandi, vel alienandi abſque ſolemnitate, &c. tunc ſi ſuperior iudicet vtilius eſſe monaſterio, ſi prædium alienetur, dico licitam eſſe alienationem. concluſio iſta probabilior eſt apud me, quàm oppoſita, quamuis non ita certa ſicuti præcedens. eam autem probat *Caſtropalaus l. c.* argumento ducto à paritate in hũc modum. teſtator potuit Eccleſiæ hæreditatẽ aliquam relinquere clauſula appoſita, vt 9

poſt

Digitized by Google

poſt aliquot annos ea transferatur in aliquem ex ipſius teſtatoris conſanguineis ab eadem eccleſia eligendum. ad hanc autem tranſlationem nullus Pontificis conſenſus, aut ſolemnitas requiritur, quod etiam fatentur aduerſarij, & de ſe patet: ergo neque requiritur ſolemnitas in caſu noſtro, quia eſt veluti quoddam fideicõmiſſum, & alienatio procedit ex voluntate ipſiuſmet teſtatoris. ſic probat concluſionem Caſtropalaus. ſed probatio iſta, pace docti viri; eſt prorſus inefficax ob latum diſcrimen inter vtrumque caſum: in primo enim caſu hæreditas tranſit cum onere ad eccleſiam, & alteri ius acquiritur, ad habendam hæreditatem elapſo temporé quod teſtator præſcripſit: proindè cum alienatio iſta ſit debita ex rigoroſa iuſtitia non erit voluntaria, ſed neceſſaria, ad quã nulla poſtulatur ſolemnitas. in ſecundo autem caſu alienatio depẽdet à libera voluntate prælati, ad quam faciendam non cogitur, neque eſt alius, qui ius ad rem legatam acquiſierit: idcirco cum ſit alienatio omnino voluntaria, requiritur ſolõnitas, &c. & ſic ratio qua Caſtropalaus nititur, illi non ſuffragatur, ſtante diſparitate euidenti, inter vnum, & alterum caſum. omiſſa igitur hac ratione efficacius probatur cõcluſio; ex eo quod teſtator in ipſo limine diſpoſitionis concedẽs eccleſiæ prædium cum clauſula alienandi ſine aſſenſu Pontificis, & hoc eo tempore, quo prædium adhuc non erat eccleſiaſticum, ſed merè laicale, potuit illud concedere cum limitationibus, & conditionibus ſibi beneuiſis, nullam inuoluentibus impoſſibilitatem, aut turpitudinem.

10 Neque valet, ſi reſpondeas clauſulam alienandi abſque aſſenſu, &c. eſſe contra legem canonicam requirentem, vt præcedat ſolemnitas, & aſſenſus apoſtolicus; non valet, inquam, quia nullum extat ius prohibens, quin aliquis rem ſuam queat independenter ab alterius voluntate alteri legare ſub conditionibus ſibi beneuiſis, ſi tamen ſunt poſſibiles, & ex ſe licitæ, vt patet in ſimilibus. v. g. extat lex *in Conc. Trid ſeſſ. 23. de reform. cap. 6.* vt nemo beneficium ſimplex obtinere valeat ante decimum quartum annum, & tamen fundator beneficij in limine fundationis poteſt aliter diſponere, ſcilicet vt ante ætatem illam poſſit beneficium illud obtinere, vt notat *Barboſa in declaratione Concilij Trid. cap. cit. Emmanuel Sà in aphoriſ. v. Beneficium num. 30. Garçia de benef. par. 7. cap. 4. num. 9.* qui quãdam affert ſacræ congregationis declarationem.

11 Sed objicies: facultas alienandi conceſſa à teſtatore reſpicit tempus, quo res legata trãſiẽs in dominiũ eccleſię, effecta eſt ſpiritualis, ſeu eccleſiaſtica, ergo nõ poterit ꝑ eo tẽpore habere effectũ alienationis. Confirmatur *ex l. Stichus ſeruus 39. ff. de manumiſſis teſtamento*, vbi ſtatuitur inutilem fuiſſe conceſſionem libertatis datæ ſeruo pro tempore, quo ſeruus ille futurus erat ſub aliena poteſtate.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: facultas alienandi reſpicit tempus, quo res effecta eſt eccleſiaſtica tranſiens cum ſubiectione ad alienandum, concedo: ſine tali ſubiectione ad alienandum, nego antecedens, & conſequentiam. aliud enim eſt effici alienabilem tempore inhabili ad alienationem, quando nimirum ſpiritualis eſt effecta. Ad confirmationem nego paritatem; nam ſeruus ille non habuit manumiſſionem pro tempore, quo erat ſub dominio manumittentis, ſed prius alienus fuit effectus, & ideo non debet eſſe mirum ſi manumiſſio inutilis fuerit.

Objicies ſecundo *ex cap. ſic quidam, & ex cap. decretum, 10. q. 1.* in quibus reprobatur conditio, per quam interdicitur Epiſcopo, ne ſe intromittat in dotem, quã quis Eccleſiæ contulit, & hac occaſione declaratur, ibi omnes eccleſias, earumque iura manere ſub Epiſcopi ordinatione, & poteſtate: igitur reprobari debet conditio, ſeu clauſula, ſub qua prædium, aut aliud bonum ſtabile eccleſiæ conferatur, vt poſſit alienari inconſulto Pontifice, & non ſeruata ſolemnitate. 12

Reſpondeo textus prioris cap. varijs modis explicari ſolet, vt notat Gloſſa ibi: aliqui enim dicunt ſermonem eſſe quando quis primo donauit abſolute, & ſimpliciter, & poſtea vult apponere conditionẽ, ſeu pactum aliquod. alij vero aiunt ibi ſermonem haberi de dote, quæ eccleſiæ iam conſtructæ debetur iuxta *cap. Nemo de conſecr. diſt. 1. & cap. Sancimus de cenſibus*. cum autem dos eccleſiæ, ſpectet ad ius publicum, non poterit pacto inter priuatos inito auferri, vt ſtatuitur *cap. ſi diligenti de for. compet.* idcirco reprobanda erat conditio tali iuri aduerſans. at ipſa Gloſ. aliam aſſignat rationem dicens, pactum, de quo ibi eſt locutio, fuiſſe contra naturam, & ſubſtantiam illius contractus, & etiam contra leges: iura enim decernũt res omnes eccleſiaſticas pertinere ad Epiſcopi ordinationem, vt *in cap. Nouerant ead. diſt.* ſic Gloſſa. Sed vt obiectioni clarius ſatisfaciam, diſtinguo hæc duo. puta aliud eſſe rem eccleſiæ collatam non pertinere ad Epiſcopum; aliud vero in primęua illius rei collatione apponi conditionẽ aliquam, quæ neque impoſſibilis ſit, neque illicita: primum non aſſeritur cum ſit expreſſe contra iura, & à recta ratione

alie-

Digitized by Google

alienum: nam eo ipſo quod res tranſit in dominium eccleſiæ, fit ſpiritualis, atque adeo ſubditur ſuperiori eccleſiaſtico. at ſecundum conſtanter affirmo, cum eadem Gloſſa, & alijs, qui *cap. Verum de condit. appoſ.* inquiunt in traditione propriæ rei poſſe à Domino apponi legem, nempe cōditionem, quæ ipſi domino placuerit, remota tamen, vt dixi, impoſſibilitate, & turpitudine. conditio autem, de qua loquimur, neutrum includit, ideoque apponi poterit à teſtatore.

13 Dico tertio. si immediatus monaſterij ſuperior, cui conceſſa fuit poteſtas, vel incorporandi abſolutè, vel alienandi prædium, aliquem exerceat actum poſitiuū, quo firmiter alijs bonis monaſterij prædiū ipſum aggreget, non poterit amplius vti facultate alienandi, niſi debita ſolemnitas, & aſſenſus apoſtolicus præmittatur. hanc ſententiam libenter amplector non ſolum, quia valdè rationi conſentanea mihi videtur; verum etiam quia illam accepi ab Admodum Reu. Patre Cæſare à Boſco huius noſtræ domus profeſſæ hodie benemerentiſſimo Præpoſito, qui ſui ingenij acumine, doctrinæque profunditate caſū hūc exactè perſcrutās familiari colloquio eam ſētētiā mihi perſuaſit. probatur autem concluſio. eo enim ipſo, quo prædium reliquis monaſterij bonis immobilibus aggregatur, eorumdem bonorum conditiones participat: igitur ſicuti, & illa abſque ſolemnitate ſuperior diſtrahere nequit; ita etiam neque diſtrahere poterit prædium ipſum. patet conſequentia, nam poſito antecedente vniformiter eſſet diſcurrendum de omnibus alijs bonis in ordine ad alienationem. Antecedens vero probatur, quia vi illius actus poſitiui monaſterium incipit diuerſum habere ius in prædium illud, nempè ius firmum amplius non variabile: atque adeo prædium conſtituitur ſubiectum legi Pontificiæ de non alienando, & lex ipſa acquirit nouum ius in idem prædium, nimirum ne alienetur ſine ſolemnitate: ergo aliorum bonorum monaſterij participat naturam.

14 Sed dices. quamuis demus à monaſterio diuerſum acquiri ius facta electione à ſuperiore, poterit tamen monaſterium ius ſibi acquiſitum remittere, idemque pristinum dominium retinere, per quod poterit fieri alienatio.

Reſpondeo negando id fieri poſſe, nam facta iucorporatione, Pontifex acquiſiuit ius, mediante lege, quæ ab ipſo emanauit, ne prædium iam incorporatum alienetur.

15 Dicēs ſecundo. poteſtas illa incorporandi, aut alienandi quam conceſſit teſtator, non debet vnico actu finiri: ergo nō obſtante incorporatione facta, poterit ſuperior vi eiuſdem poteſtatis, mutādo voluntatem prædium alienare.

Reſpondeo negando antecedens, nam prima determinatione, ſeu electione facta, ceſſare debuit omnino poteſtas illa: & hoc per textum *in l. Bones. §. Hoc ſermone. ff. de verb. & rer. ſignif.* ex hoc enim textu colligunt Doctores regulam, quam *Felinus cap. 1. de tregua, & pace num. 3.* famoſam appellat, nempè, ſimplex ſermo in prima vice verificatur: quæ explicari debet de primo tantùm actu, quod intelligi debet, cum ex circumſtantijs adiunctis aliud non colligatur, ſed ſermo vndique ſit ſimplex, & indeterminatus. hanc legem fusè, & eruditè examinat *Andreas Tiraquell. in ſuis tract. vol. 4.* & quamuis regula iſta plures admittat limitationes, & triginta tres enumeret, & declaret idem Tiraquellus; attamen ſub illis minimè continetur caſus, de quo agimus, quia non recipitur limitatio extenſiua ad plures actus, quando per primum actum ius tertio acquiritur, vt euenit in caſu noſtro: nam eo ipſo quod ſuperior monaſterij per actum aliquem ſufficienter vnit, & incorporat prædium cum alijs bonis, Pontifex, mediante lege, acquirit ius ne amplius abſque ſui licentia, & aſſenſu alienetur.

Ad hoc autem confirmandum nonnulla afferre poſſumus exempla adducta ab ipſomet Tiraquello in eodem tractatu: nam *numero 108.* ponit exemplum, ſi quis v. g. alicui det poteſtatem arbitrandi, intelligi debet, vt ſemel tantum fiat arbitrium, eoque facto deſinat poteſtas illa. & ſi Pontifex concedat alicui clerico, vt ex bonis eccleſiaſticis, teſtari valeat, conceſſio explicari debet de primo actu teſtandi. ſic *num. 118.* & demum ſi aliqui facultatē habeant eligendi, facta prima electione, & publicata, nequeunt deuenire ad ſecūdam, quia per electionem illam eſt alterā ius quæſitum. ſic *Tiraquell. limit. 23. nu. 1.* & idem eſſet dicendum in multis alijs ſimilibus, quæ videri poſſunt tum apud eumdem authorem, tum apud alios paſſim. maneat igitur ex dictis; facta incorporatione prædij, non poſſe à Superiore vi poteſtatis conceſſæ à teſtatore, illud amplius alienari. 16

Supereſt autem declarare qualis nam eſſe debeat actus ille poſitiuus, per quem prædium incorporatur reliquis bonis monaſterij, & in ſuperiore ceſſet poteſtas teſtamentaria ad illud alienandum.

Reſpondeo incipiendo à certioribus, & aio non ſufficere actum internum, ſeu propoſitum quo ſuperior eccleſiaſticus determinet perpetuo incorporare rem illam cum diſiunctone prædicta cōceſſam. patet, quia actus internus nequit transferre ius in aliud, aut demere ius, quod aliquis 17

habet

habet in re aliqua, cum de internis ſolus Deus iudicet. actus autem tollens poteſtatem illam alienandi, debet eſſe talis, vt eccleſia, ſeu monaſterium nouum ius acquirat in re aliqua: ad hoc autem non eſt proportionatus interior actus, qui cognoſci nequit ab eccleſia.

Rurſus neque quicumque actus externus erit ſufficiens, videlicet, ſi quis pro-
18 ferat, & exprimat determinationem interius factā; nō inquā erit ſatis, niſi exprimatur coram tali perſona, quæ legitimè poſſit pro eccleſia acceptare determinationē illā in vnā potius quā in aliā partem.

Requiritur ergo actus aliquis externus, qui mediante publico inſtrumento mani-
19 feſtetur. Actus autem iſte bifariam fieri poterit, videlicet ſignanter, & exercite. tunc ſignanter fieret, quando ſuperior per tabellionem expreſſe declararet ſuā intentionem, & incorporaret prædium conceſſum alijs bonis monaſterij: in actu autem exercito contingeret, quando v. g. ſuperior haberet mille aureos applicandos in emendis bonis ſtabilibus, & per actum à tabellione confectum loco rei emēdæ ſubrogaret, & incorporaret prædium illud: tunc enim facta tali permutatione prædium manet firmiter, & ſtabiliter incorporatum, ita vt nequeat amplius alienari ſine ſolemnitate, & apoſtolico aſſēſu.

Maior autem dubitatio emergit, ſi teſtator ſub alia forma quam *nu* 70. propo-
20 ſui legatum relinquat dicens: lego prædiū meum tali monaſterio cum facultate, vt ſuperior eiuſdem monaſterij poſſit illud alienare. diſpoſitio autem iſta eſt diuerſa à præcedente, quia in illa expreſsè erat apposita clauſula de alienando abſque aſſenſu apoſtolico, & ſolemnitate: in iſta vero talis modus alienandi ſubticetur, quamuis ſolum detur facultas alienandi. poſſet aliquis aſſerere etiam in iſto caſu poteſtatem libere alienandi, non ſeruata ſolemnitate, tranſire cum ipſa re legata, ac proindè intelligi implicitè conceſſam poteſtatem alienandi: aliter ſi facultas iſta concederetur cum relatione ad ſolemnitatem canonicam, & aſſenſum apoſtolicum, nihil daretur à teſtatore: quia ſeruando ſolemnitatē canonicā, & accedēte aſsēſu Pōtificis ad alienādū, nihil faceret expreſſio illa teſtamētaria, & inutilis redderetur.

Sed poſſet quis reſpondere probans diſpoſitionem non futuram inutilem, quia teſtator poterat prohibere alienationem prædij à ſe conceſſam. dans autem facultatem alienandi, benignius, & vtilius ſe gerit cum legatario. video hinc inde difficultatem, & fateor rem eſſe dubiam vt autem aliquid determinatè reſoluamus.

21 Dico quarto, quando conceditur à teſtatore, vel alio donatore res immobilis cum facultate alienandi, tacendo formā, ſub qua alienatio fieri debeat; tunc erit recurrendum ad circumſtantias loci, & temporis, vt quantum fieri poterit mens teſtatoris colligatur, & præſertim attendenda ſunt verba diſpoſitionis, vt ex his omnibus rectè perſpectis innoteſcat, qualis fuerit voluntas teſtatoris. & ideo ſi deprehendatur eius mentem non fuiſſe concedere poteſtatem alienandi, niſi modo ordinario poſitis ſolemnitatibus, &c. tunc ita ſeruandum erit à legatario, ſeu donatario. ſi vero per conceſſionem talis poteſtatis deprehendatur nihil aliud teſtatorem voluiſſe, niſi declarare ſuam mentē non eſſe prohibere alienationem, ſed illam admittere in caſu neceſſitatis, aut vtilitatis; poterit ſuperior regularis alienare ſine ſolemnitate, &c.

Verum remanet, vt determinemus, quid dicēdū quādo, pēſatis omnibus, mēs teſta- 22
toris apparet dubia an voluerit excludere ſolemnitatem canonicam nec ne. reſpondeo in dubijs præſumi debet noluiſſe recedere à forma iuris communis, atque adeo non poſſe prædium ſine ſolemnitate alienari. ducor, quia receſſus à iure communi cū ſit odioſus, in dubijs nō eſt præſumēdus.

Supereſt, vt ſatisfaciamus argumentis 23
pro priore ſententia *nu.* 2. relata, ad primū igitur negandum eſt, conditionem illam de facultate alienandi eſſe turpem, vt ſupra oſtendimus: & pariter negandum eſt eſſe iure prohibitam; nam in iure ſolum habemus bona eccleſiaſtica, quando ſcilicet abſolutè, & ſimpliciter ſunt incorporata ipſi eccleſiæ, non poſſe abſque debita ſolemnitate alienari; at non habemus, quod, cum ſunt incorporata cum onere, vel ſi abſque onere, ſed cū facultate liberè alienandi, antequam abſolute incorporentur, non poſſe abſque ſolemnitate alienari. tunc enim manent veluti ſuſpēſa in ordine ad alienationem.

Ad ſecundum aio diſparem eſſe ratio- 24
nem, quia ſi monaſterium eſt incapax retinendi bona ſtabilia, conditio illa retinendi eſſet turpis, vtpotè contra votum paupertatis, ac proindè reijcienda; at alienare, quando vrget neceſſitas, vel vtilitas non eſt ex ſe turpe, ſed prohibitū lege poſitiua: & ideo quando lex, ſtante diplomate teſtatoris, locum non habet, vt euenit in caſibus prædictis, tunc alienatio erit licita.

Dico quinto. ſi Prælatus Regularis alie- 25
net vineā, quæ legata fuit ſub forma relata in prima, & ſecunda concluſione, nullis cēſuris, aut pœnis eccleſiaſticis eſt puniēd', quia in eiſdē caſibus licita erit alienatio, vt ibidem probatum eſt.

alienum: nam eo ipſo quod res tranſit in dominium eccleſiæ, fit ſpiritualis, atque adeo ſubditur ſuperiori eccleſiaſtico. at ſecundum conſtanter affirmo, cum eadem Gloſſa, & alijs, qui *cap. Verum de condit. appoſ.* inquiunt in traditione propriæ rei poſſe à Domino apponi legem, nempe cõditionem, quæ ipſi domino placuerit, remota tamen, vt dixi, impoſſibilitate, & turpitudine: conditio autem, de qua loquimur, neutrum includit, ideoque apponi poterit à teſtatore.

13 Dico tertio. ſi immediatus monaſterij ſuperior, cui conceſſa fuit poteſtas, vel incorporandi abſolutè, vel alienandi prædium, aliquem exerceat actum poſitiuũ, quo firmiter alijs bonis monaſterij prædiũ ipſum aggreget, non poterit amplius vti facultate alienandi, niſi debita ſolemnitas, & aſſenſus apoſtolicus præmittatur. hanc ſententiam libenter amplector non ſolum, quia valdè rationi conſentanea mihi videtur; verum etiam quia illam accepi ab Admodum Reu. Patre Cæſare à Boſco huius noſtræ domus profeſſæ hodie benemerentiſſimo Præpoſito, qui ſui ingenij acumine, doctrinæque profunditate caſũ hũc exactè perſcrutãs familiari colloquio eam ſẽtẽtiã mihi perſuaſit. probatur autem concluſio. eo enim ipſo, quo prædium reliquis monaſterij bonis immobilibus aggregatur, eorumdem bonorum conditiones participat: igitur ſicuti, & illa abſque ſolemnitate ſuperior diſtrahere nequit; ita etiam neque diſtrahere poterit prædium ipſum. patet conſequentia, nam poſito antecedente vniformiter eſſet diſcurrendum de omnibus alijs bonis in ordine ad alienationem. Antecedens vero probatur, quia vi illius actus poſitiui monaſterium incipit diuerſum habere ius in prædium illud, nempè ius firmum amplius non variabile: atque adeo prædium conſtituitur ſubiectum legi Pontificiæ de non alienando, & lex ipſa acquirit nouum ius in idem prædium, nimirum ne alienetur ſine ſolemnitate: ergo aliorum bonorum monaſterij participat naturam.

14 Sed dices. quamuis demus à monaſterio diuerſum acquiri ius facta electione à ſuperiore, poterit tamen monaſterium ius ſibi acquiſitum remittere, idemque priſtinum dominium retinere, per quod poterit fieri alienatio.

Reſpondeo negando id fieri poſſe, nam facta incorporatione, Pontifex acquiſiuit ius, mediante lege, quæ ab ipſo emanauit, ne prædium iam incorporatum alienetur.

15 Dices ſecundo. poteſtas illa incorporandi, aut alienandi quam conceſſit teſtator, non debet vnico actu finiri: ergo nõ obſtante incorporatione facta, poterit ſuperior vi eiuſdem poteſtatis, mutãdo voluntatem prædium alienare.

Reſpondeo negando antecedens, nam prima determinatione, ſeu electione facta, ceſſare debuit omnino poteſtas illa: & hoc per textum *in l. Boues. §. Hoc ſermone. ff. de verb. & rer. ſignif.* ex hoc enim textu colligunt Doctores regulam, quam *Felinus cap. 1. de tregua, & pace num. 3.* famoſam appellat, nempè, ſimplex ſermo in prima vice verificatur: quæ explicari debet de primo tantùm actu. quod intelligi debet, cum ex circumſtantijs adiunctis aliud non colligatur, ſed ſermo vndique ſit ſimplex, & indeterminatus. hanc legem fuſè, & eruditè examinat *Andreas Tiraquell. in ſuis tract. vol. 4.* & quamuis regula iſta plures admittat limitationes, & triginta tres enumeret, & declaret idem Tiraquellus; attamen ſub illis minimè continetur caſus, de quo agimus, quia non recipitur limitatio extenſiua ad plures actus, quando per primum actum ius tertio acquiritur, vt euenit in caſu noſtro: nam eo ipſo quod ſuperior monaſterij per actum aliquem ſufficienter vnit, & incorporat prædium cum alijs bonis, Pontifex, mediante lege, acquirit ius ne amplius abſque ſui licentia, & aſſenſu alienetur.

Ad hoc autem confirmandum nonnulla afferre poſſumus exempla adducta ab ipſo 16
met Tiraquello in eodem tractatu: nam *numero 108.* ponit exemplum, ſi quis v. g. alicui det poteſtatem arbitrandi, intelligi debet, vt ſemel tantum fiat arbitrium, eoque facto deſinat poteſtas illa. & ſi Pontifex concedat alicui clerico, vt ex bonis eccleſiaſticis, teſtari valeat, conceſſio explicari debet de primo actu teſtandi. ſic *num. 128.* & demum ſi aliqui facultatẽ habeant eligendi, facta prima electione, & publicata, nequeunt deuenire ad ſecũdam, quia per electionem illam eſt alterì ius quæſitum. ſic *Tiraquell. limit. 23. nu. 1.* & idem eſſet dicendum in multis alijs ſimilibus, quæ videri poſſunt tum apud eumdem authorem, tum apud alios paſſim. maneat igitur ex dictis; facta incorporatione prædij, non poſſe à Superiore vi poteſtatis conceſſæ à teſtatore, illud amplius alienari.

Supereſt autem declarare qualis nam eſſe debeat actus ille poſitiuus, per quem prædium incorporatur reliquis bonis monaſterij, & in ſuperiore ceſſet poteſtas teſtamentaria ad illud alienandum.

Reſpondeo incipiendo à certioribus, & 17
aio non ſufficere actum internum, ſeu propoſitum quo ſuperior eccleſiaſticus determinet perpetuo incorporare rem illam cum diſiunctione prædicta cõceſſam. patet, quia actus internus nequit transferre ius in aliud, aut demere ius, quod aliquis habet

habet in re aliqua, cum de internis ſolus Deus iudicet. actus autem tollens poteſtatem illam alienandi, debet eſſe talis, vt eccleſia, ſeu monaſterium nouum ius acquirat in re aliqua: ad hoc autem non eſt proportionatus interior actus, qui cognoſci nequit ab eccleſia.

Rurſus neque quicumque actus externus erit ſufficiens, videlicet, ſi quis pro-
18 ferat, & exprimat determinationem interius factã; nõ inquã erit ſatis, niſi exprimatur coram tali perſona, quæ legitimè poſſit pro eccleſia acceptare determinationé illã in vnã potius quã in aliã partem.

Requiritur ergo actus aliquis externus, qui mediante publico inſtrumento mani-
19 feſtetur. Actus autem iſte bifariam fieri poterit, videlicet ſignanter, & exercite. tunc ſignanter fieret, quando ſuperior per tabellionem expreſſe declararet ſuã intentionem, & incorporaret prædium conceſſum alijs bonis monaſterij: in actu autem exercito contingeret, quando v. g. ſuperior haberet mille aureos applicandos in emendis bonis ſtabilibus, & per actum à tabellione confectum loco rei emẽdæ ſubrogaret, & incorporaret prædium illud: tunc enim facta tali permutatione prædium manet firmiter, & ſtabiliter incorporatum, ita vt nequeat amplius alienari ſine ſolemnitate, & apoſtolico aſsẽſu.

Maior autem dubitatio emergit, ſi teſtator ſub alia forma quàm *nu* 70. propo-
20 ſui legatum relinquat dicens: lego prædiũ meum tali monaſterio cum facultate, vt
t ſuperior eiuſdem monaſterij poſſit illud alienare. diſpoſitio autem iſta eſt diuerſa
2 à præcedente, quia in illa expreſsè erat appoſita clauſula de alienando abſque aſ-
9 ſenſu apoſtolico, & ſolemnitate: in iſta vero talis modus alienandi ſubijcitur, quamuis ſolum detur facultas alienandi. poſſet aliquis aſſerere etiam in iſto caſu
21 poteſtatem liberè alienandi, non ſeruata ſolemnitate, tranſire cum ipſa re legata, ac proindè intelligi implicitè conceſſam
11 poteſtatem alienandi: aliter ſi facultas iſta concederetur cum relatione ad ſolemnitatem canonicam, & aſſenſum apoſtolicum, nihil daretur à teſtatore: quia ſeruando
1 ſolemnitaté canonicã, & accedẽte aſsẽſu Põtificis ad alienãdũ, nihil faceret expreſſio illa teſtamẽtaria, & inutilis redderetur.

Sed poſſet quis reſpondere probans diſpoſitionem non futuram inutilem, quia teſtator poterat prohibere alienationem prædij à ſe conceſſam. dans autem facultatem alienandi, benignius, & vtilius ſe gerit cum legatario. video hinc inde difficultatem, & fateor rem eſſe dubiam. vt autem aliquid determinatè reſoluamus.

21 Dico quarto, quando conceditur à teſtatore, vel alio donatore res immobilis cum facultate alienandi, tacendo formã, ſub qua alienatio fieri debeat; tunc erit recurrendum ad circumſtantias loci, & temporis, vt quantum fieri poterit mens teſtatoris colligatur, & præſertim attendenda ſunt verba diſpoſitionis, vt ex his omnibus rectè perſpectis innoteſcat, qualis fuerit voluntas teſtatoris. & ideo ſi deprehendatur eius mentem non fuiſſe concedere poteſtatem alienandi, niſi modo ordinario poſitis ſolemnitatibus, &c. tunc ita ſeruandum erit à legatario, ſeu donatario. ſi vero per conceſſionem talis poteſtatis deprehendatur nihil aliud teſtatorem voluiſſe, niſi declarare ſuam mentẽ non eſſe prohibere alienationem, ſed illam admittere in caſu neceſſitatis, aut vtilitatis; poterit ſuperior regularis alienare ſine ſolemnitate, &c.

Verum remanet, vt determinemus, quid dicẽdũ quãdo, pẽſatis omnibus, mẽs teſta- 22
toris apparet dubia an voluerit excludere ſolemnitatem canonicam nec ne. reſpondeo in dubijs præſumi debet noluiſſe recedere à forma iuris communis, atque adeo non poſſe prædium ſine ſolemnitate alienari. ducor, quia receſſus à iure communi cũ ſit odioſus, in dubijs nõ eſt præſumẽdus.

Supereſt, vt ſatisfaciamus argumentis 23
pro priore ſententia *nu*. 2. relata, ad primũ igitur negandum eſt, conditionem illam de facultate alienandi eſſe turpem, vt ſupra oſtendimus: & pariter negandum eſt eſſe iure prohibitam; nam in iure ſolum habemus bona eccleſiaſtica, quando ſcilicet abſolutè, & ſimpliciter ſunt incorporata ipſi eccleſiæ, non poſſe abſque debita ſolemnitate alienari; at non habemus, quod, cum ſunt incorporata cum onere, vel ſi abſque onere, ſed cũ facultate liberè alienandi, antequam abſolute incorporentur, non poſſe abſque ſolemnitate alienari. tunc enim manent veluti ſuſpẽſa in ordine ad alienationem.

Ad ſecundum aio diſparem eſſe ratio- 24
nem, quia ſi monaſterium eſt incapax retinendi bona ſtabilia, conditio illa retinendi eſſet turpis, vtpotè contra votum paupertatis, ac proindè reijcienda; at alienare, quando vrget neceſſitas, vel vtilitas non eſt ex ſe turpe, ſed prohibitũ lege poſitiua: & ideo quando lex, ſtante diplomate teſtatoris, locum non habet, vt euenit in caſibus prędictis, tunc alienatio erit licita.

Dico quinto, ſi Prælatus Regularis alie- 25
net vineã, quæ legata fuit ſub forma relata in prima, & ſecunda concluſione, nullis cẽſuris, aut pœnis eccleſiaſticis eſt puniẽd⁹, quia in eiſdẽ caſibus licita erit alienatio, vt ibidem probatum eſt.

Digitized by Google

LIBER OCTAVVS

DE NONNVLLIS CONTROVERSIIS, QVAE AD SACRAS Preces perſoluendas, ſpectant.

NON eſt animus de orationis natura, & proprietatibus, vniuerſalem inſtituere ſermonem; quamplures enim de illa ex veteribus, & recentioribus fuſè, & accuratè pertractarunt: meum autem inſtitutum de re hac valdè reſtrictè procedit; nam Illuſtriſſimus Reuerendiſſimus Fr. Don Martinus de Leon, & Cardenas Archiepiſcopus Panormitanus mihi mandauit, vt expenderem particularem de ſacris monialibus quæſtionem; non enim deſuit, qui auſus eſſet, ex paucorum Authorum dictis, illas ab onere recitandi horas canonicas eximere, quando in choro non recitantur. Occaſione autem arrepta, non ſolùm de monialibus, verùm etiam de alijs Regularibus choro addictis, quæſtionem hanc agitare operæ pretium duxi, cui pauca quædam alia annectere viſum eſt, & præſertim de attentione, quæ ad orationem vocalem requiritur.

QVÆSTIO PRIMA.

An Regulares ſacris ordinibus non dum initiati, choro tamen obligati, ſi in illo horas canonicas non perſoluerint, eas priuatim recitare teneantur?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur intentio Authoris de modo, quo ſit procedendum.*

2 *Duo præcipuè ſunt expendenda, nempe authoritas aliorum, & ius, in quo fundatur obligatio, quam habent religioſi profeſſi, & ad chorum addicti recitandi horas canonicas.*

3 *Excuſat ſe Author de nimia prolixitate in citandis Authoribus, & explicat, qua ratione ad id moueatur.*

4 *Adducuntur Authores extra ſocietatem, qui defendunt ſententiam, quæ ponit obligationem recitandi.*

5 *Citantur pro eadem ſententia Authores Societatis Ieſu.*

6 *Inſtantia contraria circa mentem Authorum proponitur, & ſoluitur.*

Opinio contraria non redditur practicè probabilis à ſuis fautoribus. 7

Explicatur mens aliquorum, qui pro oppoſita ſententia laudantur. 8

Aſſignatur ratio quare Leſſius ſtet pro ſententia Authoris: argumenta vero, quæ in Auctario poſthumo habetur, aliò diluenda remittuntur. 9

Oſtenditur eſſe vanam expoſitionem, quæ ab Authore illius Auctarij datur, verbis Emmanuelis Sà. 10

De quibuſdam pauciſſimis recentioribus, in hac re, minimè eſt curandum, & quare. 11

IN re hac determinanda duo principaliter diſcutere eſt neceſſe, primo probabilitatem vtriuſque contrariæ ſententiæ, affirmatiuæ ſcilicet, & negatiuæ: ſecundo quo iure ſententia obligans ad recitandum, nitatur; hæc autem duo diſtinctis Paragraphis, ſunt tractanda. 1

§. PRIMVS.

Declaratur Authoris ſententia.

REgulares Profeſſi, & ad chorum addicti obligantur quotidie ſeptem 2 horas

horas canonicas recitare: ideoque abſque rationabili cauſa eas omittendo grauiter delinquent. duas appoſui qualitates, profeſſionem nimirum, & ad chorum deſtinationem. ex defectu prioris nouitios excludo: ex carentia ſecundæ liberos agnoſco eos, qui iuxta ſuum inſtitutum ad publicum, & commune officium in choro canendum minimè aſtringuntur. Hanc opinionem, quam non ſolum probabilem, verum etiam moraliter certam exiſtimo, & authoritate, & ratione firmabo.

§. SECVNDVS.

Referuntur Authores ſuperiorem ſententiam tuentes.

3 Excuſari apud Lectorem me arbitror, ſi in afferendis Authoribus nimia prolixitate immorari videar, operam non perdo: nec fruſtra, aut ſine cauſa id facio, quia Doctorum pluralitas, vt infra dicetur, magnum, & valde efficax robur præſtabit rationi fundamentali, qua concluſio ſuperius poſita erit demonſtranda. moneo tamen Lectores, vt ſciant Authores mox citandos quæſtionem hanc expendere de Religioſis, comprehendendo ſub illis, & mares, & fœminas moniales, vt ipſimet ſeſe explicant: proinde eorum veſtigijs inſiſtendo de religioſis in communi inpoſterum erit ſermo, cum in re hac, vt ipſimet Authores animaduertunt, diuerſitas ſexus nihil faciat. Hanc opinionem igitur defendunt inſraſcripti, quos omnes, non contentus ab alijs relatos vidiſſe, ipſemet in fonte legere volui. excipio duos tantum apud Dianam infra citandos, quos videre non potui. Hi autem ſunt ſeptuaginta.

AVTHORES EXTRA SOCIETATEM Ieſu.

4 *S. Antoninus par. 3. tit. 13. cap. 4. §. 1.*
Paludanus in 4. diſt. 15. quæſt. 5. concl. 4.
Turrecremata diſt. 91. §. 1. art. 9. & 10.
Syluester in ſumma Verb. Horæ. quæſt. 2. dicto 6.
Angelus ibid. num. 1. vt tutiorem.
Tabiena eodem Verb. num. 4.
Armilla eodem verb. num. 4.
Petrus Ledeſma in ſumm. t. 2. tr. 9. c. 4. poſt 8. concl. diff 3. in 2. dicendo.
Dominicus Sotus lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. art. 3. poſt medium. ver. Maximum, inquam, dubium.
Viguerius in inſtit. cap. 5. §. 5. ver. 4.
Rodriquez in ſumma par. 1. cap. 131. concl. 10. & in quæſt. reg. to. 1. quæſt. 42. art. 2.
Graffius in deciſ. aur. par. 1. lib. 2. cap. 49. num. 11. 12. 13.
Durante de Ritibus lib. 3. cap. 22. num. 3. & 5.
Vega in ſum. tom. 1. cap. 127. caſ. 8.
Miranda tom. 1. manual. prælat. quæſt. 37. art. 8. concl. 3.
Nauarrus de oratione cap. 7. nu. 4. & 5.
Lelius Zecchius in vniuerſa theol. mor. par. 2. cap. 83. num. 16. ver. Secundo loco.
Zerola in praxi Epiſ. par. 1. verb. Horæ can. num. 2.
Aſcanius Tamburinus de iure Abbatiſſæ diſp. 15. quæſit. 1. num. 1. & 8.
Henricus de Gandano quodl. 11. quæſt. 29.
Barthol. Medina in inſtruct. lib. 1. cap. 14. §. 11.
Corradus in reſponſ. caſuum par. 2. quæſt. 240. initio.
Ludouicus Beia reſol. caſ. caſ. 55.
Berarduccius ſumma corona cap. 1. de offic. recit. poſt tractatum de ſeptem vitijs capitalibus.
Petrus Binsfeldius in theolog. paſtor. par. 4. cap. 2. concl. 6.
Raphael de la Torre in 2. 2. S. Thomæ controu. 6. diſp. 2. num. 5. & 13.
Macignus de hor. can. cap. 13. num. 14. & 28.
Ioannes de la Cruz in direct. cõſcien. par. 1. præcep. 3. art. 3. dub. 4. concl. 1.
Malderus in 2. 2. S. Thomæ tract. 10. cap. 2. dub. 3.
Gauantus in comment. rubr. Breuiarij t. 2. ſec. 1. cap. 4. num. 10.
Portellius in dub. reg. verb. Hor. can. nu. 1. 2. 3.
Peyrinus in comment. ad reg. minim. cap. 4. §. 12. quæſt. 1. num 3. & de ſubdito relig. tom. 1. cap. 24. de obed. §. 3.
Lezana in ſum. quæſt. regul. tom. 1. cap. 12. num. 3. & 8.
Antonius Fernandez in medulla par. 3. cap. 12. §. 2. num. 1.
Bellaſius in prompt. verb. Moniales num. 18.
Ioannes Scobar à Corro in ſelect. de hor. can. quæſt. 3. §. 4.
Diana par. 2. tract. de hor. can. reſol. 17. par. 6. tract. 8. reſol. 12. par. 9. tract. 6. reſol. 7. & nouiſſimè par. 10. tractat. 11. reſol. 8.
Eligius Baſſaeus in flor. verb. hor. can. num. 5. 6. 7.
Barthol. à S. Fauſto de hor. canon. lib. 2. quæſt. 53. 54. 55.
Antonius Raguccius de officio canonicorũ in choro quæſit. 12. num. 2. 3.
Bonacina de hor. can. diſp. 1. quæſt. 2. pũc. 2. num. 1. & ſequent.
Trullench lib. 1. in decal. cap. 7. dub. 12. §. 1. nu. 1. & 2.

Villalob. in ſum. tom. 1. tract. 24. diff. 9. num. 8. licet quædam in contrarium per modum diſputationis, vt ipſe inquit, propoſuerit, aliorum iudicio ſolutionem remittens, concludit tandem opinionem hanc, vt communem, quæ eſt tutior, eſſe ſequendam; proindè pro hac, & non pro contraria ſententia eſt citandus. *Stephanus de S. Greg. de diuinæ pietatis vinculis lib. 3. cap. 72. num. 16. & apud Dianam reſolut. cit. in par. 10. Euſebius Herrera in deciſ. moral. de ſtatu religionis deciſ. 8. num. 2.* qui ait oppoſitum eſſe temerarium, hunc Authorem ſicuti, & Aloyſiũ de Leon pro hac noſtra ſententia ab eodem Diana citatum præ manibus habere non potui. Quibus accedit epiſtola Paſtoralis ſcripta Monialibus huius Vrbis ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Panormitano, quam per extenſum apponere placuit, ea autem eſt tenoris ſequentis.

LETTERA PASTORALE

NOI FR. DON MARTIN DE LEON, & Cardenas Arciueſcouo di queſta Felice Città di Palermo, Veſcouo Aſſiſtente di Sua Santità, del Conſeglio di Sua Maeſtà, e di ſtato, e Collaterale del Regno di Napoli, &c.

Alle Reuerende Monache Clauſtrate di queſta Città, e ſua Dioceſe.

HA venuto à noſtra notitia, ch'alcuni Theologi di nome, poco ſauij, e meno prudẽti, ſpinti dal padre delle buggie, hanno procurato ſpargere in coteſti ſacri luoghi vna temeraria, e falſa dottrina, per illaqueare l'anime di sì ſante religioſe, proponendogli, che non hanno obligatione di recitare il diuino offitio fuori del choro. Ma la ſingulare prouidenza, che Chriſto Signor Noſtro tiene dell'anime redente co'l ſuo pretioſiſſimo sãgue, e ſpecialmente à lui conſecrate, hà fatto ſubito ſcuoprire ſu'l princio l'aſtutie di Satanaſſo, per eſtirpare à fatto la memoria di tal falſità. E benche, cariſſime nel Signore, da voi ſteſſe, come ſiamo informati, habbiate ributtato con prudenza religioſa, e zelo chriſtiano vna tal dottrina, e li ſeminatori di quella; tuttauia habbiamo giudicato obligo del noſtro offitio Paſtorale, confirmarui più nell'abominatione di quella, proponendoui la vera, abbracciata da tutti li Dottori ſenza che vi reſti ombra di probabilità per la contraria, la quale ſi deue giudicare temeraria.

La vera dunque, & indubitata dottrina è, che tutte le Monache profeſſe de' Monaſterij aſtretti al Choro hanno obligo di recitare ogni giorno le ſette hore Canoniche, anche fuori del Choro, ſotto pena di peccato mortale. Queſta è la dottrina di tutti li Theologi, e Canoniſti, de quali ci hà parſo riferire li ſeguẽti per voſtra maggiore conſolatione, e confuſione delli tali pſeudo-theologi. Sono dunque quelli, che l'inſegnano *S. Antonino Paludano, & altri* quali cita il *P. Franceſco Bardi della Compagnia di Giesù* in vn trattato, che per ordine noſtro hà compoſto ſopra queſto punto.

Tutti queſti Dottori, e molti altri inſegnano queſta dottrina, la quale fondano nella conſuetudine immemorabile introdotta dalle medeſime Monache, che ben poſſono farlo nelle coſe appartenenti à loro; alla quale li ſacri Canoni donano forza di legge obligante con ſtrettiſſimo vinculo; e così è ſtata riceuuta, & & oſſeruata per molti ſecoli da tutti l'huomini ſauij, prudenti, e timorati, li quali ſempre hanno ſtimato, e ſtimano quella obligare ſtrettiſſimamente, & hauer forza di legge inuiolabile, come ſono altre ſimili conſuetudini, che nella Chieſa di Dio obligano li fedeli all'oſſeruanza ſotto pena di peccato mortale, qual'è il digiuno delle Vigilie di Pentecoſte, di S. Giouanni Battiſta, di S. Lorenzo, e di tutti li Santi: il recitare l'offitio diuino li Subdiaconi, e Diaconi, & altre conſuetudini di molti riti, e cerimonie della S. Chieſa nell'amminiſtratione de Santi Sacramenti, celebratione della Meſſa, & altre coſe ſacre, che tutte s'oſſeruano con ſtrettiſſimo obligo, per eſſere ſtate riceuute da tutti li fedeli come obliganti ſotto pena di peccato mortale, & à tutti cauſa grandiſſimo ſcandalo l'inoſſeruanza di quelle. Come per il contrario l'vſo della Salutatione Angelica; di ſegnarſi con l'acqua benedetta all'entrare in Chieſa, riceuere le ſacre ceneri nel primo giorno di Quareſima, e li rami nella Domenica delle Palme, non obliga ſotto peccato mortale, per non giudicarſi da perſone prudenti, e timorate come legge, ma come coſa di deuotione; e perciò non ſono communemente condennati quelli, che mancano nell'oſſeruanza di tal vſo.

Suppoſta dunque la ſudetta dottrina, qual non può mai Theologo alcuno, ò Canoniſta metterla in dubio. Noi bene, e pienamente informati, che in queſta noſtra Dioceſe vi ſia ſtata, e vi ſia la ſudetta conſuetudine, per togliere ogni dubietà, in virtù della preſẽte dichiariamo in queſta noſtra Dioceſe Palermitana eſſerui ſtata, e durare al preſente la ſudetta conſuetu-

tu-

tudine obligante ſotto peccato mortale le Monache profeſſe alla detta recitatione dell'offitio diuino, etiãdio fuori del Choro; e ſtante queſta noſtra dichiaratione, non reſta ombra di dubio in queſta materia.

Queſta è, cariſſime nel Signore, la dottrina, che douete ſeguire, & abbracciare, come vere, & obedienti Religioſe, chiudendo l'orecchie alle fauole di perſone indotte, imprudenti, e poco, ò niente timorate, come Noi ſperiamo dalla voſtra Religioſa Chriſtianità, che hauete profeſſato, alle cui orationi ci raccomandiamo, e le benedichiamo. Dal noſtro Palazzo Arciueſcouale à 20. di Maggio 1651.

Fr. Don Martin Arciueſcouo di Palermo.

EX SOCIETATE IESV.

5 *Bellarminus in controu. tom. 4. controu. 5. generali lib. 1. de bonis operibus cap. 19.*

Toletus in ſumma lib. 2. cap. 12. ver. Tertium genus.

Emmanuel Sà in aphoriſ. ver. Horæ. nu. 1.

Azor. par. 1. lib. 10. cap. 6. quæſt. 1.

Suarez de relig. tom. 2. lib. 4. de hor. can. cap. 17. num. 2. & ſequent.

Vaſquez opuſc. de benef. eccl. cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 11. num. 44.

Valentia tom. 3. in 2. 2. S. Th. diſp. 6. qu. 2. punct. 10. §. 2. concl. 3.

Tanner. in 2. 2. S. Th. diſp. 5. quæſt. 1. dub. 5. num. 143. 144.

Reginaldus in praxi lib. 18. cap. 11. ſec. 1. num. 140.

Filliucius tom. 2. tract. 23. cap. 5. quæſt. 2. dicto 1. num. 149. 150. & ſeq.

Caſtropalaus tom. 2. diſp. 2. punc. 1. §. 3. num. 5. 6. 7.

Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 37. dub. 9. n. 49.

Sanchez in conſil. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 3. num. 6. & dub. 4. num. 3. 6.

Layman in ſumma tom. 2. lib. 4. tract. 1. cap. 4. num. 2.

Pellizzarius de monial. cap. 6. quæſito 7. num. 14. & in manuali tract. 5. cap. 8. ſec. 2. num. 52. & ſeq.

Perſicus de hor. can. dub. 23. num. 1. 8. & dub. 25. num. 5.

Antonius de Eſcobar in theol. mor. tract. 5. exam. 6. cap. 3. num. 56. v. Qui nam extra chorum.

Nicolaus Baldelli vir doctiſſimus, & in noſtra Societate peritiſſimus in theologia morali tom. 2. lib. 3. diſp. 2. num. 2. & diſp. 22. num. 1.

Adamus Contzen, in ſuis politicis lib. 6. c. 7. §. 3.

Bonartius de hor. can. lib. 2. cap. 3. nu. 4.

Scortia in ſelec pontif. epit. 116. theor. 316.

Gordonus in theol. moral. lib. 6. quæſt. 2. §. 3.

Ioãnes Baptiſta Fragoſus de regim. chriſ. reipub. par. 2. lib. 10. diſp. 22. §. 4. nu. 4. & ſeq.

Vincẽtius Trãcredi in ſuis eruditis tractatibus de virtute religio. trac. 3. lib. 4. diſp. 9. quæſito 2.

Hi ſunt Authores, qui hanc ſententiam defendentes, eam reddunt non ſolùm probabiliorem oppoſita; verùm etiam moraliter certam, ita vt alia in praxi tuta minimè ſit cenſenda: proindè non immerito noſter Sanchez eam dixit non eſſe probabilem: & Aſcanius Tamburinus inquit ab omnibus eſſe reiectam vtpotè praxi contrariam, & rationi diſſonam: & vlteriùs alij procedentes, illam temerariam appellarunt. ſic Reginaldus, & Pellizzarius locis citatis.

Dices poſſunt Authores citati explicari de obligatione recitandi diuinum officiũ in choro, non autem priuatim: proindè, ſi quis ob cauſam rationabilem choro non aſſiſtat, liber remanet ab obligatione ſoluendi penſum officij, dummodo in ſacris ordinibus non ſit inſignitus. 6

Reſpondeo negando explicationem iſtam dari poſſe, quia ferè omnes laudati Authores explicitè docent obligationem hanc in religioſis choro aſtrictis; de quibus eſt ſermo, eſſe ad officium etiam priuatim recitandum, quando choro non aſſiſtunt. alij vero Authores explicant hanc obligationem dicendo eamdem eſſe rationem de talibus religioſis, ac de clericis beneficiatis: illi autem abſolutè tenentur, & conſequenter priuatim ſi choro non interſint; ergo etiam, & illi: & ſic explicatio prædicta non ſubſiſtit.

§. TERTIVS.

Contraria opinio à ſuis fautoribus practicam probabilitatem non recipit.

DIcendum eſt contrariam opinionem, quamuis à quibuſdam ſuſtineri videatur; nihilominus non reddi practicè probabilem. placet autem Authores ipſos, qui citari ſolent, adducere, eorumque dicta expendere. ex antiquioribus citantur ſequentes, nempè *Caietanus in ſum. verb. Horæ canonicæ initio*, *Ioannes Medina cod. de oratione q. 7. in fine*, *Aragonius in 2. 2. S. Th. q. 83. ar. 12. ver.* [*Explicatis iam duobus*] *Alphonſus de Caſtro lib. 1. de leg. pœn. cap. 8.* ex recentioribus verò *Leſſius in p. 2. poſt 12. quæſtionem in quodam Auctario* recollecto poſt eius 7

mor-

mortem *verb. Hora canonicæ caſu* 14. vbi ſermo tantùm eſt de monialibus, & titulus eſt: *vtrum ſententia Caietani eximentis illas à tali obligatione ſit probabilis*. Author enim videtur cum quadam limitatione docere eas non teneri, nam *num.* 27. aſſerit conſuetudinem recitandi non eſſe ita durè interpretandam, vt ſub peccato mortali ſingulis vicibus obliget, & *num.* 29. clarius id declarãs ait ſe non exiſtimare monialem mortiferè peccare, ſi bis, aut ter omittat. pro ſententia tamen abſolutè liberante religioſos à culpa mortali *nu.* 26. citat *Emmanuelem Sà in aphoriſmis verb. Horæ canonica num.* 1. hanc eandem opinionem nouiſſimè ſequuntur *Caramuel in Reg. S. Benedict. diſp.* 100. & fuſiùs *diſp.* 103. *ar.* 2. *Petrus Marchãt in tribunali ſacram. tom.* 2. *tract.* 2. *par.* 2. *tit.* 3. *quæſt.* 1. *Bordonus in reſol. reg.* 30. *quæſito* 2. *& apud Dianam par.* 10. *tr.* 11. *reſol.* 45. *Martinus à S. Ioſeph in monit. confeſſ. tom.* 1. *lib.* 1. *de ordine tract.* 10. *num.* 3 *Machadus tom.* 2. *lib.* 5. *par.* 2. *docum.* 1. *num.* 1. qui ſolum dicit eſſe probabilem, vt autem agnoſcatur quod intendimus, nempè quàm parum faueant Authores numerati prædictę ſententiæ nũc ſolùm propono fundamentum, quo nitũtur, & inferius quæſtione ſequenti fusè illud examinabo. fundamentum autem tale eſt. Nullo iure ſcripto, ſiue diuino, ſiue humano Religioſi aſtringuntur ad horas canonicas priuatim recitandas, neque conſuetudine ad id obligantur, quia non præſumitur inducta à primis hominibus animo inducendi rigoroſam obligationẽ: ergo abſolutè, & ſimpliciter loquendo, religioſi ad horas priuatim perſoluendas ſub graui obligatione minimè tenentur. hæc eſt ratio fũdamentalis horum Authorum, quam vt dixi infra examinabo; nunc autem placet ſenſum horum doctorum, qui pro hac ſententia citantur exactè perpendere, quorum aliqui fideliter non referuntur, neque alij abſolutè loquuntur, vt mox videbimus. ſingulos igitur in examen voco.

8 Incipio autem à *Caietano*, *qui l. c.* agẽs de illis, qui ad horas tenentur, habet hæc formalia verba [*Dicuntur, & tertio obligati religioſi profeſſi, & certè, niſi conſuetudo illos obliget (de qua nihil ſcio) non tenentur*] hæc Caietanus; ex cuius verbis ſolum poſſunt aduerſarij deducere, neque ab ipſo affirmari, neque negari cõſuetudinem obligantem: proinde non bene citatur abſolutè, nulla facta limitatione, quia ſolùm conditionatè loquitur de conſuetudine.

Ioannes autem Medina l. c. potius nobis quam aduerſarijs fauet, ibi enim, quãuis aliquantulum obſcurè loquatur his verbis concludit [*Habet etiam in hoc locum conſuetudo, quæ talis ſit in religione illa, vt omnes profeſſi, ac ſi ordinati eſſent, horas canonicas dicant: tenebuntur ac ſi per regulam eſſet ſtatutum*] ſic ille: cuius verba quamuis ſint aliquantulum obſcura; nihilominus Author videtur velle, quod ſi in religione conſuetudo ſit, vt profeſſi recitent, ac ſi eſſent ordinati, teneantur ad horas canonicas: igitur nullũ habet verbum, per quod abſolutè religioſos à tali obligatione excludat.

Venio ad Aragonium, qui ſolum vult, quod, ſi Monachus choriſta ſacris non initiatus, ſemel, aut iterum non dicat officium diuinum, non peccet mortaliter. & ſic doctus iſte vir non abſolutè eximit Religioſos; ſed ſibi viſum fuit eos excuſare, ſi vna, aut altera vice horas omittant: imo hoc cum quadam reſtrictione, ſeu formidine aſſerit, dicens (*meo iudicio nõ peccat mortaliter*) quamuis opinio iſta merito ab alijs reijciatur.

Alphonſus autem de Caſtro neque ſimpliciter, & abſolutè id affirmat: nam eo cap. 8. paulo ante medium fol. mihi 63. conſiderans varia religionum inſtituta, in quibus leges aliquæ obligant ad ſolam pœnam, & non ad culpam, ait per bullã quamdam ab ipſo citatam, fuiſſe ab Eugenio quarto declaratum, nihil eorum, quæ continentur in Regula S. Claræ, obligare ad peccatum: ex quo infert, quod ſi aliqua Soror omittat diuinũ officiũ, non peccabit, niſi id fiat ex contẽptu. Secus ait de fratribus minoribus, qui ex regula, vt ipſe inquit, præceptum habent recitandi. At contrarium aſſerit de fratribus Prædicatoribus, quorum regula non obligat ſub peccato: de quibus poſtea ita ſubdit [*ſi tamen illi de eleemoſynis, aut de decimis à Summo Pontifice eiſdem cõceſſis aluntur; tenebuntur ſub obligatione peccati mortalis dicere officium diuinũ integrum, ſicuti clerici ſæculares, qui beneficia poſſident; ita enim declarat Vincentius Bandellus in expoſitione ſuarum conſtitutionum cap.* 1.] Hæc Alphonſus: videtur enim ſupponere eleemoſynas, aut decimas ſe habere, vt beneficia obligantia ad recitandas horas; proinde, qui ex illis viuunt, ſub peccato mortali ait aſtringi ad perſoluendũ officium, igitur nõ abſolutè docet religioſos profeſſos eximi à tali obligatione. & hæc ex veteribus colligere potui citatis pro contraria ſententia.

Deueniamus nunc ad recẽtiores, & primo loco dicamus, quid ſentiendum ſit de mente P. Leſſij, quem tamen pro nobis citauimus. proculdubio eſt potius adhiben-

Digitized by Google

benda fides ijs, quæ ipſe Leſſius docuit in tractatu illo de iuſtitia, quem, dum in humanis degeret, magno ſtudio, & ſingulari doctrina ſcripſit; quàm ijs, quæ in Auctario illo poſthumo, ex ſchedulis inuentis collecta fuere, & neſcimus, num fuerint re vera ipſius Leſſij, an vero aliorum ab ipſo emendanda; &, ſi ipſius fuerint neſcimus, an ea ſcripſerit dubitanter, diluenda poſtea, ni mors vitæ ſolutione, dubij reſolutionem intercidiſſet: & in confirmationem huius rei, eſt valdè notandum id, quod collector illorum caſuum ante Auctarium in prolocutione ad lectorem apertè fatetur, videlicet ea omnia, quæ ibi reſoluuntur feſtinanter, & prima, vt aiunt manu, ab Authore plurimis negotijs diſtracto, valetudine infirma, vrgentibus reſpōſū nūtijs, cōſcripta fuiſſe, nō ea intētione, vt in lucē prodirēt; idē collector deniq; præmonet Lectorem ne in hoc opere poſthumo Leſſium viuum requirat. loquēdo igitur de mente Leſſij, fidem tribuere debemus operi potiùs edito, dum Author viueret; quam operi poſt eiuſdem mortē ab alijs collecto, & indigeſto.

10 Vt autem hoc melius appareat, placet eius argumenta ſpeciatim expēdere, quod inferiùs præſtabo, ex quorum ſolutione vnuſquiſque deprehendere poterit doctrinam talibus innixam argumentis non eſſe Leſſij, qui in ſuis opinionibus corroborandis, validis conſueuit vti rationibus, vt eius opera manifeſtè indicant, quæ ab ipſomet viuente fuerunt accuratè digeſta, & impreſſa: in præſentia autem differre non poſſum examen quorumdam verborum, quæ ab Emmanuele Sà loco citato apponuntur, & pariter explicationem traditam ab Authore illius operis, quicumq; ſit: poſtquam enim Emmanuel ibi noſtram docuit ſententiam, refert opinionem contrariam aliquorum tacito nomine, & ſubdit hæc formalia verba [*Quod, & ſi probabile, non eſt vſu receptum*] Author autem ille declarans hæc vltima verba duo habet, primo hoc quod dicitur, non eſſe vſu receptum, non obſtare ſuæ ſententiæ: ſecundo iſta verba nihil aliud ſignificare, niſi quod Religioſi, & Moniales putant ſe ſub peccato mortali eſſe aſtrictos ad horas canonicas recitandas: & ſi aliquando omittant ſe peccare mortaliter.

Contra primum vrgeo, ſi opinio illa nobis contraria, non eſt vſu recepta, ſequitur vſum, ſeu conſuetudinem eſſe in fauorem noſtræ ſententiæ, ex qua conſuetudine, concurrentibus quibuſdam alijs circumſtantijs, demonſtrabimus infrà oriri obligationem illam, qua Religioſi aſtringuntur ad horas perſoluendas, ergo falſum eſt, quod hæc verba non obſtant ſuæ ſententiæ.

Contra ſecundum arguere poſſum, oſtēdendo incongruam eſſe explicationem, quā dat Author ille poſtremis verbis, quæ ab Emmanuele ponuntur, nam aliud eſt, aliquid non eſſe vſu receptum, aliud vero exiſtimari ſub graui culpa ad id teneri, illud enim prius importat formaliter, & primario negationem conſuetudinis de vno, & ſecundario conſuetudinem de alio oppoſito, hoc autem poſterius importat iudicium conſcientiæ dictantis obligationē ad non omittendum, & conſequenter ad exercendam talem actionem, quæ duo ſunt longe diuerſa; neque ſunt neceſſariò connexa, quia ſtat aliquid non eſſe vſu receptum, abſque eo quod iudicetur id eſſe ex obligatione ſub graui culpa, poterit enim non recipi ex alio fine, & in caſu noſtro ex deuotione, & non ex obligatione.

Scio tamē quid ſibi voluerit Author ille, talem dans explicationem, voluit enim ſignificare mentem Emmanuelis ſuę ſententiæ fuiſſe conformem, videlicet cōſuetudinem recitādi horas canonicas, quæ inter Religioſos viget, eſſe ex conſcientia erronea, quatenus putant ad hoc eſſe aſtrictos, & hoc Author ille ſuadere intendit, vt tandem inferat, vi talis conſuetudinis ex falſa conſcientia prouenientis, nō poſſe hanc obligationem fundari, cum ex errore procedat. Sed melius Author iſte feciſſet, id probando, quàm Emmanuelis verba ita extorte explicando. Denique vt talis expoſitio omnino euaneſcat, addo, in vltima editione aphoriſmorum Emmanuelis, iuxta correctionem Romani exemplaris, verba illa (*quod & ſi probabile*) expuncta fuiſſe, & ideo nullo pacto Emmanuelem eſſe citandum pro ſententia, quæ negat Religioſos prædictæ obligationi ſubire.

Remanent *Bordonus*, *Caramuel*, & *Marchant*, *Martinus à S. Ioſeph*, qui clarè pro hac ſententia loquuntur, Machadus, verò nil aliud dicit niſi probabilem eſſe hanc ſententiam. hi autem pauciſſimi, & recentiores Authores nequeunt cōtra tot, & tales aduerſarios fundare probabilitatem oppoſitam. Neque ipſi tanti nominis ſunt, vt æquiparari valeant cum illis: proindè eorum authoritas in re hac non eſt tanti æſtimanda, & præſertim, quia rationes ab ipſis adductæ ſolum tendunt ad tollendam conſuetudinem, quæ obligationem inducat, quod ſufficienter non probant, vt videbimus. 11

(:†:)

QVÆ

QVÆSTIO SECVNDA.

Ex quo iure emanat in Regularibus obligatio ad horas canonicas recitandas.

SVMMARIVM.

1 *Aliqui cenſent Regulares iure diuino ad id teneri.*

2 *Reijcitur hæc opinio.*

3 *Quidam putant teneri lege iuſtitiæ.*

4 *Non placet Authori hæc opinio.*

5 *Cenſent alij iure canonico obligari.*

6 *Refellitur.*

7 *Sententia id fundans in conſuetudine immemorabili vt probabilior recipitur.*

8 *Proponuntur aliqua, quæ de conſuetudine ſolent Authores docere.*

9 *Declarantur coniecturæ, ex quibus deprehenditur à conſuetudine obligationem induci.*

10 *Obiectio, qua probatur præſumptio pro eximendis Regularibus ab onere recitandi.*

11 *Secundum aliquos quando adeſt dubium, conſuetudo præſumitur ex obligatione inducta.*

12 *In præſcriptione longiſſimi temporis non eſt quærenda intentio primorum hominum, à quibus incœpit ipſa conſuetudo.*

13 *Non obſtante ignorãtia introduci poterit conſuetudo, quæ obliget, & quo modo id fiat declaratur.*

14 *Et confirmatur varijs exemplis ſimilibus.*

15 *Eneruatur exemplum adductum à Caramuele ex hiſtoria Bertrami.*

16 *Ad introducendam cõſuetudinem ſufficit implicitus conſenſus principis.*

17 *Conſuetudo de re hac etiam inter moniales introduci poteſt.*

18 *Diluitur obiectio deſumpta ex conſuetudine abſtinendi à lacticinijs die Veneris, & ſabbati, oſtendendo manifeſtã diſparitatem.*

19 *Conſuetudo eo modo explicari debet, quo ſumitur communiter à ſapientibus.*

20 *Occurritur obiectioni, qua probatur diſparitas inter beneficiatos, & eos qui ſacris ordinibus ſunt inſigniti, & inter moniales.*

21 *Preces, quæ funduntur à religioſis laicis communiter non exiſtimantur obligare ſub culpa graui.*

22 *In locis, in quibus non viget talis conſuetudo obligandi, ceſſabit obligatio, ſaltem ſub culpa graui.*

23 *Obijci poſſet obligationem iſtã eſſe potuiſſe ſub veniali tantum, non obſtante grauitate materiæ. ſoluitur obiectio.*

(:S:)

Hoc eſt ſecundum, quod initio præcedentis quæſtionis expendendũ propoſui, ex eius autem deciſione melius firmabitur ſententia, quam ſuperius ſuſtinui de obligatione iſta.

§. PRIMVS.

Referuntur aliquorum ſententiæ de iure, in quo fundatur obligatio iſta.

1 Aliqui aſſerunt ad id teneri iure diuino, & naturali ratione diuini cultus, ad quem ſpecialiter obligantur: & ſicuti clerici ſacris ordinibus inſigniti tenentur ad horas recitandas; ita religioſi choro addicti ratione profeſſionis eadem detinentur obligatione. pro hac ſententia citatur *S. Antoninus l. c. & pauci alij.*

2 Sed hæc opinio non eſt admittenda; quia ratione profeſſionis religioſi non tenentur, niſi ad vota, & ad ea, quæ continentur in regulis, eo modo, quo ibi præſcribuntur: proindè non ſunt ad officium aſtringendi. & quamuis, vt perſonæ religioſæ ſpeciali modo Deum colere debeãt; nihilominus, cum varijs modis honorem Deo offerre valeant, non ſunt aſtricti ad hunc particularem modum, nempè ad recitationem officij.

3 Alij vero cenſent teneri ex lege iuſtitiæ, inquantum deputantur ab Eccleſia tanquam miniſtri ad orandum pro populo: in hunc enim finem eleemoſynis aluntur. ſic *Paludanus Tabiena, & alij.*

4 Non placet opinio iſta, quia etiamſi ab eccleſia ad orandum deputentur; non determinatur tamẽ modus particularis orãdi: ſufficit enim, vt hoc, vel illo modo id fiat. rurſus neque conſtat eleemoſynas, aut redditus illis conceſſos fuiſſe à fidelibus per modum ſtipendij ſub hoc onere, & pacto recitandi horas; ſed dici poſſet conceſſos fuiſſe per modum ſimplicis eleemoſynæ, & donationis; proinde ex hoc capite inſufficienter obligatio iſta deducitur.

5 Alij id fundant in lege canonica poſitiua, nempè *in cap. Licet vniuerſis de voto, & voti redemptione*: citatur *Aragonius à S. Fauſto in quæſtione illa* 55. ſuperius adducta.

6 Verum id non rectè fundatur in *capite Licet*: quia ibi nullum quidem verbum de hac re habetur, vt legenti poterit fieri manifeſtum; nam ſolum ibi refertur præceptum à Põtifice impoſitum filio Regis Vngariæ, vt ſub pœna excommunicationis exequatur onus adeundi Hieroſolymam, vt Regi patri ſuo in extremis agenti promiſerat: ex his autem nihil de re noſtra colligitur.

§. SE-

Digitized by Google

§. SECVNDVS.

Aperitur, & efficaci ratione probatur huius obligationis fundamentum.

7 Dicendum eſt obligationem, quam in religioſis choro aſtrictis ad penſū diuini officij ſoluendum aſtruimus, fundari in diuturna, & immemorabili conſuetudine legitimè præſcripta: hæc eſt communiſſima ſententia, cui theologi, & canoniſtæ ſubſcribunt. cæterum quia aduerſarij hanc conſuetudinem ius parientem expugnare conantur, oportet, vt totis viribus ad eam firmandam operam demus: huius enim quæſtionis reſolutio ex hoc principio tota dependet.

8 Pro qua re nonnulla, quæ de conſuetudine dicunt Doctores, ſunt in præſentia conſideranda: & priùs tanquam baſim ſuppono conſuetudinis definitionem, ſeu deſcriptionem, quæ traditur ab Iſidoro communiter à Theologis, & Canoniſtis recepto *lib. 2. orig. cap.* 10. *& lib.* 5. *cap.* 3. ex ipſo enim dico, *conſuetudinem eſſe ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum lex deficit*. huius definitionis rectitudinem ex eiſdem Authoribus nunc etiam ſuppono, & ſolum ea, quæ in illa continentur, conſidero: primo enim eſt aliquid in ea incluſum, quod ſe habet tanquam quid materiale, nempè actuum frequentia, quæ illis verbis ſignificatur, *moribus inſtitutum*, ſcilicèt vſu hominum firmatum: talis autem vſus appellatur conſuetudo materialis cū ſit quid facti. aliud vero, quod conſidero, eſt quod ſe habet tanquam quid formale, quod vocatur conſuetudo formalis, ſeu legalis, & eſt quid iuris reſultans ex materiali, & habet vim per modum legis obligantis. difficultas vero in caſu noſtro non conſiſtit in conſuetudine illa materiali, quam inueniri nemo dubitat, experientia enim ipſa admonet; ſed conſiſtit in oſtendenda conſuetudine formali, quæ obligat ad modum legis: aduerſarij enim concedentes materialem, negant, apud Religioſos, dari conſuetudinem formalem, ſeu legalem ad horas recitandas, dicunt enim actuum frequentiam inſufficiens ſignum eſſe conſuetudinis formalis, cum reperiri queat ſine illa, vt in multis eſt manifeſtum; v. g. inter fideles eſt conſuetudo ſalutandi B. V. quando poſt ſolis occaſum initio noctis datur ſignum; & pariter eſt conſuetudo ſumendi in ingreſſu Eccleſiæ aquam luſtralem: in primo die Quadrageſimæ, cinerem, & in Dominica Palmarum, ramum oliuæ: talis tamen conſuetudo nullam inducit obligationē, ſeu conſuetudinem formalem, ad quam cauſandam requiritur, vt actus iterentur hac intentione inducendi obligationem, quam intentionem aduerſarij non admittunt adfuiſſe in religioſis recitantibus horas; ſed aiunt id feciſſe ex pura deuotione, & quadam decentia, & non ſub obligatione: aliunde igitur eſt nobis probanda obligatio iſta.

9 Nonnullæ ſolent ab Authoribus coniecturæ aſſignari, ex quibus intentio illa, ſaltem implicita, deducatur. vnde quamuis demus initio non fuiſſe obligationem recitandi, tamen concedamus oportet in progreſſu temporis fuiſſe inductam: coniecturæ autem iſtæ ſunt. prima eſt temporis longitudo, quo talis obſeruatio durauit, vt enim Doctores vniuerſaliter aiunt, ad conſuetudinem, ſiue præſcriptam, ſiue non præſcriptam aliquis temporis lapſus eſt neceſſarius, maior, aut minor iuxta rerum, & circumſtantiarum varietatem, de quo in tractatu de legibus eſt ſermo: ſecunda, vt viri rectæ conſcientiæ, & prudentes malè ſentiant de non ſeruantibus talem conſuetudinem, imo putent ipſos, abſque cauſa omittentes, grauiter delinquere, ex tali enim exiſtimatione prudenter colligitur obligatio ſeruandi conſuetudinem, cum hoc maximè dependeat ex prudentum hominum iudicio: tertia, vt Prælati, aut alij ſuperiores reprehendant, & puniant tranſgreſſores, ſi enim puniūtur, ſignum eſt deliquiſſe, delictum autem obligationem ſupponit in ipſis delinquentibus: quarta, vt materia, de qua eſt cōſuetudo, notabiliter conferat ad bonum commune, ſiue politicum, ſiue ſpirituale; ergo actuum frequentia circa talem materiam oſtendit intentionem ſe obligandi in illis, qui conſuetudinem introduxerunt. has coniecturas proponunt Doctores ad colligendum actus frequentatos fuiſſe intentione inducēdi obligationem per modum legis. *ita Suarez lib.* 7. *de legibus cap.* 15. *num.* 13. *Caſtropalaus tom.* 1. *tr.* 3. *diſp.* 3. *punc.* 2. §. 3. *num.* 13. *Merolla tom.* 3. *diſp.* 5. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 32. *Baldellus tom.* 1. *l.* 5. *diſp.* 47. *num.* 17. *Bonacina in decal. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punc.* 10. *num.* 21. *Megalius in prompt. verb. Conſuetudo. num.* 5. *Pellizzarius in man. reg. tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 30.

Has autem coniecturas concurrere in conſuetudine recitandi diuinum officium apud Religioſos, facilè ſuadebitur diſcurrenti per ſingulas.

Et prima, quæ eſt ex diuturnitate temporis, ſatis abundè habetur, cum tot ſint ſæcula, ne dum anni, in quibus conſuetudo iſta vigorem retinet: ſecunda etiam adeſt, quis enim dubitet, quod ſi Reli-

gioſus, nulla rationabili cauſa interueniẽte deprehẽdatur ab alijs religioſis pijſque viris officium omittere, occaſionem ſcandali, & malè exiſtimationis non præbeat? tertia non erit minus euidens, nam Prælatus grauiter obiurgabit, atque condignam infliget ſubdito pœnã de tali omiſſione: quarta denique eſt manifeſta, quia horas canonicas perſoluere valdè conducit ad diuinum cultum, & ad ſpirituale ipſorum religioſorum bonum: ex his ergo coniecturis prudenter colligere poſſumus conſuetudinem hanc inductam fuiſſe per modum legis ſubditos obligantis, & cum ſit grauis materia, aſtringere debet ſub lethali culpa, ſi abſque legitima cauſa non ſeruetur, vt autem concluſio iſta meliùs firmetur, nonnullas inſtantias, quæ incontrarium fieri poſſent, quæ in Auctario Leſſij habentur, proponere, & diluere oportet.

10 Dices primo, dum non conſtat de intentione, qua fuit introducta conſuetudo, & dum in dubijs verſamur, præſumere debemus potiùs deuotionis, quam obligationis cauſa eam fuiſſe introductam, vt cõmuniter dicunt Authores, igitur religioſi non ſunt ſub graui culpa aſtringendi ad horas recitandas.

11 Reſpondeo non deeſſe, qui de hac materia loquentes, dicant in dubio præſumẽdam eſſe conſuetudinem illam ex obligatione magis, quam ex deuotione inductã fuiſſe. ita *Azor par. 1. inſtit. moral. lib. 5. cap. 18. quæſit. 5. Reginaldus in praxi to. 1. lib. 13. cap. 34. num* 244. nolo tamen argumenti ſolutionem in tali opinione fundare, ſed adhærens aliorum doctrinæ, reſpondeo præmittendo priùs tanquam fundamentum id, quod docet Oldradus. ait enim *Oldradus conſil* 244. *numer.* 13. quartam diluens obiectionem; *Rochus de Curte de conſuet. ſec. 8. num. 28. Maſcardus de probat. concl. 429. num. 2. & alij apud ipſum* ait inquam.

12 In præſcriptione longiſſimi temporis, de cuius contrario hominum memoria nõ habetur, non eſt quærendum, qua intentione primi homines exercere incœperint actus conſuetudinem inducentes: fruſtra enim quæritur, quod inueniri naturaliter prohibetur. ita hi Authores nos admonẽt: proinde cum naturaliter ſit impoſſibile notitiam habere de intentione, qua primi homines conſuetudinem hanc induxerint, vanum eſſet talem inueſtigare intẽtionem: idcirco, tempore tam immemorabili tranſacto, ad coniecturas erit recurrendum; coniecturas vero, quæ iuxta ſenſum Doctorum animum inclinare poſſunt ad prudenter iudicandum, conſuetudinem hanc potius ex obligatione, quã ex ſimplici deuotione introductam fuiſſe, iam ſupra enumerauimus, & quamuis aduerſarijs daremus conſuetudinem, quæ vim legis obligantis haberet initio minimè fuiſſe; nihilominus temporis progreſſu viri ſapientes exiſtimantes conſuetudinem hanc obligare, eam acceptarunt tanquam veram legem pro ſe, & pro ſuis poſteris. proinde practicè cenſere minimè debemus nos in dubijs verſari, ſed in ijs, quæ moralem habent certitudinem.

Dices ſecundo, exiſtimationem illam de obligatione recitandi, etiam diuturnam, fuiſſe ex ignorantia, & errore inductam, ergo non potuit religioſos obligare, quia actus, qui legalem conſuetudinem cauſant, debent eſſe voluntarij, quales non eſſent ſi ex errore procederent, vt concors ſententia Doctorum affirmat. 13

Reſpondeo eſto quod perſoluere diuinum officium tãquam ex obligatione, aliquando ex errore proceſſerit; nihilominus temporis progreſſu, cum talem conſuetudinem tot, taleſque viri ſapientiſſimi, & prudentes non ſolum exacte ſeruauerint; verum etiam de eius obligatione quæſtionem ex profeſſo inſtituerint, & pariter ſciuerint debitum hoc nequaquam ex lege aliqua diuina, aut humana originem habuiſſe, ſed tantum ex conſuetudine inueterata, & hoc non obſtante determinauerint ſtrictè obligare, & ex tali credulitate continuauerint per tot ſæcula penſum diuini officij; iam conſuetudo incœpit legitimè præſcribi, & conſequenter, tranſacto tempore ad præſcriptionem requiſito, vim legis habere cœpit, quamuis ſui initium ex ignorantia irrepſerit, ſicuti mutata proportione, quamuis eo tempore, quo conſuetudo incipit contra legem præſcribere; primi legem non ſeruantes, grauiter peccent, vt in tractatu de legibus Doctores notant; nihilominus conſuetudo illa prius peccaminoſa pedetentim progrediens ſpoliatur malitia, & euadit honeſta, ita vt à pijs hominibus tuta conſcientia ſeruetur.

Totum hoc efficaci argumento confirmo ex plurium ſimilium paritate: v. g. in iure communi, vt fere omnes communiter aduertunt, nulla inuenitur lex, quæ obliget Diaconum, & ſubdiaconum ad recitandum diuinum officium, quod rectè oſtendit *Leſſius diſp. illa 9. num.* 44. 45. aliquos ponderans textus canonicos, qui in contrarium adduci poterant, & cum alijs concludit obligationem hanc fundari in antiqua conſuetudine: Rurſus in peruigilio Pentecoſtes, S. Ioannis Baptiſtæ, S. Laurentij, & diei feſti omnium Sanctorũ eſt ieiunium obligans ſub culpa graui, & non ex lege poſitiua, ſed ex conſuetudine: 14

con-

contra quam ſi quis argueret, non eſſe legitimè præſcriptam, & non conſtare de
71 intentione, qua inducta fuerit, ex deuotione ne an ex obligatione, vel ſi dicat, procedere poſſe ex errore, hanc exiſtimationem de obligatione ſeruanda, ſi quis inquam ita argueret, eſſet repellendus, quia ſufficit per tot ſecula ita fuiſſe à ſapientibus; & pijs viris iudicatum: ita etiã, & ego dicam de conſuetudine recitandi apud regulares, cum nullum prorſus diſcrimen appareat. Et ſi vlterius ad efficaciam argumenti vitandam diceret, eſſe diſparitatem, quatenus omnes Doctores conueniunt in Diaconis, & Subdiaconis eſſe obligationem illam, ſicuti etiam ad ieiunandum in prædictis vigilijs; at non omnes conueniunt in admittenda obligatione illa in Religioſis, ſi inquam ita diceret, contra eſſet, quia etiam non defuerunt aſſerentes ſolos Beneficiarios aſtrictos eſſe ad obligationem illam horas recitandi, non autem clericos, qui ratione ſui patrimonij ſacris ordinibus sũt inſigniti, vt refert *Gloſſa cap. vlt. diſt. 91.* Præterea putarũt aliqui non eſſe lethale peccatum prætermittere aliquo die diuinum officium eos, qui ad illud tenentur, niſi ex contemptu id fiat: quam opinionem refert *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 7. quæſito 1. & Sanchez in conſil. lib. 7. cap. 2. dub. 11.* adducens pro hac opinione *Henricũ Anglicum*; & tamen talis opinio temeraria exiſtimari debet: & Gratianus cenſuit in Vigilia Pentecoſtes non eſſe de neceſſitate ieiunandum: vt explicat *Gloſſa cap. Noſſe §. obſeruantia diſt. 76.* illum vero reprehendit eadem Gloſſa, eccleſiæ con-
81 ſuetudinem aſſerens, quamuis *Turrecremata ibidem, & alij* Gratianum excuſẽt, & dicant ſolum voluiſſe excludere à ieiunio peruigilij Pentecoſtes neceſſitatem præcepti ex iure, non autem obligationẽ ex conſuetudine. huic ſententiæ, quam Gloſſa tribuit Gratiano adhærere videtur *Paſqualigus in Praxi ieiunij deciſ. 171. 172.* varijs argumentis probando conſuetudinem hanc non obligare: in fine tamẽ illarum deciſionum timens id aſſerere iudicio aliorum ſe remittit. Volui autem hæc omnia addere ad oſtendendum dictũ vnius, aut alterius non eſſe ſufficiens ad eneruandam communem aliorum ſententiam, ad quam expugnandam manifeſta, & ſole clarior requiritur ratio: Nam ſi quis nouus Author in mediũ afferat aliquam rationem, quæ talis appareat, cũ ſupponamus aliorum authoritate minimè fulciri, hoc ipſo eum vti ſuſpectũ reijcere debemus, & quãuis eius inuentor ſole clariorem eam exiſtmet, potius dicendum ipſum paralogizare, quam omnes alios hallucinatos fuiſſe, & certè talis opinio nouitatis notã nunquam effugiet, ſic igitur in conſuetudine iſta, de qua eſt ſermo, opinio paucorum contra Doctorum torrentem nihil proficit. Et vt verum fatear debet præcludi omnino aditus huiuſmodi paucorum placitis in hoc genere, quia ſi patiamur irrepere tales tergiuerſationes contra conſuetudines nil firmum inueniri poterit in Eccleſia quoad plures ritus, & cærimonias, quæ ex ſola conſuetudine in adminiſtratione ſacramentorum, & celebratione diuinorum ſeruantur ſub obligatione; quia poſſet quis, ignorando intentionem, iuxta quã à prioribus Prælatis, & Miniſtris earũ cõſuetudo fuit inducta, ambigere; num ex errore obligent: quod tamen aſſerere eſſet ſcandaloſum, & valde præiudiciale. ſeruanda ergo erit conſuetudo eo modo, & in eo gradu obligationis, quo pro diuturno, & longiſſimo tempore Doctores, & Patres illam obligare exiſtimant.

Dices tertio cum Caramuele, qui laborans ad hanc labefactandam conſuetu- 15
dinem, vtitur exemplo B. Bertrami ex hiſtoria, quam retulit *Chryſoſtomus Henricus in Menologio Ciſtercienſium quarto nonas Iulij*: refertur enim quod ipſe Bertramus cultui B. V. valde addictus, cum in choro recitandum eſſet officium de feſto aſſumptionis eiuſdem Virginis, in cuius officij lectionibus doctrina Bertramo in- 81
grata continebatur, quia dubitatiuè agebatur de ſacra aſſumptione in corpore: nõ ferens Beatus ille illas audire, poſtulauit ab Abbate licentiam diſcedendi, eaque obtenta, ſuam grangiam adiuit: hæc, & multa alia referuntur in illa hiſtoria, ex qua Caramuel has conſequentias infert: Bertramus diſceſſit nõ audiret lectiones illas, ergo nõ ipſe erat extra chorum recitaturus? patet conſequentia; quia ſi eſſet recitaturus non conſecutus fuiſſet intentum: priuatim enim illa legiſſet, quæ in choro noluerat audire. procedit vlterius Caramuel contra ſe ipſum, ſic obijciens: ſi dicas B. Bertramum non omiſiſſe, ſed mutaſſe officium, dices quod probare non poteris: omiſiſſe enim ex hiſtoria conſtat; verum aliud ſubſtituerit non conſtat: maneat igitur illam legendi priuatim conſuetudinem ita fuiſſe receptam, vt, ea non obſtante, potuerit S. illo Grangiarius omittere lectiones, aut fortè officium ſine culpa, ſaltem mortali: hæc Caramuel: cuius diſcurſus eſt prorſus inefficax ad intentum perſuadendum, cum plures inuoluat fallacias, non enim video qua ratione Author iſte ex eo quod Bertramus receſſit à choro, ne lectiones illas audiret, inferat priuatim integrum omi-

ſiſſe officium , potuerat enim Bertramus facilè alias ſubſtituere lectiones , quæ ex ſanctis patribus non deſuerant : & cum Caramuel vrget hoc probari non poſſe; & conſtare de omiſſione officij , non autem de alterius officij ſubſtitutione , reſpondeo falſum eſſe conſtare de omiſſione ſimpliciter , ſed tantum de omiſſione officij in choro ; inutilis enim eſt iſta conſequentia non recitauit in choro ; ergo neque priuatim , procedit enim argumentum à ſecundum quid ad ſimpliciter , & ideo fallax : & quamuis nobis priuata huiuſmodi recitatio euidenter non conſtet; nihilominus ipſa , & non eius omiſſio eſt præſumēda . veriſimile enim non eſt , virum adeo pium , & ſanctum integrum voluiſſe omittere officium , & præſertim die feſtiuo B. V. cujus cultum ipſe enixè profitebatur; & voluiſſe moralem defectum, ne plus dicam, patrare : malum enim à iure nunquam præſumitur , niſi probetur . præſertim vbi eſt ſanctitatis opinio; & auget difficultatē,

15 quia quamuis ſupponamus illam omiſſionem non fuiſſe niſi culpam venialem , non potuit tamen in eo genere eſſe leuis , quia non defuiſſet perfecta deliberatio . deniq; addo quod ex vnica tantum omiſſione ſingularis hominis , qui forſitan motiua habere potuerit ad non recitandum , ineptè deducitur vniuerſaliter negatio conſuetudinis in alijs .

16 Dices quarto , vt legitimè introducatur conſuetudo , quando in populo ſuprema non reſidet facultas condendi leges , conſenſus Principis interuenire debet , vt cōmuniter docent Authores : in caſu autem noſtro nullus reperitur conſenſus Pontificis talem approbantis conſuetudinem: igitur non erit legitimè introducta .

Reſpondeo in hac conſuetudine implicitum ſaltem plurium Pontificum conſenſum adfuiſſe, cum enim ſciuiſſent varia religionum inſtituta , earumque conſuetudines , inter quas onus continebatur perſoluendi officium diuinum , hæc omnia approbarunt , & confirmarunt: & addo hunc perſonalem Pontificum conſenſum non fuiſſe neceſſarium ad hāc conſuetudinem inducendam , cū legalis conſenſus adfuiſſet , ille nimirum , quem Princeps præſtat lege mediante, nam *in cap. fin. de conſuetudine* duæ conditiones requiruntur ad illam , nempè vt ſit rationabilis , & legitimè præſcripta, pro eo nimirum tempore, quod ius præſcribendum decreuit : hac duplici cōditione poſita, ſtatim intelligitur , quod fuit conſenſus Principis non perſonalis , ſed legalis, qui continuo præſtari cenſetur lege mediante ab ipſo met Principe , vt rectè notat *Sanchez lib. 7. de matr. diſp. 4. num. 11. in fine , & num. 14. circa medium , Baldell. in diſp. illa 22. num. 7. & alij .*

Dices quinto . ex parte monialium ſaltem , non potuiſſe conſuetudinem hanc viribus firmari, quia ſicuti fœminę nequeūt leges ſtatuere ; ita neque conſuetudinem, quæ vim legis habet , & ideo *Bartolus in l. 1. ff. de legib. num. 7.* ait. Vſus mulierum non inducit conſuetudinem . 17

Reſpondeo poſſe à fœminis conſuetudinem introduci in ijs , quæ ad ipſas ſpectāt. *ita Rocbus de Curte cap. vltimo , de conſuet. ſec. 4. num. 53. Petrus de Rauenna eod. tract. ſec. 4. num. 54. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 18. quæſit. 11.* recitare autem horas canonicas , valdè congruenter pertinere poteſt ad fœminas , atque adeo poterit apud ipſas moniales introduci conſuetudo recitandi officium diuinum , accedente ſaltem implicito , vt explicuimus, conſenſu Pontificis . Quod vero ſpectat ad Bartolum reſpondet ab ipſo non ſimpliciter negari per fœminas conſuetudinem introduci poſſe , imo apud *Suarez lib. 7. de legibus cap. 9. num. 11.* citatur ipſe met *Bartolus in l. 2. C. quæ ſit long. conſuet. num. 13.* aſſerens communitatem fœminarum eſſe capacem legis, atque adeo earum conſuetudinem acceptatam à Prælato , poſſe legem inducere ; & ita etiam docent alij . ad locum autem in contrarium deſumptum ex Bartolo reſpondet ipſum ibi loqui de rebus , quæ ad viros ſpectant, hoc eſt non poſſe à mulieribus induci conſuetudinem contra legem ad viros pertinentem . ita exponunt Bartolum plures , quos citat , & ſequitur *Bonacina in decal. diſp. 1. quæſt. 1. punc. 10. num. 16.*

Dices ſexto . haberi caſum valdè huic noſtro ſimilem , per quem probari poteſt conſuetudinem in conſcientia erronea ſubditorum fundatam , non obligare. caſus autem talis eſt . olim in hoc noſtro Siciliæ Regno præſertim apud vniuerſitates remotiores ab exterorum commercio, magna vulgi pars exiſtimabat ſine Bulla eſſe abſtinendum à lacticinijs die Veneris , & Sabbati per totum annum , quamuis in hos dies ieiunia eccleſiæ non incidiſſent , & quia exiſtimatio iſta oriebatur ex ignorantia , idcirco viri ſapientes populum à tali ignorantia liberarunt , oſtendentes huiuſmodi obligationem non inueniri, igitur conſuetudo; quæ in ignorantia fundatur , vim obligandi non habet ; & cum talis præſumatur eſſe conſuetudo recitandi horas canonicas à monialibus , idcirco aſſerendum eſt eas minimè obligari . 18

Reſpondeo longè diſparem eſſe rationē inter vtramque conſuetudinem; & veritas ita apparet , vt aduerſarios mihi manus daturos facilè perſuadeam , niſi velint eſ-

ſe peruicaces. diſparitatem autem ſequenti diſcurſu ſic declaro. prædicta vulgi opinio de abſtinentia die Veneris, &c. viguit vſque ad medium ſæculi ſuperioris, quo tempore ſocietas noſtra ingreſſa eſt in hoc Regnum ſingulari prouidentia, & authoritate Excellentiſſimi Domini Ioannis de Vega Proregis. paucis igitur dicam quomodo euenit, vt populus animaduerteret obſeruationem illam abſtinendi à lacticinijs die Veneris, & Sabbati fuiſſe inductam ex ignorantia, nam primo illo ſocietatis appulſu cœpit vigere vſus ſacramentorum Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, præſertim accedente reformatione Concilij Tridẽtini, quippè eodem ferè tempore ſacroſancta illa ſynodus fuit publicata, & ſocietas propagata. cum ergo frequentes ad confeſſionem conuenirent tenuis fortunæ viri, ac mulieres, & paſſim ſe accuſarent, quod ſine bulla comederent lacticinia, deprehenderunt viri ſocietatis ex errore in vulgus emanaſſe opinionem illam, quod non liceret veſci lacticinijs die Veneris, & Sabbati: qui ſanè error non potuit antea innoteſcere, quamuis ex alia parte multi comederent lacticinia illis diebus, nam cæteri, qui præ paupertate bullam coemere non poterant, exiſtimabant illos alios beneficio bullæ eximi à tali obligatione. cũ ergo hoc animaduertiſſent patres noſtri, & ex ea occaſione cæteri confeſſarij, ab eo ſcrupulo populum exemerunt.

Nunc obſeruandum eſt, in quo differat caſus iſte ab illo, quem agitamus de obligatione officij recitandi, ſic enim aio: non erat legitima conſuetudo, vt Siculi abſtinerent illis diebus à lacticinijs, primò, quia opinio illa erat inter maximè idiotas, quales ſunt viri, ac mulieres adeo tenuis fortunæ, vt bullam coemere nequirent: apud ſapientes vero, atque alios, qui cum ſapientibus agebant, nulla erat talis opinio. ſecundo nullus Author vnquam docuit eſſe talem obligationem, aut eam rem vocauit in controuerſiam. cum ergo, vt probauimus, ſecùs eueniat in conſuetudine officij recitandi, nullo modo debet hæc res in dubium reuocari, & ſic patet manifeſtum diſcrimen inter vnum, & alterum caſum. ad illud vero, quod dicitur de ignorantia, quamuis non ita facilè ſit admittendum conſuetudinem hãc recitandi ex obligatione inductam fuiſſe initio ſui per ignorantiam, aut errorem, cum coniecturæ, de quibus ſupra egimus, contrariũ perſuadeant; nihilominus, etiamſi hoc
1 admitteremus, nihil ſequitur aduerſus hãc communem ſententiam: nam viri ſapientes, & prudentes, qui ex profeſſo onus recitandi conſiderarunt, decreuerunt illud ſub graui culpa obligare, vnde cum toto tempore ad legitimam præſcriptionem requiſito ex tali credulitate id obſeruauerint, tali tranſacto tempore, incipit conſuetudo vim legis habere, atque adeo ſubditos obligare: eſto quod aliqua conſuetudo, quando fundatur in errore; aut ignorantia, talem vim minimè habeat. id autem prouenit ex defectu alicuius cõditionis, ad conſuetudinem iuris, ſeu formalem requiſitæ, vt erat conſuetudo illa, quæ apud homines plebeos, & non apud doctos vigebat de abſtinentia à lacticinijs die Veneris, & Sabbati, & ſic de alijs ſimilibus: ſicuti è conuerſo per conſuetudinem contrariam aliqua lex poteſt in deſuetudinẽ abire, licet initio negatio obſeruationis orta fuerit, vel ex errore, vel ex malitia, & peccato priorum hominum illam tranſgredientium. Si progreſſu vero temporis legitimè requiſiti ad derogandum, poſteriores homines docti, & prudentes legem illam non ſeruauerũt, tranſacto eo tempore ceſſat obligare.

Hæc autem ſunt argumenta, quæ communiter fieri ſolent ad hanc ſententiam ſuadendam, placet nunc pauca quædam agitare præter expreſſata, quæ Collector Leſſij in illo Auctario proponit, & quæ expendenda in hunc locum remiſi, & hoc vt cognita argumentorum infirmitate deprehendatur Auctarium illud non eſſe iuxta mentem Leſſij, quæ autem ibi habentur ſub debita argumentandi forma proſequar.

Dices igitur ſeptimò, Conſuetudo prædicta non eſt ita durè interpretanda, vt ſingulis vicibus obliget ſub peccato mortali; probatur tum quia hoc eſſet parùm humanum, & periculoſum ſaluti; tum etiam quia conſuetudo iſta regularis non debet plus obligare quam expreſſum ſtatutum regulare, at ſi ſtatutum de horis recitandis à ſingulis, non cenſeretur obligare ſub culpa graui, ſed tantùm ſub reatu regularis correptionis, vel ad ſummũ ſub peccato veniali, & ſub aliqua pœna regulari, quemadmodum alia ſtatuta regularia, ergo neque prædicta conſuetudo cenſeri debet obligare ſub culpa graui.

2 Reſpondeo conſuetudinem eo modo eſſe explicandã, quo modo explicatur cõmuniter à ſapiẽtibus eã examinãtibus, cũ autẽ per tot antegreſſa ſecula à multitudine Doctorũ cõſuetudo hęc exiſtimata fuerit, quod obliget ſub graui culpa, ita erit de illa loquendum; proinde negandum eſt duram eſſe hanc interpretationem, & ad eius probationem aio, parum religioſè dictum fuiſſe, hoc eſſe inhumanum, hoc enim pacto obligatio ad alia ſubeunda onera regularia v.g. ad ieiunia, & ad 19

cæteras aſperitates regulares eſſet inhumana, quod aſſerere nefas eſt, hoc enim perinde eſt, ac damnare Religionum inſtituta piè, & laudabiliter varia onera ex obligatione præſcribentia. valde igitur piũ cenſeri debet onus quotidie laudes Deo offerendi. Ad illud aliud quod adducitur de ſtatuto regulari non obligante, reſpõdeo, nullum eſſe inconueniens aſſerere conſuetudinem hanc ſtrictius obligare quàm plura ſtatuta non obligantia ad peccatum, vel ad ſummum ſub peccato veniali.

20 Dices octauo diſparem eſſe rationem de beneficiarijs, vel de illis, qui ſacris ordinibus ſunt initiati; & de Regularibus, & de Monialibus, nam illi nempe Beneficiarij ſtipendia ab Eccleſia in finem recitandi ſacras horas recipiunt, & ideo tanquam mercenarij ad illas obligantur: Ordinati vero in ſacris ſponte in miniſterium Eccleſiæ ſe tradiderunt, quia ordinantur, vt Eccleſiæ inſeruiant: At Moniales non deſerunt ſæculum, & monaſterium ingrediuntur, vt ſtipendia recipiant, vel vt aliquod Eccleſiæ miniſterium obeant, ſed vt propriæ perfectioni vacent, Deoque inſeruiant, alimenta vero recipiunt, vt pauperes, proindè cum ſęculum relinquãt, & in monaſterij latebras ſe abdant parum humanum videbitur ſi nouus laqueus illis inijciatur, &c. ſic diſcurrit collector ille ad diſparitatem prædictam aſtruendam.

Reſpondeo primo, has probationes ſi vim haberent non militare vniuerſaliter pro omnibus religioſis choro aſtrictis, ſed tantùm pro monialibus.

Secundò reſpondeo abſolutè, eſſe ineſficaces ad diſparitatem oſtendendam, nã quidquid ſit de beneficiarijs, de ordinatis verò in ſacris non videtur aſſignata ſufficiens diſparitas, quia ſicuti ipſi ſponte voluerunt vt Eccleſiæ Miniſtros ſe offerre, eique inſeruire recitando quotidie horas: ita & Moniales ſponte voluerunt ſe Religioni offerre ad ſeruiendum Deo, & varijs oneribus ſubijci, quibus adiuuari poſſent ad perfectionem acquirendam, & ad diuinas laudes Deo quotidie offerendas.

21 Dices nono. Conuerſi, ſeu Religioſi laici, qui choro non ſunt emancipati multas quotidie Deo preces ſoluunt, & tamen non cenſentur ad illas peragẽdas ſub graui culpa teneri; ergo neque alij Religioſi choro aſtricti, & in ſacris non ordinati, obligãtur ſub peccato mortali quotidie horas recitare.

Reſpondeo negando paritatem; conſuetudo enim illa in conuerſis, & laicis à viris doctis ſaltem communiter non exiſtimatur obligare ſub culpa, vel ſaltem ſub graui, ſecus de ijs, qui choro ſunt addicti. paritas autem curreret, ſi conſuetudo recitandi preces illas à laicis progreſſu tẽporis ſufficienti, exiſtimata fuiſſet ſub peccato mortali obligare.

Dices decimò in Belgio, & Germania multi viri docti putant virgines, quæ in conuentu commorantur, & canoniſſæ vocantur, & habent quaſdam præbendas, quotidie horas recitantes, cum à choro abſunt, non teneri ſub peccato mortali ad recitandum; ergo multo magis tali obligatione ſunt eximendæ moniales, quæ præbendas non habent, & tanquam pauperes aluntur. 22

Reſpondeo quicquid ſit de conſuetudine illa, quæ in Belgio, & Germania viget, de qua nihil mihi conſtat; ſatis tamẽ erit in ijs locis, in quibus conſuetudo inualuit, Regulares aſtringi ad recitandum.

Dices vndecimò. probabiliſſimum eſſe imponi poſſe obligationem ſub veniali, quamuis materia ſit capax grauis obligationis ſub mortali: & maximè quando ratio ſe offert non imponendi maiorem obligationem; ergo in caſu noſtro, cum non videatur ratio imponendi maiorem obligationem, quàm ſub veniali, ita eſt tenendum; maximè quia adiuncta regulari correptione, obtinebitur finis ſtatuti, & eximentur conſcientiæ infinitis ſcrupulis, & periculis peccati mortalis. 23

Reſpondeo concedendo illud eſſe probabile, ſed ex hoc nihil contra me inferri poterit; non enim ſermo eſt de prima impoſitione recitandi horas, potuit enim ab initio imponi Religioſis choro aſtrictis & in ſacris non ordinatis onus officij ſub veniali, at ego non fundo ſententiam meã in impoſitione, ſed in conſuetudine inueterata per tot ſecula, in quibus viri ſapiẽtiſſimi hoc onus examinantes iudicarunt eſſe ſub graui obligatione, & ſub tali credulitate id ſeruarunt, proindè præſcriptio pro tali obligatione iam completa eſt; etiã ſi daremus initio ex ignorantia proceſſiſſe, quæ tamen, tranſacto legitimo tempore ad præſcriptionem, in tot, & talibus hominibus, neque fuit, neque præſumitur adfuiſſe.

QVÆSTIO TERTIA.

De attentione, quæ ad orationem vocalem peragendam requiritur.

SVMMARIVM.

Dupliciter prout ad rem facit, conſiderantur actus interni. 1

(∴)

Vt

1 VT huius quæſiti deciſio meliùs firmetur, placet altiùs ſumendo principium, inquirere, num Eccleſia præcipere, aut prohibere poſſit actus internos; ſed quia tales actus dupliciter, prout ad præſentem controuerſiam faciũt, conſiderari poſſunt, videlicet directè, quatenus ipſimet actus ſecundum propriam bonitatem, aut malitiam, quam habent præcipi, aut prohiberi queunt: vel indirectè inquantum coniunguntur cum actu externo, illumque ad aliquod eſſe morale trahunt, ſiue virtutis, ſiue vitij: vtroque modo quæſtionem pertractabo, & ex horum determinatione facilis erit deciſio quæſtionis principalis. maioris autem diſtinctionis gratia vtrumque dictũ in duas diuido ſectiones, & ne idem repetere cogar casũ exagitabo de actu interno prout requiritur ad moralitatem honeſtam dandam actioni externæ, & eodem modo proportionaliter erit ratiocinandum de actu interno, ex quo malitia emanat in actum externum.

SECTIO PRIMA.

Vtrum actus internus legi eccleſiaſticæ directè ſubdatur.

SVMMARIVM.

1 *Partem affirmatiuam aliqui tuentur, & probant.*

2 *Alij oppoſitum docent.*

3 *Non eſt impoſſibilis in Eccleſia poteſtas, per quam directè feratur in actus internos.*

4 *Soluitur ratio contraria pro priori ſententia.*

5 *De facto non datur talis poteſtas in Eccleſia, idque oſtenditur.*

6 *Explicantur concilia adducta in contrarium.*

7 *Poteſtas tradita à Chriſto S. Petro, & ſucceſſoribus eſt ad vtrumque forum externum, & internum.*

8 *Eccleſia regit fideles in ordine ad ſalutem æternam, & hoc fit duplici modo.*

9 *Diſpenſatio votorum internorum non fit per poteſtatem legiſlatiuam, ſed per poteſtatem quam habet Eccleſia pro foro interno.*

10 *In quo fundatur obligatio orandi mentaliter in religioſis.*

11 *Parochus habens intentionem non ſuſcipiendi ordinem intra annum, qua ratione obligatur reſtituere fructus.*

1 PRima ſententia eſt quorundam, qui partem affirmatiuam docent, videlicet ab Eccleſia præcipi, aut inhiberi poſſe actum internum directè, & per ſe, & pro hac ſententia citari ſolet *Gloſ. in Clem.* 1. *de hæret.* §. *Verum*: *ver. Eo ipſo*, quatenus ait quod Eccleſiæ militantis conſtitutio ligat crimen omnino occultum quoad pœnas ſuſpenſionis, & excommunicationis. eandem ſententiam tenet *Adrianus quodlib.* 8. *p.* 1. *Albertus Pighius de eccleſiaſ. hierarc. lib.* 6. *cap.* 6. & probabilem exiſtimat *Io. Medina Cod. de oratione quæſt.* 15. §. *His non obſtantibus*. *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 37. *dub.* 11. *numer.* 66. eam denique defendere debent omnes, qui putant hæreticum etiam per actum purè internum incurrere in excommunicationis cenſuram latam in bulla cœnæ, & hos refert *Merolla tom.* 2. *Theologiæ moralis diſp.* 4. *cap.* 4. *dub.* 16. *diff.* 1. *n.* 216. probari poteſt concluſio primo ex ſtatutis plurium conciliorum, quæ affert *Medina loc. cit.* in quibus recenſentur aliqui actus interni infidelitatis, quos eadem Concilia prohibent ſub pœna excommunicationis. ſecundo probatur ex poteſtate tradita D. Petro, & conſequenter ſucceſſoribus eius à Chriſto Domino *Matth.* 16. illis verbis [*Quodcumque ligaueris ſuper terrã, &c.*] poteſtas iſta eſt vniuerſalis, proindè comprehendens externos, & internos actus, & nulla eſt ratio cur limitetur. tertio probatur, quia in Eccleſia eſt poteſtas regendi fideles in ordine ad acquirendam ſalutem æternam; proindè debet in ipſa Eccleſia eſſe facultas ad media, nempè ad præcipiendos actus internos virtutum, & prohibendos actus malos oppoſitos, & etiã ad diſpenſandum in votis purè internis. quarto probatur regulæ religionũ, interdũ præſcribunt orationem mentalem, quæ eſſentialiter conſiſtit in actu interno: ergo poteſt Eccleſia directè præcipere actum internum.

Secunda ſententia contrarium docet, 2
nimirum in Eccleſia non eſſe poteſtatem imperandi, aut prohibendi directè actus merè internos. hæc opinio communior eſt, & eam docet *S. Th. p.* 2. *q.* 91. *art.* 4. & *q.* 100. *ar.* 9. *Suarez lib.* 4. *de legibus cap.* 12. *num.* 4. *Vaſquez p.* 2. *diſp.* 160. *cap.* 2. *num.* 5. *Salas tract. de leg. diſp.* 9. *ſect.* 1. *num.* 3. *Sayrus in claui regia lib.* 3. *cap.* 6. *num. vltimo*. *Caſtropalaus tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *puncto* 6. *num.* 2. *Bonacina de leg. diſp.* 1. *q.* 1. *puncto* 5. *num.* 8. *Merolla to.* 2. *diſ. cit. n.* 217. & quàplures alij apud ipsũ, tũ ex antiquis, tũ ex recẽtiorib'. fũdamẽtalis vero ratio huius opinionis eſt, quia lex humana nequit ſe extẽdere ad ea, quæ ab ipſo legislatore iudicari nequeunt, Eccleſia autem cum non poſſit actus purè internos agnoſcere, neque poterit de illis iudicium ferre, & ideo non habet facultatem

tem imperandi, & directè illos prohibendi.

3 Dicẽdum eſt primò, nullam eſſe impoſſibilitatem in Eccleſia inueniri poteſtatẽ ferendi leges, quæ directè tendant in actus internos, vt volunt Authores primæ ſententiæ. Concluſio iſta, quatenus procedit ſpectando poſſibilitatem, à nemine negari poterit, & de facto eam rectè probat *Suarez cap. cit. num. 9.* poterat enim Deus, ſeu Chriſtus dominus talem communicare facultatẽ, & ratio eſt, quia cum lex Eccleſiaſtica per ſe, & principaliter reſpiciat forum conſcientiæ, poterit imperare, vel prohibere actus internos morales, qui ad conſcientiam pertinent, & contra traſgreſſores imponere accomodatas pœnas, ſicuti ipſa eccleſia attingit actum internum diſpenſandò, aut commutando, aut denique irritando vota, & iuramenta purè interna, & remittendo pœnam peccatis debitam per Indulgentiarum applicationem, & ſimilia.

4 Ad fundamentum autem, in quo niti poſſet aliquis contrarium probando, videlicet non poſſe præcipi actum, qui cognoſci iudicari, & puniri non poteſt, &c. reſpondeo ſi ſermo ſit de cognitione, & iudicio ferendo per ſententiam Iudicis, ſicuti iudicantur de facto multæ actiones in foro externo, medijs teſtibus, probationibus, &c. fateor non poſſe humano modo ab Eccleſia iudicari, & puniri actum internum; ſi autem ſermo ſit de iudicio, & ſententia, quæ immediatè fertur per ipſam legem, ſine probationibus, & teſtibus, nego id excedere humanam poteſtatem, hoc enim pacto ad iudicandum, & puniendum non requiritur externa diſcuſſio; ſed ſola ipſa conſcientia delinquentis, & tunc ipſa met lex, poſito delicto interno, illud punit per cenſuras.

5 Dicendum eſt ſecundo, de facto talem poteſtatem non eſſe Eccleſiæ communicatam, & in hoc conuenio cum Authoribus ſecundæ ſententiæ, quam ſic probo, & primo argumento negatiuo, quia neque in ſacris literis, neque in Concilijs, aut alijs ſummorum Pontificum decretis reperitur veſtigium talis facultatis traditæ. ſecundo probo eamdem concluſionem, argumento poſitiuo ex fine, quem habet Eccleſia in ſuis legibus ferendis, qui eſt recta, & externa gubernatio fidelium, & tali pacto argumentor: externum regimẽ accommodatum moribus hominum per ſe ſolùm exigit, vt exteriores actiones honeſtatem habeant, tum in ordine ad Principem ſuperiorem, tum in ordine ad ſubditos, tum denique in ordine ad mutuam inter ipſos ſubditos communicationem, ſeu, quod idem eſt, ſolùm poſtulat, vt ſenſibiles actiones iuxta rectam rationem exerceantur: Eccleſia enim cum ſit quoddam corpus myſticum ſenſibile, per ſenſibiles actiones regi debet.

Ad primam rationem deſumptam ex varijs concilijs, quæ à Ioanne Medina referuntur, reſpondeo, ex illis non colligi eſſe impoſitum anathema ſolis actibus internis, cum non incongruè explicari poſſint de actibus internis aliquo modo coniunctis cum externis, clarè, aut per inditia manifeſtis, & ſic exponunt ſimiles leges *Salas diſp. 160. cit. cap. 3. ſec. cit. nu. 8. & 9. Caſtropal. & alij.* 6

Ad ſecundam de poteſtate illa tradita D. Petro, & ſucceſſoribus, reſpondeo eſſe intelligendam de tota eccleſiaſtica poteſtate, quæ reſpicit vtrumque forum, internum, & externum, vt rectè animaduertit *S. Th. in 4. diſt. 18. q. 2. art. 2.* & ideo verba illa, per quæ tradita eſt poteſtas S. Petro, diſtributione accommoda ſunt intelligenda, videlicet quatenus agitur de cauſis fori interni, ſeu fori conſcientiæ inter hominem, & Deum; tunc poteſtas Eccleſiæ de facto verſatur etiam circa actus purè internos, imò ad hos principaliter dirigitur, quia medijs internis actibus fideles ad Deum immediatè ordinantur, & ſalutem acquirere debent; proindè actus, in quos fertur hæc Eccleſiæ poteſtas, pertinent ad iuriſdictionem, quam iuriſtæ voluntariam appellant, & in vtilitatem ipſius hominis eiuſque petitionem exercetur. at poteſtas Eccleſiæ, vt legiſlatiua ſpectat ad forum externum, & primo, & per ſe non habet de facto iudicare niſi de actibus externis, & ſic declaranda ſunt verba prædicta. 7

Ad tertiam rationem, concedo in Eccleſia eſſe poteſtatem regendi fideles in ordine ad ſalutem æternam; hoc autem ſit per gubernationem immediatam in foro interno conſcientiæ modo explicato, vel per mediatam, ſcilicet medijs legibus, quatenus ſunt immediatè, & per ſe de actibus externis, qui etiam ab Eccleſia intẽduntur propter finem ſupernaturalem, & ad bonum, & ſalutem animarum. 8

De diſpenſatione votorum internorũ, &c. reſpondeo, hæc pertinere ad forum internum conſcientiæ, in quo, vt diximus ferri poteſt Eccleſia in actus internos directè, ſecùs de poteſtate legiſlatiua, quæ directè nequit in hoc ordine rerum iudicare de actibus internis, & talem poteſtatem de facto dicimus non fuiſſe Eccleſiæ communicatam, vt probauimus ſupra. 9

Ad quartam reſpondeo, quod obligatio, qua religioſi tenentur mẽtaliter orare, vel fundatur in voto obedientiæ aſtringente ipſos ad ſeruandas regulas, eo moda- 10

ta-

tamen, quò regulæ obligant, vel ſub culpa, vel ſine culpa etiam leui, & tunc harũ regularum obſeruatio pertinet ad perfectionem obedientiæ, ſecundum quam ſubditus ſuperioris voluntati ſe conformat etiam ſine præcepto, vide *Suarez to. 3. de religione lib. 10. cap. 7. per totum*, vbi quærit, an votum obedientiæ obliget ad obſeruationem totius regulę, vel obligatio iſta fundatur in quodam pacto implicito inter ipſos religioſos, & religionem, quando ipſi religioni ſe tradunt, ad ſeruanda omnia, quę in regulis continentur, proindè ad argumentum nego conſequentiam, nam vt oſtenſum eſt obligatio iſta non fundatur in pura iuriſdictione legiſlatiua, ſed etiam in voto, ſeu traditione prædicta.

11 Sed obiicies, ſi quis recipiat beneficium parochiale carens ordine ipſi beneficio debito, quem ſuſcipere tenetur infra annum ſecundum ius canonicum, & habeat intentionem illum non ſuſcipiendi, tenetur fructus, quos interim exigit, reſtituere per *textum in cap. Commiſſa §. Cæterum, de Eccleſ. in 6.* ergo Eccleſia directè prohibet, & punit actum internum; nimirum intentionem illam poſitiuam non ſuſcipiẽdi ordinem.

Ad hoc argumentum vario modo reſpondent Authores; expeditius tamen mihi videtur dicendum, obligationem reſtituendi fructus prædictos propriè non eſſe pœnam, ſed fundari in quodam pacto, ſeu contractu implicito inter ipſum Parochum, & Eccleſiam, quatenus Eccleſia confert beneficium tali perſonæ hac lege, & conditione, vt ipſe Parochus intra annum promoueatur, & ideo Parochus recipiens beneficium cum hoc onere, ſi illud non adimplet, nequit facere fructus ſuos, ſicuti ſi quis daret eleemoſynam pauperi hac conditione, vt oret pro ipſo, ſi pauper conditionem hanc non ſeruat, vel habeat intentionem illam non ſeruandi, tenebitur profectò eleemoſynam ipſi danti reſtituere.

SECTIO SECVNDA.

An actus interni, quatenus coniuncti cũ externis, humanis legibus ſubiaceant?

SVMMARIVM.

1 *Conſiderantur actus interni, vt coniuncti cum externis, & vt illorum forma.*

2 *Tria actuum internorum genera conſiderantur, & varij effectus ab illis procedentes.*

3 *Eccleſia præcipiens actum externum indirectè præcipit actum internum, qui requiritur, vt cauſſa efficiens actus externi.*

Eccleſia etiam indirectè præcipit actum internum, à quo actus externus ſortitur ſuum primum eſſe ſubſtantiale honeſtum. 4

Concluſio eſt valdè communiter recepta. 5

Proponitur eius fundamentalis ratio. 6

Pontifex ob commune bonum poteſt imperare, vt aliqui inuicem matrimonium verum contrahant. 7

Poteſt Eccleſia præcipere celebrationem ſacri, atque adeo indirectè intentionẽ conſecrandi. 8

Eccleſia obligat ad veram, & non ſimulatam confeſſionem annualem. 9

Reſponſio Vaſquez refertur, & reijcitur. 10

Probatur concluſio ex poteſtate, quam habet Eccleſia puniendi conflatum ex hæreſi interna, & externa, idque probatur exemplo ex rebus naturalibus. 11

Confirmatur ex cenſura impoſita Inquiſitoribus, ſi ex odio mouentur ad puniendos hæreticos, vel ad illos liberandos ex aliquo affectu. 12

Actus interni, qui requiruntur ad communicandam accidentalem bonitatem actui externo, neque indirectè ab Eccleſia præcipiuntur. 13

Probatur concluſio iſta. 14

Aſſignatur diſparitas inter orationem vocalem, & quaſdam alias actiones externas. 15

Aſſignatur ratio, quare præcipi poſſũt actus, qui faciunt ad ſubſtantialem honeſtatem, & non illi, qui faciunt ad accidentalem. 16

Eccleſia nunquam præcipit, vt fideles tali determinata intentione orent, &c. quamuis per modum directionis id interdum præſcribat. 17

Obligatio, qua detinentur Religioſi vt applicent ſacra, aut preces iuxta præſcriptum regulæ, aut iuſſu Prælati, in quo fundetur. 18

Qua ratione poteſt eccleſia prohibere, & punire actum externum malum cum dependentia ab interno, non autem bonum cum eadem dependentia, ſi actus internus reſpectu vtriuſque accidentaliter ſe habeat. 19

IN præcedente ſectione loquutus ſum de actibus internis ſecundum ſe, & abſolutè ſpectatis, & cum alijs magis communiter determinaui de facto non dari in eccleſia poteſtatem illos directè præcipiendi, aut prohibendi, quamuis de poſſibili id eſſe potuerit; nunc vero conſidero actus internos, vt coniunctos, ſeu vt formam actus externi, & ſermo principaliter eſt de lege ca- 1

canonica, idem tamen proportionaliter intelligendum eſt de lege ciuili, in ijs tamẽ caſibus, in quibus lex iſta obligat ſubditos in foro conſcientiæ.

2 Vt autem clariùs, & diſtinctius procedã, & omnem de medio tollam æquiuocationem, aio tripliciter coniũgi poſſe actum internum cum externo, ſeu quod in idem recidit, tria actuum internorum genera ſpectari poſſe. Primo quatenus actus internus eſt neceſſarius ad ponendam materialitatem, ſeu phyſicam entitatem actionis externæ. Secundo inquantum debet concurrere ad conſtituẽdam formaliter actionem externam in aliquo eſſe morali virtutis. Tertio denique quatenus ſupponens externam actionem iam conſtitutam ſubſtantialiter in tali eſſe morali honeſto, nihilominus coniungens ſe cum illa, eſt aptus eidem tribuere aliam honeſtatem, ſeu bonitatem moralem accidentalem. Exemplis autem hæc omnia ſunt declaranda v.g. præcipiat eccleſia viſitationem alicuius cappellæ, ſeu altaris, vt fideles ibi orantes obtineant à Deo gratiam aliquam pro neceſſitatibus in communitate occurẽtibus; tunc proculdubio præſcribens talem viſitationem, eam præſcribit, vt humanam, atque adeo cenſetur indirectè præcipere voluntatem liberam viſitandi, imo voluntatem non ponendi actionem illam incompoſſibilem cum viſitatione, & tales actus interni neceſſariò manifeſti fiũt per ipſam met actionem externam, eo modo, quo cauſſa manifeſtari ſolet per ſuum effectum; impoſſibile enim eſt dari viſitationem humanam, & liberam, niſi præcedat vt cauſſa phyſica voluntas viſitandi, &c. Præter hoc eſſe phyſicum debet eadem actio, nempe viſitatio expectare aliud eſſe morale, ſcilicet honeſtatem, ſeu bonitatem quamdam, nam eccleſia præſcribit non quamcumque viſitationem, ſed religioſam, quæ ab actu interno deriuatur, & talis moralitas, ſeu bonitas dicitur ſubſtãtialis, quatenus eſt prima, vtpote procedens ob obiecto formali proprij generis; quod declaro ſiſtendo in ipſa externa viſitatione, quæ cum ſit propria materia virtutis religionis ab eadem recipit primariã, & ſubſtantialem honeſtatem, quatenus ipſa religio, mediante actu interno, dirigit ipſam viſitationem in Dei honorem, trahendo illam ad idem eſſe morale virtutis. denique poteſt eadem viſitatio fieri ob alium finem, quem Eccleſia interdum habet in eius impoſitione, nempè, vt diuina clemẽtia ſubueniat neceſſitatibus Reipublicæ, & tunc prout coniũgitur, ſeu prout dicit relationem ad actum internum, quo fidelis hunc alium finem ſibi præfigit, eadẽ viſitatio trahitur ad quamdam aliam moralem bonitatem, quæ cum accidat primæ, ideo appellatur accidentalis, & non ſubſtantialis, & hoc, quia etiam hac ſecunda bonitate remota, remanet actio illa externa cum prima bonitate, quam ſubſtantialem appellaui, his omnibus pro huius controuerſiæ intelligentia præhabitis, deuenio ad concluſiones.

Dicendum eſt primo. Eccleſia præcipiens actum externum, neceſſario ſimul præcipit, quamuis mediatè, ſeu indirectè, actum internum primi generis, nempè actum illum, ſine quo actionẽ externã ſecundum ſuam materialitatem, ſeu eſſe phyſicum, impoſſibile eſt poni. patet concluſio, quia Eccleſia viſitationem imperans, neceſſario debet ſimul imperare voluntatem viſitandi, & voluntatem non ponendi actionem pugnantem cum viſitatione, non enim datur viſitatio libera, & humana, ſine voluntate viſitandi, quæ quidem voluntas, quamuis ſit actus internus, innoteſcit tamen exterius per ipſam externam viſitationem, tanquam per ſuum effectum; de tali autem actu interno, nulla eſt, aut eſſe poteſt controuerſia apud Doctores, vt rectè animaduertit *Suarez lib. 4. de legib. cap. 13. num. 2. Vaſquez in p. 2. S. Thomæ diſp. 160. cap. 3. nu. 10. & Merolla tom. 2. diſp. 4. cap. 4. diff. 2. num. 229.* dicens in hoc omnes conuenire; & ratio eadem eſt, quam innuimus; ſi enim Eccleſia imperat actum externum, & non quomodocunque exercendum, ſed humano modo, neceſſario ſequitur indirectè, ſeu mediatè imperare actum internum, à quo actus ille externus ſuum eſſe phyſicum habere debet. ex hac concluſione adeo manifeſta colligi poterit, quàm malè loquantur nonnulli, qui abſolutè, & ſine vlla prorſus diſtinctione vniuerſaliter proferunt, ab Eccleſia neque indirectè præcipi poſſe actum internum etiam coniunctum cum externo. 3

Dicendum eſt ſecundo. ab Eccleſia præcipi poſſe etiam actum illum internũ, qui ita coniungitur actioni externæ, vt ſe habeat veluti forma conſtituens actionem illam in aliquo eſſe morali honeſto, quod ſe habeat ſubſtantialiter modo explicato, quatenus ſcilicet dat primariam honeſtatem eidem actioni. concluſio non eſt apud omnes ita certa ſicuti præcedens: aliqui enim eam negant, inter quos eſt *Vaſquez loco cit.* quamuis *opuſc. de beneſic. cap. 4. §. 1. art. 3. dub. 3. nu. 96. & ſeq.* doceat *ex cap. Dolentes* eſſe præceptum de interna attentione, & ſine illa non ſatisfieri obligationi de recitãdis horis canonicis, & hoc, quia putat præceptũ vocaliter orãdi non eſſe humanum, ſed diuinum; modificatum tamen ab Eccleſia ad tale determi- 4

minatum genus orationis, & ſic *num.* 97. infert, quod cum ſit ſecundum ſubſtantiā præceptum diuinum naturale, ideo non ex præcepto Eccleſiæ, ſed diuino naturali præcipitur attentio interior, non conſequẽter, ſed directè, in *cap. illo Dolentes*, multa alia habet idem Author ibi, & *dub* 4 & 5. probans obligationem eſſe habendi internā attentionē, qui author quātū ad rē ipſam non eſt contrarius meæ ſententiæ, cum ſolum diſcrepemus, quoad cauſam originariam huius præcepti, ex quo habetur obligatio de interna attentione. in eadem ſententia, quæ ſiſtendo in præcepto Eccleſiæ, non requirit interiorem attẽtionem, eſt *Comitolus in reſponſ. moral. li.* 1. *quæſt.* 63. *num.* 5. quam opinionem *Coninck de ſacr. qu.* 83. *art.* 6. *n.* 292. tanquam veriorem, vt ipſe inquit, amplectitur, & eam etiam quidam alij tuentur; hoc tamē fundamento; quod eccleſia iudicare nequeat de actu interno.

5 Sed concluſionem valde communiter alij recipiunt, vt *Caietanus in ſūma verb. Hora ver. quoad tertium*, *Suarez de legib. cap. cit. nu.* 9. & *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 7. vbi contrariam opinionē falſam appellat, *Salas de legib. diſp.* 9. *ſec.* 1. *num.* 24. *Bonacina eodem tract. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punc.* 5. *num.* 7. *Perſicus de hor. can. cap.* 11. *num.* 29. *Merolla cap. cit. n.* 228. & alij triginta circiter Doctores, quos ipſe laudat. Hanc communem ſententiam probant prćallegati authores diſcurrentes per varios caſus, in quibus oſtendunt actum internum modo prædicto explicatum indirectè ſubijci eccleſiæ poteſtati.

Sed antequam ex dictis caſibus aliquos in medium afferam, qui clariùs veritatem huius ſententiæ demonſtrent, propono fundamentalem rationem à priori in hunc modum.

6 Poteſt eccleſia pręcipere aliquas externas actiones, non ſolùm, vt liberas, & humanas; verum etiam vt inuoluentes aliquā honeſtatem, & bonitatem moralem: ergo eccleſia poteſtatem habet præcipiendi indirectè actum internum, quatenus eſt forma conſtituens actiones illas in tali eſſe morali. conſequentia ex tali antecedente facilè deducitur, quia nullus actus humanus poteſt eſſe moraliter honeſtus, niſi per actum internum, à quo formaliter conſtituitur. antecedēs vero quamuis certum eſſe debeat apud omnes fideles probatur tamen non ſolùm ratione vniuerſali, inquātum omnis lex, ſi eſt iuſta, reſpicere debet actus moraliter honeſtos, ſed etiam probatur ratione ſpeciali, quatenus de ratione legis canonicæ eſt reſpicere primo, & per ſe actus virtutum, quia cum eius finis, quem habet in ferendis legibus, ſit ſupernaturalis, nempe dirigere fideles ad felicitatem æternam; idcirco debet, leges ferendo, reſpicere media tali fini proportionata, & huiuſmodi ſunt actus virtutū, quarum exercitium ſpectat ad rectam eccleſiæ gubernationem, vt benè aduertit *Suarez cap. illo* 13. *de legib. num.* 8. & ideo veriſſimum eſt illud antecedens, & de quo, vt iacet, neque difficultas, neque dubitatio inter catholicos eſſe poteſt. Idē antecedēs etiam quibuſdā exemplis confirmatur.

Et primo poteſt Pontifex in quibuſdam circumſtantijs propter bonum commune compellere aliquem, vt matrimonium cōtrahat cum tali perſona determinata. 7
imo *Sanchez* hanc poteſtatem etiam Principi laico concedit, quando id expedit bono communi; ita *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 27. *num.* 3. & *lib.* 4. *diſp.* 22. *num.* 1. *Henriquez. lib.* 11. *de matrim. cap.* 6. *num.* 7. & *alij*, & tunc ille teneretur conſenſum internum habere, & conficere matrimonium, & ſi ſolùm verba externa proferat, interius diſſentiendo, grauiter contra pręceptum Pontificis peccabit, qui matrimonium verum, & non fictum imperauit; & tamē conſenſus ille eſt actus internus, qui indirectè, vt forma actionis externæ cadere poteſt ſub præceptum Pontificis, & addo quod ſi iſte talis diſſentiens poſtea rem habeat cum puella illa virgine, quam renuit ducere in vxorem, ſtupri committit peccatum; vnde iſte, ſi contra ſtupratores impoſita eſſet excommunicatio, in illam procuıdubio in foro conſcientiæ incurreret, licet in foro externo id non præſumeretur.

Secundo. Eccleſia ob aliquem honeſtū finem, & propter bonum commune, poteſt imperare ſacerdotibus, vt ſemel, aut bis in anno ſacrum conficiant, & tunc indirectè præcipit non ſolùm voluntatem proferendi materialiter miſſam, verum etiam intentionem, & voluntatem conſecrandi, quia ſine conſecratione, illa recitatio cū cęremonijs externis, non eſſet verum ſacrificium, ſed fictum. Eccleſia autem veram pręcepit miſſam, & non fictam. 8

Tertio. Extat lex eccleſiaſtica obligās vnumquemque fidelem, poſtquam peruenit ad annos diſcretionis, vt ſaltem ſemel in anno confiteatur peccata mortalia, ſi quis autem accederet ad confeſſarium abſque intentione confitendi, ſed ſolum cum intentione manifeſtandi ſua peccata ob prauum finem, profecto iſte talis non ſatisfaceret pręcepto eccleſiaſtico, quamuis mala illa voluntas, & carentia actus interni ad ſacramentum requiſiti exteriùs non appareret. 9

Ad hoc argumentum conatur Vaſquez reſpondere *diſp. cit. cap.* 4. docens duo eſſe 10

Ggg a pre-

pręcepta diuina de annua confeſſione, alterum negatiuum non dimidiandi confeſſionem, ſed integrè, confitendi etiam peccata cordis, ex ſuppoſitione quod quis abſolutionem recipere vult, aliàs irreuerentia fieret clauibus: alterum præceptum eſt affirmatiuum obligans abſolutè ſubijcere eiſdẽ clauibus peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa: huic autem præcepto eſt aliud præceptum annexum ab Eccleſia, determinans tempus huius obligationis ſemel videlicet in anno. ſi quis igitur integrè, non confitetur peccabit etiam cõtra diuinum præceptum affirmatiuum, quia omittit recipere ſacramentum, at nõ incurreret in excommunicationem humano iure inflictam, quia ius humanum nequit iudicare, an peccata cordis, quæ ignorat omittantur, nec ne? & cognoſcere non poteſt fuerit validum nec ne ſacramẽtum. ita diſcurrit Vaſquez, cuius diſcurſus non ſatisfacit, quia ratio ab ipſo allata ſolum probat non poſſe ab Eccleſia directè præcipi, aut puniri actus internos, at non probat præcipi non poſſe indirectè, vt cõiunctos cum actu externo; quoties enim actio externa, quæ directè præcipitur de ſui ratione poſtulat actum internum, tanquam formam ipſius actionis externæ in aliquo eſſe morali, quod Eccleſia intendit; toties oportet, vt actus internus ſub tali habitudine, mediatè pertineat ad poteſtatem Eccleſiæ, & vt efficaciùs vrgeam ex hac doctrina, ſic formo argumentum. Eccleſia præcipit quotannis veram, & ſacramentalem, non autem fictam, & ſimulatam confeſſionem: neque confeſſionem abſtrahentem à vera, & ficta, nam vt rectè aduertit *Layman lib. 1. trac. 4. cap. 4. num. 13.* quis negare poterit ab eccleſia præcipi poſſe, vt ſui miniſtri verè, & non ſimulatè ſacrificẽt, orẽt, ſacramenta adminiſtrent, &c. Hi enim actus interni vt dicit *Suarez lib. 4. de legib. cap. 13. num.* 8. ſunt valde neceſſarij ad cultum religionis, qui eſſe debet in eccleſia, & ad conuictum humanum, proinde ſpectat ad rectam, & couenientem eccleſiæ gubernationem, talem habere poteſtatem; nempè ad pręcipiendos hos actus non tantùm ſecundum materialitatem, ſed etiam ſecundum eorum formales rationes: ergo eadem Eccleſia indirectè pręcipit actus illos internos, qui eſſentialiter requiruntur ad conſtituendam veram, & ſacramentalem confeſſionem. antecedẽs duas continet partes, prima enim ait dari præceptum Eccleſiæ de annua confeſſione, & hæc pars à nullo catholico negari poteſt, quamuis admittamus in hoc præcepto admiſceri etiam præceptum illud diuinum poſitum à Vaſquez, ſed præceptum quoad annuam confeſſionem eſt merè humanum, & vnum ex quinque vulgatis præceptis Eccleſiæ, & expreſſè habetur in *cap. Omnis vtriuſque ſexus. de pœnit. & remiſ.* & declaratur *à Tridentino ſeſ. 14. cap. 5. & can.* 18. proindè nemo de tali eccleſiaſtico præcepto ambigere poterit: ſecunda vero pars huius antecedentis mihi etiam videtur manifeſta, quia Eccleſia illam confeſſionẽ fidelibus iniungit, per quã ipſi fideles Deo, remiſſis peccatis, reconcilientur; talis autem eſt vera, & ſacramentalis confeſſio, non autem ſimulata, per quam potius indignatur Deus. neq; dici poteſt præcipi confeſſionẽ abſtrahentẽ à vera, & ficta; nam confeſſio ita abſtracta non eſt medium ad peccata delenda, quod primo, & per ſe, per hoc præceptum, intendit Eccleſia. & ideo certum eſſe debet illud antecedens: conſequentia vero illata ex illo eſt etiam certiſſima, nam ad conſtituendam veram, & ſacramentalem confeſſionem, & ad valorem huius ſacramenti, requiritur integritas formalis omnium peccatorum, deteſtatio eorumdem, & propoſitum amplius non peccandi, qui ſunt actus interni, ſine quibus confeſſio eſſet mera, & pura enarratio peccatorum, & non ſacramentalis.

Quarto. efficaciter probatur huius opinionis veritas ſic. Eccleſia punit aliquod 11
cõflatum ex actu externo, & interno, quaten' tale cõflatũ: ergo indirectè ſub ei' poteſtatẽ cadit actus internus, vt forma cõſtitutiua talis cõflati. certa eſt conſequentia, ſi verum eſt antecedens, nam quando aliqua potentia fertur primo, & per ſe in aliquod totum, vt totum, neceſſe eſt, vt mediatè feratur in partes, vt conſtitutiuas illius conflati, & quod actio talis potentiæ terminetur aliquo modo ad partes, quatenus illud totum componunt. vt patet in rebus naturalibus, in quibus optimũ nobis ſe offert exemplum. v.g. licet homo generans alium hominem, nequeat directè, ſeu immediatè ſua actione attingere animam rationalem prout eſt in ſe; nihilominus veluti indirectè, & mediatè dicitur illam attingere, vt vnitam materiæ, & vt formam conſtitutiuam totius hominis, ſic in caſu noſtro, quamuis eccleſia directè, & immediatè per ſuas leges nequeat in hoc ordine rerum ferri in actum internũ ſecundum ſe ſpectatum, poterit tamen in illum indirectè ferri, vt coniunctum cum externo, & vt formam conſtitutiuam alicuius conflati, quod primo, & per ſe reſpicit eccleſia. de hac igitur conſequentia difficultas eſſe non poterit, quæ tamen tota reperitur in antecedente, quod ſic demonſtro, & ſuppono contra hæreticos ſuã hæreſim exterius manifeſtantes impoſitã

eſſe

eſſe excommunicationem ipſo facto incurrendam, vt habetur *in iure canonico cap. Ad abolendam. cap. Excommunicamus, de Hæreticis, & cap. Quicumque de hær. in 6.* & demum *in primo canone bullæ cœnæ.* Rurſus ſuppono communem doctrinam theologorum, & canoniſtarum, per ſolã hęreſim exterius prolatam, quando non eſt error in intellectu contra fidem, non incurri hanc cenſuram, quemadmodum nec incurri per ſolam hæreſim mentalem, vt vult communior ſententia: ex his autẽ ſic probo illud antecedens. conflatum ex hæreſi interna, & ex actu externo ſignificatiuo eiuſdem hæreſis ſubiacet excõmunicationi: ergo Eccleſia punit aliquod cõflatum ex actu externo, & interno, quod erat antecedens probandum.

12 Idem argumentum in re ſimili fieri poterit de ſententia excommunicationis, quæ habetur *in Clement. Multorum, §. Verum. de hæreticis*, impoſita contra Inquiſitores, ſi ex odio moueantur ad puniendum hæreticos, vel ſi ex affectu, aut ſpe lucri, aut alterius proprij commodi omitterent illos punire: idem argumentum; inquam fieri poterit; punitur enim totum illud coniunctum ex affectu interno, & actu, ſeu omiſſione externa; & ideo corruit communis aduerſariorum reſponſio, ſcilicet affectum internum non puniri, niſi ſenſibiliter exterius manifeſtetur, nã per hanc reſponſionem aduerſarij rectè ſe defendunt contra eos, qui ſuſtinent actus internos directè, & ſecundum ſe ſubijci poteſtati Eccleſiæ; contra indirectam tamen ſubiectionem nequeunt à vi argumenti ſe extricare, quia ſolum id, quod eſt exterius non punitur, neque id, quod eſt tantum interius, ſed conflatum ex vtroque. multa alia adduci poſſent ad veritatem noſtræ concluſionis confirmandam, ſed ſatis videntur allata. maneat igitur firmum, & conſtans; actus internos, vt coniũctos cum externis, ſeu vt eorum formam conſtitutiuam in eſſe morali, ſubijci legibus eccleſiæ.

13 Dicendum eſt tertio. Actus interni tertij generis, ſuperiùs explicati, qui non ſunt neceſſarij ad ſubſtantialem, & moralem bonitatem actus externi, ſed ſolùm dant illis quandam accidentalem bonitatem, neque indirectè præcipiuntur ab Eccleſia, neque de facto eiuſdem poteſtati ſubijciuntur. concluſio hęc eſt contra aliquos, quos citat *Merolla cap. 4. cit. diſ. 3. num.* 235. ſed eam alij defendunt, nempè *Suarez de legib. cap. illo 13. num. 14. Caſtropalaus par. 1. tract. 3. diſp. 1. puncto 6. num. 4. Merolla num. 237. & alij.* declaratur concluſio. bonitatem ſubſtantialem in genere moris illam voco, quam ſuperiùs declaraui, eã ſcilicet, quæ cõuenit actioni externę ſecũdũ ſua intrinſeca, ſeu in ordine ad obiectũ proprij generis: bonitatem vero accidentalem eam, quæ ſuperuenit priori bonitati, & non eſt neceſſaria vt ipſa actio exterior habeat honeſtatem moralem v. g. ieiunium ex ſuo proprio genere eſt actus virtutis temperãtiæ, quatenus habet moderari paſſiones deordinatas, rebellionem carnis, & hæc eſt eius primaria, & veluti ſubſtantialis bonitas, cuius intuitu præcipitur ab eccleſia; ieiunare autem ob motiuum obtinẽdi aliquid à Deo accidit ieiunio, proinde actus internus ordinans ieiunium ad talem finẽ, dat illi aliam bonitatem moralem, ſed accidentalem, ſine qua remanere poteſt ieiunium cum illa ſua primaria bonitate, quam ſortitur ſecundum ſuum genus, & idem proportionaliter dico de eleemoſyna, quæ eſt actus virtutis miſericordiæ ſubuenientis egeno, & ea mediante eſt actus charitatis, cuius effectus eſt miſericordia, vt docet *S. Thomas 2. 2. quæſt. 32. art. 1. in corpore*; erogare autem eleemoſynam ob alium finem extraneum, & honeſtum, dat actui externo eleemoſynę bonitatem accidentalem, quatenus ſine iſta, adhuc actio dandi eleemoſynam remanet cum ſua bonitate morali ſubſtantiali, quæ eſt illi intrinſeca, & cõueniens ex proprio genere. His pręhabitis, probo concluſionẽ tali pacto.

Ille actus internus, qui ita coniungitur cum actione externa, vt eo remoto, remaneat actio ipſa externa cũ ſua bonitate morali intrinſeca, non poteſt, neque indirectè pręcipi ab Eccleſia, ſed actus internus, qui dat bonitatem accidentalem actioni externę, ita ſe habet: ergo non poteſt neque indirectè pręcipi ab Eccleſia. 14
Minor patet ex præſuppoſita declaratione vtriuſque bonitatis ſubſtantialis, & accidentalis. Maior autem, in qua eſt difficultas, ita oſtenditur, poteſtas ad imperandos actus internos, qui bonitatem accidentalem dant actioni externę, non videtur neceſſaria ad rectam Eccleſię gubernationem, vt recte animaduertit *Suarez cap. 13. cit. n. 17. & Caſtropalaus loc. cit.* cuius ſignum manifeſtum habemus, ex eo quod nullum datur veſtigium in Eccleſia fuiſſe, aut eſſe talem poteſtatem, neque aſſignari poterit lex, quę feratur etiam indirectè in talem actum internũ, cum ſufficienter prouiſum ſit rectę gubernationi eccleſiaſticę ex eo quod poſſit pręcipere actiones externas, quę ſint moraliter bonę, quod autem hę fiant hoc, vel illo fine, non cadit ſub pręceptum, & praxis hoc nobis indicat; nam cenſetur quis Eccleſię legi ſatisfacere ieiunando, ob

quem-

Digitized by Google

quemcumque finem ieiunet, & ſic dici poteſt de eleemosyna, aut oratione, quãdo eſt præcepta. Idemq; proportionaliter dicendũ eſt de actu prohibito, cuius malitia ſubſtantialis vocabitur illa, ob quam Eccleſia prohibet actum, vt eſt v. g. illa actio, qua Inquiſitores puniunt hęreticũ, ex odio, malitia enim primaria eſt illa odij, reſpectu finis, quem intẽdit Eccleſia, licet ſit accidentalis reſpectu iniuſtitię, quę eſt malitia proprij generis illius actionis externę, quę primario prohibetur: quęcũque alia adueniens ob prauum alium finẽ, ob quem procederent Inquiſitores puniendo, appellaretur accidentalis reſpectu huius legis prohibentis; quatenus fine illa remanet actio cum primaria malitia.

15 Verum, ne ex his exemplis occaſionem aliquis arripiat probandi contrà me, neceſſariam non eſſe attentionem internam in recitandis precibus ad ſatisfaciendum Eccleſię precepto; placet pręueniendo, ſoluere argumentum. poteſt igitur aduerſarius ſic arguere: ſicuti ad ſeruandum pręceptum eccleſiaſtici ieiunij ſatis eſt abſtinentia externa, & si eccleſia ferret pręceptũ eleemoſynæ, ſufficeret externa erogatio pecuniæ abſque alio actu interno trahente actiones illas ad aliquod eſſe moralis virtutis, procul enim dubio ille talis ſatisfaceret pręcepto eccleſiaſtico, etiam si ex prauo fine actiones illas exerceret; ita ſimiliter prolatio illa externa precum, abſque attentione interna, ſatis eſſet ad pręceptum ſeruandum.

Sed decipitur ita arguens non attendẽs diuerſitatem actionum prædictarum, nam ieiunium habet ſuam intrinſecam honeſtatem ex eo præciſè, quod homo liberè ſe abſtineat, præſcindendo à quocumque fine; ſimiliter eleemoſyna ſubſtantialiter perficitur per illam externam erogationẽ modo humano exercitam, per quam indigentię alienæ ſubuenitur; proindè quodcumque aliud eſſe morale virtutis, accidit bonitati intrinſecæ harum actionum. cæterũ prolatio illa externa precũ, vt ſic, nõ eſt formaliter oratio, ſed ſolum materia orationis, cuius forma eſt eleuatio mentis in Deum: idcirco deſtructa eleuatione, & attentione, corruit oratio, & ſic patet diſparitas inter has actiones. redeundo autem ad rem noſtram aio.

16 Argumenta, quæ ab aduerſarijs afferri ſolent contra hanc tertiam concluſionem, ſolùm probant actus internos indirectè præcipi, qui ita vniuntur, vt dent actioni externæ primariam, & ſubſtantialem bonitatem, vt patet conſideranti, ea autẽ argumenta refert *Merolla num. illo* 235. & quorum ſolutiones apud eumdem videri poſſunt à *num.* 243. & ſi quis interroget, cur actus tantùm dantes hanc primariam honeſtatem ſubdantur indirectè poteſtati Eccleſiæ, non autem etiam alij, qui dant honeſtatem, ſeu bonitatem accidentalẽ; reſpondeo vt ſupra dictum eſt, quia rectæ gubernationi Eccleſiæ hoc tantum ſufficit, videlicet obligare ſubditos ad actus moraliter bonos, fieri autem ex alio fine, ſeu motiuo, ex quo alia oritur bonitas ſpecialis, non videtur neceſſarium.

Et quamuis in aliquo caſu Eccleſia præſcribat fidelibus, vt orent v. g. aut ieiunẽt ob tale, vel tale motiuum, vt eſſet exempli gratia liberatio patriæ à tali malo, nępè à peſte, bello, aut fame, &c. nihilominus id non facit condendo legem, aut præceptum, ſed dirigendo, & admonendo ipſos fideles de eo, quod in talibus circumſtantijs expedit, & quatenus interdum ipſi teneantur id exequi ratione charitatis, ſub graui præcepto non de iure eccleſiaſtico, ſed de iure naturali, & diuino. & ideo rectè inquit *Caſtropalaus tom.* 1. *tract.* 3. *diſput.* 1. *p.* 6. *num.* 4. nunquam ab Eccleſia fidelibus præcipi, vt preces hac, vel illa intentione fundant, & idem aſſerit *Layman lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 13. *ver. Non poterit*, & generaliter idem docet *Suarez lib.* 4. *de legib. cap.* 13. *numer.* 16. *Merolla tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 4. *num.* 237. 17

Sed obijcies, poteſt Prælatus Regularis obligare ſubditos, vt applicent ſacrificia, vel alias orationes ad intentionem ipſius Prælati, vel iuxta præſcriptiones regularũ eiuſdem religionis, vt patet ex praxi communi Religionum: ergo poteſt Eccleſia obligare fideles ad actũ internũ, qui merè per accidens ſe habet ad actum externum; conſequentia, quæ probatione indiget, ita ſuadetur. Applicatio illa, quam Prælatus præcipit, eſt actus internus, à quo actio externa non expectat eſſe morale, quod ſupponitur habuiſſe ex proprio genere: nam ſacrificium præſcindendo à tali applicatione habet ſuam intrinſecam bonitatem moralem, ſicuti etiam, & oratio; proindè illud eſſe morale, quod reciperent à tali applicatione, eſſet omnino per accidens; ergo poteſt Eccleſia præcipere actum internum, qui merè per accidens ſe habet ad actum externum. 18

Reſpondetur, obligationem applicandi ſacrum, orationes, &c. in ſubditis regularibus, vt benè notat *Suarez lib.* 3. *de legib. cap.* 29. *num.* 10. & *Merolla diſp. cit. cap.* 3. *n.* 334. fundari non in ſola iuriſdictione, quam habet Prælatus, ſed in voto obedientiæ religioſæ, & interdũ etiã in obligatione iuſtitiæ, quando ſubditi aluntur ſtipendia accipientes à ſæcularibus, vt ſacra celebrent. Ad argumentum igitur in forma conceſſo antecedente, ne-

Digitized by Google

nego conſequentiam, & ad probationem dico, quod obligatio illa oritur ex voto emiſſo in profeſſione, & non ex iuriſdictione, ſeu poteſtate legiſlatiua.

49 Obijcies poteſt Eccleſia prohibere, & punire actum externum malum cum dependentia ab interno accidentaliter ſe habente ad ipſum externum, ergo poteſt etiam præcipere actum externum bonum cum dependentia ab interno accidentaliter ſe habẽte ad ipſum externũ. Antecedẽs patet ex dictis, nam prohibet ſub cenſuris hæreſim externam cum dependentia ab interna, quæ quidem hæreſis interna accidentaliter poteſt ſe habere ad prolationem illam, quia illa prolatio præter malitiam hæreſis, poteſt habere aliam malitiam ſubſtantialem, quod contigeret quãdo quis proferret ſine errore in intellectu aliquod cõtra debitum fatẽdi fidẽ. & punit etiã Inquiſitores, qui mouentur ad puniendos hæreticos ex odio, &c. hi vero actus interni accidentaliter ſe habent ad externos, qui ſine internis haberẽt malitiam proprij generis: conſequentia probatur à paritate, nulla enim videtur diſparitas inter vnum, & alterum caſum.

Reſpondeo negando conſequentiam, & paritatem, nam vt benè aduertit *Suarez lib. 4. de legib. cap. 13. num. 20. ex alijs*. Eccleſia cum potuerit ſimpliciter prohibere actum illum externum malum ex quocunque interno fiat, poterit multo magis eundem actum prohibere, illumque punire ſub tali conditione, videlicet ſi procedat à tali intentione, affectu, &c. nam per hãc conditionem non ampliatur, ſed magis reſtringitur poteſtas eccleſiæ, & directè non prohibetur affectus internus, ſed indirectè ratione actus externi: cæterum quoad actus bonos res non ita ſe habet, quia ſi eccleſia præciperet. v. g. ieiunium dependenter non à motiuo temperantię, ſed alterius virtutis, tunc ſi quis exterius ieiunaret, & ex motiuo temperantiæ, procul dubio non peccaret ieiunando, quia exerceret actum bonum ex obiecto, & circumſtantijs; ſed peccaret omittendo actum internum, quem eccleſia intendebat, & ſic poteſtas eccleſiæ ampliaretur, & directè ferretur in actum internum, & nõ ſolùm in externum, quod ſupra oſtendimus fieri non poſſe.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum ad ſatisfaciendum Eccleſiæ præcepto de recitandis horis canonicis, aliqua mentis attentio requiratur?

SVMMARIVM.

1 *Dæmon magno conatu ſtudet euertere Dei cultum.*

Sermo eſt de defectibus, qui contra præceptum Eccleſiæ committuntur, & præſertim circa attentionem. 2

Prima opinio aſſerit ſufficere ſolam externam attentionem. 3

Secunda conſtanter affirmat præter externam requiri aliquam internam attentionem. 4

Requiritur, & intentio orandi, & hoc duplici ratione probatur. 5

Eſſe neceſſariam aliquam internam attẽtionem defendit Author, & id probat ex definitione orationis tradita à Patribus. 6

Vi primæ intentionis probat Author non conſiſtere orationem, deficiente liberè attentione. 7

Probatur neque perſiſtere primam, & virtualem intentionem orandi. 8

Confirmatur ex eo, quod oratio eſt ſpecies cultus diuini. 9

Inſtantia in contrarium. 10

Soluitur. 11

Recitatio facta tempore ſomni nõ eſt actus humanus. 12

Obiectio ex forma ſacramenti extremæ vnctionis. 13

Diluitur. 14

Alia obiectio ex locutione humana triplici confirmatione fulcitur. 15

Soluitur hæc obiectio cum triplici eius confirmatione, aſſignando diſcrimen inter locutionem, quæ fit homini, & quæ fit Deo. 16

Probatur concluſio principalis requirens attentionem internam ex cap. Dolentes. 17

Adducuntur nonnulla opiniones de præcepto contento in dicto capite. 18

Explicatio Ioannis Delugo ad dictum cap. refertur. 19

Corroboratur argumentum deſumptum ex eodem canone. 20

Deuotio externa in his circumſtantijs cõiuncta cum actu interno contrario eſt ſimulata, & mala. 21

Declaratur quid intelligatur per deuotionem in prædicto canone. 22

Exponitur conditio de ſtudioſa recitatione diuini officij. 23

1 QVis crederet quantum, callidus ille hominum hoſtis pium Dei cultum euertere ſtudeat, idque obtinere non valens, quantum conetur, vt tepidè, & negligenter homines Deo ſeruiant; quapropter vehementer gaudet cum fideles remiſſiore animo, & mente diſtractiore ſacras peragunt precationes; doloſè enim ſuggerit parùm cautis, & propriæ conſcientiæ parùm timidis, leuem eſſe culpam paruique momenti huiuſmodi munia ita negligere; & ideo, qui minimas in

Digitized by Google

in Deum offenſas in magno non habent, ſedulò inquirunt laxiores Authorum de hac re ſententias; contra hos autem meritò inuehitur noſter *Pater Iacobus Aluarez tom.3. de ſtudio orationis lib. 1. par. 2. cap.* 10. ſic dicens [*Nemo quidem (vt ego exiſtimo) eſt tam excors vt ſponte horas recitans diſtrahatur; quis enim hoc de homine non dico ſpirituali, ac Deo cõſecrato credat,ſed nec de homine Chriſtiano licet nequiſſimo in animum inducat*, & paulo poſt concludens inquit[*At ſi aliquis tam iniquus eſt,ſe à diabolo irrideri ſciat, ſuaſque orationes non Deo gratas,ſed inuiſas agnoſcat*.] hęc Aluarez.

2 Cęterum quamuis in pręſenti quęſtione ex profeſſo non intendam agere de conditionibus, quæ ad hoc ſacrum precum officium ritè peragendum poſtulantur, & de defectibus, qui diuino, naturalique iuri aduerſantur; propoſitum tamen mihi eſt ſermonem habere de culpis, quæ committi ſolent contra præceptum eccleſiæ, & præſertim circa attentionem in horarum canonicarum, & ſimilium recitatione.

3 Prima ſententia aſſerit ſufficere externã attentionem, & non eſſe neceſſariam internam, vt præcepto Eccleſiæ ſatisfiat. Authores pro hac ſententia in tres claſſes puto eſſe diuidendos, quia non omnes vniformiter loquuntur. nam aliqui abſolutè eam docere videntur: alij problematicè: alij denique quamuis eam non ſequantur, probabilem tamen illam appellant. primæ claſſis ſunt *Durandus in 4. diſt. 15. q. 12. num. 6. Paludanus ibidem q. 5. art. 2. concl. 4. S. Anton. p. 3. tit. 13. cap. 4. §. 7. & 8. Angelus in ſumm. verb. Hora canonica num. 25. Syluеſ. eod.verb. q. 11. num. 13.* ex parte eam ſuſtinet *Corduba in quæſtionario lib. 4. q. 13. in fine, & quidam alij ſummiſtæ*.quo autem pacto plures ex his Authoribus explicari queant, infra oſtendetur. & ex recentioribus loquens de attẽtione requiſita ad miſſam, idem docet *Gaſpar Hurt. tract. de ſacrificio miſſæ diſp. 5. diff. 2.* ſecundæ claſſis videtur eſſe *Ioan. Medina Cod. de oratione*, quatenus argumenta hinc indè proponit, & ſoluit. tertiæ denique claſſis ſunt *Henriquez lib. 9. de ſacrif. miſſa cap. 25. num. 5. in comment. lit. P. in fine. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 37. num. 63. in fine, Ioan. Delugo de ſacr. Euchar. diſp. 22. ſect. 2. num. 29. Coninck in 3. p. D. Thom. q. 83. ar. 6. num. 291. Layman in ſumma lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 10. Diana p. 2. tract. de horis canonicis reſol. 2. Pelizzarius de monial. cap. 6. num. 17.* vnicum huius ſententiæ fundamentum eſt, quia Eccleſia non videtur præcipere poſſe actum internum, quem neque cognoſcere, neque punire poteſt: attentio autem iſta, de qua eſt controuerſia, eſt actus internus. alia quatuor argumenta proponit Corduba, quæ tamen ſub fundamento allato continentur.

Secunda ſententia conſtanter affirmat aliquam etiam interiorem attentionem eſſe neceſſariam, atquè adeò ſi nulla habeatur, & mens ex induſtria, & liberè in alia vagetur non ſatisfieri præcepto, & grauem committi culpam. hæc eſt ſatis communis opinio, & pro illa quamplures Doctores laudat *Perſicus de horis canonicis cap. 11. dub. 2. num. 2. & 3.* quibus ipſe ſubſcribit. *num. 13.* & ex illis Authoribus ſexdecim ſunt noſtrę ſocietatis,quibus addo *Fragoſum de regim. Reipub. chriſt. p. 2. lib. 10. diſp. 22. §. 3. num. 7. Giſbertum Scheuichauium de eccleſiaſticorum vita, &c. lib. 1. cap. 58. & 59. Vincentiũ Tancreda de relig. tract. 3. lib. 3. diſp. 2. q. 2. & lib. 4. diſp. 7. quæſit. 2. & diſp. 13. quæſit. 1. & alios* oretenus à me conſultos. fundamentalis ratio pro hac ſententia eſt ex diametro oppoſita rationi prioris ſententiæ, nam vult ab Eccleſia præcipi poſſe actum internum, quando pertinet, vt forma actus externi vt quæſtione præcedenti fusè declaraui. 4

Dicendum eſt primo. ad orationem neceſſaria eſt ex parte voluntatis intentio orandi. concluſio eſt communis apud omnes, & eam fusè probat *Suarez tom. 2. de relig. lib. 3. cap. 3.* & ratio eſt manifeſta, quia oratio vocalis cum ſit locutio cũ Deo debet procedere ex intentione dirigendi illam ad Deum, vt patet in humanis,nam ſi quis ore, ſeu voce proferat verba coram alio niſi verba illa dirigat ad illum; non dicitur moraliter loqui cum illo. Probatur ſecundo, quia ad vocaliter orandum non ſatis eſt prolatio verborum,vt ſic,aliàs dormiens, aut amens proferendo verba orationis, diceretur orare: & ſi quis legeret Breuiarium, vel ſtudij, vel recreationis cauſa, proculdubio iſte talis non oraret; ergo neceſſariò requiritur voluntas, ſeu intentio alloquendi Deum, & hæc intentio debet ſaltem virtualiter durare toto tempore, quo durat oratio vocalis, nempè non debet ex induſtria interrumpi, nam ſi quis mutaret intentionem, & alio fine proferet verba, non oraret amplius: & in hac concluſione probanda, non eſt immorandum, cum apud omnes ſit certa. 5

Dicendum eſt ſecundo. præter intentionem,requiritur aliqua interna attentio inferiùs declaranda. Concluſio, quam moraliter certam exiſtimo, efficaciter probari poteſt ex diffinitione ipſius orationis tali pacto. oratio, quæ eſt actus religionis eſt eleuatio, ſeu aſcenſio mentis in Deum: ergo 6

Digitized by Google

go neceſſario requirit aliquam internam attentionem. antecedens eſt certum, quia illa eſt definitio orationis, quam Patres, &
6 Theologi tradunt, & præſertim *S. Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 24. S. Auguſtin. ſerm. 230. de tempore, & ſer. 2. de ſerm. Dom. in monte. S. Greg. lib. 1. mor. cap. 18.* & alij Patres, mutatis verbis, idem fere dicunt apud Suarez, quibus ipſe aſſentitur *2. de Relig. lib. 1. cap. 1. n. 6. lib. 2. cap. 11. n. 7. Raphael Torres in 2. 2. S. Tho. qu. 83. ar. 13. diſp. 1. n. 9. Caſtropal. p. 2. tract. 7. diſp. 1. punc. 1. n. 2.* & alij communiter. Conſequentia autem probatur, quia ſi quis ex propoſito nolit attendere, ſed in alia obiecta cogitationem mentis dirigat, ſolùm remanet materialitas orationis, non eius formalitas, quia iam eſt interrupta eleuatio illa in Deum, quæ eſt veluti forma conſtitutiua orationis, & perinde ſe habet ac ſi ex curioſitate legeret, aut diceret verba illa. & vt notat noſter *Aluarez tom. 3. lib. 1. cap. 10.* prolatio illa ſe habet ſicuti cadauer recedente anima è corpore, ita prorſus deficiente attentione a verbis orationis.

Sed quis ita vrgebit: poteſt conſiſtere eſſentia orationis vocalis, virtute primæ intentionis, qua quis voluit Deum voce colere, qualis intentio non ſupponitur interrupta.

7 Contra eſt primo, quia intentio orandi non eſt formaliter oratio, ſeu non eſt eius forma conſtitutiua, cum potius ſe habeat, vt cauſa illam efficiens, quam tanquam obiectum ponendum reſpicit, ſicuti intentio amandi Deum non eſt formaliter amor Dei, neque intentio ſe conterendi eſt formaliter contritio, ſed ſunt cauſa efficiẽs horum actuum; proinde inquirendum remanet id, quod eſt formale conſtitutiuum orationis vocalis: verum quia oratio vocalis duo inuoluit, vnum quod eſt veluti materiale, & aliud formale, materiale nihil aliud eſt, niſi externa illa verborum prolatio, formale autem nil aliud eſſe poteſt, niſi eleuatio, ſeu aſcenſus mentis in Deũ, vt Patres communiter declarant ipſam orationem definientes: eleuatio autem iſta eſt quædam interna mentis attentio, & ideo, ſi quis ex induſtria attentionem omnem deſtrueret, profectò omnis corrueret oratio, remanente tantum eo, quod ſe habet tãquam materia ipſius orationis, & hæc eſt verborum prolatio, quæ communis eſt orationi, & alijs prolationibus, quæ orationes minimè ſunt.

8 Contra eſt ſecundo, quia neque intentio orandi, etiam virtualiter remanere poteſt, & ſi quis putet remanere, decipitur, quando enim quis voluntariè vult à ſe repellere omnem attentionem, ſanè vult etiã repellere conſtitutiuum orationis vocalis, & ſibi tantum retinere illud materiale cõmune orationi, & alijs, vt diximus, & ideo intentio repellendi omnem attentionem deſtruit formaliter intentionem orandi, & conſequenter ipſam met orationis ſubſtantiam, & ideo optimè *Bellarminus noſter lib. 1. de bonis operibus cap. 10. initio*, loquens de oratione, eamque diſtinguens in mentalem, & in mixtam ex mentali, & vocalem non apponit tertium membrum, nempè eam, quæ eſt tantùm vocalis; proinde ſic inquit [*Neque addi debet tertiũ membrum, id eſt vocalis tantùm, ea ſi quidem non eſt vtilis ad placandum Deũ, ſed magis ad prouocandum ad iram, iuxta illud Iſaiæ 29. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*] hæc Bellarminus, quem ſequitur *Suarez initio tomi ſecundi de oratione* dicẽs, orationem, quæ ſolis labijs fit, abſque vlla mentis attentione, habere vmbram non veritatem orationis, & ideo *Hieremias cap. 12.* Deum alloquens dicebat [*Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorũ*] quaſi diceret, frequenter voce hi homines proferunt laudes tuas, ſed tu Deus longè abes ab affectu, & corde illorum, cum in alia exteriora ex induſtria diſtrahantur: proindè ſola materialitas, & vmbra orationis habetur. & ideo *in cap. Cantantes. diſt. 92 ex S. Hieronymo* monentur ij, qui ad Eccleſiam eunt, vt cantent, & laudẽt Deum corde, & non tantum voce iuxta illud *Apoſtoli ad Epheſ. V. Cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino*, hoc eſt cantica ſpiritualia, & hymni non ſolùm labijs, ſed ex imo cordis prodire debent.

Et confirmatur. Oratio vocalis eſt quædam ſpecies diuini cultus, at Deus non colitur, ſed potiùs offenditur per talem externam verborum prolationem; idcircò nullus remanet cultus in ore, & quamuis voces illæ, materialiter ſint laudes Dei, & preces ad illum, nihilominus cum non procedant à ſpiritu mentis, nequeũt habere rationem religioſæ orationis: oratio enim procedere debet à ſpiritu, & ideo inquit, *Chriſtus Dominus Ioan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate, & qui adorant eum in ſpiritu, veritate oportet adorare*, & ideo non cum fictione, & ſimulatione, & ratio eſt manifeſta, quia illa actio externa, cum ſit ordinanda ad ſignificandam internam orationem, falsò illam indicat, quemadmodum, ſi quis genua flexa haberet, & ad Deum nullo modo attenderet, ſed potiùs vana peruolueret in corde, iſte non diceretur verè, ſed ſimulatè Deum venerari. 9

Digitized by Google

10 Contra autem poſſet quis vrgendo ſic reſpondere ex doctrina Coninck loco ſuperius citato, ſi diſtractio interna quando eſt voluntaria deſtruit orationis ſubſtantiam, deſtrueret etiam diſtractio inuoluntaria, ſicuti ſomnus, ſiue voluntariè, ſiue inuoluntarie oranti contingat, tollit ſubſtantiam orationis: ergo cum per nos minimè admittatur deſtructio orationis per euagationem mẽtis inuoluntariam, neque debet admitti per voluntariam, vel ſaltẽ per vtramque eſſet admittenda: & confirmatur, quia ſi forma conſtitutiua orationis eſt eleuatio mentis in Deum, vt ſupra adnotauimus, pereunte tali forma, neceſſariò perire debet oratio, parùm enim refert, ſi forma conſtitutiua pereat voluntariè, aut inuoluntariè ad hoc, vt tollatur eius ratio formalis, ſeu conſtitutum ex ipſa forma, vt patet inductione, tum in rebus phyſicis, tum moralibus.

11 Reſpondeo negando ſequelam illam, videlicet ſequi per diſtractionem inuoluntariam, tolli ſubſtantiam orationis, quia, vt ipſa oratio permaneat, ſufficit, vt forma, quæ eſt illa mentis eleuatio, maneat in aliquo ſui, & quod ab ipſa tamquam effectus, fuit relictum, & ſic dum attentio non perit voluntariè, prolatio illa externa eſt veluti effectus eius, in quo cenſetur moraliter permanere ipſa attentio, & non oportet, vt entitatiuè, & phyſicè maneat; vt contingit in confectione ſacramentorum. accedat v. g. quis ad baptizandum, & antequam abluat, proferat formam, qua ceſſante, intelligitur tamen moraliter exiſtere, & veluti informare, & conſtituere ipſam materialem ablutionem, vt partem ſacramenti, imo cum ipſa conſtituere ſacramentum, & ſic in alijs, ita, & in caſu iſto, non oportet, vt attentio entitatiuè, & phyſicè maneat, ſatis enim erit permanentia moralis, ad hoc vt illa prolatio habeat veram rationem orationis, ſecùs autem euenit, quando voluntariè, & ex propoſito aufertur omnis attentio, tunc enim, neque phyſicè, neque moraliter permanens nequit conſtituere aliam compartem in ratione orationis.

12 Quod adducitur de ſomno nihil contra me probat; quia tempore ſomni homo nõ eſt capax ad habendum actum humanum, & ideo etiam ſi ore recitaret pſalmos, aut alias preces, prolatio illa non eſſet formaliter oratio, cum intentio, & attentio præcedentes, neque phyſice, neque moraliter permanerent; at cum in vigilia mens ad plura diſtrahitur, homo eſt capax actus humani, & compos ſui, imo nemo negabit prolationem illam, eſſe verè, & propriè actum humanum, & ſic non eſt par ratio, at ſi ſingatur talis diſtractio, vt tollatur vſus rationis, tunc dicerem interruptam eſſe orationem formaliter loquendo, hoc autem rariſſimè euenire poterit.

Cæterum objiciet quis, ſi carentia attẽtionis internæ etiam volita deſtrueret ſubſtantiam orationis, ſequeretur quod Presbyter adminiſtrans ſacramentum extremæ vnctionis, ſi voluntariè recitans formam, diſtraheretur ad alia, non conficeret ſacramentum: conſequens non videtur admittendum: ergo neque erit admittendum antecedens: probatur ſequela, quia forma illius ſacramenti, cum debeat eſſe deprecatoria, vt patet ex ipſis met verbis, videlicet [*Per iſtam ſanctiſſimam vnctionem parcat tibi Deus, &c.*] conſequenter debet ipſe miniſter orare, quod ſignificat *S. Iacobus in ſua epiſtola cap. vltimo*, qui dirigens ſermonem ad infirmum inquit [*Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, &c.*] in caſu autem illo, ſi presbyter voluntariè diſtrahatur ceſſabit eius oratio, atque adeo peribit forma ſacramẽti, & nullum conficietur ſacramentum: minor autem, in qua aſſerebatur hoc non eſſe admittendum, ſuadetur, quia doctrina generalis pro omnibus noſtris ſacramentis eſt, ad eorum valorem, nil aliud requiri, niſi prolationem formæ ſupra debitam materiam à miniſtro habente poteſtatem, & intentionem faciendi ſacramẽtum, quæ omnia haberentur in prædicto caſu: ergo nullo pacto videtur admittendum illud conſequens. 13

14 Ad hoc argumentum, quod proponit *Joannes Delugo diſp. illa 22. ſec. 2. nu. 3.* dulciter, & ſuauiter reſpondet *noſter Perſicus tractatu illo de horis canonicis cap. 11. dub. 1. num. 30.* negando primo orationem eſſe de ſubſtantia formæ huius ſacramenti, quam opinionem plures, & graues Authores ſuſtinent, quos laudat *Dicaſtillo de ſacram. extrem. vnct. tract. 7. diſp. 1. dub. 4. num 62.* ij autem ſunt *Palud. Dur. Alber. Riccardus, & alij*, & eam probabilem putat *Tannerus diſp. 7. quæſt. 1. & Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 40. ſec. 3. num. 7.* cum probabiliorem vocet oppoſitam, imo vt refert *S. Bonauentura apud Dicaſtillo* forma antiqua Ambroſiana, & Venetica erat per formam indicatiuam, videlicet *vngo te*: & ſic iuxta hanc opinionem corruit argumentum. ſed ſequendo communiorem, dico nullum eſſe abſurdũ, in eo caſu aſſerere irritum eſſe ſacramentum, & ad inconueniens, quod infert Delugo, ex generali doctrina ſacramentorum, facilis eſt reſponſio, verum enim dicitur ad ſacramenti valorem ſatis eſſe ea, quæ ibi enarrantur, ſed probandum fuiſſet hoc

aliud,

Digitized by Google

aliud, ſcilicet prolatam fuiſſe veram formam, quod iuxta ſententiam, quæ ſuſtinet formam huius ſacramenti eſſe deprecatoriam, non eſt concedendum, nec mirum eſſe debet, quoniam cum peculiariter habeat hoc ſacramētū exigere formā, quæ ſit eſſentialiter vera oratio, ſi deſit ex induſtria omnis attentio interna, ceſſat oratio, & per conſequens deſtruitur forma eſſentialis Sacramenti.

15 Obijcies ſecundo. Oratio eſt locutio quædam cum illo, ad quem orationem dirigimus, locutio autem iſta haberi poterit, quamuis dum loquimur, mentem ad alia voluamus: ergo manere poterit ſubſtantia veræ orationis vocalis ad Deum licet voluntariè diſtrahamur, patet conſequentia, ſi antecedens concedatur, quod tamen ſic probatur à Ioanne Delugo, cuius eſt hoc argumentum: ſi ego vellem Regem exorare ſcripto, vel voce, poſſum id facere, vel legendo ſcriptum, vel memoriter id recitando, quamuis legendo, vel recitando ſim ad alia diſtractus. & tunc vere dicor orare, ſeu alloqui Regem, eidemque meum aperire conceptum, ſi intentionem habeo loquendi cū illo: ita etiam dicere poſſumus, dum oramus Deum, &c. Et confirmatur primo, quia ſi tali modo excōmunicatum vitandum alloquar, profectò in excōmunicationem incidam, quia vere dicor illum alloqui.

Confirmatur ſecundo. Quando quis adminiſtrat Sacramentum Baptiſmi, Pœnitentiæ, &c. proferendo formam, cum dicit *Te baptizo, te abſoluo, &c.* vere loquitur cum illo, cui ſacramentum confert, quamuis non dicatur orare, & validum erit Sacramentum, etiamſi tempore prolationis formæ, ſit voluntaria diſtractio: ergo poterit dari vera, & ſubſtantialis locutio humana cum mentis euagatione voluntaria, & conſequenter eadem locutio dari poterit cum Deo per voces externas ſenſibiles, licet loquens ſit ſpōte diſtractus, & valde mirum eſſet, quod Sacerdos non obſtante voluntaria diſtractione, valide conſecret in Miſſa, & offerat ſacrificium, aſtantes vero, qui miſſam audiunt, ſi eodem modo diſtrahantur, ſacrificium non offerant.

Confirmatur tertiò alio argumento à pari, ſi quis velit in religione vota profeſſionis emittere, & in hunc finem debita intentione recitet formulam profeſſionis ſcriptam, tunc licet tempore recitationis voluntariè diſtrahatur, valida erit profeſſio: ergo manere poteſt locutio humana cum voluntaria mentis euagatione, patet, conſequentia, antecedens vero probatur, quia ſi prolatio illa verborum non eſſet, vera locutio humana, irrita eſſet profeſſio, quæ neceſſario emitti debet per veram, & externam locutionem humanam. His argumentis Delugo probat priorem ſententiam, quamuis re vera, vt videbimus nō ſit contrarius alteri ſententiæ.

Reſpondeo autem ad hęc argumenta, & ad id quod in ſecunda obiectione affertur, nego paritatem inter locutionem factam homini, & locutionem, quæ fit Deo; valde enim differunt inter ſe, nam locutio, quæ eſt inter homines ex ſe, & ſua intrinſeca rōne ordinata eſt, vt manifeſtetur internus cōceptus, & etiam res, quæ concipiuntur, ſi alteri erant ignotæ, vel ſi erant notæ, vt melius per talem locutionem agnoſcantur, &c. at in ordine ad Deum impoſſibile eſt, vt locutio talem habeat finem, nihil enim Deo ignotum eſſe poterit, ſed cum illo loquimur, vt ſic meliùs diſponamur ad aliquid ab illo recipiendū, vt docet S. Thomas de Angelis Deum alloquentibus *p. 1. q. 107. a. 3.* & ex illo notat *Suarez tom. 1. de relig. lib. 1. cap. 5. n. 12.* His poſitis, dico, inter homines locutionem ſubſtantialiter acceptam adæquatè perfici in prolatione illa externa, atque adeo interna nihil ad conſtituendam veram locutionem inter homines iuuare poteſt: at locutio, quæ fit Deo, cum nō fiat ad manifeſtādum illi aliquod ignotum, ſed fiat, vel vt Deo per talem actum, debitum reddamus cultum, vel vt nos, mediante tali locutione, diſponamur ad aliquod nouum beneficium ab ipſo Deo recipiendum, proinde externa, & ſenſibilis prolatio reſpectu Dei non habet rationem religioſæ locutionis, niſi procedat ab interno affectu, qui actu, vel virtute manere debet, & eo ceſſante, ſtatim perit religioſa locutio, & illa ſenſibilis erit quid materiale, & non formale reſpectu locutionis ad Deum. 16

Ad primam cōfirmationem concedo in eo caſu contrahi excōmunicationem à loquente, quia verè alloqui dicitur excōmunicatum, & diſtractio nil impedit ob rationem dictam.

Ad ſecundam confirmationem idem aſſero, nam adminiſtrans illa ſacramenta veram, & humanam locutionem habet in ordine ad alios homines, & ideo ſacramēta illa conficit, ſi intentionem priùs habitā nō reuocauit; quamuis orare ad Deum minime dicatur. Ad conſequentiam autē reſpondeo, concedendo dari poſſe locutionem humanam cum mentis diſtractione, & hoc nunquam negaui, ſed in ordine ad Deum, aio dari non poſſe locutionem religioſam cum diſtractione voluntaria, quæ omnem internam attentionem deſtruat; nam locutio ad Deum, vt ſit oratio, de-

bet fieri cum eleuatione mentis ad ipſum Deum, quæ virtualiter maneat, vt ſupra diximus. Ad illud vero quod additur de Sacerdote, qui validè conſecrat, non obſtante voluntaria diſtractione, & de audientibus, qui ſacrificium, cui aſtant, offerunt, dico eandem eſſe rationem, ſi ſpectemus ſacerdotem, vt orantem, & non vt conſecrantem, nam conſecratio formaliter non eſt oratio. Rurſus ſi conſideremus ipſum Sacerdotem, vt offerentem ſacrificium, tunc dico oblationem hanc eſſe in duplici differentia; alia enim eſt, quæ fit ab Eccleſia, & à Sacerdote tanquã eius miniſtro, & talis oblatio conſiſtit in ipſamet ſacra actione ex opere operato, cum enim conſecrat panem, & vinum vtrumque mutans in corpus, & ſanguinē Domini, cenſetur ſacrificium Deo offerri, abſque eo, quod Sacerdos ſciat hoc, vel de illo cogitet: alia eſſe poteſt oblatio, q̃ fit ab ipſo Sacerdote vt à perſona priuata, ſeu ex opere operãtis, & tūc dico ſi mēs voluntariè ita diſtrahatur, vt omnis tollatur attentio interna, tunc oblatio illa facta per modum orationis ſtatim corruet.

Ad tertiam confirmationem reſpõdeo, validam fore profeſſionem illam, quia non obſtante mentis euagatione, manet illa prima intentio profitendi exterius in ipſo profitente; qui tunc ſupponi debet capax actus humani, ſecùs ſi eſſet pro eo tempore incapax, vt eueniret, v. g. ſi ſomno correptus, ex vehementia imaginationis verba formulæ proferret, in quo caſu procul dubio inualida eſſet cenſenda profeſſio illa. vide *Sanchez lib. 1. de matr. diſp. 8. num. 21. & in decal. lib. 4. cap. 1. num. 6.* multa, & ex varijs Authoribus de re hac differentem.

17 Poſſet etiã principalis concluſio non ſine magno fundamento probari ex celebri illo tex. canonico *in cap. Dolentes de celebrat. miſſarum* vbi expreſsè Pontifex, nēpè *Innocentius III. in Concil. Later.* in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit Prælatis, alijſque Clericis, vt diuinum officium ſtudioſè, & deuotè celebrent, ſtudioſè quãtùm ad officium oris, ideſt ſine syncopa, deuotè quantum ad officium cordis, vt *Gloſ. ibi* explicat, quamuis in antiquis exēplaribus Gloſſa iſta non habeatur, vt notatur in margine: conſiderando autem duas illas conditiones, quas Pontifex requirit, controuertitur inter Doctores, an duo, vel tantum vnum contineatur præceptum in verbis illis, ſtudioſè recitare, & pariter deuotè.

18 Aliqui tamen ſunt, qui licet dicant vnū ibi dari præceptum, vtramque complectens conditionem; nihilominus addunt præceptū eſſe de actu externo, nō autē de interno, inquantum prohibetur, ne officiū diuinum recitetur per syncopam, & ne exteriùs apponatur impedimentum internę attentionis; ita dicunt illi qui ſuſtinēt ſatisfieri præcepto eccleſiæ, quamuis omnis interna attentio deſit, & alij, qui licet nobiſcum ſentiant de attentione interna, dicunt tamen noſtram ſententiam efficaciter ex vi huius textus probari nequaquã poſſe, inter quos eſt *Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 26. num. 13.* qui refert quorumdam ſententiam aſſerentium in verbis illis non contineri præceptum, ſed conſilium, ſeu monitionem, aut directionem: quod quamuis idem Suarez dicat non eſſe verum, nihilominus addit non eſſe adeo clarum, vt ſatis ſit ad reddendam contrariam opinionem practicè improbabilem, ſi aliundè non probetur; idcirco ipſe met Suarez proſequitur ad id oſtendendum ex natura orationis, adiuncto naturali, & euidenti principio, nempe quod vocalis prolatio nō eſt oratio niſi cum aliqua interna attentione fiat.

Hunc textum conatur explicare *Ioannes Delugo ſec. illa 2. num. 37.* dicens ibi non tam attentionem, quam deuotionem præcipi. Et tamen eſt certum non requiri deuotionem internam, quæ non eſt actus intellectus, ſed voluntatis, eſt enim affectus, & promptitudo ad bonum; attentio autem, de qua eſt preſens controuerſia, eſt actus intellectus, & non voluntatis. confirmat idem author totum hoc ex *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. verſus finem* loquēte de Canonicis his verbis [*Canonici cōpellantur in choro, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuotèque laudare*] ibi enim ſermo eſt de reuerentia, & deuotione externa, ad quam tantum, & non ad internam diriguntur pœnæ, quibus compellendi ſunt Canonici, quando in hoc delinquerent. ſic diſcurrit Delugo oſtendens, *ex cap. illo, Dolentes*, efficax argumentum deſumi non poſſe. 19

Cæterum puto non eſſe contemnendū argumentum, quod ſectatores noſtrę ſententiæ deducunt ex canone prædicto, & ſi euidenter rem non probet, neque ita efficaciter, vt bene notauit Suarez, ſicuti argumentum deſumptum ex natura orationis; nihilominus valdè probabiliter ſuadet intentum; quod ſic probo: Pontifex per illa verba non fictum, & ſimulatum, ſed verum, & realem actum virtutis religionis præcipit: ergo per deuotam recitationem non tantùm externam, ſed etiam internam deuotionem intelligit. Antecedens certum eſſe debet; quia aliàs Pontifex præciperet actum malum, nam fictio, & ſimulatio illa hypocriſis eſt, & ſpecies mendacij, nefas autem eſt aſſerere, quod 20

quod

Digitized by Google

hoc præcipiat Pontifex. Conſequentia vero probatur, quia Pontifex præcipiens actum virtutis, neceſſe eſt vt concomitanter, præcipiat actum internum, à quo actus externus recipit eſſe moraliter honeſtum, vt *quæſt. præced. ſec.* 2. fusè demõſtraui.

21 Sed dices illa externa deuotio non eſt mala: ergo ſi Pontifex ſuo præcepto tantum illam preciperet, non ſequeretur ipſam præcipere malum. Reſpondeo quamuis prolatio illa externa ſecundum ſe ſit indifferens, nihilominus hic,& nunc vſurpatur tanquam ſignum veræ orationis ad Deum, ſeu quatenus ſignificat actum illũ internum, à quo habere poteſt veram rationem religioſæ orationis,& tamen actus iſte internus non reperitur,imò potius actus eius contrarius ex induſtria habetur: idcirco hic, & nunc prolatio ipſa externa erit ſignum falſum, quia cum ſignificet ſe eſſe coniunctam cum actu interno honeſto, loco illius eſt coniuncta cum actu cõtrario malo; proinde erit quoddam genus hypocriſis, & conſequenter mala.

22 Supereſt autem vt declaremus, quid intelligat Pontifex præcipiens officium deuotè celebrari. Pro qua re aduertendũ eſt hoc nomen (deuotio) multiplicem habere ſignificationem, vt aduertit *Torres in.* 2. 2. *q.* 82. *art.* 1. *diſp.* 3. *ad.* 3. interdũ enim ſumitur pro quodã actu ſpeciali voluntatis ad virtutem religionis pertinente, quem *S. Thomas in* 2. 2. *q.* 82. *art.* 1. explicat dicens, ***deuotio nihil aliud eſt, quàm voluntas quadam promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatũ.*** aliquando vero ſumitur non pro actu iſto ſpeciali, ſed pro quadam condictione actus interni, & ſic eſt promptitudo quædã ad opera bona, quæ exercentur; vt ſunt, v. g. oratio,ſacrificium,adoratio, qui enim promptè, & cum affectu exercet prædicta, dicitur ea deuotè exercere, ſuperando ſcilicet difficultates, perturbationes, &c. vt rectè hæc omnia explicat *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 37. *dub.* 1. *nu.*1. *&* 2. & quãuis propriè loquendo deuotio ſit actus voluntatis, attentio verò actus intellectus; nihilominus ità connectuntur, vt ſint inſeparabiles,vt notat *Antonius Legaudier. de perfectionis natura par.* 6. *cap.* 12. mutuo enim ſe adiuuant, nam deuotio, ſeu prompta voluntas ad ea, quæ ſunt Dei, mouet, & applicat intellectum ad attendendũ ad ea,quæ recitat, quod docere videtur *S. Thomas art.* 1. *cit. ad ſecundum* cum enim obieciſſet probans deuotionem non eſſe actum ſpecialem, quia in diuerſis generibus actuum reperitur, videlicet in actibus temporalibus, & ſpiritualibus, & ideo aliquis dicitur deuotè genuflectere, deuotè meditari, &c. Reſpondet deuotionem reperiri in illis diuerſis generibus nõ tanquam ſpecies illorum generum, ſed eo modo, quo motio mouentis virtute inuenitur in rebus mobilibus: vide quo pacto S.Doctor deuotionem illam, quæ eſt in voluntate, doceat ſe habere veluti quandam motionem, per quam homo applicatur pijs orationibus externis, & internis,& ſic voluntas deuota applicat intellectum ad attentè orandum; & ex attenta recitatione generatur, ſeu nutritur deuotio. ratione autem huius connexionis ſolemus, deuotè orantem appellare eum, qui non ſolùm recta intentione, verum etiam debita attentione preces, & laudes in Deum ore profert, & quanto nobilior erit attẽtio, eo preſtantior erit deuotio. nec mirum eſſe debet, ſi hoc nomen etiam ſæpè effectui attribuamus, quando ſcilicet ex prompta illa voluntate, qua homo intendit orare, applicat intellectum, & applicatio ipſa vocatur deuotio; ſicuti etiam deuotio nuncupari ſolet letitia illa ſpiritualis, ſeu guſtus ſenſibilis, qui ex rerum diuinarum generatur contemplatione, imò ipſemet Delugo non ſolum actum internum, ſed etiam externum, deuotionem vocauit, explicans canonem prædictum *de celebrat. miſſ.*

Rurſus addo, quod in eodem *cap. Dolē.* præcipitur ſtudioſa recitatio, & quamuis ſuperiùs cum Gloſ. hoc retulerim ad externam prolationem, nihilominus valdè propriè referri poteſt, ad applicationem; ſeu attentionem internam, quæ eſt actus intellectus, & hoc colligo ex explicatione vocis, nam apud *Ciceronem lib.* 1. *de Inuen. ſtudium dicitur animi aſſidua, & vehemens,ad aliquam rem applicata, magna cum voluntate, occupatio, vt Philoſophia, Poeſis, &c.* Vide quomodo Cicero ſtudium dicat eſſe occupationem quãdam animi, nempè intellectus, occupatio enim interna eſt actus, & operatio intellectus, & ideo non dicit eſſe occupationẽ voluntatis, ſed cum voluntate,ſignificans eſſe liberam mentis occupationem ab imperio voluntatis procedentem. Eandem declarationem tradit *Azon.* quam refert *Antonius Nebriſſenſis in vocabulario vtriuſque Iuris verb. Studium*: & ferè eandem *Albericus in dictionario eodem verb.* explicans dictionem hanc, (ſtudioſè,) ideſt voluntariè cum animi applicatione, nempè cum attentione intellectus; quæ per animæ applicationem exponitur. 23

Maneat igitur ex dictis non contemnẽdũ,& infirmũ, ſed validũ deſumi poſſe argumẽtũ *ex cap. illo Dolentes*, quod ſi Aduerſarij illud ponderare vellent, nõ ita facile ab illo ſe extricare poſſent.

QVAE-

Digitized by Google

QVÆSTIO QVINTA.

Quænam attentio ſufficiens ſit ad ſatisfaciendum præcepto in precibus recitandis.

SVMMARIVM.

1 *Triplex attentio haberi poteſt in oratione vocali.*

2 *Primam, & vltimam attentionem eſſe neceſſariam aliqui exiſtimarunt.*

3 *Alij quamlibet ex tribus prædictis ſufficere autumant.*

4 *Aliqui ſatis eſſe primam cenſent, dummodo melior non excludatur.*

5 *Ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ ſufficere primam determinat Author, & id duplici ratione confirmat.*

6 *Primam attentionem non ſolum ſufficere, verum etiam eſſe neceſſariam tanquam aliarum fundamentum probat Author.*

1 TRiplicem aſſignare ſolent Theologi attentionem, quæ adhiberi poteſt dum preces ſacræ perſoluuntur, & de qua *S. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 13. in corp.* prima attentio ea eſt per quam recitans attendit ad verba, ne illa omittat, aut in illis legendis erret: ſecunda eſt ad ſenſum eorumdem verborum: tertia denique eſt ad Deum ipſum, & ad rem quæ poſtulatur: prima autem ex his *à S. Bonauentura in progreſ. relig. cap. 8.* appellatur ſuperficialis, & eſt omnium infima: ſecunda eſt nobilior, & ab eodem vocatur litteralis, quatenus ipſe recitans ad ſenſum verborum attendit: tertia dicitur ſpiritualis, inquantum per illam homo, dum recitat excitatur, ad aliquem affectum erga Deũ, aut Chriſtum Dominum, aut alias res diuinas, videlicet ad amorem, deſiderium rerum cœleſtium, humilitatem, patientiam, & ſimilia, & hæc attentio eſt omniũ præſtantiſſima. his præhabitis, quæritur, quænam ex his attentionibus ſit ſimpliciter neceſſaria, vt recitans v. g. horas canonicas ex præcepto Eccleſiæ, cenſeatur propriæ obligationi ſatisfacere.

2 Prima opinio vult eſſe neceſſarias duas attentiones videlicet primam, & vltimam, eam videlicet, quæ eſt ad verba, ne committatur error in illis pronunciandis, & eam, per quam mens feratur in Deum modo explicato. ita *Reginal. in praxi lib. 18. cap. 12. num. 151. Valentia in 2. 2. diſp. 6. q. 2. pun. 10. §. Circa quartum*, eamque vt probabiliorem ſequitur *Perſicus tract. de horis canon. cap. 1. dub. 1. num. 18.* & in ea videtur eſſe *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 37. dub. 11. num. 69.* quatenus ait requiri attentionem ad Deum ſaltem confuſam, & attentionem ad verba, & eas ſufficere: eodem modo loquitur *Filliuc. tract. 23. cap. 8. num. 258.* fauet *S. Th.* nam *art. cit.* docet tertiam attentionem eſſe maximè neceſſariam, eamque haberi poſſe etiam ab idiotis. rationem huius ſententiæ aſſignat Perſicus dicens, quod ſi ſufficeret prima attentio ad verba, poſſet quis, attendendo exterius ne in recitando erret, ſimul ſpeculari quæſtionem metaphyſicam, vel alia obiecta impertinentia mente peruoluere, quod tamen Authores huius ſententiæ non admittunt.

Secunda opinio ſuſtinet quamlibet ex tribus prædictis attentionibus ſatis eſſe, & ita docet *Henriquez in ſum. lib. 9. cap. 25. num. 5. lit. L. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 3. de orat. vocali cap. 4. num. 10. & lib. 4. de hor. canon. cap. 26. num. 23. Bonac. eodem tract. q. 3. pun. 2. §. 2. n. 5. Bonartius eodem tract. cap. 32. nu. 1. Iacobus Aluarez de inquiſit. pacis tom. 3. lib. 1. p. 2. cap. 10. ver. Vt vero, Bartholomæus à S. Fauſto de hor. canon. lib. 2. q. 139.* & communiter alij. ratio fundamentalis pro hac ſententia eſt, quia cum prima illa infima attentione manet ſubſtantia orationis, atque adeo ſatisfit præcepto. 3

Tertia, & veluti media ſententia ea eſſe poteſt, quam tenet *Nauarrus tract. de orat. cap. 13. num. 33. 34. & 35.* ſcilicet ſufficere primam attentionem, dummodò melior non excludatur, & in hoc Nauar. videtur ſequi *Caiet. 2. 2. loco cit.* vbi hoc docere videtur *ver. & vt ſatisfiat*, illis verbis [*Quæcumque attentionum in littera enumeratarum eligatur, ſine præciſione tamen melioris, hoc eſt vt illa eligatur vt medium ſibi accommodum perueniendi ad meliorem, prout Deus dignabitur miſericorditer concedere, ſatisfit præcepto Eccleſiæ, &c.*] hæc Caietan. & hoc clariùs docet *Hieronymus à S. Politio in expoſitione regulæ S. Franciſci cap. 3. tit.* (*Qua attentione recitandum ſit diuinum officium*) *nu. 22. fol. mihi 255.* 4

Dicendum eſt primo: ad ſatisfaciendũ præcepto Eccleſiæ in precibus recitandis, ſatis eſſe infimam illam attentionem ad verba, quam priori loco retuli, & in hoc conuenio cum Authoribus ſecundæ ſententiæ. probatur concluſio tali pacto. Attentio iſta ſufficienter, poſita intentione orandi, conſtituit prolationem illam externam in ratione orationis vocalis: ergo ſatis erit ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ; patet conſequentia, quia lex iſta eccleſiaſtica de recitandis horis, in tantũ obligat ad habendam attentionem internam, in quantum obligat ad talem ora- 5

tio-

Digitized by Google

tionem vocalem horarum, aut ſimilium, igitur ſi cum illa infima attentione habetur oratio vocalis, ſequitur per talem attentionem nos ſatisfacere præcepto, &c. antecedens verò, in quo reſidet difficultas probatur, quia cum tali attentione, & intentione orandi, prolatio illa externa eſt actus humanus, & religioſus, quatenus per illum laudes, & preces Deo offerimus: ergo attentio iſta ſufficienter cōſtituit prolationem externam in ratione orationis, nihil enim videtur deeſſe; eo enim ipſo, quod quis orare intendit, & in hunc finem recitat horas, in quibus continentur laudes, & petitiones ad Deum, eleuat mentem ad Deum, & res diuinas, & in tali eleuatione formaliter ſita eſt orationis eſſentia, vt *quæſt.* 4. ex Patrum, & Doctorum ſenſu vidimus. & confirmatur concluſio, nam ſecundum genus attentionis, cum conſiſtat in penetratione ſenſus verborum, nequit eſſe neceſſarium ad ſubſtantiam orationis, nam idiotæ illum ſenſum ignorant. neque poterit eſſe neceſſarium tertium genus cōſiſtens in eleuatione mentis ad Deum, ad ſanctos, &c. quia homines communiter illud non habent, neque ad illud habendum ſunt aſtringendi. remanet igitur vt primum genus attentionis omnibus accommodatum ſit ſufficiens, nemo enim poteſt ſe excuſare ab illo ſeruando.

6 Dicendum eſt ſecundo. hoc primum genus attentionis non ſolùm eſt ſufficiēs, verum etiam eſt ſimpliciter neceſſarium tanquam reliquorum baſis, & fundamentum. probatur ſi quis velit aſcendere ad ſecundum genus, quod eſt perfectius, nēpè ad ſenſum verborum, neceſſariò attendere oportet ad verba; impoſſibile enim eſt inueſtigare ſignificatum verborum, & non attendere ad illa. tertium autem genus, quamuis præſtantiſſimum, debet tamen ita attemperari, vt mens recitantis non ita diſtrahatur, vt nullam habeat attentionem ad verba, & non aduertat quid dicat. hæc concluſio eſt contra aliquos, quos laudat *Perſicus cap.* 11. *cit. num* 22. ſed concluſionem defendunt *Suarez tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *de horis can. cap.* 26. *nu.* 13. *Sanchez lib.* 7. *conſil. cap.* 1. *dub.* 28. *num.* 17. *Filliuccius tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 3. *num.* 77. *& alij*, quos citat *Perſicus ibidem num.* 23, & ſequitur *num.* 24. & ratio eſt, quia licet eleuatio illa mentis ſit vera, & excellens oratio, nihilominus non eſt illa oratio, quam præcipit Eccleſia, nam vehemens illa attentio interdum poteſt impedire vſum vocis, & ſic tollere omnino orationem, quam præcipit Eccleſia; vel pōt eſſe cauſſa errandi in proferendis verbis, & ſic non ſeruaretur præceptum Eccleſiæ. maneat igitur ex dictis attentionem ad verba, quamuis minimam, & reliquis inferiorem, eſſe tamen ſimpliciter neceſſariam tanquam fundamentum aliarum. quando verò Authores huius ſententiæ, quam ego defendo, ex enumeratis tribus attentionum generibus, dicunt quamlibet eſſe ſufficientem ad ſeruandum præceptum, id intelligunt cum hac conditione, vt tertia iſta attentio ad Deum, & res diuinas, non ſit talis, vt omnino impediat fundamentalem, qualis eſt prima ita, & rectè explicat *Suarez loco cit. & lib.* 3. *de oratione vocali cap.* 4. *num.* 14 *& ſequentibus*, vbi fusè rem hanc expendit, proindè eſt omnino legendus; ſed mihi videntur non rectè loqui, dum dicunt abſolutè, ſufficere quamlibet, cum prima attentio ſemper ſit neceſſaria.

QVÆSTIO SEXTA.

Quo ſenſu explicandi ſunt Authores relati in quarta quæſtione pro ſententia, qua negat eſſe neceſſariam internam attentionem ad ſatisfaciēdum præcepto Eccleſiæ in horis canonicis perſoluendis.

SVMMARIVM.

Proponitur vt examinanda mēs aliorum, qui Authori contrarij eſſe videntur. 1

Solo nomine iuxta aliquos eſſe controuerſiam putarunt nonnulli. 2

Quo pacto ſunt Authores contrarij explicandi, declaratur. 3

Obiectio contra explicationem datam proponitur, & diluitur. 4

Inter recitandum poteſt exerceri aliqua actio non totaliter impeditiua attentionis internæ, quamuis nulla exiſtente cauſa, ſit peccatum veniale. 5

Cum tali exercitio externo perſiſtere ſubſtantiam orationis, probatur. 6

Sententia Authoris non eſt rigida. 7

Quæ dicta ſunt de attentione neceſſaria in recitandis horis intelligenda ſunt de alijs precibus, in audiendo ſacro, aut in illo conficiendo. 8

1 IN quarta quæſtione huius libri, referendo primam ſententiam eorum, qui videntur docere ſatis eſſe externam attentionem, vt Eccleſiaſtico præcepto ſatisfaciamus, dum preces peragimus, dixi mentem horum Authorum inferiùs eſſe declarandam. placet igitur nunc id aperire, vt autem hoc præſtem, refero opinionem, quam docet *Coninck, & Delugo locis citatis*, & diſcurſum, quo ipſi vtūtur.

2 Fatentur enim ſententiam communiter re-

re-

receptam, quam ego tueor, quamuis videatur contraria ſententiæ prædictorum, re vera in ſolo nomine diſcrepare, & ideo tum ipſe Coninck, tum Delugo concedũt finaliter attentionem ad verba eſſe neceſſariam, quia aliter exponeremur periculo, vel errandi, vel aliquid omittendi, hanc autem attentionem ego q uęſtione præcedenti dixi, eſſe ſufficientem ad eccleſiaſticum præceptum adimplendum, & ſic patet hos duos Authores mecum ſentire; cũ hac autem attentione ad verba, addit ipſe Delugo ſtare poſſe cogitationem de alijs obiectis, nempè, vt ipſe inquit, de quæſtione aliqua metaphyſica, vel de re ſimili; & præterea admonet hanc attentionem eſſe adeo tenuem, vt Authores illi, quorũ menteem inueſtigamus, noluerint attentionem eam appellare, iudicantes eam eſſe attentionem vocandam, quæ eſt magis formalis, & explicita, & hanc attentionem magis formalem omittere, ait Delugo, non eſt niſi peccatum veniale, ob irreuerentiam, quæ alloquendo Deum, cõmittitur; & non eſſe grauem culpam, tum quia non conſtat de obligatione ita rigida, tum quia cum illa tenui attentione, ſine alia perfectiori, manet ſubſtantia orationis, quod ego etiam ſupra probaui. Hæc habentur ex Cardinali Delugo.

3 Ex quibus patet, qua ratione commodè explicari poſſunt plures ex illis Authoribus, quos attuli in fauorem primæ ſentẽtiæ relatæ in quarta quęſtione; ſolum enim dicunt, quod ſi inter recitandum homo cogitet aliud, non peccat mortaliter, & ſatisfacit præcepto Eccleſiæ; ita loquuntur *S. Antoninus, Durandus, Paludanus, Angelus, & Syluester*, qui eadem prorſus verba habent, & rectè exponi poteſt ipſos loqui de attẽtione illa ita tenui, vt ſecum compatiatur cogitationem de alio obiecto, & quamuis hoc ſit ſaltem peccatum veniale ob aliquam irreuerentiam, quæ fit Deum orando; nihilominus cum maneat aliqualis attentio ad verba, probabiliter ſuſtineri poterit manere ſubſtantiam orationis: prædicti tamen Authores non dicunt ſatisfieri præcepto, quando omnis prorſus attentio deſtruitur, imo cõtrarium potius indicant, nam S. Antoninus §. 8. *cit*, ait quod ſi euagatio mentis ſit tanta, quod depereat vis primę intentionis, tranſgreſſio erit præcepti. & ibidem inquit attentio in oratione ſemper manere debet ſecundum ſui virtutem, quod ait eſſe quid medium inter attẽtionem actualem, & habitualem. ita loquũtur ferè omnes antiqui pro illa ſententia laudati, quos aliqui recentiores non benè ponderando putarunt ipſos loqui de recitatione, ſeu oratione vocali nullam habẽte, neque minimam attentionem ad verba, quod tamen eſt falſum, & ideo talis ſententia ſi ita explicetur, erit omnino reijcienda ſaltem vt falſa, vt ait *Suarez loco ſuperius citato tract. de oratione vocali lib. 3. cap. 4. num. 7.*

Obijcies. Authores in contrarium citati videntur omnem internam excludere attentionem, & non ſolùm perfectiorem, quæ iuxta noſtram explicationem vocatur ſimpliciter attentio, vt oſtendimus: ergo non rectè eorum mentem interpretati ſumus: patet conſequentia: antecedens probatur, quia Authores prædicti negantes internam attentionem tãquam neceſſariam ad ſeruandum præceptum Eccleſiæ, aſſignant rationem vniuerſalem, nempè, quia Eccleſia non iudicat de occultis, vt ſunt actus interni, attentio autem infima, quam diximus eſſe neceſſariam, eſt etiam actus internus: ergo Authores illi omnem internam excludunt attẽtionem. 4

Reſpondeo negando antecedens; ad cuius probationem dico; ab aliquibus ex prædictis Authoribus ideo aſſignari rationem illam, quoniam, vt oſtendi *quæſt.* 4. *ſec.* 2. *concl.* 3. actus interni, qui non sũt neceſſarij ad conſtituendam actionem externam in primo eſſe morali alicuius virtutis, & præſertim illius virtutis, quam Eccleſia ſuo præcepto intendit, non cadunt ſub legem eccleſiaſticam, & merè per accidens ſe habent ad illam; atque adeo cum neque immediatè, & directè, neque mediatè, & indirectè ſe habeant in ordine ad præceptũ eccleſiæ; idcirco dicuntur omnino occulti, de quibus eccleſia minimè iudicare poteſt: tales autem ſunt attentiones illæ perfectiores, quæ non ſunt neceſſariæ ad conſtituendam orationem vocalem ſubſtantialiter, cum ſupponãt illam iam conſtitutam per attentionem ad verba, quæ attentio ſemper eſt ſimpliciter neceſſaria, & baſis aliarum attentionum, vt ſupra oſtendi; proindè cum requiratur veluti forma actus externi ad conſtituendum actum religionis, nempè orationem, ideo non eſt ita occulta, vt mediatè, & indirectè non attingatur à lege eccleſiaſtica. Authores vero illi noluerunt appellare ſimpliciter attentionem eam, quæ eſt ita tenuis, vt admittat conſortium alterius attentionis ad alia obiecta; vt ſupra cum Cardinali Delugo demonſtraui, ita neque debuerunt appellare ſimpliciter, & abſolutè occultum actum illum internum, qui eſt forma actus externi, & mediatè attingitur ab eccleſia, ſed voluerunt ſimpliciter occultum vocare, in hac materia, illum, qui nullo pacto attingi poteſt ab eccleſia, neque per ſe, neque per accidens; & meritò, nam ille actus, qui aliquo modo

do attingitur, quamuis mediatè, non debet vocari omnino occultus reſpectu Eccleſiæ, quemadmodum in phyſicis aliquæ res ſpirituales, quia mediatè, & ſenſibiliter à ſcientia phyſica attinguntur, non dicuntur omnino inſenſibiles, ſed potiùs ſenſibiles per accidens, & ita Angelus, qui mouet orbem cœleſtem, pertinet aliquo modo ad conſiderationem phyſicæ, quia per motum localem efficitur ſenſibilis per accidens, & anima rationalis dicitur ſenſibilis, etiam per accidens, quatenus medijs operationibus ſenſibilibus attingitur à phyſico: & à theologis contritio, quæ eſt pars ſacramenti pœnitentiæ, dicitur ſenſibilis per accidens, inquantum ſit talis media confeſſione ſenſibili, & ſic in multis alijs; ita proportionaliter de actibus Eccleſiæ occultis eſt diſcurrendum, nam actus illi, qui ſunt neceſſarij veluti forma ad conſtituendum actum externum in eſſe morali virtutis, quem Eccleſia ſua lege intendit, vt exercendum à fidelibus, non debet ſimpliciter vocari occulti, imo potius per accidens ſenſibiles, & manifeſti, ſecùs autem de illis actibus internis, qui non ſunt ad talem effectum neceſſarij.

Dices, ſi mens recitantis in alia obiecta diſtrahatur non videtur poſſibile poſſe, etiā infima attentione, ad verba attendere: ergo non manet ſubſtantia orationis.

Reſpondeo poſſe ab intellectu, quamuis imperfectè, plura, & diſparata intelligi ſaltem diſtinctis cogitationibus, atq; adeo per vnam cogitationem poterit intellectus attendere ad verba, & per aliam ad obiecta diuerſa, hac tamen conditione, vt quātū creſcit vna, tātū minuatur altera ob finitā, & limitatam virtutem potentiæ, hoc poſito, ad argumentum nego antecedēs.

5 Ex his colligitur iuxta hanc ſententiā, quod ſi quis inter recitandum exerceat actionem, quæ ex ſua natura non eſt apta deſtruere totam, omnemque internam attētionē, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de recitandis horis canonicis, aut ſimilibus, nam, & ſi aliqua ſit irreuerentia, & conſequenter aliquod, quamuis leue, peccatū, nihilominus cum occupatio illa externa non tollat ſufficientem attentionem, non erit peccatum graue; v. g. ſi quis horas ex obligatione recitās veſtibus ſe induat, aut ſpoliet, aut lauet manus, vel quid ſimile non valde diſtractiuum exerceat. ſi vero nulla ſit cauſa ſufficiens, venialiter peccabit, ſed ſatisfaciet præcepto, quia, vt ſuperius probaui; manet cum illa tenui attentione ſubſtantia orationis: ſi vero ſit cauſa, nullum erit peccatum.

6 Quod autem cum talibus exercitijs perſiſtat oratio, habemus manifeſtam inſtantiam, nam dum Sacerdos veſtibus ad miſſam celebrandam ſe induit, rubricæ miſſalis præſcribunt vt aliquas fundat orationes: ſimiliter in ipſomet ſacrificio aliæ ponuntur orationes, quādo Sacerdos manus ſibi lauat, vel aliquas alias actiones operatur, ſi autem cum exercitio illo externo manere non poſſet oratio vocalis, profecto eccleſia id non præſcriberet: rurſus ex Caſſiano refert *Nauarrus de orat. cap. 13. nu. 47.* Monachos in Ægypto, dum externis operibus detinebantur, varias effundere preces conſueuiſſe, hoc autem laudabiliter faciebant, ne mens inutilia cogitaret, & pariter laudabiliter eccleſia præſcribit orationes illas ſacerdoti ſe induenti ad ſacrum, & dum ſacrum ipſum celebrat; quia preces conformantur actionibus externis, & ideo pius affectus magis excitatur, & Deus ipſe, & actione, & oratione colitur. quando vero actio externa eſt impertinens, & nulla eſt cauſſa ad illā exercendam tempore orationis vocalis, irreuerentia committitur, & ideo debemus ab illa abſtinere.

Denique concludo hanc ſententiam, quam ſequutus ſum de attētione neceſſariò requiſitā non eſſe exiſtimandam rigidam; tum quia eſt valde communis, & valde pia, tum etiam quia poſitis ampliationibus prædictis, & poſito quod de rigore præcepti ſolùm illa infima attentio ad verba dicatur neceſſaria ad ſatisfaciendum præcepto, debet opinio potius laxa, quam rigida iudicari. 7

Quę dicta ſunt de attentione debita in recitandis horis, intelligi etiam debent in recitandis alijs precibus, in audiendo ſacro, & in ipſo conficiendo, quāuis quidam recentior diſcrimen agnoſcat, dicatque grauiter peccare ſacerdotem, ſi tempore notabili partem canonis voluntariè diſtractus recitet, diſcrimen autem ex nullo alio capite colligit, niſi ex eo, quod reliquæ orationes ſunt merè allocutiones ad Deum, miſſa vero eſt ſacrificium, quo Deum ipſum veneramur, proindè grauis videtur irreuerentia, quod, quando quis profitetur per ſuam actionem Deum colere, irreuerenter ſe gerat. 8

Contra hunc recentiorem vrgeri poterit; nam vtroque modo Deus colitur, nēpè, & orationibus, & ſacrificio, proinde in vtroque irreuerentia debet exiſtimari grauis, vel leuis, & ad ſummum, quamuis demus diſtractionem voluntariam in actione ſacrificij eſſe maiorem, poſſet quis dicere eſſe maiorem intra latitudinem peccati venialis, & ſupereſſet ipſi recentiori oſtendendum, maioritatem hāc pertingere ad culpam lethalem, quod tamen non probat neque ratione, neque authoritate, nam legi neminem, qui tale

ponat diſcrimen; Authores enim, qui dicunt eſſe grauem culpam ſe diſtrahere voluntariè in recitandis horis canonicis, hoc ipſum ſuſtinent de auditione, & celebratione, quando ſaltem eſt de præcepto: addo etiam quod in canone preces etiam continentur: proindè diſcrimen, quod recentior ille putat interuenire, eſt omnino reijciendum.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Promotus ad ordines teneatur ne ſub graui culpa recitare preces, aut miſſas ab Epiſcopo in ordinatione ſibi impoſitas?

SVMMARIVM.

1 *Refertur conſuetudo de precibus, & miſſis, quæ in fine ordinationis ab Epiſcopo ipſis promotis imponuntur.*
2 *Nonnulli quaſi de re hac agentes citari ſolent, qui tamen de illa non agunt.*
3 *Prima opinio negat promotos ad minores ordines teneri ſub culpa recitare preces iniunctas.*
4 *Alij cenſent ſub lethali peccato ad id aſtringi.*
5 *Author determinat probabile eſſe non teneri.*
6 *Idem probat de miſſis iniunctis.*
7 *Preces, & miſſæ prædicta non iniunguntur ab Epiſcopo per modum pœnitentiæ.*

1 EST in more poſitum, vt Epiſcopus poſt ordinationem, ipſis ordinatis aliquas preces recitandas imponat, iuxta præſcriptum, quod extat *in pontificali Romano iuſſu Clem. VIII. edito*: videlicet ijs, qui ad primam tonſuram admiſſi ſunt, vel ad minores ordines, ſeptem pſalmi pœnitentiales cum litanijs, & ſequentibus orationibus iniungantur; qui vero ad ſubdiaconatum, vel diaconatum, nocturnum determinati diei. denique promotis ad presbyteratum imponuntur celebrandæ, poſt primam, tres miſſæ, nempe de Spiritu Sancto, de B. V. & pro animabus fidelium. quæritur modo, num onus iſtud recitandi, aut celebrandi rigoroſè aſtringat ordinatos ad adimplēdas res iniunctas, ita vt earum omiſſio ſit peccatum lethale.

2 Solent citari nonnulli quaſi tractantes de re hac, cum tamen de illa, vt proponitur à me, minimè agant. hi autem ſunt *Paludanus*, *Sotus*, *Nauarrus*, *Suarez*, *Leſſius*, *Azor*, quos refert *Bonacina loco infra citando*: ſolum enim exagitant quæſtionem illam, num ordinibus tantum minoribus inſigniti teneantur ad recitandas horas cononicas, vel aliquid aliud, & ferè omnes concludunt non teneri, neque ab Epiſcopo ad onus perpetuū obligari poſſe, quamuis Epiſcopus poſſit illis præcipere, vt ter, vel quater aliquid recitent. hoc autem ſi attentè conſideretur, eſt longè diuerſum ab eo, quod nos inquirimus: aliud enim eſt, an Epiſcopus ita ordinatis poſſit aliquid iniungere; & aliud, num in ordinatione recitatio illa, quæ de facto imponitur, obliget ipſos ordinatos ſub culpa graui, quod in præſentia à me proponitur. hac animaduerſione præhabita, deuenio ad rem, ſententias varias referendo.

Prima opinio negat promotos ad minores ordines obligari ſub culpa ad recitādos pſalmos ab Epiſcopo in fine ordinationis iniunctos. ita videtur docere *Valent. tom. 3. diſp. 6. quæſt. 2. punc. 10. §. 2. ver.* (*de illis autem*) ſed clare id ſuſtinet *Sanchez lib. 7. conſil. moral. cap. 2. dub. 2. num. 6. Petrus Anellus Perſicus trac. de hor. can. cap. 5. dub. 3. num. 10.* 3

Secunda ſententia cenſet impoſitionē prædictam obligare ſub graui culpa. ita *Bonacina de hor canon. diſp. 1. quæſt. 2. punc. 3. num. 2. Diana* qui vt communiorem, & probabiliorem hanc ſententiam ſuadet amplectendam *par. 2. tract. 12. de hor. can. reſol. 20.* 4

Dicendum eſt primo, quidquid ſit, an Epiſcopus valeat clericos, quos ad ordines promouet, obligare ad aliquid recitandum, de qua re nolo hìc quæſtionem habere; nihilominus preces, quas in fine ordinationis præſcribit ipſis ordinatis, probabile eſt non imponi ſub peccato, ſed ſolum ex quadam congruentia, vt ipſi promoti Deum peculiariter laudent. Probatur concluſio, quia obligatio ſub præcepto cum ſit nimis oneroſa, non eſt ponenda, niſi ex aliquo iure, vel conſuetudine legitimè præſcripta clarè habeatur; nullū autem habetur Ius, aut conſuetudo, quæ ſub præcepto ad id obliget; & licet in nouo Pontificali iuſſu Clementis edito, preces illæ præfigantur, non eſt tamen id ſub rigoroſo præcepto, quia nullum eſt verbū præceptiuum; proinde aſſerendum eſt ſolum præſcribi, vt quamdam cæremoniam directiuam, & confirmatur, tum quia non eſt id receptum ab omnibus in rigore præcepti, & ideo in dubijs in benigniorem partem declinare debemus, & vt dixi *in tractatu de conſcientia diſcept. 6. cap. 2. §. 5. num 6.* quando eſt ambiguitas, num aliqua diſpoſitio, quæ à Superiore emanat, ſit per modum ſimplicis directionis, an potius per modum præcepti, ſeu rigoroſæ legis, præſumendum erit eſſe per modum puræ directionis; ita in caſu præſenti præſcriptio illa, quæ habetur in Pontifi- 5


Digitized by Google


ficali, cum nullum contineat verbũ præceptiuum, neque aliundè colligere poſſimus voluntatem Epiſcopi eſſe obligare ordinatos ſub graui culpa ad recitandum, debemus præſumere potiùs per modum conſilij, & cuiuſdam congruentiæ, quàm præcepti imponi preces illas recitandas. Dixi probabile hoc eſſe, quia oppoſitum ſaltem authoritate quorumdam redditur etiam probabile.

6 Dicendum eſt ſecundo: impoſitionem trium illarum miſſarum, quas Epiſcopus iniungit nouis presbyteris, neque eſſe per modum præcepti. de hac concluſione neminem vidi loquentem, cum ſolum authores citati loquantur de precibus, quæ iniunguntur ijs, qui tonſuram, & minores ordines recipiunt; attamen eadem mihi videtur ratio, nam eodem verborum tenore hæc omnia præſcribuntur in pontificali, & iniunguntur ab Epiſcopo, ideoque ſi demus preces iniunctas ordinatis in minoribus non eſſe ſub præcepto, ita neque nocturnum, quod iniungitur ſubdiaconis, & diaconis, neque miſſæ, quæ iniunguntur ſacerdotibus erunt per modum præcepti, nullum enim poterit ſolidum diſcrimen aſſignari. neque ſufficiens diſparitas aſſignabitur, ſi recurratur ad grauitatem materiæ, quaſi preces illę non ſint res magni momenti; ſecùs autem ſacrificia: non, inquam, talis diuerſitas erit ſatis, tum quia ſeptem pſalmi, cum litanijs, & orationibus ſequentibus, ſicuti, & nocturnum ſunt materia grauis, & ſufficiens ad obligandum ſub mortali; vt patet, quando à confeſſario iniunguntur pœnitenti pro ſacramentali ſatisfactione, vel de illis recitandis emittitur votum; nemo enim eſt, qui dicat in tali caſu pœnitentem, aut vouentem non obligari ſub graui culpa ad illa recitanda, ex eo quod ſit parua materia; igitur ex iſto capite nullum erit diſcrimen: tum etiam, quia grauitas materiæ non ſemper trahit obligationem, aut præceptum, nam multa poſſunt præſcribi per modum conſilij, vel per modum ſimplicis directionis, quamuis de reliquo materia illa de ſe ſit grauis, & ita in regulis noſtræ Societatis plura continentur, quæ poſſet eſſe ſufficiens materia voti obligantis ſub mortali, vt eſt oratio per ſpatium vnius horæ ſingulis diebus, abſtinentiæ, ieiunia, quæ ſufficientem grauitatem continent, & tamen non obligant ſub peccato.

Dices preces, & miſſæ ab Epiſcopo in- 7
iunguntur per modum cuiuſdam pœnitẽtiæ, & ideo poſita grauitate ſufficienti ex parte materiæ, nullum aliud verbum præceptiuum requiritur ad obligandum ſub graui culpa; ſicuti quando confeſſarius imponit ſatisfactionem pœnitenti, non oportet, vt vtatur verbis præceptiuis, & tamen ferè omnium certa ſententia eſt, pœnitentem aſtringi ad adimplẽdam pœnitentiam iniunctam, & ſub lethali culpa, ſi materia ſit grauis.

Reſpondeo, non video vnde colligatur preces illas, & ſacrificia imponi ab Epiſcopo per modum cuiuſdam pœnitentiæ; nam ſi attendamus actionem ex parte promoti, nullus in illa reperitur defectus, imo actio ipſa eſt honeſta, laudabilis, & valdè Deo grata, & ſic pro tali exercitio, promotus non eſt dignus pœnitentia, ſed potiùs proemio; neque ex forma, ſub qua præſcribitur, deduci poterit præceptum; neque demum ex Doctoribus: ergo negãdum eſt iniungi per modum pœnitentiæ,





LIBER NONVS

DE SCANDALO IN COMMVNI, & in particulari.

SVMMARIVM.

1 *Præmonitio ad Lectorem.*
2 *Præmittenda eſt definitio, & diuiſio ſcandali ſecundum varias acceptiones.*
3 *Scandalum græca dictio eſt, & latinè importat offendiculum, quod triplex eſt.*
4 *Hoc nomen ex re corporali tranſlatum fuit ad ſpiritualia.*
5 *Quid ſit ſcandalum actiuum.*
6 *Scandalum actiuum diuiditur in id, quod eſt per ſe, & in id, quod eſt per accidens, & declaratur.*
7 *Diuiſio iſta à quibuſdam in alio ſenſu intelligitur.*
8 *Scandalum paſſiuum quid, & quotuplex ſit.*
9 *Alia diuiſio eſt in ſcandalum ſpeciale, & generale.*

PROOEMIVM.

1 LEctorem præmoneo, ſcandalum, de quo verba in hoc Libro ſum facturus, non ſolùm ab eo opere ortum habere, quod in ſe quidem malum, ac prohibitum eſt, verùm etiam ab illo, quod licèt boni ſpeciem aliquam præſeferat, ob infirmitatem tamen aliorum, labendi anſam porrigit; vnde ex æterno Moyſis oraculo *Leuit.* 19. profectum illud eſt [*Ne coram cæco ponas offendiculum*] *plerumque enim*, vt ait *Diuus Gregorius par.* 3. *cur. paſtor. admon.* 36. *Contingit, vt qui negligenter de ſe mala opinari permittunt, per ſemetipſos quidem nulla iniqua faciũt, ſed tamen per eos, qui ſe imitati fuerint, multiplicius delinquunt.*

2 Ad meliùs autem percipienda, quæ ſum dicturus, placet breuem præmittere definitionem ipſius ſcandali, & nonnullas eius diuiſiones.

3 Scandalum dictio græca eſt, quæ latinè dicitur offendiculum, & ſub eadem voce tria intelligere ſolemus, primò actiuam offendiculi obiectionem, ſecundò impactionem, ſeù offenſionem hominis impingentis in offendiculum, tertiò ruinam, ſeù lapſum, qui ex illa offenſione oritur, *Malder.* 2. 2. *quæſt.* 43. *Becan. in ſum. theol. cap.* 27. *q.* 1.

Ex re corporali tranſlata fuit prædicta 4
vox ad rem ſpiritualem, & ideò ſub nomine ſcandali ſpiritualiter accepti, tria etiàm comprehendimus: nempè ipſam actiuam oppoſitionem offendiculi, & dicitur ſcandalum actiuum, ſeù datum, ſecundò impactionem animi, ſeù ſuggeſtionem cum periculo cadendi, tertiò ipſum lapſum in peccatum, & ruinam, ſeu mortem ſpiritualem animæ, quæ dicitur ſcandalum paſſiuum, & acceptum.

Scandalum actiuum à *S. Thoma* 2. 2. *qu.* 5
43. *art.* 1. in hunc modum rectè definitur: *Eſt dictum, vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ*; dicitur autem dictum, vel factum, quia ſcandalum actiuum conſiſtit in aliquo externo; nam ſola operatio interna nequit habere rationem ſcandali actiui; dum enim intrinſecus manet, non poteſt alium excitare ad peccãdum; rurſus dicitur minus rectum, quia hoc externum inductiuum in peccatum debet eſſe aliquod malum, v.g. verba turpia, vel actus inhoneſtus, aut habens ſpeciem mali, nempè actus, qui licèt ex ſe non ſit malus, tamen ſolet malè, fieri, & ideò præſefert ſimilitudinem mali, videlicèt peccati; vt ſi adoleſcens immorigeratus loquatur ſolitariè cum muliere malæ famæ, tunc licet non loquantur turpia, neque aliquod turpe intendant, tamen vt plurimum talis actio à ſimilibus perſonis malè ſonat. comprehenditur etiã ſub allata definitione omiſſio externa dicti, vel facti. nam interdum non loquendo, quando loqui debemus: vel non exercendo aliquam actionem, poſſemus alteri præbere occaſionem peccandi; vt ſi quis non corripiat, vel non impediat aliorum delicta, quando ex officio id facere debet, & delinquentes arripiunt inde occaſionem libe-

Digitized by Google

liberiùs peccandi, tunc illa omiſſio reducitur ad ſcandalum actiuum.

6 Diuiditur ſcandalum actiuum ab eodẽ *S. Tho. l. c. ad quartum*, in ſcandalum per ſe, & ſcandalum per accidens. Scandalum per ſe tunc reperitur, quando quis ſuo verbo, aut exemplo malo, directè intendit inducere alium ad peccandum, vt ſuadendo, vel conſulendo furtum, fornicationem, &c. ad ſcandalum per ſe reuocat etiam ibi S. Tho. inductionem ad malum, quæ proueniat ex intentione interpretatiua illius, qui ſcandalũ præbet, vt ſi quis loquatur verba valdè turpia, vel exerceat actionẽ inhoneſtã coram talibus hominibus ita diſpoſitis, vt præuideat, vel præuidere debeat eſſe lapſuros in peccatũ. appellat eodem loco S. Thomas ſcandalũ per accidens, quando locutio, vel actio neque ex intentione operantis, neque ex natura ſua eſt inductiua ad malum, ſed alius, in cuius præſentia exercetur, eſt ita malè diſpoſitus, vt ex illa locutione, aut actione, ſumat occaſionem peccandi. v.g. ſi quis ex bona intentione narret aliquam hiſtoriam indifferentem, vel aſſiſtat ſacro, & alius iudicet hæc omnia ab illo fieri ex prauo fine, & ex hoc alliciatur ad aliquod peccatum, tunc dictum, vel factum illius diceretur ſcandalum per accidens.

7 Cæterum ab alijs, & etiam ab eodem *S. Tho. art. 3. prædictæ quæſt.* diuiſio iſta ſumitur in alio ſenſu; nam ſub ſcandalo per ſe includit dictum, vel factum prauum ex intẽtione alliciendi alium ad peccatum; at ſcandalum per accidens vocat, quando dictum, vel factum ſecundum ſe eſt inductiuum, intentio tamen directa operantis, aut loquentis non eſt inducere alium ad peccandum, niſi interpretatiuè modo explicato.

8 Scandalum autem paſſiuum, quod propriè eſt ipſe lapſus, in quem ruit homo, qui ſcandalum patitur, diuiditur in ſcãdalum puſillorum, & in ſcandalum Phariſæorum; & quamuis in explicando hoc duplici ſcandalo nõnulla ſit varietas apud Authores, probabilius mihi videtur dicẽdum, ſcandalum puſillorum eſſe illud, quod oritur ex ignorantia, vel infirmitate illius, qui ſcandalum recipit, quod contingit, quando dictum, vel factum vnius ex ſe non eſt malum, ſed alius, vel ex ignorantia, vel ex quadam fragilitate ſumit occaſionem peccandi; & ſcandalum phariſaicum oritur ex mera malitia perſonæ, quæ ſcandalũ patitur; & euenit quando ex dicto, vel opere bono, aut indifferente vnius, alius ſumit occaſionem peccandi adinſtar phariſæorum, qui ex mera malitia ſumebãt occaſionem peccandi ex ſermonibus, & ſanctiſſimis actionibus Chriſti Domini; tale autem ſcandalum dicitur merè paſſiuum, & acceptum, & reperitur ſine ſcandalo actiuo. Vide *Becanum in ſumma cap. 27. quæſt. 2. à n. 3. Layman in opere morali lib. 2. tract. 3. cap. 13.*

9 Demum alia diuiſio eſt in ſcandalum ſpeciale, & generale. Verũ de hac diuiſione cum apud Authores cõtrouerſia reperiatur, de illa primam inſtituo quæſtionẽ.

QVÆSTIO PRIMA.

De his, quæ pertinent ad ſcandalum vniuerſaliter ſumptum.

NOnnulla, quæ conueniunt ſcandalo ſecundum ſe ſpectato, & ad maiorem eius notitiam ducunt, ſunt prius expendenda, antequam caſus particulares decidamus.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit ſcandalum ſpeciale, & quid generale.

SVMMARIVM.

Quo pacto ab aliquibus ſumatur ſcandalum ſpeciale. 1

Alij minus requirunt ad ſcandalum ſpeciale. 2

Alij verò illud ampliant. 3

Prima, & ſecunda acceptio magis placet Authori. 4

Refertur quædam opinio Ioannis Delugo de modo, quo in confeſſione aperiri poſſit peccatum ſcandali. 5

1 ALiqui dicunt tunc inueniri ſpeciale peccatum ſcandali, quando quis ſuo dicto, aut prauo exemplo inducit alium ad peccandum ex intentione directa, vt ille alius patiatur detrimentum ſpirituale, ſeu quòd idem eſt, quando directè intendit ruinam ſpiritualem proximi. At quãdo directè ruina ſpiritualis non intenditur, ſed ſolùm quis allicit alium ad peccandum ob finem delectationis, aut vtilitatis, quam capere intendit ex illo peccato, ad quod excitat, dicunt eſſe ſcandalum generale. *Ita Vaſquez in p. 2. d. 102. cap. 4. Turrianus in 2. 2. tom. 1. d. 95. dub. 3. Sanchez lib. 1. decalogi cap. 6. à n. 3. & alij.*

2 Non deſunt tamen quamplures, & graues Doctores, qui minus requirunt ad ſcãdalum ſpeciale, dicunt enim ſatis eſſe, vt quis intendat allicere alium hominem ad peccatum ex directa intentione inducendi ad malum, licèt non intendat directè ruinam ſpiritualem illius, qui ſcandalũ pa-

patitur:at ſi nõ intendat allicere alium, ſed locutio, aut actio ex ſe eſt inductiua, tunc eſſe ſcandalum generale, & ita ſentit *Caietanus in ſumm. v. Scandalum Bañes 2. 2. quaſt. 43. ar. 4. dub. 1. & quidam alij.*

3 Demum multi Doctores ampliantes ſcandalum ſpeciale, aſſerunt reperiri non ſolùm quando quis directè inducit ad peccandum, ſed etiam quando indirectè, cum exercet talem actionem, quæ hic, & nunc eſt inductiua ad malum, licèt operans formaliter, & directè hoc non intendat, & ita docent *Syluester ver. Scandalum quaſt. 1. Petrus Soto lect. 9. de Confeſſ. in fine, Val. 2. 2. hic diſp. 3. qu. 12. p. 2. Coninck, Malderus Syluius in quaſt. 43. art. 3. concl. 2. & alij.*

4 Ex relatis ſententijs prima, & ſecunda mihi videntur probabiliores. Earum autẽ fundamenta examinare non curo, quia eſt res ſpeculatiua; & ad praxim nihil refert determinare, quæ nam ſit verior ex illis, quia, ſiuè ſcandalum ſit ſpeciale, ſiue generale, inducens ſemper tenetur aperire in confeſſione circumſtantiam ſcandali, ſiuè directè intendat ruinam ſpiritualem alterius, ſiuè ſolùm delectationẽ, aut vtilitatem, quam apprehendit in alterius peccato, & hanc, ſiuè directè, ſiuè indirectè. Si quis autèm deſiderat videre vtriuſque opinionis fundamenta, legat *Vaſquez, Sanchez, & alios.*

5 Nolo tamen hic omittere opinionem, quam nouiſſime tuetur *Cardinalis Ioannes Delugo in tract. de pœnit. diſp. 16. ſect. 4. n. 159.* vbi loquens de ſcandalo, quod prius *n.* 157. diſtinxerat, docet, quòd quando quis exercet aliquam actionem, ex qua præuidet alium ſumpturum occaſionem peccandi, ſi exercens actionem illam non intendat allicere alium, ſed ſolùm præuideat peccatum illius, & peccet peccato ſcandali, tamen non teneri in confeſſione aperire ſpeciem peccati, ad quod ille alius excitabatur, ſed ſolùm ſufficere manifeſtare malitiam ſcandali, quia tunc illud peccatum ſcandali opponitur charitati, non illi virtuti, ad cuius vitium oppoſitum, ille alius excitatur, quæ excitatio oritur, vel ex peccato alterius, vel ex actione habente ſpeciem peccati, quando eſt aliena à ſtatu illius, de quo eſt admiratio, vt ſi religioſus, vel Prælatus concubinam domi detineat, vel mulierem honeſtam, de qua tamen eſt mala ſuſpicio, ſed re uera ſola admiratio abſq; peccato admirantis, vt benè notauit *Petrus Hurtado de charitate diſp. 173. ſect. 34. num. 425.* non eſt ſcandalum theologicum. idẽque ſentiunt *Io. Sancius in ſelectis diſput. 48. num 45. Caſtropalao de charit. trac. 6. diſp. 6. p. 1. num. 4.* & ratio eſt, quia ſi illa admiratio, ſeù rumor de illa actione habet fundamentum, non erit per ſe loquendo cauſa peccati, quia in admirantibus, & murmurantibus per ſe loquendo non cauſat temerariam ſuſpicionem; licet interdum ſit cauſa peccati, quia ex tali rumore, ſuſpicione, &c. homines ſæpe ruunt in plura peccata, v. g. in iudicia temeraria, in detractiones, & quandoque etiam ducti ex malo exemplo committunt ſimilia peccata, & præſertim cum peccãs eſt perſona publica, Prælatus, Religioſus, &c.

SECTIO SECVNDA.

An ad vitandum aliorum ſcandalum omitti debeant actiones ex præcepto.

SVMMARIVM.

Proponendæ ſunt nonnullæ regulæ ad decidendos caſus in materia ſcandali. 1

Nunquam eſt licitum petere ab alio actũ, qui honeſtè exerceri nequit. 2

Neque coram alijs exercere actionem de ſe inductiuam ad malum. 3

Obligatio vitandi ſcandalum menſuranda erit ex cauſſa, ob quam hic, & nũc mouemur ad operandum. 4

Quo actio erit peccato alterius proximior, eo vrgentior requiritur cauſa excuſans à peccato ſcandali. 5

Quanto ſtrictiùs obligat virtus, cui opponitur ſcandalum paſſiuum, eo efficacior exigitur cauſſa vt excuſemur. 6

Non rectè à quibuſdam citatur Couarruuias, quaſi dicens actiones, quæ ſunt ex præcepto iuris naturalis non eſſe omittendas, ſecùs illas, quæ ſunt iuris poſitiui. 7

Aliqui putant nunquam eſſe omittendas actiones ex præcepto ad vitandum aliorum ſcandalum. 8

Alij docent aliquando eſſe omittendas. 9

Declaratur quo ſenſu intelligenda ſit cõtrouerſia. 10

Dubitatio locum non habet in præceptis naturalibus negatiuis. 11

De præceptis affirmatiuis cuiuſcunque ſint iuris, alio modo eſt diſcurrendum. 12

Ad caſus in materia ſcandali faciliùs reſoluendos, oportet quaſdam vniuerſales regulas præmittere, quæ ſunt veluti quædam prima principia in hac materia, quibus benè intellectis, non erit difficilè caſus particulares determinare, & ideò quæ ab authoribus de hac re ſparſim tractantur breuiter colligendo declarabimus. 1

Et primò certum, & indubitatum eſſe de- 2

Digitized by Google

debet apud omnes nunquam fore licitum petere ab alio actum, qui, vel abſolutè, vel ſaltem à tali perſona exerceri abſque peccato minimè poteſt, vt furtum, adulterium, periurium, vel promiſſio cum iuramento alicuius rei, ad quam iurans habet impotentiam, vel quid ſimile; hoc enim petere, eſſet inducere alium ad peccatum, quod nunquam licet ob quemcunque bonum finem.

3 Secundò, quod neque erit licitum exercere coram alijs actionem ex ſe turpem, & inductiuam ad malum, quia hoc quamuis non verbis, factis tamen eſſet alliicere alios ad peccandum: Idemque aſſero per ſe loquendo de actione, quæ licèt ſecundùm ſe non ſit mala, tamen communitèr hic, & nunc cenſetur præſeferre ſpeciem mali, & præuidetur ex illa ab alijs occaſionem ſumi perpetrandi multa peccata; cuius exemplum ſupra retulimus. dixi per ſe; nam in quibuſdam circumſtantijs poſſet contingere, vt homo ſit moraliter impotens, vel ſine detrimento notabili ſpirituali, aut temporali nequeat abſtinere à tali actione, & tunc, quantum fieri poterit, cauendum eſt ſcandalum paſſiuum aliorum, notificando illis legitimam cauſam exercendi actionem illam, & ſi hoc fieri nequeat, arbitrio prudentis viri erit determinandum quid ex illis duobus, penſatis omnibus, erit eligêdum; videlicet, an exercitium illius actionis, an eius omiſſio ad euitandum ſcandalum.

4 Tertiò, quod obligatio, qua tenemur vitare proximorum noſtrorum ſcandalum in noſtrarum actionum vſu, eſt menſurãda ex cauſa, ob quam hic, & nunc ad taliter operandum ducimur, & tunc ſi perſpectis omnibus circumſtantijs cauſſa, quæ nos mouet, erit rationabilis, & ſecundum leges ordinatæ charitatis, vel ſaltem non contra illas, ſcandalum paſſiuũ aliorum nobis minimè imputabitur: ſi verò non erit cauſſa rationabilis, actio noſtra habebit rationem ſcandali actiui, & per conſequens erit peccatum.

5 Quartò, quod quantò magis actio, ſeu cooperatio noſtra in aliqua materia erit peccato alterius proxima, eo maior, & vrgentior requiritur cauſſa ad nos à ſcandalo actiuo excuſandos, quia quanto actio, vel cooperatio erit peccato vicinior, eò magis, & efficacius in illud influet; proinde plus deſideratur, vt influxus ille non cenſeatur moraliter malus.

6 Quinto, quod quantò virtus, cui opponitur peccatum proximi, ſeu eius ſcãdalum paſſiuum, efficacior erit ad obligãdum; tantò maior poſtulatur cauſſa, vt nos liberemur à ſcandalo actiuo, exercẽtes actionem, ex qua alius arripit peccãdi occaſionem. & ideò, vt dicunt doctores, peccatum contra iuſtitiam, quod credimus patrandum ab alio, qui ſcandalizatur ex noſtra actione, vel malè vtitur noſtra cooperatione, vrgentiorem exigit cauſſam in nobis, quam peccatum contra alias virtutes, ad hoc, vt nobis minimè imputetur. His omnibus præmiſſis, deuenio ad controuerſiam in titulo poſitam.

Citatur à *Vaſquez, & Turriano locis inferiùs referendis, & ab alijs, Couarruuias*, quaſi diſtinguendo dicat *in reg. peccat. par.* 1. *nu.* 4. non poſſe omitti ad impediendum alienum ſcandalum præcepta, quæ ſunt iuris naturalis, at poſſe omitti, ea quæ ſunt iuris poſitiui, ſed non fideliter citatur, nam ipſe §. qui ſic incipit, (*Quintò manifeſtè*) oppoſitum docet, vt videbimus. hoc autèm relicto, aio in hac materia duas inueniri ſententias. 7

Prima enim ait numquam eſſe omittẽdum præceptum ſiue ſit iuris naturalis, ſiuè poſitiui ad vitandum aliorum ſcandalum. Ita *Vaſquez opuſc. de ſcandalo ar.* 8. *dub.* 1. *Turrianus in* 2. 2. *quæſt.* 43. *ar.* 8. *diſp.* 96 *dub.* 1. *concl.* 3. *Baſilius de Leon lib.* 5. *de matr. cap.* 18. §. 2. *Caſtropalao de charit. tract.* 6. *diſp.* 6. *p.* 16. *nu.* 3. *Gaſpar Hurt. de Sacram. in Genere diſp.* 4. *diff.* 12. *& alij.* 8

Secunda ſententia affirmat aliquando eſſe omittenda præcepta, *ita Couarr. in ſupradicto* §. *Ægidius Coninck de Charit. diſp.* 32. *dub.* 6. *Valentia* 2. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 18. *p.* 4. *Petrus Hurt. de mendoza in* 2. 2. *diſp.* 173. *ſec.* 20. §. 256. *& ſequẽtib. Gordonius in ſuo opere morali lib.* 6. *quæſt.* 16. *cap.* 8. *quæſito* 1. *Malderus in* 2. 2. *quæſt.* 43. *ar.* 7. *Syluius ibidem quæſito* 1. *Suarez de char. diſp.* 10. *ſec.* 4. *nu.* 8. *&* 9. *& plures alij.* 9

Vt ſeparemus dubia à rebus certis. ſuppono controuerſiam non eſſe ſumendam in hoc ſenſu, quaſi ſit dubitatio, an vrgente præcepto ſiue naturali, ſiuè poſitiuo, ſeu perſeuerante obligatione præcepti, poſſit omitti nec ne opus præceptum ad vitandum aliorum ſcandalum, non eſt, inquam, neque eſſe poteſt in hoc ſenſu controuerſia, nam hoc inuolueret implicantiam; ſi enim hic, & nunc obligor ad exercendam actionem aliquam, non poſſum obligari ad illam omittendam, quia obligarer ad duo contradictoria ſimul ponenda: Sed controuerſia eſt, an eo tempore, quo imminet ſcandalum paſſiuum aliorum, ceſſet pro eodem tempore obligatio præcepti, & ideò tenear abſtinere ab illo opere; quod ſi non immineret periculum ſcandali tenerer illud exequi. 10

Dico primo: dubitatio prædicta non habet locum in præceptis naturalibus negati- 11

Digitized by Google

tiuis, nam hæc præcepta, vt aiunt communiter Theologi, obligant ſemper, & pro ſemper, prohibent enim opus intrinſecè malum; proinde cum eorum obligatio nũquam ceſſet, ſcandalum aliorum paſſiuum non poterit impedire eorumdem præceptorum obſeruantiam, ideoquè nunquam erit nobis licitum peierare, odio proſequi proximum, &c. nam peccare non debemus ad impediendum cæterorum peccatum. & ob eamdem rationem neque ad vitandũ ſcandalum fieri poterit aliquid contra præcepta negatiua iuris diuini poſitiui, vt docere aliquid contra fidem, deſperare ſalutem, ſacrilegè communicari, &c.

11 Dico ſecundo circa præcepta affirmatiua cuiuſcumque ſint iuris, alio modo eſt diſcurrendum; proinde vtraque ſententia ſuperiùs relata in ea vniuerſalitate, qua profertur, non placet: quapropter aſſero poſſe dari caſum, in quo omninò ceſſet eorum obligatio imminente periculo ſcandali paſſiui: & ratio eſt, quia cum hæc præcepta ſint affirmatiua, quorum natura eſt obligare ſemper, ſed non pro ſemper, poterunt concurrere tales circumſtantiæ, vt attendendo ad leges ordinatæ charitatis, teneamur abſtinere ab opere præcepto, vt vitemus ſcandalum proximi. e. g. punire delinquentem, eſt præceptum de iure naturæ affirmatiuum; attamen, ſi hic, & nunc ex tali punitione ſequerentur grauia ſcandala in republica, erit ſuſpendenda punitio; rurſus ſi ex manifeſtatione alicuius peccati in confeſſione ſequatur graue damnum cõtra aliquem, vt homicidium, rixæ, &c. erit dimidianda confeſſio, vt communiter dicũt Doctores, vt ſic in ſimilibus; idcircò non eſt aſſerendum vniuerſaliter nunquam eſſe omittenda præcepta affirmatiua ad vitandum aliorum ſcandalum. neque vniuerſaliter eſt dicendum oppoſitum. Igitur, vt aliquam demus regulam generalem, dicimus, quod quando eſt tempus adimplendi præceptum poſitiuum, ſi ex eius adimpletione ſequatur in alijs ſcandalum, eſt conſiderandum hic, & nunc quid fortius obliget, attendendo ad grauitatem præcepti, & ad qualitatem ſcandali, quod creditur ſequuturum, & illud eſt amplectendum quod magis obligat, quod in caſibus particularibus eſt determinandum.

SECTIO TERTIA.

Quid dicendum de operibus, quæ ſunt de conſilio, aut indifferentibus.

SVMMARIVM.

1 *Opus bonum ex conſilio non eſt omittendũ ad vitandum ſcandalum paſſiuum, quod oritur ex alterius malitia.*
Limitatur concluſio. 2
Circa opera indifferentia aſſignatur quædam regula. 3

ABſolutis ijs, quæ ſpectare videbantur ad opera, que ſunt aliquo iure præcepta ſupereſt, vt dicamus quid faciendũ, quando ex opere aliquo honeſto, quod eſt tantum de conſilio, præuidemus ab alio eſſe ſcandali occaſionem accipiendam, aut ex opere ſecundum ſe indifferenti.

DIco, primo: opus bonum ex conſilio non eſſe omittendum ob ſcandalum paſſiuum, quod oritur ex malitia alterius, & non ex ignorantia, vel ex fragilitate. ita *Sayrus in clau. regia lib. 7. cap. 6. num. 9. Vaſquez loc. cit. dub. 2. Turr. dub. 2. Põtius loc. cit. ſec. præcedente §. 3. licet. Valentia loco relato in ead. ſec.* dicat ad aliquod tempus eſſe differendum; alij verò hanc limitationem non ponunt. 1

Attamen hãc concluſionem puto limitandam eſſe in eo caſu, in quo ex bono opere ex conſilio, ſequatur damnum cõtra tertiam perſonam, quamuis ex malitia alterius: vt ſi ex eo quod mulier aliqua egrediatur domo ad audiendum ſacrum, vel ad inuiſendas aliquas eccleſias, ſequãtur rixæ, homicidia, &c. tunc cenſeo ſine dubio debere mulierem illam abſtinere ad tempus ab illo opere, & ideo in hac re cum prudentia procedendum eſt. Quando vero ſcandalum ex malitia non tendit contra tertium, non tenemur ceſſare ab opere bono. ſi vero ex ignorantia procedit, debemus admonere illum, qui talem patitur ignorantiam, & poſita inſtructione ceſſabit ſcandalum ex ignorantia: ſi vero ex fragilitate, debemus adhibere aliquam correptionem, qua ille imbecillis corroboretur, & ſi hoc non obſtante perſeueret, tunc, vt ait Sayrus, illud ſcandalum incipit eſſe ex malitia, & ideo ſeruanda eſt regula ſuperiùs tradita. Aduertit etiam Sayrus, quod ſi ex dilatione operis ex conſilio timeatur probabiliter quod illud opus nõ poſſet amplius adimpleri, vel niſi cum magna difficultate, & res ſit magni momenti, vt ingreſſus religionis; aſſumptio ad ſtatũ clericalem, &c. tunc, ex quocumque capite oriatur ſcandalum, non eſt de illo curandum, ſi illud alio modo vitare nequimus. 2

Dico ſecundo: circa opera indifferentia, ſiſtentes in vniuerſali, hanc regulam dare poſſumus, vt attendamus ex quo capite oriatur ſcandalum, & quantitatem damni, vel moleſtiæ, quam paſſuri ſumus ceſſantes ab illa actione, & tunc eſt videndum, quid magis præponderet, 3

deret, & illud quod magis præponderat eſt faciendum; quòd deſcendendo ad caſus particulares melius declarabitur.

SECTIO QVARTA.

An ſcandalū præbens peccet peccato eiuſdem ſpeciei, in qua eſt peccatum quo peccat qui ſcandalum patitur, & an quando peccatum, ad quod allicit, eſt contra iuſtitiam, ambo teneantur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

1 *Conſulens, & inducens alium ad peccandum, committit peccatum eiuſdem ſpeciei, in qua eſt peccatum quo peccat inductus, &c.*

2 *Probatur ratione.*

3 *Non ſemper tenetur reſtituere dans occaſionem ad peccandum contra iuſtitiam.*

4 *Si præbens ſcandalum intendat damnum alterius, non tenetur reſtituere, ſi actio externa non ſit ex ſe iniuſta contra illam.*

5 *Extenditur à quibuſdam etiam ad perſonas publicas.*

1 Dicendum eſt, qui conſulit, ſuadet, vel alio quocumque modo allicit, & inducit alium ad committendum aliquod peccatum, non ſolùm peccare, verum etiam eſſe reum peccati eiuſdem ſpeciei, in qua eſt peccatum quo peccat ille, qui eſt inductus ad peccandum. eſt contra *Salas p. 2. tract. 13. diſp. 5. ſect. 15. num.* 134. ſed non eſt audiendus; nam concluſio prædicta eſt iuxta communem conſenſum doctorum *Caiet. 2. 2. quæſt. 43. ar. 1. Azor. tom. 1. lib. 4. cap. 20. quæſit. 6. Sāchez in decal. lib. 1. c. 6. à n. 4. Bonacina de peccatis diſp. 2. quæſt. 4. p. vnico n. 12. Caſtropalao tract. 6. diſp. 6. p. 3. n. 1. & alij.*

2 Probatur etiam ratione, quia tàm conſilium, quàm ſuaſio, & quælibet alia inductio ſpecificantur per ordinem ad rem, quam primò, & per ſe reſpiciunt, tanquā obiectum; proinde ſi res, ad quàm tendit, eſt furtum, &c. tunc malitiam furti, vt contrahat oportet. Ergo ſi quis conſulit, ſuadet, &c. ad furtum, peccabit ea ſpecie peccati, qua peccat ipſe inductus furando. Et hoc verum eſt, non ſolùm quandò quis directè inducit aliquem ad peccatū, ſed etiam quando indirectè, & interpretatiuè, vt contingit cum quis ità hic, & nūc loquitur, vel talia operatur, vt aſtantes ſumant occaſionem peccandi ex illa loqutione, & alterius actione, quamuis ſic loquens, & operans non intendat allicere ad malum, ſed aduertat in his circumſtantijs ex ſua locutione, ſeù actione malum eſſe ſequuturum. Ratio autem huius rei optimè aſſignatur à Caietano l. c. docet enim implicitum, & explicitum ad eamdem pertinere ſpeciem; idcircò ſicuti explicita inductio inficitur eadem malitia, quæ reperitur in peccato, ad quod allicit, ita etiam, & implicita.

Non ſemper qui dat ſcandalum, inducens ad peccatum contrà iuſtitiam tenetur ad reſtitutionem, ſed ſolùm aliquandò. Declaro concluſionem; tunc enim tenetur, quando actio externa directè influit in furtum e. c. vel in aliud peccatum contra iuſtitiam commutatiuam; non autem quando ſolùm indirectè, & ex volūtate alterius ſumentis occaſionem ex actione, ad quam impediendam ille tertius, contra quem committitur peccatum cōtra iuſtitiam, nullum habet ius. Prima pars probatur, nam dum quis dat ſcandalum inducendo alium ad furandum cōſilio, vel ſuaſione, vel alio modo iniuſtè cooperando, tunc verè cenſetur præſtare moralem influxum in furtum; ideoque ſi quis ita inductus non reſtituat, tenebitur ille, qui ſuo conſilio, vel ſuaſione illum induxit; & in hoc nulla apud authores eſt dubitatio: at ſi inductio conſiſtat ſolùm in exemplo malo v. g. Petrus furatur, & Franciſcus ductus malo exemplo Petri, excitatur etiam ad furandum aliquid ex bonis v. g. Ioannis; tunc Petrus ſolùm malo exemplo induxit, & ideo nō eſt obligandus reſtituere ea, quæ Franciſcus ſurripuit. Ita *Bonacina de reſtit. d. 1. q. 2. p. 11. n. 16. Sanchez lib. 1. decal. c. 6. n. 5. Caſtropalao tom. 1. trac. 6. diſp. 6. p. 3. n. 2.* & alij apud ipſum. colligitur expreſsè ex doctrina, quam in ſimili caſu dat *Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 16. Coninck de charitat diſ. 32. dub. 5. numer. 49. & alij*. ſecunda autem hæc pars ſuadetur, quia Ioannes, v. g. cuius bona Franciſcus furatus eſt, non habet ius iuſtitiæ, ne Petrus exerceat actionem prauam contra aliam perſonam; peccabit tamen Petrus contra charitatem, tùm ob ſcandalum, quod dat Franciſco: tùm etiam, quia eſt aliquo pacto occaſio, vt Ioannes patiatur detrimentum in bonis proprijs. at *Suarez de charit. diſ. 10. ſec. 2.* obijciens contra ſuam concluſionem hoc argumentum, videlicet ex doctrina ab ipſo allata ſequi, quòd, qui ſuo exemplo inducit alium ad furandum peccaret contrà iuſtitiam reſpectu illius tertiæ perſonæ, à qua ille alius inductus furatur; duas dat ad hoc argu-

mentum ſolutiones; in prima enim negat illum inducentem ſuo exemplo ad furtum peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, & ſic nobiſcum ſentit: in ſecunda autem ſolutione reſpondet affirmatiuè, & ait nullum eſſe abſurdum in prædicto caſu inducentem ſuo prauo exemplo obligari ad reſtitutionem; & ideo videtur problematicè defēdere vtramque partem, quamuis addat in hac ſecunda ſolutione, moraliter non eſſe obligandum eum, qui ſolo exemplo inducit, quia nunquam certò conſtare poterit latronem moueri ex exemplo malo dato; ſed non eſt recedendum à prima opinione, quæ eſt communis, & ratio, qua confirmatur, eſt valdè efficax.

4 Sed quid dicendum, ſi Petrus exerceat actionem illam inductiuam ad furtum hac intentione directa, vt inductus actu furetur, an in tali caſu ſcandalum, quod dat Petrus ſit directè contra iuſtitiam, & obliget Petrum ad reſtitutionem, negat *Sanchez, & Bonacina,* & in ſimili *Leſſ. & Coninck, ll. cc.* quia ille actus internus non facit, vt actio externa ſcandaloſa plus influat in furtum, eò, quòd influeret, ſi intentio ipſa mala non eſſet.

5 Eamdem doctrinam extendunt prædicti doctores ad perſonas publicas, & ideò Sanchez excuſat iudicem, & Epiſcopum, ſi prauo tantùm exemplo inducunt alios ad furandum; nam iudex ſæcularis ex ſuo officio ſolùm tenetur impedire, ne furta fiant, & cogere latrones ad ſatisfaciēdum, eoſque punire, &c. & non obligatur ex officio dare ſubditis bonum exemplum, niſi ratione charitatis: Epiſcopus autèm ratione ſui paſtoralis officij tenetur ſpiritualiter paſcere oues ſuas; at ratione ſui muneris non tenetur conſeruare bona temporalia alterius, & abſtinere ſe à tali actione inductiua ſecundùm leges iuſtitiæ commutatiuæ, quamuis maximè teneatur ſecundùm leges charitatis.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Scandalo in particulari.

HActenus locutus ſum conſiderans aliqua, quæ ſcandalo in vniuerſum conuenire poſſent. nunc autem dirigo ſermonem ad varios caſus particulares, in quibus interdum habetur peccatum ſcandali, interdum vero non datur ſcandalum ex parte illius, qui occaſionem præbere videtur. ſeligam autem caſus celebriores, & qui in praxi magis cōmuniter contingere ſolent.

(†††††)

SECTIO PRIMA.

Quando contingit peccatum ſcandali circa ſolutionem maleficij faciendam à malefico.

SVMMARIVM.

Nūquam licet petere vt vno maleficio deſtruatur aliud. 1

Neque eſt licitum à malefico ignorante modum honeſtum ad ſoluendum maleficium, petere vt illud deſtruat. 2

Neque licitum eſt petere deſtructionem maleficij ab alio neſciente locum, & materiam eiuſdem maleficij. 3

Quando conſtat à mago poſſe diſſolui maleficium licitis, & illicitis modis, eſt controuerſum apud Authores an poſſit quis petere à tali mago deſtructionem maleficij; ſed partem affirmatiuam amplectitur author. 4

Quando dubitatur an magus noſcat media licita, non licet ab eo petere ſolutionem maleficij. 5

Sine graui peccato nequit peti ſolutio maleficij à dæmone etiam ſi ipſe ſit medio licito vſurus; quod procedit ſi petitio fiat precibus, ſecùs ſi medijs exorciſmis imperando, &c. 6

A mago nequit peti non ſolùm precibus, ſed neque minis diſſolutio maleficij per maleficium. 7

NVnquam eſt licitum petere à malefico, ſiuè parato, ſiuè non parato, vt 1
deſtruat maleficium alio maleficio. concluſio eſt contra *Angelum ver. Superſtitio. num.* 13. citat *Sanchez l.* 7. *de matr. diſp.* 95. *num.* 6. Aureolum pro eadem ſententia affirmatiua: at Aureolus noſtrā ſententiam docet apertiſſimis verbis; proponens enim caſum, habet hæc verba *in* 4. *d.* 34. *q. vnica ar.* 2. [*In tali ergo caſu, vbi aliter non poſſet maleficium deſtrui, deberet quilibet potiùs ſuſtinere mortem, quam agere ad eius deſtructionem hoc modo; ſi vero maleficij deſtructio non procuretur per maleficium, &c.*] conſtans igitur opinio eſt apud omnes, non eſſe licitū deſtruere maleficium alio maleficio; & ita docet idem *Sanchez l. cit. Syluestr. ver. Maleficium q.* 8. *Caiet. in opuſculis tom.* 2. *tract.* 12. *de maleficijs, q. vnica, Henriquez lib.* 5. *cap.* 6. *lib.* 12. *c.* 8. *Del Rio lib. diſquiſit. magic. cap.* 1. *ſect.* 1. *qu.* 2. *Toletus lib.* 4. *ſum. c.* 16. *num.* 9. *Syluius in* 2. 2. *q.* 43. *a.* 4. *quæſito* 2. *concl.* 2. *Layman lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *aſſer.* 1. *Suarez tom.* 1. *de relig. tr.* 3. *l.* 2. *cap.* 18. *numero* 9. *Leſſius lib.* 2. *de iuſtitia cap.*

cap. 44. dub. 6. numero 35. Raphael de la Torre tom. 1. de relig. quæſt. 95. ar. 4. diſp. 2. aſſer. 1. & 2. & quamplures alij apud prædictos authores. Ratio fundamẽtalis huius opinionis eſt, quia nunquam eſt licitum petere ab alio actionem, quam ille ſine peccato exercere non poteſt; at actio malefica eſt intrinſecè mala, adeò vt nunquam, ob nullum bonum finem, cohoneſtari queat; inuoluit enim pactum, & amicitiam cum dæmone contra honorem Deo debitum. ergo nunquam licitè poſſumus eam petere, vt ab alio exerceatur.

2 Neque eſt licitum id petere, ſi conſtet maleficum ignorare alium modum ſoluendi maleficium, niſi mediante alio maleficio. *ita Sanchez diſp. cit. num. 8. Suarez loco ſuperius cit. & Raphael diſp. cit. ver. dico 1.* & ratio eſt eadem, nam in illis circumſtantijs petitur à malefico implicitè actio, quæ nunquam licitè exerceri poteſt. Probatur manifeſtè, quia ſi ego ſcio non poſſe à tali homine maleficium ſolui, niſi per aliud maleficium, iam implicitè hoc peto, proinde erit illicita petitio.

3 Si quis petat, non ab eodem mago, qui maleficium parauit, ſed ab alio homine deſtructionem maleficij, & tamen ille alnis ignoret, & locum, & materiam illam, in qua confectum eſt maleficium, non poteſt hoc licitè petere, vt rectè aſſerit *Suarez l. c. Del Rio lib. 6. diſquiſit. Mag. cap. 2. ſec. 1. q. 2. Sanchez diſp. cit. nu. 14.* quia quãuis petitio ſecundum formam verborũ videatur indifferens, nihilominus implicitè eſt petitio noui maleficij, quoniam poſita illa ignorantia non præſumitur hominem illum deuenire poſſe in notitiam, & loci, & ipſius maleficij, niſi ope dæmonum, niſi forſitan ſit adeo Sanctus, vt ſit moralis certitudo, quod acquiret notitiam illam a Deo medijs precibus, quod tamen ordinariè non contingit; & ideo abſtinere debemus à ſimilibus petitionibus.

4 Quando conſtat poſſe maleficum medijs licitis, & illicitis diſſoluere maleficium, tunc poterit eſſe aliqua dubitatio, an licitè valeamus ab illo petere deſtructionẽ illius maleficij. ſunt in hac re variæ ſententiæ, & ideo *Caiet. in opuſ. tom. 2. tract. 12. quæſt. vnica* negat id fieri poſſe, quia dum abſolutè petitur ſolutio maleficij facienda à Mago videtur peti opus maleficum. ſicuti ſi quis ab artifice poſtulet opus artificioſum, intelligitur peti media actione artificioſa: at *Del Rio l. c.* vult non eſſe licitum id petere, quando moraliter certus ſum à malefico non diſſoluendum fore, niſi medio illicito ſed: *Suarez de relig. cap. cit. n. 9. v. tertio. poteſt. Sanchez nu. 11. diſp. c. Petrus Hurt. in 2. 2. diſp. 137. ſec. 16. n. 105. Raphael. de la Torre vbi ſupra ver. dico 2. & dico 3.* affirmant id licitè fieri poſſe; & hanc opinionem ego puto probabiliorem, ſi alius modus ſecurior, & liber ab omni ſuſpicione non occurrat. ratio eſt, quia illa petitio eſt de actione, quam magus ſine peccato exercere poteſt, ſi ipſe velit; & ſi medio illicito eam exerceat, id non prouenit ex vi meræ petitionis, ſeù actionis à me petitæ, ſed ex eius mala voluntate: at occurrente cauſſa rationabili, & proportionata poſſum permittere peccatum alterius, nec ad illud patrandum, ego hominem illum induco, nec ſum cauſſa illius peccati; idcircò cum in his circumſtantijs in me ſit ius petendi ſolutionem maleficij ad liberandum ab oppreſſione dæmonis hominem innocentem, nullum erit ex parte mei ſcandalum. & confirmari poteſt, nam vt infra dicemus, poſita cauſſa rationabili, licitum erit mihi petere mutuum ab vſurario, etiamſi prævideã illum non daturum abſque vſuris, & petere iuramentum ab infideli iuraturo per ſuos falſos deos, ergo, & idem dicendum eſt in caſu, de quo agimus, cum eadem videatur ratio, neque rationes Caietani ſatisfaciunt, quia falſum eſt, quod abſolutè illa petitio includat opus maleficum. nec exemplum artificis valet, nam actio artificioſa ex ſe eſt indifferens, & ſic poteſt præſumi, & à me poſtulari, & ab artifice aſſumi ad opus artificioſum faciendũ. aduertit tamen Sanchez non eſſe licitum permittere, vt magus applicet mihi ſuperſtitioſum medicamentũ, quia tunc ego cõſentirem, & poſitiuè concurrerem ad vſũ medij illiciti. Demum aduertit, quòd ſi eſſet ſpes, quod Magus mea admonitione vſurus eſſet medio licito, tenerer lege charitatis illum admonere, & idem docet *Suarez in fine illius capitis.*

Quando petens eſſet dubius, an Magus noſcat media licita ad ſoluendum maleficium, Sanchez putat, non eſſe licitum ab illo poſtulare deſtructionẽ maleficij, quia præſumptio eſt contra ipſum, & laudat pro hac ſententia *Martinum del Rio l. c. n. 13.* quam ſententiam ſequitur *de la Torre l. c. ver. Dico quarto.* Addit tamen eſſe interrogandum eſſe Magum, vt aperiat media, quæ habet pro diſſolutione maleficij, & ſi ea manifeſtare renuat, ait, eſſe vehementem ſuſpicionem contra ipſum; ſi vero manifeſtata erunt licita, ſeruandũ eſt id, quod ſupra dictum eſt. 5

Nullo modo abſque graui peccato peti poteſt ab ipſo dæmone, vt medio etiam licito ſoluat maleficium. Ita *Sotus lib. 4. ſent. diſt. 34. qu. vnica ar. 3. ver. Quo ſi quis, Martinus Del Rio loco cit. Sanchez in dicta diſp. 95. n. 15* Contra quemdã, qui vocatur *Briancorus in lib. ſent.* qui 6

affirmat id eſſe licitum. Ratio pro noſtra concluſione eſt manifeſta; nam omnis familiaritas cum Dæmone eſt nobis interdicta: at talis petitio includens preces eſt quædam familiaritas, & amicitia, proinde illicita. poterit tamen Dæmon imperio cogi ad ſoluendum maleficium, ſed id fieri debet medijs exorciſmis ab Eccleſia approbatis, & à perſona habente ius in tale exercitium.

7 Eſt omnino reijcienda opinio *Nicolai Remigij lib. 3 de monol. cap. 3.* quam refert *Del Rio*, & *Torres*, aſſerentis licere à Mago petere verberibus, & minis, vt maleficium maleficio diſſoluat, quamuis non liceat precibus id poſtulare. Attamen hæc opinio eſt falſa, quia petere opus intrinſecè malum neque precibus, neque minis cohoneſtari poteſt, ſiuè fiat petitio à priuata perſona, ſiuè à publica, vt à Iudice; nam minæ, & verbera non ſpoliant maleficium malitia illa intrinſeca, quam habet, & ita docet *Raphael vt ſupra v. eo giſdem Sanchez diſp. cit.*

SECTIO SECVNDA.

An ſine ſcandalo actiuo interdum liceat petere iuramentum ab eo, quem ſcio iuraturum falsò, vel per falſos Deos.

SVMMARIVM.

1 *Non licet, ſine rationabili cauſa, petere iuramentum ab eo quem ſcimus eſſe peieraturum.*
2 *Iudex ad inſtantiam partis poteſt, & debet petere iuramentum ab eo, quem priuata ſcientia ſcit eſſe peieraturum.*
3 *Quod etiam procedit ſi ſponte ſua, abſque inſtantia partis id faciat.*
4 *Poteſt etiam actor, qui ſit priuata perſona, ſi habeat rationabilem cauſam, petere à Iudice, vt exigat iuramentum ab eo, quem ſcit eſſe peieraturum.*
5 *Maior cauſa requiritur ad petendum iuramentum à nõ parato, quam à parato.*
6 *Quæ dicta ſunt de actore principali, intelligenda ſunt etiam de minus principali, vt de procuratore, &c.*
7 *An extra iudicium poſſit peti iuramentũ ab eo, qui eſt peieraturus.*
8 *Quæ dicta ſunt de iuramento aſſertorio, proportionaliter applicari poſſunt iuramento promiſſorio.*
9 *Vt quis licitè poſſit petere iuramentum, ſine cauſa proportionata, quæ notitia de futuro periurio requiritur.*
10 *Non poteſt quis petere iuramentum ab alio, quem ſcit falſum eſſe iuraturum, licet hic bona fide putet ſe verum iurare.*
Quod limitatur à Sanchez. 11
Licet fideli, ex rationabili cauſa, petere iuramentum ab infideli, qui iuraturus ſit per ſuos falſos Deos. 12
Quod limitatur, quando infidelis habet notitiam veri Dei, ſecus ſi non habeat. 13
Quæ nam cauſa requiritur ad licitè petendum iuramentum ab infideli. 14
Eſt peccatum mortale, an veniale, ſine ſufficienti cauſa, petere iuramentum ab infideli parato ad iurãdum per ſuos Deos. 15
Eſſe mortale ſuſtinet author. 16
Non licet explicitè petere iuramentum per falſos Deos ab infideli; etiam in eo caſu in quo poſſumus licitè petere iuramentum, etiam ſi ſciamus ipſum iuraturum per ſuos Deos. 17

IN hac materia ſine controuerſia eſt, non eſſe licitum inducere alium ad iurandum, quando inducens ſcit illum fore peieraturum, & nulla adeſt rationabilis cauſſa poſtulandi iuramentum. *Ita Vaſquez in 1. 2. d. 102. c. 6. Baſilius Pontius lib. 5. de matr. cap. 18. §. 8. Suarez tom. 2. de relig. lib. 3. cap. 14. num. 14. Leſſius de iuſtit. lib. 2. cap. 42. num. 49. Sanchez in ſumma lib. 3. cap. 8. num. 1. Caſtropalao in ſuo opere morali par. 3. diſp. 1. p. 10. num.* 1. & communiter alij. ratio autem eſt facilis, quia, & ſi tale iuramentum poſſit benè, & malè fieri; tamen hic, & nũc ob generalem charitatis legem, teneor impedire peccatum proximi eo tempore, quo ſine vllo meo incommodo fieri poterit; proindè cum nulla, vt ſupponitur, occurrat neceſſitas petendi iuramentum à tali perſona præſtandum, non poſſum abſque peccato ſcandali inducere illum ad iurandum. & idem ego ſentio, quando cauſſa poſtulandi iuramentum eſt parui momẽti; nam vt dicemus infra licitè poſſumus permittere peccatum proximi, & vti eius malitia in noſtrum commodum, quando ex 4
parte noſtri concurrit legitima, & proportionata cauſſa nos excuſans, quæ non ſẽper debet eſſe eadem, ſed maior, & minor ſecundum occurrentes circumſtãtias, vt infra explicabimus.

Iudex ad inſtantiam partis poteſt, & de- 2
bet per ſe loquendo petere iuramentum ab eo, quem ſcit priuata ſcientia falsò eſſe iuraturum. eſt communis opinio, quam docet *S. Tho. 2. 2. qu. 98. ar. 4. in corpore, & alibi Rodriquez in ſumma in 2. edit. c. 191. n. 6. Portellius in addit. ad dubia regul. v. Iurament. n. 22. Suarez, Sanchez, Pontius, Leſſ. ll. cc.* & quamplures, quos laudat idem *Sanchez n. 2.* Ratio eſt, quia ita expedit bono communitatis; nam Iudex tenetur exercere ſuum munus, & præſer-

ſertim parte vrgẽte; debet enim procedere ſecundùm publicam, & non ſecundũ priuatam illam notitiam, quam habet, alioquin ſi licitum foret vti illa ſcientia priuata, ſæpe ſæpius multa, & grauia incommoda ſequerentur in republica.

3 Aliqui limitant prædictam opinionem, quando Iudex ad inſtantiam partis exigit iuramentum, & aiunt non eſſe licitum, ſi ſponte ſua id faciat, ita multi, quos laudat idem Sanchez n. 3. ſed oppoſitum eſt tenendum, nam interdum quamuis nulla ſit pars, quæ vrgeat ad iuramentum, nihilominus Iudex vt ſatisfaciat proprio muneri, debet iuramentum exigere, vel à teſtibus, vel à reo: & ita ſentit Sanchez. Attamen duæ conditiones videntur deſiderari ad hoc, vt Iudex licitè exigat iuramentum ab eo, quem ſcit peieraturum, prima, vt id faciat ſeruato ordine iuris, ſecunda, quòd non ſuppetat alius modus, per quem poſſit adimplere id, quod debet ex ſuo officio, nam ſi alia via poſſit, teneretur lege charitatis vitare, & impedire tale iuramentum, vt bene notant Sanchez & alij.

4 Loquendo autem de actore, qui eſt priuata perſona, & vrget apud Iudicem, nõnulli cenſent peccare, ſi petat à Iudice, vt exigat iuramentum ab eo, quem ſcit peieraturum, & fundant hanc ſententiam in eo, quod ceſſant reſpectu ipſius actoris illæ rationes, ob quas Iudex excuſatur, & ipſi actori nulla vtilitas prouenit ex periurio alterius; & ideo hanc opinionem ſequuti ſunt *Petrus Ledeſma in ſum. tom. 2. tract. 11. cap. 5. dub. 6. ad tertiũ. Maior in 3. ſentent. diſp. 39. quæſt. 3. ad ſecundum. Panormit. cap. Clericos nu. 2. de cohabit. cleric. Syluius in 2. 2. qu. 98. ar. 4. concl. 2.* Sed oppoſitum eſt omnino tenendum cum communiori ſententia, quam tuentur reliqui *Suarez*, *Sanchez*, *Leſ. Baſilius Pontius*, quibus addo *Malderum in 2. 2. tr. 10. cap. 6. de Iuramento dub. 9. concl. 2. Portellium loco ſupra citato, & alios*. Ratio eſt, quia ex vna parte petens iuramentum, petit aliquid, ad quod petendum ius habet: ex alia vero parte poſtulat aliquid, quod ab eo, à quo poſtulatur, poteſt præſtari ſine peccato; licèt de facto ipſe non ſit præſtiturus ſine peccato, & ideo poſita cauſſa rationabili ex parte petentis, illa præuiſio, quod alius ex ſua malitia ſit peccaturus, non reddet malam petitionem; cauſſa autem rationabilis excuſans petentem, & cohoneſtans eius petitionem multiplex eſſe poterit: & primò poterit eſſe particulare bonum ipſius petentis, v. g. ſi id expediat ad ius ſuum tuendum, vt ſi tale iuramentum ſit neceſſarium ad decidendam litem; vel quia hoc pacto melius detegerentur fraudes aduerſarij, & ſic conuinceretur apud Iudicem. hæc, & multa alia commoda excogitari queunt; quibus concurrentibus cohoneſtetur petitio ipſius partis; fateor tamen quando nulla occurrit neceſſitas, neque vtilitas alicuius momenti reſpectu ipſius actoris, non poſſe exigere iuramentum, neque inſtare apud Iudicem, vt exigat iuramentum, ab eo quem ſcit, fore peieraturum; nam tunc vrget charitas ad vitandum ſcandalum illud paſſiuum, ſeu peccatum periurij, vt docet *Sanchez num. 4.* & alij.

Maior autem cauſſa, & vrgentior requiritur ad petendum iuramentum ab eo, qui non eſt paratus, quam ab eo, qui eſt paratus. ita communiter Doctores. 5

Quæ diximus de actore principali, intelligimus etiam de procuratore, vel alia ſimili perſona legitima, cuius officium eſt agere cauſſam actoris; nam poterit petitio etiam eſſe licita ob aliquam vtilitatem ipſius procuratoris, vel ad vitandũ aliquod incommodum; poteſt enim contingere, vt ſi ipſe procurator omittat facere inſtãtiam apud Iudicem, vt exigat iuramentũ à reo, vel à debitore, poterit inquam contingere, vt ipſe procurator arguatur malæ, aut negligentis adminiſtrationis, aut det anſam, ne actor principalis ſuſpicetur malè contra ipſum procuratorem, v. g. de præuaricatione, & pacto inito cum parte aduerſa, vel quid ſimile. ita *Suarez cap. cit. num. 16.* 6

Extra iudicium, quamuis multi dicant eſſe peccatum mortale, petere iuramentum ab eo, qui eſt peieraturus, & citari ſoleant *S. Aug. ſer. 11. de ſanct. S. Th. 2. 2. q. 98. art. 4. & in 3. diſt. 39. quæſt. vnica a. 5. quæſtiuncula 2. ad. 2. S. Bon. ibidem ar. 2. q. 3. ad 2. Sotus lib. 5. de iuſtit. q. 2. a. 4. & alij.* tamẽ hi debent explicari quod loquantur, quando ex parte petentis nulla occurrit cauſſa rationabilis excuſans. At *Baſilius Pontius lib. 5. cap. 18. §. 8. cit.* expreſsè ait, non licere extra iudicium priuatæ perſonę petere iuramentum ab eo, qui creditur iuraturus falſum. at contrariũ ego cenſeo cum alijs; nam interdum poteſt dari ex parte petentis aliqua neceſſitas, qua occurrente, licitum erit petere iuramentum ab eo, qui eſt peieraturus, ſiuè ad hoc fuerit paratus, ſiue non, & ita docent *Suarez cap. cit. n. 17. Sanchez in ſum. vbi ſupra n. 6. & 7. & Caſtropalao par. 3. tract. 14. diſp. 1. p. 10. num. 9.* notat in fine numeri ſeptimi leuiorem cauſſam requiri, vt id petatur à parato, quam à non parato ad taliter iurandum, quãuis vtroque modo proportionata cauſſa requiratur, aliter foret moralis conſenſus in periu-

iurium, & non ſola permiſſio; quanta autem, & qualis debeat eſſe iſta neceſſitas nõ declarat. Sanchez ibid. ait, non oportere eſſe præuiſam neceſſitatem, ſed ſatis eſſe notabilem vtilitatem, & *Suarez num.* 14. exponendo ſecundam conditionem, quæ deſideratur ad cohoneſtandam hanc petitionem, docet debere concurrere aliquam neceſſitatem, vel ſaltem vtilitatem aliquã, vt petens ius habeat, quo poſſit permittere peccatum alterius, & non teneatur illi cedere.

8 Applicantur ab eiſdem doctoribus, quæ hactenus dicta ſunt de iuramento aſſertorio, ad iuramentum promiſſorium. ita *Sanchez num.* 7. 8. *&* *Suarez num.* 18. *Caſtropalao p.* 9. *num.* 11. nam ſi quis v.g. ineat contractum, ſeu inſtrumentum publicum cum alio, in quo ille alius promittat ſe facturum hoc, aut ſoluturum tot, vel tot nummos, & alter contrahens ſciat, vel probabiliter credat, quod iurans non habeat animum adimplendi ea, quæ promittit, tunc poterit concurrere cauſſa rationabilis, vt iſte in bonum ſuum permittat peccatum alterius v. g. ſi illud iuramentum eſſet neceſſarium ad firmitatem proprij iuris, & vt poſſit melius poſtea exigere quod promittitur, hæc, aut ſimilia erũt ſufficientia ad cohoneſtandam hanc actionem ex parte illius, in cuius gratiam fit contractus, & iuramento firmatur: at ad hoc licitè permittendum requiritur, vt dixi, cauſſa proportionata ex parte petentis; non enim ſat eſt quælibet leuis neceſſitas, aut leuis vtilitas; & ideò hæc arbitrio prudentis ſunt determinanda, ſpectata neceſſitate, & vtilitate vnius, qui ſecundùm leges charitatis non ſit hic, & nunc obligandus cum ſuo notabili diſpendio cedere, & non permittere periurium alterius: requiritur etiam ex parte iurantis poſſibilitas ad iurandum verum, & cum animo illud adimplendi; nam ſi occurrant tales circumſtantiæ, vt alter contrahens, à quo petitur iuramẽtũ, nequeat adimplere ea, quæ promittit; tunc cenſeo non poſſe aliũ exigere ab iſto, iuramentũ, vt faciat, aut ſoluat id, quod non poteſt, quia tunc nõ peteretur ab eo iuramẽtum vt ſic, ſed periurium; ac proindè petitio foret illicita, vt in ſimili diximus ſupra, dum petitur à mago ſolutio maleficij, quando ſcitur nullum aliud ab ipſo mago cognoſci medium, niſi aliud maleficium; videtur enim par ratio. at hic occurrit difficultas, an in hoc caſu ſit licita petitio, quando vnus ex cõtrahentibus non ſcit certò, ſed dubitat, an ille alius habeat poſſibilitatem præſtandi quæ promittit. cæterum huic difficultati eſt ſatisfaciendum per ea, quæ mox dicturi ſumus.

Dubitatur apud Doctores, quænam notitia requiratur de periurio, quod alius eſt patraturus ad hoc, vt quando nulla eſt proportionata neceſſitas, aut vtilitas ex parte petentis, illicita reddatur petitio iuramenti. ad hanc difficultatem aliqui apud *Suarez num.* 9. quos ipſe non nominat, putant quod ſi quis eſt dubius, an ille, à quo petit iuramẽtũ, ſit peieraturus, nõ poteſt abſque peccato tale iuramẽtũ poſtulare, quia ſe exponit periculo inducendi alium ad periurium faciendum. ſed hæc opinio eſt reijcienda, ſicuti de facto, & benè reijcitur ab eodem Suarez, aitque eam eſſe contra S. Auguſtinum, & S. Thomam, & alios Doctores, inter quos eſt *Sanchez cap.* 8. *cit. num.* 9. *&* *Caſtropalao p. cit. num.* 3. & in ea debent eſſe omnes hi, qui requirunt vehementem ſuſpicionem, aut opinionem. Ratio contra prædictam ſententiam eſt, quia in dubijs nemo eſt præſumendus quod faciat actionem malam, ſi eam modo licito exercere queat; idcircò aio, ad hoc vt aliquis, ſine cauſſa neceſſaria, aut vtilitate excuſante, non poſſit licitè petere iuramentum ab alio, requiri, vt determinatam habeat credulitatem, quod ille alius ſit falſum iuraturus; & ita ſentit ipſe *Sanchez*, & apud ipſum *S. Thomas, Gabriel, Syluester, Armilla, Sayrus, in claui regia lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 2. 3. & idem videtur docere *Suarez l. c. & Sotus lib.* 8. *de iuſtit. q.* 2. *a.* 4. *in fine corporis*, & alij. addit tamen Sanchez ex multis, ſufficere vehementem ſuſpicionem, nã vehementer ſuſpectus de periurio non eſt permittendus vt iuret, vt colligitur ex ſacris canonibus *cap. Clericos. num.* 2. *de cohab. cler.* & ratio eſt, quia opinio, vel vehemẽs ſuſcipio in his materijs æquiualet morali ſcientiæ.

Eſt alius caſus, qui ſæpe occurrere poterit v. g. Petrus ſcit Franciſcũ non eſſe in Theologia graduatũ: at Paulus ductus quibuſdam rationibus certò putat eſſe graduatum, quamuis decipiatur, ſed bona fide. quæritur an Petrus poſſit inducere Paulum ad iurandum, quod Franciſcus gradum doctoratus in ſacra Theologia ſumpſerit. Reſpondent communitèr negatiuè, nam quamuis Paulus iurando, verùm formaliter iuraret; tamèn in re iuraret falſum, & adduceret Deum in teſtem alicuius realis falſitatis; proindè Petrus hoc ſciens, ſi peteret tale iuramentum, quantum eſt ex parte ſui, foret cauſſa iurandi falſum; & ſic tenent *Suarez num.* 8. *Azorius tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 11. *q.* 2. *Sanchez num.* 10. *Portellius l. c. Caſtropalao p. cit. num.* 2. 10

Limitat tamèn hãc doctrinam Sanchez in caſu, in quo Paulus ſine inductione facta 11

ta ab ipſo Petro ſpontè ſe offert ad iurandam rem illam, quam certò putat ita ſe habere, quamuis decipiatur, & Petrus id ſciat, nam tunc Petrus exiſtente cauſſa ſufficienter rationabili, poterit paſſiuè ſe gerens acceptare tale iuramentum.

12 Quandò eſt neceſſitas, licitum eſt ab infideli petere iuramentum, licet ſciam eũ eſſe iuraturum per ſuos falſos Deos. eſt certa ſententia, quæ habetur ex S. Auguſtino, qui refertur *cap. Mouet 2. 2. quæſt. 1. & ex S. Thoma 2. 2. q. 98. a. 4. ad quartum. Sanchez cap. cit. num. 11. Suarez lib. cit. cap. 12. num. 3. Caietano in 2. 2. l. c. Reginaldo lib. 18. num. 20. Bonacina in decalog. d. 4. q. 1. p. 11. num. 12. v. Addo. Soto, Couarr.* & communiter ex alijs. & ratio eſt eadem, quæ ſupra, nam ſtante aliqua neceſſitate poſſum ego ab alio petere id, quod ille alius ſine peccato poteſt præſtare, etiam ſi præuideam ex ſua malitia id non eſſe præſtiturum abſque peccato; & ideò fidelis in caſu poſito à pagano non petit, quod iuret per falſos Deos; nam id petere foret malum, ſed ſolum exigit, vt iuret; iuramentum autem poteſt licitè, & laudabiliter fieri, & eſt actus religionis.

13 Requirit Suarez, & Sanchez, vt ille infidelis aliquam habeat notitiam ſaltem confuſam veri Dei, ita vt poſſit per verum Deum iurare, ſi ipſe velit; nam ſi omnino verus Deus ſit illi ignotus, hic, & nũc foret impoſſibile illi iuramentum licitum; & ideò implicitè à tali perſona perinde eſſet petere iuramentum, ac petere illicitum iuramentum; ſicuti ſupra in ſimili diximus de malefico, cui ſi prorſus ſit ignotum quodcumque medium licitum ad diſſoluendum maleficium, & ſolùm ſciat illud deſtruere per medium illicitum, per maleficium videlicet, &c. tunc, vt probauimus non foret licitum à tali mago petere ſolutionem maleficij, quia non poſſet illam facere abſque peccato; ſic, & in caſu noſtro: cenſent tamen prædicti Authores moralitèr ſemper haberi hanc conditionẽ, dum fidelis ab infideli iuramentum poſtulat, nam tunc dicunt non poſſe infidelem non habere famam illius Dei, per quam fidelis ſolet iurare: ſed iſta ratio, niſi aliud addatur, non placet, quia poſſet euenire, vt non obſtante quod fidelis exigat iuramentum, infidelis ille nõ habeat notitiam, & famam alterius Dei, vel quia ignoret illum, qui petit eſſe fidelem, vel quia ſi hoc ſciat, careat tamen notitia prędicta ſufficiente ad hoc, vt poſſit ſi ipſe velit, iurare per verum Deum. Idcirco mihi videtur dicendum quod communiter, & per ſe loquendo infideles hodię ferè omnes habent confuſam notitiam Dei, quem adorant fideles, & hoc quia inter ipſos eſt commercium tale, vt ex illo acquirere ſine dubio potuerint talem cognitionem.

Difficultas eſt de neceſſitate requiſita ad hoc, vt fidelis poſſit licitè ab infideli iuramentum poſtulare, ad quod dico multiplicem concurre poſſe, vel ad firmandũ contractum mutui, emptionis, venditionis, &c. vel ad teſtandum aliquid, quod interſit fideli, vel ob aliquam cauſſam ſimilem. ita Suarez, Sanchez, & alij. Quapropter non ſunt audiendi nonnulli qui exigunt ad cohoneſtandam hanc petitionem, vt fiat ob ſolum publicum bonum; cenſeo enim ſufficere bonum priuatum. 14

Poteſt hic aliquis inquirere, quodnam peccatum ſit, mortale, an dumtaxat veniale, petere iuramentum ab infideli, parato ad iurandum per ſuos falſos Deos, quando nulla ex parte petentis concurrit neceſſitas, aut proportionata vtilitas. Ad hoc dubium reſpondet *Sanchez num. 22. & 23.* quod licet probabilius ſit fore peccatum mortale, & hoc ob leges vniuerſales ſcandali, obligante nos charitate, & præcepto fraternæ correptionis ad vitandum peccatum proximi, quando id fieri poterit abſque noſtro damno, tamen ſubdit probabile videri, non eſſe, niſi peccatum veniale. id confirmare nititur à paritate deſumpta ex petente mutuum ab vſurario ſine neceſſitate; & quia affert nonnullos aſſerentes, id eſſe ſolùm culpã venialem, idcircò eodem modo philoſophatur in hoc caſu concludens *num. 24.* probabilius fore culpam mortalem; at probabile fore venialem. 15

Cæterum oppoſitũ docent *Suarez cap 13. cit. num. 8. & Caſtropalao p 9. num. 6.* quibus ego aſſentior. Ad fundamentum autem, cui innititur Sanchez reſpondeo, negando paritatem, nam per ſe loquendo in petitione mutui ab vſurario parato, ſẽper ex parte poſtulantis, concurrit aliqua neceſſitas, vel vtilitas, ſaltem illa, quæ habetur ex poſſeſſione pecuniæ datæ ſub vſuris; nam cum ille mutuatarius poterit media aliqua negotiatione licita aliquid lucrari, & per conſequens aliquam reportare vtilitatem, quæ licet interdum non ſit grauis, & notabilis; tamen poterit eſſe ſufficiens ad excuſandam petitionẽ à culpa mortali, & non a veniali: at non video quale commodum reportare valeat, petẽs iuramentum ab ethnico, quando nulla eſt neceſſitas, vel vtilitas ex parte ipſius petentis; neque illud iuramentum relinquit aliquem effectum, ex quo poſſit, illud petens, aliquam rem lucrari; idcircò non valet paritas, & hoc dictum ſit ex ſuppoſitione, quod illa petitio mutui in eo caſu 16

non

non ſit peccatum mortale, nam in præſentia de tali mutuo nihil determino, acturus infra de illo.

17 Aliam dubitationem proponit Sanchez *nu.* 25. videlicet, an in caſu, in quo licitũ eſt mihi petere iuramentum ab ethnico, etiam ſi ſciam illum fore iuraturum per ſua idola; ita vt quamuis poſſit iurare per verum Deum, tamen nolit alio modo, niſi per falſos Deos iurare; an inquam in tali caſu ſine peccato poſſim petere explicitè ab illo, vt iuret per falſos Deos. reſpondet ad difficultatem hinc indè examinando rationes, & quia putat mutuatarium poſſe licitè petere ab vſurario parato explicitè, vt det illi mutuum ſub vſuris, quãdo eſt certus, quod alio modo non ſit daturus mutuum, niſi ſub illis, diſtinguendo in tali petitione duo obiecta, vnum per ſe directè intentum, nempè mutuum, aliud permiſſiuè, videlicet ſub vſuris, ita vt ſenſus ſit: da mihi mutuum, & ſi nolueris dare ſine vſuris, illas tibi ſoluam, vel quid ſimile; ideò idem aſſerit in caſu noſtro dicens eamdem eſſe paritatem de petente iuramentum ab infideli, quando ſcit, nolle alio modo iurare, niſi per falſos Deos; licet, ſi vellet, poſſet licito modo iurare. hæc autem opinio non placet *Val.* 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 7. *p.* 3. *Salonia q.* 87. *art.* 4. *controu.* 2. *in fine & Caſtropalao p.* 9. *num.* 10. ſed melius eſt dicendum cum *Suarez cap. cit. n.* 10. & 11. in hac materia cauendum eſt, ne nimia licẽtia detur, & præbeatur occaſio ſcandali; & ideo aio, quod formula illa loquendi non placet, ſicuti non placuit *Baſilio Põtio lib.* 5. *de matrim. cap.* 18. §. 7. *nu.* 49. & ratio eſt, quia illa propoſitio, cum petitur mutuum ſub vſuris, eſt propoſitio talis actus, qui ſine peccato ab eo, cui proponitur, exerceri non poteſt; proinde ſecundum generales regulas ſcandali eſt illicita; nequimus enim ab alio petere actũ, qui eo modo, quo petitur ab illo, ſine peccato fieri non poteſt: ſed dato, quod talis petitio poſſit cohoneſtari, de qua re infra; tamen illa admiſſa, nego paritatem, & diſparitas eſt manifeſta; nam poſſet euenire, vt ſimpliciter petendo mutuum, & non exprimendo me daturum vſuras, mutuans nolit dare mutuum, quod tamen dabit allectus oblatione illa vſurarum, quas ipſe forſitan ob verecundiam nolebat petere: at ille modus petendi iuramẽtum per falſos Deos nunquã videtur moraliter loquendo fore neceſſarius, nam infidelis, vt rectè notauit Suarez ſine difficultate conditionem iurandi acceptabit, dummodò ab illo non petatur iuramentũ per Deum, quem fideles adorant, ſed ſimpliciter petatur iuramentum, relinquendo in eius libertate modum iurandi ſiuè per verum, ſiue per falſos Deos, abſque eo quod illi proponatur explicitè formula illa iurandi per falſos Deos, quæ quidem formula eſt apta graue generare ſcandalũ; & ideo ex dictis patet, non eſſe eamdem paritatem de petitione ſub explicita oblatione vſurarum, & de petitione iuramenti ſub explicito modo iurandi per falſos Deos.

SECTIO TERTIA.

Quando committant peccatum ſcandali accipientes mutuum ab vſurario.

SVMMARIVM.

Non poteſt abſque graui culpa, peti mutuum ab vſurario parato, ſi petatur abſque neceſſitate. 1
Secus ſi ex aliqua neceſſitate petatur. 2
Et quænam ſit talis neceſſitas? 3
Quid ſignificet vſurarium eſſe paratum? 4
Eſt peccatum graue petere mutuum ab vſurario parato ſine neceſſitate. 5
Poteſt quis ex neceſſitate petere mutuum à non parato, quem præuidet non daturum ſine vſuris; ſed maior cauſa requiritur ad petendum à non parato quam à parato. 6
An ſub explicita oblatione vſurarum liceat petere mutuum ab vſurario, &c. 7

Sine vlla neceſſitate propria, aut aliena petere mutuum ab vſurario parato, quem ſcimus non daturum mutuum abſque vſuris, eſt peccatum graue. 1 ita *Molina tom.* 2. *de iuſtit. diſp.* 335. *concl.* 4. *Sotus lib.* 6. *quæſt.* 1. *ar.* 1. *Baſilius Pontius de matr. lib.* 5. *cap.* 18. §. 7. *num.* 46. *Syluius* 2. 2. *quæſt.* 43. *ar.* 4. *quæſt.* 2. *cõclu.* 1. *Vaſquez opuſ. de ſcandalo dub.* 3. & *alij*. Ratio eſt illa vniuerſalis, de qua ſæpe egimus, ſcilicet nos teneri lege charitatis impedire peccatum proximi, quãdo id ſine noſtro incommodo fieri poteſt; at cum nulla occurrit neceſſitas ſumendi pecuniam mutuam ab vſurario præſertim non parato, poſſumus impedire peccatum mortale illius abſque noſtro incommodo, ergo ad id obligamur.

2 Quæcumque mediocris neceſſitas eſt ſufficiens ad hoc, vt petamus mutuum ab vſurario parato. eſt communis opinio prædictorum authorum ſequentium S. *Thomã* 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 4. fundamentum huius concluſionis eſt, quia concurrente rationabili cauſſa, poſſum ab alio petere actionem ex ſe indifferentem, & quam ille alius exercere poteſt, ſi velit, abſque peccato, quamuis ex malitia ſua non ſit illam fac-

facturus ſine peccato; proinde ex hoc principio, quod eſt veriſſimum, colligunt communiter doctores licitam eſſe petitionem mutui ab vſurario, quando ex parte petentis occurrit aliqua neceſſitas, & mutuum poſtulat à parato.

3 Qualis autem, & quanta eſſe debeat iſta neceſſitas paſſim non declarant authores. mihi tamen videtur dicendum, certum eſſe non requiri extremam, aut grauem neceſſitatem, ſed eam, quæ oritur ex carentia eorum, quæ exiguntur a conuenientia proprij ſtatus; & amplio, etiamſi pecuniæ forent neceſſariæ pro apparatu veſtimentorum, ludis publicis, vt ſunt torneamenta, ſingulare certamen equeſtre, & ſimilia, ſi eorum omiſſio redundaret in aliquam ignominiam, ſeu dedecus ipſius, qui petit mutuum: vt eueniret, ſi multi eiuſdē conditionis, & nobilitatis ex aliqua rationabili occaſione cōuenirēt ad ſimiles ludos efficiēdos *Caiet. in q. 78. art. 4. S. Tho. in. 2. 2. Sotus lib. 6. de iuſtit. queſt. 1. art. 3. Pontius l. c. & alij*.

4 Vſurarium eſſe paratum in præſentia, non intelligitur actu habere intentionem dandi mutuum ſub vſuris, & pecunias habere actu expoſitas, ſed ſignificat habitu, ſeu conſuetudine eſſe talem, quamuis eo tempore, quo mutuo petitur pecunia, actu nihil de tali mutuo cogitet. ita *Vaſq. opuſc. de ſcandalo queſt. 43. art. 4. dub. 3.*

5 Quando autem nulla eſt neceſſitas accipiendi mutuum ab vſurario parato, nonnulli affirmant eſſe ſolum peccatum veniale; vt Caiet. Sotus ll. cc. *Petrus Ledeſma in Summa tom. 2. tract. 8. cap. 33. poſt 29. concl. dub. 2. Nauar. in Manuali c. 17. n. 262. Emanuel Sà v. Vſura num. 5.* quam opinionem probabilem exiſtimat *Sanchez lib. 3. in decal. cap. 8 n. 23* & eā ita probat, vt videatur verè illa ſibi placere: oppoſitam tamen defendūt *Syluest. v. Vſura 6. q. 1. Molina tom. 2. diſp. 335. Val. in 2. 2. d. 5. q. 21. p. 4. Conradus de contractibus quaeſt. 47. Baſilius l. c. n. 46. Vaſ. dub. cit. n. 33.* Et hæc ſententia eſt amplectenda; nam ſecundum regulas generales, quæ ſunt veluti principia in hac materia de ſcandalo, vnuſquiſque ex lege charitatis tenetur impedire peccatū proximi, quando ſine proprio damno, & incommodo poteſt; aliter ſi hoc principium non eſſet vniuerſaliter firmum, & in hac materia accipiendi mutuum ab vſurario parato non militaret, ego dicam non militare etiam in alijs caſibus; ac proinde ſemper eſſet verum poſſe à nobis ſine peccato mortali exerceri opus indifferens, licet præuideamus alium ex illo ſumpturū occaſionem peccandi mortaliter, quod nemo eſt, qui dicat. Ergo in hac materia de vſura; ſi illud principium eſt firmum, ſicut debet eſſe, dicendum eſt non poſſe aliquem, ſine vlla prorſus neceſſitate petere mutuum ſub vſuris, quamuis mutuans paratus ſit.

Si quis habet neceſſitatem petendi mutuum ab aliquo, qui non eſt paratus ad recipiendas vſuras, ſed petens præuidet illum non daturum mutuum ſine vſuris, non poſſe à tali homine non parato peti mutuum cenſet *Baſilius l. c.* & in eadem ſententia videtur eſſe *Vaſquez dub. cit. at Suarez in 3. p. diſp. 18. ſect. 1 Sanchez l. 3. decal. cap. 18. n. 20.* affirmant id eſſe licitum: notant autem maiorem cauſſam requiri, vt poſſit peti mutuum à non parato, quam à parato recipere vſuras. & hæc vltima ſententia mihi magis placet ex regulis generalibus ſcandali, nam quoties ex parte vnius concurrit ſufficiens cauſſa exercendi aliquam actionem, v. g. proferendi hæc, vel illa verba, & alius, ſi vellet, poſſet non ſcandalizari, tunc etiam ſi ego præuideam ſcandalum paſſiuum alterius, poſſum vti iure meo; ſic in caſu iſto: Petrus habet neceſſitatem habendi centum aureos, petit illos mutuo à Franciſco Mercatore non parato ad exigendas vſuras ex mutuo; tunc Franciſcus; ſi vellet, poſſet dare mutuum ſine vſuris. Quapropter tū voluntas exigendi vſuras, tum etiam exactio ipſa vſurarum non habet neceſſariam connexionem cum mutuo, & ideo Petrus petens mutuum à Franciſco, petit aliquid, quod à Franciſco licitè, ſi vellet, fieri poſſet: attamen, vt dixi, quando petitur ab illo, qui non eſt paratus, tūc maior cauſſa poſtulandi deſideratur in petente; quia in tali caſu Franciſcus mercator accipiēdo vſuras, peccabit non ex malitia, ideſt ex conſuetudine, ſed ex mera fragilitate, & ignorantia, & cum maior requiratur cauſſa ad excuſandum eum, qui actiue dat occaſionem ſcandali alicui, quando ille non eſt paratus, quam quando ille eſt paratus, & ſemper videtur eſſe in actuali quodam propoſito exigendi vſuras; inde eſt vt ad petendum mutuum a non parato maior requiratur cauſſa.

Inſurgit difficultas ſimilis illi, quam ſupra exagitauimus loquentes de eo, qui petit iuramentum ab Ethnico, quem præuidet iuraturum per falſos Deos: nempe, an poſſimus in aliquibus circumſtantijs licitè petere mutuū ſub explicita oblatione vſurarū; dicētes da mihi cētum aureos ſub vſuris, vel da mihi cētū, & ego reſtituā tibi centum, & decem: partem affirmatiuam tuetur *Molina tom. 2. de iuſt. diſp. 335. in 5. concluſione, & Sanchez l. 3. decal. cap. 3. num. 26. Salonius 2. 2. q. 78. ar. 4. controu. 2.* & in ea videtur eſſe S. *Antoni-* 7

nus par. 2. tr. 1. cap. 9. in fine vltimi paragraphi. citat alios Sanchez: at nonnulli ex illis id non dicunt. cæterum pro oppoſita ſententia ſunt alij doctores *Nauarrus cap. 27. num. 262. Aragonius 2. 2. q. 78. a. 4. dub. 1. ad vltimum*. *Caiet. ibidem, & nouiſſimè Pontius lib. 5. de matr. cap.* 18. §. 7. vtraque ſententia eſt probabilis: attamen in hac materia cautè eſt procedendum, quia in quibuſdam circumſtātijs propoſitio illa ſub formali expreſſione vſurarū facilè poterit eſſe inductiua peccati, & cōſequēter intrinſecè mala: at ſi penſatis omnibus expreſſio formalis vſurarum, ſolùm ſe habet expoſitiuè; ita vt vſurarius non inducatur ad mutuum dandum ſub vſuris, vi illius propoſitionis, ſed ex ſe ſit conſuetus id ita facere; ac proindè cognoſcat, quod petens non proponat inducendo, ſed ſolum quia nouit aliter mutuum habere non poſſe; tunc iudico nos ſequi poſſe primam ſententiam; in praxi tamèn conſulerem vt mutuatarius ſimpliciter petat mutuum, vel dicat (ſi nolit ille ſimpliciter dare mutuum, niſi ſub vſuris) ego ad meam neceſſitatem ſubleuandam ſoluam vſuras.

SECTIO QVARTA.

Vtrum poſſit quis ſine peccato ſcandali actiui deponere pecuniam apud vſurarium, & vinum apud tabernarium, credens illum daturum pecuniam ad vſuram, & iſtum venditurum vinum aquis permixtum.

SVMMARIVM.

2 *Licere deponere pecuniam apud vſurariū putant aliqui.*
2 *Alij vero putant id ſine cauſa non licere, ſi præuideatur ex illo depoſito, vſurariū fœneraturum.*
3 *Hanc concluſionem limitat author.*
4 *In eo caſu in quo deponens pecuniam peccat, an teneatur ad reſtitutionem vſurarum?*
5 Securitas *eſt ſufficiens cauſa depoſitionis pecuniarum apud fœneratorem.*
6 *Idem quod dictum eſt de depoſitione pecuniæ, dicendum eſt de depoſitione vini apud tabernarium, qui fraude eſt id venditurus.*

1 ALiqui non declarantes, an requiratur cauſſa ex parte deponentis, affirmant nullum eſſe peccatum, ſi quis deponat pecuniam apud vſurarium, quem prę uidet pecunia illa fœneraturum; & ita docent *Caiet. 2. 2 q. 78. a. 4. Bañes ibidem dub. 4. & q. 77. ar. 4. dub. 1. ad ſecundū. Aragonius in eadem 2. 2. q. 62. a. 5.* & quidam alij.

Alij verò aiunt requiri cauſſam proportionatam ad talem effectum, & rectè aſſerunt, quia nulla interueniente cauſſa, aut non ſufficiente, daretur vſurario materia exercendi vſuras, & peccandi contra iuſtitiam: quapropter deponens non excuſabitur à ſcandalo actiuo; & ita ſentit *S. Tho. 2. 2. q. 78. a. 4. ad tertium q. 3. de malo a. 14. ad decimumoctauum, Nauar. in ſumma c. 14. num. 40.* Sotus *lib. 6. de iuſtitia qu. 1. a. 5. ad ſecundum, Azor. tom. 2. lib. 12. cap. vltimo q. 2. Valentia 2. 2. diſ. 5. q. 21. p. vltimo, Rebel. lib. 8. de iuſtit. par. 2. q. 16. ſec. 4. nu. 20. Vaſq. in opuſ. de ſcandalo dub. 6. num. 54. Leſſius lib. 2. cap. 20. num. 184. Molina tom. 2. d. 331. Sanchez in decal. lib. 1. c. 7. n. 36. Caſtropalao de charitate trac. 6. pūct. 13. num. 1. Pontius de matr. lib. 5. cap. 18. §. 4. num. 23. & alij.* 2

Limitandam tamen puto eſſe hanc ſententiam, ea reſtrictione, quam l. c. in ſumma ponit S. Tho. quem ſequitur Vaſquez, videlicet tunc deponentem peccare, quando vſurarius non habet alias pecunias proprias vſuris exponendas: vel ſi habeat proprias, eaſque det ad vſuras, tamen amplius fœneraturus ſit, habita opportunitate pecuniarum depoſitarum; at ſi nihil amplius ſit fœnori daturus, pecunijs depoſitis, tunc deponens non peccabit. 3

Cenſent Vaſquez, & Pontius in eo caſu, 4
in quo deponens peccat, teneri etiā ad reſtitutionem illarum vſurarum, quas fœnerator lucratur medijs pecunijs depoſitis: & ratio eorum eſt; quia videtur, ſubminiſtrando materiam, qua alius abutitur contra iuſtitiam, cooperari peccato illius; ſicuti obligandus eſt ad reſarciendum dānum illatum, qui præbet enſem volenti iniuſtè occidere, aut vulnerare proximū. ſed non obligari deponentē ad reſtitutionē, etiāſi vſurarius det ad vſuras pecuniā depoſitam docent *Molina*, *Sanchez*, *Caſtropalao, Rebellius, Merolla tom. 1. theologiæ moralis diſp. 2. cap. 4. num.* 303. & alij. & hæc opinio eſt probabilior, quia pecunia illa depoſita videtur cauſſa nimis remota negotiationis vſurariæ, quia inter depoſitionem pecuniarum, & contractum vſurarium, ſeu ſolutiones vſuræ, mediat voluntas illius, qui accipit mutuum ad vſuram; in eius enim libertate erat non accipere tale mutuum, immò in ordine ad ipſum mutuatarium, deponens videtur facere rem gratam ſubminiſtrando pecuniam, ſicuti rem gratam faceret aliquis, qui vt miniſter ipſius mutuatarij inquire-

ret

Digitized by Google

rere pecuniam; nimis enim rigidum foret obligare deponentem non cooperantem, neque alio modo concurrentem, ad reſtituendas vſuras: neque valet paritas de præbente enſem ei, qui vult alium interficere: nam dare enſem, in illis circumſtantijs, arbitrio hominum, exiſtimatur cauſſa valdè proxima; idcircò non debet eſſe mirum teneri præbentem ad recompẽſandum damnum ſequutum; nam occiſus, aut vulneratus in ordine ad præbentem enſem non comparatur, ſicuti mutuatarius in ordine ad deponentem pecuniam apud vſurarios, nam ille inuoluntariè patitur damnum, non autem iſte: rurſus deponẽs facit illi rem gratam subminiſtrando pecuniam; non autem ille, qui præbet enſem.

5 Cauſſa autem excuſans à depoſitione pecuniarum apud fœneratorem, erit ſecuritas; nam ſi quis habet magnam pecuniarum ſummam, neque habet alium apud quem illam deponere valeat, tunc illa depoſitio cohoneſtabitur; ac proindè deponens non peccabit. ita *Caſtropalao l. cit.*

6 Circa depoſitionem vini apud tabernarios, quos præuideo, vel vinum aquis admixtum alijs vendituros, vel abſque ablatione alicuius malæ conditionis, quæ reperitur in vino, ſimulantes eſſe optimum, cariùs vendituros, vel minuentes menſuras, aut aliàs ſimiles fraudes eſſe facturos, circa depoſitionem inquam vini, idem eſt ſeruandum, quod diximus de depoſitione pecuniæ apud vſurarios: cæterum ſi loquamur de eo, qui vendit vinum ſuum his tabernarijs, res examinabitur infra, dum agemus de ſcandalo, quod ſolet exhiberi ab his, qui vendunt res indifferentes ijs, qui malè ſunt eiſdem rebus vſuri.

SECTIO QVINTA.

Vtrum ſemper ſit ſcandalum actiuum petere ſacramentum adminiſtrandum ab excommunicato, vel ab eo, qui eſt in peccato mortali.

SVMMARIVM.

1 *Refertur circa præſens quæſitum duplex oppoſita opinio.*

2 *Sententiam affirmatiuam ſuſtinet author, & probat.*

3 *Obiectionem ſibi opponit author, & ſoluit.*

4 *Soluitur ſecunda inſtantia in contrarium propoſita.*

5 *Limitatur ſupradicta ſentẽtia affirmatiua authoris.*

6 *Ob aliquam neceſſitatem peti poteſt adminiſtratio ſacramenti à ſacerdote, quem ſcimus ſacrilegium eſſe patraturum in ea adminiſtratione.*

7 *Limitatur prædicta concluſio, in caſu quo petens habet cauſam rationabilem petendi ſacramentum à tali ſacerdote.*

8 *Quæ vtilitas ſit cauſa rationabilis excuſans petitionem ſacramenti à ſacerdote peccaturo potius, quam ab alio non peccaturo.*

9 *Et quæ neceſſitas petitis ſit ſufficiens cauſa excuſandi à peccato ſcandali prædictam petitionem.*

10 *An ſit licitum, quando adeſt miniſter, qui ſine peccato poteſt miniſtrare ſacramentum, petere ſacramentum ab alio miniſtro peccaturo, ſi hic ſit toleratus, & paratus, &c.*

11 *An liceat abſque neceſſitate recipere ſacramenta, à quocumque miniſtro tolerato ab eccleſia, & parato, &c. & partem negatiuam ſuſtinet author.*

12 *Soluitur obiectio adducta à Soto contra ſententiam authoris.*

13 *An liceat petere ſacramenta ab improbo ſacerdote, qui ſit proprius paſtor petentis.*

14 *Refertur opinio authoris circa præſens quæſitum.*

15 *An liceat miniſtro abſque peccato ſcandali ſeruire ſacro, quod facit ſacerdos, quem ſcit eſſe in peccato.*

LOquendo priùs de eo, qui eſt excommunicatus, præmitto illum duplicem ſtatum habere poſſe; interdum enim eſt denuntiatus, & non toleratus: interdum verò toleratus, quo poſito.

1 Prima opinio vult eſſe peccatum ſcandali petere ſacramentum ab excommunicato tolerato, quia licet ex decreto Concilij Conſtantienſis non teneamur vitare, niſi excommunicatos denuntiatos, aut publicos clerici percuſſores; & ſic quamuis ratione excommunicationis, non aſtringamur lege eccleſiaſtica, ad non petendam ab excommunicato tolerato ſacramenti adminiſtrationem: tamen ex lege charitatis ad vitandum ſcandalum paſſiuum illius excommunicati, obligamur abſtinere à tali petitione; nam cum Concilium nihil ipſis excommunicatis ſuffragetur, vt communiter docent doctores, ſequitur ipſum excommunicatum ſe immiſcentem in diuinis, peccare mortaliter; ac proindè ſi quis petat ab ipſo ſacramentum, committet peccatum ſcandali actiui, quia petit actũ excommunicato prohibitum, nempè ſacramenti adminiſtrationem. & in hac ſententia eſt *Suarez tom. 3. in tertiam par. diſp. 11. de cenſuris ſect. 4. Vaſquez de ſcandalo dub. 4. Valentia tom. 4. d. 7. qu. 11. p. 3. Henriquez lib. 13. cap. 6. Sayrus lib. 2. de cenſ. cap. 2. num. 9. Nauarr. in*

ſumma cap. 9. num. 10. Baſilius Pontius lib. 5. de matrimon. cap. 18. §. 9. at alij cenſent nullum eſſe peccatum, ſiuè ſacerdos ille, qui debet adminiſtrare ſit proprius, ſiuè alienus, dummodo habeat iuriſdictionem ſiue ex parte recipientis inueniatur neceſſitas, ſiuè non, & ita videtur docere S. *Tho. 3. p. q. 64. a. 6.* & apertè id docent *Sotus in 4. d. 22. q. 1. a. 4. Sanchez l. 7. de matr. d. 9. n. 8. Lopez 1. p. inſtructorij cap. 19. Bonacina de cenſ. diſput. 2. q. 2. p. 2. §. 3. n. 4. Gaſpar Hurtado de Sacram. in genere diſp. 4. diff. 12. Ioannes Præpoſitus quæſt. 2. de excomm. dub. 8. n. 44. §. Paſtor excommunicatus,* vbi docet poſſe tùm paſtorem, tum alienũ Sacerdotem excommunicatum, toleratũ requiſitum ob populi vtilitatem die feſto celebrare.

2 Hanc ſecundam ſententiam exiſtimo probabiliorem, quam ſic probo. nam intantum peccaret petens ſacramenti adminiſtrationem ab excommunicato tolerato, inquantum cenſeretur cooperari peccato illius, & nulla concurrente neceſſitate aut vtilitate notabili ex parte ipſius recipientis illa petitio foret ſcandalum actiuum: at Sacerdos excommunicatus toleratus ex prædictis circumſtantijs non peccat. ergo neque peccabit petens. Maior eſt fundamentum contrariæ ſententiæ: minor probatur, quia prohibitio per quam excommunicatus priuatur facultate adminiſtrandi ſacramenta fidelibus, non eſt de iure naturali, aut diuino, ſed de iure eccleſiaſtico, igitur ſi in prædictis circumſtantijs ceſſet prohibitio, excommunicatus adminiſtrans contra nullum ius operabitur. ergo non peccabit. antecedens oſtenditur; nam licet Concilium Conſtantienſe directè per illud decretum ſolùm fidelibus non excommunicatis intendat fauere, & non ipſis excommunicatis, vt benè dicunt aduerſarij, nihilominus indirectè etiam ipſis excommunicatis fauet, quia iſta duo non videntur poſſe ſimul cohærere, videlicet nos non teneri vitare excommunicatos toleratos, & ipſos excõmunicatos communicãtes nobiſcum peccare; tunc enim maximè obligaremur ratione ſcandali actiui; ac proindè cenſeremur cooperari illorum peccato.

3 Neque dicas à Concilio ſolùm auferri excommunicationem minorem, & dum ait fideles non teneri illos vitare, loqui in ordine ad legem eccleſiaſticam, ne inquã hoc dicas, quia Concilium abſolutè determinat fideles non teneri hos excommunicatos vitare, quæ verba abſolutè prolata de ipſa met culpa verificantur, & veluti conſequenter de cenſura. & confirmatur ex intentione, quam concilium habuit ad illud decretum efficiendum; fuit enim eius intentio, vt habetur in eodem decreto, vt auferrentur ſcandala, & ſubueniretur conſcientijs timoratis: ſi igitur fideles peccarent communicantes cum talibus excommunicatis toleratis, & nihil aliud concederetur illis, niſi hoc, quod eſt, non incurrere in excommunicationẽ minorem, in quam incurrerent, niſi extaret tale decretum, Concilium non ſortiretur id quod voluit per ſupradictum decretum, quia ſcandala eodem modo permanerent, & conſcientiæ timoratæ, quæ magis timent culpam, quam excommunicationem, eodem modo cruciarentur, & magnis ſcrupulis vexarentur. maneat igitur ex dictis poſſe licitè à quocumque ſacerdote habente iuriſdictionem, quamuis excommunicato, ſi toleratus ſit, peti quæcumque ſacramenta abſque eò quod petens aliquam culpam committat.

Dices. Concilium Conſtantienſe in eo decreto apertè ait, ſe non intendere per illud decretum fauere ipſis excommunicatis; at valdè illis faueret, ſi requiſiti à fidelibus poſſint ſacramenta abſque vllo peccato adminiſtrare, non præmiſſa abſolutione excommunicationis. reſpondeo, Concilium ſolùm voluiſſe ex vi illius decreti directè nihil ſuffragari ipſis excommunicatis; & dum eis permittitur ſe immiſcere communicando etiam in ſacris cũ alijs non excommunicatis, quando id faciunt prius requiſiti ab eiſdem non excõmunicatis, tamen illa communicatio tota eſt intenta à concilio, in ordine ad non excommunicatos; quidquid ſit, ſi hoc indirectè faueat ipſis excommunicatis. 4

Aduertendum eſt, quod ſupradicta ſententia, quam, vt probabiliorem eligimus, intelligenda eſt in eo caſu, in quo excommunicatus requiſitus ad ſacramenta adminiſtranda nequeat ante actualem adminiſtrationem abſolutionem ab excommunicatione recipere; nam ſi poteſt illã habere, tunc mortaliter peccabit adminiſtrando etiam requiſitus, & per conſequens abſolutè loquendo non poterit licitè alius non excommunicatus petere ſacramentum à tali Sacerdote; cenſeretur enim cooperari illius peccato, & petitio eſſet ſcandalum actiuum: dixi abſolutè, nam in quibuſdam euentibus poterit, vt mox dicemus examinantes ſecundam partem quæſiti. 5

Si aliquis Sacerdos eſt in peccato mortali, & hoc nobis conſtat, & per conſequẽs ab eodem in adminiſtratione eſt ſacrilegium patrandum, tunc ob aliquam neceſſitatem, vel notabilem vtilitatem poſſumus ab illo petere ſacramenti adminiſtrationem, ſiuè Sacerdos ille ſit paratus, ſiuè 6

non,

Digitized by Google

non, ſiuè ſit Parochus, & proprius paſtor, ſiuè ſit alienus. Concluſio iſta, vt iacet, non determinando qualis eſſe debeat neceſſitas, & qualis in particulari ſit vtilitas, eſt communis apud Doctores, eaque colligitur ex *S. Th. l. c.* & eādem docent *Sayrus lib. 2. de ſacr. cap. 8. q. 1. a. 2. Chamerota cap. 2. dub. 6. Toletus in ſumma lib. 1. cap. 88. Suarez tom. 3. diſp. 18. ſec. 1. Sanchez lib. 7. de matrim. d. 9. num. 8. Valentia tom. 4 d. 5. q. 5. pun. 3. Henriquez lib. 1. de ſacr. cap. 30. Ioannes Præpoſitus quaſt. 64. in 3. p. a. 6. dub. 2. Coninchk ibidem dub. 2.* & alij quos citat, & ſequitur *Bonacina de ſacr. in genere dub. 2. quaſt. 6. p. 1. concl. 1.* Ratio huius concluſionis colligitur ex fundamentis, & regulis generalibus ſuperius iactis: nam in quibuſdam circumſtantijs, quando inſtat neceſſitas, vel vtilitas, poſſum ab alio petere actum honeſtum, quem ille, ſi velit, poteſt licitè exercere, quamuis præuideamus ab illo cum peccato eſſe præſtandum: at in hoc caſu ſupponimus adeſſe ſufficientem neceſſitatem, aut vtilitatem, & petendo adminiſtrationem ſacramenti petimus actum honeſtum, nempè adminiſtrationem ſacramenti, quam alius requiſitus, ſi velit, poterit licitè exercere, aut præmittendo confeſſionem ſacramentalē, per quam remittantur illi peccata, & ſe ponat in ſtatu gratiæ, aut eliciendo actū contritionis adiutus diuino auxilio. ergo licet ille ob ſui malitiam nolit ita ſe diſponere ad licitam adminiſtrationem, non cenſemur nos præbere illi, dum petimus ſacramenta, occaſionem ſcandali; ac proinde licita erit noſtra petitio. & confirmari poteſt hæc ſententia ex ijs, quæ ſupra diximus de petentibus mutuum ab vſurario, & iuramentum ab eo, quem præuidemus peieraturum, videlicet petitiones illas non habere rationem ſcandali actiui, quando ex parte petentis adeſt rationabilis cauſſa: ita & in hoc caſu. Dixi in concluſione, ſiuè talis ſacerdos ſit paratus, ſiuè non, ſiuè ſit proprius Parochus, ſiuè alienus; nam vt dicemus, quamuis non eadem cauſſa erit proportionata ad excuſandos nos à ſcandalo reſpectu prædictorum omnium, tamen cum indefinitè loquuti ſimus de neceſſitate, & vtilitate, intelligendum eſt de neceſſitate, & vtilitate proportionata reſpectiuè, vt inferiùs declarabimus.

7 Si commodè percipi poſſent ſacramenta ab alio ſacerdote, quem ſcio probabiliter daturum illa abſque peccato, vel non conſtat mihi eſſe in malo ſtatu; tunc non poſſum licitè petere adminiſtrationem ſacramentorum ab eo, quem moraliter ſcio adminiſtraturum cum peccato. concluſio eſt certa, præſcindendo à duabus conditionibus: prima ſi ſermo non ſit de ſacercerdote malo, quando eſt Parochus, & proprius ſacerdos ipſius petentis: ſecunda abſtrahendo ab vtilitate, quam petens eſt habiturus recipiens aliquod ſacramentum à ſacerdote illicitè adminiſtraturo, & etiā præſcindendo à difficultatibus, quas foret paſſurus recipiens idem ſacramentum à ſacerdote, qui creditur licitè adminiſtraturus; de petitione autem ſacramenti affecta his conditionibus inferius determinabimus. abſtrahendo inquam ab his conditionibus, aio concluſionem eſſe certam, quia ſi æquè benè poterit quis recipere ſacramenta à ſacerdote, qui ſine peccato eſt adminiſtraturus; petitio illa facta à malo ſacerdote erit ſcandalum actiuum; nam tenemur impedire peccatum proximi, quando ſine noſtro incommodo id facere poſſumus, vt euenit in caſu prædicto. ita ſentiūt communiter doctores *Sotus l. 6. de iuſt. q. 1. a. 5. Sayrus lib. 2. de Sacramēt. cap. 8. a. 1. Nauar. in ſumm. cap. 14. nu. 28. Coninck de Sacram. q 64. a. 8. dub. 2. Bonac. diſp. 2. cit. q. 6. p. 5. n. 3.*

Vtilitas autem ſufficiens ad excuſandū 8
eum, qui petit ſacramenta à Sacerdote illicitè adminiſtraturo, etiam ſi poſſit ea recipere ab alio licitè daturo, eſt, ſi Sacerdos probus foret longè minus doctus, & ideò non poſſet, ita benè ſatisfacere varijs difficultatibus conſcientiæ, quas habet pœnitens, vel ſi idem pœnitens indigeret dirigi in ſpirituali via; & ad hoc munus præſtandum alius Sacerdos non foret aptus, vel ſi eſſet nimis ſcrupuloſus, & incertus, vel denique ſi pœnitens cum magna, ſeu notabili difficultate poſſit confeſſariū abſentem conſulere; hæc, aut ſimilia, quæ hic, & nunc poſſunt contingere, & arbitrio prudentis viri ſunt iudicanda, ſatis erunt ad cohoneſtandam petitionem prædictam; ac proinde petens non cenſebitur peccare.

Neceſſitas verò, quæ excuſat petentem, 9
non ſolum erit extrema, quæ eſt in articulo mortis, ſed etiam grauis quando e.g. quis indigeret ſacramento pœnitentiæ, vt ſe liberet à peccato mortali, & niſi confiteatur cum tali Sacerdote, differenda ad longum tempus foret confeſſio: rurſus ſecundum aliquos, eſt ſufficiens neceſſitas adimpletio præcepti annuæ confeſſionis, & communionis paſchalis. ita *Ioānes Præpoſitus quaſt. 64. ar. 6. §. Dico ſecundo Vaſquez de pœnit. quaſt. 93. ar. 1. dub. 8. num. 4. Suarez ſec. cit.* & alij, quos ſequitur *Bonacina loco cit.* quamuis *Sotus in 4. d. 1. quaſt. 5. art. 6. §. Haſitabit enim lector* doceat non eſſe ſufficientem cauſsā; niſi ille confeſſarius ſit proprius Prælatus,

à quo ſubditus ius habet petendi ſacramentum. probari poteſt concluſio, quia obligatio illa adimplendi præceptum eccleſiæ dat ſufficientem cauſſam ad licitè petendam actionem honeſtam, & quam alius licitè exercere valet, ſi ſe diſponat. neque hoc eſt contrarium ijs, quæ diximus, dum traderemus principia, & capita vniuerſalia ſcandali; diximus enim *in quæſt. 1. ſec. 2. num.* 12. contra nonnullos, interdum non obligare præceptum poſitiuum ad vitandum ſcandalum proximi; huic doctrinæ non opponitur hæc concluſio, quia ibi addidimus, quando imminet ſcandalum paſſiuum proximi, & cum illo concurrit præceptum ex parte alterius, eſſe conſiderandas omnes circumſtantias, videlicet grauitatem præcepti, neceſſitatem illius actionis, ex qua alius ſumit occaſionem ſui ſcandali, & conditiones, quæ ſe tenent ex parte perſonæ, quæ ſcandalum patitur, & eſſe eligendum id, quod magis præponderat; in caſu autem iſto videtur magis præponderare obligatio præcepti annuæ confeſſionis, communionis, &c. quia vt plurimum, & ferè ſemper ex parte ſacerdotis malè adminiſtrantis, ſcandalum illud non oritur, niſi ex malitia, hoc eſt ex aliquo malo habitu, ſeu conſuetudine, vt animaduertit *Gaſper Hurtado diſp. 4. de ſacram. in genere diff.* 12. nam ſi benè res perpendantur præciſa conſuetudine, nequit ſacerdos ille eſſe indignus, niſi ob aliquod peccatum commiſſum, & non habitu firmatum, & ſi ita erit, poterit pœnitens credere, quod ille ante exercitium adminiſtrandi ſe conterat, vt licitè munus ſuum exerceat.

10 Probabile eſt poſſe aliquem recipere ſacramenta à miniſtro exiſtente in malo ſtatu, dummodò ſit ab Eccleſia toleratus, & ſit paratus, & expoſitus confeſſiones aliorum excipere, etiam ſi adſit alius ſacerdos, qui abſque peccato poſſit ſacramẽta adminiſtrare. *ita Sotus in 4. d. p. q. 5. a. 6. §. Prima itaque propoſitio. Valentia tom. 4. d. 3. q. 5. p. 3. §. Primus caſus. Henriquez lib. 1. de ſacr. cap. 30. num.* 2. & in eamdem ſententiam inclinat *Ioãnes Prapoſitus de ſacr. q. 64. a. 6. dub.* 2. & in eadem opinione eſſe debent omnes illi, quos retulimus *quæſt. 2. ſec. 3. num.* 5. qui aſſerunt accipere ad vſuram ſine vlla neceſſitate, non eſſe, niſi veniale peccatum, nequeunt autem hoc affirmare ratione ſcandali, quia cum ſcandalum paſſiuum ex parte mutuantis ſit peccatum mortale, qui præbet occaſionem, vel non peccabit, vel mortaliter peccabit. Debent igitur illi Authores aſſerere eſſe peccatum veniale ratione cuiuſdam prodigalitatis, quæ reperitur in accipiendo mutuo cum vſuris ſine neceſſitate, ac proinde in hoc caſu, de quo nunc agimus, debent à fortiori aſſentiri prædictæ opinioni; videlicet receptionem ſacramenti non eſſe peccaminoſam, etiam ſi habeatur à Sacerdote malo, ſi tamen ſit toleratus, & paratus. quod ſit maior ratio in hoc præſenti caſu probatur, quia in receptione ſacramenti ex parte recipientis ſemper eſt aliqua vtilitas ſpiritualis, cuius carentia eſſet detrimentum aliquod: at in recipiendo mutuo ſub vſuris, quando nulla eſt neceſſitas, vel nulla inuenitur vtilitas ex parte mutuatarij, vel parua, ceſſat ratio excuſans petentem vſuras, & ideo maior ratio excuſandi petẽtem reperitur in iſto, quam in illo caſu. Nihilominus *P. Suarez tom. 3. in 3. p. diſp.* 18. *ſec.* 1. *§. Secundò infero*; oppoſitũ docet, ſcilicet illicitam eſſe talem receptionem, & petitionem Sacramenti, quia tunc ſine vlla cauſſa ſufficienti ad excuſãdum, peteretur ab alio actio, quam ille alius cum peccato eſt præſtiturus. Et hæc opinio *Suarez* mihi videtur amplectenda ob fundamentum, cui ipſe innititur; nam licèt iniquus ille Sacerdos ſit paratus, tamen poſſet accidere, non eſſe ita paratum, & ſi petitio non fieret, forſitã non eodem modo committeret ſacrilegiũ.

Rurſus Sotus art. cit. docet cuicumque licitum eſſe recipere Sacramenta à quocumque miniſtro tolerato ab eccleſia, dummodò ſit paratus, ſiue in neceſſitate, ſiue extra neceſſitatem, ſi iuriſdictione ad miniſtrandum illud Sacramentum non careat: ponit exemplum, ſi quis priuilegium habeat eligendi Confeſſarium, quem voluerit, & ſint plures Confeſſarij ad audiendas confeſſiones expoſiti, inter quos ſit vnus, quem pœnitens ſcit eſſe in concubinatu, tunc ait Sotus poſſe ab habente priuilegium eligi Confeſſarium illum in concubinatu manentem, reiectis alijs probis; immò addit, quod ſi ille iniquus Cõfeſſarius eſt doctior, & aptior ad conſcientiam pœnitentis examinandam, conſultius facere pœnitentem eligendo hunc præ alijs: attamen ſubdit, quod ſi reliqui Confeſſarij ſint plures, ſit peccatum veniale eligere illum concubinarium, numquã tamen ſit mortale, niſi forſitan eſſet publicus peccator, & ex confeſſione pœnitentis ſcandala orirentur in populo; in hac opinione puto eſſe Valentiam loco ſuperius citato, qui aſſignans cauſſas rationabiles, ob quas quis poſſit petere, & recipere ſacramenta ab indigno miniſtro, ait eſſe tres videlicet, ſi ſit per ſe paratus: ſi teneretur ex officio: & ſi pœnitens conſtitutus ſit in neceſſitate. hos caſus enumerat, vt contra diſtinctos: & inferius ex parte pœnitentis duas tantum deſiderat 11

Digitized by Google

rat conditiones, ad hoc, vt licitè recipiat ſacramenta à tali miniſtro: prima eſt, vt miniſter non ſit impeditus per cenſuram aliquam eccleſiaſticam: ſecunda, vt pœnitens non inducat directè miniſtrum improbum ad malè miniſtrandum, & ideo ſic concludit. concurrentibus igitur his duabus conditionibus, & aliquo ex prædictis tribus caſibus, ſemper licebit ſacramentum recipere ab improbo Miniſtro, atque etiam petere, &c. ſic Valentia vide quo pacto in eius ſententia ſufficiat vt vnus tantum ex dictis tribus caſibus concurrat, ac proinde expreſſè colligitur, velle, ab improbo miniſtro parato, & non habente cenſuram eccleſiaſticam, per quã impediatur, poſſe peti ſacramentum ſine peccato ex parte ipſius petentis. Fundant prędicti authores hanc ſententiam in eo, quod petens non videtur in hoc caſu eſſe cauſſa peccati illius Sacerdotis malè adminiſtrantis, quia ille Sacerdos, cum ſit paratus, & expoſitus, non inducitur ad miniſtrandum ab ipſo petente, & cum ab eodem petatur exercitiũ actionis honeſtæ, & quam ipſe, ſi velit, poſſet licitè miniſtrare, ſe diſponendo per contritionem; hinc fit, vt petens non cenſeatur ſua petitione, & receptione cooperari ad peccatum illius, neque illi occaſionem ſcandali præbere, at his non obſtantibus, cenſeo aliquam rationabilem cauſſam eſſe dandam ex parte recipientis, ad hoc, vt ipſe recipiens excuſetur à ſcandalo actiuo, quia etiam ſi ille ſit paratus; tamen hic, & nunc exercens in malo ſtatu hanc numero actionem Sacramentalem, committet nouum, & diſtinctum peccatum, quod non committeret non miniſtrando, etiam ſi interius ſit paratus; idcirco ex parte recipientis aſſignanda erit aliqua neceſſitas, aut vtilitas alicuius momenti, vt excuſetur ad eligendum talem Sacerdotem, aliter videretur cooperari illius peccato, eique dare occaſionem peccati.

12 Adducit contra nos Sotus textum, qui habetur in ſacris canonibus *d. 15. q. 8. cap. Sciſcitantibus*; vbi Summus Pontifex Nicolaus reſpondens ad Bulgaros ſtatuit cõmunionem percipiendam eſſe à quocumque Sacerdote, ſiue adultero, ſiue alia ſiniſtra fama notato quouſque ab Epiſcopo ſit reprobatus. Sed reſpondeo Pontificem ibi loquutum fuiſſe ſecundum ea, quæ communiter eueniunt; nam per ſe loquẽdo ſemper ex parte recipiẽtis occurrit aliqua neceſſitas, quia durum eſſet inquirere Sacerdotes probos, ad hoc, vt ab illis recipiant fideles ſacramenta, quando proprius Sacerdos, de quo ibi eſt ſermo, eſt improbus.

13 Cum Sacerdos improbus eſt proprius Paſtor, tunc aliqui indiſcriminatim, & ſine vlla exceptione loquentes, dicunt licitum eſſe proprijs ouibus petere, & recipere ab illo ſacramenta. Sic Caietanus *in 3. p. q. 64. §. In reſponſione ad ſecundum. Tol. in ſum. lib. 1. cap. 86. n. 4. 5. Sotus art. cit. propoſ. 3.* & in eadem opinione videtur eſſe Valentia, vt ſupra adnotaui. Rationem huius ſententiæ aſſignat Caietanus dicens, neminem peccare petendo actum ſibi debitum à ſuo debitore, Parochus autem eſt debitor, quia omnes eius ſubditi ius habent petendi ab ipſo ſacramenta: ſed Ioannes Præpoſitus loco citato reſpondens ad hoc argumentum, videtur eſſe in oppoſita ſententia, in qua eſt *Bonacina d. 2. de ſacram. q. 6. p. 5. num 3. & Suarez ſectione ſuperius relata*.

Concludo igitur id quod in hac materia mihi videtur probabilius. & primo aio, 14
quando quis poteſt ſine incommodo ſpirituali, vel temporali recipere ſacramenta à probo Sacerdote, non poſſe ſine graui peccato petere illa à Sacerdote, quem pręuidet, vel moraliter credit eſſe illa illicitè adminiſtraturum, & hoc affirmo ex principijs generalibus ſuperius poſitis, & ſæpe repetitis, videlicet ſecundum leges charitatis nos debere impedire peccatũ proximi, quando id ſine noſtro damno eſſe poteſt. Secundò aio concurrente proportionata, & rationabili cauſſa nullum eſſe peccatum, petere, & recipere à tali Sacerdote ſacramenta, & hoc ob eadem principia, nempe quia ex cauſſa rationabili ad exigentiam noſtræ neceſſitatis, vel vtilitatis petimus actum ex ſe honeſtum, quem alius poteſt benè exercere. Tertiò dico, quòd minor neceſſitas, ſeu vtilitas requiritur ad cohoneſtandam hanc petitionem, & receptionem, quando ipſa ſacramenta petuntur à proprio Parocho, vel ab alio, cui ex officio incumbit adminiſtratio, quam cum petuntur ab alieno Sacerdote. & ratio huius diſcriminis eſſe poteſt, ea, quæ adducitur à Caietano, videlicet, nos habere ius poſtulandi à Parocho, non autem ab alio, & ideo ratione huius iuris magis excuſabimur, & liberabimur à morali cooperatione in peccato illo quod committit proprius Sacerdos malè adminiſtrans. Quartò aſſero vtilitatem, & neceſſitatem, quæ nos excuſat petentes ſacramenta à proprio Paſtore, vel ab eo, ad quem ex officio ſpectat, eſſe illam vtilitatem, quæ percipitur ex ipſamet receptione ſacramentorum, quod intelligo, quando non æquè benè, vel niſi cum magna difficultate recipi poſſunt ab alio Sacerdote, de quo præſumitur eſſe in ſtatu gratiæ, & qui licitè ſit adminiſtraturus, vt ſupra declarauimus:

Digitized by Google

ſit neceſſitas, vel vtilitas excuſans, & cohoneſtans petitionem hanc in ordine ad alienum Sacerdotem improbum, & malè adminiſtraturum, deberet eſſe maior; ea, quæ adeſt quando petimus Sacramentum à proprio Sacerdote, & ita docet Suarez loco ſuperius citato, quamuis *Ioannes Præpoſitus dub. 2. relato* incipiendo à S. *Quoad paſtorem* videatur non admittere eſſe ſufficientem cauſſam, fructum, qui ſperatur ex ipſa receptione ſacramenti, niſi Sacerdos adminiſtrans ſit paratus, & expreſsè loquitur in ordine ad proprium Paſtorem: at probabilius mihi videtur, quod docet Suarez.

25 Miniſter qui inſeruit ſacro alicuius Sacerdotis exiſtẽtis in malo ſtatu, & hoc ipſi miniſtro cõſtet, per ſe loquẽdo nõ cẽſetur cooperari peccato illi', neq; etiã clerici, qui inſeruiunt Epiſcopo ordines ſacros conferenti *ita Suarez ſect. cit. S. Vltimo ex his, Reginaldus lib. 1. in praxi num. 164. Bonac. d. 1. de ſacram. q. 6. p. 1. 5. nu. 7.* & alij. ratio eſt, quia, vt ſupponimus, ſacerdos, qui facit ſacrum, & Epiſcopus, qui ordinat, poterunt benè exercere; ſi velint, actionem illam ex ſe honeſtam, proindè ex malitia ſua illam malè exercẽt, & obſequium, quod pręſtat inſeruiens, eſt valdè extrinſecum; & ideo ex parte inſeruientis non erit peccatum. dixi per ſe loquendo, nam ſi fingamus caſum, in quo ſeruiens poſſit impedire illam actionem, tunc teneretur non ſeruire, niſi non ſeruiendo aliquod damnum ſpirituale, aut temporale ipſi ſit ſequuturum; & ideo in tali caſu ſunt ſeruandæ regulæ ſupradictæ, quas adduximus in ordine ad petentem ſacramenta ab iniquo miniſtro, ſed cum proportione, quia non eſt eadem ratio de inſeruiente ſacrificio, & de recipiente ſacramenta.

SECTIO SEXTA.

Quæ notitia requiratur de mala diſpoſitione miniſtri ad hoc, vt licitè ab eodem ſacramenta petere, & recipere minimè valeamus.

SVMMARIVM.

1 *Vt licitè ſacramenta poſſimus petere à ſacerdote, non eſt neceſſe vt nobis conſtet de eius bonitate, ſed ſufficit ſi non conſtet de malitia.*

2 *Debet moraliter nobis cõſtare de malitia ſacerdotis, & de illicita adminiſtratione ad hoc vt ab eo non poſſimus licitè ſacramenta petere.*

3 *Aliter poſſumus ſacramenta recipere à tali ſacerdote, etiamſi ſciamus eum paulò ante in peccatum mortale incidiſſe.*

VT aliquis petens ſacramenta ab iniquo ſacerdote, non concurrentibus circumſtantijs excuſantibus ſuperius expreſſatis, peccet præbens occaſionem ſcandali, requiritur ex parte petentis ſufficiens cognitio de improbitate ſacerdotis; ideoque ad licitam petitionem eorumdem ſacramentorum non deſideratur, vt ipſe poſitiuè ſciat ſacerdotem illum non eſſe in malo ſtatu, ſed ſatis eſt, vt non conſtet ſibi eum eſſe iniquum, & in malo ſtatu. ita *Suarez in 3. p. to. 3. d. 18. ſec. 1. S. Quod vt probabilius fiat. Ioannes Præpoſitus in 3. p. q. 64. a. 6. dub. 2. Ægidius Coninck in eadem quæſtione a. 8. dub. 2. num. 45. Bonac. de ſacr. d. 1. q. 6.* & ratio eſt in promptu, nam dum non conſtat aliquem eſſe malum, præſumere debemus eum eſſe bonũ, & ideo credere debemus licitè ab eo fore adminiſtranda ſacramenta; aliter ſi conſtare deberet poſitiuè nobis probitas miniſtri, varijs ſcrupulis, & animi angoribus vrgeremur; & ideo non tenemur talẽ notitiam habere, quæ difficillimè haberi poteſt. 1

Requiritur ergo ad hoc, vt nequeam petere ſacramenta ſine peccato ſcandali talis notitia, vt mihi moraliter conſtet mala diſpoſitio illius ſacerdotis, & rurſus quod in ea diſpoſitione ſit ille ſacramenta adminiſtraturus: vt notant authores prędicti, & aiunt hanc notitiam obtineri ex praua, & inueterata diſpoſitione, quæ in tali ſacerdote inuenitur, vel ex proxima occaſione peccandi, qua detinetur, vt ſi ſit concubinarius, vel quid ſimile, tunc eſt ſufficiens motiuum ob quod moraliter credamus eum eſſe in malo ſtatu, & in eodem ſtatu adminiſtraturum ſacramenta; præſumptio enim poſitis illis circumſtantijs eſt contra ipſum ſacerdotem. 2

Si autem non concurrant prædictæ circumſtantiæ, quamuis certò ſciamus ſacerdotem illum paulò ante in aliquod peccatum mortale lapſum fuiſſe, poſſumus licitè ab illo petere, & recipere ſacramenta. ita *Suarez, & Ioannes Præpoſitus ll. cc.* & ideò per ſe loquendo nemo debet in hac re eſſe nimis anxius, & ſcrupuloſus, ſed abſque dubitatione, & anguſtia recipere ſacramenta, quia difficillimum eſt, vt dixi, habere talem notitiam, quæ ſit ſufficiens practicè, ad hoc, vt licitè non valeamus petere, & recipere ſacramenta à talibus miniſtris; nam non ita facilè concurrunt illæ duæ conditiones, ex quibus moralis certitudo colligitur de improbitate ſacerdotis, & de illicita adminiſtratione. 3

(†)

SEC-

SECTIO SEPTIMA.

De ſcandalo actiuo, quod interdùm contingit ratione ſimoniæ.

SVMMARIVM.

1 *Refertur prima opinio negans poſſe aliquē etiam in extrema neceſſitate, ſoluere pretium ſacerdoti, qui ſine mercede non vult ſacramentum miniſtrare.*
2 *Refertur ſecunda opinio affirmans.*
3 *Refertur tertia opinio media diſtinguens.*
4 *Refertur ſententia authoris.*
5 *Notantur duo, quando ob redimendam vexationem, dantur pecuniæ ad obtinenda beneficia.*

1 VVlgare, & tritum exemplum circa hoc, eſt id, quod proponi ſolet, dum aliquis ſacerdos v. g. nolit adminiſtrare ſacramentum baptiſmi, aut confeſſionis exiſtenti in extrema neceſſitate eiuſdem ſacramenti, niſi ei detur pecunia, vel aliquid, quod pretio ſit æſtimabile. tres extant ſententiæ. prima negat eſſe licitū dare pecuniam ad hoc, vt ſacerdos ille inclinetur ad ſacramentum adminiſtrādum, & fundamentum huius opinionis eſt, quia dare pecuniam pro ſacramentorum vſu, & adminiſtratione eſt intrinſecè malum; ac proindè nunquam cohoneſtari poterit, etiā ſi propter hoc per accidens ſequatur æterna damnatio illius, cui ſacramentum denegatur. & hanc ſententiam docet *S. Th. in 4. d. 5. q. 2. a. 2. quæſtiuncula 5. ad ſecundum, & 2. 2. q. 100. a. 2. ad primum*, vbi aſſerit in tali caſu, ſi qui indiget eſt puer, debet potius baptizari à laico, quam dare pecuniam ſacerdoti, vt ab ipſo baptizetur; ſi verò eſt adultus, debet procurare baptizari ab alio; & ſi ad alium recurſum habere nequeat, non debet pretium dare ſacerdoti; ſed decedere abſque baptiſmo; ſuppleretur enim per baptiſmum flaminis, &c. *Paludanus in 4. d. 5. q. 3. num. 17. Marſilius, Holcot, Gabriel ibidem*, quos citat *Vaſquez opuſc. de ſcādalo a. 8. dub. vlt. Syluest. v. ſimonia qu. 8. Alexander 2. p. q. 187. memb. 3. a. 3. §. 1. & alij.*

2 Secunda opinio extremè oppoſita, affirmat id eſſe licitum, dummodò pecunia non detur pro ipſo vſu ſacramenti, ſed pro redimenda vexatione. ita *Adrianus quodlib. 9. Altiſiodorenſis in ſumma par. 3. q. 3. de ſimonia. Gerſon trac. de ſimonia ad ſextam rationem. Angelus v. ſimonia nu. 12. Sotus lib. 9. de iuſt. q. 6. a. 2. Valentia 2. 2. d. 6. q. 16. p. 3. §. Secundò ſequitur, & §. Tertiò ſequitur. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 35. dub. 7. Vaſquez loco citato.*

3 Tertia opinio media eſt, poſſe dari pecuniam ad redimendam vexationem, quādo agitur de paruulo extremè indigente, videlicet ſi eſſet in articulo mortis, & deberet baptizari; non autem eſſe licitum, ſi ſermo ſit de adulto, nam is poteſt ſibi prouidere de actu contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia, & ſic ſaluari; & hāc ſententiam tenet *Caietanus in 2. 2. q. 100. a. 2. Panormit. cap. Cum in Eccleſia corpore de ſimonia. Sanchez in conſilijs lib. 2. cap. 3. dub. 8.* licet ſecundam ſententiam indicet probabilem.

4 In hac opinionum varietate mihi primò dicendum videtur, quod dare pecuniam in ratione pretij ad alliciendum ſacerdotem, vt baptizet, vel aliud ſacramentum adminiſtret etiam in extrema neceſſitate, nunquam ſit licitum; quia eſt manifeſta ſimonia contra ius diuinum, & naturale; ac proindè intrinſecè malum, & in hoc ſenſu Valentia interpretatur S. Thomam. ſecundò aio probabiliorem eſſe ſententiā S. Thomæ aſſerentis in dato caſu de infante potius eſſe baptizandum ab ipſo laico, à quo iniquus ſacerdos petit pecuniam, quam ab ipſo met ſacerdote mediante pecunia; & ratio eſt, quia in eo caſu eſt exiſtimandum ſacerdotem non eſſe præſentē, quia perinde eſt, ac ſi eſſet abſens, dum non vult alio modo, niſi iniquè ſacramentum conferre. & confirmo hanc concluſionem alia ratione valdè efficaci deſumpta ex principijs generalibus ſuperius poſitis; nam longè fortius eſt illud præceptū, quo prohibetur adminiſtratio ſacramenti per pecuniam, quam ſit præceptum, per quod præſente ſacerdote, laicus prohibetur baptizare tempore neceſſitatis; illud enim eſt præceptum diuinum, & naturale; illud verò eſt ſolum præceptum eccleſiaſticum, & per fractionem illius maior irreuerentia fit ſacramento, quam hæc per fractionem huius ſecundi; idcircò in illis circumſtantijs ceſſat hoc præceptum eccleſiaſticum, & conſequenter ad vitandum ſcandalum tenetur laicus baptizare infantem moribundum, & non dare pecuniam ſacerdoti; & nulla eſt neceſſitas, aut vtilitas reſpectu infantis, quæ oppoſitum exigat, & ideò in talibus circumſtantijs donatio pecuniarum eſſet ſcandalum actiuum: at ſi fingamus caſum metaphyſicum, de quo non eſt loquutus S. Tho. ſcilicet, vt laicus careat loquela, & nequeat proferre formam baptiſmi, vel ſit manibus truncus, & non poſſit abluere, neque ſit alius, ad quem recurſum habere queat, niſi ſacerdos ille iniquus, petens pecuniam, & infans ſit iam in articulo mortis, tunc abſq; hæſitatione cēſeo eſſe elargiēdā pecuniā illi

ſacerdoti, nō ad emēdū ſacramentū, ſed ad redimendam iniquam vexationem, ità vt motiuum dantis pecuniam ſit per pecuniam auferre illud impedimentum, nempe negationem volitionis, quæ eſt in Sacerdote ad dandum Sacramentum. Iſta conclusio probari poteſt, quia charitas, & miſericordia, quæ in eo momento vrget ad ſubleuandam extremam infantis neceſſitatem ſpiritualem, obligat Laicum ad dandam pecuniam, & quia poteſt illam elargiri non intuitu emptionis, ſed intuitu alterius motiui honeſti, videlicet ad tollendam malam voluntatem Sacerdotis nolentis conferre baptiſmum; inde eſt, vt ex parte ipſius Laici ceſſet ſcandalum actiuum, ſtante tali neceſſitate poterit licitè vti malitia illius Sacerdotis in illū finē, vt liberetur infans à morte æterna, nō occurrente aliò modo licito, per quem id obtineri poſſit. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ nego in his circumſtantijs donationem pecuniæ fore ſimoniacā ex parte dantis, cum motiuum ipſius non ſit emere rem ſacram, neque dare pecuniā per modum pretij, ſed ſolùm ad redimēdam iniquam vexationem. Si autem loquamur de adulto, qui indiget, vel baptiſmo, vel ſacramento pœnitentiæ, & ſit iam in articulo mortis, quamuis opinio negans, poſſe in tali caſu dari pecuniam prauo Sacerdoti, vt per illam allectus cōferat ſacramentum, ſit probabilis: tamen ſententia affirmans, eſt in praxi ſecura, & probabilior; licet enim verum ſit adultū poſſe ſibi prouidere de remedio per actum contritionis, nihilominus, cum non ita facilè habeatur contritio, & præſertim in perſona non benè diſpoſita, & habituata in peccatis; idcircò ad vitandum manifeſtum periculum æternæ damnationis, & vt per remedium moraliter magis certū ſe ponat in tuto, quoniam fieri poteſt, licitum erit ad redimendam vexationem dare pecuniam Sacerdoti, vt ab eo recipiat Sacramenta illa maximæ neceſſitatis, & ſi iſte operetur ex tali motiuo ceſſabit ſcandalum actiuum ex parte ipſius recipientis; Immò *Hurtad. in 2. 2. diſp. 173. ſect. 17. § 224.* concedit id poſſe licitè fieri, etiam extra periculum mortis ad præceptum eccleſiæ adimplendum, & in multis alijs caſibus, quos ipſe recenſet: ſed in hac re eſt cautè procedendum; neque in omnibus illis caſibus, in quibus Hurtadus aſſerit poſſe pecunijs allici ſacerdotem ad ſacramenta adminiſtranda; eius opinio eſt admittenda, ſed ſolùm in caſibus grauiſſimæ neceſſitatis, vt volunt communiter Doctores.

5 Supereſt agere quando contingit ſcādalum in redimenda vexatione in beneficijs, offerendo ei, qui vexat pecunias: ſed hoc pertinet directè ad tractatum de ſimonia; in præſentia ſatis eſt duo animaduertere. Primo, quod in omnibus illis caſibus, in quibus redimere vexationem, eſt ſimonia, tunc redemptio illa habebit rationem ſcādali actiui; & ratio eſt manifeſta, nam in tali caſu redimens vexationem dat occaſionem alteri peccandi. Secundo non valet inferre contrarium, videlicet in hoc caſu redemptio non eſt ſimoniaca, ergo offerre pecuniam iniuſtè vexanti non eſt ſcandalum, non valet, inquam, vniuerſaliter, quia poſſet accidere hic, & nunc eſſe abſtinendum à tali oblatione, ne detur occaſio peccandi, idcirco quando redemptio non eſt ſimoniaca, ſeruandæ sūt regulæ generales in materia de ſcandalo.

SECTIO OCTAVA.

An ſit peccatum ſcandali dare pecuniam iudici, vel alteri officiali, vt iuſtam ferat ſententiam.

SVMMARIVM.

Explicatur ſenſus huius quæſiti. 1
Prima opinio aſſerit non licere. 2
Secunda opinio affirmat licere poſitis quibuſdam circumſtantijs. 3
Quando nullum eſt periculum, quod iudex ſit laturus ſententiam contra iuſtitiam, non licere affirmat author. 4
Quod ſi tale periculum adeſt, & pars poteſt alia via ſe defendere ab illa vexatione, non licet offerre pecuniam, & ſi faciat peccat peccato ſcandali. 5
Si verò pars non habet alium modum redimendi vexationem, poteſt offerre pecuniam, abſque ſcandalo. 6
At ſi ſit dubium an ſententia ſit iniuſta, etſi ſint probabiles rationes pro vtraque parte, tunc non licet offerre pecuniam illi abſque peccato ſcandali. 7
Soluuntur rationes contrariæ allatæ pro prima opinione. 8

1 NOn intēdimus examinare an Iudex, ſiue quicunque alius publicus miniſter, poſſit abſque obligatione ad reſtituendum, & abſque peccato, recipere munera à partibus inuicem litigantibus; nam huius puncti deciſio tradenda nobis eſt in tractatu de reſtitutione, dum agitur de turpi lucro: ſed quod expendere intendimus eſt, an aliquis abſque peccato, poſſit interdum offerre Iudici, vel alijs publicis iuſtitiæ miniſtris, pecuniam, vel aliquòd aliud munus ad alliciendum Iudicem vt det ſententiam in fauorem ipſius dantis, iuſtam tamen, ſeu ſecundum leges iuſtitiæ,

Digitized by Google

tiæ, nam ſub hac formalitate quæſitum pertinet ad hunc præſentem tractatum de ſcandalo. dixi iuſtam, nam ſi prouocaret Iudicem ad ferendam iniuſtam ſententiam; erit manifeſta inductio ad peccatũ committendum, ac proinde propriiſſimũ peccatum ſcandali actiui ex parte ipſius dantis. his poſitis.

2 Prima opinio vult id eſſe illicitum. ita ſentiunt quamplures Theologi, & Canoniſtæ. *Sotus lib. 4. de iuſtit. quæſt. 7. ar. 1. ad ſecundum. Molina tom. 1. de iuſt. diſp 90. in fine, & Gloſ. cap. Qui rectè v. expectat. 11. q. 3. & alij*, qui probant hanc ſententiam ex varijs iuribus ciuilibus prohibentibus huiuſmodi munera; & etiã id fundari poteſt in hac ratione, Iudex peccat recipiendo talia munera ad ferendam iuſtam ſententiam; neque enim poteſt talis receptio ex parte Iudicis hic, & nunc fieri ſine peccato. Ergo ſecundum regulas generales oblatio eorumdem munerum erit ſcandalum actiuum, & per cõſequens graue peccatum.

3 Secunda opinio affirmat, quandoque oblationem munerum licitè fieri poſſe, poſitis tamen quibuſdam conditionibus inferius exprimendis. Ita plures Iuriſtæ, quos laudat *Sanchez in conſilijs lib. 3. cap. vnico dub. 3. num. 3. & ex Theologis Palud. Adri. Cord. Palacius apud eumdem*, Rurſus *Salonius 2.2. q. 62. a. 5. contr. 4. Bañes in eumdem art. dub. 4. ad tertium. Rodriguez in ſum. tom. 2. cap. 40. concl. 7. quos ſequitur ibidem Sãchez, & Bartholomeus a. S. Fauſto in ſpeculo confeſſ. d. 27. q. 29. & 30.* & quamplures alij.

4 Dico primo. quando nullum eſt periculum probabile, quod Iudex ſit laturus ſẽtentiam contra iuſtitiam, certum eſt non licere talia munera offerre, quia daretur illi occaſio peccandi peccato furti, & ex parte dantis nulla eſſet cauſſa rationabilis excuſans à peccato ſcandali. ita docet Sãchez ex communi doctorum conſenſu loco citato.

5 Dico ſecundo, dum adeſt manifeſtum periculum iniquæ vexationis, ſeu iniuſtæ ſententiæ, ſi pars contra quam tendit illa iniuſtitia, poteſt alia via ſe defendere, abſque eo, quod offerat munera Iudici, nequit ſine graui peccato muneribus allicere Iudicem cum pacto, vt det iuſtam ſententiam, quia ex regulis vniuerſalibus, quando abſque incommodo noſtro notabili impedire poſſumus peccatum proximi, ad id tenemur; idcircò ſi ſuperſunt alia media licita, quibus pars, quæ vexatur, valeat redimere ſuam vexationem impediendo iniuſtam ſententiam contra ſe ferendam, obligabitur ad id faciendum, aliter offerendo munera Iudici modo explicato, peccabit peccato ſcandali.

Dico tertio. quando non ſupereſt alius modus, vel in adhibendo alio medio, deberet pars, quæ timet vexationem, pati grauem difficultatem, magnas expenſas, vel notabilem dilationem in decidenda cauſſa; tunc ſine peccato ſcandali actiui poterit muneribus redimere vexationem iniquam, vt rectè probant authores citati in relatione ſecundæ ſententiæ. Aduertit tamen Bartholomæus à S. Fauſto in hac re, confeſſarios nõ debere eſſe faciles ex quacunque apparentia, & ſuſpicione iniuſtæ vexationis, permittere ſuis pœnitentibus, vt munera Iudici offerant; & ipſe addo, litigantes debere cum magna cautela procedere, neque fidere proprio iudicio dictanti iniuſtè vexari à Iudice, quia facillimè ob paſſionem poſſunt decipi. 6

Dico quarto. quando eſt dubium, an ſententia ſit iniuſta, & quando hinc inde pro vtraque parte ſunt probabiles opiniones, ſi Iudex inclinat in vnã, nequeũt illi offerri munera, vt diuertat ad ferendã ſententiam iuxta contrariam opinionem, quamuis probabilem. ita notat *Sanchez contra Petrum Nauarro lib. 4. de reſtit. cap. 2. dub. 12. num. 111. oppoſitum ſentientem*, & ratio eſt, quia tunc ex parte Iudicis nulla eſt iniuſtitia, neque iniqua vexatio; vel ſaltem non eſt certum inique vexare; ideoque non eſt licitum ei munera offerre ſine peccato ſcandali: attamen hanc concluſionem intelligere debemus, quando ex probabilitate vtriuſque ſentẽtiæ non teneretur Iudex componere partes inter ſe, vel diuidere rem, de qua eſt lis, vel ſi eſt indiuiſibilis, diuidere fructus, vel dare aliquid æquiualens vni ex partibus: & hoc aduerto poſito, quod ſit vera hęc ſẽtẽtia aſſerẽs in ęquali proabilitate à Iudice hoc eſſe pręſtãdũ, quã opinionẽ nũc non intendo examinare, ſed eam examinat *Sanchez lib. 1. decalog. cap. 9. à num. 44.* 7

Ad iura, quę pro contraria ſententia citantur reſpondeo, fundari in præſumptione, quod partes litigantes velint peruertere animũ iudicis, & ideo in foro cõſcientiæ ceſſante tali præſumptione, iura illa locum non habent: at ſi extat in aliquo loco lex, quæ prohibeat oblationem munerum, & non fundetur in præſumptione, tunc, per ſe loquendo, eſt illa ſeruanda, niſi in aliquo caſu, in quo adeò eſſet grauis iniuſta vexatio, vt arbitrio prudentum lex illa cenſeatur non obligare in conſcientia cum tanto diſpendio, ſed in tali caſu cum magna prudentia eſt operandum. ad rationem dico, quod licet receptio illa hic, & nunc ex parte iudicis cohoneſtari nequeat, nihilominus poterit 8

iudex, ſi velit, deſiſtere ab illa iniqua voluntate, & ferre iuſtam ſententiam, non acceptando munera.

SECTIO NONA.

Vtrum ſine ſcandalo actiuo poſſint dari munera concubinæ, vt ipſa intercedat apud ſuum amaſium pro ipſo donatore.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuam ſententiam defendit Sanchez.*
2 *Sed oppoſitam affirmatiuam ſuſtinent alij.*
3 *Licere in aliquo caſu affirmat author contra Sanchez, & probat.*
4 *Requirit author ad dictam munerum oblationem cohoneſtandam, aliquam grauem cauſam.*
5 *Explicatur quænam ſit hæc grauis cauſa, & notantur quædam alia circa hanc materiam.*

1 HAnc dubitationem mouet *Sanchez lib.* 1. *decalog. cap.* 7. *numer.* 38. & exemplum affert in concubina iudicis, & determinat, id non licere, neque cohoneſtari poſſe, quia ad talem interceſſionẽ exequendam, oportet, vt concubina, vel inuiſat iudicem, vel ei ſcribat, aut internuntium mittat, quæ omnia fouent amorem illum turpem, & inhoneſtum, qui eſt inter iudicem, & concubinam; proinde cum ſupradicta, ſine peccato ex parte iudicis, & concubinæ exerceri nequeant, ſequitur non poſſe licitè fieri donationem illam eidem concubinæ, vt interpellet apud iudicem; nam ex regulis vniuerſalibus iactis, nequimus aliquem actum petere ab alio, ſi actus ille, hic, & nũc exerceri non poſſit abſque peccato.

2 Oppoſitam ſententiam defendunt *Petrus Hurt. in* 2. 2. *Sancti Thomæ diſput.* 173. *ſec.* 11. *ſubſec.* 1. *num.* 133 *& ſubſec.* 3. *num.* 143 *& ſequentibus. Caſtropalao tract.* 6. *de charit. diſp.* 6. *p.* 15. *Martinus Bonacina diſp.* 2. *de peccatis quæſt.* 4. *p.* 2. §. *Vnico, num.* 24. *Molſeſius in ſum. tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 11. *num.* 62. *Merolla tom.* 1. *d.* 2. *cap.* 4 *corollar.* 8. aiunt enim hi authores poſſe in aliquo caſu cohoneſtari, & eſſe licitam prædictam munerum elargitionem; ac proindè eſſe ſine ſcandalo actiuo ex parte ipſius donantis, ſeu offerentis.

3 Mihi autem videtur dicendum falſum eſſe in nullo caſu licitam eſſe talem munerum oblationem, ſeu elargitionem; & ideo non ſequor opinionem Sanchez, quatenus vniuerſaliter damnat hanc oblationem. probatur autem ex principijs generalibus; nam quotieſcumque actus eſt ex ſe, & ſuaptè natura indifferens, & hic, & nunc exerceri poteſt ſine peccato, toties in aliquo caſu licitè poſſumus eũdem petere actum ab aliquo, quamuis præuideamus ab illo ſine peccato præſtandum non eſſe, non ex natura ipſius actus, ſed ex praua voluntate ipſius operantis: at elargitio munerum quemadmodum, & interceſſio illa apud iudicem eſt quidam actus ſuaptè natura indifferens, & hic, & nunc exerceri poteſt à concubina ſine peccato, tum ex parte ipſius, tum etiam ex parte iudicis. ergo in aliquo caſu elargitio, ſeu oblatio munerum pro prædicta interceſſione facienda erit licita. maior conceditur ab omnibus agentibus de ſcandalo, & pluries ab ipſo met *Sanchez lib. cit. cap.* 6. *&* 7. *per totum*; & patet etiam manifeſta ratione, quia tenemur impedire peccatum proximi ex lege charitatis, ſeu miſericordiæ, ſed quandoque poteſt contingere, vt impediendo tale peccatum, graue damnũ ſequatur contra nos, ſiuè ſpirituale, ſiuè temporale, adeò vt ſpectato recto ordine eiuſdem charitatis, non obligemur cum tanto diſpendio impedire peccatum alienũ, idcircò in aliquo caſu licitè poſſumus petere actum ex ſe indifferentem, & qui ſine peccato exerceri poteſt, etiamſi præuideamus ab illo non eſſe faciendum ſine peccato ex praua voluntate ipſius operantis; & de hac maiore, vt ſic abſtracta nulla eſt difficultas apud doctores. Reducitur tamen tota dubitatio ad ipſam minorem, quam probo, applicando ipſi minori ea, quæ appoſita ſunt in maiore; dum enim ego peto interceſſionem illam in hunc finem, vt voluntas Iudicis auerſa inclinetur ad ferendam ſententiam pro me, quam in præſentia iuſtã eſſe ſupponimus, peto vt ſic rem honeſtã: & licèt hic, & nunc interceſſio illa procedat à perſona, inter quam, & Iudicem reperitur prauus amor: nihilominus non eſt neceſſe, vt prauus ille amor antecedẽter ſe habeat ad interceſſionem, in eam influendo, ſed poteſt ſe habere concomitanter, & merè per accidens, hoc eſt poteſt ſolùm procedere à voluntate, & nõ vt formaliter affecta prauo illo amore, ſed ſolùm vt affecta muneribus: ſimiliter prolatio ſententiæ, pro qua fit interceſſio, poteſt procedere à voluntate Iudicis, & nõ ex illicito amore, ſed tantùm ex quadam alia voluntate, nempè faciendi rem gratam perſonæ intercedenti, & non in malum finem, & hoc eſt euidens; nam amor ille prauus non neceſſitat voluntatem; in qua inuenitur ad operandum ex vi ipſius.

Dices quamuis phyſicè volũtas Iudicis (& idem dico de voluntate concubinæ) nõ ne-

Digitized by Google

neceſſitetur ad operandum ex vi amoris inhoneſti, tamen eſt quædam moralis neceſſitas, vel ſaltem periculum fouendi turpem amorem; ideoque interceſſio illa habet annexum manifeſtum periculum peccandi ex parte Iudicis, & Concubinę. Reſpondeo licèt ſit periculum illud, tamē in aliquo caſu nō ſolùm erit licitum exercere actionem aliquam, etiamſi ipſa actio trahat periculum, vt alius peccet, ſed etiā ſi eadem perſona, quæ operatur, ſe exponat periculo peccandi, vt benè aduertit *Caſtropalao tom. 2. tract. 6. de peccatis diſp. 2. p. 9. §. 2. n. 8. & ſeq.* & nos probabimus infra, dum erit ſermo de ſcandalo paſſiuo proprio; nam periculum peccādi formaliter non eſt peccatum, ſed intantùm eſt peccatum, inquantum ſine cauſſa rationabili homo illi ſe exponit; proindè talis expoſitio poterit cohoneſtari.

4 Quamuis cum authoribus ſecundæ ſententiæ ſentiam, videlicet in aliquo caſu licitam eſſe oblationem munerum, concubinæ iudicis ob finem prædictum, tamen certum eſt aliquam grauem cauſſam concurrere debere, ad hoc vt offerens à peccato ſcandali excuſetur, & hoc ob principia ſuperius data: at authores citati licet dicant requiri cauſſam grauem; nihilominus non explicant magis in particulari, quæ nam ſit iſta grauitas, quæ ſit ſufficiens ad cohoneſtandam oblationem, ſeu elargitionem munerum.

5 Pro qua re cenſeo hæc duo diſtinguenda eſſe: primò, an ſine peccato poſſimus procurare, vt concubina intercedat, & petat a iudice aliquid ab ipſo concedendum, quod ſit res parui momenti, & ferè nullius conſiderationis; ac proindè quod ſine difficultate concedi paſſim conſuetum eſt. ſecundò, an, quando præuidetur, vel certè præſumitur, quod ipſi fouere debeat amorem, requiratur vt negotium, pro quo ſit interceſſio, ſit magni ponderis, & cum difficultate à iudice concedi ſoleat. ſi de primo agamus, puto interceſſionem illam facilè, immò vt plurimum eſſe licitam, quia dum agitur de aliqua re minima, quæ à iudice non ſolum propriæ concubinæ, verum etiam paſſim aliis extraneis perſonis, & ipſi iudici minime coniunctis, concedi ſolitum ſit, tunc moraliter loquendo nullum eſt periculum fouendi turpem amorem, quia conceſſiones iſtæ cum ſint ordinariæ per ſe loquendo non habent vim excitandi amorem; & præſertim inter perſonas valdè coniunctas, & familiares, quoniam veluti parui pendentur. dixi, vt plurimum, & per ſe; nam ſi in quibuſdam circumſtantijs ſit probabilitas, aut præſumptio, quod turpis amor notabiliter foueatur, tunc eadem erit ratio de petitione paruæ, aut notabilis conſiderationis; de qua re mox dicam. cæterum quando res non eſt facilis conceſſionis, & concedi ſolet intuitu nimiæ coniunctionis, & familiaritatis, ac proinde in caſu noſtro ſit euidens perſuaſio, quòd iudex deuenturus ſit ad concedendum, quod petitur, intuitu illius amoris turpis: tunc certum eſt, requiri, vt aiunt prædicti authores vrgētem cauſſam ex parte illius, qui recurſum habet ad concubinam Iudicis. & vt aliquid addam pertinens ad praxim exiſtimo grauitatem negotij in hac materia eſſe determinandam à Viro prudenti, & eſſe talem, vt penſatis omnibus, cenſeatur notabilis vtilitas, ſi ſententia proferatur in fauorem; & notabile damnum ſi proferatur contra ipſum, qui ponit interceſſionem, ſiue ſit in honore, & fama, ſiue in bonis temporalibus. & demum aduerto, quòd ſi alijs vijs poſſit facilè haberi intentum, non erit licitus recurſus ad concubinam Iudicis, quia intātum excuſatur à peccato, inquantum eſt neceſſitas: at ſi alijs modis intentum obtineri queat, neceſſitas ceſſabit, & per cōſequens non erit caput, ex quo excuſetur talis recurſus. Ad fundamenta vero quibus innititur Pater Sanchez patet ſolutio ex dictis; negandum enim eſt illi, inuiſere Iudicem, ſcribere, vel ad illum mittere nuncium eſſe adeo mala, vt nunquam cohoneſtari poſſint.

SECTIO DECIMA.

Vtrum ſit licitum præbere alteri occaſionem patrandi aliquod peccatum v. g. furandi, adulterandi, &c. in hunc finem, vt deprehenſus puniatur, & reſipiſcat.

SVMMARIVM.

Præbere abſolute talem occaſionem non eſt intrinſece malum. 1
Et licitum eſſe exiſtimant aliqui. 2
Exponitur quando eſt licitum prædictas occaſiones præbere in ſententia authoris. 3
Et vlterius declaratur quando non liceat præbere talem occaſionem. 4

NOn eſſe abſolutè intrinſecè malum, res eſt indubitata; nam ſcimus ſæpe à Deo poni hominem in talibus circūſtātijs, in quibus ipſe præuidet hominē illū habere occaſionem peccandi, & de facto peccaturum, quamuis Deus id faciat ob finem honeſtum; at difficultas eſſe poteſt inter homines, num illis licitum ſit alteri 1

præ-

Digitized by Google

præbere occaſionem peccati ob illum finem, qui aſſeritur in quæſito.

2 Dicendũ eſt id eſſe licitum. ita docent *Nauarrus in ſum. cap. 17. num. 124. Vega cap. 120. Caſ. 1. Rodriquez cap. 124. num. 7. Valentia 2. 2. diſp. 5. q. 6. p. 5. dub. 7. Emanuel Sa v. peccatum n. 6. Sanchez lib. 10. de matr. diſp. 12. num 52. Bonac. in decalog. diſp. 2. quæſt. 4. p. 2. §. unico num. 28. Molina tom. 3. de iuſtit. d. 739. n. 8. Azor. tom. 3. lib. 4. cap. 16. quæſt. 6. Ioannes Sancius in ſelectis d. 35. num. 12.* & alij apud ipſum; ex quo principio inferunt licitum eſſe cuſtodibus vinearum, ſe abſcondere, vt viatores illuc tranſeuntes, dum vineam ingrediuntur ad eam deprædandam capiantur, & dum puniuntur, in poſterum abſtineant ab ingreſſu. Rurſus licitum etiam eſſe parentibus, & Dominis non auferentibus occaſionem aliquã furandi filijs, & famulis, vt deprehenſi in flagranti furto reſipiſcant. Demum non eſſe peccatum si vir habens rationabilem ſuſpicionem de adulterio vxoris, obſeruet illam, & non auferat occaſionem, vt deprehendendo illam in delicto, eam puniat in hunc finem, vt corrigatur, & in poſterum ſe abſtineat.

3 Dicendum ſecundò eſt, præbere prædictas occaſiones tùnc eſſe licitum, quando eſt notitia ſufficiens, quòd filij, vel famuli similia delicta patrare ſoleant; vel eſt notitia de eorum propenſione ad illa facienda; vel denique licèt perſonæ particularis, quæ furtum, aut ſimile delictum committit minimè agnoſcatur, ſed ſolũ ſit cognitio confuſa, conſtãdo de delicto, ſed non de fure, tunc vt deprehendatur latro, poterit dari illi occaſio, vt inter furandum deprehendatur, & puniatur: at quando nullum ex his concurrit, non erit licitum occaſionem peccandi præbere; eſset enim ſcandalum actiuum, ac proinde peccatum, & idem aſſero de occaſione aliorum criminum. falſa, & reijcienda eſt opinio quorundam Iuriſtarum, quos *diſp. cit. n. 54. refert Sanchez*, dicentium licere inter virum, & vxorem pactum inire, vt amaſio, qui violare conatur eius caſtitatem conniueat, concedens locum non in hunc finem, vt adulterium patretur, ſed vt ipſe amaſius deprehenſus, corrigatur; falſa inquam eſt hæc opinio, quia nequit mulier etiam ſolum exterius conſentire in adulterium, & ad illud excitare amaſium; & ideo Sãchez putat prædictos Iuriſtas loquutos fuiſſe non in foro conſcientiæ, ſed in foro externo.

4 Dicendum tertiò eſt, non eſſe licitum cuſtodibus vineæ, aut alterius loci ſe abſcondere ad hoc, vt aliqui ingredientes capiantur, & poſtea cogantur pœnam ſoluere. ita aduertit *Bonacina loco citato*; & ratio eſt manifeſta, quia finis iſte, nempè ſolutio pœnæ, & lucrum ſperatum non eſt motiuum rationabile, quo poſſint cuſtodes excuſari à graui peccato, præbendo alijs occaſionem committendi delictum; ideòque vniuerſaliter eſt aſſerendum, tunc eſſe licitam exhibitionem occaſionum delinquendi, quando ſit inhoneſtum, & proportionatum finem ipſi met exhibitioni, & quando ſperatur correctio delinquentis, vel recuperatio bonorum, quæ à fure ſurrepta fuerunt, & ideò in hac re eſt neceſſaria prudentia, & conſilium confeſſarij, vel alterius viri docti, ne detur nimia libertas in præſtandis ſimilibus occaſionibus.

SECTIO VNDECIMA.

Vtrum mulier credens ab aliquo turpiter eſſe amandam, ſi eius aſpectui ſe offerat; vel ſi ſe ornet, teneatur ad vitandum illius ſcandalum, domi ſe continere, vel minimè ſe ornare.

SVMMARIVM.

Refertur triplex ſententia circa primam partem quæſiti; nempè an mulier teneatur domi ſe continere, ne præbeat alteri occaſionem peccandi, à quo ſcit turpiter ſe eſſe amandam. 1

Speculatiuè loquendo, ſi nulla eſt neceſſitas egrediendi, debet mulier pro vna, aut altera vice ſe domi continere, ſecũdum aliquos. 2

Sed oppoſitum ſuſtinet author, exiſtimãs mulierem non teneri domi ſe continere; per ſe loquendo, etiamſi ſciat ab aliquo ſe turpiter eſſe aſpiciendam. 3

Secùs autem dicendum eſſet ſi mulier ex vanitate quadam, & ex induſtria amantis aſpectui ſe offerat, etiã ſi amorem illum non intendat. 4

Si mulier gerat ornatum ſuperfluum, & ſciat, ab alio turpiter ſe eſſe amandam, putant aliqui lethaliter peccare. 5

Contrarium ſuſtinet author, ſi ornatus ſit ſecundum qualitatem perſonæ, & patriæ conſuetudinem. 6

Etſi ornatus ſit ſuperfluus, peccat mulier venialiter. 7

Si verò ornatus ſit turpis, & meretricius, mulier peccat lethaliter. 8

LOquendo de prima parte quæſiti, nẽpè quando mulier egrediens è domo, aliorum aſpectui ſe offert, prima ſententia vult, quod quando nulla eſt neceſſitas aut 1

vti-

vtilitas egrediendi, si mulier ſciat turpiter ab aliquo amari, peccare mortaliter egrediendo, citatur à *Sanchez S. Anton. 2. p. tr. 7. cap. 4. §. 4. in fine, Syluestr. v. ſcandalum quæſt. 2. Nauarr. in ſum. cap. 23. num. 19. & ſeq. Azorius tom. 2. li. 12. cap. vlt. q. 12. & alij*. at *Vaſquez opuſ. de ſcandalo a. 8. dub. 2. num. 38. Turr. in 2. 2. diſp. 96. dub. 2.* diſtinguunt, & inquiunt si ſcandalum paſſiuum oritur ex malitia amantis non teneri mulierem illã
1 domi ſe continere; si verò oritur ex ignorantia, vel fragilitate, mulierem exire nõ debere, nisi forſitan ad implendum aliquod præceptum v. g. ad audiendum ſacrum, vel aliud simile. alia tertia ſententia eſt illa, quam ſequitur *Caietanus 2. 2. qu. 15. a. 4. in fine, & 169. a. 2. ad quintum dubium. Armilla v. Ornatus num. 3. v. Scandalum num. 3 Sanchez in decalog. lib. 1. cap. 6. num. 17. Granado 2. 2. controu. 3. trac. 13. d. 5. ſect. 5. num. 28 Caſtropalao tom. 1. tr. 6. diſp. 6. p. 16. nu. 4.* qui docent mulierem non teneri domo non egredi.

2 Dico primò; si rem ſpeculatiuè consideremus, non eſt dubium, quin mulier hic, & nunc, si ſciat ab aliquo particulari fore vt turpiter ametur, si egrediens eius aſpectui ſe offerat, obligetur ad non egrediendum pro vna, aut altera vice, si nulla occurrat neceſſitas, aut vtilitas, illius egreſſus; nam tunc charitas obligat ad impediendam ruinam ſpiritualem proximi, dum poſſumus sine damno, aut incommodo noſtro id præſtare, vt contingeret in prædicto caſu; nam pro vna, aut altera vice, manere domi quando nulla eſt neceſſitas, vel vtilitas egrediendi, eſt res facilis, & parui momenti, cui præponenda eſt vtilitas ſpiritualis alterius, quę habetur in impedimento peccati eius. at res si practicè ſpectetur, non ita ſe habet, quia valdè durum eſt, & ſcrupulorum plurimã materiam præberet, obligare mulierem, vt domi ſe contineat, eique imponere obligationem ad videndum, an ſcandalũ illius adamantis oriatur ex malatia, vel ex fragilitate, &c. hoc enim foret nimium difficilè, & moraliter impoſſibile.

Dico igitur ſecundò regulariter, & per
3 ſe loquendo veriſſimam eſſe tertiam ſententiam; videlicet mulierem non teneri domi ſe continere, etiamsi probabiliter credat, quod egrediens, ſit ab alio turpiter amanda, & ratio, quæ me mouet ad hanc opinionem amplectendam eſt, quia durum eſſet priuare ſe ſua libertate circa actiones illas communes, quæ paſſim ab omnibus exercentur; neque illa limitatio si ſemel, aut bis maneat domi placet, quia non eſt maior ratio, cur bis, aut non ter, aut non quater, &c. & ſic in ponenda tali taxa animus varijs anguſtijs, & ſcrupulis cruciaretur. concludendum ergo eſt poſſe mulieres ob honeſtum finem domo egredi, & aliorum aſpectui ſe offerre, quamuis præuideant ab aliquo libidinoſe amandas eſſe Dixi regulariter, & per ſe; quoniam in eo caſu, qui rarò euenit, & ſuperius à nobis poſitus fuit, eſſet obligãda mulier ad aliquod breue tempus domi ſe continere ad vitandum alterius ſcandalum. *Dixi* etiamsi mulier agnoſcat ab aliquo in particulari amandam fore; nam si in confuſo sine determinatione alicuius perſonæ particularis, id ſciat, omnes doctores conueniũt de tali ſcandalo nullam eſſe habendam rationem, quia hoc ferè ſemper euenit, vt mulieres pulchræ, dum ab alijs aſpiciuntur, turpiter adamẽtur, & moraliter eſt impoſſibile, vt in magna communitate non inueniantur aliqui laſciui; & ideò si mulieres ob hoc deberent domi ſe continere, deberent etiã perpetuo claudi, quia talis occasio nũquam ceſſat.

Dico Tertiò. si mulier ex vanitate qua- 4
dam, data opera, & induſtria iuuenis adamantis aſpectui ſe offerat ſciens eius turpem amorem, etiam ſi illum non intendat, non erit immunis a peccato mortali ſcandali. ita notauit *Sanchez l. c.* nam aliud eſt, vt ipſe ait, priuare ſe ſua libertate eũdi quocumque: aliud verò eſt ex induſtria aſpectui adamantis ſe offerre; nam primũ valde oneroſum eſt: ſecundum autem facilè vitari poteſt.

Circa ſecundam partem quæſiti; nem- 5
pè de ornatu earumdem mulierum aliqui putarunt non excuſari à mortali peccato; ſi ornatus ſit ſuperfluus, & mulier ſciat, quod ſi ita ornatam ſe præbeat aſpectui alicuius adoleſcẽtis turpiter ab illo ſit cõcupiſcenda. citat pro hac ſententia *Laymã Angelum v. Ornatu num. 10. & ipſe Angelus laudat Alexandrum Alenſem*.

Dico quarto. ſi mulier incedat cum or- 6
natu ſecundum qualitatem perſonæ, & communem conſuetudinem patriæ; etiãſi ſciat turpiter ab aliquo amandam fore, nõ peccat. ita *Caiet. ll. citatis. Leſſius lib. 4. de iuſt. cap. 4. num. 113. Sanchez capite illo 6. num. 17. Bonac. de matr. quæſt. 4. p. 9. num. 17. Caſtropaldo de charit. trac. 6. diſp. 6 p. 7. num. 1. & alij*, qui communiter probant hanc ſententiam ex eo quod, eſſet graue onus obligare mulieres ſine ornatu decente procedere, immò redundaret in earum dedecus, quod non tenentur vitare ob ſcandalum paſſiuum aliorum.

Dico quinto. ſi ornatus ſit ſuperfluus nõ 7
peccare, niſi venialiter cenſet *Layman tr.*

1.

1. l. 2. *tract. 3. cap. 13 num. 11. & idem Caſtropalao ex Nauar. Caiet. & alijs*; nam talis ornatus videtur valdè remotè ſe habere ad alliciendos alios ad luxuriam: attamen notant Leſſius, & Layman, quod in aliquo caſu ad breue tempus ad vitandum ſcãdalum alicuius particularis omitti deberet ornatus ſuperfluus, ſi abſque difficultate id fieri poſſit.

8 Dico ſextò. ſi ornatus ſit turpis, & meretricius, tunc mulier non eſſet excuſanda à peccato ſcandali, vt ſi veſtes non tegant, vel valdè tenuiter tegant partes pudendas. ita *Leſſ. cap. cit. num. 112. §. Tertiò ratione. Layman ibidem num. 11. §. Eſt circumſtantia. Turr. diſp. 96. dub. 2. §. Ex traditis autem. Vaſquez loco cit.* & alij. & ratio eſt, quia talis ornatus habet ſpeciem mali, & ex ſe eſt inductiuus hominum ad libidinem.

SECTIO DVODECIMA.

An peccent caupones vendentes vinum ſe inebriaturis, cibos ieiunium fracturis, &c.

SVMMARIVM.

1 *Nequeunt ſine cauſa vrgente caupones vendere vinum ſe inebriaturis.*
2 *Secus ſi habeant rationabilem cauſam.*
3 *Aſſignatur quænam ſit cauſa ſufficiens.*
4 *In venditione ciborum ijs quos præuident fracturos eſſe ieiunium, minor cauſa eſt ſufficiens.*
5 *An liceat pharmacopolæ vendere pro veneno, cinerem, ſi præuideat emptorem veneno aliquem eſſe occiſurum.*

1 Sine cauſſa vrgente nequeunt caupones, & ſimiles vendere vinum ijs, quos præuident ſe inebriaturos. res eſt apud omnes certa, quia tenentur non ſubminiſtrare materiam, ex qua alius ſumpturus eſt occaſionem peccandi; ac proindè illa venditio erit ſcandalum actiuum. ſic *Caiet. in opuſc. tom. 1. tract. vlt. reſponſ. 13. dub. 4. Rodriquez in ſumma 2. p. cap. 76. num. 15. Val. 2. 2. d. 5. quæſt. 21. p. 4. Sãchez in decalog. lib. 1. cap. 7. num. 33. Caſtropalao de charit. tract. 6. diſp. 6. p. 14. Merolla tom. 1. d. 2. cap. 4. concl. 5.* & alij.

2 Cauſſa autem rationabili poſita, non erit peccatum vendere vinum ſe inebriaturis. ita authores prædicti; & in hoc ſẽſu eſt intelligendus *Emmanuel Sà v. Ebrietas, num. vnico* abſolutè proferens id nõ eſſe peccatum. ratio huius concluſionis dependet ex regulis generalibus in materia ſcandali, nam venditio illa ex obiecto eſt indifferens, & quamuis emptor ſit abuſurus vino illo, dum ſe inebriabit, nihilominus poſita cauſſa proportionata vendentes excuſabuntur.

Cauſſa verò excuſans erit si negantibus vendere talibus perſonis vinum, obueniat notabile detrimentum, v. g. ſi probabiliter timeant quod ab emptoribus verberibus, aut contumelijs afficientur, vel ſi ob hanc negatam venditionem diminuatur notabiliter multitudo ementium cũ graui ipſorum damno. 3

In venditione autem ciborum ijs, quos præuident fracturos ieiunium, minor cauſſa erit ſufficiens, quia in fractione ieiunij non eſt periculum damni contra tertium, ſicuti ex ebrietate, ex qua ſolent cauſſari rixæ, & interdum homicidia, &c. at requiritur cauſſa etiam proportionata, & cũ hac conditione amplectimur hanc opinionem, quam ſequuti ſunt *Salonius 2. 2. q. 77. a. 4. controu. 6. poſt tertiam concluſionem. Rodriquez in ſum. par. 1. cap. 23. n. 8. Sanchez cap. cit. num. 35. Leſſius lib. 4. cap. 2. num. 14. Caſtropalao, Merolla ll. cc. & alij.* contrarium docent *Nauar. in ſum. cap. 21. num. 26. Gabriel in 4. diſput. 16. quæſt. 3. a. 3. d. 6. Medina Cod. de ieiunio quæſt. De his, per quæ eccleſiaſticum ieiunium ſoluitur.* ſed primi admittentes id poſſe fieri, loquuntur poſita cauſſa rationabili. hi ſecundi id negant, quando non daretur cauſſa ad talem venditionem ſufficiens, quæ poteſt eſſe, vel timor damni corporalis inferẽdi ab ementibus, vel proportionata emptorum diminutio. ad hęc addo animaduerſionem Patris Sanchez, qui ait moraliter loquendo tabernarios, & caupones excuſari à peccato mortali; tum quia ſi negent petentibus cibos hoc non obſtante illi non ſunt ieiunium ſeruaturi, quia alio confluerent ad emendos cibos, tum quia vt plurimum confluentes ad tabernarios, &c. ſunt peregrini, operarij, vel pauperes, qui omnes per ſe loquendo nõ tenentur ad ieiunium; tum denique quia ſi confluentes ſint vagantes, & deperditæ vitæ, tabernarios denegantes cibos iniurijs, & contumelijs afficient; ac proindè vt plurimũ ſemper erit aliqua cauſſa excuſans, quam ſi fingamus non adeſſe, tunc non excuſarentur à ſcandalo actiuo, vt diximus. 4

Quæres an ſi quis deliberatus veneno interficere alium, in hunc finem accedat ad pharmacopolam, vt emat v. g. arſenicum, aut alterius generis venenum, & venditor ſciens eius prauam determinationem, ductus pietate ne ille alius innocens occidatur loco illius veneni, quod emptor petit ſubminiſtret cinerem, aut aliud pulueris genus ſimilitudinem habentis cum illo veneno, quod emptor petit; 5

Digitized by Google

tit; quæritur inquam an in tali caſu pharmacopola peccet peccato ſcandali actiui. reſpondeo hunc caſum proponit *Comitolus in reſp. moral. lib. 5. q. 12.* & reſoluit partem affirmatiuam, quia, vt ipſe ait ex S. Thoma ſcandalum actiuum non ſolum reperitur, cum quis inducit alterum ad peccandum, ſed etiam quando factum noſtrum tale eſt, vt ſit malum, vel habeat ſpeciem mali, quia vtroque modo alter inducitur ad peccandum; & ideo in caſu prædicto emptor credens cinerem illum eſſe venenum excitatur ad interficiendũ alterum. ſed mihi videtur dicẽdum, quod ſi pharmacopola timeat aliquod graue dãnum ab emptore, ſi deneget venenum, licitè poſſit cinerem pro veneno ſubminiſtrare; dummodò compenſet pretium, ne committat iniuſtitiam, & æquiuocet, ne dicat mendacium: at ſi nullum timeatur damnum, vera erit opinio Comitoli.

SECTIO DECIMATERTIA.

An ſit ſcandalum actiuum vẽdere res indifferentes, quibus emptor ſit malè vſurus.

SVMMARIVM.

1 *Supponuntur quædam.*
2 *Prima opinio affirmat abſolutè talem vẽditionem eſſe peccatum.*
3 *Secunda ſententia diſtinguit.*
4 *Tertia ſententia aſſerit poſſe vendi quaſcumque res indifferentes indiſcriminatim.*
5 *Maior cauſa, & vrgentior requiritur ad vendendas res, quæ ab hominibus ſunt primo, & per ſe deſtinatæ ad malum vſum, quam res, quæ non ſunt ita deſtinatæ ad malum vſum.*
6 *Quæ nã ſit cauſa proportionata ad excuſandam venditionem talium rerum.*
7 *Refertur limitatio, quam apponit Sanchez venditioni veneni, & circa hoc aperitur authoris ſententia.*

1 SVpponimus controuerſiam, & dubitationem non eſſe, quando res iſtæ indifferentes ea intentione venduntur, vt emptor illis in malum finem vtatur: neque quando venditor eſt omninò inſcius de praua ementis voluntate; nam in primo caſu eſt directa cooperatio ad malum; in ſecundò verò nullum eſt peccatum, cum ad venditorem non ſpectet examinare intentionem emptoris, quando nullum ſufficiens, & rationabile habet inditium ſuſpicandi de rerum venditarum abuſu. Tota igitur difficultas eſt, quando ex parte venditoris eſt notitia de mala intentione ementis, quo poſito tres ſunt opiniones.

Prima abſolutè ait talem venditionem eſſe peccatum, ac proinde habere rationem ſcandali actiui. citari ſolet *S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 23. §. 13. Medina c. de reſtit. quæſt. 31. §. Tertio redditur. Gabriel in 4. diſt. 15. quæſt. 13. art. 3. dub. 4.*

Secunda procedit cum diſtinctione, aitque res iſtas indifferentes eſſe in duplici genere: nam aliquæ ſunt ad prauum vſũ deſtinatæ, vt ſunt idolum, veſtes ſacerdotales ſuperſtitioſæ, & ſimilia, quæ infidelibus venduntur: aliæ vero indifferenter applicantur, ſiue ad bonum, ſiue ad malum vſum, vt agnus, qui idolis eſt immolandus, flores, rami, & ſimilia, qua poſita diſtinctione, aſſerit hæc ſententia, res primi generis non poſſe abſque peccato ſcandali vendi: res autem ſecundi generis poſſe. & hanc opinionem ſuſtinent quamplures. *Caiet. 2. 2. q. 10. ar. 4. Bañes, & Aragonius ibidem Rodriquez in ſum. tom. 2. cap. 76. n. 13. Salonius 2. 2. q. 77. a. 4. contr. 6. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 22. q. 6. & cap. 24. q. 14. tom. 2. lib. 12. cap. vlt. q. 10.* & in eadem opinione eſt *Caſtropalao tract. 6. q. 6. p. 9. & Suarez* ſi attentè legatur *diſp. 10. de charit. ſect. 4. concl. 2. & 3.* & ex parte *Molina tom. 2. d. 340. & alij.* fundamentum huius ſententiæ eſt, quia, res primi generis, vtpotè deſtinatæ in prauum vſum, nequeunt vendi, quin videatur venditor indirectè ſaltem cooperari malæ ementis intentioni: at cum res ſecundi generis ſint indifferentes ad bonum, & malum vſum, non cenſetur quod venditor neque directè, neque indirectè cooperetur prauæ voluntati alterius, & non tenetur prohibere, quin alius talibus rebus abutatur. 2

Tertia indiſcriminatim loquitur, & vult poſſe quaſcumque res indifferentes vendi, etiam poſita ſcientia de prauo fine ementis, dummodo rationabilis cauſſa talis vẽditionis ex parte vendentis concurrat, ita *Valentia 2. 2. diſp. 1. q. 10. p. 5.* incipiendo ab illo §. *Controuerſia autem eſt* ſequens opinionem *Syluestri v. Infidelitas q. 4.* eamdem ſententiam tuentur *Sanchez lib. 1. decalogi cap. 7. num. 13. Meroiſa in ſua theologia morali diſp. 2. cap. 4. num. 259.* qualuis ibidem referat pro hac ſententia, quos nos laudauimus pro ſecunda, cum qua, re vera ſentiunt. 3

Dico igitur primo: hãc vltimam ſententiam mihi videri veriorem, quæ probari poterit ex vniuerſalibus principijs, nempe quælibet actio, quæ ex ſuo obiecto eſt indifferens ad bonum, & malum, quamuis hic, & nunc ex quadam circumſtantia 4

 extrin-

extrinſeca efficiatur malè ab alio, qui benè, ſi velit, illam exercere poſſet, toties poterit rationabili, & proportionata cauſſa interueniente honeſtè, & licitè cum alio fieri non obſtante ſcientia, quæ habetur de praua illius intentione: ſic in caſu noſtro venditio prædictarum rerum, ſiue primi, ſiue ſecundi generis eſt actio ex ſuo obiecto indifferens: nam idolum poterit inſeruire in ordine ad alium finem honeſtum, videlicet ad memoriam gentilium errorum retinendam, & ad illos errores contemnendos, ſicuti etiam veſtes illæ ſuperſtitioſæ, vt comburantur, vel vt ex earum materia aliquid aliud efficiatur; & ideo ſi emptor volit, poterit res iſtas, aut ſimiles vſurpare in honeſtum finem; nulla enim reperitur res naturalis, quæ in aliquem finē bonū nobis inſeruire nequeat, aliter eſſet phyſicè, & ſecundum ſuam naturam mala, quod contradictionem inuoluit, cum omne ens phyſice ſpectatum ſit à Deo, à quo malum morale eſſe non poteſt; & potiori ratione hoc aſſerere debemus de rebus ſecundi generis. ergo dari poteſt talis cauſſa ex parte venditoris, vt eius venditio neque directa, neque indirecta ſit cooperatio ad malum. maior ex dictis in toto hoc tractatu eſt manifeſta, & in confeſſo apud omnes, quia, vt ſępè diximus obligatio impediendi peccatum alienum oritur ex virtute charitatis; at interdum poſſunt concurrere tales circumſtantiæ, vt non teneamur cum notabili noſtro diſpendio prohibere peccatum alterius, ſed licitè poſſumus illud permittere, & vti eius malitia in bonum finem. Quapropter quoties actus ex ſe non eſt malus, ſed in malum dirigitur à praua intenſione alterius, aliquando abſque peccato talē actum ab alio petere; & facere poſſumus cum illo à quo eūdem actum poſtulamus.

5 Dico ſecundò: longè maior, & vrgentior cauſſa requiritur ad vendendas res primi, quam ſecundi generis, quia, vt diximus in regulis generalibus, quo res, ſeu cooperatio eſt peccato alterius vicinior, eo exigit in cooperante cauſſam vrgentiorem ad excuſandum à peccato; at idolum, & veſtes illæ ſuperſtitioſæ cum ſint ab hominibus deſtinata primò, & per ſe ad malum vſum, quamuis poſſint bono vſui inſeruire, ideò cenſentur veluti propinquiores ad peccatum.

6 Cauſſa autem proportionata ad excuſandam venditionem rerum primi generis eſſe poſſet, vel probabilis, & rationabilis timor alicuius grauis nocumenti in honore, vel in corpore, vt ſi timeat venditor, quod denegans emptori res illas ab illo contumelijs, aut verberibus afficiatur, vel eſſe poſſet graue damnum in bonis temporalibus, aut quid ſimile, arbitrio prudentis, in caſibus indiuidualibus, determinandum, penſatis omnibus circumſtantijs. at in rebus ſecundi generis, vt ait *Sanchez l. c. num.* 12. *in fine ex Azorio* proportionata cauſſa excuſans erit iactura quam patitur non vendendo res venales, quas apud ſe habet. limitat tamen in caſu, quo abuſus illarum rerum eſſet in damnum tertij, & contra iuſtitiam, quia tunc requireretur maior cauſſa, quam ſit ſola iactura illarum rerum venalium, quæ ſit arbitrio prudentis proportionata, & magis præponderet, quam damnum illud contra tertium.

Rurſus limitationem aliam ponit idem *Sanchez num.* 17. *& Merolla num.* 269. 7
videlicet, ſi quis vellet emere venenum, & tale, quod nequeat deſeruire alijs reipublicæ vſibus, vt eſt venenum, quo ſolet confici colores, vel aliquæ medicinæ, &c. ſed tale quod regulariter ad interficiendos homines adhibetur; tunc venditio nō erit licita, & ideo interdicta iuribus ciuilibus: *l. Quod ſæpè. §. Veneni. ff. de contrab. empt. & vend.* & etiam prohibetur proprijs legibus Hiſpaniæ; immò aliud venenum, quod prædictis vſibus inſeruit aiūt hi authores non poſſe vendi quibuſcumque perſonis, ſed illis, de quibus conſtat ex officio, vel alijs circumſtantijs illud emere ad vſus licitos. cæterum hoc quod docet Sanchez circa venditionem veneni, quod inſeruire poteſt in bonum; ſicuti, & de multis rebus, quæ poſſunt nocere hominibus, non practicatur; nam ſine alia inquiſitione paſſim vēditur vnicuique; ideòque aio, quod res, quæ habent rationem veneni, & poſſunt nocere hominibus, & etiam poſſunt inſeruire rebus neceſſarijs, ſi nulla eſt probabilis ſuſpicio de malo vſu, licitè vendi poſſunt, quia ſe habent, vt res indifferentes, & nemo præſumitur malus, & velle in prauum vſum res iſtas conuertere, niſi conſtet de ſiniſtra intenſione, vel ſit rationabile fundamentum dubitandi; nam ſi adeſt probabile dubiū, tunc certum eſt venditores teneri, vel ſuſpendere venditionem, vel inquirere finē, ob quem huiuſmodi res emuntur. ad fundamentum contrariæ opinionis patet ſolutio ex dictis, nam, & ſi res primi generis habeant maiorem connexionem cum peccato: tamen ex hoc nihil aliud ſequitur, niſi quod ad ſui venditionem vrgentiorem requirunt cauſſam ex parte venditoris, qua poſita negamus indirectè venditorem concurrere ad peccatum.

Digitized by Google

SECTIO DECIMAQVARTA.

Vtrum locantes domos meretricibus, & vſurarijs, & commodantes cubiculum poſtulanti illud ad fornicandum, excuſandi ſint à peccato ſcandali.

SVMMARIVM.

1 *Refertur quorumdam opinio circa locationem domus meretricibus, & vſurarijs.*
2 *Licitum eſſe per ſe loquendo meretricibus, aut vſurarijs vendere, vel locare domos affirmat, & probat author.*
3 *Quod ſi domus ſit in tali loco, in quo videretur eſſe aptior ad peccandum, tunc maior cauſa requiritur ad eam locandam, vel vendendam meretricibus, &c.*
4 *Item vrgentior requiritur cauſa ſi velit locare meretrici domum exiſtentem in conuicinio honeſto.*
5 *Quæ dicta ſunt de locatione in ordine ad meretrices, intelligi debent etiam in ordine ad vſurarios.*
6 *Ex doctrina tradita de locatione non rectè quis deduceret, quod poſſit commodari cubiculum alicui petenti ad fornicandum.*

1 LOquendo de meretricibus *Nauarrus in ſumma cap. 17. num. 195.* vult nõ eſſe licitum illis domos locare, aut vendere, niſi quando domus locanda eſt in ea parte Ciuitatis, in qua Reſpublica meretrices permittit. at loquendo de vſurarijs, abſolutè negat id licere, quam opinionem expreſsè ponit *Lopez in inſtruction. 1. parte capite 201. & Bartholomaus à S. Pauſto in ſpeculo diſput. 10. quæſt. 24.* videntur enim exiſtimare eſſe maiorem rationem de vſurarijs, quam de meretricibus, quia peccatum vſurarij eſt contra iuſtitiam; at peccatũ meretricũ per ſe non eſt tale.

2 Sed dicendum eſt primo cum communi ſententia licitum eſſe per ſe loquẽdo tum meretricibus, tum vſurarijs domos vendere, aut locare ſine vlla alia neceſſitate, niſi ob lucrum, quod habetur ex tali venditione, aut locatione. ita *Salonius in 2. 2. q. 77. a. 4. contr. 6. poſt 4. concl. Corollar. 3. Valent. in 2. 2. diſp. 5. quæſt. 20. p. 5. Vaſquez de ſcandalo quæſt. 43. art. 8. dub. 5. Leſſius lib. 2. de iuſtit. cap. 24. dub. 8. Azor. tom. 2. lib. 12. cap. vlt. q. 3. Sanchez lib. 1 decalog. cap. 7. num. 20. Rebel. de iuſtit. lib. 14. q. 17. num. 8. Caſtropalao de charit. tract. 6. diſp 6. p. 12 Bonacina in decalog. diſp. 2. q. 4. p. 12. S. Vnico n. 23. & de matr. q. 4. p. 14. n. 5. Merolla tom. 1. diſp. 2. cap. 4. Corol. 4. Bartholomaus à S. Pauſto. l. c.* & alij. Ratio eſt, quia locus valdè extrinſecè, & remotè ſe habet ad peccatum, neque meretrices ſumunt occaſionem, aut magis ſe excitant ratione loci, & ſe habet ſicuti veſtis, cibus, aer, &c. ac proinde non eſt eadem ratio de loco, & materia, nam hæc intrinſecè pertinet ad peccatum externum; idcirco ad materiam ſubminiſtrandam requiritur maior cauſſa proportionata; nam Reſpublica, quamuis concedat meretricibus domum ad habitandum, ſicuti eiſdem concedit cibos, veſtes, & alia ad vitam tranſigendam neceſſaria: tamen non concedit illis aptitudinem, vt liberius peccare poſſint.

Dicendum ſecundo eſt: locus interdum poteſt influere in peccatum, & ad illud excitare animum. ſit v. g. domus in tali ſitu, & parte, vbi videretur eſſe commodior ad peccandum, tunc præter illam communẽ cauſſam exigendi pretium venditionis, aut locationis deſideraretur maior cauſſa ad excuſandum venditorem, aut locatorem: quæ quidem cauſſa deberet iudicari à viro prudenti ſecundum maiorem, aut minorem aptitudinem, quam habet ad hunc effectum, & facta comparatione cum neceſſitate, aut vtilitate vendentis, &c. ſic *Sanchez, Merolla, Caſtropalao, & alij.* 3

Dicendum eſt tertio. ſi domus eſſet propinqua alijs domibus, in quibus habitant perſonæ honeſtæ, & vicinitas meretricis illis eſſet nociua, & moleſta; tunc requireretur grauior cauſſa ad excuſandũ locatorem, & proportionata moleſtiæ quam patiuntur illæ perſonæ honeſtæ, vt aduertit Salonius, & Sanchez locis citatis. 4

Dicendum eſt quarto. quæ aſſerta à nobis ſunt de locatione in ordine ad meretrices, idem affirmamus in ordine ad vſurarios: nam in hoc eadem eſt ratio, cum etiam reſpectu vſuræ extrinſicè, & remotè ſe habeat domus: attamen notant doctores citati, non poſſe domos locari vſurarijs alienigenis; eſt enim id interdictum in iure canonico *cap. de vſuris in 6.* ſed vt ait Leſſius multis in locis id non ſeruatur, proinde in hoc ſtandum eſt conſuetudini. 5

Ex his poſſet quis deducere licitum eſſe commodare alicui petenti cubiculum ad fornicandum, ſed non rectè colligitur; nam quamuis ſentiam, quod, quando timetur graue damnum, commodare cubiculum, non hac intentione, vt alius fornicetur, ſed animo vitandi damnum proprium, licitè fieri poſſit, vt notauit *Sanchez cap. 5. n. 31. Merolla n. 295.* tamen non eſt eadem ratio de locatione, ſeu venditione domus, & de commoditate, quæ datur ſubminiſtrando cubiculum poſtulãti illud in 6

in finem turpem. diſparitas eſt, quia domus, quæ venditur, aut locatur, eſt primò, & per ſe destinata ad varios vſus, qui ſunt ſimpliciter neceſſarij ad humanam vitam conſeruandam, & indè eſt, vt Reſpublica non prohibeat meretricibus, & ſimilibus habitationem domus: at præciſa ſubminiſtratio cubiculi hic, & nunc prout petitur, non habet alium vſum, nec petitur ad alium finem, niſi ad fornicandum; & ideò non valet paritas inter vnum, & alterum. rectè igitur dixi ad commodandum cubiculum poſtulanti illud ad prauũ illum finem requiri grauẽ cauſſam neceſſitatis, aut vtilitatis, aut fugæ ab aliquo notabili nocumento, quæ ſunt à confeſſario, ſeu ab alio viro docto conſideranda, cum caſus particulares occurrerint.

SECTIO DECIMAQVINTA.

Vtrum, qui interueniunt comœdijs, aut ludis turpibus peccent peccato ſcandali actiui.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur ſenſus quæſtionis.*
2 *Componentes, & repræſentantes actiones turpes peccant peccato ſcandali actiui.*
3 *Peccant etiam eodem peccato Reſp. Gubernatores, & Prælati, qui ſimiles repræſentationes permittunt.*
4 *Difficultas eſt de aſtantibus; an ſcilicet peccent peccato ſcandali, quatenus hi ſua præſentia excitant histriones ad repræſentandum.*
5 *Aperitur authoris ſententia.*
6 *Quæ dicta ſunt de comœdijs turpibus militant etiam in alijs actionibus peccaminoſis, vt ſunt agitationes taurorum, in quibus ſit euidens periculum mortis ludentium.*

1 NOn conſideramus in hoc capite comœdias, aut ſimiles repræſentationes, quatenus ſunt actiones excitantes ad peccatum ipſos aſtantes in ordine ad ipſos, qui labuntur in peccatum, quia eorum conſideratio pertinet ad tractatum de ſcandalo paſſiuo, ſed primario illas cõſideramus in ordine ad eos, qui non mouentur ad peccatum, ſed ſolum fouent animum eorum, qui repræſentant ad componendas, & exercendas has actiones, & quærimus vtrum hi, qui hoc modo aſtant, cenſeantur peccare peccato ſcandali, quatenus ſunt cauſſa harum repræſentationum ex ſe inductiuarum ad malum.

2 Dico igitur componentes, & repræſentantes actiones turpes, quæ, vel ſunt turpes, & malæ, vel habent ſpeciem mali, certum eſt peccare peccato ſcandali actiui; & hoc euidenter colligitur ex definitione ſcandali initio huius tractatus aſſignata, & eſt inconfeſſo apud omnes, qui de ſcandalo tractant.

Dico ſimiliter grauiter peccare Reipublicæ Gubernatores condeſcendentes, vel permittentes ſimiles repræſentationes; nã ad ipſos cum ſpectet bonum totius communitatis regimen, tenentur impedire turpes illas actiones, & ob eamdem rationem Prælati, qui poſſunt, & debent illas impedire, ſi hoc omittant peccabunt peccato ſcandali; nam eorum negligentia, & omiſſio redundat in magnum detrimẽtum animarum. 3

Difficultas præcipua eſt de aſtantibus, nam hi ſua præſentia, & pecunijs, quas ſoluunt, vt ipſis concedatur ingreſſus in locum vbi comœdiæ repræſentantur, videntur fouere, & excitare animum eorũdem histrionum, à quibus compoſita eſt comœdia, & à quibus repræſentatur; nam ſi deficerent ſpectatores, ceſſante lucro, ceſſarent etiam hæ repræſentationes, quæ potiſſimum ab his perditis hominibus fiũt ob lucrum, quod ſperant. & ſic quamuis demus aliquos ſpectatores non peccare, ſi aſtent ex eo, quod neque conſentiunt rebus turpiter repræſentatis, neque ſit periculum conſentiendi: tamẽ videntur peccare ex alio capite, nempè ex eo, quod foueãt tales inhoneſtas actiones inductiuas ad malum. hæc eſt ratio dubitandi in hac materia, & non deſunt viri docti, & timorati, qui dicant omnes hos ſpectatores, ob rationem dictam, grauiter peccare peccato ſcandali, quatenus cenſentur cooperari prædictis actionibus. & in hac opinione eſt *Angelus v. Ludus q. 8. Alphonſus de Mendoza in quodlib. q. 9. de comœdijs*, & poſt hęc ſcripta inueni *Nicolaum Baldellum* inſignem noſtræ ſocietatis virum idem docentem in ſuis *diſp. mor. l. 3. d. 18. n. 10. Comitolum in ſuis mor. reſp. lib. 5. q. 11. n. 8.* 4

Mihi tamen ita videtur diſtinguendum, nam ſpectatores poſſunt dupliciter ſe gerere in hac re. Primo poſſunt ſe habere antecedenter, inquantum conueniunt cũ histrionibus, eiſque promittunt accedere ad comœdias, eiſque proportionatam ſoluere mercedem, & hoc vt ipſi histriones ſecuritatem aliquam de lucro habentes alliciantur ad comœdias recitandas, alias nõ recitaturi; & hos ſpectatores indubitatum eſt peccare mortaliter fouentes animum histrionum ad repræſentandas turpes illas actiones; & ad loquendum verba turpia inducentia ad amorem inhoneſtum. Secũdo poſſunt ſpectatores ſe habere concomitanter, ſeu ſubſequenter, quatenus iam in- 5

Digitized by Google

inueniunt hiſtriones paratos ad recitandum; ita vt etiam ſi ſpectatores huius ſecundi generis, non adeſſent, adhuc recitarentur comędiæ; & hi poſſunt excuſari à peccato, quia non habent influxum in recitationem illam. cæterum hoc ſpeculatiuè videtur certum; practicè tamen res eſt valde periculoſa, quoniam multitudo cõfluentium eſſe poteſt motiuum excitans hiſtriones; vel ad diu perſeuerandum in eodem loco ob maius lucrum, quod reportant: vel recedentes ad iterum redeundum in eumdem locum, in quo experti ſunt placere recitationes iſtas, & ipſos lucrari.

6 Quæ dicta ſunt de comœdijs turpia repræſentantibus, & excitantibus ad varia peccata contra caſtitatem, militant etiam contra alias actiones, quæ licet non excitent ad laſciuiam, tamen ſunt peccaminoſæ, vt ſunt agitationes taurorum factæ cum talibus conditionibus, vt ſit euidens periculum mortis, aut notabilis damni ipſorum ludentium, vel aſtantium; tunc cooperantes, & fouentes talem ludum cenſentur peccare peccato ſcandali, quatenus alliciunt, & excitant animum eorumdem ludentium ad ſimiles ludos faciẽdos.

Et hæc breuiter dicta ſint de comœdijs, & ludis illicitis, quantum ſatis eſt ad materiam de ſcandalo, de quo agimus.

SECTIO DECIMASEXTA.

An poſſit interdum interuenire ſcandalum in reddendo quod debetur.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur ſenſus quæſiti.*

2 *Tenemur differre ſolutionem pecuniarum quando id ſine noſtro incommodo facere poſſumus, & illa dilatione ſpes eſt, quod proximi peccata impediantur.*

3 *Quod procedit non ſolum quando creditor abuſurus eſt pecunijs in damnum tertij, ſed etiam quando profuſurus eſt pecunias ad alia peccata quæ non ſint contra tertium.*

4 *Quando creditor rem ſuam petit, vt illa male vtatur contra iuſtitiam, an debitor teneatur non reddere rem petitam.*

1 QVæſitum poteſt examinari in depoſito, ſeu cõmodato, vel in ſolutione v.g. pecuniarũ, quę debẽtur, & caſus poterit ſic proponi: ſit Titius, qui debeat Sempronio centum aureos, quos Sẽpronius petat in prauum finem, videlicet vt eoſdem inſumat in meretrices, vel in alia peccata contra iuſtitiam: an Titius teneatur ſuſpendere ſolutionem, vt impediat peccata, quæ præuidet à Sempronio patranda, & ſi non obſtante hac præuiſione ſoluat, peccet peccato ſcandali non ſolum contra charitatem, verum etiam contra iuſtitiam, & per conſequens teneatur ad reſtitutionem damni illati.

Dico primo. ſi Titius in dato caſu poterit abſque ſuo detrimento differre ſolutionem illorum centum aureorum, & ſit ſpes, quod illa peccata, quæ Sempronius foret patraturus, impediantur, teneri ſub peccato mortali ſuſpendere ad tempus ſolutionem illam. ita *Nauar. cap. 17. num. 62. & 63. Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. a. 1. ad primum. Rebel. lib. 2. de reſtit. q. 17. ſec. 3. n. 18. Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 16. dub. 4. Molina tom. 3. diſp. 755. Syluius in 2. 2. q. 62. art. 6. Sayrus in claui regia lib. 10. tract. 5. cap. 8. num. 10. Valentia tom. 3. d. 5. q. 7. p. 7. Banacina de contract. diſp. 1. q. vlt. p. 1. Bartholomæus à S. Fauſto de reſtit. d. 4. q. 163. & diſp. 8. q. 25. & apud ipſos Bañes, Salonius in 2. 2. S. Thomæ; & alij.* Ratio eſt quia ſemper tenemur vitare ſcandalum paſſiuum aliorum, quando abſque noſtro incommodo id fieri poterit, ita exigente lege charitatis in proximum. 2

Dico ſecundo. quando quis petit pecuniam ſibi debitam, non vt ea abutatur in damnum tertij, & contra iuſtitiam, ſed vt illam inſumat in prauos vſus, & in peccata contra alias virtutes, nempe in meretrices commeſſationes, &c. ſi debitor poteſt ſine offenſione creditoris differre ſolutionem, & differendo impedire peccata, nemo eſt, qui oppoſitũ docere poſſit, quia tunc ſine vllo ſui incommodo cum poſſit impedire ruinam ſpiritualem proximi, ad id tenebitur ex lege charitatis: at ſi creditor obnixè petat, tunc placet opinio, quam ſequitur *Salonius in 2. 2. q. 62. a. 5. contr. 1. Petrus Nauar. lib. 4. de reſtit. cap. 2. dub. 6. Azor. tom. 3. lib. 4. quæſito vlt. §. Tertia cauſa* videlicet non teneri differre ſolutionem. eſt contra plures, qui ad hanc ſolutionem requirerẽt graue damnum ſequuturum contra debitorem, vel ſententiam iudicis, &c. vt ſunt authores relati in prima concluſione, quamuis Leſſius moderando ſuam ſententiam ibidem *n.* 58. dicat raro eſſe obligationẽ ſub mortali; tum quia debitor poteſt iure cogi à creditore; tum quia paſſim apud homines hæc ratio differendæ ſolutionis parum eſt in vſu, & ſæpe parum efficax ad impediẽda mala, quæ præuidentur, vel timentur futura, & eſt coniuncta cum moleſtijs, & calumnijs: Ratio autem pro noſtra concluſione eſt, quia cum ex vna parte mihi non incumbat ex officio, vel ex alio ſpeciali 3

Digitized by Google

ciali titulo,curam habere de meo creditore: ex alia vero parte ipſe ius habeat petendi ſuum, ad quod reddendum ego teneor ex iuſtitia, non teneor differre,& denegare illi pecuniam debitam,etiamſi prę-uideam, quod ille ſit pecunijs abuſurus contra ſe ipſum. proinde quando obnixè petit, denegatio ſolutionis nequit eſſe ſine offenſione ipſius creditoris contra me ipſum, quam ego non teneor pati ad impedienda eius peccata, & ordinata charitas in tali caſu id à me non videtur exigere.

4 Dico tertio. quando petit creditor rem ſuam, vt illa male vtatur contra iuſtitiam; quamuis communiter doctores citati doceant me teneri non reddere rem petitã, ſi abſque graui incommodo id facere poſſum:tamen ſaluo meliori iudicio mihi iſta doctrina tam vniuerſaliter accepta non admodum placet, proinde puto eſſe diſtinguendum, nam res, quæ petitur à creditore, vt ſua, poteſt eſſe in duplici differentia;nam poteſt eſſe talis, vt immediate pertineat ad peccatum, vt eſſet v.g. enſis, gladius, ſclopeta, & ſimilia, quæ ſunt inſtrumenta immediata ad peccandũ, quatenus creditor, ſeu deponens poſtulat illas res ad interficiendũ, vel vulnerandũ inimicum. ſecundo poteſt valdè remotè ſe habere ad peccatum, vt ſunt e. g. pecuniæ, quas petit creditor, vt illas det mutuans ſub vſuris, vel vt emat beneficium, aut aliud ſpirituale, vel denique,vt donet ſicario in hunc finem, vt occidat talem hominem; & ſimilia. hac poſita diſtinctione. dico, quod ſi loquamur de rebus primo loco enumeratis veriſſima eſt ſententia prædictorum authorum, nempè obligari debitorem ad non reddendum quod debet, ſi ob negatam reſtitutionem ſperet quod impediantur illa peccata contra iuſtitiam; & id facere valeat abſque ſui notabili, & graui detrimento proportionato illi damno, quod eſt ſequuturum contra proximum: ſed ſi ſermo ſit de rebus ſecũdo loco enumeratis, ſaluo, vt dixi, meliore iudicio,non video in debitore talem obligationem, vt ad illum excuſandũ, à reſtitutione requiratur, vt contra ipſum debitorem ſequatur notabile damnum, & ideo cenſeo eamdem ferè eſſe rationem,& obligationem debitoris in his rebus non ſoluendis; ac de illis, quę petuntur à creditore ſolum in damnum proprium ſpirituale, & non aliorum. Ratio, quæ me mouet ad hoc aſſerendum eſt, quia res huius ſecundi generis valde remote ſe habent ad peccatum; proinde ſi abſque notabili perturbatione,& offenſione creditoris nequit debitor differre reſtitutionem, ſufficiens, & proportionata cauſſa erit obligatio illa, quam habet debitor ad reſtituendam rem alienam.

SECTIO DECIMASEPTIMA.

An ſit ſcandalum actiuum ſubminiſtrare alteri materiam peccati, quandò iſte alius eodem modo erat peccaturus, etiamſi ab hoc homine in particulari materia iſta ſubminiſtrata minimè fuiſſet.

SVMMARIVM.

Senſus quæſtionis declaratur exemplo, & referuntur duæ ſententiæ,altera affirmans miniſtrantem non peccare, altera vero diſtinguens. 1

Refertur tertia opinio probabilior,quę aſſerit ſubminiſtrantem non peccare ſi habeat cauſam proportionatam talis ſubminiſtrationis, ſecus ſi non habeat; & probatur. 2

Reſpondetur ad fundamentum primę ſententię. 3

Reſpondetur ad fundamentum ſecundæ ſententię. 4

POnamus exemplum tritum, & vulgare in hac materia: ſit dies ieiunij, quod fracturus eſt Titius, ſi Caius ſciens hanc voluntatem Titij ſubminiſtret illi cænam, quæritur an Caius ſuppeditans cibos,peccet; & ſic in alijs ſimilibus caſibus, in quibus res indifferentes ſubminiſtrantur:quibus poſitis, aio probabile eſſe Caium in ſupradicto caſu non peccare; & eſt opinio multorum; *Caietani in 2. 2. q. 147. a. 4. Ledeſmæ in ſumm. tom. 2. tract.27. cap.2. dub. 4. Rodriquez tom. 1.ſum. cap. 23. n. 8. Nauar. in ſumma cap. 21. num.* 24. licet ipſe alibi vario modò ſit loquutus *Laymã t.1.lib.2. tract. 3. cap. 13.* & apud ipſum *Angles de ieiunio quæſt. 7. diff. 4. Salonij 2. 2. q. 77. a. 4. controu. 6. poſt 3. concl. Bartbol. à S. Fauſto in theſauro religioſo lib. 1. q.* 178. & nouiſſimè *Petri Hurtad. in 2. 2. d. 173. ſect. 12. ſubſec. 2.* at *Sanchez in decalog. lib. 1. cap. 7. n. 16.* quem poſtea ſequutus eſt *Bonac. de pecc. diſp. 2. q. 4. par. 2. §. Vnico num. 35.* diſtinguunt duo genera actionum, quorum primum continet actiones,quæ valdè proximè ſe habent ad peccatum, vt admouere ſcalas, vel humeris ſuſtentare eum,qui eſt furaturus, vel homicidium patraturus. ſecundum genus continet actiones, ſeu res remotè ſe habentes ad peccatum, vt vendere agnum infideli, quem ſcio illum idolo immolaturum. hac poſita diſtinctione aiunt, ſubminiſtrare parato res primi generis, eſſe peccatum; niſi grauis cauſſa

ſub-

ſubminiſtrandi habeatur; at ſuppeditare res ſecundi generis non eſſe, niſi culpam venialem. fundamentum huius opinionis eſt, quia hæ actiones ſunt ex ſe indifferentes, & in tantum eſſent malæ, inquantum mouerent, & excitarent animum alterius ad malum: ſed in eo caſu, in quo ponimus Titium iam eſſe determinatum, ieiunium violare, eius animus eſt ſufficienter motus, & excitatus; ergo ſubminiſtratio ciborum, quam facit Caius, non habet influxum in determinationem illam, cum eam ſupponat actu exiſtentem, & per conſequens nō erit ſcandaloſa.

2 Sed probabilior videtur ſententia, quæ aſſerit: ſubminiſtrare materiam peccati, tunc non habere rationem ſcandali actiui, quando præcedit rationabilis, & proportionata cauſſa, per quam alius ducitur ad ſubminiſtrandum, ſiue ille, qui eſt malè vſurus materia ſubminiſtrata, ſit paratus; ſiue non, cum hoc ſolum diſcrimine, vt vrgentior requiratur cauſſa ad ſuppeditādam talem materiam non parato, quam parato; vt diximus, dū ageremus de petitione mutui cum vſuris, & iuramenti ab eo, qui eſt peieraturus, vel per falſos deos iuraturus; & ideo hanc ſententiam, quæ negat licitam eſſe ſubminiſtrationem hāc, ex eo præciſè, quod alius eodem modo peccaret; etiamſi ego non ſubminiſtrarē, defendunt *Gabriel in 4. d. 16. q. 3. a. 3. dub. 6. Suarez de charitate diſp. 10. ſect. 2. num. 2. & ſect. 4. num. 5. Vaſquez de ſcandalo a. 1. dub. 3. Turrianus in 2. 2. tom. 1. diſp. 95. dub. 7. §. Reſtat explicari, &c. Caſtropalao de char. trac. 6. diſp. 6. p. 9. num. 4.* hæc opinio probari poteſt primò, quia ſubminiſtrans nequit eſſe ita certus, quod ſi alius ſubminiſtraret illam materiā, ille qui ſcandalum patitur ſit eodem modo peccaturus, nam fortè poterit contingere, vt pœniteat, vel vt impedimentum habeat, & ſic non peccaret exterius. ſecūdò, quia etiamſi ſit certitudo, quod ille peccabit: tamen negari non poteſt, quin ſubminiſtrans hic, & nunc ſit cauſſa influens moraliter in hoc numero peccatū; ſicuti ſi quis ſit paratiſſimus ad hanc numero fornicationem, non poſſum ego dare commoditatem committēdi aliam numero fornicationem.

3 Neque dicas diſparem eſſe rationem, quia fornicatio eſt actus ex ſe intrinſecè malus: at cœnare vt ſic, eſt actus indifferens; quamuis alius cœna illa abutatur frangendo ieiunium.

Contra enim eſt, quia in caſu, quem exagitamus parum refert ad rationem ſcādali actiui, vnum actum eſſe intrinſecè malum: alium verò minimè, ſi vterque habet inſeparabiliter malitiam, quamuis vnus ſemper cum malitia ſit coniunctus: alius autem ſolum in his circumſtantijs; nam hic, & nunc nullus ex illis actibus poteſt licitè exerceri ſine peccato, quamuis vnus ſit malitia altero grauior. quæ maior grauitas non facit ad rem noſtram, ſed tātum ad hoc, vt ſcandalum actiuum reſpectu vnius actus ſit grauius, quam ſit reſpectu alterius actus.

Ad fundamentum primæ ſententiæ relatæ, reſpondeo non eſſe illam propriè, & formaliter loquendo rationem, ob quam ſubminiſtrans peccat, ſed eſſe hanc, videlicet illam ſubminiſtrationem hic, & nūc influere in peccatum hoc numero, quod non haberetur deficiente ſubminiſtratione materiæ. 3

Diſtinctio illa, quam ponit Sanchez, non placet applicata huic caſui; nam ſiuè homo ſit paratus, ſiuè non, nequimus ſine cauſſa proportionata excuſante ſuppeditare materiam, & inſtrumentum peccandi, licet, vt ſupra diximus longè maior poſtuletur cauſſa ad ſuppeditandam materiā peccandi non parato, quam ad illam ſubminiſtrandam parato. 4

SECTIO DECIMAOCTAVA.

An excuſentur ſerui, ſeu famuli, aut filij in præſtandis varijs obſequijs, quæ ſciunt à domino, aut parentibus dirigi in prauum finem.

SVMMARIVM.

Supponuntur quædam certa. 1

Quo vicinior eſt actio famuli peccato domini, eo maior cauſa requiritur ad eius famulatum. 2

Minor cauſa requiritur ad excuſandum filium, ſeu mancipium, quam famulum ſi cætera ſint paria. 3

Sola ratio famulatus excuſat famulum ad præſtanda aliqua ſeruitia domino ex ſe indifferentia, licet ijs dominus malè vtatur. 4

Referuntur aliæ actiones, quas famulus exercere nequit, neque excuſari poteſt à peccato, ſola ratione famulatus. 5

Adducere actiuè v.g. curru, concubinam ad dominum vt cooperationem intrinſecè malam damnant aliqui. 6

Sed oppoſitum tuetur author. 7

An liceat famulo ferre concubinæ epiſtolas, vel nuncia. 8

Reſpondet Sanchez ad quæſitum diſtinguendo quadrupliciter. 9

Obijcit author contra Sanchez quandam doctrinam eiuſdem Sanchez. 10

Poteſt dari caſus in quo ſcribere turpia, vel deferre epiſtolam amatoriam concubinæ non ſit peccatū. 11

Po-

Digitized by Google

12 *Poteſt famulus deferre epiſtolam, etiam ſi dubitet an in ea ſint verba inuitantia ad malum.*

13 *Quid dicendum de verbis turpibus, ſcilicet de nuncio miſſo ab amaſio concubinæ mediante famulo?*

14 *Quæ dicta ſunt de famulis circa materiam caſtitatis, militant etiam circa materiam aliarum virtutum.*

15 *Quando obſequium famuli tendit contra iuſtitiam, tunc longè maior requiritur cauſa.*

16 *Chriſtiani captiui remigantes in triremibus turcarum contra chriſtianos, excuſantur tum à cenſura, tum etiam à peccato.*

17 *Licitum eſt etiam chriſtianis captiuis ob metum mortis, aut mutilationis, inferre damnum chriſtianis in bonis externis.*

1 VT à certioribus procedam' ad obſcura, & dubia, manifeſtũ eſt primò, nõ poſſe à filijs, famulis, & ſeruis, ſeu mancipijs exhiberi ea obſequia, quę ſunt intrinſecè mala; & ſic nunquam licitum eſſe poteſt ſuadere homicidium, fornicationem, vel concurrere immediatè ad has actiones efficiendas ſimul cum Domino, vel patre, &c.

2 Secundo certum etiam eſt maiorem, aut minorem requiri cauſſam ad excuſandum famulum, vel filium, &c. in præſtãdis aliquibus obſequijs. nam quo propinquius eſt aliquid peccato alterius, eo maior cauſa requiritur ad excuſandum eius famulatum. interdum enim ſola communis ratio famulatus, vel ratio filiationis erit ſufficiens, quandoque vero aliquid aliud poſtulabitur ſupra rationem prædictam.

3 Rurſus eſt animaduertẽdum minorem cauſſam, ſi reliqua ſunt paria, exigi ad excuſandum filium, vel mancipium, quam ad excuſandum famulum, vt notauit *Sãchez lib. 1. decal. cap. 7. num. 30. & Frãciſcus Merolla in diſp. moral. d. 2. cap. 4. num.* 270. loquentes comparatiuè de famulis, & ſeruis; & eadem eſt ratio in hoc de filijs, qui maiori neceſſitate ſunt ſubiecti, & nequeunt à tali ſubiectione ſe liberare, & præſertim mancipia. præterea vrgentior cauſſa deſideratur, quando obſequium præſtitum dirigitur à Domino ad patrandum aliquod, reſultans in damnũ, vel corporis, vel bonorum alterius perſonæ, quam ad vitandum peccatum ipſius Domini tantum. hæ autem regulæ ſunt in hac materia diligenter notandæ, ex quibus quamplurimi caſus occurrentes ſolui poterunt, & nos ſolum nonnullos in particulari examinabimus, vt ex his à pari multi alij à diſcreto, & prudenti confeſſario determinari queant.

4 Et primo dico ſola ratio famulatus excuſat famulum ad hæc ſubſequentia ſeruitia præſtanda, vt ſunt comitari dominum euntem ad concubinam, lectum concubinæ ſternere, eidem ianuam aperire, miniſtrare ad menſam, illam ornare, eidem deferre munuſcula, & ſimilia; nam hæc ſunt indifferentia; & quamuis ab hero dirigantur in prauum finem, tamen famuli ratione ſubiectionis, quæ in ſolo famulatu reperitur, communiter ab authoribus excuſantur, dum non intendunt finem illũ malum proprij domini; ſed illa faciunt in bonum finem; & ita ſentiunt *Nauar. in ſumma cap. 20. num 16. Petrus Ledeſma tom. 2. ſua ſumma tract. 27. cap. 9. Rodriq. tom. 2. ſum. cap. 76. num. 14. Emanuel Sà v. Peccatum num. 9. Azor. tom. 2. lib. 12. cap. vlt. quæſt. 8. Sanchez loco cit. nu. 24. Caſtropalao de charit. tract. 6. diſp. 6. p. 11. num. 4. Merolla loc. cit. in primo, & ſecundo Corol. Bonacina de matr. q. 4. p. 2. num. 26. Diana p. 3. reſol. moral. tract. 5. miſcel. reſol. 36. v. ex dictis, & alij.* Eſt tamen aduertendum, quod ſi famulus poſſit denegando obſequium, impedire peccatum ſui heri abſque ſui detrimento, ad id teneretur, ſecundum leges charitatis, quæ conditio, ne amplius in hac materia replicetur, ſemper erit intelligenda.

5 Sunt aliæ actiones magis proximè accedentes ad peccatum, vt ſignare locum, vbi reperitur concubina, adiuuare Dominum aſcendentem per feneſtram, ſuſtentando illius pedes, vel ſcalas apponẽdo, & ſimilia, ad quæ cohoneſtanda non ſufficit ratio communis famulatus; & ideo poſtulatur maior cauſſa, qualis eſſet e. g. ſi Dominus malè tractaret famulum, vel verbis, vel factis, vel ſi illum è domo expelleret, & ipſe famulus, non ita facile alium inueniat herum. ita docent *Nauar. l. 5. conſil. in ſecunda editione conſil. 5. & 6. de pœnit. Azor. tom. 2. lib. 12. cap. vlt. q. 8. Rebell. de oblig. iuſt. 1. par. lib. 2. q. 14. ſect. 7. num. 53. Petrus Nauar. lib. 3. de reſtit. cap. 4. dub. 4. num. 51. Caſtropalao loco cit. num. 5. Merolla. corol. 3. cit. Sanchez num. 26.*

6 Maior difficultas eſt de adductione concubinæ ad Dominum, quæ adductio non ſit ſimplex comitatus; nam ad hanc ſufficeret præciſa ſubiectio famulatus, vt ſupra diximus de comitatu, quo famulus herum aſſociat: ſed ſermo eſt de adductione actiuè accepta, per quam famulus concubinam curru defert; & talem cooperationẽ, vt intrinſecè malam damnant *Angles in floribus par. 1. q. 7. de ieiunio, diff. 5. ver.*

hinc

hinc etiam, *Layman in ſum. lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 5.* quem ſequitur *Diana* ſuperius à nobis laudatus.

7 Sed non placet iſta opinio, quia non video, cur adductio iſta non ſit opus indiſferens; nam adducere etiam actiuè mulierem in aliquem locum, ex obiecto, nullam, vt patet, habet malitiam, & ideo ſi adducatur ob bonũ finẽ, erit actio honeſta; ſi in malũ finem, erit illicita. igitur nõ ex ſe, ſed ex circumſtantia finis mala fieri poterit; ac proinde ſequitur quod famulus dirigere valeat talem adductionem in finem honeſtum, & ſi nihil aliud obſtaret, non requireretur alia cauſſa ad cohoneſtãdam ipſam adductionem, ſed quia ipſa adductio fit ex iuſſu Domini, & in gratiam ipſius illam dirigentis in prauum finem; idcirco ne famulus cenſeatur cooperari peccato ſui Domini, neceſſe eſt vt intercedat aliqua rationabilis cauſſa ex parte ipſius famuli ad non peccandum, quæ ſufficiens iudicetur, & eſt illa, quam poſuimus *n.* 5. præcedente; non enim videtur propinquior cooperatio adducere concubinam ad locum aliquem curru, quam ſubſtinere pedem Domini aſcendentis ad concubinam per feneſtram, ſcalas apponere, & ſimilia. quemadmodum excusãt doctores aurigas deferentes meretrices ex vno ad alium locum, in quo eſt earum amaſius. excuſant autẽ aurigas, ne amittant lucrum; quod debet intelligi, ſi exerceant ex officio tale munus indifferenter, vt cum lucro, quod ex officio aurigæ reportant, ſe alant, non valentes commodè alia arte ſe ſuſtentare; nam ſi ſemel, aut altera vice, & rogati id facerent, non poſſent abſque peccato ſcandali deferre meretricem ad locum, vbi eſt amaſius; & ita ſunt intelligendi doctores, qui aurigas excuſant, vt *Petrus Nauar. l. 3. de reſtit. cap. 4. dub. 4. num. 61. Sanchez cap. cit. num. 25. Merolla corol. 3. num. 280. Caſtropalao tom. 1. tract. 6. d. 6. p. 11. nu. 5.* quem ſequitur *Diana par. 5. tract. 7. reſol. 29.* modificans, quod prius *l.* 3. docuerat: & ideò hi ſimiliter excuſant famulos deferentes concubinam ad locum ſui domini.

8 Maior difficultas eſt de epiſtolis, & nuncijs, quæ mittuntur ad concubinam; an liceat famulis has epiſtolas, & nuncia deferre. aliqui abſolutè negant id eſſe licitũ. ita loquens de epiſtolis docet *Rodriq. in addit. ad bullam* §. 9. *num.* 135. & ſermonem habens de nuncijs idem aſſerit *Nau. lib. 5. conſil. 4. de pœnit. & remiſſ &c. n.* 3. 4. de vtriſque loquitur *Petrus Ledeſma in ſumm. tom. 2. tract. 27. cap. 9. in fine.* ſed hos excuſant alij authores *Emanuel Sà v. Peccatum num. 9.* ſecundum aliquã impreſſionem, quamuis idem correctus oppoſitum doceat; & *Azor. l. c.* excuſat ſimiliter eos, qui deferunt nuncia dicentes: meus herus vocat te ad cœnam.

9 At *Sanchez num. 26.* quatuor docet. primò, quòd quandô ſcripta, vel nuncia non continent verba turpia, ſed ſolum indifferentia, licet à domino dirigantur ad malum, vt ſi per ſcriptum, aut nunciũ exprimatur condictũ, vt in talj loco, & hora, concubina reperiatur ſimul cum amaſio, tunc, ait Sanchez, non ſufficere communem rationem famulatus, ſed vrgentiorem requiri cauſſam, nempè damnum notabile ipſius famuli; nam hæc ſcripta, & nuncia valdè peccato accedunt. ſecundò ait, quod ſi contineant ſolum verba vrbanitatis, vt certiorem me facias de tua ſalute, an indigeas aliquo, &c. ſatis eſt communis ratio famulatus, ſi famulus occaſionem illam vitare nequeat. tertiò, ait, quod ſi contineant verba turpia, & amatoria nulla ratione liceat; nam huiuſmodi verba, & ſcripta ſunt intrinſecè mala. quartò addit, quando non conſtat famulo, quid in illa epiſtola contineatur, & alioquin eſt certus, aut vehementer ſuſpicatur inter illos intercedere turpem amorem, & tunc ait non licere, quia ex communiter accidentibus poteſt præſumere, turpia contineri; ſecus: ſi nulla eſt ratio ſuſpicãdi amorem turpem; & hoc ipſum, inquit, eſt dicendum ſi dominus iubeat famulo, vt ſcribat has epiſtolas amatorias; hoc enim non eſt licitum, & tandem concludit famulos hæc nuncia turpia deferentes, eſſe lenones.

10 Sed hæc habere poſſunt aliquam cõtrarietatem deſumptam ex eiuſdem authoris doctrina; nam ipſe *lib. 9. de matr. d. 46. n.* 34. docet proferre, vel ſcribere turpia nõ eſſe intrinſecè malum, ſed eſſe opus indifferens, quia tum verba, tum ſcripta referunt conceptus internos; proindè malitiam, vel honeſtatem habebunt ſecundũ quod mali, vel boni moraliter erunt conceptus ipſi interni; idcirco cum cognitio, ſeu conceptus rei turpis ſit ſecundum ſe indifferens; fiat autem honeſtus, vel malus ratione finis, ad quem ordinatur; hinc fit, vt eodem modo, & verba, & ſcripta ſecundum ſe ſint indifferentia, & contrahantur ad malitiam, vel bonitatem moralem ex circumſtantijs, & per ordinem ad finem, ad quem ordinantur. quapropter ex regulis ſuperius habitis poſſet quis colligere interdum dari poſſe cauſſam rationabilem, per quam famulus præſtando ſimilia obſequia excuſetur à peccato. & ſic de facto *Merolla corol. cit. nu.* 188. quamuis exiſtimet opinionem Sanchez maximã habere probabilitatem: tamen ait, opi-

ſionem oppoſitam non videri improbabilem, loquitur enim non de nuncijs turpibus, ſed de ſcriptione turpium; & de delatione epiſtolæ amatoriæ, dans diſparitatem inter ſcribere, & deferre epiſtolã, & inter nuncium. eamdem doctrinam, quã tradit Merolla, probat *Caſtropalao l. c. n. 6.* ſed ſub dubio.

11 Mihi autem videtur ſic diſcurrendum, & primò dari poſſe caſum, in quo ſcribere turpia, vel deferre epiſtolam amatoriam ad concubinam, non ſit peccatum; puto enim ſcriptionem iſtam, & delationem non eſſe opus intrinſecè malum, nam poſſunt verba illa ſcribi: & ſimiliter deferri põt epiſtola ob finẽ honeſtũ, vt de ſe patet; nam ſi quis deferat talem epiſtolam, vt alius habeat occaſionem corrigẽdi amaſium, tunc nemo eſt, qui dicat id licitum eſſe non poſſe; & ſic multos fingere poſſumus caſus, in quibus delatio iſta cohoneſtari queat, & multò magis ſcriptio: ſi igitur erit opus malum, id erit ratione circumſtantiarum; & in caſu noſtro erit ratione illius mali finis, quem habet dominus, mittens hanc epiſtolam ad concubinam: ſed ſæpè dictum eſt, quod non obſtante circumſtantia mali finis, quem alter habet, poſſit alius intuitu alicuius honeſti motiui habere cauſſam rationabilem cooperandi cum illo alio, abſque eo, quod ita cooperans, peccet. idcircò, & in caſu iſto cum ſcriptio, & delatio ratione circumſtantiæ finis ſint malæ, poterit famulus habere cauſſam ſufficientem, vt ſcribendo, vel deferendo, non peccet. quæ autem cauſſa cenſeatur rationabilis ad excuſandum famulum, dum defert ſimiles epiſtolas à prudenti viro eſt determinandum in caſibus particularibus, conſiderante damnum, quod famulus ſuſtineret, ſi recuſaret deferre epiſtolam; nam ſola, & ſimplex ratio famulatus non eſt ſufficiens ad cohoneſtandam hanc actionem, quæ valdè accedit ad peccatum.

12 Si autem famulus dubitet, vel negatiuè, vel probabiliter, an in epiſtola illa contineantur verba inuitantia ad libidinem, tunc puto eũ poſſe deferre epiſtolã, ita *Rebellius de obligat. iuſt. lib. 2. q. 14. num. 53. & Caſtropalao p. cit. numer. 7.* contra *Sanchez loco ſuperius relato n. 26. & Bonacinam q. 4. de matr. p. 14. nu. 6.* qui aſſerit, id non licere. ratio pro noſtra concluſione eſt, quia in dubio famulatus, & ſubiectio erit ſufficiens ad cohoneſtandam illam actionem ex parte famuli, immò aliqui, quos tacito nomine laudat Caſtropalao cenſent famulos ad id obligari.

13 Quod attinet ad verba, eſt maior difficultas; non enim videtur eadem paritas de epiſtolis, & nuncijs; nam nuncium, quãdo eſt tale, vt contineat verba inuitantia ad concubitum; eſt formaliſſima inductio ad peccandum, & quædam ſuaſio peccati, quod eſt intrinſecè malum, & in nullo caſu eſſe poteſt licitum; etiamſi immineret periculum vitæ; proindè illa doctrina, quã ex *Sanchez lib. 9. de matr. diſp.* 47. retulimus, dum ait, proferre verba turpia, eſſe opus indifferens: non eſt falſa, neque cõtradicit huic concluſioni; nam aliud eſt loqui de prolatione verborum, vt ſic, quã certiſſimum eſt, eſſe indifferentem; poſſũ enim proferre illa ad doctrinam, ſeu declarationem alicuius rei, quam hic, & nũc expedit declarare, & poſſum eadem proferre in malum finem: & aliud eſt loqui de prolatione, quatenus habet rationem inductionis, & ſuaſionis; ſeu quatenus dirigitur ad perſuadendum. hoc ſecundo modo prolatio inuoluit aliquam formalitatẽ cõtractiuam ipſius prolationis, eiuſque cõſtitutiuam in ratione conſilij, ſuaſionis, inductionis, &c. proindè quando eſt circa obiectũ malum, erit, & ipſa mala. & hoc pacto non eſt locutus Sanchez, dum aſſeruit, proferre turpia eſſe opꝰ indifferẽs. redeũtes autẽ ad noſtrũ inſtitutũ, dicimus nõ eſſe eãdẽ rationẽ de nuncio, & de epiſtolæ amatoriæ delatione; nam nuncium eſſe poteſt formalis inductio, ſeu ſuaſio directè procedens à famulo; idcircò eſt intrinſecè malum, & nunquam licitum: at delatio illa externa non eſt formalis inductio, quoniam inductio formaliter continetur in illis verbis ſcriptis, prout procedunt ab amaſio, & non in illa materiali delatione, quæ vt diximus ſecundum ſe eſt indifferẽs, & in aliquo caſu poteſt cohoneſtari, quod conuenire nequit inductioni. Poſſet tamen quis fingere caſum, in quo etiam prolatio turpium, prout ſit à famulo, non ſit formalis inductio: ſed ſolùm occaſionalis inductio, quod ſic oſtendo. ponamus quod famulus referens concubinæ intentionem turpem ſui heri, & referens iuſſu Domini nuncium, dicat: meus herus expectat te, vt hac nocte tecum rem habeat, & ſimul addat ſe tale nuncium ferre, coactum à Domino, non quia placeat ſibi actio illa turpis, cum potius diſpliceat, vel aliquid dicat verbis, aut ſignis, per quæ cõcubina manifeſtè deueniat in cognitionẽ, quod famulus non habeat voluntatem perſuadendi, & inducendi ipſam concubinam ad malum, immò habeat voluntatem oppoſitam, & dicat ſe illud munus exercere neceſſitate coactum ob imperiũ heri. in hoc inquam caſu, nuncium non erit formaliter ſuaſio, aut inductio, quia ad hoc, vt locutio ſit formalis inductio, requiritur, vt procedat ab intentione loquentis ex directa intentione perſuadendi

id

Digitized by Google

id quod proponitur, vel ex intentione, quæ talis exiſtimetur, dum non conſtat de oppoſito; nemo enim eſt, qui dicat me inducere aliquem ad actionem v. g. furtiuã eo tempore, quo à me, licet proferantur verba, quæ materialiter contineant ſuaſionem: tamen ille alius, ad quem dirigo ſermonem ſcit à me ioco proferri talia verba, ſic in caſu noſtro, vt ſupponimus, concubina conijcit illud nuncium proferri à famulo, non ex intentione illam alliciendi, ſed ex iuſſu ſui Domini: Erit tamen occaſionalis inductio, quatenus ex illis verbis à famulo prolatis concubina occaſionem ſumit conſentiendi prauæ voluntati Domini illius famuli. illud autem, quod formaliter non eſt peccatũ, ſed ſolum occaſio peccati, certum eſt poſſe cohoneſtari; nam omnes Theologi dicunt; quod interdum eſt licitum offerre alteri occaſionem peccandi non ex intẽtione, vt ille alius, cui occaſio offertur, peccet, ſeu non vt occaſionem formaliter peccandi, ſed ſolum materialiter, & in bonum finem; ſicuti de facto Deus interdum ponit hominem in quibuſdam circũſtantijs, in quibus eſt talis occaſio, ex qua homo in peccatũ labatur, quamuis Deus id faciat in finem aliquem bonum. Igitur ſi præbere occaſionem alteri peccandi nõ eſt formaliter, & intrinſecè malum, & interdum eſt licitum, vt nos ſupra tetigimus, dum ageremus de occaſione, quam parentes dant filijs, & Domini ſeruis, vt illos deprehendentes in malo, corrigant; ſi inquam hoc non eſt intrinſecè malum, poterit in caſu noſtro aliquando famulus ferre nuncium illud turpe, ſolùm materialiter, oſtendendo non eſſe ſuam intentionem ſuadendi illud malum, quod ſignificatur per illud nuncium, & vt ſic excuſari à peccato; ſed quia tale nunciũ etiam materialiter ſumptum eſt valdè propinquum peccato, nempe conſenſui præſtando à concubina in malum: idcircò grauiſſima, & vrgentiſſima cauſſa poſtulatur ad hoc, vt famulus excuſetur à peccato, quale eſſet periculum vitæ, vel alicuius dãni, valdè notabilis quod rationabiliter timet inferendum à domino, niſi afferat nũcium illud.

14 Quę hactenus tradita ſunt de obſequijs exhibendis à famulis, vel alijs perſonis ratione ſubiectionis circa materiam contra caſtitatem, poſſunt applicari alijs materijs, & ſic eodem modo excuſari queunt famuli, dum ſternunt menſam ſui domini nolẽtis ieiunare die ieiunij ſine cauſſa rationabili; & ſimiliter dum coquunt cibos, & menſæ inſeruiunt. ita *Caiet. 2. 2. 147. a. 4. Sãchez cap cit. n. 35. Bonac. de pecc. d. 2. q. 4. p. 2. n. 58. & de præcep. eccl. diſp. vlt. q. 1. p. 3. n. 9.* pro qua opinione alios laudat.

Rurſus idem cenſeo dicẽdum de famulis, qui inſeruiunt domino in ludo publico aleatorio, qui eſt prohibitus, & vulgo dicitur *baratteria*, nam ludum hunc eſſe illicitum, & ſeminarium plurimorum peccatorum, vt communiter dicunt patres, & doctores, eſt omnino certum: at cenſeo famulos excuſari ſubminiſtrantes chartas, & lumẽ, domino, & ex iuſſu hæc exhibentes; nam ſunt actiones remotæ ad peccata illa, quæ patrantur in hoc ludo; præbere enim chartas, & lumen non trahit neceſſario ludum fieri depoſitis pecunijs; poſſũt enim luſores ludere ſine pecunijs.

Horum omnium ratio eſt, quia huiuſmodi obſequia ex ſe ſunt indifferentia, proindè iuxtà regulas ſæpius repetitas poſſunt cohoneſtari ex parte famuli ſerui, aut filij, quando occurrit cauſſa rationabilis ad talia obſequia exercenda, quæ debet eſſe maior, aut minor iuxta maiorem, aut minorem affinitatem ad peccatum, & iuxta maiorem, aut minorem ſubiectionem; & ſic interdum illa cauſſa, quæ eſt ſufficiens ad excuſandum mancipium, aut filium patri ſubditum, & non emancipatum, non erit ſufficiens ad excuſandum famulum, qui nõ eſt ita ſubiectus, quemadmodum eſt ſeruus. ſufficientia autem cauſſæ à viro prudẽti eſt iudicanda.

Quando obſequium tendit contra iuſtitiam, tunc longè maior requiritur cauſſa, 15
quia iuſtitia ſtrictius, quam reliquæ virtutes obligant: ſed poteſt euenire caſus, in quo etiam famulus excuſetur, licet obſequium tendat contra iuſtitiam, & ſic v. g. comitari herum euntem ad furandum, vel ad occidendum alium, dare illi gladium, oſtendere vbi eſt inimicus, quamuis non deſint doctores, qui dicant nunquam eſſe licitum talia obſequia præſtare, vt *Salonius 2. 2. q. 77. a. 4. controu. 6. Arago. ibidem dub. 1. Caiet. in q. 10. n. 4. Bañes ibidem. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 22 qu. 6. cap. 24. q. 14.* attamẽ probabilius eſt oppoſitum, vt dixi, nẽpè poſſe dari caſũ, in quo exhibitio taliũ obſequiorum ſit licita; nam poſſet contingere, vt denegans enſem volenti alium interficere, exponat ſe periculo, vt ab alio occidatur, & niſi præſtet aliquod ex obſequijs enumeratis grauiſſimum damnum patiatur; & ideo in talibus circumſtantijs exhibitio prædictorum obſequiorum erit honeſta.

Ex eiſdem principijs colligo probabiliorem eſſe opinionem illam, quæ aſſerit 16
chriſtianos captiuos remigantes in triremibus turcarum excuſari non ſolum à cẽſura, vt volunt aliqui, verum etiam a peccato; nam illa remigatio prout procedit ab ipſis chriſtianis remigantibus, eſt indiffe-

Ooo 2 rens;

rens;& quamuis à turcis dirigatur in damnum chriſtianorum,dum nauigant ad captiuandos,& deprædandos chriſtianos,eoſq; interficiendos : tamen illa remigatio eſt quædam adductio ad talem locum,& ſecũdum ſe non trahit neceſſario illa furta, & homicidia,quę turcæ committunt,ideoque non tenentur cum manifeſto periculo vitæ chriſtiani ceſſare ab illa actione remigandi.ita docent *Corduba in ſum.qu.137. dub.1.Petrus Nauar.lib.3.de reſtit.c.4.n.72.Lopez 1 par.inſtruct.c.60.Vega tom.1. ſumma caſ.118.Duardus in expoſit. bullæ cœnæ lib.2.can.3.q.13.Sanchez cap.cit.nu.18.Leſ.l.2.de iuſtit.cap.9.n.122.Vaſqu. de ſcand.q.43.a.7.d.7.& alibi.Turrianus 2.2. diſp.96.dub.5.Molina to.1.de iuſt. d.* 115. *Rebel.Salas,Caſtropalao,Merolla, & alij* contra *Nauarrum in ſum.cap.27.n. 63.& cap. Ita quorumdam de iudæis notab.* 11. *Suarez tom.5.de cenſur.d.21 ſec.2.nu.60. Toletum ſum.in expoſit.bullæ cœnæ excõ. 5.Vgolinum de cenſur.p.2.c.3.§.2.Comitolum in reſponſ.moral.lib.5.qu.*8. fusè hanc rem exagitantem;qui fundant ſuam ſentẽtiam in hoc, quod ex parte turcarum bellum contra chriſtianos, eſt iniuſtum. ergo non eſt licitum illis cooperari, remigantibus in eorum triremibus. ſed reſpondetur actionem remigandi eſſe indifferẽtem,quamuis proximè accedat ad actionẽ peccaminoſam turcarum; & cum concurrant ob euidentem mortis metum,meritò excuſari debent: eſſe autem actionem indifferẽtem rectè probat Caſtropalao, quia ipſi nihil aliud faciunt,niſi remigare,ſcalas apponere,& ad propugnacula deferre,quę ſecundum ſe non ſunt actiones illatiuę dãni contra chriſtianos, niſi inquantum applicantur à turcis,attamen actio per ſe immediatè, & formaliter mala eſt emittere ſagittas; explodere bombardas contra chriſtianos,quæ actiones nunquam, etiam ob periculum vitæ cohoneſtari poſſunt, quia nequimus interficere innocentem ad vitandam propriam mortem.

17 Vlterius placet mihi id quod addunt *Molina, Sanchez, Reginaldus, Turrianus,Caſtropalao, & alij*; videlicet licitum eſſe his chriſtianis captiuis ad vitandã mortem, aut alicuius membri amputationem coactis à Turcis damnũ in bonis externis inferre Chriſtianis, eaque bona aſportare ad triremes turcarum; nam ipſi in talibus circumſtantijs inueniuntur in extrema neceſſitate illorum bonorum, proinde cum in tali neceſſitate omnia bona ſint communia,nullum erit peccatum ex parte ipſorum chriſtianorum tale furtum, quamuis *Bonacina de reſtit.diſp.1. q. 2. p. 10. n.* 8. loquens de adiuuante furem ob metum concedat poſſe illum comitari,deferre inſtrumenta ad infringendam arcã, ſed non poſſe infringere arcam, quia eſt, inquit, opus intrinſecè malum: at non rectè, quia in extrema neceſſitate vtendo bonis alienis, quæ ſunt neceſſaria ad vitandam mortem, vel mutilationem, non facio alteri iniuriam; citat Bonacina pro ſua ſententia Leſſium, ſed malè, cum nihil dicat pertinens ad hoc punctum, pro quo à Bonacina citatur: eſt tamen pro ſententia Bonacinæ *Coninck de char.d.31. dub.7.n.*104. Attamen aduertunt Doctores pro noſtra ſententia citati in aliquo caſu non excuſari hos captiuos remigantes, videlicet ſi præuideant magnum damnum contra Rempublicam Chriſtianam, quod vitaretur ipſis ceſſantibus à remigando; tunc enim tenerentur ob bonum commune ceſſare à tali officio,etiam ſi ſciant interficiendos eſſe à Turcis: ſed vt notat Caſtropalao caſus iſte rarò euenire poterit, in quo aliquis in particulari obligetur, quia nemo in particulari ſibi perſuadebit, quod ipſo ceſſante, alij etiam ceſſarent à remigando.

SECTIO DECIMANONA.

Vtrum in præſtandis prædictis obſequijs excuſari queant hi, qui non ſunt ſubiecti.

SVMMARIVM.

Poteſt etiam dari cauſa proportionata hos excuſans, ſed maior neceſſitas requiritur in his quam in ſubiectis. 1

Aurigæ qui tali officio viuunt, poſſunt adducere aliquem in eum locum in quo ille cum amaſia eſt peccaturus. 2

Et circa hanc quæſtionem ſeruandæ ſunt regulæ generales. 3

HVc vſque loquuti ſumus de his, qui ſunt ſubditi, vt filij,ſerui, & famuli:nunc ad completam huius difficultatis intelligentiam videndum remanet, an in exhibitione horum obſequiorum illi, qui non ſunt ſubiecti, poſſint interdum excuſari, & aio certum eſſe apud omnes maiorem cauſſam, cæteris paribus, poſtulari ab his, qui non tenentur ratione alicuius ſubiectionis: rurſus debet etiam eſſe certum ex eodem principio poſſe quandoque hominem non ſubditum excuſari, ſi detur cauſſa proportionata reſpectu talis perſonæ exhibentis tale,vel tale obſequiũ, quo alius eſt malè vſurus. 1

Et ideo puto excuſandos eſſe aurigas vehentes aliquem in locum, vbi eſt amaſia, cum qua ille eſt rem habiturus, vel in locum, in quo eſt furaturus, ſi ex officio 2

ſo-

Digitized by Google

ſoleãt exercere munus aurigæ, & ſimilia, nam hi tali miniſterio viuunt: at ſi poſſent ſine notabili diſpendio impedire peccatũ illius, quem deferunt, tenerentur. Hos autem excuſant *Petrus Nauar.l.3.de reſtit.cap.4.dub.4. Sanchez cap. 7. cit. n. 15. Merolla d.2.cap.4.n.* 280. & non ob aliam cauſſam, niſi ne amittant lucrum, quod ex tali officio comparant.

3 Seruandæ etiam ſunt cum proportione eædem regulæ, de quibus ſupra, ſcilicet maiorem cauſſam requiri ad excuſandum, quando ſeruitium eſt propinquius peccato, & maiorem quando ſeruitijs præſtitis alius eſt abuſurus contra iuſtitiam potius, quam contra alias virtutes.

SECTIO VIGESIMA.

Vtrum ſit peccatum ſcandali parato committere maius; ſuadere minus malũ.

SVMMARIVM.

1 *Non licet quando alia via eum diuertere poſſumus à maiori malo.*

2 *Sed quando non datur alia via qua eum diuertere poſſimus, dubitatur an liceat diuertere à maiori malo, ſuadendo minus malum.*

3 *Refertur duplex opinio circa præſentem dubitationem.*

4 *Opinionem affirmantem eligit author, cum quadam limitatione.*

5 *Soluit obiectionem ex trito axiomate, non ſunt facienda mala vt eueniant bona.*

6 *Ampliatur authoris cõcluſio, etiam in caſu quo minus malum non eſt pars maioris.*

7 *Soluit author aliam obiectionem contra ſuam ſententiam.*

8 *Probabile etiam eſt poſſe aliquem non ſolum conſilium dare, ſed etiam inducere alium ad minus malum, &c.*

9 *Vnde colligitur, quod dans tale conſilium, & taliter alium inducens in minus dãnum alterius, non teneatur ad reſtitutionem.*

10 *Licitum eſt iuuare latronẽ ad committendum minus furtum; ſed non licet eum iuuare ad committendam fornicationẽ ad hoc vt euitetur adulterium.*

11 *Non poſſum conſulere minus damnum ad euitandum maius, quando maius, & minus damnum pertinent ad diuerſas perſonas.*

12 *Dum conſulitur minus malum, non eſt neceſſarium apponere conditionem explicite, ſcilicet ſe dare tale conſilium ad euitandum maius malum.*

13 *Non licet ſuadere vnum malum ad euitãdum aliud æquale.*

NOn eſt licitum ſuadere minus malũ ad vitandum maius, quando alia via diuertere poſſumus paratum committere maius malum, quia hoc eſſet manifeſtum peccatum ſcandali; ſuaderemus enim actum; quem ille alius ſine peccato exercere minimè poteſt. Et hoc eſt indubitatum, & aſſeritur à pleriſque ex infra citandis. 1

Difficultas tamen eſt, an quando alia via non datur per quam impedire poſſumus illud maius malum, quod alter eſt certus patrare, niſi ſuadendo minus peccatum, talis ſuaſio ſit licita ſine ſcandalo actiuo ex parte ipſius ſuadentis: v.g. ſi quis ſit deliberatus occidere aliquos, vt eorũ bona furetur, an poſſit alter ſuadere, vt det mutuum ſub vſuris, ad hoc vt ſic extinguatur cupiditas lucrandi, & vitetur homicidium, quod eſt grauius peccatum. 2

Negant plures id eſſe licitum. videlicet *Caiet.in 2.2.q.78.a.4.in fine tertij notabilis. Couarr.4.decret.1 p.cap.4.n.vlt. Syluest. v.matrim.7.q.5.dicto 9. Emanuel Sà v.peccatum n.8. Valentia 2.2.diſp.5.q.21.p.4. ſed Azor.tom.2.l.12.c.16.q.8.* ait, quando minus malũ ſuaptè natura intrinſecè eſt malũ, tunc non eſſe licitum id ſuadere, ſecus quando non eſt tale, & eſt ſecundum ſe indifferẽs, quo ille alius poſſet, ſi vellet, benè vti, at iſta limitatio nihil facit; nã hoc à nemine negatur. cęterũ ex alia parte pro ſẽtẽtia affirmatiua nõ deſunt plures, & graues doctores. *Adrianus quodlib.1.a.3. & quodlib.9.a.3. Bartholomæus Medina in p.2.q.76.a.4. Vaſq.opuſc.de ſcandalo dub.1. & 2. Molina tom.2.d.335. & tõ.3 d.730. Leſſius lib.2.c.13.n.19. Turrianus in 2.2.d.95.dub.6. Rebel.l.2.q.14 ſect.4.n.21. Sanchez l.7. de matr.d.11.n.13. Baſilius de Leon.lib.5.de matr.c.18.§.5. Bonac.de reſtit.d.1.q.2. p.7. n.8. Caſtropalao de charit. tract.6.d.6 p.6. Layman t.2.l.2.trac.3.c.13.n.7.* cum aliqua tamen moderatione, nempe, quando minus malum includitur in maiori, & eſt veluti illius pars, vt patebit ex exemplis dãdis. *Petrus Hurt in 2.2.d.173.ſect.12. ſubſect.3. & Gaſpar Hurt.diſſ.3.de ſcandalo*, & alij. 3

Dico primo hanc ſecundam ſententiam videri mihi probabiliorem, cum illa moderatione, quæ ponitur à Layman, videlicet cum minus malum eſt pars maioris mali. *Diana par. 5. tract. 7.de ſcandalo reſol.*18. nam ſi fingamus v.g. Petrum eſſe iam paratum interficere Paulum, & homicidium eſſe formaliter ineuitabile; tunc ſi Ioannes in gratiam Pauli non valẽs aliud agere, perſuadeat Petro, vt ſaltem vulneret tantum Paulum, eumque minimè occidat; quis negare poterit Ioannem rectè in his circumſtantijs gerere negotiũ 4

Pau-

Digitized by Google

Pauli, eique rem valdè gratam facere? proinde non ſolũ non peccare contra iuſtitiam,ſed neque contra charitatem: immò facere opus magnæ charitatis, & pietatis erga Ioannem: ſimiliter ſi Petrus ſit paratus furari mille aureos à Paulo,& Ioãnes non potens totum damnum impedire, roget Petrum,vt ſaltem ſat habeat furari ſolum ducentos aureos,manifeſtũ eſt Paulum teneri gratias agere Ioanni de opera data in vtilitatẽ ipſius Pauli; & ſic in multis alijs ſimilibus.igitur abſolutè loquendo hanc ſecundam ſententiam puto certam; licet in quibuſdam caſibus ſit nonnulla dubitatio.

5 Dices nunquam eſſe licitum agere aliquod malum ad vitandum aliud malum, etiamſi illud malum, quod eligitur ſit leuiſſimum e.c.verbum otioſum; & iſtud ſit grauiſſimum,vt homicidium; nam non ſũt facienda mala,vt eueniant bona. Reſpondeo certiſſimum eſſe quod dicitur: ſed negamus ex parte Ioannis ſuadere in illis circumſtantijs minus malum,eſſe,facere malum,quia,vt diximus,tantum abeſt, vt non faciat malum, vt potius faciat opus valdè honeſtum, & magnæ charitatis. Axioma autem illud: non ſunt facienda mala,&c.intelligi debet reſpectu illius, qui ex electione ſe determinat ad eligendum aliquod malum, quod abſolutè, & ſimpliciter ſit malum: at in caſu noſtro vulnerari Paulum, & ab eodem per furtum capi ducentos aureos, eſt tale obiectum, quod licet reſpectu Petri vulnerantis, & furantis ſit malum: attamen reſpectu Ioannis erit obiectum honeſtum. Ratio diſcriminis eſt manifeſta: nam reſpectu Petri conſideratur malitia, quæ eſt in obiecto abſolutè, quatenus ipſe poſſet, ſi vellet, abſtinere etiam à vulnerando, & à furto illo minori, & ex ſua praua voluntate illud eligit; ſed reſpectu Ioannis illud obiectum non terminat ſuaſionem illam, quatenus inuoluit malitiam, ſed in quantum habet carentiam maioris mali; & etiam vt impeditiuam maioris malitiæ, quæ eſt in homicidio, & in furto mille aureorum: quæ quidem carentia, vt ſic cõſideratur, vt quædam bonitas moralis.

6 Eſt tamen maior difficultas, quando minus malum, quod ſuadetur ad vitandũ maius, non eſt pars illius maioris mali. v. g. ſi quis ſit paratus committere homicidium contra Franciſcum in eius odium, & vt à tali peccato auertatur alius illi ſuadeat adulterium cum vxore Franciſci, vel vt eius bona furetur: tunc peccatum, quod proponitur, non eſt pars illius peccati maioris, quale eſt homicidium;& in hoc caſu dicit Layman.non eſſe licitũ ſuadere minus malum, quia eſt inducere hominem ad peccatum;nam illud minus nequit exerceri ſine peccato. ſed abſolutè mihi videtur ad huc probabilior oppoſita ſententia,quia ego mea ſuaſione non induco alium ad peccatum:ſed ex hypotheſi, quod deliberatum habeat committere maius,ſuadeo carentiam huius maioris mali, quæ eſt bona.

Dices.nequit ille alius exercere actionẽ ſine peccato quam ipſe illi ſuadeo.ergo ex regulis generalibus ſupra præmiſſis non poſſum licitè ſuadere minus malũ. Reſpondeo.aliud eſt abſolutè petere actum, qui benè fieri nequeat: & aliud ſuadere talem actum ex hypotheſi,quod alius ſit paratus committere maius malum, à quo ego eum auertere non poſſum. primum nũquam eſt licitum;& hoc pacto intelligendæ ſunt regulæ illæ generales,quas initio huius tractatus præmiſimus. 7

Probabile eſt quod dicunt aliqui, vt *Sotus l.4.de iuſt.q.1.a.5.Lopez par. 1 inſtruc. cap 58.Angelus v.matrim. 3. impedimento quinto. Syluester v.vſura 7. q.Armilla v. Tyrannus.Nauar.in ſum.c.14 n. 40. quos ſequitur Sanchez diſp.cit.n.16.Bonac. d.1. de reſtit.q.2.p.7.n.9.* & alij apud ipſum; videlicet in prædicto caſu non ſolum eſſe licitum conſulere, verum etiam inducere ad minus malum, quamuis *Aragonius in 2. 2.q. 78.a. 4.* dicat; licitum eſſe conſulere, ſed non inducere. Ratio pro concluſione eſt, quia ſi licitum eſt conſulere,erit etiam licitum inducere, nam conſilium eſt quædam inductio. 8

Ex his colligunt Doctores noſtræ ſententiæ, non ſequi ex tali conſilio,& inductione obligationem reſtituendi, quando ſuaſio eſt circa actionem damnificatiuã; & ratio eſt in promptu, quia ex nullo capite conſulens poteſt obligari: non ratione rei acceptæ, quoniam ſupponimus nõ eſſe participẽ furti v.g.nec ratione iniuſtæ acceptionis, cum nihil faciat iniuſtè: immò vtiliter agat negotium alterius. Ergo abſolutè non tenebitur quidquam reſtituere, nam capita vniuerſalia, ex quibus oritur omnis obligatio reſtituendi ſunt illa duo dicta,vt aſſerimus in tractatu de reſtitutione, & fusè probauimus in 2.2.dũ ageremus de iuſtitia. 9

Plus addit Bonacina loco citato, & adducit pro ſe Molinam, Reginaldum, & alios, quibus adhæret *Sanchez num.18.*& apertè defendit *Gaſpar Hurt.l.c.*videlicet licitum eſſe iuuare latronem ad committendum furtum minus, ad quod ſuaſimus eumdem latronem in hunc finem, vt auertatur à maiori furto, & hoc ob idem principium; nam tunc ex noſtra cooperatione tantum abeſt, vt aliquod malum ſequatur contra tertium, vt potius rem ip- 10

ipſius vtiliter geramus, quia minus patitur malũ. at aduertit, & rectè Gaſpar Hurt. quod licet talis cooperatio in materia iuſtitiæ aliquando eſſe poſſit licita; tamen non ſit licita reſpectu actionum contra alias virtutes; & neque etiam aliquando in actionibus concernentibus iniuſtitiã v. g. ſi quis ſuadeat alteri vt non committat adulterium, ſed committat potius ſimplicem fornicationem, nequit poſitiuè cooperari cum ipſo fornicario ad fornicationem; & ſi alteri determinato interficere Paulum, ſuadeat, vt potius illum vulneret, nequit ita ſuadens cooperari ad vulnus infligendum. & ratio diſparitatis eſt, quia ideo in primo caſu licita eſt cooperatio, quia ille, qui patitur damnum in bonis externis, eſt dominus illorum; & ideo cooperans non cooperatur inuito domino, ſed potius volente ipſo domino: at reſpectu fornicationis, quę eſt intrinſecè mala, nemo poteſt licite conſentire, & reſpectu vulnerationis, ſeu amputationis membrorum idem eſt aſſerendum, quia homo non eſt dominus ſuorum membrorum: neque aliquis poteſt ſe ipsũ vulnerare, ad vitãdã ſui occiſionẽ, & hoc ob eãdẽ rationẽ; nõ enim cooperamur ad furtum vt ſic, niſi materialiter: ſed cooperatio noſtra fertur ad vtiliter gerendam rem alterius; dum enim cooperamur ex tali cooperatione aliquid vtilitatis redũdat in alium, qui minus malum patitur. cęterum eſt aduertendum hãc cooperationem non poſſe eſſe licitam circa actionem intrinſecè malam, vt eſt e. c. amputatio membri; nam hoc nunquam priuata authoritate fieri poterit ad vitandum maius peccatum, niſi in caſu iuſtę defenſionis.

11 Non eſt admittẽda quorumdam opinio, qui nobiſcum ſentientes de ſuaſione minoris damni ad impediendum maius, ampliant hanc noſtram ſententiam, etiam quandò maius, & minus damnum ſunt reſpectu diuerſarum perſonarum. & ita expreſsè ſentit *Petrus Hurt. d. 173. citata ſec. 12. ſubſec. 3. nu.* 163. & ponit duo exempla v. g. ſit Antonius paratus fornicationẽ committere cum muliere ipſi conſenſura, niſi alia mulier ſit eidem preſto: tunc dicit Hurt. poſſe me proponere Antonio, eique dicere, ſi peccaturus es cum altera è duabus, pecca cum hac, quia licet ſit æquale peccatum: tamen poſſunt multæ concurrere cauſæ, quibus ego licitè timeam multa mala ſequutura ex peccato facto cũ vna, quam cum altera, e. c. ſi Antonius ſit occidendus, ſi peccet cum vna ex illis; & idem ſubdit Hurt. dicendum de homicidio, ſi sũ certus alterum è duobus eſſe occidendum ab Antonio, & vnus ex illis ſit mihi amicus, cognatus, &c. ponit idem Hurt. limitationem quamdam, videlicet hoc, quod dictum eſt, eſſe licitum, ſi Antonius erat determinatus interficere alterum è duobus: ſed ſi non decreuit occidere alterum è duobus, ſed tantum vnum, nihil de alio cogitans; non poſſum ego ſimul illi ſuadere mortem alterius, de quo non cogitauerat: at poſſum excitare ſolum memoriam obiecti mihi minus incommodi. hæc docet Hurt. ſed hæc opinio non placet; quando maius, & minus damnum verſatur circa diuerſas perſonas, & nõ circa eamdem, quia tunc licet vtiliter agam rem vnius: nihilominus malè ago rem alterius; & non videtur rationi conſentaneum, vt cum detrimento huius, quod non tenetur ſubſtinere, impediatur damnum alterius; facio enim tunc contra ius, quod habet illa tertia perſona: videlicet ius habet, ne eius damnum ſuadeatur eo tempore, quo illud pati minimè tenetur; & ideo hanc ſententiam tuentur *Salonius* 2. 2. *q. 62. a. 7. controu. 6. & q. 78. a. 4. controu.* 1. *Aragonius ibi ad ſecundum, Sotus lib. 4. de iuſtit q. 7. a. 3. Petrus Nauar. l. 3. de reſtit. c. 4. de ius, & conſilio notab. 4. Mol diſp. cit Leſſ. lib. 2. c. 13. n. 19. Sanchez diſp. cit. n.* 24. qui nonnullas ponit limitationes. primò quando maius damnum eſſet adeò notabile, & minus malum adeò leue, vt ſecundum leges charitatis, & ſecundum rectam rationem, non cenſeretur iniuria fieri illi, contra quẽ minus malum ſuadetur. ſecundo. si iſte teneretur tale malum ſubſtinere, vt si quis v. g. decreuerit Regem interficere, vel aliã perſonam Reipublicæ valdè neceſſariam, ex cuius morte grauia damna Reipublicæ euenirent: tunc perſona priuata plebeia teneretur mortem pati ad impediendum, tam graue malum, quod Reipublicæ imminet morte Regis ſequuta; & tunc dicit Sãchez non eſſet peccatum, conſulere, vt potius hunc plebeium, quam Regem interficiat. tertiò dicit eſſe licitum conſulere minus damnum, quando quis eſt determinatus facere maius alicui certæ perſonæ, & conſulens minus, non determinat perſonã particularem. hæc probabiliter Sanchez. cæterum quando minus malum non eſt in damnum alterius: tunc puto non eſſe improbabile, conſulere minus, etiam reſpectu diuerſæ perſonæ, vt si quis sit paratus cõmittere adulterium cum vna perſona, poſſum ex tali hypotheſi conſulere, vt potius committat fornicationem ſimplicem cum alia muliere.

Aduertit *Caiet. in opuſ. t. 1. trac. 31. reſponſ. 13. Salonius* 2. 2 *q. 78. a. 4. controu.* 1. *Sanchez n.* 22. dum in prædictis circumſtãtijs conſulitur minus malum, non eſſe neceſſarium veluti in actu ſignato explicare cõditionalem illam, videlicet loqui, & ſuade- 12

dere cum tali proteſtatione : conſulo hoc, ſi tu ſis paratus,& determinatus committere maius illud peccatum: ſed ſufficit in actu exercito declarare conditionem,quod tunc contingit, quādo ille,cui ego ſuadeo minus malum, aduertit me loqui ex ſuppoſitione.

13 Sed poteſt eſſe dubitatio : an ſit licitum ſuadere malum æquale ad vitandum aliud ſimiliter æquale.affirmat *Carbonius de reſtit.q.69.in reſpon.ad quartum apud Sanchez n.26.* ſed negat ipſe Sanchez, & rectè; nam electio potius huius mali æqualis relicto altero malo æquali, nullam præſefert rationem boni moralis.at Petrus Hurt. cuius opinionem, & doctrinam retulimus ſupra *n.* 11. videtur huic ſententiæ Carbonij valdè fauere, dum concedit licitè ſuaderi poſſe alicui parato occidere vnum è duobus,vt interficiat potius vnum,quam alterum,ſi iſte ſit amicus,& cognatus meus;nā reſpectu illius, qui eſt paratus ad occidendum, vtrumque homicidium in ratione malitiæ omnimodam habet æqualitatem; ſupponimus enim duos illos homines æqualiter in hoc ſe habere in ordine ad occiſorem. proindè ſecundum honeſtatem moralem,abſtinere ab occiſione vnius,occidendo alterum,nullam inuoluit rationē boni in genere moris.

SECTIO VIGESIMAPRIMA.

Vtrum præuidens ab alio libidinoſè tangi, aut amplecti teneatur ad vitandum ſcandalum impedire tactum illum, aut amplexum.

SVMMARIVM.

1 *Amplexus, & tactus impudici qui fiunt animo libidinoſo nequeunt cohoneſtari, niſi inter coniuges.*

2 *Tactus in partibus verendis, qui fiunt cauſa medicamenti, vel alia rationabili, non ſunt peccaminoſi.*

3 *Quid ſi medicus præuideat ſe exponere periculo peccandi tangendo partes illas verendas; an liceat ita mederi?*

4 *Mulier dum in chorea ſaltat non tenetur recuſare tactum manus adoleſcentis, à quo ſcit libidinoſè tangi.*

5 *Idemque dicēdum eſt de amplexibus, quibus vtuntur quidam religioſi dum diſcedunt ex vno in alium locum.*

6 *Quid dicendum ſi quis dum tangitur dubitet an tactus fiat ex amore honeſto,an impudico?*

1 CErtum, & indubitatum eſt apud omnes tactus impudicos, qui fiunt animo libidinoſo eſſe omnino vitandos, & impediendos, quia ſunt via ad coitum, & nequeunt cohoneſtari, niſi inter coniuges, inter quos licita eſt copula carnalis; proindè inter ſolutos, ſi aliqua mulier non impediat oſculum,aut tactum impudicum, qui fit ab alio, peccabit mortaliter, niſi intercedat cauſſa rationabilis inferius explicanda. vide *Sanchez lib.9. de matrim.diſput.46. nu.* 11.

Contactus, qui fit in partibus verendis cauſſa medicamenti, vel alia rationabili, non eſt peccatum.*Leſſius lib.4 de iuſt.cap.3.nu.60. Nauar.cap.Si cui nu.13.de pœnit. Bonac.de matr.qu.4 p.9.n.9.* nam cùm huiuſmodi ſint ſecundum ſe indifferentes, & in tantum ſint mali, in quantum libidinoſè exerceantur,hoc eſt ex venerea delectatione,ſequitur dari poſſe cauſſam, vt licitè exerceantur; & ſic dum nō fiunt ob delectationem veneream, & concurrit cauſſa adeò rationabilis, qualis eſt neceſſitas curationis;hinc fit, vt tactus illi ob cauſſam prædictam liciti eſſe poſſint. 2

Si medicus præuideat ſe exponere periculo conſenſus in prauam delectationem, tangendo partes illas verendas: tunc per ſe loquendo non poteſt licitè mederi per contactum illarum partium; nam ſe exponere manifeſto periculo peccandi, eſt peccatum.dixi per ſe loquendo, nam ſi mulier eſſet in periculo vitæ,niſi curetur, & non adſit alius medicus, qui poſſit ei mederi; tunc abſque peccato medicus ille deberet curam adhibere, non obſtante illo periculo; tunc enim periculum illud vrgente tali neceſſitate non foret voluntarium, proindè non erit peccatum; nam aliud eſt peccare; aliud ſe exponere periculo peccandi; primum nunquam erit licitum, etiam ob totius mundi ſalutem: at ſecundum poterit eſſe licitum,quoniam periculum peccādi eſt malum, in quātum moraliter eſt voluntarium. in caſu autem prædicto non cenſetur moraliter voluntarium,vt in ſimili egregiè diſcurrit *Sanchez in ſelec. d.* 10. *n.9.* ait enim,quod ſi eſſet quædam mulier, cui, niſi alius cibos ſubminiſtraret, ipſa fame periret,tunc iſte alius,quamuis cognoſcat ſubminiſtrando cibos tali mulieri ſe exponere periculo peccandi cum illa,non obſtāte tali periculo poſſet, immò deberet ſubuenire mulieri extremè indigenti;nam ordinata charitas in his circumſtantijs id poſtulat,deberet tamen ille in tali euentu ſe munire orationibus, petere diuinū auxilium, vt illo adiutus non labatur. 3

Caſus contingere facilè poteſt in praxi 4 v. g. mulier quædam aduertat ſe turpiter amari ab aliquo adoleſcente, & interſit choreæ, quæ ob aliquam ſolemnitatem, aut pro nuptijs celebrari ſolet inter principes,& viros illuſtres:accidat autē,vt mulier

Digitized by Google

lier ſecundum morem inuitetur ab illo adoleſcente ad ſaltandum ſimul, cum ſecundum leges choreæ oporteat ſæpè ipſos ſaltantes manibus ſe mutuo apprehendere, tunc ſi illa mulier recuſet, reputabitur illi ad ignominiam, quia communiter inter tales perſonas huiuſmodi inuitationes refutari minimè ſolent; in hoc autem caſu nõ tenetur mulier illa ſe retrahere, & impedire contactum manus, quamuis ſciat libidinosè tangi ab illo adoleſcente. huiuſmodi caſum exagitant doctores, quando iuxta patriæ morem ſolent mulieres dare oſcula ad inuicem in fronte in aduẽtu, vel receſſu ab vno ad alium locum; & tunc dicũt, quod mulier, ſi commodè nequeat repellere oſculum illud, non peccabit peccato ſcãdali ita *Leſſ. lib. 4. de iuſt. cap. 3. n. 64. Azor. t. 3. cap. 25. q. 4. Tabiena v. Oſculum, & cogitatio moroſa Syluest. ver. delectatio q. 5. Armilla v. Oſculum, & impudicitia n. 1. Caiet. in 2. 2. q. 154. n. 4. Bonac. p. cit. n. 10. Emanuel Sà v. Luxuria n. 14. Graſſius p. 1. deciſ. li. 2. c. 75. n. 12. Filliucius tr. 30. cap. 10. n. 298.* Ratio autem eſt, quia huiuſmodi tactus ex ſe non eſt inhoneſtus, & impudicus: ſed indifferens, nam poteſt ex malo, vel honeſto fine fieri; ideoque mulier illa non tenetur cum ſuo dedecorè repellere talem contactum, quamuis credat ab alio libidinosè tangi: at ſi poteſt ſine aliqua nota impedire, teneretur id facere ad vitandum ſcandalum, vt notat Leſſius *l. cit.*

5 Idem eſt dicendum, quando amplexus fiunt inter iuuenes eiuſdem ſexus: nam ſi iuxta conſuetudinem, dum alter recedit, vel accedit ad eumdem locum, ſolitum ſit ſe inuicem amplecti, vt fit in quibuſdã ordinibus regularibus, quando religioſi diſcedunt ituri in partem longinquam, vel aduenìunt; ſolent tunc religioſi illius monaſterij, aut domus, ad quam accedunt ſe mutuo amplecti in ſignum beneuolentiæ, & charitatis religioſæ, vt S. Ignatius Fundator Societatis Ieſu præſcribit in ſuis cõſtitutionibus, tunc, quod abſit, ſi aliquis iuuenis religioſus agnoſcat turpem alterius amorem non tenetur repellere illius amplexum iuxta conſuetudinem religionis, tum quia ad talem amplexum in eo euentu ius habet; tum etiam quia ſi repelleret coram alijs amplexum alterius, præberet cæteris occaſionem manifeſtam ſuſpicandi, vel odij contra illum religioſum, vel ſiniſtræ opinionis contra bonam exiſtimationem euiſdem: nihilominus ſi hoc inconueniens ceſſaret, & nullum ſequeretur incommodum, eſſet impediendus talis amplexus.

Si quis dum ab alio tangitur dubitet, an tactus fiat ex amore honeſto, an vero turpi; debet attendere, an tactus ſit talis, qui cõmuniter inter pudicos exerceri ſoleat: vt ſunt apprehenſio manus, oſcula pro conſuetudine patriæ, amplexus, &c. & túc non tenetur tactus iſtos impedire: ſed debet credere cauſſari ex honeſto amore; nã de dubijs vnuſquiſque bonus eſt præſumẽdus. ſi autem tactus ſint inhoneſti, vel tales, ſeu tali modo exerciti, vt inter laſciuos exerceri ſoleant, tunc tenebitur illos repellere; nam præſumptio eſt in malum ita *Filliucius cap. cit. n. 197.* Et hæc de ſcandalo breuiter dicta ſufficiant; ideoque huic quæſtioni finem imponimus.

LIBER DECIMVS

DE ALIQVIBVS AD SACRAMENTA, ET SACRIFICIVM Miſſæ ſpectantibus.

PAuca quædam, & ſelecta de aliquibus Sacramentis, & ſanctiſſimo miſſæ ſacrificio in hoc libro diſcutere mihi viſum eſt, ea nimirum, quæ in praxi non rarò contingere ſolent, & de quibus meum ſenſum interrogatus aperui. exordium igitur ſumo à ſacramento baptiſmi, nonnulla de illo expendendo.

QVÆSTIO PRIMA.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Vtrum in aliquo caſu validum ſit hoc ſacramentum ſi baptizandus aqua roſacea abluatur.

SVMMARIVM.

1 *Eſt certum abſque controuerſia, nulla exiſtente neceſſitate, baptiſmum conferri non poſſe niſi aqua naturali.*
2 *Dubitandi ratio eſt quando vrget neceſſitas.*
3 *Refertur ſententia affirmans.*
4 *Communiter reijcitur.*
5 *Huic ſententiæ negatiuæ ſubſcribit Author, eamque authoritate Tridentini probat.*
6 *Et ex decreto Victoris Pontificis.*
7 *Inſtantia in contrarium bimembris proponitur.*
8 *Aqua ex liquoribus expreſſa ſpecie differt ab aqua naturali.*
9 *Quamuis elementa manerent formaliter in miſto, nil probant aduerſarij.*

1 APud omnes abſque vlla controuerſia indubitatum eſt, neceſſitate nõ vrgente grauiſſimum ſcelus eſſe baptizare alia materia, quæ aqua elementaris non ſit, & hoc non ſolum ob periculum nullitatis, quæ euenire poterit, ſi materia, quæ adhibetur non fuerit à Chriſto Domino inſtituta ad hoc ſacramentum conficiendum, ſed etiam quia euertitur ritus, & ordo, quem Eccleſia præſcribit in confectione huius ſacramẽti, de hoc enim
nemo ambigit. At dubitandi ratio ſe of- 2
fert, quando vrget neceſſitas illa vulgaris, quæ communiter à Doctoribus proponi conſueuit. v. g. ſit infans recenter natus, & laboret in extremis, deſit aqua naturalis, & præ manibus nulla alia materia habeatur, niſi aqua roſacea, vel ſimilis ex floribus expreſſa, num in tali caſu poſſim proferẽdo debitã formam abluere puerum aqua illa roſacea.

Sententia quorumdam eſt in caſu illo
poſſe ſub conditione baptiſmum conferri. 3
ita *Ioan. Præpoſitus de ſacram. baptiſmi q. 66. ar. 4. n. 22. Lezana in quæſt. regular. to. 3. ver. Baptiſmus n. 11. Chamerota de ſacr. tract. 1. de baptiſ. cap. 2. dub. 2. Tannerus t. 4. diſp. 4. quæſt. 1. dub. 2. nu. 41. & quidam alij apud Dianam p. 5. tract. 3. reſol. 2.* aduertunt autem prædicti Authores, quibus placuit opinio iſta, quod ſi ita baptizatus fortè ſuperuiuat ſit, ſub conditione iterũ baptizandus modo ordinario videlicet aqua naturali, & elementari, quia euenire poſſet primum baptiſmum ex defectu materiæ inualidum fuiſſe. Hanc ſententiam
reliqui Doctores communiter reijciũt. in- 4
numeros refert *Diana loc cit.* qui à materia huius ſacramenti remouent omnes aquas artificiales ex floribus, ſeu herbis expreſſas, & ex Concilijs probant ſolum aquam naturalem eſſe aptam materiam.

Dicendum eſt, quamuis Authores præ-
dictos, qui primam tuentur ſententiam dã- 5
nare nõ audeam; nihilominus eorum opinio mihi placere non poteſt, quia in *Concilio Trid. ſeſſ. 7. can. 2.* expreſsè determinatur aquam veram, & naturalem eſſe de neceſſitate baptiſmi, & anathema dicit idẽ

Con-

Digitized by Google

Concilij aduerſus cõtrariũ aſſerẽtes: ſi autem alia aqua artificialis poſſet eſſe apta materia ad valorem huius ſacramẽti, aqua naturalis non eſſet de neceſſitate baptiſmi, quia ſine illa in aliquo caſu haberi poſſet validum hoc ſacramentum, & tamẽ concilium ſtatuit aquam naturalem eſſe de neceſſitate baptiſmi, hæc autem locutio nõ eſſet vera, ſi interdum haberetur verum, & validum ſacramentum baptiſmi ſine aqua naturali, quemadmodum iuxta communem ferè omnium ſententiam, quæ aſſerit expreſſionem peccatorum, quę ore fit, non eſſe ita de neceſſitate ſacramenti pœnitentiæ, vt ſine illa in aliquo caſu, tale ſacramentum validum haberi nequeat, nam per ſigna ab ipſo pœnitente expreſſa poteſt abſolutione adhibita haberi verum ſacramentum pœnitentiæ in caſu neceſſitatis.

6 Confirmatur quod dictum eſt per decretum Victoris ſummi Pontificis, qui ſtatuẽs quacumque aqua quemcumque baptizari poſſe, ſi neceſſitas cogeret; addidit tamẽ, modo aqua ſit naturalis: hoc autem legimus in eius officio, quod Eccleſia recitat die 28. Iulij: quod quidem ſtatutum, eſt maximè aduertendum, cum loquatur Põtifex in caſu neceſſitatis, in quo non admittit aliam aquam niſi naturalem: aqua vero expreſſa ex roſis, vel alijs floribus non eſt aqua à natura, ſed artificio quodam confecta.

7 Sed dices, eſt dubium, an aqua roſacea, vel ſimilis ſpecie differat ab aqua naturali: rurſus probabile eſt in philoſophia elementa formaliter manere in miſto; atque adeo in aqua roſacea, vel ſimili probabile eſt exiſtere formam ſubſtantialem aquæ naturalis, & ideo tali poſita probabilitate dicendum eſſet poſſe ſaltem ſub conditione in caſu neceſſitatis conferri baptiſmũ.

8 Reſpõdeo primo aquas ex floribus expreſſas ſpecie differre ab aqua naturali, vt docet *S. Th. in 3. p. q. 66. ar. 4. ad 5. & ibi Coment. & alij* communiter. Reſpondeo ſecundo nobis ſtandum eſſe determinationi Concilij ſuperiùs relati ſtatuẽtis aquã naturalem eſſe de neceſſitate baptiſmi, per aquam autem naturalem intelligit eã; quæ contradiſtinguitur ab artificiali, idest roſacea, & ſimili. & hoc valdè congruẽter inſtitutum fuit à Chriſto Domino, quia cum hoc ſacramentum ſit ſummæ neceſſitatis voluit eius materiam eſſe valde communem, & peruiam, qualis eſt aqua elementaris, & ideo etſi daremus (quod falſum omnino eſt) aquam roſaceam, &c. nõ differre ſpecie à naturali, nihilominus, cũ ea non ſit communis, & peruia, voluit Chriſtus Dominus aliam materiam magis communem aſſumere pro ſacramẽto baptiſmi, & eſſe neceſſariam ad eius valorẽ, vt declarat *Concil. loc. cit.*

Illud vero, quod dicitur de exiſtentia elementorum in miſto eſt prorſus ineptũ ad rem noſtram: nam quicquid ſit de illa opinione philoſophica; nihilominus quãdo elementa ſunt in miſto non manent ſenſibiliter ſub proprijs accidentibus, ſed ſub accidentibus ipſius miſti, & ideo ſignando miſtum non dicimus eſſe aquam, &c. neque aggregatum elementorũ, alias ſequeretur poſſe validè aliquem baptizari ſanguine, vrina, ſaliua, quia in his, iuxta opinionem philoſophicam, manent elementa ſecundum proprias formas, quod tamen nemo aſſeruit. 9

QVÆSTIO SECVNDA.

An Religioſi licitè valeant de fonte Baptiſmi infantem leuare munus patrini exercendo.

SVMMARIVM.

Pars negatiua eſt ſatis communis, & probatur varijs iuribus. 1

Confirmatur ex ſacerdotali, & rituali Romano. 2

Partem affirmatiuam defendunt aliqui, ſi ſermo ſit de mendicantibus, & Canonicis regularibus. 3

Poſterior hæc ſententia, quatenus fundatur in eo quod ſub nomine Monachorũ non veniant Mendicantes, non placet Authori. 4

Lex iſta fauorabilis, & non odioſa cẽſeri debet. 5

Non admittitur ab Authore poſterior hæc opinio. 6

Prædictorum iurium tranſgreſſio dubitant aliqui an ſit mortalis. 7

Alij cenſent eſſe mortalem. 8

Certum eſt in prædictis iuribus contineri præceptum. 9

Aliqui aſſerentes eſſe culpam non determinant ſit grauis nec ne. 10

Non audet Author determinare an ſit mortalis. 11

Duo remanent decidenda. 12

Non eſſe prohibitum Regularibus baptizare. 13

Obiectio ex textu canonico proponitur, & diluitur. 14

Non datur ius prohibens Regularibus, ne ſuſtentent confirmandum. 15

Quæ dicta ſunt vera exiſtimantur, ſpectando ius cõmune, ſecluſo iure ſpeciali. 16

PArtem negatiuam vt ſatis communem quamplures docent. *Sotus in 4. diſt. 4. quæſt. unica ar. 5. ad 2. arg. Suarez in* 1

3.p.tom.3.q.67.nu. 7. in commen. Vaſquez ibidem n. 5.Valen.tom 4.diſp.4.q. 2. punc. 3.Syluef.ver. Baptiſmus 5.q.5. Rodriq. in quæſt. regul.tom. 2.quæſt.58. ar. 3. Regi-nal.inpraxi lib. 31. n.157.Rebel. de oblig. iuſt.lib.3.quæſt.6.n.10. Emmanuel Sà in Aphoriſ.ver. Baptiſmus n. 9. Nuñus in 3. p.quæſt.illa 67.ar.8.Sanchez lib.7.de mat. diſp.60.n.21.& in decal.lib.6.cap.6.nu.24. Filliuc.tract.2.cap.7.n.160.Bonac.de mat. quæſt.3.punct.5.§.2.n.23.Layman de ſacr. tract.2.cap.9.n.3. Lezana in quæſt. regul. tom.1.cap.9.n.31.Gamachæus in 3.p.quæſt. 67. & alij. huius ſententiæ fundamentalis ratio deſumitur ex ſacris iuribus id prohibentibus,ita *ex cap.Placuit 16.quæſt.1.ca. Peruenit* 18. *quæſt.1. cap. Non licet . cap. Monachi diſt.4.de cõſec. & ſcribentes ibidem* . interdicitur in his locis ne monachi aliquem de fonte ſuſcipiant,& ne compatres commatreſque ſibi faciant,congruentia huius prohibitionis eſt ne ipſi religioſi occaſionem arripiant egrediendi è monaſterio ad inſtruendos filiolos , & ne familiaritatem contrahãt cum mulieribus cõmatribus , ex quo ſæpè varia peccata , & ſcandala ſequi poſſunt.

2 Confirmatur etiam prohibitio iſta ex ſacerdotali Romano , & nouiſſimè *ex Rituali iuſſu Pauli V. edito* vbi dum tractatur de baptiſmo , & patrinis,cauetur ne religioſi ad hoc munus admittantur.

3 Sed loquendo de regularibus, qui rigorosè monachi non ſunt vt mendicantes, & canonici regulares,hos poſſe de fonte baptiſmi aliquem leuare ſuſtinent nonnulli , videlicet *Ægidius Coninck in 3.p.q.67.nu. 56. Chamerota de ſacram. tract. 2. cap. 4. dub.8.Ioan.Præpoſitus in 3.p.loc.cit. nu 7. Gaſpar Hurtado diſp.2 de baptiſm. diff.9. Franciſ.Ceſpedes tract.de exemp.reg. cap. 6.dub. 134. Caſtropal. de baptiſ.tract.19. diſp. vnica pun.11. §.1. n.4.* fundant hanc ſententiam in eo quod ſub nomine monachorum in odioſis non veniant mendicãtes , & Canonici Regulares . Canones autẽ citati ſolum de monachis loquũtur , & cum prohibeant , odium aliquo modo continent .

Rurſus non videtur eadem ratio de monachis,& mendicantibus,nam illi ſolitariã vitam ſeruant,ſibique ſolum viuunt;ideoque eorum ſtatui nõ decet inſtruere pueros,ſecus de mendicantibus qui pueros ex vi proprij ſtatus erudire ſolent.

4 Dico primo.hæc poſterior ſentẽtia quatenus fundatur in eo quod ſub nomine monachorum non veniant mendicantes, &c. eſt omnino reijcienda : primo quia licet in odioſis ſuſtineri poſſit nõ cõprehendi alios regulares ſub appellatione monachorum ;

5 cenſeo tamen canones prædictos non eſſe odioſos,quia lex quæ immediatè tendit ad vitanda peccata,& ſcandala,& ad animarũ ſalutem non exiſtimatur odioſa à doctoribus,ſed fauorabilis atque adeo extendẽda quamuis pœnam trãſgreſſoribus imponat . ſic *Barthol.in auth.ſacram.puber.n. 19. c. ſi aduerſus vẽd.Iaſon.ibi n.72 Ioan. Andr. cap.Ex tenore n.5. Qui filij ſint legit. Hoſtienſis ibi in fine Panor. etiam ibidem n. 5.& 6. Francus cap. ſciant cuncti n. 6. de elect.in 6.Couar.4.decret.2.p.cap.6.initio n. 12.Sãchez l.1.de matr.diſp.39.n.5.Flamin. de relig.benef.lib.10.q.6.n.36. Suarez de legib.lib.5.cap.2.n.12.Merolla in diſp. moral.tom.1.diſp.1.c.2.n. 349. 410. 468.* & alij qui hoc exemplificant in lege canonica *ſi quis ſuadente* 17.q.4.hęc autem lex quamuis pœnalis,quia tamen religioni,& ſtatui clericali fauet,ampliatur;ideoque licet canon loquatur de clerico, & monacho percuſſo,doctores tamen illum ad laicum religioſum,& nouitios extendunt,vt videre eſt apud *Suarez loc.cit. in 3. p.* præterea exemplificant in conſtitut. prohibente allocutionem cũ monialibus,vt probat *Merolla tom.illo 2.num.*590.& in conſtitutione prohibente lectionem librorum ab hæreticis compoſitorum,vt probat idem *Merolla n.349.loc.ci.in p.tõ.* Demũ in conſtit. per quam prohibetur monachis munus auocandi in iudicijs forenſibus,comprehẽdi religioſos omnes ſub appellatione monachorum,colligitur ex declaratione põtificia in *cap.cit.monachi , & cap. ex parte,* quod rectè aduertit *Sanchez in decal.lib.6. cap.13.n.1.*& ſic in alijs ſimilibus decretis, quibus interdicuntur religioſis actiones indecentiam ſtatui religioſo,vel pericula peccati,ſeu ſcandala trahentes. leges autẽ iſtæ quæ vetant religioſis munus patrini editæ ſunt ad vitanda ſcandala, & peccata, quę euenire poterant vt ſupra oſtendimus, & ſi Archidiacono *in cap.illo monachi* credamus,cauſa huius prohibitionis fuit, quia nonnulli regulares commatres ſibi facientes eas oſculabantur , & hoc ipſum in cap. illo cum dicitur[*Monachi ſibi compatres commatreſuè non faciant nec oſculentur fœminas.*]

Secundo probatur efficacius concluſio, nam habemus explicitam prohibitionem ſe extendentem non ſolum ad monachos ; verum etiam ad omnes alios regulares. ſic Paulus V.Pontifex maximus in *Rituali romano ſuperius cit.fol.*7.loquendo de patri- 6
nis *in §.vltimo* ait [*præterea ad hoc etiam admitti non debent monachi,vel ſanctimoniales,neque alij cuiuſuis ordinis regulares à ſæculo ſegregati*]voluit Pontifex in hac prohibitione ſe conformare antiquis iuribus,idque declarat comprehendendo non ſolum regulares ſolitariam vitam de-

gen-

Digitized by Google

gentes, ſed omnes etiam alios cuiuſcũque ordinis: ideoque authores ſententiæ ſecũdo loco relatæ non rectè probant illam fũdantes ſe in hoc, quod ſub nomine monachorum, mendicantes non includantur, cum hoc ſit iam à Pontifice declaratum.

6 Dico ſecundo. abſolutè loquendo opinio poſterior non debet admitti, quia obſtant canones, & præſertim Rituale Romanum id interdicens, & meritò quia commatres facere non decet ſtatui religioſo.

7 Sed maior difficultas inſurgit, an decreta prædicta, prohibentia munus Patrini religioſis obligent ità ſtrictè, vt eorum tranſgreſſio exiſtimanda ſit culpa grauis.

Punctum hoc tetigit *Sotus l.c.* & ſub dubio loquens ait fortaſſe peccatum eſſet nõ minus quam mortale; & idem videtur sẽtire *Vincentius Candidus in ſuis diſquiſ. moral. de baptiſ. dub. 11. & Bauny de ſacr. baptiſ. in Epitomis ver.* [*quarto, & ſi ſacri canones*] dicens in multis diœceſibus tam regulares, quam Parochos à locorum ordinarijs grauibus coercitos fuiſſe pœnis, & per hoc videtur velle tranſgreſſionem prædictorum canonum grauem eſſe culpam, cum graui puniatur pœna; *Nuñus l.c.*

8 Alia opinio ea eſt, quam ponit *Ceſpedes loco ſuperius citato*, qui cenſet nulla eſſe verba circa hoc in Rituali, quæ denotent ſtrictam prohibitionem: vlterius addit obſeruationem eorum, quæ in Rituali diſponuntur non cadere ſub præceptum, & hoc colligit, quia in fine bullæ, quę ponitur initio Ritualis, Pontifex ſolũ hortatur ad eius obſeruationem.

9 Sed hęc ſententia, ſi omne excludat pręceptum, non eſt admittenda, quia dictio illa, *debent*, quæ eſt in *Rituali loco cit.* per ſe loquendo præceptum, & non ſolum debitũ honeſtatis importat, vt ex multis oſtendit *Sanchez lib. 4. de matr. diſp. 23. n. 1. & in decal. lib. 6. cap. 4. Barboſa de diction. verb. debet.* neque verbum illud, *Hortamur*, quo vtitur Pontifex in ſua bulla diſponens, quę continẽtur in regula ſecundum aliquam materiam indicat non eſſe ſub graui obligatione; hoc enim eſt aperte falſum, nam multa ſunt grauiſſima, & præſertim pertinentia ad formas, & materias ſacramentorum, quæ ſine dubio ſtrictè ad ſui obſeruationem obligant; Superior autem hortari poteſt ad obſeruationem, tum eorum, quæ ſunt de præcepto, tum etiam ad ea, quę sũt de conſilio; proinde ex illo, *hortamur*, nequit inferri nullum ritum eorum, qui præſcribuntur in rituali, obligare ſub præcepto graui.

10 Alij verò dicunt eſſe illicitum ſi religioſus leuet de fonte; ſic *Reginaldus, & Sãchez in ſumma*, ait eſſe peccatum, non determinans an leue, an verò graue; inuenio tamen *Carolum de Bancio*, qui *in practicis miſcellaneis petit. 22. apud Ceſpedum*, ponderans verba Ritualis vult religioſos non obligari niſi ſub veniali. hę ſunt opiniones, quas circa punctum hoc reperire potui, quid autem ſentiam, nunc aperio.

Dico tertio. tranſgreſſionem huius ritus 11
non audeo determinatè aſſerere eſſe peccatum mortale, ſicuti neq; Sotus vir doctiſſimus, & pijſſimus id firmiter ſtatuere voluit; proinde aio, certum eſſe ad minus eſſe peccatum veniale; eſt enim contra canones antiquos, & contra nouiſſimam diſpoſitionem Pauli V. indè eſt, vt Epiſcopi in ſuis ſynodis id prohibeant; quapropter non eſt dubitandum aliquam eſſe culpam ritum hunc non ſeruare per ſe loquendo, quamuis non inclinem ad iudicandum eſſe culpam lethalem; ſubmitto tamen hæc omnia prudentum iudicio.

Duo remanent ad completam huius 12
quæſiti deciſionẽ. primò, an quod dictũ eſt de ſuſceptione, ſimiliter etiam de actione baptizandi, ita vt ex vi prædictorum iuriũ interdictum ſit monachis baptiſmum cõferre, accedente tamen conſenſu parochi, ad quem munus illud ſpectat. ſecundũ, an locum habeant in ſacramento confirmationis, in quo iuxta Eccleſiæ ritum patrini officium requiritur.

Ad primum reſpondeo iuxta ſententiã 13
Gloſſæ in cap. Peruenit 18. quæſt. 2. monachis nõ eſſe interdictum baptizare, & quãuis baptizando compaternitatem contrahant, quia tamen per actionem baptizandi non aſſumunt in ſui curam baptizatum, neque ex vi talis actionis ſe obligant illum inſtruere, ſicuti ſuſceptor, idcircò non habent occaſionem contrahendi tam arctam familiaritatem cum compatribus, & commatribus, ſicuti ſuſceptor, vt dicit ipſa Gloſſa ibidem, idemquè aſſerit *Archidiaconus, & Turrecremata eodem loco, & Sãchez lib. 6. in decal. cap. 6. n. 24.* hoc autem probant per textũ *in cap. Doctos ead. cauſ. 16. quæſt. 1.* vbi conceditur monachis doctis, & probis munera presbyterij exercere inter quæ ponitur actio baptizandi; ſed re vera mihi videtur per hunc textum inſufficiẽter probari intentum, quia vt patet legenti ipſum textum, & Gloſſam ſermo eſt de monacho eligendo ad beneficium, curã animarum habens, de quo non eſt difficultas id fieri poſſe; & per conſequens non ſolùm poſſe, ſed debere monachum ad tale beneficium aſſumptum, officium baptizãdi, & alia exercere; idcircò reſolutio huius dubij petenda potius videtur ex conguentia poſita, per actionem videlicet baptizãdi, non ſe offerre occaſiones illas conuerſandi cum ſæcularibus, & mulieribus, ſicuti

per

per actionem ſuſcipiendi baptizatum è fonte.

14 Verùm contra deciſionem facit textus *in cap. Placuit citato*, vbi non ſolum prohibetur monachis de baptiſmo accipere, ſed etiam baptizare: rurſus *in cap. Non licet, diſt. illa* 4. commatres habere prohibentur tanquam quid diuerſum ab actione ſuſcipiendi. & *cap. Monachi*, immediatè ſequẽte abſolutè interdicitur commatres ſibi facere; cum igitur per actionem baptizandi, monachus baptizans commatrem ſibi faciat, videtur hoc eſſe illi interdictum.

Reſpondeo *in cap. Placuit*; non videntur actiones illæ, quemadmodum, & aliæ quæ ibi enumerantur abſolutè prohiberi, ſed ſolùm ne fiant ob terrenum lucrum, vt conſiderans textum illum animaduertere poterit. & hoc confirmatur; quia etiam prohibetur viſitare infirmum, mortuum ſepelire, &c. huiuſmodi autem actiones cum ſint officia pietatis non deberent abſolutè prohiberi, ſed prohibentur per textũ illum, ſi fiant ob tẽporale lucrũ. Ad illud aliud deſumptum *ex cap. Non licet, & cap. Monachi*, reſpondere poſſumus ibi non prohiberi commaternitatẽ, vt ſic, ſed tantùm eam, quæ oritur ex ſuſceptione facta in baptiſmo; & etiam negamus, ibi prohiberi commatres, tanquã membrum diſtinctum ab actione ſuſcipiendi, ſed dicimus apponi explicitè, vt declaratiuum motiui, ob quod ſuſcipere prohibetur: & hoc non gratis aſſerimus, ſed ducti auctoritate Doctorum, & congruentia diſparitatis ſuperius poſitæ.

15 Ad ſecundum dico non inueniri textũ, qui prohibeat Religioſis, ne ſuſtineant confirmandum, proinde id non erit illicitum, & ratio eſt, quia ſuſceptor in cõfirmatione non adhibetur, vt inſtruat, ſicuti ſuſceptor in baptiſmo, niſi in caſu rariſſimo, vt aſſerit Suarez infra citandus; proinde ceſſat motiuum illud inſtruendi filiolos, ex quo Religioſi occaſionem ſumebant egrediendi è monaſterio, & adeundi domos Commatrum cum ipſis nimiã contrahendo familiaritatem, non eſſe ſuſceptores in confirmatione aſtrictos ad inſtruendum docet *Suarez tom. 3. in 3. par. quæſt. 72. ar. 10. in comment. & Bonac. de ſacr. diſp. 3. quæſt. vnica pun. 4. nu. 11. Henriquez lib. 3. cap. 3. n. 3. & in commẽt. lit. M. Layman lib. 5. tract. 3. cap. 7. Caſtropalaus tract. 20. diſp. vnica, pun. 10. n. 1.* Nam Patrinus in confirmatione non contrahit obligationem inſtruẽdi ſuſceptum, quia nullum apparet ius, id præcipiens, niſi in caſu rariſſimo: & ratio eſt, quia per ſe loquendo, qui in confirmatione tenetur eſt adultus, & iam inſtructus circa neceſſaria, & etiam quia habet aliũ, nempè ſuſceptorem baptiſmatis.

Hæc dicta ſint ſecluſa alia ſpeciali prohibitione, quæ in aliqua diœceſi ab Ordinarijs loci fieri potuerit, ſicuti de facto in hac Panormitana diœceſi prohibetur per Synodum celebratam ab Eminentiſſimo Cardinali Doria Archiepiſcopo, ne Regulares ſint ſuſceptores ſtante enim tali decreto nequeunt regulares hoc officium exercere ſine licentia Archiepiſcopi Panormitani. 16

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Sacerdos in neceſſitate baptizans tanquam laicus, ſi in peccato mortali reperiatur, adminiſtrando tale ſacramentum, grauiter delinquat?

SVMMARIVM.

Aliqui putant Sacerdotem in ſtatu peccati mortalis baptizantem vt laicum grauiter delinquere. 1

Alij verò id negant, & huic ſententiæ adhæret Author. 2

Soluitur obiectio pro priori ſententia. 3

Etiam aſtantibus ſacerdote inferioribus non peccabit ipſe ſacerdos ita baptizãs. 4

Reſpondeo duas inueniri ſententias. 1 Prima vult Sacerdotem ita baptizantem lethaliter peccare, quia exercet munus illud ex officio ratione ſacerdotij, ſic *Vaſquez in 3. par. tom. 3. diſp. 136. cap. 2. n. 30. Aegidius Coninck qu. 64. a. 6. dub. 1. n. 36. At Paludanus in 4. diſp. 5. quæſt. 2. a. 2.* hinc indè controuerſiam examinans, tandem *ver. Ad ſecundum de neceſſitate* concludit, media via incedens, & ait, *ſi recolit de peccato, & nec atteritur, nec cõteritur, ſed vult in peccato remanere, & nihilominus vult baptizare, non excuſari ab irreuerentia, & contemptu, ſi autem cũ metu, & tremore doleat de peccato in generali, licet ſciat ſe de peccato non mundari, & baptizet ſub ſpe plenè conterendi, tunc excuſatur.*

2 Secunda ſententia oppoſitum docet, ſacerdotem videlicet ita baptizantem non peccare, ſic *Caiet. in 3. par. quæſt. 64. a. 6. Henriquez in ſumma lib. 1. cap. 29. nu. 4. Sylue verb. Baptiſmus 3. n. 5. Ledeſma in ſumma cap. 6. de ſacram. in gen. concl. 8. Suarez tom. 3. in 3. par. diſp. 16. ſec. 4.* qui citat *S. Thomã: Nunus in 3. par. quæſt. 64. ar. 6. Diana par. 3. tract. 4. reſol.* 10. quam ſententiam probabilem appellat *Lezana tom. 3. v. Baptiſmus n.* 10. hæ ſunt duæ ſententiæ oppoſitæ, ambæ probabiles, magis tamen placet hæc ſecunda, cuius ratio fundamentalis eſt, quia tunc aliquis peccat

ad-

adminiſtrando ſacramentum in peccato mortali, quando id facit tanquam miniſter conſecratus, & ad hunc effectum deputatus, vt fuſius probat *Suarez l.c.* cuius doctrina breuiter in hoc conſiſtit, vt miniſter ad tale officium conſtitutus, ſpiritualia auxilia, & ſubſidia recipiens proportionata ad idem officium rectè exercendum, obligetur illud facere rectè diſpoſitus, atque adeo oppoſitum faciens, grauem iniuriam, & irreuerentiam irrogare videtur ſacramento; hæc autem ratio locum non habet, quando vt perſona priuata, & non vt miniſter publicus, & ſpecialiter deputatus ſe gerit; non enim eſſet graue onus illi imponere.

3 Dices pro prima ſententia. obligatio ſe diſponendi ad gratiam, quando quis ſacramentum adminiſtrat, oritur ex ſanctitate eiuſdem ſacramenti, & ideo dum in peccato mortali illud conficit, grauem infert illi irreuerentiam.

Reſpondeo negando antecedens; nam ſanctitas ipſius ſacramentalis actionis requirit, vt miniſter ſe diſponat ad gratiam, quando ex officio eſt ad hoc deputatus; proindè non ſola ſanctitas ſacramenti, ſed adiuncta ſpecialis deputatio perſonæ, cauſſant obligationem illam.

4 Dices ſecundo. ſaltem cenſebitur grauiter delinquere ſacerdos exiſtens in peccato mortali, etiam baptizans in neceſſitate, quando præſentibus alijs inferioribus; laico videlicet, & diacono, ipſe baptizat; nam in tali caſu non videtur baptizare vt perſona priuata, ſed ratione proprij officij, & ratione ſuæ côſecrationis, & propter hoc, vt communiter dicunt Theologi, non poterit, præſente ipſo ſacerdote, alius illo inferior baptizare.

Reſpondeo, etiam in tali caſu non peccabit ſacerdos adminiſtrans in peccato mortali, quia neque tunc vt miniſter ſpecialiter deputatus baptizat, ſed ſolum debetur illi prælatio ob reuerentiam ſacramenti; quemadmodum ſi eſſent præſentes vir, & fœmina, vir deberet baptizare.

QVÆSTIO QVARTA.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

An chriſma in die tantùm cœnæ Domini conſecrari poſſit, & an eius ſolemnis conſecratio tempore interdicti permittatur.

SVMMARIVM.

1 *Duo exagitâda proponuntur de chriſmate conficiendo, videlicet, quoad tempus, & quoad modum.*

In die tantum cœnæ Domini conſecrari poſſe. 2

Probatur authoritate, & congruentijs. 3

Argumentum ex cap. Omni tempore, ſoluitur. 4

Certum eſt ſacramentum confirmationis tempore interdicti conferri poſſe. 5

Poteſt etiam conſecrari chriſma non obſtante interdicto. 6

Difficultas eſt, an publicè, & ſolemniter id fieri concedatur. 7

Communiter negant Authores. 8

Opinio Barboſæ contraria. 9

Sententiam negatiuam ſequitur Author. 10

Soluitur ratio, qua nititur Barboſa. 11

DVo in hac quæſtione exagitanda proponuntur, vnum ſcilicet pertinens ad tempus, quo huius ſacramenti materia confici debeat; alterum vero ad modum, nempè ad ſolemnitatem conſecrationis, quando vrget interdictum vniuerſale, incipio autem à primo. 1

Dicendum eſt chriſma conſecrari non poſſe ab Epiſcopo niſi die Iouis ſancti. ita ſtatutum eſt in *Concilio Maldenſi cap. 46.* congruentia autem, qua Pontifices moti ſunt, eſt, quia in nocte cœnæ ſecundum cômuniorem ſententiam hoc ſacramentum fuit à Chriſto Domino inſtitutum, idque docet *Fabianus Pontifex epiſt. 2. cap. 1.* & tuentur Authores *Suarez tom. 3 in 3.p. diſp. 32 ſec. 2. ver. (Mihi ergo.)* 2

Eſt etiam alia congruentia quia baptiſmus ſolemnis celebratur ab eccleſia in die ſabati ſancti, proindè côueniens fuit, chriſma, quod inſeruire debet in baptiſmo, côſecrari die iouis, nam die veneris cum Eccleſia ſit poſita in luctu commemorans Chriſti redemptoris noſtri paſſionem, & mortem, non videbatur conueniens chriſma ſolemniter conſecrari. 3

Dices *in cap. Omni tempore de conſecr. diſt. 4.* aſſeritur chriſma ab Epiſcopo omni tempore conſecrari poſſe: ergo eius conſecratio non eſt reſtricta ad diem tantum cœnæ Domini. 4

Reſpondeo verba illa, *Omni tempore*, referenda eſſe ad tempus iure præſcriptû, nempè ad ſingulos annos, vt ibidem explicat *Gloſſa ver. Omni tempore*, atque adeo ſenſum prædictorum verborum, per diſtributionem accommodam eſſe intelligendum. ita *Suarez tom. cit. diſp. 37. ſec. 1. ver. Quinta cæremonia.* & hæc de prima parte huius quæſtionis; quoad aliam vero partem de tempore interdicti.

Dicendum eſt primo. ſacramentum côfirmationis conferri poſſe tempore interdicti vt certum ſupponimus ex *cap Reſpôſo in fine de ſent. excom.* in quo omnes côueniunt in modo celebrandi, nempè, vt ſo- 5

per actionem ſuſcipiendi baptizatum è fonte.

14 Verùm contra deciſionem facit textus *in cap. Placuit citato*, vbi non ſolum prohibetur monachis de baptiſmo accipere, ſed etiam baptizare; rurſus *in cap. Non licet, diſt. illa* 4. commatres habere prohibentur tanquam quid diuerſum ab actione ſuſcipiendi. & *cap. Monachi*, immediatè ſequēte abſolutè interdicitur commatres ſibi facere; cum igitur per actionem baptizandi, monachus baptizans commatrem ſibi faciat, videtur hoc eſſe illi interdictum.

Reſpondeo *in cap. Placuit*; non videntur actiones illæ, quemadmodum, & aliæ, quæ ibi enumerantur abſolutè prohiberi, ſed ſolùm ne fiant ob terrenum lucrum, vt conſiderans textum illum animaduertere poterit. & hoc confirmatur; quia etiam prohibetur viſitare infirmum, mortuum ſepelire, &c. huiuſmodi autem actiones cum ſint officia pietatis non deberent abſolutè prohiberi, ſed prohibentur per textū illum, ſi fiant ob tēporale lucrū. Ad illud aliud deſumptum *ex cap. Non licet, & cap. Monachi*, reſpondere poſſumus ibi non prohiberi commaternitatē, vt ſic, ſed tantùm eam, quæ oritur ex ſuſceptione facta in baptiſmo; & etiam negamus, ibi prohiberi commatres, tanquā membrum diſtinctum ab actione ſuſcipiendi, ſed dicimus apponi explicitè, vt declaratiuum motiui, ob quod ſuſcipere prohibetur: & hoc non gratis aſſerimus, ſed ducti auctoritate Doctorum, & congruentia diſparitatis ſuperius poſitæ.

15 Ad ſecundum dico non inueniri textū, qui prohibeat Religioſis, ne ſuſtineant confirmandum, proinde id non erit illicitum, & ratio eſt, quia ſuſceptor in cōfirmatione non adhibetur, vt inſtruat, ſicuti ſuſceptor in baptiſmo, niſi in caſu rariſſimo, vt aſſerit Suarez infra citandus; proinde ceſſat motiuum illud inſtruendi filiolos, ex quo Religioſi occaſionem ſumebant egrediendi è monaſterio, & adeundi domos Commatrum cum ipſis nimiā contrahendo familiaritatem. non eſſe ſuſceptores in confirmatione aſtrictos ad inſtruendum docet *Suarez tom. 3. in 3. par. quæſt. 72. ar. 10. in comment & Bonac. de ſacr. diſp. 3. quæſt. vnica pun. 4. nu.* 11. *Henriquez lib. 3. cap. 3. n. 3. & in commēt. lit. M. Layman lib. 5. tract. 3. cap. 7. Caſtropalaus tract. 20. diſp. vnica, pun.* 10. *n.* 1. Nam Patrinus in confirmatione non contrahit obligationem inſtruēdi ſuſceptum, quia nullum apparet ius, id præcipiens, niſi in caſu rariſſimo: & ratio eſt, quia per ſe loquendo, qui in confirmatione tenetur eſt adultus, & iam inſtructus circa neceſſaria, & etiam quia habet aliū, nempè ſuſceptorem baptiſmatis.

Hæc dicta ſint ſecluſa alia ſpeciali prohibitione, quæ in aliqua diœceſi ab Ordinarijs loci fieri potuerit, ſicuti de facto in hac Panormitana diœceſi prohibetur per Synodum celebratam ab Eminentiſſimo Cardinali Doria Archiepiſcopo, ne Regulares ſint ſuſceptores ſtante enim tali decreto nequeunt regulares hoc officium exercere ſine licentia Archiepiſcopi Panormitani. 16

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Sacerdos in neceſſitate baptizans tanquam laicus, ſi in peccato mortali reperiatur, adminiſtrando tale ſacramentum, grauiter delinquat?

SVMMARIVM.

Aliqui putant Sacerdotem in ſtatu peccati mortalis baptizantem vt laicum grauiter delinquere. 1
Alij verò id negant, & huic ſententiæ adhæret Author. 2
Soluitur obiectio pro priori ſententia. 3
Etiam aſtantibus ſacerdote inferioribus non peccabit ipſe ſacerdos ita baptizās. 4

REſpondeo duas inueniri ſententias. Prima vult Sacerdotem ita baptizantem lethaliter peccare, quia exercet munus illud ex officio ratione ſacerdotij. ſic *Vaſquez in 3. par tom. 3. diſp. 136. cap. 2. n. 30. Aegidius Coninck qu. 64. a. 6. dub. 1. n. 36. At Paludanus in 4. diſp. 5. quæſt. 2. a. 2.* hinc indè controuerſiam examinans, tandem ver. *Ad ſecundum de neceſſitate* concludit, media via incedens, & ait, *ſi recolit de peccato, & nec atteritur, nec cōteritur, ſed vult in peccato remanere, & nihilominus vult baptizare, non excuſari ab irreuerentia, & contemptu, ſi autem cū metu, & tremore doleat de peccato in generali, licet ſciat ſe de peccato non mundari, & baptizet ſub ſpe plenè conterendi, tunc excuſatur.* 1

Secunda ſententia oppoſitum docet, ſacerdotem videlicet ita baptizantem non peccare, ſic *Caiet. in 3. par. quæſt. 64. a. 6. Henriquez in ſumma lib. 1. cap. 29. nu. 4. Sylue verb. Baptiſmus 3. n. 5. Ledeſma in ſumma cap. 6. de ſacram. in gen. concl. 8. Suarez tom. 3. in 3. par. diſp. 16. ſec. 4.* qui citat *S. Thomā: Nunus in 3. par. quæſt. 64. ar. 6. Diana par. 3. tract. 4. reſol.* 10. quam ſententiam probabilem appellat *Lezana tom. 3. v. Baptiſmus n.* 10. hæ ſunt duæ ſententiæ oppoſitæ, ambæ probabiles, magis tamen placet hæc ſecunda, cuius ratio fundamentalis eſt, quia tunc aliquis peccat ad- 2

Digitized by Google

adminiſtrando ſacramentum in peccato mortali, quando id facit tanquam miniſter conſecratus, & ad hunc effectum deputatus, vt fuſius probat *Suarez l.c.* cuius doctrina breuiter in hoc conſiſtit, vt miniſter ad tale officium conſtitutus, ſpiritualia auxilia, & ſubſidia recipiens proportionata ad idem officium rectè exercendum, obligetur illud facere rectè diſpoſitus, atque adeo oppoſitum faciens, grauem iniuriam, & irreuerentiam irrogare videtur ſacramento; hæc autem ratio locum non habet, quando vt perſona priuata, & non vt miniſter publicus, & ſpecialiter deputatus ſe gerit; hoc enim eſſet graue onus illi imponere.

3 Dices pro prima ſententia, obligatio ſe diſponendi ad gratiam, quando quis ſacramentum adminiſtrat, oritur ex ſanctitate eiuſdem ſacramenti, & ideo dum in peccato mortali illud conficit, grauem infert illi irreuerentiam.

Reſpondeo negando antecedens; nam ſanctitas ipſius ſacramentalis actionis requirit, vt miniſter ſe diſponat ad gratiam, quando ex officio eſt ad hoc deputatus; proindè non ſola ſanctitas ſacramenti, ſed adiuncta ſpecialis deputatio perſonæ, cauſſant obligationem illam.

4 Dices ſecundo, ſaltem cenſebitur grauiter delinquere ſacerdos exiſtens in peccato mortali, etiam baptizans in neceſſitate, quando præſentibus alijs inferioribus; laico videlicet, & diacono, ipſe baptizat; nam in tali caſu non videtur baptizare vt perſona priuata, ſed ratione proprij officij, & ratione ſuæ côſecrationis, & propter hoc, vt communiter dicunt Theologi, non poterit, præſente ipſo ſacerdote, alius illo inferior baptizare.

Reſpondeo, etiam in tali caſu non peccabit ſacerdos adminiſtrans in peccato mortali, quia neque tunc vt miniſter ſpecialiter deputatus baptizat, ſed ſolum debetur illi prælatio ob reuerentiam ſacramenti; quemadmodum ſi eſſent præſentes vir, & fœmina, vir deberet baptizare.

QVÆSTIO QVARTA.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

An chriſma in die tantùm cœnæ Domini conſecrari poſſit, & an eius ſolemnis conſecratio tempore interdicti permittatur.

SVMMARIVM.

1 *Duo exagitãda proponuntur de chriſmate conficiendo, videlicet, quoad tempus, & quoad modum.*

In die tantum cœna Domini conſecrari poſſe. 2

Probatur authoritate, & congruentijs. 3

Argumentum ex cap. Omni tempore, ſoluitur. 4

Certum eſt ſacramentum confirmationis tempore interdicti conferri poſſe. 5

Poteſt etiam conſecrari chriſma non obſtante interdicto. 6

Difficultas eſt, an publicè, & ſolemniter id fieri concedatur. 7

Communiter negant Authores. 8

Opinio Barboſæ contraria. 9

Sententiam negatiuam ſequitur Author. 10

Soluitur ratio, qua nititur Barboſa. 11

DVo in hac quæſtione exagitanda proponuntur, vnum ſcilicet pertinens ad tempus, quo huius ſacramenti materia confici debeat; alterum vero ad modum, nempè ad ſolemnitatem conſecrationis, quando vrget interdictum vniuerſale, incipio autem à primo. 1

Dicendum eſt chriſma conſecrari non poſſe ab Epiſcopo niſi die Iouis ſancti, ita ſtatutum eſt in *Concilio Maldenſi cap. 46.* congruentia autem, qua Pontifices moti ſunt, eſt, quia in nocte cœnæ ſecundum cômuniorem ſententiam hoc ſacramentum fuit à Chriſto Domino inſtitutum, idque docet *Fabianus Pontifex epiſt. 2. cap. 1.* & tuentur Authores *Suarez tom. 3 in 3. p. diſp. 32 ſec. 2. ver.* (*Mihi ergo.*) 2

Eſt etiam alia congruentia quia baptiſmus ſolemnis celebratur ab eccleſia in die ſabati ſancti, proindè côueniens fuit, chriſma, quod inſeruire debet in baptiſmo, côſecrari die iouis, nam die veneris cum Eccleſia ſit poſita in luctu commemorans Chriſti redemptoris noſtri paſſionem, & mortem, non videbatur conueniens chriſma ſolemniter conſecrari. 3

Dices *in cap. Omni tempore de conſecr. diſt. 4.* aſſeritur chriſma ab Epiſcopo omni tempore conſecrari poſſe; ergo eius conſecratio non eſt reſtricta ad diem tantum cœnæ Domini. 4

Reſpondeo verba illa, *Omni tempore*, referenda eſſe ad tempus iure præſcriptû, nempè ad ſingulos annos, vt ibidem explicat *Gloſſa ver. Omni tempore*, atque adeo ſenſum prædictorum verborum, per diſtributionem accommodam eſſe intelligendum. ita *Suarez tom. cit. diſp. 37. ſec. 1. ver. Quinta cæremonia.* & hæc de prima parte huius quæſtionis; quoad aliam vero partem de tempore interdicti.

Dicendum eſt primo, ſacramentum côfirmationis conferri poſſe tempore interdicti vt certum ſupponimus ex *cap. Reſpôſo in fine de ſent. excom.* in quo omnes côueniunt in modo celebrandi, nempè, vt ſo- 5

Digitized by Google

per actionem ſuſcipiendi baptizatum è fonte.

14 Verùm contra deciſionem facit textus *in cap. Placuit. citato*, vbi non ſolum prohibetur monachis de baptiſmo accipere, ſed etiam baptizare; rurſus *in cap. Non licet, diſt. illa* 4. commatres habere prohibentur tanquam quid diuerſum ab actione ſuſcipiendi, & *cap. Monachi*, immediatè ſequẽte abſolutè interdicitur commatres ſibi facere; cum igitur per actionem baptizandi, monachus baptizans commatrem ſibi faciat, videtur hoc eſſe illi interdictum.

Reſpondeo *in cap. Placuit*; non videntur actiones illæ, quemadmodum, & aliç, quæ ibi enumerantur abſolutè prohiberi, ſed ſolùm ne fiant ob terrenum lucrum, vt conſiderans textum illum animaduertere poterit, & hoc confirmatur; quia etiam prohibetur viſitare infirmum, mortuum ſepelire, &c. huiuſmodi autem actiones cum ſint officia pietatis non deberent abſolute prohiberi, ſed prohibentur per textũ illum, ſi fiant ob tẽporale lucrũ. Ad illud aliud deſumptum *ex cap. Non licet, & cap. Monachi*, reſpondere poſſumus ibi non prohiberi commaternitatẽ, vt ſic, ſed tantùm eam, quæ oritur ex ſuſceptione facta in baptiſmo; & etiam negamus, ibi prohiberi commatres, tanquã membrum diſtinctum ab actione ſuſcipiendi, ſed dicimus apponi explicitè, vt declaratiuum motiui, ob quod ſuſcipere prohibetur: & hoc non gratis aſſerimus, ſed ducti auctoritate Doctorum, & congruentia diſparitatis ſuperius poſitæ.

15 Ad ſecundum dico non inueniri textũ, qui prohibeat Religioſis, ne ſuſtineant confirmandum, proinde id non erit illicitum, & ratio eſt, quia ſuſceptor in cõfirmatione non adhibetur, vt inſtruat, ſicuti ſuſceptor in baptiſmo, niſi in caſu rariſſimo, vt aſſerit Suarez infra citandus; proinde ceſſat motiuum illud inſtruendi filiolos, ex quo Religioſi occaſionem ſumebant egrediendi è monaſterio, & adeundi domos Commatrum cum ipſis nimiã contrahendo familiaritatem. non eſſe ſuſceptores in confirmatione aſtrictos ad inſtruendum docet *Suarez tom. 3. in 3. par. quæſt. 72. ar. 10. in comment & Bonac. de ſacr. diſp. 3. quæſt. vnica pun. 4. nu. 11. Henriquez lib. 3. cap. 3. n. 3. & in commẽt. lit. M. Layman lib. 5. tract. 3. cap. 7. Caſtropalaus tract. 20. diſp. vnica, pun. 10. n. 1.* Nam Patrinus in confirmatione non contrahit obligationem inſtruẽdi ſuſceptum, quia nullum apparet ius, id præcipiens, niſi in caſu rariſſimo: & ratio eſt, quia per ſe loquendo, qui in confirmatione tenetur eſt adultus, & iam inſtructus circa neceſſaria, & etiam quia habet aliũ, nempè ſuſceptorem baptiſmatis.

Hæc dicta ſint ſecluſa alia ſpeciali pro- 16
hibitione, quæ in aliqua diœceſi ab Ordinarijs loci fieri potuerit, ſicuti de facto in hac Panormitana diœceſi prohibetur per Synodum celebratam ab Eminentiſſimo Cardinali Doria Archiepiſcopo, ne Regulares ſint ſuſceptores ſtante enim tali decreto nequeunt regulares hoc officium exercere ſine licentia Archiepiſcopi Panormitani.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Sacerdos in neceſſitate baptizans tanquam laicus, ſi in peccato mortali reperiatur, adminiſtrando tale ſacramentum, grauiter delinquat?

SVMMARIVM.

Aliqui putant Sacerdotem in ſtatu pec- 1
cati mortalis baptizantem vt laicum grauiter delinquere.

Alij verò id negant, & huic ſententiæ 2
adhæret Author.

Soluitur obiectio pro priori ſententia. 3

Etiam aſtantibus ſacerdote inferioribus 4
non peccabit ipſe ſacerdos ita baptizãs.

REſpondeo duas inueniri ſententias. 1
Prima vult Sacerdotem ita baptizantem lethaliter peccare, quia exercet munus illud ex officio ratione ſacerdotij. ſic *Vaſquez in 3. par tom. 3. diſp 136. cap. 2. n. 30. Aegidius Coninck qu. 64. a. 6. dub. 1. n 36* At *Paludanus in 4. diſp. 5. quæſt. 2. a. 2* hinc indè controuerſiam examinans, tandem *ver. Ad ſecundum de neceſſitate* concludit, media via incedens, & ait; *ſi recolit de peccato, & nec atteritur, nec cõteritur, ſed vult in peccato remanere, & nihilominus vult baptizare, non excuſari ab irreuerentia, & contemptu, ſi autem cũ metu, & tremore doleat de peccato in generali, licet ſciat ſe de peccato non mundari, & baptizet ſub ſpe plenè conterendi, tunc excuſatur.*

Secunda ſententia oppoſitum docet, ſa- 2
cerdotem videlicet ita baptizantem non peccare, ſic *Caiet. in 3. par. quæſt. 64. a. 6. Henriquez in ſumma lib. 1. cap. 29. nu. 4. Sylue verb. Baptiſmus 3. n. 5. Ledeſma in ſumma cap. 6. de ſacram. in gen. concl. 8. Suarez tom. 3 in 3. par. diſp. 16. ſec. 4.* qui citat *S. Thomã: Nuñus in 3. par. quæſt. 64. ar. 6 Diana par. 3. tract. 4. reſol.* 10. quam ſententiam probabilem appellat *Lezana tom. 3. v. Baptiſmus n.* 10. hæ ſunt duæ ſententiæ oppoſitæ, ambæ probabiles, magis tamen placet hæc ſecunda, cuius ratio fundamentalis eſt, quia tunc aliquis peccat

ad-

Digitized by Google

adminiſtrando ſacramentum in peccato mortali, quando id facit tanquam miniſter conſecratus, & ad hunc effectum deputatus, vt fuſius probat *Suarez l.c.* cuius doctrina breuiter in hoc conſiſtit, vt miniſter ad tale officium conſtitutus, ſpiritualia auxilia, & ſubſidia recipiens proportionata ad idem officium rectè exercendum, obligetur illud facere rectè diſpoſitus, atque adeo oppoſitum faciens, grauem iniuriam, & irreuerentiam irrogare videtur ſacramento; hæc autem ratio locum non habet, quando vt perſona priuata, & non vt miniſter publicus, & ſpecialiter deputatus ſe gerit; hoc enim eſſet graue onus illi imponere.

3 Dices pro prima ſententia. obligatio ſe diſponendi ad gratiam, quando quis ſacramentum adminiſtrat, oritur ex ſanctitate eiuſdem ſacramenti, & ideo dum in peccato mortali illud conficit, grauem infert illi irreuerentiam.

Reſpondeo negando antecedens; nam ſanctitas ipſius ſacramentalis actionis requirit, vt miniſter ſe diſponat ad gratiam, quando ex officio eſt ad hoc deputatus; proindè non ſola ſanctitas ſacramenti, ſed adiuncta ſpecialis deputatio perſonæ, cauſſant obligationem illam.

4 Dices ſecundo. ſaltem cenſebitur grauiter delinquere ſacerdos exiſtens in peccato mortali, etiam baptizans in neceſſitate, quando præſentibus alijs inferioribus; laico videlicet, & diacono, ipſe baptizat; nam in tali caſu non videtur baptizare vt perſona priuata, ſed ratione proprij officij, & ratione ſuæ cõſecrationis, & propter hoc, vt communiter dicunt Theologi, non poterit, præſente ipſo ſacerdote, alius illo inferior baptizare.

Reſpondeo, etiam in tali caſu non peccabit ſacerdos adminiſtrans in peccato mortali, quia neque tunc vt miniſter ſpecialiter deputatus baptizat, ſed ſolum debetur illi prælatio ob reuerentiam ſacramenti; quemadmodum ſi eſſent præſentes vir, & fœmina, vir deberet baptizare.

QVÆSTIO QVARTA.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

An chriſma in die tantùm cœnæ Domini conſecrari poſſit, & an eius ſolemnis conſecratio tempore interdicti permittatur.

SVMMARIVM.

1 *Duo exagitãda proponuntur de chriſmate conficiendo, videlicet, quoad tempus, & quoad modum.*

In die tantum cœnæ Domini conſecrari poſſe. 2

Probatur authoritate, & congruentijs. 3

Argumentum ex cap. Omni tempore, ſoluitur. 4

Certum eſt ſacramentum confirmationis tempore interdicti conferri poſſe. 5

Poteſt etiam conſecrari chriſma non obſtante interdicto. 6

Difficultas eſt, an publicè, & ſolemniter id fieri concedatur. 7

Communiter negant Authores. 8

Opinio Barboſæ contraria. 9

Sententiam negatiuam ſequitur Author. 10

Soluitur ratio, qua nititur Barboſa. 11

DVo in hac quæſtione exagitanda proponuntur, vnum ſcilicet pertinens ad tempus, quo huius ſacramenti materia confici debeat; alterum vero ad modum, nempè ad ſolemnitatem conſecrationis, quando vrget interdictum vniuerſale, incipio autem à primo. 1

Dicendum eſt chriſma conſecrari non poſſe ab Epiſcopo niſi die Iouis ſancti. ita ſtatutum eſt in *Concilio Maldenſi cap. 46.* congruentia autem, qua Pontifices moti ſunt, eſt, quia in nocte cœnæ ſecundum cõmuniorem ſententiam hoc ſacramentum fuit à Chriſto Domino inſtitutum, idque docet *Fabianus Pontifex epiſt. 2. cap. 1.* & tuentur Authores *Suarez tom. 3 in 3.p. diſp. 32 ſec. 2. ver. (Mihi ergo.)* 2

Eſt etiam alia congruentia quia baptiſmus ſolemnis celebratur ab eccleſia in die ſabati ſancti, proindè cõueniens fuit, chriſma, quod inſeruire debet in baptiſmo, cõſecrari die iouis, nam die veneris cum Eccleſia ſit poſita in luctu commemorans Chriſti redemptoris noſtri paſſionem, & mortem, non videbatur conueniens chriſma ſolemniter conſecrari. 3

Dices in *cap. Omni tempore de conſecr. diſt.* 4. aſſeritur chriſma ab Epiſcopo omni tempore conſecrari poſſe: ergo eius conſecratio non eſt reſtricta ad diem tantum cœnæ Domini. 4

Reſpondeo verba illa, *Omni tempore*, referenda eſſe ad tempus iure præſcriptũ, nempè ad ſingulos annos, vt ibidem explicat *Gloſſa ver. Omni tempore*, atque adeo ſenſum prædictorum verborum, per diſtributionem accommodam eſſe intelligendum. ita *Suarez tom. cit. diſp. 37. ſec. 1. ver. Quinta cæremonia.* & hæc de prima parte huius quæſtionis; quoad aliam vero partem de tempore interdicti.

Dicendum eſt primo. ſacramentum cõfirmationis conferri poſſe tempore interdicti vt certum ſupponimus ex *cap Reſpõſo in fine de ſent. excom.* in quo omnes cõueniunt in modo celebrandi, nempè, vt ſo- 5

6 ſolemniter celebretur. Quod vero ſpectat
ad confectionē chriſmatis in die cœnæ Do-
mini,etiam tempore interdicti conſecrari
poteſt,& ratio eſt,quia cum concedatur li-
cita huius ſacramenti adminiſtratio,intel-
ligitur etiam cōceſſa confectio chriſmatis,
7 quod eſt eiuſdem ſacramenti materia; du-
bitatio autem eſt,an poſſit chriſma publi-
cè,& ſolemniter confici;ratio dubitãdi eſt,
quia conficiendum eſt inter miſſarum ſo-
lemnia,quæ tempore interdicti eo die ce-
8 lebrari nequeunt,& ideo communiter au-
thores inquiunt priuatim,& ianuis clauſis
eſſe conficiendum;ſic *Archid. & Anch. in
cap. Alma mater de ſent. excō. in 6. Couar.
in dicto capite 2. p. §. 2. n. 7. Henriquez in
ſum. lib. 3. c. 6. §. 7. & lib. 13. c. 45. §. 1. iuncto
comm. in lit. I. Alterius de interd. d. 4. c. 2.
v. Communis eſt*, & alij quibus diſſentit
Barboſa de poteſt. epiſ. p. 2. alleg. 31. n. 25.
9 putans poſſe chriſma publicè,& ſolemniter
confici tempore interdicti; ducitur ad hoc
aſſerendum,quia diſpoſitio illa in c. *Alma
Mater* non emanauit ad ampliandum,ſed
ad temperandum rigorem interdicti; pro-
inde nequit contrarium effectum operari;
idcirco ſecundum ius antiquum, ſacramē-
tum baptiſmi,& confirmationis ſimpliciter
cum fuerit conceſſum tempore interdicti,
publicè,& ſolemniter celebrãdum,ita etiã
confectio chriſmatis.ſecundo quia *Ponti-
fex in eo cap. Alma verb. Adijcimus*, præ-
ſcribit talem formã, quæ adaptari nequit
confectioni chriſmatis; forma enim eſt de
celebrandis diuinis officijs ſingulis diebus;
at certum eſt hoc conuenire non poſſe
confectioni chriſmatis, quæ fit ſolū in die
cœnæ.

10 Sed his non obſtantibus, puto non eſſe
recedendum à communi ſentētia, quę ne-
gat,& vt fatetur ipſe met Barboſa contra-
dictorem non habet. probatur autem hęc
opinio,quia confectio chriſmatis quoad
ſubſtantiam,licet ſit neceſſaria ad hoc ſa-
cramentum tradēdum, quoad modum ta-
men non eſt neceſſaria, nam, ſiuè ſolem-
niter,ſiuè abſque ſolemnitate fiat, ſemper
habebitur intentum in ordine ad fideles
confirmandos; proinde moderatio inter-
dicti,quæ continetur *in cap. Alma*, non eſt
extendenda ad publicam,& ſolemnem cō-
fectionem chriſmatis, tum quia nulla eſt
neceſſitas huius extenſionis, vt vidimus,
tum etiam quia nullum in iure huius ex-
tenſionis veſtigium habemus. Neq; fun-
11 damenta,quibus Barboſa innititur, ſentē-
tiam affirmatiuam ſuadent; concedimus
enim diſpoſitionem *in cap. Alma*, emanaſ-
ſe ad temperandum rigorem interdicti, &
de facto ita eſt;nam multa conceduntur,
quæ prius erant prohibita,vt eſt celebrare
diuina officia ſolemniter quatuor diebus
feſtiuis in anno,&c.& negamus ex noſtra
ſententia ſequi per diſpoſitionem modo,
quo communiter intelligitur, operari ef-
fectum contrarium: rurſus ad ſecundū di-
co,quod quamuis forma præſcripta,quate-
nus diſponit ſingulis diebus priuatim ce-
lebranda eſſe diuina,adaptari non poſſit
confectioni chriſmatis,quę ſemel,& deter-
minato die exercetur;nihilominus ex hoc
non rectè infertur licitum eſſe confectio-
nem hanc ſolemniter celebrari tempore
interdicti;nam etiam ſi demus diſpoſitionē
prædictam verſari ſolum circa officia diui-
na,quæ quotidie celebrantur;ex hoc tamē
nihil aliud ſequitur,niſi quod ſolēnis con-
fectio chriſmatis non comprehendatur, &
ideo remanet ſecundum diſpoſitionem iu-
ris communis,ſecundum quod antecedē-
ter ad diſpoſitionē iſtã, prohibebatur ab-
ſolute diuinorum celebratio.

QVÆSTIO QVINTA.

An chriſma debeat eſſe eo anno confectum.

SVMMARIVM.

Per ſe loquendo requiritur nouum chriſ- 1
*ma eo anno confectum; at per accidens
vetus inſeruire poterit in aliquo caſu.*
Licitum eſt miſceri oleum non conſecratū 2
cum conſecrato.
Non conſecratum debet eſſe minoris quã- 3
titatis,quando miſcetur.
Opinio aſſerens miſceri poſſe in quacunque 4
quantitate,intelligi debet ſucceſſiuè.
Aſſignatur diſcrimen inter vinum non 5
*conſecratum reſpectu conſecrati, & in-
ter oleum pariter non conſecratum re-
ſpectu conſecrati in ordine ad miſtionē.*
In miſtione olei non conſecrati debet ſem- 6
per remanere aliquid balſami.

Dicendum eſt primo. per ſe loquendo 1
nouum eo anno conſecratum eſſe
oportet ex Eccleſiæ præcepto; ſic commu-
niter Doctores *ex cap. Litteris de conſecr.
diſt. 3. & ex cap. Si quis de alio diſt. 4. Tur-
recrem. ibi, S. Antoninus par. 3. a. 4. cap. 14.
§. 2. Angelus in ſumma verb. Oleum ſacrū,
n. 1. Suarez tom. 3. in 3. par. diſp. 38. ſect. 2.
ver. Tertium præceptum, Zerola in praxi
Epiſc. par. 1. verb. Chriſma n. 1. Barboſa
de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 31. n. 17. Bona-
cina de ſacramentis diſp. 3. quæſt. unica
pun. 3. n. 3. §. Obſerua. Bauny de ſacr. tract.
3. quæſt. 4. & alij*, & cum hoc ſit pręceptum
in re graui,ſi Epiſcopus confirmaret veteri
chriſmate,grauiter peccaret,vt Suarez ad-
uertit; excuſaretur tamen in caſu neceſſi-
tatis,vt inquiunt Doctores, caſus autem
iſte rarò contingere poterit,v.g. ſi quis nō
con-

Digitized by Google

cõfirmatus morti proximus vellet hoc ſacramento corroborari, & tempus inquirẽdi nouum chriſma non ſupereſſet: vel ſi vrgeret præceptum fatendi fidem contra infideles, & quis tali ſacramento non munitus dubitaret, an poſſit conſtanter permanere in fide, eamque publicè fateri, tũc deberet chriſmate vngi ab Epiſcopo, & quia præ manibus non habetur nouum, poſſet vetus applicari; præter hos caſus alius mihi non occurrit, proindè dixi in concluſione, per ſe loquẽdo, non poſſe abſque graui peccato Epiſcopum vti veteri chriſmate, & quamuis in *cap. illo, Si quis*, locutio ſit de chriſmate, quo fideles vngũtur in baptiſmo, Suarez tamen *loc. cit.* aſſerit maiorem rationem eſſe de vnctione confirmationis.

2 Aduertunt tamen Authores poſſe Parochum licitè oleum non conſecratum cum conſecrato miſcere, quando occurrit dubitatio quod illud cõſecratũ nõ ſit ſuffecturum, vt expreſsè conceditur *cap. Quod in dubijs de conſecr. Eccleſ. vel Alt. in 6. §. Nec negamus*; vi enim huius miſtionis totum efficitur conſecratum, quia à digniori conſecrato trahitur ad participandam formam ſuæ conſecrationis minus dignum non conſecratum, ita docet *Angelus loc. c.*
3 *remiſſiuè, & Barboſa vt ſupra*, qui monet id, quod non conſecratum additur, eſſe debere minoris quantitatis, quam ſit conſecratum, licet *Angelus verb. Aqua benedicta n. 1.* ad quem locum ſe remittit, loquendo de miſtione olei non conſecrati cum conſecrato, dicat nihil referre, quod aqua benedicta, quæ miſcenda, & addenda eſt, ſit in maiori quantitate, quæ opinio ſi intelli-
4 gatur de liquore non benedicto ſucceſſiuè addendo erit vera, ſi verò ſimul, reijcienda eſt, quia tunc denominatio deſumeretur à maiori illa quantitate non benedicta, & minor illa benedicta abſorberetur; & in re hac puto eſſe diſcurrendum ad eum planè modum, quo loquimur, dum aqua vino miſcetur; ad hoc enim, vt aqua addita trahatur à vino, eiuſque ſortiatur denominationem, debet eſſe in minori quantitate, & tanta, vt communi hominum æſtimatione totum illud miſtum vini denominationem retineat; at ſi aqua vino in magna quantitate admiſceretur, conflatũ non denominaretur vinum; & hæc regula in his liquoribus ſeruanda eſt, quæ tamen non militat de vino non conſecrato, quod admiſcetur vino conſecrato in calice, tunc enim vinum additum etiam in minima quantitate non conuerteretur in ſanguinẽ Chriſti Domini, vt rectè animaduertit idẽ Angelus, & docet *Suarez tom. 3. in 3. par. diſp. 57. ſec. 4. ver. Sed quæres*; & notatur *in cap. Cum Martha de celebr. miſ. §. Quæſiuiſti etiam*; quamuis ratio, quam aſſignat Angelus ad probandum vinum additum non conuerti in ſanguinem Chriſti Domini, mihi non placeat; inquit enim ipſe, vinũ additum non conuerti, quia ſanguis eſt in venis, & ideo ſola miſtio fit ſecundum accidentia, hæc ratio non placet, quoniam ſi exiſtentia ſanguinis in venis impediret, quin vinum additum conſecraretur, neque poſſent vtriuſque vini accidentia miſceri, impediente exiſtentia illa ſanguinis in venis; Propria verò ratio diſparitatis eſt, 5
quia conuerſio vini in ſanguinem eſt ſubſtantialis, & phyſica, & fit medijs verbis conſecrationis effectiuè cauſſantibus; vinum autem, quod additur cum non terminauerit cauſſalitatem verborum, ideò non conuertitur ſubſtantialiter in Chriſti ſanguinem; at oleum non ſacrum additum ſacro non debet conuerti phyſicè in oleũ conſecratum, ſed tantùm moraliter, proindè ſufficit permiſtio illa, ad hoc, vt cenſeatur participare moralis conſecrationis formam, & determinationem.

Aduerto tamen miſtionem eſſe debere 6
ita attemperatam, vt in oleo conſecrato, cui fit additio ſemper remaneat pars aliqua balſami, quia cum ſit controuerſum an balſamum ſit de neceſſitate huius ſacramẽti, euenire poſſet vt per ſucceſſiuas miſtiones olei non conſecrati, nulla tandem remaneret pars olei, in qua ſit balſamum, proindè materia ſacramenti, redderetur dubia; idcirco ita debet fieri miſtio, vt non deſtruatur pars olei habens balſamum.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum pueris ante vſum rationis adminiſtrandum ſit hoc ſacramentum? & quid de amentibus?

SVMMARIVM.

Prima ſententia aſſerit infantibus conferendum eſſe chriſma. 1

Secunda opinio negat. 2

Alij aiunt melius eſſe differre vſque ad ætatem adultam. 3

Congruentijs id probant, & hanc opinionẽ admittit author. 4

Non eſſe graue peccatum, iuxta aliquorũ mentem, ſi Epiſcopus infanti chriſma conferret, imo interdum expedire. 5

Si aliquis poſt vſum rationis inciderit in amentiam, & ſupponatur ante amentiã rectè diſpoſitus, erit confirmandus. 6

In dubio de diſpoſitione eſt præſumẽdum bene fuiſſe diſpoſitum, proinde erit cõfirmandus. 7

Amens à natiuitate non eſt confirmandus licet aliqui oppoſitum teneãt. 8

1 DVæ ſunt ſententiæ; prima eſſerit expediens eſſe pueris vſu rationis carentibus conferre hoc ſacramentum; nam valdè vtile eſt, vt pueri augmento gratiæ præparentur pro eo tempore, quo ad vſum rationis peruenerint, & hanc opinionem videtur docuiſſe *S. Thomas in 4. diſp. 7. q. 3. ar. 2. quæſtiuncula 2. S. Bonau. ibidem a. 3. q. 1. in ſolut. arg. & alij apud Suarez. d. 35 ſec. 2.*

2 Secunda opinio eſt eorum, qui volunt, non eſſe conferendum pueris, antequã vſũ rationis habere incipiant; ſic *Palud. in 4. diſt. 7 qu. 4. Sylue. in ſumma verb. Confirmatio diuina §. 4. Nuñus in 3. p q. 73. ar. 8.*

3 Alij vero mitius loquentes dicunt, melius eſſe differre collationem huius ſacramenti vſque ad ætatem adultam, & ſic hodie ſeruatur in eccleſia; ita *Suarez diſp. 35. cit.* & quamplures, quos refert, & ſequitur *Bonacina de ſacram. diſp. 2. q. vnica pun. 4. nu. 5.*

4 Congruentiæ ſunt plures, & præſertim ea eſt, vt recipiens propria voluntate conſẽtiat ad ſuſceptionẽ ſacramenti, & maxime iſtius, quod non eſt iterabile, idcirco hodiè ante ſeptennium non ſolet conferri. & hæc opinio eſt admittenda.

Quæres vtrum ſit peccatum, ſi Epiſcopus infanti non habenti vſum rationis, confirmationis ſacramentum traderet?

5 Reſpõdeo non eſſe graue peccatum, ſic determinat *Nuñus in 3. p. q. 72. ar. 8.* & idẽ docet *Suarez in 3. p. tom. 2. diſp. 35. ſec. 2.* proinde leuiſſima cauſſa rationabilis ab omni peccato excuſaret Epiſcopum, ſi infantẽ ante vſum rationis confirmaret; imò cum eodem Suarez addo, interdum id expedire v. g. ſi timeretur diuturna Epiſcopi abſentia, aut ſi infans eſſet iam morti proximus. Et hęc quoad pueros, deueniẽs nũc ad amentes.

6 Reſpondeo cum diſtinctione; vel ſunt amentes à natiuitate, ita vt nunquam vsũ rationis habuerint; vel habuerint, & poſtea illum amiſerint: hac poſita differẽtia, reſpondeo, quod ſi confirmandus non fuerit perpetuus amens, & iudicetur tempore, quo incidit in amentiam, fuiſſe benè diſpoſitum, debet illi conferri hoc ſacramentũ, ne priuetur augmento gratiæ, vi eiuſdem ſacramenti cauſſando, etiam ſi in particulari hoc ſacramentum non petierit, ſufficit enim voluntas generalis, quam vnuſquiſque præſumitur habere circa media ad ſalutem, ita *Suarez l. c.* ſi vero eo tempore credebatur fuiſſe in peccato mortali, non erit poſtea confirmandus ob impedimentum indiſpoſitionis.

7 Verũ ſi nihil horũ cõſtet, nempè neque de ſtatu rectè, neque de ſtatu prauæ diſpoſitionis, ſed intellectus ſit dubius.

Reſpondeo eſſe confirmandũ, ita *Nuñus l. c. ver. Sed quid faciendum*, & ratio eſt, quia ſi quis nõ probetur malus, debet exiſtimari bonus.

Si autem confirmandus fuerit perpetuo amens à natiuitate, aliqui volunt, non eſſe illi dandum hoc ſacramentum, ita *Marſilius, & Sotus apud Suarez, Valentia t. 4. diſp. 4. q. 2. pũ. 2. Emanuel Sà verb. Confirmatio, n. 5. & alij apud Dianã par. 3. tract. 4. reſol. 20.* Sed oppoſitum exiſtimo eſſe dicendum cum Suarez *l. c. Coninck in q. 72. S. Thom. ar. 8. n. 83.* ducor ratione iſta, ſcilicet quia eſt capax effectus huius ſacramẽti, & nullum ex parte ſui habet obicem, proinde de iſto diſcurrendum eſt ſicuti de infantibus. aduertit tamen Coninck, ſi ſperatur, quod vſum rationis recipiet, vt decentius poſſit ſacramentum conferri, tempus illud erit expectandum. 8

QVÆSTIO SEPTIMA.

An ſit præceptum recipiendi hoc ſacramẽtum, & quid de promouendis ad ordines.

SVMMARIVM.

Aliqui putant eſſe grauem obligationem omnibus fidelibus confirmationem recipere. 1

Nullum per ſe loquendo eſt peccatum eã omittere, ſine tamen contemptu, niſi tẽpore quo vrget præceptum fatendi fidẽ. 2

Cenſet Bonacina etiam in tali caſu non eſſe peccatum mortale. 3

Nonnulli exiſtimant ante receptionẽ ordinũ eſſe eos, qui ſunt ordinandi, cõfirmãdos, & ſub graui culpa ad id teneri. 4

Oppoſitum cũ alijs determinat author. 5

Satisfit argumento deſumpto ex verbis Tridentini. 6

In rigore verba concilij grauem vidẽtur indicare obligationem. 7

Epiſcopus non confirmatus grauiter delinquit hoc ſacramentum adminiſtrãdo. 8

QVamuis aliquis dubitare poſſet obligationem grauem eſſe ſuſcipiendi hoc ſacramentum, quam opinionem ſuſtinuerunt nonnulli apud *Suarez tom. 3. in 3. par. diſp. 38. ſec. 1. §. Tertia obligatio*, qui etiam dicunt eſſe præceptum de iure diuino: alij verò apud eumdem in relatione tertiæ opinionis, aiunt eſſe obligationem ex præcepto eccleſiaſtico, & non diuino. 1

Vera autem ſententia, & communis vult, nullum per ſe loquendo, præceptum extare, neque diuinum, neque eccleſiaſticum de ſuſcipiendo hoc ſacramento, ita 2

Sua-

Digitized by Google

Suarez l. c. §. Quo circa, & quamplures apud Bonacinam diſp. 3. quæſt. vnica. punc. 2. & apud Dianam par. 3. tract. 4. reſol. 25. quia nullibi apparet lex, aut textus, id præcipiens; probabilis tamen eſt opinio eorū, qui dicunt omiſſionem huius ſacramenti eſſe peccatum veniale, nam videtur quædam ſpiritualis prodigalitas, quamuis Suarez abſolutè id non admittat, niſi in quibuſdam circumſtantijs. dixi, per ſe loquendo, quia interdum poterit eſſe grauis obligatio ad illius receptionem, vel ratione contemptus, vel ſcandali, vel ratione propriæ conſcientiæ, ſi quis timeat non poſſe ſuperare graues tentationes contra fidem, ſine hoc ſacramento, vel timeat ſe receſſurum à fide metu tormentorum; ita Suarez, & alij; tunc omiſſio poterit eſſe peccatum mortale, aut veniale, ſecūdum circumſtātias occurrentes, & periculum imminens maius, aut minus.

3 At Bonacina loco prius citato n. 2. non condemnat omittentem ad peccatum mortale, etiam tempore, quo debet fateri fidem contra tyrannum, quia robur ad fidē fatendam dandum vi ſacramenti, poterit alijs medijs obtineri, v. g. orationibus, ſacramento confeſſionis, communionis, &c. ſed tunc non eſt dubium, periculoſum eſſe omittere hoc ſacramentum, & qui dicunt ob notabilem negligentiam illud non recipere eſſe contemptum, atque adeò graue peccatum, quos refert Diana, multo magis id dicere deberent, ſi omitterent in prædicto caſu, quando fides eſt fatenda.

4 Quod vero ſpectat ad eos, qui ordinem ſunt ſuſcepturi, reſpondeo, à quibuſdam putari graue eſſe peccatum ſuſcipere ordines, etiam minores abſque eo, quod prius recipiatur hoc ſacramentum, & in hac ſententia debent eſſe, qui dicunt hoc eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti, vt Maiolus de irregular. lib. 4. cap. 12. n. 9. Fornarius in additione ad ſummam Toleti de ſacramento ordinis cap. 3. n. 2. Chamerota de ſacram. tract. 11. cap. 4. Nuñus verò in articulo 8. q. 72. in 3. p. ait, eſſe grauiſſimum peccatum veniale, & forſitan mortale ſuſcipere ordines minores, & eſſe mortale ſuſcipere ſacerdotium ſine præuia confirmatione; fundatur hæc opinio in Concil. Trid. ſeſ. 23. cap. 4. vbi prohibetur receptio primæ tonſuræ, antequam ſuſceptum ſit ſacramentum confirmationis.

5 Sed communior ſententia vult non eſſe peccatum mortale, ſic Sotus in 4. diſp. 7. a. 8. concl. 1. Viualdus in candelabro de confirm. n. 41. Victoria de ſacram. ord. n. 232. Suarez diſp. 38. in 3. p. ſec. 1. in fine, Coninck in quæſt. 72. ar. 8. §. Addunt aliqui, Diana par. 3. tract. 4. reſol. 24. Molfeſius in ſumma tract. 2. cap. 11. n. 7. Reginal. in praxi lib. 28. n. 24. Homobonus de exam. eccleſ. tract. 12. cap. 2. quæſt. 4. ver. Dico ſecundo, Marchinus de ſacram. ord. tract. 1. par. 4. cap. 3. in ſecunda propoſitione, & alij. ratio fundamentalis eſt, nullibi tale extare præceptū.

Ad auctoritatem verò Concilij reſpondent hi Authores non eſſe verbum, quod indicet præceptum, cuius tranſgreſſio trahat grauem culpam. 6

Fateor hanc ſententiam eſſe magis cōmuniter receptam, ſed prior eſt probabilis, 7
ſi velimus rigoroſè ſiſtere in verbis Concilij, in eo enim capite multa ſub eodem tenore præſcribuntur attendenda ante ſuſceptionem tonſuræ, quæ ſub graui culpa, ni fallor, requiruntur; nam præter confirmationem dicitur non eſſe dandam primā tonſuram, ſi tonſurandus fidei rudimenta edoctus non fuerit, & legere, & ſcribere neſciat; talis enim eſt irregularis cum ſit illiteratus, cui neque prima tonſura dari poterit, vt ſub pœnis ſtatuitur expreſſe in cap. final. de temp. ordin. in 6. & notat Maiolus de irregul. lib. 1. cap. 32. n. 2. igitur cū modus, & forma loquendi ſit eadem reſpectu doctrinæ, & confirmationis; ſi illa prærequiritur ex præcepto, etiam, & iſta, & cum ſit grauis materia, tranſgreſſio erit peccatum mortale. hoc argumentum fundatum in decreto concilij apud me reddit priorem opinionem probabilem.

Quæres, vtrum Epiſcopus tradens ſacramentum confirmationis, aut ordinis, ſi ipſe non ſit ſacramentaliter confirmatus grauiter delinquat? 8

Reſpondeo, Suarez in vltimis verbis citatæ ſectionis, & Coninck l. c. n. 9. referunt Sotum, Victoriam, & Nauarrum, qui idē ſentiunt, ac de illo, qui non confirmatus promouetur ad ordines, & cum de iſto dicant non peccare ſaltem grauiter, ſi accedat ad ſacramentum ordinis ſine confirmatione, idem aſſerunt de Epiſcopo, & Nuñus vt ſupra, cenſet eſſe graue peccatum, ſi Epiſcopus non confirmatus, alijs tradat ſacramentum confirmationis.

QVÆSTIO OCTAVA.

An ſit præceptum adhibendi patrinum, qui confirmandum teneat? & de eius qualitatibus.

SVMMARIVM.

Ex iure debet in collatione huius ſacramenti eſſe Patrinus. 1

Patrinus cōfirmationis debet eſſe diſtinctus à Patrino baptiſmi. 2

Exercens munus patrini in confirmatione debet eſſe confirmatus. 3

Aliqui cenſent contrahi à patrino confir- 4

Digitized by Google

mationis cognationem ſpiritualem, quamuis minimè ſit confirmatus.

5 *Negant alij.*

6 *His ſubſcribitur Author.*

7 *Ratio qua id nonnulli probant non placet Authori.*

8 *Efficaciori ratione id ſuadetur.*

9 *Negatio huius cognationis deducitur ex defectu conditionis requiſita.*

10 *Diſcrimen inter Epiſcopum non confirmatum, & patrinum etiam non confirmatum in ordine ad contrahendam hãc cognationem.*

11 *Patrinus confirmationis per ſe loquendo non tenetur inſtruere confirmatum.*

1 DIco primo. in ſacris iuribus id eſſe expreſsè diſpoſitũ, ſic in *cap. In Catechiſmo. cap. Non plures, & cap. In Baptiſmate de conſecr. diſp.* 4. & ita affirmatur cõmuniter à Doctoribus; voluit autem Eccleſia talem cæremoniam præcipere ad ſignificandum, quod confirmandus ſit nouus in ſpirituali militia, ideoque indigere inſtructore, ſic *ex S. Thoma quæſt.* 72. *a.* 10. *in corpore*, vel etiam vt ipſe ait, quia per hoc ſacramentum fidelibus confertur perfectio ætatis ſpiritualis, proindè qui ad idem ſacramentum accedit, cum adhuc ſit ſpiritualiter imbecillis, debet ab alio ſuſtẽtari. directè autem reſpondendo ad quæſitum, aio, omiſſionem huius cæremoniæ eſſe ex ſuo genere graue peccatum, ita *Suarez in fine comment. huius articuli decimi, Nuñus ibidem in ſummario in ſecundo notãdo, & alij.*

2 Dico ſecundo. Patrinus confirmationis debet eſſe diſtinctus ab illo baptiſmi, ita ſtatuitur *cap. illo In catechiſmo*, & conueniunt communiter Doctores; congruentia autem, ob quam Eccleſia id requirat, ponitur à Turrecremata in eodẽ cap. ait enim id eſſe ad extendendam charitatem, quæ fouetur per cognationem ſpiritualem cõtrahendam vi huius muneris, attamen in caſu neceſſitatis poſſe adhiberi eumdem patrinum baptiſmi notant Authores, *Suarez l. c. Fillluccius tract.* 2. *cap* 3. *quæſito* 9. *Bonacina de ſacramentis diſp.* 2. *quæſt. vnica, pun.* 4. *n.* 12.

3 Dico tertio. exercens munus patrini in hoc ſacramento debet eſſe confirmatus, ſic decernitur in *cap. Baptiſmate citato*, vbi ponitur paritas inter hunc patrinum, & illum baptiſmi, quod ſicuti in baptiſmo patrinus debet eſſe baptizatus, ita in confirmatione confirmatus; idcirco tranſgreſſio huius præcepti erit mortalis, vt affirmat *Suarez l. c.* quia ſit irrita hæc cæremonia, quæ grauis eſt, ſic etiam *Nuñus, & Filiuccius, & alij.*

Quæres. Vtrũ non confirmatus ſi teneat confirmandum contrahat cognationem ſpiritualem?

Reſpondeo, rem eſſe controuerſam, & partem affirmatiuam ſuſtinent graues authores, *Syluest. verb. matrimonium* 8. *q.* 2. *in fine. Tabiena verb. Confirmationis ſacramẽtũ. q.* 7. *n.* 8. *Rodriq. in ſumma par.* 1. *c.* 225. *concl.* 4. *Sotus in* 4. *diſp.* 42. *qu.* 1. *a.* 3. *Palud. ibidem q.* 1. *a.* 1. *conc.* 3. *Emanuel Sà Verb. Matrimonium n.* 5. *& alij.* Ratio autem pro hac ſententia eſſe poteſt, quia in tantum videtur non contrahi cognatio, in quantũ prohibetur non confirmato hoc officium, at hæc ratio non vrget, quia etiam prohibetur in eiſdẽ ſacris iuribus, ne monachus leuet de baptiſmo, & ne teneat in confirmatione, & tamen id faciendo abſque dubio contraheret cognationem; ergo etiam in caſu noſtro. ſecundo probatur à pari; nam ſi Epiſcopus hoc ſacramento nõ inſignitus confirmet, cognationem contrahit, vt communiter aſſeritur, ergo etiam, & non confirmatus tenens, eamdem pariter contrahet cognationem. 4

Partem vero negatiuã tuentur alij doctores non minoris nominis, vt *Victoria in ſumma de ſacram. n.* 51. *Angelus verb. Cõfirmationis ſacramentum n.* 11. *ver. Matrimonium* 3. *impedim. nu.* 10. *Vitualdus in candel. de bapt. n.* 29. *Henriq. in ſumma lib.* 12. *cap.* 3. *n.* 3. *Vega in ſum. tõ.* 1. *cap.* 64. *caſ* 11. *Suarez l. c. Coninck de confirm. q.* 72. *d.* 10. *in fine. Toletus in ſum. lib.* 2. *cap.* 24. *§. Tertio eſt affinitas. Filluccius tr.* 10. *cap.* 5. *n.* 197. *Sanchez lib.* 7. *de matrim. diſp.* 60. *n.* 20. *Nuñus l. c. Baſilius Põtius de imped. matr. cap.* 24. *§.* 1. *Bonacina de ſacram. q.* 3. *pun.* 5. *§.* 2. *n.* 21. *Laymã in theol. moral. lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 2. *Barboſa. de poteſt. Epiſ. par.* 2. *alleg.* 30. *n.* 34. 5

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quæ communior, & probabilior mihi videtur. ducuntur aliqui ex citatis Authoribus *ex cap. In Baptiſmate de conſecr. diſt.* 4. vbi dicitur, non poſſe eũ, qui non eſt confirmatus, ſuſcipere confirmandum in filiũ, cum enim in canone apponatur verbum, non poteſt, tollitur potentia ſuſcipiendi, & ſuſceptio ipſa irrita redditur. 6

Sed hoc argumentum facilè poteſt ſolui ab aduerſarijs, dicendo, per illud verbum declarari illicitam ſuſceptionem, non autẽ irritam, & inualidam, cum vtroque modo vſurpari ſoleat, proinde ex vi illius nequimus efficaciter colligere inualiditatem: Melius tamen probari poteſt ex quadam morali congruentia; nam puer cõfirmandus cum ſit imbecillis, & quodammodo infirmus in fide, accedit ad hoc ſacramentum, vt robur, & firmitatem recipiat, & conſequenter debet ſuſtentari ab aliq fortiori, qualis eſt confirmatus, qui autem 7

chriſ-

chriſmate caret, non habet fortitudinem illam, quę requiritur ad alium ſuſtentandũ, ideirco inualidè ſuſtentabit, & ſuſcipiet.

9 Ad primam rationem in contrariũ reſpondeo falſum eſſe, negationem prædictæ cognationis colligendam eſſe ex prohibitione, ſed dico, colligi ex defectu conditionis requiſitæ ad cognationem contrahendam, prærequiritur enim validitas ſuſceptionis, qua non poſita, nequit contrahi cognatio; quemadmodum ex matrimonio nulliter inito, non contrahitur cognatio carnalis; eſſe autem irritam ſuſceptionem, probauimus ſupra ex illa congruentia.

10 Ad ſecundam nego paritatem, & aio diſparitatem eſſe, quia Epiſcopus ſacramentali confirmatione carens, cùm hoc non obſtante, alios confirmat, ponit omnes conditiones requiſitas, ſeu fundamẽtum, ex quo oritur cognatio ſpiritualis, nempè ponitur validitas ſacramenti, at ſuſceptor non confirmatus tenens, non ponit fundamentum illud, ex quo debeat reſultare cognatio ſpiritualis inter ipſum, & confirmatum, eiuſque parentes, quia tale fundamentum eſt ſuſceptio, non quælibet, ſed talis, quæ procedat ab homine iam confirmato.

11 Quæres. Vtrum Patrinus confirmationis teneatur ſub præcepto inſtruere filiolum, quem tenuit.

Reſpondeo, per ſe loquendo, ad hoc non teneri, vt ſupra probauimus, dum ageremus de patrino baptiſmi.

QVÆSTIO NONA.

DE EVCHARISTIA *quatenus eſt ſacrificium.*

EX his, quæ dici poſſent de ſacroſancta Euchariſtia inquantùm habet rationem ſacrificij, quędam examinanda proponimus, quæ vtiliora, & nõ ab omnibus cognita mihi videntur, eaque in diuerſos paragraphos diuido.

SVMMARIVM.

1 *Refertur ſententia Bauny aſſerentis non eſſe peccatum graue celebrare alio in loco ab eo, qui fuit deſignatus.*
2 *Communis opinio ait eſſe grauem culpam.*
3 *Hanc ſententiam Author amplectitur.*
4 *Declarantur, quæ excuſant alibi celebrantem.*
5 *Quid faciendum in dubio de mente teſtatoris.*
6 *Aliqui putant ſacerdotem alibi celebrantem teneri ad reſtitutionem.*
7 *Alij vero illum ſimpliciter eximunt.*
8 *Prior opinio reijcitur.*
Alia opinio obligans celebrantem ad aliquam compenſationem non diſplicet Authori. 9
Si nullum ſuffragium animæ teſtatoris ſubtractum fuit, ſacerdotem ad nullam teneri reſtitutionem. 10
Aliqui autumant ſacerdotem aſtrictum celebrare in altari priuilegiato non ſatisfacere celebrando in alio altari cum calculo habenti idem priuilegium. 11
Author quadam adhibita diſtinctione, quæſtionem decidit. 12

§. I.

De loco, in quo eſt celebrandum.

QVæres primo, ſi quis obligationem ſuſcepit celebrandi in tali Eccleſia, ſeù altari ſignato, & eleemoſynam recepit, an grauem culpam cõmittat, & ad reſtitutionem teneatur, ſi in alio diuerſo loco celebret?

Reſpondeo ad primam quæſiti partem, 1
& aio fuiſſe ſententiam *Stephani Bauny de ſacram. tract.* 10. *quæſt.* 17. *concl.* 3. qui ait, ſibi non videri eſſe peccatum mortale celebrare in alio loco à deſignato, dummodo locus deſtinatus non ſit altare priuilegiatum, aut ſit locus, in quo ſit ſepultũ corpus illius, qui miſſas pro ſua anima celebrari diſpoſuit, nam tunc ob notabile detrimẽtum ſpirituale, quod ipſe teſtator, aut alius patitur ex defectu celebrationis in tali loco, erit graue peccatum ibidem non ſacrificare; at ſi neque ſit locus priuilegiatus, neque ibi ſit ſepultura, omiſſio celebrandi in eo loco, ſi alibi celebretur non erit, niſi culpa venialis; hæc eſt opinio prædicti Authoris. Sed alij dicunt eſſe pecca- 2
tum mortale, ſic *Nauar. in Enchirid. cap.* 25. *n.* 134. *Henriq. lib.* 9. *cap.* 23. *n.* 5. *Azor. t.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæſt.* 8. *& tom.* 2 *lib.* 2. *cap.* 24. *quæſt.* 7. *Fagundez præcept.* 1. *Eccl. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 2. *Diana par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 29. *Bartholom. à S. Fauſto lib.* 1. *de ſuffrag. q.* 87. *Barboſa de offic. Epiſc. par.* 2. *alleg* 24. *n.* 33. *&* 36. *Bonacina de ſacram. diſp.* 4. *quæſt. vlt. pun.* 7. *§.* 4. *n.* 2 *Riccius in praxi cappell. deciſ.* 405 *Marchinus de ſacram. ord. nu.* 1. *&* 7. & quamplures apud ipſum.

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſenten- 3
tia, quæ per ſe loquendo eſt certiſſima, quoniam ſacerdos omittens ſacrificare in loco deſignato à teſtatore, vel alio ſimili, qui in hunc finem eleemoſynam reliquit, notabiliter deficit ab obligatione, quam habet, ſi frequenter id faciat, proindè dixi, per ſe eſſe peccatum mortale, quia ratione paruitatis materiæ erit ſolum peccatum veniale, vt ſi ter, aut quater in anno omittat ibi ſacrificium offerre, & in alio loco ce-

celebret, ſic notant Doctores citati.

4 Cauſſæ verò, quæ excuſant, ſunt v. g. ſi Eccleſia, aut altare ſit deſtructum, vel ſit aquarum inundatio, vel Eccleſia violata, &c. in his autem caſibus poteſt, & debet Cappellanus alibi celebrare pro adimplẽda voluntate teſtatoris.

5 Quando verò penſatis omnibus dubia eſt mens teſtatoris, an videlicet inſtituendo legatum, principaliter voluerit honorem, & venerationem loci, an fructum miſſæ, quid faciendum ſit ſtatuimus *in tract. de conſc. dubia in particulari.*

§. II.

An celebrans alibi, teneatur reſtituere.

QVæres ſi prædict⁹ ſacerdos abſq; cauſſa rationabili celebret in diuerſo loco, ab eo, quem fundator deſignauit, præter peccatũ mortale, an teneatur ad aliquã reſtitutionem ipſi fundatori?

6 Reſpondeo, partem affirmatiuam abſolutè defendit *Fagundez loc. cit.* alij verò, *vt Azor. lib. illo 6. cap. 24. quæſt. 8. Riccius, Barboſa locis cit.* modificant hanc opinionem, & aiunt aliquam faciendam eſſe cõpenſationem arbitrio boni viri, quanti videlicet intererat fundatoris, non fuiſſe celebratum in loco deſignato.

7 Verùm alij ſimpliciter, & abſolutè aſſerunt ſacerdotem illum non eſſe obligandum ad reſtitutionem aliquam, ita *Marchinus, & Diana locis cit.* quod intelligi debet, niſi aliquod ſuffragium ob talem mutationẽ deeſſet fundatori, ſeù defũcto.

8 Ex his opinionibus prima, quæ abſolutè procedit, ſi intelligat de obligatione ad omnimodam, & totalem reſtitutionem, eſt reijcienda, quia Cappellanus celebrando, quamuis in alio loco, adimpleuit voluntatem fundatoris quoad ſubſtantiam; nam miſſa eſt æqualis valoris in quocumque loco dicatur, ſi reliqua ſunt paria; proinde iniuſtum erit obligare ſacerdotem ad alias miſſas loco priorum.

9 Secunda vero opinio non diſplicet, inquãtùm vult aliqualem reſtitutionem eſſe faciendam, quæ conſiſtere poſſet in quibuſdam precibus fundendis pro fundatore, vel pro alio ad eius intentionẽ; nam re vera cappellanus non ſacrificãdo in loco deputato, non adimpleuit pactũ, quoad omnia, dico igitur, vel eſſe obligandum ad aliqualem compenſationem, vel ſi conſideratis omnibus nullum ſuffragium detractum

10 fuit, ad nihil teneri.

§. III.

An peccet, & teneatur ad reſtitutionẽ, ſi relinquat altare priuileg. & celebret alibi cum numiſmate.

Quęres ſi ſacerdos, qui vi alicuius legati tenetur celebrare in altari priuilegiato, in quo cõceditur liberatio animæ è purgatorio, ſi hoc nõ obſtãte alibi celebret cũ calculo, ſeu numiſmate, per quod ſi ſacrũ applicetur facultatem habeat liberandi animam è purgatorio, an iſte ſacerdos grauiter peccet, & ad aliquam reſtitutionem teneatur.

PRo ſententia, quæ vult, ſacerdotem non ſatisfacere ſuę obligationi, aliquos laudat *Marchinus l. c.* ſed re vera, loquuntur in ſenſu diuerſo, mox explicando; eam tamen expreſſe docet *Gauantus in comm. de rub. miſ. par. 3. tit. 12. n. 3. Delugo in tract. de Euchariſtia diſp. 21 ſec. 2. n. 39.* dico igitur quæſitum cum diſtinctione eſſe decidẽdum; nã fundator dupliciter potuit ſe gerere, inſtituendo legatum cum ſupradicto onere; eligendo videlicet locum, ſeu altare determinatum, in quo eſt priuilegium liberandi animam è purgatorio, vel non eligẽdo locum, & altare determinatũ, ſed electionem relinquendo arbitrio ſacerdotis, eũ tamen obligando, vt in aliquo loco priuilegiato celebret, hac diſtinctione poſita, dico, ſi diſpoſitio fundatoris, ſeu teſtatoris erit primo modo, tunc ſacerdos celebrans in altari nõ priuilegiato, quamuis applicet indulgentiam pleniſſimam alicuius calculi, ſeu numiſmatis, habentis idem priuilegium liberandi animam è purgatorio, nõ ſatisfacit ſuæ obligationi, non quatenus ad effectum liberationis, ſed inquãtum ad alios effectus; nam electio loci ſacri, ſeu altaris determinati ſolet eſſe intuitu deuotionis, aut pietatis, hoc eſt in honorem alicuius ſancti, aut in ſubſidium alicuius defũcti, qui in eadem eccleſia ſepulchrum habet: ſi vero diſpoſitio fundatoris, aut teſtatoris currat ſecundo modo, tunc puto ſacerdotem ſatisfacere ſuæ obligationi, quia perinde eſt reſpectu defuncti liberari vi vnius, aut alterius priuilegij; & hoc ſecundo modo aſſẽtior Marchino, & addo, quod authores, qui ab ipſo in oppoſitum referuntur, ſi attentè legantur, loquuti sũt de obligatione ſacerdotis ſub priori forma, & hoc rectè notauit *Pater Diana par. 3. tract. 4. reſol. 40.* vndè non retractauit ſententiam, quam poſuit *par. 2. tract. 14. reſol. 29.* vt Marchinus illi imputat; nam *pa. 2.* loquutus eſt de electione loci, ſeu altaris determinati, vt patet ex titulo; *in parte autem 4.* de loco, ſeu altari non determinato.

(The margin numbers 11 and 12 stand beside "PRo ſententia…" and "de Euchariſtia diſp. 21…")

QVÆSTIO DECIMA.

Familiarũ diuerſitas ſit ne ſatis ad plura Oratoria in eadem domo erigenda, non obſtante clauſula in reſcriptis apponi ſolita?

S V M M A R I V M.

Refertur clauſula, quæ præſcribit vnitatem 1

tem oratorij in reſcriptis apoſtolicis.

2 *Quæſtio ex principijs vniuerſalibus determinanda erit.*

3 *Proponitur vtraque ſententia affirmatiua, & negatiua.*

4 *Deciditur quæſtio ab Authore.*

5 *Hoc nomen, Domus, in iure plures habet ſignificationes.*

6 *In clauſula prædicta ſub nomine, Domus, non venit familia.*

7 *Neque Patrimonium.*

8 *Neque Agnatio.*

9 *Propriè loquendo venit locus, ſeu habitatio.*

10 *Declaratur quando Aedificium plura habens cubicula cenſetur ciuiliter vna tantum domus.*

11 *Domum diſtingui ex diuerſitate familiarum in illa commorantium ſecundum aliquos.*

12 *Alij id negant.*

13 *Dictio, Ciuiliter, bifariam in hac materia ſumitur.*

14 *Si priori modo ſumatur aduerſarij ſunt reijciendi: ſi vero poſteriori modo bene loquuntur, ſed non fauet ipſorum opinioni.*

15 *Declaratur textus in l. Si quis ff. comm. Præd.*

16 *Per verba huius textus ita declarata determinatur modus, quo vna Domus in duas diuidatur.*

17 *Referuntur Doctores loquentes de vnitate domus, & de eius pluralitate.*

18 *Doctores communiter ad diuiſionem Domus poſtulant factum hominis.*

19 *Confirmatur ſententia Authoris ex doctrina Authorum loquentium de venditione domus; ſeu apotheca.*

20 *Intentio Pontificis in hac clauſula non eſt ſolum negare pluralitatem miſſarũ in eodem oratorio pro eadem familia, nam hoc per aliam clauſulam prohibetur, ſed pluralitatem oratorij.*

21 *Nomen, & deſtinatio fundorum, & domorum non eſt per naturam, ſed per deſignationem ponendo aliquid extra nos.*

22 *A Pontifice per domum non intelligi ambitum materialiter ſumptum, ſed ciuiliter.*

23 *Quicquid ſit de conſuetudine contraria in aula Regis.*

24 *Nouarius, & aliqui alij ſupponunt hoc priuilegium eſſe fauorabile.*

25 *Alij tuentur eſſe odioſum.*

26 *Declaratur mens Pilliucij hoc intẽdẽtis.*

27 *Priuilegium hoc lædit ius commune, proinde ſtrictè explicandum.*

28 *In hoc priuilegio diſpenſatio includitur.*

29 *Hoc priuilegium eſt ſaltem noui iuris diſpenſatio.*

Obiectio probans eſſe fauorabile ex eo quod oppoſita lex eſt correctiua iuris communis. 30

Lex correctoria interdum non eſt odioſa. 31

Quamuis poteſtas concedendi priuatum oratorium ad celebrandum ſit fauorabilis, conceſſio tamẽ actualis eſt odioſa. 32

Priuilegiatus mutans domum in eadem ciuitate hoc priuilegio fruitur. 33

Aliqui id aſſerũt etiam ſi figatur domicilium extra diœceſim. 34

Deſignatio loci ſecundum hos authores ſtat demonſtratiuè non taxatiuè. 35

Alij contrarium defendunt. 36

Confirmatur paritate quadam. 37

Probant hi Authores ſuam ſententiam ex inconuenienti, quod ex contraria ſequeretur. 38

Secundum ſtylum Romanæ curiæ priuilegium hoc non extenditur ad alium locũ extra diœceſim. 39

Præſcindendo à ſtylo, & conſuetudine, & ſpectando verba priuilegij, poteſt ad alium locum extendi. 40

Pontifex non mouetur ad concedendum hoc priuilegium intuitu loci. 41

Indulgentia concedi poteſt cum reſpectu ad locum, & ſine tali reſpectu. 42

Non eſt mirum ſi attendendo merita priuilegiati, concedatur poſſe vbique erigere Oratorium. 43

Perſona, quæ priuilegio fruitur, poteſt in ipſo priuilegio ſumi, vt terminus in cuius gratiam vltimo fertur conceſſio, & vt ſubiectum cui primo, & per ſe cenſetur inhærere priuilegium; traditur regula ad id agnoſcendum, & poſita prædicta diſtinctione, ſoluitur inſtantia. 44

Enodatur difficultas de mutatione habitationis in ordine ad erectionem oratorij. 45

Manente oratorio domi, nequit priuilegiatus aliud ruri erigere, ſecus ſi deſtruatur illud in ciuitate. 46

Fictione iuris habens oratorium in prædio rurali, cenſetur illud habere in ciuitate. 47

Obiectum adæquatum, & motiuum huius priuilegij eſt perſona cum aliquo reſpectu ad locum. 48

Non videtur improbabile ſi priuilegiatus maiori anni parte ruri habitans, poſſit ibi erigere oratorium cum approbatione Epiſcopi, ſi rigorem iuris ſpectemus, ſecus ſi ſtylum curiæ; dummodo in oratorio, quod eſt domi intra ciuitatem non celebretur. 49

Supponitur in Epiſcopis hodie non eſſe facultatem concedendi oratorium in domo priuata. 50

Refert Riccius deciſum fuiſſe in curia Archie- 51

Digitized by Google

chiepiſcopali Neapolitana non comprehendi ſub concilij, *&* S. C. *prohibitione*, *oratorium erectum in cortili alicuius ruris*, *& maxime ſi publicū ſit*.

10 *Poſſe ab Epiſcopo concedi tale oratorium decidit Author*.

11 *Ratio aſſignatur declarando* C*oncilium*, *& decretum* S. C*ongregationis*.

1 INter clauſulas cōtentas in breui apoſtolico, per quod ſummus Pōtifex licentiā concedit celebrādi ſacrum in priuato oratorio domus laicorum, ſequens inueniri ſolet his verbis[*dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret alteri conceſſa non fuerit*] ex hac autem clauſula grauis ſuboritur dubitatio, an ſi in eadem domo diuerſæ, & omnino diſtinctæ habitēt familiæ, & vna ex illis in ſua ædium parte erectum habeat oratorium, in quo, virtute huius licentiæ ſacrum conficiatur; ſi poſtea alia familia aliud ſimile à ſummo Pontifice obtineat breue, poſſit in alia ædium parte erigere oratorium, vt in illo pariter ſibi celebretur.

2 Hanc difficultatem apud neminem exagitatam inueni, ſolus autem Megalius loco citando eam ſuperficialiter percurrit: quapropter ex vniuerſalibus iurium principijs ſolutionem inueſtigabimus, diuidentes, quę dicenda ſunt, in diſtinctos paragraphos.

§. I.

Proponuntur contrariæ ſententiæ.

3 PRima opinio affirmans defenditur à *Megalio tom.2.var.reſol.in reſol.*191. cum enim prius ſub proprijs terminis difficultatem hanc propoſuerit, poſtea *num.*12. ad illam reſpondens, ait, poſſe ab vtraque familia in ſuis ædium partibus oratoria ad ſacrificandum erigi; & hoc probat primo interpretando Pontificis intentionem circa huius clauſulæ intelligentiam, inquiens, mentem Pontificis eſſe ſolum denegare licentiam celebrandi plures miſſas in eodē oratorio, & pro eadem familia, non autem quando familiæ, & oratoria ſunt diuerſa, cū noſtra deſtinatione fundorum nomina, & domus, non natura, conſtituantur, vt habetur *ex l. quod in rerum* §. *Si poſt. ff. de leg.* 1. Secundo probat, quia in breui prædicto à Pontifice per domum non intelligitur hic, vel ille ędium ambitus, ſeu domus materialiter, ſed ciuiliter, & politicè ſumpta, quatenus ſignificat habitationem; familiam, &c. quapropter vbi ſunt diſtinctæ familiæ, erūt diuerſa domicilia, & domus ciuiliter diſtinctæ; & confirmari poteſt ex *l. qui domum ff. ad legem Iuliam de adult. & ex l. in lege cenſoria ff. de verb. ſignif.* in quibus iuribus domus ſumitur pro habitatione. Rurſus confirmatur conſuetudine, quę, vt mihi à notabili quodam viro relatum fuit, viget in Aula Regis Catholici, additque vanam ibi eſſe hanc dubitationem, & in mentem alicuius Antiſtitis, aut theologi nequaquā venire poſſe; ibi enim more veteri romano, in vna, eadēque domo plures familię habitant, & vnuſquiſque pater familias in ſua ædium parte, priuatum, & ſeparatum hebet ſacellum.

Secunda vero ſententia eſt negatiua, quam multi, & graues Theologi, quibus ipſe caſum propoſui, conſtanter defendunt.

§. II.

Deciditur quæſitum.

VEriſſimam puto hanc ſecundam ſententiam, ad quam efficaciter ſuadēdam tria examinanda nobis ſunt, ex quibus determinatis, tanquam ex principijs, pręſentis quęſitū ſolutio, & cōcluſionis probatio inferri poterit; primo enim eſt ſtatuēdum, quid veniat in hac clauſula ſub nomine domus: ſecundo an ſola diuerſitas familiæ diſtinguat domos, & per quod diſtingui debeant in ordine ad effectum huius priuilegij: Tertio an hoc priuilegium ſit exiſtimandū odioſum, an fauorabile, & per conſequēs eius verba ſint reſtringenda, an vero amplianda iuxta regulas, quas doctores in materia legum paſſim tradere conſueuerunt. 4

§. III.

Quam ſignificationem retineat domus in clauſula huius breuis.

DOmus quam plura in iure habet ſignificata, vt aſſeritur in *l. Pronūtiatio ff. de verb. ſignif.* & notant communiter Doctores *Socinus iunior conſil.* 94. *n.* 9. *lib.* 1. *Rebuf. in dicta lege* §. *Iure proprio. Menoch. præſumpt.* 88. *n.* 12. *lib.* 4. eius autem propria, & communis ſignificatio illa eſt, per quam denotatur ædificium parietibus, tecto, & ſolo conſtructum, deputatum ad habitandum, & appellari etiam ſolet habitatio, non quatenus habitatio eſt terminus verbalis, ſignificans exercitium hominum habitantium, ſed quatenus eſt purum nomen, & importat locum, in quo homines commorantur, & ſic accipitur ſæpiſſimè *in iure l. Eum qui ædes ff. de vſu cap. l. in lege cenſoria ff. de verb. ſignif. & l. nec in ea ff. ad legem Iuliam de adult.* & ex Doctoribus *Corneus cōſil.* 206. *n.* 11. *& alibi Caſtro conſil.* 92. *per totum lib.* 1. *& alij*, 5

qui

qui aſſerunt, hanc eſſe propriam, & primæuam huius vocis ſignificationem, præter hanc, alias minus proprias, & veluti figuratas habet; nam interdum ſumitur pro familia, inquantum familia deriuatur ad perſonas, & dicit multitudinem plurium perſonarum ſub imperio, & dominio vnius capitis, quæ ſolent appellari familiares, & expenſis eiuſdem domini aluntur; & ita accipitur *in l. penultima ff. de teſtibus, & in l. cum vnus ff. de alim. & cib. leg.* at in eodem ſignificato ſumitur *Ioann. 4.* dum de illo Regulo, cuius filia à Chriſto Domino curata fuit, dicitur, *Credidit ipſe, & domus eius tota*, ideſt tota eius familia: interdum verò accipitur pro patrimonio, ſeu ſubſtantia conſiſtente in bonis externis, ſic *in l. Suggeſtioni C. de verb. ſignif.* deniquè importat aliquando agnationem, ſeu originem, & ſic accipitur, *Lucæ* 1. dum de S. Ioſeph dicitur, *Cum eſſet de domo Dauid*, ideſt de eius linea, & progenie, ſeu familia; & eodem modo ſumitur *ca. vnico de ſchiſmaticis in 6.* quam acceptionem declarat *Menoch. loco cit.* eam exemplificans in familia Bardorum.

6 His poſitis aio in clauſula iſta ſub nomine domus non venire familiam, quatenus deriuatur ad perſonas; neque venire patrimonium, aut agnationem, ſed venire locum, conditionibus ſuperius expreſſis, affectum: probatur propoſitio per ſingula; & primò, quod non veniat familia vt ſic, oſtenditur ex incommodis, quæ in quibuſdam circumſtantijs ſequerentur. fingamus e.c. multitudinem familiæ adeò copioſam, vt in eadem domo, ſeù in eodem loco habitare nequeat, & ideo aliqui cogantur in alia domo commorari, manentes tamen ſub poteſtate eiuſdem patris familias, ſub quo manent reliqui in alia domo habitantes, & tam iſti, quam etiam illi obtineant breue ad ſacrificandum in oratorio priuato domus cum clauſula prædicta; tunc non poſſent hi omnes in locis illis diſtinctis, in quibus habitant, frui tali priuilegio, quia obſtaret clauſula huius breuis; nam verificaretur in eadem domo, ideſt in eadē familia, reperiri ſimilem licentiam adhuc durantem, qua ſtante, Pontifex ſe declarat, nolle cōcedere priuilegium in hoc caſu aduerſarij non admitterent hāc acceptionem, domus, ſed ad aliam recurrerent, & reſponderent verba huius clauſulæ hoc pacto eſſe intelligenda, ſcilicet, *Dummodo in eadem domo*, ideſt in eadem habitatione, ſeù domicilio ſimilis licentia, quæ adhuc duret, non inueniatur. & ſic conarentur vitare incommodum, dum ſub nomine domus in hoc priuilegio non intelligerent familiam, quatenus dicit plures perſonas ſub vno capite, &c.

Rurſus euidens eſt non venire patri- 7
monium, ſeu ſubſtantiam bonorum, quia Pontifex non intendit concedere hanc licentiam perſonæ, vt poſſidenti talia bona, ſed tali perſonæ vt ſic, quamuis interdum requirat, vt ſit Baro, Comes, Marchio, &c.

Neque venit agnatio, nam priuilegium
admodum ſtrictè intelligeretur, & ſæpè ip- 8
ſi priuilegiato inutile foret; ſi enim aliquis de eadem agnatione, ſeu ſanguine Neapoli v.c. domicilium haberet, in quo vi huius priuilegij, celebraretur, & alius eiuſdem agnationis Panormi commorans obtineret aliud ſimile priuilegium, non poſſet iſte priuilegio potiri, quia in eadem domo, ideſt in eadem agnatione, inueniretur ſimilis licentia: at nemo eſt, qui hoc aſſerat, & huic
clauſulæ talem det intelligentiam. Rema- 9
net igitur alia ſignificatio, quæ eſt vera, & propria, nempè ſub nomine domus in hac clauſula venire locum, ſeu habitationem, vt ſic enim habetur verborum proprietas, quæ in communi ſermone eſt ſeruanda, & multò magis in interpretandis legibus; aliter incideremus in multa abſurda, recurrentes ad tropos, & figuratas locutiones, & relinquentes propriam, quādo nulla eſt neceſſitas, vt admonet *Pater Suarez lib. 6. de legib. cap. 1. n. 8. & cap. 2. nu. 3. & 4.* & ideò meritò Patres docent verba ſacræ ſcripturæ in ſenſu proprio eſſe accipienda, niſi ex circumſtātijs, vel ex alijs locis, eiuſdem ſcripturæ ad ſenſum improprium, & metaphoricum recurrere cogamur.

§. IV.

An diuerſæ familiæ in eadem domo commorantes, illam in plures ciuiliter diſtinguant?

SOlemus communiter exiſtimare ali- 10
quod ædificium eſſe vnum palatium, ſeu domum, quando continet diuerſa cubicula habentia eoſdem confines principales, eumdemquè aditum, & eamdem ianuam primariam, & in vnum, & aliud cubiculum reciprocus datur acceſſus, ſicuti aggregatum plurimorum palatiorum, ſeù domorum, quæ eiſdem principalibus mœnibus clauduntur, & ex vno palatio eſt via, & acceſſus ad aliud, vnam dicimus eſſe ciuitatem. hoc poſito, quærimus, an duæ familiæ diuerſæ, habitantes in eodem ædificio ſic materialiter conſtructo, illud diſtinguant in duas domos in ordine ad aſſequēdum huius priuilegij effectum.

Partem affirmatiuam ſequuntur non-
nulli, eiſque fauet *Raphael Cumanus con-* 11
ſil. 41. n. 4. qui docet, vnam, aut plures eſſe domos ex diſtinctione patris familias, ſicuti ex diſtinctione, & vnitate fundorum; vn-

dè illæ cenſeri debent duæ domus, quæ vt duæ habitãtur, & illa haberi debet vt vna, quæ vt vna tenetur quoad habitationẽ, & vſum ipſius patris familias, & hoc nititur Cumanus confirmare quibuſdam iuribus; dum autem in eodem palatio duæ commorantur familiæ ſub diuerſo capite, tunc illud palatium, licet materialiter ſit vnũ, tamen ciuiliter exiſtimatur vt duplex: eodem ferè modo loquitur *Cardinalis Tuſcus verb. Domus, conc 619. n. 2.* & hãc opinionem ſequens Megalius, loco ſuperius citato, docuit poſſe ab vtraquè familia erigi duo oratoria virtute huius breuis pontificij, vt in illis celebretur.

12 Partem negatiuam puto eſſe omninò amplectendam, nimirum ædificium illud, habens prædictas conditiones, non obſtãte diuerſitate familiæ, non eſſe habendum, etiam ciuiliter, & politicè, in ordine ad vſum huius priuilegij, vt duas, ſed vt vnam dumtaxat domum. antequam concluſionem hanc oſtendam, vt omnis tollatur æquiuocatio.

13 Aduertendum eſt, quod dum aduerſarij aſſerunt, domorum diſtinctionem in caſu noſtro ſumendam eſſe ciuiliter, dupliciter id intelligi poteſt: primo quatenus dictio, ciuiliter, importat quamdam vocis ſignificationem ad inuẽtam iuris fictione, & contradiſtinctam à naturali, videlicet ab ea, quæ fuit ex prima eiuſdem vocis inſtitutione, vel ab ea, quæ habetur ex communi vſu loquendi. ſecundo quatenus importat ſignificationem, vt à iure ciuili vſurpatam, & vſitatam, licet de reliquo ſit etiam naturalis, & vulgaris v. g. verbum iſtud, mors, dupliciter dici poteſt ciuiliter ſignificare: primo inquantùm habet ſignificationem fictione iuris, ob quamdam ſimilitudinem cum vera morte naturali, vt euenit, cum illud verbum vſurpamus ad ſignificandam profeſſionem religioſam, quæ vt habens quamdam ſimilitudinem cum morte naturali, dicitur ciuiliter Mors. Secundo poteſt etiã ciuiliter ſignificare inquantum iura ciuilia vſurpant eamdem vocem ad ſignificãdam etiam mortem naturalem, vt in toto titulo de Donationibus inter virũ, & vxorem, de legatis, & de ſubſtitutionibus quę fiunt filio, decedente ſine filijs, &c.

14 His poſitis, aio, quod ſi dictio illa, Ciuiliter, ſumatur primo modo, & aduerſarij velint, domorum diſtinctionem in caſu noſtro, hoc eſt in explicatione huius clauſulæ, eſſe intelligendam in prima acceptione, ſunt omninò reijciendi, quia ciuilis ſignificatio, hoc modo ſumpta, eſt impropria, figurata, & fictione iuris excogitata, & nulla eſt neceſſitas, vt in hoc caſu relinquamus propriam, & vſitatam, & amplectamur impropriam ſignificationẽ: in priuilegijs autem interpretandis ſeruãda eſt verborum proprietas, vt dicunt Doctores *Suarez lib. 8. de legib. cap. 28. n. 14. Azor. tom. 2. lib. 5. cap. 23. quæſt. 2. Salas de legib. diſp. 17. ſec. 8. n. 47. & 49. Sylueſt. Verb. Priuilegium quæſt. 3. Bonacina de legib. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 7. §. 1. nu. 2. Merolla de priuileg. diſp. 6. cap. 6. dub. 1. n. 4. & alij.* tunc autem recurrere debemus ad ſignificationem impropriam, quando ſiſtendo intra limites propriæ ſignificationis priuilegium redderetur omninò inutile, vel eſſet adeò fauorabile vt poſtulet tam amplam explicationem, nẽpè vt verba extendantur etiam ad ciuile ſignificatum; ſed in caſu noſtro hoc non habetur; nam priuilegium iſtud explicatũ ſecundum verborum proprietatem, quãtum eſt ex ſe habet effectum, & non eſt inutile priuilegiato, quia ſi in eadem domo non inueniretur ſimile priuilegium, iã iſtud ſortiretur effectum, de facto autem non ſortitur per accidens, quia non verificantur conditiones à Pontifice ad eius valorem in actu ſecundo requiſitæ; neque eſt adeò fauorabile, vt extendenda ſint eius verba ad improprium ſignificatum; nam ſicuti infrà videbimus, priuilegium iſtud potius odium, quam fauorem continet: Si autem de dictione illa, ciuiliter, ſecundo modo loquamur, concedendum eſt vltrò aduerſarijs, diſtinctionẽ illã, Ciuiliter, eſſe ſumendam, ſed nihil hoc pacto reperitur aduerſarijs fauens, quia vocem vſurpari in iure ciuili, & ſub hac ratione ciuilem appellari, non eſt ratio diſtinctionis, & pluralitatis domorum, vt de ſe patet.

§. V.

Affertur textus in l. Si quis duas. §. Si quis partem ff. Commu. Prædi.

SI quis partem ædium tradat, vel partẽ fundi, non poteſt ſeruitutem imponere, quia per partes ſeruitus imponi non poteſt, ſed nec acquiri, Planè ſi diuiſit fundum regionibus, & ſic partem tradidit, poteſt pro diuiſo alterutri ſeruitutem imponere, quia non eſt pars fundi, ſed fundus: quod & in ædibus poteſt dici, ſi dominus pariete medio ædificato vnam domum in duas diuiſerit, vt plerique faciunt; nam & hic pro duabus domibus accipi debet: 15

Per hæc verba, quæ ſunt Vlpiani, determinatur modus, quo vna domus in duas diuidatur, & dicitur fieri per parietem intermedium, quod debet intelligi, ità eſſe medium, vt impediatur commu- 16

nia

nis aditus, & mutuus acceſſus ex vna in aliam partem eiuſdem ædificij, aliter cũ inter duo cubicula paries mediet, duo iſta cubicula eſſent duæ domus, & tot in vno ædificio eſſent domus diſtinctæ, quot cubicula; quod eſt apertè falſum.

§. VI.

Referuntur Doctores ſcribentes in hanc, & in alias leges.

17 GLoſſa in l. prædicta §. Fundus, ſic inquit: [*Domus conſtituitur vt diuiſa, ſi paries medius ponatur.*]

Bartholus ibidem ſic: [*Nota quod fũdus diuiditur deſtinatione Patris familias, domus verò diuiditur pariete interiecto in medio.*] Ponderanda eſt in his verbis dictio illa [*Verò*] quæ eſt aduerſatiua, vt dicunt Doctores; quaſi dicat Bartholus, licet fundus deſtinatione diuidatur; domus tamen non diuiditur niſi per parietem medium. eamdem doctrinam tradit *in l. Quæ in rerum §. Si quis poſt ff. de leg. 1.*

Baldus in eamdem legem ſcribens, ſic loquitur: *Domus diuiditur pariete medio interiecto.*

Iaſon l. Si domus n. 23. de leg. 1. ſic habet: *Secundum aliquos fundus ſola hominis deſtinatione diuiditur, qui poteſt de vno fundo ſola voluntate plures facere, & ſic poſſet conſtitui fundus vnius palmitis, vel bipedalis; non ſic in domibus, quæ nõ poſſunt cõſtitui ſola deſtinatione hominis, & ex vna plures fieri, ſed requiritur factum hominis, ſcilicet interiectio parietis medij, vt in l. ſi duas, &c. & n. 27.* reijciens hoc diſcrimen inter fundum, & domum, ſic ait: *Non videri verum fundum ſola deſtinatione, & voluntate conſtitui abſquè vllo facto hominis, & in l. Quod in rerum, oppoſitum non habetur, quod ſicuti ait Gloſſa pariete medio interiecto de vna domo efficiuntur duæ, vel plures; ità fundo diuiſo per regiones duos, vel plures fundi efficiuntur per ſepes, & regiones, vel per ſulcos, ſeù per appoſitionem terminorum, vel per foſſam diuiſoriam.* Clarius loqui non poterat Iaſon, dicens, domum diuidi non poſſe in duas, vel plures, niſi per parietem medium, vt ſtatutum eſt *in l. ſi quis duas.*

Paulus de Caſtro in eamdem legem, *Si quis duas*, ſic inquit: *Nota etiam, quod facilius fit diuiſio fundi, quam domus; nã fundi poteſt fieri ſola deſtinatione verbali; ſed domus nonniſi interueniente facto, id eſt appoſitione parietis in medio, & ratio eſt ſecundum Cynum; quia in fundo poteſt quis vtilitatem percipere pro parte, abſque eo, quod fiat expreſſa diuiſio; ſecus in domo, vbi vſus non poteſt haberi pro parte, niſi facta intermediatione; ſed iſtud videtur procedere in vnã manſione, at ſi in eadem domo ſunt plures manſiones diſtinctæ, non video, quare non poſſit fieri, puta quod talis, & talis camera, & ſala ſit talis, & altera talis; poſſet tamen dici, quod etiam tunc remanebit vna domus, niſi fiat intermediatio per parietem, ità quod alter pro parte alterius non poſſit conuerſari, & tranſire, & hoc fortè vult iſte textus. Pondera.*] vide quo pacto doctiſſimus iſte iuriſconſultus declaret textum, ſicut, & nos declarauimus, cum non ſolum expreſſè dicat eſſe neceſſarium parietem medium ad diſtinguendas domos; verùm etiam addat, ita debere mediare, vt prohibeatur conuerſatio, ac tranſitus ex vna parte in aliã.

Raphael Cumanus ſibi contrarius *in l. Quod in rerum, §. Si quis. n. 2. de leg. 1.* ſic dicit: [*An paries, ac maceries ſit ſufficiens, vt ſi interponatur, domus diuerſa conſtituatur; ſi verò interponantur tabulæ ligneæ, an diuerſa dicatur, inſpicerem conſuetudinem loci.*] *& in l. Si domus de leg. 1. n. 2. ait: Non eſſe differentiam inter fundum, & domum; non enim conſtituuntur deſtinatione, niſi interponatur ſepes, aut paries, alias ſequeretur, quod habens vnũ fundum, haberet mille fundos.*

Cum autem omnes hi iuriſconſulti, qui ſunt ſummi, & præcipui in iure ciuili, ad hoc, vt diuidantur domus, & ex vna conſtituantur duæ, aut plures, neceſſariò poſtulẽt factum hominis, quod declarant per parietem medium, conſequẽs eſt, vt dicamus, 18
quod ſi plures ædes tali careant intermedio, habeantquè communem aditum, & mutuum acceſſum, vnam dumtaxat conficiant domum; & hoc non ſolum materialiter, verum etiam ciuiliter, quia leges ciuiles ita ſtatuunt, & doctores ſcribentes eodem modo loquuntur; & politicè, quia cõmuni exiſtimatione per appoſitionem, vel amotionem parietis, prædictas habentis conditiones, homines iudicare ſolent eamdem, vel diſtinctam eſſe domum.

Confirmari etiam poteſt, quod aſſeruimus, ex ijs, quæ dicunt Doctores, inquirentes, an dum legatur, aut venditur domus, 19
veniat apotheca, hortus, & ſtabulum ipſi domui coniuncta, reſpondent recurrendo ad aditum, aiuntquè; ſi aditus ad apothecam, hortum, &c. non ſit niſi per domum; tunc venit apotheca, hortus, &c. quia faciũt vnum cum ipſa domo, ita *Alexander* ex doctrina Baldi *conſil. 223. lib. 2. & conſil. 204. n. 2 lib. 6 Paulus de Caſtro in l. Olympico ff. de ſeruit. vrb. præd. n. 2.* & ferè idem docet *Ancharanus conſil. 291.* cum exiſt

tunc venire apothecam, quando eadem contignatione, muro, & fundamento tegitur, ſub eiuſdem finibus; *Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 9. tit. 2. n. 39.* quærens ad quam domum pertineat cænaculum, quod ſupra alterius domus concamerationem conſtructum eſt, concludit ſequi domum illam, ex qua eſt aditus, idque varijs probat iuribus, & *in deciſ. 38. n. 2. & 3* ſumit incorporationem oratorij cum ædibus, quando ad illud datur acceſſus per ædes.

Ex his autem Authoribus oſtenſum remanet diſtinctiuum domus eſſe accipiendū ex diſtinctione aditus, & ex pariete medio impediente mutuum acceſſum, &c. & cum prædicti Authores loquantur, fundantes ſuam ſententiam in iure ciuili, oportet dicere, quod per conditiones illas domus ciuiliter, & politicè diſtinguantur.

§. VII.

Soluuntur argumenta in primo paragrapho allata.

20 AD fundamentum, in quo Megalius nititur, reſpondeo negando intētionem Pontificis ſolum eſſe denegare licentiam celebrandi plures miſſas in eodem oratorio pro eadem familia; cōfundit enim Author iſte vnam clauſulam cum alia, nam Pontifex has duas apponit clauſulas, vt contradiſtinctas, videlicet non celebrandi, niſi vnam tantùm miſſam pro vnoquoque die, & poſtea apponit aliam clauſulam ſcilicet, *Dummodo in eadem domo nō ſit alia licentia, &c.*

21 Ad ſecundam rationem eiuſdem doctoris reſpondeo, fundos, & domos, ſeu eorum diſtinctionem non eſſe per naturam, ſed per deſignationem noſtram, at non quamcunque, ſed talem, quæ ſit extra nos per aliquod reale diſtinctiuum, quod ſupra ſatis declarauimus.

22 Ad rationes illius nobilis viri reſpōdeo, concedendo à Pontifice nomine domus nō intelligi hunc vel illum ambitum materialiter; nam idem ambitus complectens plura cubicula, poteſt illa continere, vt conſtitutiua vnius domus, & poſtea poſito medio pariete, prohibente acceſſum, &c. eadem cubicula cōtinere vt conſtitutiua duarum domorum, qui quidem paries non ſolùm materialiter, verùm etiam ciuiliter, hoc eſt ſecundum iura, & politicè ſecundum communem hominum exiſtimationem domos illas diſtinguit; leges autem, quæ ab hoc Authore afferuntur non contradicunt noſtrę ſententiæ, quia ex illis nihil aliud colligitur, quod faciat ad rem noſtram, niſi domum accipi poſſe pro habitatione, quod nos non ſolum non negamus, ſed fatemur, hanc eſſe propriam, vſitatam, & communem huius vocis ſignificationem, ſumendo tamen habitationem, quatenus importat locum, & non verbaliter inquantum ſignificat exercitium habitationis.

Ad illud verò quod dicitur de conſuetudine in Aula Regis; nequeo aliud reſpōdere, cum ſit quid facti, & non quid iuris, 23
niſi quod forſitan conſuetudo immemorabilis, & legitimè introducta potuerit prçualere, & maximè ſcientibus, & non contradicentibus, imò approbātibus prelatis, vt refert Author iſte, & talis conſuetudo originem trahere potuerit ex gentium multitudine, & domorum paucitate, quæ in curia regia inueniuntur, ita vt vna familia cogatur habitare in ædium parte, & alia familia in altera eiuſdem domus, & ſic vſus obtinere potuerit, vt plura oratoria ad celebrandum in diuerſis ædium partibus eiuſdem domus fuerint erecta; nam hæc cum ſint moralia, & magna ex parte dependeant ab hominum conceptu, potuit contingere, vt conſuetudo illius Regni diſtinguat domos per habitationem diuerſarum familiarum; attamen apud nos talis conſuetudo non habetur, ſed viget ius commune, diſtinguens domos per factum hominis modo explicato.

§. VIII.

Priuilegium celebrandi in priuato Oratorio eſt ne fauorabile, an odioſum?

ESſe fauorabile ſupponit *Nouarius in ſumma bullarum tit. de oratorijs priuatis n. 3. & Megalius to. 2. reſol. 161. n. 19.* quam ſententiam quidam doctus, & 24
peritus recentiòr in ſuo quodam manuſcripto tuetur, & validis argumentis eam probat; ait enim conceſſionem hanc non eſſe diſpenſationem, aut priuilegium contra ius commune, ſed eſſe de ipſo iure cōmuni, proindè amplè interpretandum, vtpotè fauorabile; eſſe autem ſecundum ius commune probat *ex cap. Miſſarum: cap. his ergo, de cōſ. diſt. 1.* vbi ſtatuitur, miſſarū ſolemnia nō vbiquè, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel vbi ipſe permiſerit, eſſe celebranda, idcircò licentia iſta non eſt diſpenſatio, ſed vſus propriæ poteſtatis, & iuriſdictionis, vt loquitur *Suarez tom. 3. in 3. par. diſp. 81. ſec. 3. notab. 2. Filliucius tract. 5. cap. 4. n. 116.* & hoc etiam videtur innuere *Vaſquez tom. 3. in 3. par. diſp. 233. cap. 1. n. 2.* Cum igitur huiuſmodi licentia non ſit contra ius commune, neque in alterius præiudicium; nam vt dicitur in ipſo Breui, datur ſine Parochialium iurium præiudicio, quod conſiſtit in ijs, quæ ſpectant ad Sacramentorum admi-

miniſtrationem, remanet, vt ſit purum Principis beneficium, quod eſt fauorabile, & latè explicandum, vt dicitur *in l. Beneficium ff. de conſtit. Princip.*

25 Cæterum alij putant hoc priuilegium eſſe odioſum, ità *Ledeſma in ſumma par. 1. de Eucbariſt. cap. 27. poſt 16. concl. & 2. difficultatem Suarez in 3. par. diſput. 88. ſec 6. ver. ſecundum caput. Cenedo in queſt. 41. n. 10. Merolla in diſp. moral. tom. 3. diſp. 6. cap. 8. dub. 22. num. 132. Trullenck in Bullam Cruciatæ lib. 1. §. 3. dub. 4. n. 11. Bartholomeus à S. Fauſto de ſacriſ. miſſæ lib. 3. quæſt. 424.* qui ait, eſſe maximè odioſum, & in eadem ſententia abſque dubio videtur eſſe *Filliucius tract. 5. cap. 7. n. 224.* cum ait, quod ſi 26 quis cogeretur die feſtiuo domi manere, & habeat tale priuilegium, non teneretur quærere Sacerdotem, vt in oratorio domus celebret, quia hoc eſt præter Canones, & non adeò decens, ſi igitur indecentiam quamdam habet, ſtrictè eſt explicandum, vtpote odioſum.

27 Probatur etiam Concluſio ex eo, quod hoc priuilegium lædit aliquo pacto ius commune, & per conſequens diſpenſationem inuoluit, & ideò eſt odioſum, & ſtrictè explicandum, vt videbimus ſatiſfacientes argumentis illius docti recentioris, & ad fundamentum, quo nititur.

28 Reſpondeo primo negando in hoc priuilegio non includi diſpenſationem alicuius iuris, nam eſto demus ſecundum ius antiquum in Epiſcopis fuiſſe poteſtatem concedendi licentiam celebrandi in priuato oratorio, tamen ſecundũ ius nouũ tali poteſtate carent, quia Paulus V. per quamdã epiſtolam tranſmiſſam ad omnes Archiepiſcopos, & Epiſcopos *datam die 10. Martij 1615.* & relatã *à Scortia cap. cit. à Fagundez præcept. 1. eccleſ. lib. 3. cap. 13. n. 18. & à Gauanto in rub. miſſ. par. 1. tit. 20. lit. M.* abſtulit ab ipſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis hanc facultatem, eamque ſibi reſeruauit. hæc autẽ epiſtola ſufficienter promulgata facit ius commune; eſt enim conſtans doctorum ſententia, non ſolum decreta, quæ ſunt in corpore iuris canonici, verum etiam omnes epiſtolas, imo ſententias, & reſcripta pontificia conſtituere legem generalem; ita deciſum eſt *à Nicolao V. in ſacris canonibus cap. 1. diſt. 19.* vbi etiam refert hoc ipſum ſtatutum fuiſſe à S. Leone cap. 10. ſuarum decretalium; & hoc etiam defendunt doctores *Barthol. in l. quæ ex relationibus c. de legib. & conſtit. princip. Suarez lib. 4. de legib. cap. 14. n. 3. & 4. Vaſquez in p. 2. diſp. 157. cap. 5. n. 37. Salas de legib. diſp. 2. ſec. 8. n. 49.* idemque ſentiunt canoniſtæ *in cap. In cauſſis de re iudicata*, & rectè addit Suarez ad rationẽ legis non eſſe conditionem neceſſariam, vt ſententia ſit inſerta in corpore iuris: præterea notant prædicti doctores hoc ſimiliter verificari de ſententijs datis à Pontifice in cauſſis ſingularibus, & de facto ius canonicum magna ex parte eſt conſtitutũ ex decretis in cauſſis particularibus. Rurſus hoc etiam ijdem aſſerunt de epiſtolis, & ſententijs Principum ſæcularium; ità *Iaſon l. 1. n. 5. de conſtit. Gomez in regul. cãcel. in proœmio quæſt. 2. ad primum Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 14. n. 4. Suar. de legib. lib. 3. cap. 15. n. 11. Maſtril. de magiſtr. tom. 2. lib. 3. cap. 4. n. 365. & alij.* Talis autem ſententia lata à Principe eſſe poteſt regula humanarũ actionum circa aliquã materiam, vel præcipiendo actum, vel illum prohibendo, & ideò ſufficienter promulgata, nihil illi deeſſe videtur ad rationem legis.

Ad argumentum autem in forma reſpondeo priuilegium celebrandi in priuato oratorio, eſto ſit ſecundum ius commune antiquum, eſt tamen contra ius 29 nouum, & ideò niſi obſtaret ius nouum, & Epiſcopus ſecundum ius antiquum cõcederet hanc licentiam, non eſſet diſpẽſatio, ſed merus vſus propriæ poteſtatis, & iuriſdictionis, in quo ſenſu loquuti sũt Suarez, Filliucius, & Vaſquez ſuperius citati ab ipſomet recentiore, non enim loquuntur ſecundum ius nouum; & non eſt mirum, nam Suarez, & Vaſquez ſcripſerunt ante tale decretum, Filliucius verò, qui ſcripſit poſtea, expreſsè ibi loquitur ſecundum ius antiquum, ideoquè poſtquam dixit poſſe ex licentia Epiſcopi celebrari in domo priuata, & Oratorio non benedicto per poteſtatem traditam Epiſcopis *cap. miſſarum, & cap. Hic ergo*, & hanc licentiam non eſſe diſpenſationem, ſed vſum poteſtatis; ſtatim ſubdit, hanc poteſtatem ſublatam fuiſſe à Paulo V. & ipſi Pontifici reſeruatam: & ſic manifeſtè patet, hos Authores non eſſe contra meã ſententiam, quæ procedit poſt, & non ante conſtitutionem Pauli, cum autem hodie priuilegium celebrandi in his oratorijs deroget huic conſtitutioni facienti legem generalem, neceſſariò ſequitur inuoluere diſpenſationem quamdam huius nouæ legis, proindè eſſe odioſum, & ſtrictè interpretandum.

Sed poſſet quis contra primam reſponſionem ſic vrgere: lex correctiua Iuris cõ- 30 munis eſt odioſa, & ſtrictè intelligenda, vt cõmuniter colligunt doctores *ex l. præcipimus de appelat. & ex cap. Dilectus de conſuetud. & docet Suarez lib. 6. de legib. cap. 2. & 3. & cap. 27. n. 4. Caſtropalaus tr. 3. de legib. diſp. 4. pun. 3. §. 3. n. 14. & alij*, proindè conceſſio, ſeu priuilegium oppoſitum legi

legi correctoriæ cum nos reducat ad ius commune, continet fauorem, & ideo latè eſt explicandum, vt notat *Sanchez lib. 1. de matrim. diſp. 12. n. 2. Suarez cap. 27. cit. num. 7.* ergo conceſſio celebrandi in oratorio priuato, licet deroget conſtitutioni Pauli, tamen quia eſt conformis priori iuri, quod per conſtitutionem ipſam abrogatum fuit, erit fauorabilis, & amplianda.

31 Verumtamen hęc non vrgent, quia licet regulariter correctio legis ſit odioſa, & per conſequens lex poſterior corrigens ſit reſtringenda, & priuilegium derogans huic legi correctoriæ, ſit fauorabile; tamen interdum oppoſitum euenit, nempè quando prima lex eſt odioſa, tunc ſecunda corrigẽs eſt fauorabilis, & priuilegiũ derogans huic ſecundæ odioſum erit, vt rectè oſtendit *Tiraquellus in præfat. ad Retrac. num. 59. & Suarez cap. 27. cit. n. 8.* qui hoc etiam affirmat, quando lex correctoria eſt melior, & vtilior lege priore, & ideò cum lex ſtatuẽs, quod ſacrificia in templis celebrentur, ſit conformior religioni, & reuerentiæ Deo debitæ, ideò quamuis per hanc legem corrigatur ius antiquum, nihilominus lex iſta erit fauorabilis, & priuilegium oppoſitum erit odioſum, & ſtrictè exponendum.

32 Reſpondeo ſecundo ad principale argumentum, quamuis demus poteſtatem concedendi hanc licentiam eſſe fauorabilem, ipſa tamen conceſſio eſt odioſa, ſicuti vt ex communi opinione probat *Sãchez lib. 8. de matrim. diſp. 1.* & 2. poteſtas diſpẽſandi, per ſe loquendo eſt fauorabilis, at diſpenſatio per ſe loquendo eſt odioſa; idcircò quamuis reditus ad ius antiquum, inquantum dat Epiſcopis poteſtatem concedendi hanc licentiam ſit fauorabilis, tamen aliquis vſus huius poteſtatis, nempe licentia celebrandi in oratorijs laicorum, cum trahat minorem decentiam erga tãtum ſacrificium, & præſeferat quamdam ſingularitatem, & priuet fideles nonnullis ſpiritualibus bonis, erit odioſa, & ſtrictè explicanda.

Et hæc eſt mea ſententia circa præſens quæſitum, paratus tamen eam mutare, ſi aliud in contrarium efficacius occurrat, & aliorum authoritas, his non obſtantibus, cogat me aliter iudicare.

§. IX.

Priuilegiatus à ſummo Pontifice ad erigẽdum priuatum oratorium pro tali determinato loco, vt ibi celebretur, num habitationem mutans eodem priuilegio vti valeat?

33 DIco primo. ſi priuilegiatus mutet habitationem ex vna domo in aliam intra eamdem ciuitatem erigere poſſe aliud oratorium ob eumdem finem. de hac concluſione nemo dubitat, quia in Breui Apoſtolico, in quo conceditur facultas erigendi, ſit mentio de ciuitate, nullam determinatam domum præſcribendo.

Dico ſecundo. ſi priuilegiatus mutet habitationem recedendo ex illa ciuitate ſignata in Breui Apoſtolico, & accedat ad aliam, ſed intra eamdem diœceſim, poterit eſſe aliqua dubitatio, cuius deciſio depẽdet ex ijs, quæ infra ſunt dicenda. 34

Loquendo autem de mutatione domicilij quod ſit extra diœceſim, in qua fuit conceſſum priuilegium, ſuſtinent aliqui poſſe ab hoc priuilegiato erigi nouum oratorium in propria domo, ad quemcumque locum accedat, vt ibi ſacrum peragatur. hanc ſententiam defendit *Antonius Nouarius in ſumm. Bull. tit. de orat. priu. n. 6. Megal. van. reſol. tom. 2. reſol. 161. Diana p. 4. tract. 4. reſol.* 208. qui eam probabiliſſimam appellat: & in eadem opinione videtur eſſe *Zacharias Paſqualigus in q. mor. cent. 1. qu. 84. nu. 4. & par. 9. trac. 1. reſol. 7. Quintana Dueñas in ſingul. theol. mor. tr. 7. ſing. 31.* fundamentum vnicum huius sẽtentiæ eſt natura priuilegij perſonalis, quę perſonã ipſam requirit, vt colligitur *ex l. in omnibus cauſis 69. de reg. iur.* & expreſsè ponitur *cap. Priuilegium de reg. iur. in 6. reg. 7.* eſſe autem hoc priuilegium perſonale, colligitur ex verbis, quæ initio eiuſdẽ habentur; diriguntur enim verba ad ipsũ priuilegiatum, diciturque [*teque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volẽtes, &c.*] ex his verbis clarè infertur priuilegium concedi in gratiam, ſeu intuitu perſonæ, atque adeo eſſe perſonale, & non locale, ſeu loco affixum.

Neque obſtat in eodem priuilegio deſignari determinatum locum: nam deſignatio illa ponitur demonſtrationis, & non taxationis cauſa: quod colligitur ex eo, quod intentio priuilegiantis, nempè Pontificis eſt beneficium præſtare ipſi perſonæ, & non loco, niſi per redundantiam à perſona; 35

Alia opinio eſt contraria: vult enim priuilegium coarctatum eſſe tali determinato loco: proindè priuilegiatum recedentem ab vrbe, & ad aliam commorandi cauſa accedentem non poſſe virtute primi breuis oratorium erigere, vt ſacrum ibi fiat. hanc opinionem apud neminem legi præter *Franciſcum Merollam in diſp. mor. tom. 3. diſput. 6. cap. 8. dub. 22.* qui oppoſitam improbabilem appellat; ſuam autem nonnullis rationibus probare conatur, & primò, quia in priuilegijs ab homine non ſit extẽſio de loco ad locum, ſicuti neque de perſona ad perſonam etiam ex identitate, vel ma- 36

maioritate rationis: proinde efficacia priuilegij cum dependeat à voluntate concedentis; parum refert, in alio loco eamdem eſſe, vel maiorem rationem concedendi priuilegium, ſi voluntas concedentis de facto ad alium locum non extendatur, quę non intelligitur extenſa, niſi exprimatur, ergo cum in caſu noſtro Pontifex priuilegium tali perſonæ conceſſerit, ſed pro tali determinato loco v.g. pro vrbe Neapoli, & nullum alium locum expreſſerit; priuilegium non erit extendendum ad alium locum.

37 Et confirmatur à pari: ſi Pontifex concederet Titio ſacerdoti plenariam indulgentiam, quoties celebret ſacrum in tali determinata eccleſia v.g. S.Franciſci: ſi Titius in alia eccleſia celebraret, vtique indulgentiam illam non lucraretur, quia cũ priuilegium ſit conceſſum pro tali eccleſia, nequit ad aliam extendi.

38 Secundo probant ex inconuenienti, nam iuxta oppoſitam ſententiam ſequeretur, quod, ſi priuilegiat' frequẽter habitationẽ mutaret, de vna in aliã ciuitatẽ, in qualibet eodẽ frueretur priuilegio abſq; noua conceſſione: quod videtur incredibile, præſertim cum priuilegium iſtud ſit odioſum, vt ſupra cum multis oſtendimus. hæc, & quædam alia affert pro ſe Merolla probãs hanc ſententiam; & argumenta contraria ſoluẽs ait, hoc priuilegium eſſe ita perſonale, vt ſit pro tali determinato loco, & ideo non ſequi perſonam: ſecus autem, ſi abſque reſpectu ad locum perſonæ conceſſum fuiſſet.

39 Dicendum eſt primo: ſi nos attendamus ſtylum romanæ curiæ, priuilegium iſtud nõ debet extendi ad alium locum. conſuetudo hoc indicat: video enim perſonas illuſtres, quæ, licet commorando in proprijs ipſorũ caſtris obtinuerint tale priuilegium, inde poſtea recedentes, & alibi figentes domicilium, nõ vti antiquo priuilegio, ſed aliud nouum petere.

40 Dicendum eſt ſecundo præſcindendo à conſuetudine, & ſtylo curię: ſi attendamus huius priuilegij verba, & clauſulas, mihi ſatis probabilis videtur prima opinio, cuius fundamentalis ratio ea eſt, quę ab eiuſdem opinionis fautoribus aſſignata fuit, nimirum eſſe priuilegium perſonale, & ſequens perſonam, quia perſona ipſa eſt immediatum obiectum, ſeu proximũ, in quod Pontifex in hoc priuilegio ſuam dirigit intentionem, vt patet ex verbis ſupra relatis [*Teque ſpecialibus fauoribus, &c.*] proinde priuilegiatus in quocumque loco habitet, poterit vti priuilegio, vt melius confirmabitur ſoluendo rationes à Merolla adductas.

41 Ad primam negandum eſt, iuxta priorẽ ſententiam fieri extenſionem de loco ad locum, aut per ſimilitudinem, aut identitatem rationis, quam habet vnus locus cum alio, quaſi Pontifex moueretur ad concedendum Titio prædictum priuilegium intuitu alicuius deuotionis, aut pietatis, quę ſit in oratorio exiſtente in tali loco, quod quidem motiuum ſit ſimile, aut idem in quocumque alio loco; ſit igitur extenſio, ſeu potius declaratio illius, quod implicite, & virtualiter cõtinebatur in verbis cõceſſionis, nam motiuum erat dignitas, ſeu meritum Titij, ob quod Pontifex vult per tale priuilegium illi gratum facere, concedendo vt poſſit in ſuo priuato oratorio ſacrum fieri; quod ſignificatur verbis illis in ipſo breui appoſitis, nempe [*Teque ſpecialibus fauoribus, &c.*] locus autẽ ille ſignatus materialiter ſe habet, & non ponitur taxatiue, ſeu reſtrictiue, ſed exemplificatiue, ſeu demonſtratiue, in quo fauor dignitati, & meritis Titij conceſſus hic, & nunc exercetur: proinde per accidens ſe habet, quod vſus priuilegij in tali loco probetur. & dum argumento concluditur à Pontifice priuilegium pro tali perſona fuiſſe conceſſum, ſed pro tali determinato loco, nullum alium locum exprimendo; propoſitio diſtingui debet in hunc modum: fuit conceſſum tali perſonæ, nempè Titio pro tali determinato loco ita vt locus taxatiue ſe habeat, & ſubminiſtrauerit rationem aliquam motiuam ad concedendum priuilegium, nego; ita vt locus demonſtratiuè, & per accidens ſe habeat, & rationem adæquatam ad obtinendum priuilegium ſubminiſtrauerit Titius, concedo. quod autem Pontifex nullum alium exprimere ſoleat locum, ideo eſt, quia Titius in eo loco commoratur.

42 Ad confirmationem reſpondeo prædictam doctrinam applicando: nam dupliciter pontifex concedere poteſt Titio ſacerdoti indulgentiam illam celebrando in eccleſia S. Franciſci, vel cum reſpectu, & intuitu alicuius rationis pertinentis ad deuotionem, & pietatem erga ſanctum: & tũc certum eſt locum taxatiuè poni; vel præſcindendo à tali reſpectu, ſed ſolum intuitu ipſius Titij: & tunc eccleſia illa determinata demonſtratiuè ſe habebit, atq; adeo Titius in alio loco ſi celebret indulgentiã lucrabitur. quo nam autem modo ex his concedatur priuilegium, ſeu indulgentia, colligendum eſt ex circumſtantijs, verbis, & ſimilibus.

43 Ad ſecundam rationem nego, illud eſſe inconueniens, cum conceſſio iſta dependeat à beneplacito pontificis, in quo eſt plena poteſtas concedendi vel abſolute, vel cum limitatione hoc, & ſimilia priuilegia, ideoque nemo mirari debet, ſi habito reſpectu ad merita priuilegiati concedat illi,

Digitized by Google

illi, vt vbique in oratorio priuato ſacrum fiat. illud verò, quod vltimo loco additur, nempè priuilegium iſtud eſſe odioſum, non tollit probabilitatem huius ſententiæ: tum quia nonnulli exiſtimant eſſe fauorabile, & non odioſum; tum quia etiam adhærendo noſtræ ſententiæ ſuperius probatæ, per quā aſſeruimus priuilegium hoc eſſe odioſum, hoc nō obſtante dicimus nihil à nobis huic priuilegio dari, quo extrahatur à natura priuilegij odium continentis: nullam enim facimus extenſionem, ſed ſolum declaramus id, quod virtualiter, & implicitè includitur in verbis ipſius priuilegij ſub hac forma conceſſi, & id quod eodem modo comprehenſum fuerit ſub mente Pontificis concedentis: hoc autem non tollit quin priuilegium ſit odioſum, quoniam non addimus aliquod, quod ſub conceſſione implicitè incluſum non fuerit: proinde non dicimus priuilegium extendere.

44 Sed dices poteſt priuilegium locale cōcedi gratia, & intuitu alicuius perſonæ: ergo ex eo quod Pontifex concedit Titio priuilegium erigendi oratorium priuatum, vt ibi fiat ſacrum, licet ratio concedēdi ſit in Titio, non rectè infertur eſſe perſonale.

Breuiter reſpondeo ad hanc inſtantiā, nam plenum huius difficultatis examen in tractatu de legibus fieri ſolet, & multa ad eius intelligentiam videri poſſunt apud *Suarez lib. 8. de legibus cap. 3. Merollam to. 3. in diſp. mor. diſp. 6. cap. 2.* ſuppono autē prius, quod, cum priuilegium diuidatur in perſonale, & reale, perſonale, vt membrum diuidens non ſemper includit perſonam, vt terminum, in cuius vtilitatem vltimo fertur priuilegium, quia hoc pacto omne priuilegium eſſet perſonale, ſemper enim cedit in beneficium perſonæ; ſed perſona aliquando accipitur, quatenus eſt ſubiectum, cui primò, & per ſe cenſetur inhærere priuilegium, & per eius redundantiam tranſire ad rem, ſeu locum: contra verò reale dicitur inquantum immediatè inhæret rei, & ab ipſa re tranſit, & redundat in perſonam. ad cognoſcendum autem quale ſit ex his, eſt ſupponendum rationē motiuam conceſſionis, quæ eſt obiectum proximum, in quod dirigitur intentio priuilegiantis, tripliciter ſe habere poſſe: primo vt tota ſit in ipſo priuilegiato, quatenus eſt talis perſona indiuidualis, & nullo pacto in re, ſeu in loco, in quo exercetur priuilegiū. v. g. ſint merita, & dignitas perſonæ priuilegiatæ, & locus ille, in quo conceditur fieri ſacrum, nihil habeat, quod de facto moueat voluntatem Pontificis ad conceſſionē: ſecundo, vt tota ſit in loco illo v. g. ſit ibi imago inſignis, & miraculoſa B. V. vel ſit locus publicus, in quem die feſtiuo confluere ſolent ad ſacrū audiendum populi, vt ſunt oratoria quędā in agris, & ruribus tēpore meſſis, vidēmię, &c. tertio pōt euenire in motiua partī inueniātur in perſona priuilegiata, partim vero in loco illo: v. g. ſit oratoriū alicuius ſācti, qui magna cū deuotione à fidelibus colatur, & ſitum ſit in loco, cuius dominium ſit in aliquo magnate benemerito, & Pontifex moueatur ab vtraque ratione, & in conceſſione tamquam proximum obiectū vtramque reſpiciat. his poſitis aio, quod ſi primo modo res ſe habeat, priuilegiū erit perſonale, & perſonam ſequetur: ſi autem ſecundo modo, erit locale purum: Tertio denique modo erit miſtum. dixi in prima acceptione, ſi ratio motiua ſit in priuilegiato, quatenus eſt perſona talis indiuidualis, quia euenire poteſt, vt licet ſit in tali perſona; nihilominus non vt tali indiuidualiter, ſed inquantum continet rationem quamdam genericam, nempe dignitatem aliquam e. c. epiſcopalem, ducalem, marchionalem, & ſimilem, & intuitu talis dignitatis Pontifex moueatur, eamque vt obiectum reſpiciat: tunc enim perſona illa indiuidualis materialiter tantum ſe haberet, & priuilegium diceretur reale, & non perſonale, ideoque perpetuo duraret, quādiu durat dignitas illa, etiamſi perſona varietur. ſed de hoc priuilegio in præſentia non loquimur, quia ad inſtitutum nō ſpectat. His poſitis ad argumentum diſtinguo antecedens. poteſt priuilegium locale cōcedi in gratiam alicuius perſonæ, ſi perſona ſumatur veluti tranſcendentaliter, inquantum terminus, in cuius beneficium ſit priuilegium, concedo antecedens; ſi vt aliquod in quo reſidet tota ratio mouēs, & obiectiua ad priuilegium faciendū, nego antecedēs, & conſequentiam.

Ex his colligi poterit ſolutio illius difficultatis, quam ſupra in ſecunda concluſione tetigimus, videlicet quid dicendum, ſi mutatio fiat de vna habitatione in aliam; 45
nempe de vna in aliam ciuitatem, ſed intra eamdem diœceſim. concludenda enim eſt pars affirmatiua, quia ſi id conceſſimus, quando mutatio ſit extra diœceſim; multo magis id erit concedendum, cum mutatio erit intra diœceſim. idem dic, quando mutatio ſit de vno domicilio in aliud intra eādem ciuitatem.

Quæres vtrum priuilegiatus habēs oratorium vrbanum domi intra ciuitatem, in 46
quo celebratur, poſſit vi eiuſdem priuilegij abſque alia conceſſione, & declaratione ruri aliud erigere intra territoriū eiuſdem ciuitatis. Reſpondeo fuiſſe ſententiam affirmatiuam quā tuetur *Zacharias Paſq. in q. mor. cent. 1. q. 84.* & hoc ex principio ſuperius adducto, nempe priuilegium iſtud

eſſe

eſſe perſonale, atque adeo perſonam ipsā ſequi. ſed diſtinctione opus eſt: quapropter aio dupliciter intelligi poſſe ſententiam hanc: primo ſi ruri erigatur aliud oratoriū manente eo, quod fuit erectum domi vt in vtroque vi eiuſdem priuilegij fiat ſacrum: ſecundo ſi domi deſtructo primo, erigatur ruri ſecundum: ſi in priori ſenſu ſumatur difficultas, puto eſſe omnino reijciendam hanc ſententiam, quamuis demus hoc priuilegium eſſe fauorabile, & non odioſum, quia mens Pontificis in conceſſione huius priuilegij eſt, vt vnum dumtaxat retineatur oratorium ad hunc effectum: & praxis hoc manifeſtat, licet demus ſucceſſiue plura eſſe poſſe: nunquam enim vidi, & audiui virtute vnius tantū priuilegij, ſub hac conſueta forma emanantis, plura oratoria conceſſa eſſe, quæ actu exiſtant, in quibus celebretur. ſi vero difficultas in ſecundo ſenſu ſumatur, poſita opinione, quam ſuperius vt probabilem ſequuti ſumus, pars affirmatiua erit admittenda: ex ſuppoſitione enim, quod priuilegium ſit perſonale, vtique perſonam ſequi debet.

47 Sed inſtabis, facta ſuppoſitione quod priuilegium iſtud ſit perſonale, & conſequenter vbicumque, vt probatum eſt, poſſit priuilegiatus oratorium ad celebrandum erigere, nequit ſufficiens ratio aſſignari, quare non valeat id fieri dum ruri manet, videtur enim idem perſiſtere motiuum, ob quod priuilegium conceſſum fuit, nempe qualitas perſonæ priuilegiatæ, eiuſque ſpiritualis conſolatio. hæc autem motiua ipſam perſonam vbique comitantur. diuturna autem, aut breuis habitatio magis in vno, quam in alio loco nihil videtur facere ad ſubſtantiam huius priuilegij.

Reſpondeo, vt in prima concluſione ſtatui, ſi in re hac ſpectemus ſtylum curiæ, videtur eſſe neceſſaria noua conceſſio, quando priuilegiatus mutat habitationem: proindè vi eiuſdem vnici priuilegij multo minus poterit aliud oratorium ad celebrandum erigere in domo rurali: imò fictione iuris cenſeretur in eadem ciuitate duo oratoria habere apta ad ſacrum conficiendum, quod certum eſt fieri non poſſe, nam domus in ſuburbijs, ſeu in continentibus perinde eſt, ac ſi eſſet intra mœnia ciuitatis, & præſertim in hac materia, in qua, vt oſtendimus, priuilegium iſtud, vtpote odioſum, ſtrictè eſt explicandum, & non ampliandum: & ideo licentiam erigendi oratorium in vrbe Panormitana v. g. ita interpretari debemus vt priuilegiatus in ipſa ciuitate, & in habitationibus continentibus, & propè ipſam vrbem, nequeat niſi vnum tantum oratorium ad hunc effectum erigere. reſtrictio autem iſta non attenditur à nobis in ordine ad nomen Ciuitatis, ſcilicet Panormi, quia vt ſic magis ampliaretur ſignificatio, ſi ſub tali nomine comprehendamus non ſolum ciuitatem intra mœnia clauſam, verum etiam contiguas habitationes; ſed attenditur in ordine ad erectionem oratorij, & dicimus non tantū intra vrbem, ſed quoque in ſuis continentibus vnicum tantum poſſet oratorium erigi.

Reſpondeo ſecundo, quamuis hoc priuilegium perſonale exiſtimetur à nobis, perſonalitas tamen non debet ita ſolitarie ſumi in ratione obiecti mouentis Pontificē ad priuilegium concedendum, vt etiam nō includat commorationē in loco, licet iſte, vel alius locus, iuxta hanc ſententiam, materialiter ſe habeat: atque adeo obiectum adæquatum, & motiuum ſit totum hoc, nēpè perſona ipſa non vt ſic, ſed vt commorans, & ideo ſi ipſe priuilegiatus per modū tranſitus reperiatur in aliquo loco, vel ad breue tempus, ita vt nequeat dici ibi figere domicilium deſerendo priorem locum, nequaquam poterit oratorium in tali loco erigere, quia breui tempore aliquis diuertens è proprio domicilio ad illud reuerſurus, moraliter non cenſetur eſſe in loco, ad quem diuertit, vt varijs iuribus, & multorū ſententia probat *Sanchez l. 2. de matr. d. 18. num. 6. in probatione 4.* vt ſic enim ſæculares ſe haberent vt Epiſcopi, qui de iure communi poſſunt vbicumque exiſtunt celebrare, vel coram ipſis celebrare facere in proprio palatio. hoc autem nemo dixit. 48

49 Sed num poſſit oratorium erigere, ſi maiori anni parte ibi ſit commoraturus; res eſt dubia: non videtur tamen improbabile, ſi rigorem iuris ſpectemus, & non ſtylum curiæ, poſſe cum approbatione Epiſcopi iuxta tenorem priuilegij oratorium priuatum in ſua domo conſtruere, ita tamen, vt in alio oratorio, quod reperitur in ciuitate, nullo pacto celebretur, etiam in præſentia eorum, qui ſunt de familia ipſius priuilegiati, qui alias iuxta probabilē opinionem poſſent etiam abſente domino, in cuius gratiam conceſſum fuit priuilegium, miſſam in tali oratorio audire: non poſſunt inquam miſſam audire alio conſtructo oratorio in loco, vbi dominus reperitur: quoniam vt ſic actu duo haberet oratoria ad celebrandum, quod minimè fieri poteſt vi horum priuilegiorum. dixi hoc non eſſe improbabile, quia priuilegiatus manens cū animo habitandi maiori anni parte in aliquo loco, quamuis domicilium non acquirat, cenſetur tamen acquirere quaſi domicilium, quod ſufficiens eſt, vt quis teneatur legibus, & conſuetudinibus eius loci, in quo reperitur, imo ad aliqua ſacramenta voluntaria recipienda, dempto ordine, vt oſtendit *Sanchez diſp. cit. n. 9. & Merolla*

tom.2.diſp.4.cap.3.dub.42.ſec.3. vbi plures alios laudat:& ideo cum iſte talis ſe habeat tamquam incola illius loci, videtur etiam vti poſſe ſuo priuilegio, quia abſolutè, & ſimpliciter dici poſſet ibi commorari. cum autem ſit commorans, & priuilegium conceſſum ſit perſonæ commoranti, non erit improbabile, ſi dicamus oratorium priuatum erigi poſſe, derelicto tamen, vt explicuimus, priori illo, quod in ciuitate habebat.

§. X.

Poſſit ne Epiſcopus licentiam concedere erigendi oratorium pro celebrandis miſſis in cortili alicuius ruris?

50 SVpponimus in hoc quæſito prohibitionem ne Epiſcopi concedant licentiam erigendi priuata oratoria ad celebrandum per decretum *Concilij Trid ſeſſ.22.* & per decretum *ſacræ Congreg. iuſſu Pauli V.* & inquirimus, nũ in hac prohibitione comprehendantur etiam oratoria in cortili alicuius ruris exiſtentia.

51 De hoc caſu mentionem facit *Riccius in deciſ.pa.4.deciſ.78.in fine,* & inquit fuiſſe de illo dubitatum in Curia Archiepiſcopali Neapolitana,& tandem deciſum fuiſſe non comprehendi ſub Concilij prohibitione,quia Tridentinum prohibet celebrationem miſſarum in illis oratorijs,quę ſunt inter domeſticos parietes: tale autem non eſt illud erectum in cortili, & maximè ſi publicum habeat aditum, & inquit appellatione domus cortile non contineri. citat pro hac ſententia *Nouarium in 2.p.collectanearum.* his poſitis.

52 Dicendum eſt poſſe ab Epiſcopo concedi licentiam erigendi oratorium exiſtens intra atrium ruris,& extra domum, in qua eſt habitatio præter Riccium hanc opinionem ſequitur *Paſqualigus in deciſ. moral. deciſ.* 173. loquens de oratorio domus priuatæ, quod ſit permanenter diuino cultui dicatum,habeatque ingreſſum expoſitum. in ea etiam videtur eſſe *Lezana par. 4. v. Oratoria quoad Regulares num 3. circa*

53 *medium*. Ratio autem eſt, quia tum in Tridentino,tum in illa epiſtola ſacræ Congregat. ex iuſſu Pauli V. prohibetur ſacrũ fieri in oratorijs,quæ ſunt inter domeſticos parietes,vbi habitant ſæculares, quod præcipuè ob indecentiam vitare voluit Pontifex:quando vero ſunt extra habitationem ceſſat illa ratio motiua prohibitionis, indecentia videlicet illa:& quia, vt ſuppono, ingreſſus aperitur, vt fideles poſſint ſacro intereſſe,idcirco talia oratoria non intelliguntur comprehenſa in decretis illis.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Poſſit ne ſacerdos miſſam cœptam ab initio repetere, ſi vir illuſtris id petat, alio, qui celebret, non extante?

SVMMARIVM.

Caſus faciliùs euenit in prædijs ruſticanis. 1
Partem affirmantem quamplures tuẽtur 2
Placet opinio hæc Authori. 3
Diligenter notanda eſt doctrina Stephani Fagundez ne falſa ſententia illi tribuatur. 4
Probat Author ſuam opinionem. 5
Solutio contrariæ rationis. 6
Repetitio hæc nõ permittitur reſpectu cuiuſcumque perſonæ. 7
Declaratur vltimus terminus vltra quem non licet iterum repetere. 8
Dubium eſt apud Authorem num ſit graue peccatum repetere omnia,quæ ante canonem dicta ſunt. 9
Probabile eſt repetitionẽ iſtã quãdo peruenit vir magnæ authoritatis,fieri poſſe etiam diebus ferialibus. 10
Non licet repetere pro perſona ordinaria. 11

NOn debet caſus iſte adeo inſolitus exiſtimari,quin aliquãdo contingat, & præſertim in prędijs ruſticanis,in quibus oratoria erecta ad celebrandum inueniũtur; proindè interdum euenire poterit, vt vir aliquis illuſtris magnæque authoritatis,vt Rex,Prorex,Cardinalis,Archiepiſcopus, & ſimilis, iter faciens reperiat miſſam in oratorio iam inceptam, & cum ſit dies feſtiuus, velit præcepto plenè ſatisfacere, & non extãte alio ſacerdote, qui celebret, petat, vt miſſa illa à principio repetatur, quærimus num id licitè fiat. 1

Pars affirmans, quam multi viri docti tuentur non placuit *Patri Thomæ Tamburino lib.2. de ſacrificio miſſæ cap. 7.§. 8. n.2.* diſplicentia opinionis oritur in illo ex irreuerentia, quam ipſe putat inueniri, in huiuſmodi repetitione, & tolli non poſſe per acceſſum principis,ſeu viri illuſtris,cuius aduẽtus non videtur afferre talem neceſſitatem,quæ ſuperet irreuerentiam illã, quamuis enim ſit dies,in quo Eccleſia pręcipiat ſacro intereſſe, excuſabitur vir ille illuſtris, integram non audiendo miſſam, cum non ſit alius, qui celebret; quapropter cum nulla ſe offerat neceſſitas, & in repetitione inuoluatur irreuerẽtia, pars affirmans non eſt admittenda. ita ferè diſcurrit Tamburinus, verbis parum mutatis, & pro ſe citat *Gauantum in manuali Epiſc.v. Miſſæ ritus n.15.* vbi refert decretum Concilij Prouincialis Mediolanenſis, 2

in

zed by Google

in quo huiuſmodi repetitio prohibetur. ſed
ne iſta ſententia authoribus ſit deſtituta,
2 præter Gauantum, quem pro ſe laudat Tã-
burinus, quique explicari poterit non lo-
qui in caſu noſtro. addo alium, nempè *Ioã-
nem Diaz in pract. crim. cap. 49. n. 4. Rodri-
quez in ſumma par. 1. cap. 238. n. 7.*

3 Sed opinio, quæ Tamburino diſplicuit,
ſemper mihi arriſit, eamque ſuſtinent gra-
ues Doctores, *Nauarrus de orat. & hor.
canon. cap. 16. n. 55.* & addit eam à ſe ipſo in
praxim redactam fuiſſe. idem ſuſtinet *Hen-
riquez lib. 9. cap. 30. n. 7. Azor par. 1. lib. 10.
cap. 32. quæſt. 3. Scortia de ſacrificio miſſæ
lib. 2. cap 18. n. 2. Layman in ſumma lib. 5.
tract. 5. cap. 7. ver. Alia porro cauſſa. Ema-
nuel Sà in aphor. ver. Miſſa n. 1.* licet dicat
ab initio repeti poſſe ex cauſſa, quam tamẽ
non explicat, *Fagundez de præcepto eccleſ.
præcepto 1. lib. 3. cap. 16. n. 6. in fine*, vbi id
concedit ſi epiſtola, aut euangelium dictũ
ſit, aut canõ incœptus, vel finitus, at ſi epi-
ſtola tantum ſit recitata inquit, non opor-
tet aliam miſſam incipere cum ad præcep-
ti adimpletionem miſſa illa ſufficiat. verum
4 quatenus Author iſte dicit id fieri poſſe ſi
canon ſit incœptus, aut finitus, attentè eſt
legendus, ne falſam ſententiam illi attri-
buere cogamur, proindè eius mentem in
verbis citatis expreſſam interpretor, ita:
ipſum loqui de alia miſſa celebranda, &
hoc colligo, quia ſe remittit ad *Henriquez
l. c.* qui tamen duo ibi aſſerit, primo poſſe
ab initio repeti ea, quæ dicta ſunt, recitata
epiſtola, aut euangelio, ſecũdo addit, quod
ſi facta conſecratione, aut conſumptione
ante ablutionem ſuperueniat Epiſcopus,
aut alius magnus vir, licebit dicere aliam
miſſam. hęc duo, quę diſtinctè Henriquez
exprimit, Fagundez ſub vnico verbo, repe-
titionis, confuſit, & implicuit, cum tamen
debuiſſet ad vitandum errorem diſtinctè
loqui, nemo enim eſt, qui canone incœpto,
ne dum finito, aſſerat, poſſe eamdem miſ-
ſam iterum repeti, & pręſertim, quia canõ,
cõſecratione peracta, abſoluitur, & eadem
conſecratio repeti nequit. igitur ne dica-
mus ab authore prędicto ſententiam adeo
falſam traditam fuiſſe, debemus illum in-
terpretantes, dicere loquutum fuiſſe de
alia miſſa, vt loquutus eſt Henriquez. Pro-
5 bari autem poteſt noſtra ſententia, euer-
tendo fundamentum contrariæ, nempe
irreuerentiam, quam ſententia ipſa oppo-
ſita agnoſcit in tali repetitione, oſtenditur
ergo nullam inueniri indecentiam, non
enim repetitio, vt ſic, eſt formaliter irreue-
rentia, quia non ſolum in ipſa miſſa, verum
etiam in ſacra ſcriptura, & in horis cano-
nicis, & officijs eccleſiaſticis præſcribitur
interdum eorumdem replicatio verborũ,
neque dici poteſt, ex tali determinata re-
petitione irriuerẽtiã oriri quia hoc gratis
aſſeritur, cũ ad cohoneſtãdã repetitionẽ ſuf
ficiẽs cauſſa videatur, vt Epiſcopus, aut vir
magni momẽti integrũ audiat ſacrum; &
ideo patet ſolutio ad fundamentum oppo-
ſitum, quia concluſionem noſtram non 6
colligimus ex neceſſitate ſeruandi præcep-
tum eccleſiaſticum, nam vt rectè Tambu-
rinus diſcurrit, in tali caſu, ſi ſacrum ſit iam
incœptum, & nullus alius ſit ſacerdos ce-
lebraturus, excuſabitur Epiſcopus, aut
alius ſuperueniens; proinde non dabitur
neceſſitas repetendi: at nos aliunde colli-
gimus honeſtatem huius repetitionis, nẽpè
ex dignitate perſonæ, & honeſtæ deuotio-
nis de ſacro integrè audiendo, & maximè,
quia nullum ſit ius canonicum, quod id
prohibeat.

Neque ex hoc inferas poſſe id fieri etiã 7
pro quocumque alio infimæ notæ, ne infe-
ras hoc, quia multa concedit, aut
permittit Eccleſia pro perſonis magnæ
dignitatis, quæ tamen non ſolum non per-
mittit, verũ etiã prohibet pro alijs perſonis
ordinarijs, vt patet in cæremoniali, in quo
præſcribuntur nonnulla obſequia, quę fie-
ri debẽt Cardinalibus, Epiſcopis, aut Prin-
cipib', ſeu perſonis, in dignitate cõſtitutis
quę tamẽ alijs perſonis fieri prohibẽtur.

Quæres primo. qualis ſit terminus vlti- 8
mus, vltra quem non ſit licitum iterum in-
choare, & repetere miſſam.

Reſpondeo ex doctrina, quam ex ſecta-
toribus huius opinionis habere potui, ter-
minum excluſiuum eſſe offertorium, ab il-
lo enim incipit ſacerdos ſacras exercere
actiones ad ſacrificium ſpectantes, ante of-
fertorium verò, ea, quę dicuntur, potius
ſunt preces quędam, & inſtructiones pro
audientibus. initio enim fit generalis pec-
catorum cõfeſſio, qua ſacerdos petit a Deo
veniam, vt mundus accedat ad altare, po-
ſtea eſt introitus, Kyrie eleiſon, & oratio-
nes, quibus, & peccatorum remiſſio, & gra-
tiæ a Deo petuntur, ſequitur epiſtola, &
poſtea euangelium, vſque ad offertorium,
quæ leguntur ad inſtruendum populum,
tum quoad mores, tũ quoad myſteria, &
actiones Chriſti Domini enunciandas, &
in miſſis ſolemnibus ſolet fieri concio; at-
que hæc pars miſſæ; in qua in primitiua ec-
cleſia interueniebant Cathecumeni, appel-
labatur miſſa cathecumenorum, ab offer-
torio autem incipiebat miſſa, quæ nuncu-
pabatur miſſa fideliũ baptizatorum, & ex-
pellebantur cathecumeni, cum igitur ab
offertorio actiones ſacræ ad ſacrificiũ per-
agendum incipiant, congruum videtur has
actiones eſſe debere ſucceſſiuas, & ſine in-
terruptione, & hoc videtur conueniens,
videlicet non fieri repetitionem harum
actionum; idque confirmant authores cõ-

Digitized by Google

credentes repetitionem prædictam, qui nõ progrediuntur, vltra euangelium iam finitum;
9 Quapropter ſi quis velit nos cogere ad reſpõdendum, num ſit peccatum graue repetere omnia, etiam vſque ad canonem excluſiuè, dico quod quamuis ad damnãdum aliquem ſacerdotem id facientẽ, non habeamus efficax argumentum; nihilominus ad aſſerendum eum temere operari ſufficit authoritas theologorum, qui non admittunt repetitionem; niſi eorum, quæ antecedunt offertorium, & etiam in re iſta ſatis videtur congruentia prędicta, proinde licet non apertè damnarem repetentem vſque ad canonem, neque poſſem illũ excuſare à peccato graui; tamen apud me res eſt valde dubia.

10 Quæres ſecundo. vtrum prædicta repetitio liceat non ſolum diebus feſtiuis, verum etiã alijs diebus ferialibus, in quibus non eſt præceptum audiendi ſacrum?

Reſpondeo de hoc puncto nihil apud auctores inuenio. at mihi videtur pars affirmatiua probabilis, quia, & ſi præceptum de ſacro non vrgeat, nihilominus quia nos non fundauimus ſententiam noſtram in adimpletione præcepti, ſed potius in iuſta, & honeſta deuotione perſonæ magnæ dignitatis, idcirco conſequenter diſcurrẽtes aſſerere poſſumus, etiam diebus ferialibus id eſſe licitum, decet enim Epiſcopos, & alios fideles quotidie ſacrum integrè audire.

11 Quæres tertio num eſſet peccatum graue, ſi repetitio illa fiat pro perſona ordinaria, & infimæ conditionis?

Reſpondeo non dubito, quin ſit peccatum veniale, quia eſt contra praxim Eccleſiæ, quæ pro perſonis tantum qualificatis id permittit: at non poſſum firmiter, & conſtanter aſſerere, eſſe peccatum lethale, ſed id remitto prudentiæ, & iudicio theologorum.

QVÆSTIO DVODECIMA.

Num ſacerdos ſtipendium pro miſſis accipiens, valeat partem aliquam fructuum ſacrificij alteri applicare?

SVMMARIVM.

1 *Species facti.*

2 *Supponitur tripartita diuiſio valoris quã in miſſa agnoſcunt theologi.*

3 *Non agit author de obligatione aliqua, qua detinetur celebrans ad offerendum pro eccleſia, neque ſi fideles ſemper participent fructum omnium ſacrorum, ſed an plura ſtipendia pro valore perſonali recipi poſſint.*

4 *Sententia affirmatiua, eiuſque fundamẽtum aperitur.*

Alia ſententia oppoſita refertur, & ratio, qua nititur. 5

Nequit ſacerdos pro eodem ſacro plura integra recipere ſtipendia etiam præſcindendo à bulla de celebr. miſſ. 6

Incertum eſt an valor perſonalis etiam triplicatus æqualis ſit valori vnius miſſæ. 7

Argumentum efficax ad concluſionem demonſtrandam. 8

Pluralitas ſtipendiorum pro eodem ſacro prohibetur per bullam de celebr. miſſ. 9

Probatur ex verbis ipſius bullæ. 10

Ex iiſdem verbis colligitur receptio plurium ſtipendiorum integrorum pro vno ſacro contra ius naturale. 11

Concluſio per quam directè reſpondetur ad quæſtionem. 12

Celebrans etiam ſi bona fide plura receperit ſtipendia obligatur ad reſtitutionem, & quare. 13

Titius ſacerdos plura à Chriſti fidelibus accepit ſtipendia pro miſſarum celebratione, & pro quolibet ſacro iuſtum, & taxatum ſtipendium erat e. g. vnius Iulij: euenit, vt Titius in quolibet ſacrificio tertiam partẽ valoris, ſeu fructus ſibi perſonaliter debitam; non applicauerit danti ſtipendium, ſed in tribus ſacris tres partes eodem modo ſibi debitas alteri applicabat, nouum accipiens ſtipendium, & in ea quantitate, quæ erat ſufficiens ad vnum integrum ſacrificium, videlicet vnum Iuliũ, & ſic per multos annos plura recipiẽs ſtipendia modo ſupradicto, fructum illum applicare conſueuit, bona fide tamen procedebat, putans id ſibi eſſe licitum, etiam poſt decretum ſacræ congregationis de celebratione miſſarum, ſed poſtea admonitus id eſſe contra prædictum decretum, abſtinuit, & ideo quæritur, an teneatur reſtituere illis, à quibus ſtipendia accepit. 1

Pro huius quæſiti ſolutione ſupponenda eſt illa tripartita diuiſio valoris, qui in ſacrificio miſſæ à Theologis communiter agnoſcitur; primus dicitur generalis, ſeu generaliſſimus, vt aiunt alij, qui debetur Eccleſiæ, nempè Prælatis, Principibus cæteriſque Chriſti fidelibus. ſecundus appellatur medius, & à quibuſdã ſpecialis, & debetur illi, cui ſacerdos celebrans intendit ſacrificium ſpecialiter applicare, ſiue liberaliter, ſiue ex ſtipendio recepto. tertius denique vocatur ſpecialiſſimus, ſeu perſonalis, quatenus debetur ipſi met ſacerdoti, vt priuatæ perſonæ. hac triplici valoris diuiſione præſuppoſita, ſuppono ſermonem non eſſe de fructu, ſeu valore, qui habetur ex opere operantis, videlicet ex deuotione, diſpoſitione, & precibus particularibus ipſius met ſacerdotis, quatenus ſpectatur tan- 2

tanquam priuata perſona,& non vt miniſter Eccleſiæ; ſed ſermonem eſſe de fructu, & valore ex opere operato,vt aiunt, nempè ex ipſo met ſacrificio independenter à deuotione diſpoſitione,&c. ipſius ſacerdotis.

3 Rurſus ſuppono me in præſentia non actur ũ,an ſacerdos quoties celebrat, obligetur explicitè offerre aliquam partem huius valoris pro tota eccleſia: de hoc enim puncto legi poteſt *Suarez tom. 3. in 3.p.diſp.79.ſect.11.verſ.*[*Secundo inquiri*] *& deinceps.* vbi etiam expendit, num omnes Chriſti fideles participent fructum aliquem ex opere operato medijs omnibus ſacrificijs, præter fructum impetrationis: omitto enim hæc omnia, quia eorum examen,& deciſio non faciunt ad rem noſtrã: ſolùm enim intendo expendere, an ſacerdos poſſit duplex pro ſua miſſa ſtipendium recipere,& præſertim poſita bulla de celebrat.miſſarum iuſſu Vrb.VIII.edita,nempè vnum ſtipendium pro medio, ſeu ſpeciali valore; alterum vero pro valore illo ſpecialiſſimo,ſeu perſonali,qui ipſi met ſacerdoti,vt priuatæ perſonæ eſt debitus.de hoc enim puncto plures Authores pertractarũt tum antiqui ante bullam prædictam, tum recentiores.

4 Primam igitur ſententiam, quæ id affirmat fieri poſſe ſuſtinent aliqui ex veteribus.*Nauar.in ſum.cap.24.n.92.Sotus in 4.diſt.12.q.2.art.5.& diſt.13.q.2.art.1.& alij.*ex recentioribus vero *Diana p.2. trac. 14.reſol.14.Marchinus de ſacram.ord.tr. 3.p.2.c.16.n.7.* & nouiſſimè *Thomas Hurtado in reſolutionibus moralibus p.1.trac. 2.cap.4.reſol.17.à n.173.& deinceps,& alij apud ipſum.* vnicum huius ſententiæ fundamentum eſt, quia ex vna parte non tenetur ſacerdos applicare danti ſtipendium partem illam valoris perſonaliter,ſeu ſpecialiſſimè ſibi debitam:ex alia vero parte, nulla apparet ratio quare pro medio valore poſſit ſacerdos ſtipendium accipere, & non pro hoc valore ſpecialiſſimo.

5 Secunda ſententia oppoſita negat,poſſe duplex hoc ſtipendium à ſacerdote pro vno ſacro recipi.ita *Rodriquez in ſum.p.1. cap.250.Bonacina de ſacram.diſp.4.q.vlt. n.16.Barthol.à S.Fauſto de ſuffragijs lib. 1.cap.83.& plures alij apud ipſum.* & nouiſſimè *Stephanus à S. Greg. de vincul. diuin.piet.lib.3.cap.35.n.9.* & hanc opinionẽ ſequi P.Suarez eſt certiſſimum,nam *diſp. & ſec.c.in fine ver.(Nihilominus)* ex eo quod neget poſſe hunc ſpecialiſſimum valorem in aliam perſonam transferri,euidenter ſequitur ipſum etiam negare quod poſſit pro tali valore accipi ab alio ſtipẽdium, & hoc claris fere verbis docet *diſp.86.ſect.1 in fine ver.(Sed quæret tandem,) & ſect.2.in 4.concl.* ratio fundamentalis pro hac ſecũda ſententia eſt incertitudo tranſlationis, eſt enim dubium apud Authores, an valor iſte ſpecialiſſimus, & perſonalis poſſit in alium transferri. his omnibus præhabitis deuenio ad deciſionem.

6 Dico primo.etiam præſcindendo à bulla Vrbani VIII.de celeb.miſſ.nequit ſacerdos pro vno codéq; ſacro duplex habere ſtipẽdium adæquatum,nempè ſi vnus tantum iulius,aut lege,aut communi æſtimatione, pro ſacro taxetur, nõ poterit duos recipere iulios, vnũ videlicet pro valore medio, alterũ pro ſpecialiſſimo, ſeu perſonali, & in hoc aſſentior Authoribus ſecundæ ſententiæ ſuperius relatæ, quæ varijs rationibus probari ſolet, quas ſoluere conatur *Hurtado reſol.cit.nu.174.& ſeq.* ſed efficaciter eam probo ex incertitudine ſupra dicta, qua nituntur ſectatores huius ſententiæ tali pacto: incertum, & controuerſum eſt apud doctores, num valor iſte perſonalis poſſit alteri applicari, & ideo eſt contra iuſtitiam pro certo ſtipendio dare aliquod incertum,nihil de tali incertitudine manifeſtando danti eleemoſynã; nam ſi ei aperiretur velle pro ſtipẽdio accepto, ſolum applicare valorem hunc perſonalem,proculdubio nemo eſſet adeo inſanus,vt vellet eleemoſynam erogare pro re adeo dubia.

7 Probatur ſecundo concluſio,quia incertum eſt,an valor iſte perſonalis,etiam triplicatus, adæquet valorem vnius integræ miſſæ,pro qua celebranda datur integrum ſtipendium,& quamuis Marchinus loc.cit. dicat valorem hunc eſſe æqualem valori medio,hoc tamen,vel non probat, vel inefficaciter probat diuinando.

8 Tertio,& valdè efficaciter ſic oſtẽdo veritatem huius concluſionis, vel ſacerdos poteſt valorem hũc perſonalem alteri applicare,vel non poteſt;ſi hoc ſecundum dicatur certum eſt iniuſtitiam eſſe pro tali valore aliquid ſtipendij accipere, quia cũ interueniat contractus innominatus,nempè do,vt facias,ſacerdos acciperet à dante eleemoſynam,& non ſeruaret promiſſum, quia eſſet de re, quam ipſe alteri applicare nõ poteſt: ſi primum eligatur dico quod ex communi fidelium praxi, dum quis dat ſufficientem,& taxatam eleemoſynam pro vno ſacro,eius intentio eſt velle totum valorem ſacrificij ſibi applicabilem,& cõmuniter fideles dantes eleemoſynam non intendunt relinquere partem valoris,ſeu ſatiſfactionis pro ipſo ſacerdote offerente ſacrificium:proinde deberet ſacerdos dum accipit ſtipendium admonere largientem de ſua intentione,ne ille remaneat deceptus,nempè velle ſibi retinere partem valoris,& ſatiſfactionis:& ideo ſi ſacerdos nõ

ſe

Digitized by Google

ſe declarat, cenſetur inire contractũ modo conſueto, nimirum vt pro integro ſtipendio integrum applicet ſacrificium.

9 Dico ſecundo etiã ſi daremus eſſe verã priorem ſententiam, ſpectando rem ipſam ſecundum ſe, nihilominus poſt decretum ſacræ congregationis ſuſtineri non poteſt, nam in primo paragrapho ſacra congregatio prohibet ne accipiantur plura ſtipẽdia pro ijſdem miſſis celebrandis quæcũque exigua ſit eleemosyna, ſiue eam ſacerdos acceperit ab vna, ſiue à pluribus perſonis, & declarat accipientem non ſatisfacere ſuæ obligationi, peccare mortaliter, & ad reſtitutionem teneri. ex hoc decreto duo colligo, quæ confirmant vtramque

10 concluſionem ſuperius à me poſitã: Primo enim prohibet Pontifex pluralitatem ſtipendiorum pro eadem miſſa, & ideo, prohibitio iſta confirmat ſecundam concluſionem, per quam dixi poſt publicationem huius decreti ſuſtineri non poſſe priorem ſententiam: neque valet dicere per hoc decretum prohiberi, ne idem ſacrũ pro multis celebretur, pro quibus ratione ſtipẽdij ex iuſtitia tenetur ſacerdos miſſam applicare, non autem prohiberi quin valor perſonalis alteri applicetur, & ab eodem aliud ſtipendium recipiatur: non valet inquam hoc dicere, tum quia dubium eſt, num talis valor poſſit in alium transferri, vt ſupra dictum eſt: tum etiam quia, ſi poſſet transferri, & id eſſet licitum, Pontifex non prohibuiſſet abſolutè pluralitatem ſtipendiorum pro eodẽ ſacro, ſed declarare debuiſſet ſumi non poſſe pro applicatione eiuſdẽ valoris, ſiue medij, ſiue ſpecialiſſimi, aut perſonalis, ſed cũ abſolute prohibeat pro eadem miſſa pluralitatem ſtipendiorum, intelligi debet quod prohibitio feratur in miſſam ſecundum omnem valorem, quem continet, & alteri applicari poteſt.

11 Secundo colligo veritatem primæ cõcluſionis, nam ſi Pontifex ſolum voluiſſet nouam facere prohibitionem, & non declarare id quod eſt ſecundum ius naturæ; non dixiſſet accipientem teneri ad reſtitutionem, quia ſola, & ſimplex prohibitio non facit vt transgrediens peccet contra virtutem iuſtitiæ, & ad reſtitutionem aſtringatur, ſed vt peccet contra obedientiam, & præceptum Pontificis, quod non obligat ad reſtitutionem, & quãuis reſtitutio poſſit à Pontifice apponi ſub ratione cuiuſdam pœnæ; nihilominus cum verba huius decreti talem pœnam non indicent; ideo nõ eſt præſumendum pœnam hanc à Pontifice fuiſſe impoſitam, ſed voluiſſe declarare obligationem fundatam in iure naturæ, & ſacerdotẽ de illa admonere, nẽpè nõ poſſe pro vna miſſa ab ijſdem plura recipi integra ſtipendia.

Concludo igitur hunc diſcurſum, & aio à Titio eſſe reſarciendum damnum illatũ ijs; à quibus plures eleemosynas recepit pro ijsdem miſſis, & hoc, vel reſtituendo exceſſum ſupra legitimum ſtipendium, vel celebrando alias miſſas, eaſque applicãdo perſonis illis à quibus plura accepit ſtipẽdia pro quantitate ſtipendiorum. 12

Neque ipſi Titio ſuffragatur bona fides, quia nolo eum teneri ſolum ratione rei acceptæ iam conſumptæ, ſecundum quam forſitan non eſt factus ditior, ſed volo illũ teneri ratione contractus innominati, do vt facias, hoc eſt, do eleemosynam, vt pro illa facias ſacrum: bona autem fides non tollit obligationem illam, quæ reperitur inter contrahentes, vt omnes fatentur. 13

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

An ſacramentalis peccatorum enarratio eſſentialiter requirat pœnitentis præſentiam.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus quæſtionis. 1
Diuiſio eiuſdem. 2
Sermo non eſt de caſu quando non vrget neceſſitas. 3
Concluſio principalis per quam ſtatuitur valor confeſſionis 4
Probatur ratione fundamentali. 5
Occurritur contraria inſtantia. 6
Declaratur quo ſenſu verum ſit abſolutionem ſacramentalem eſſe impertiendã pœnitenti, vt pœnitenti. 7
Inualiditas confeſſionis ex multiplici oritur capite. 8
Hiſtoria de decem leproſis, quos Chriſtus mũdauit non ſuffragatur aduerſarijs. 9
Declaratur Cathechiſmus Romanus. 10
Exponitur S. Leo. 11
Quo ſenſu iuxta Tridentinum peccans poſt baptiſmum teneatur corã hoc tribunali ſe præſentare. 12
Corollarium ex dictis pro ſententia Authoris. 13
Refertur decretum Clem. VIII. 14
Quare plures ſcribentes poſt dictum decretum noluerint expendere præſentem caſum. 15
Prima ſententia eorum, qui ſcripſerunt poſt decretum negat confeſſionem ab abſente validè fieri poſſe. 16
Secunda affirmat, dummodo pœnitens recipiat abſolutionem, quando eſt confeſſarius præſens. 17
Ponuntur tres caſus diuerſi. 18

Opi-

Digitized by Google

19 *Opinio quorumdam recentiorum in tribus his caſibus.*
20 *Confutantur.*
21 *Aliqua abſentia, quæ repugnat abſolutioni, non repugnat confeſſioni.*
22 *Abſentia, quæ à Pontifice in hoc decreto damnatur eſt vera, & propria, nempe localis.*
23 *Interpretatio Suarez eſt de abſentia in ordine ad totum conflatum ex confeſſione, & abſolutione.*
24 *Explicatur mens Filliucij, & aliorum loquentium de hoc puncto.*
25 *Reſpondetur ad ponderationes contrarias circa mentem prædictorum.*
26 *Vindicantur Suarez, & Filliuccius à calumnia.*
27 *Abſurda, quæ ex aduerſariorum opinione ſequuntur explicantium mentem Suarez, & aliorum.*
28 *In conficiendis ſacramentis non requiritur eadem præſentia.*
29 *Præſentia in ſacramento pœnitentiæ conſiderari poteſt, vel in ordine ad confeſſionem peccatorum, vel ad abſolutionem per ſigna data à moribundo.*
30 *Perinde eſt teſtificari ſigna exhibita à moribundo, ſiue in præſentia ipſius, ſiue in abſentia.*
31 *Confirmatur paritate quadam.*
32 *Superſtitioſè ſe gerunt requirentes teſtificationem prædictorum ſignorum faciendam neceſſario coram moribundo.*
33 *Aſſignatur diſcrimen verum inter confitentem mediante interprete, & moribundum in caſu noſtro, quoad præſentiam.*
34 *Suarez putat propoſitionem, in hoc decreto damnatam eſſe hypotheticam.*
35 *Reijcitur ab Authore probante non eſſe hypotheticam.*
36 *In ſententia Authoris eſt propoſitio de extremo coniuncto.*
37 *Vtrumque membrum propoſitionis complexiuè ſumptum damnatur à Pōtifice.*
38 *Si Pontifex damnare voluiſſet vtrumque membrum diſiunctiuè, vti debuiſſet particula diſiunctiua.*
39 *Spectando formam propoſitionis, vt iacet, & damnatur, eſſet dicendum ex vi eiuſdem formæ, neutrum mēbrum damnari ſeorſim ab alio, ſecus ſpectando motiuum Pontificis.*
40 *Decreta, quæ afferuntur contra Suarez, & contra doctrinam Authoris non conſtant, & aperitur motiuum Pontificis ad delendam explicationem Suarez.*

1 DVm morales quæſtiones circa ſacramentorum materiam annis præteritis exponerem, de ſacramento pœnitentiæ ſermonem habens, in illam incidi quæſtionem inter Doctores fuſè exagitatam, & controuerſam, an ſcilicet abſolutio poſſit dari pœnitenti abſenti: partem negatiuam, vt omnino certam amplexus ſum; attamen docui non eſſe damnandam ſententiam quorumdam, qui dicunt vrgente neceſſitate mortis, confeſſionem factam abſenti per epiſtolam, aut per internuncium, ſi deinde abſolutio detur præſenti, fore validam, & à decreto Clem. VIII. minimè cōprehenſam. cæterum non defuerunt, qui contra hāc opinionem acriter inuecti fuerint, cenſentes eam eſſe improbabilem, & à Pontifice reprobatam; idcircò operæ pretium duxi eamdem opinionem non more poſitiuo, vt tunc feci, breuiter attingere, ſed ſcholaſtico, argumentis, & Doctorum authoritate eam examinare, & confirmare. Itaque quæſtionem diuidam in duas 2
partes: in prima illam examinabo præſcindendo à decreto Clementis; in ſecunda vero ſupponēdo decretum: vtramque autem partem maioris claritatis gratia in varios paragraphos ſeiungam.

Prima Pars.

Expenditur quæſitum præſcindendo à decreto Pontificis.

§. I.

An ſit valida confeſſio facta ſacerdoti abſenti.

TAnquam certum ſuppono ſermonem 3
non eſſe, quando caſus accidit, nulla vrgente neceſſitate: tunc enim, vt illicitam talem cōfeſſionem reijcio. eſt enim contra Eccleſiæ conſuetudinem, & contra ſacros canones, in quibus talis modus aperiendi ſacramentaliter peccata, omnino prohibetur, vt patet *ex cap. Quem pœnitet, de pœnit. d. 1.* ac proinde qui tali modo ſua peccata confeſſario aperit in ordine ad recipiendam abſolutionem, grauiter peccat, & ideò talis confeſſio erit conſequenter inualida. ſermo igitur eſt in caſu extremæ neceſſitatis v. g. eo tempore, quo ægrotus timens imminentem mortem per epiſtolā, vel nuncium confeſſarium vocat, vt eidem ſua crimina ſacramētaliter patefaciat, ſed adueniens confeſſarius inuenit ægrotum ita ſenſibus deſtitutum, vt nullum prorſus ſignum contritionis, & deſiderij confitendi ab illo obtinere queat. huic ſimilis eſt alius caſus: ſit e. c. Titius aliquo morbo repente correptus, vocet confeſſarium, & oſtendat multis præſentibus ſigna contritionis, & poſtea ſenſibus priuatus obmuteſcat: at interim aſtantes accerſant confeſſarium, eique in abſentia ipſius Titij referant

rant

Digitized by Google

rant ſigna doloris ab ipſo met Titio exhibita.quæritur,an accuſatio per epiſtolam, vel ipſa relatio facta ab aſtantibus,abſente moribundo, poſſit in tali caſu extremæ neceſſitatis,habere rationem confeſſionis ſacramentalis, ita vt confeſſarius earum virtute dare abſolutionem Titio moribundo tuta conſcientia poſſit.

§. II.

Ponitur concluſio, & Doctorum authoritate probatur.

4 Dico confeſſionem prædictam in caſu poſito eſſe validam,& ſacramentalẽ, ac proindè Titium moribundum poſſe à cõfeſſario præſente abſolui. hanc ſententiam ſequuntur plures,& graues Doctores, tum ex veteribus, tum ex recentioribus. *Paludanus in 4. d. 17.Riccardus ibidem art. 2. quæſt. 5. Adrianus in 4. de confeſſione qu. 1.Petrus Sotus de inſtit.ſacerd.lec.11. Ioannes Medina cod.de pœnit.quæſt.15.Nauar.in cap. Quem pœnitet. diſt. 1. & in manuali cap.21.n.36.S.Anton.3.p.tit.14.c. 19. Dominicus Sotus de ſacr. memb. 3. qu. 4. concl. 5. dub. 4.* quamuis dubitatiue loquatur, *Valentia 22. in ſupl. 3. parte q.11.pun.* 1. explicãdo quo pacto confeſſio debeat eſſe ſecreta §. *Quod autem Henriquez in ſumma lib.5.c.2.n.7.& lit. V. vbi alios laudat*. hanc opinionem à fortiori amplecti debent authores, qui ante decretum Clem.aſſerebant totum ſacramentum pœnitentię inter abſentes perfici poſſe,quod eſt longè maius. denique ex recẽtioribus eidem ſententiæ ſubſcribunt *Suarez,Filliucius,Layman,Bonacina in vltima impreſſione, Poſſeuinus, Fernandez, Zambrânus,Villalobos,Auerſa de confeſſ. ſacram.q.10.ſec.17.ver.& ita quidem.Delugo de pœnit.d.17.ſec.4.Philippus Gamacheus in 3.p.trac.de pœnit.c.20.§. 4. Pontius lib.4.de matr.c.25.n.4.Iacobus Mancinus in append.ad praxim infirmorum prac.4.dub.2.n.3.& alij quamplures antiqui,& recentiores*, quos laudat *Auerſa ea ſectione ver. præcedente attamen ſufficere*.ſed quia hi ſcripſerunt poſt decretum, idcirco eorum doctrina in ſecunda parte erit examinanda.antequam vero probetur concluſio, aduerto in hac materia haberi non poſſe rationem,quæ omnino, & certo probet intentum,quia cum materia,& forma ſacramentorum tota ſit ex Chriſti inſtitutione, & ab eius libera voluntate dependeat, ſi de inſtitutione circa determinatam materiam non ſumus certi,non poſſumus niſi congruam,& ſatis probabilẽ rationem inuenire ad eã probãdam. imo aduerſarij, vt videbimus præſcindendo ab auctoritate, ni fallor, omni ratione ſunt deſtituti.

Probo ergo confeſſionem illam per epiſtolam,aut internuncium eo modo,quo diximus in præcedente paragrapho, eſſe ſacramentalem, & ſufficientem materiam in hoc ſacramento. probo inquam ſic: omnis accuſatio, per quam confeſſarius eã habet certitudinem de conſcientia pœnitentis,quantum hic,& nunc eſt poſſibilis, eſt ſufficiens materia in hoc ſacramento: at confeſſio per litteras, ſeu internuncium in caſu extremæ neceſſitatis,eſt accuſatio, per quam confeſſarius eam habet certitudinem de conſcientia pœnitentis,quantùm hic,& nunc eſt poſſibilis: ergo confeſſio per litteras,ſeu internũcium in caſu extremæ neceſſitatis eſt materia ſufficiens in hoc ſacramento. minor huius ſyllogiſmi eſt certa ex ſuppoſitione;ſupponimus enim loqui in eo caſu, in quo pœnitens nequeat meliori modo ſuum internum dolorem, & deſiderium confeſſionis ſacerdoti manifeſtare: in ſola igitur maiore manet difficultas, quam ſic probo. ſi accuſatio illa non eſſet ſufficiens materia ſacramenti pœnitentiæ,vel proueniret ex communi, & generali ratione accuſationis exigentis realẽ delinquentis præſentiam coram iudice;vel ex ſpeciali ratione huius accuſationis ſacramentalis;ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. maior per ſufficientẽ diuiſionẽ euidẽs eſt; prima vero pars minoris eſt etiã apud aduerſarios manifeſta, experimur enim quotidie in vtroque foro tẽporali, & ſpirituali veras, & reales inueniri accuſationes diuerſorum criminum, reo abſente. tota igitur controuerſia in ſecunda parte eiuſdem minoris reperitur,videlicet, dum dicimus,ex ſpeciali ratione huius ſacramẽtalis accuſationis, eſſentialiter pœnitentis præſentiã minimè poſtulari. vt autem hoc probetur,ſuppono *ex Concilio Tridentino ſeſſ.14.cap.1.& can.9.* hoc ſacramentũ eſſe à Chriſto Domino inſtitutum per modum iudicij,ac proinde in omnibus, in quibus nõ eſt ſpecialis ratio,aut auctoritas ſacrorum canonum aſſerendi oppoſitum,debemus in hoc ſacramentali iudicio diſcurrere, ſicuti in alijs non ſacramẽtalibus;quapropter rectè affirmamus in hoc ſacramẽtali iudicio interuenire veram accuſationem,delinquentem,diſcuſſionem cauſæ, & finalem ſententiam,ſicuti in reliquis iudicijs,à quibus tamen diſcrepat ſacramentũ pœnitentiæ in modo ferendi ſententiam, & aliquo pacto in ipſamet accuſatione, quoniam finalis huius iudicij ſententia eſſentialiter conſiſtit in verbis à ſacerdote prolatis,quod non inuenitur in ſententijs cæterorum iudiciorum,in quibus finalis ſẽtentia, & in verbis, & in ſcriptis ferri poteſt. 5

teſt. ex quo prouenit aliud diſcrimen, nam ſententia, per quam reus in hoc iudicio liberatur, cum, vt diximus, ſuapte natura in verbis conſiſtat, neceſſariò exigit præſentiã delinquentis, qui venit abſoluendus, quod non accidit in reliquis iudicijs, in quibus ſententia finalis damnans, vel liberans reũ, etiam in abſentem ferri poteſt. in modo autem accuſandi reperitur etiam diuerſitas, nam accuſatio ſacramentalis debet immediatè, & proprio ipſius delinquentis ore proferri, quod non contingit in alijs iudicijs; nihilominus in hac ſacramentali accuſatione nulla aſſignari poteſt ratio, quę eſſentialiter poſtulet præſentiam pœnitẽtis, nam ipſa accuſatio non eſt eſſentialiter alligata verbis, quemadmodum eſt forma ſacramentalis: poteſt enim optimè conſiſtere in nutibus, ſcriptis, & in relatione aliorum, ex quibus confeſſarius recipiat notitiam conſcientiæ pœnitentis, eo tempore, quo pœnitens ſenſibus deſtitutus talem relationem approbare, aut ratam habere nequit. quod cum ita ſit etiam per ipſos aduerſarios, ſic argumentor. in ſacramentali accuſatione nulla apparet ſpecialis ratio per quam exigatur præſentia pœnitentis: ergo ex ſpeciali ratione huius accuſationis non prouenit accuſationem illam per litteras, &c. non eſſe ſufficientem materiam ſacramenti pœnitentiæ, quæ erat ſecunda pars minoris probanda.

Dices neceſſitatem huius præſentiæ ſufficienter colligi ex *cap. Quem pœnitet; citato*, vbi apertè præſcribitur peccata eſſe corporali præſentia confitenda, & manifeſtãda non per nuncium, non per ſcriptum, &c.

6 Sed contra, nam quæ in illo capite præſcribuntur, non ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſed ſolum præcepti, & aduerſarij coguntur hoc aſſerere, quia in aliquo caſu cõcedunt per nuncium teſtificantem coram pœnitente confeſſionem ſacramentalem fieri poſſe: &, vt fere omnes Doctores admittunt, interdum ob nimiam verecundiã peccatorum accuſatio poteſt fieri per ſcriptum præſenti confeſſario; quod ſignum eſt, confiteri per ſe ipſum, & proprio ore non eſſe de neceſſitate ſacramenti, aliter nunquam liceret.

Ex textu autem citato poſſumus validũ, & efficax pro noſtra concluſione deſumere argumentum. præſentia pœnitẽtis in ſacramentali confeſſione exigitur, vt pœnitens, per erubeſcentiam faciliùs acquirat peccatorum remiſſionem, plenius ſatisfaciat pro eiſdem peccatis, vt dicitur in ipſo met contextu, & vt confeſſarius perfectiorem notitiam habeat de conſcientia pœnitentis: his vero ceſſantibus in noſtro caſu, in quo neque erubeſcentiam, neque maiorem cognitionem circa conſcientiam pœnitentis poterit confeſſarius obtinere, ſiue internuncius teſtetur coram moribundo, ſiue in eius abſentia, ceſſare conſequenter debet neceſſitas præſentiæ, vtpotè inutilis ad finem, ob quem à ſacris canonibus poſtulatur, neque alius finis à prædictis diuerſus aſſignari poteſt; ceſſante autem fine, ceſſant ea, quæ ſunt ad finem.

§. III.

Satisfit contrarijs argumentis.

7 Obijcies primo. abſolutio debet imponi præſenti, nõ quidem homini pręcisè, ac generatim, ſed etiam pœnitenti ſub ratione pœnitentis, abſolutio enim eſt relatiua non ad hominem vt ſic, ſed ad accuſatum, & reum, cuius cauſſa cognita, & perpenſa eſt à iudice ſpirituali: ergo ad pœnitentem formaliter ſumptum: tum ſic. Pœnitens, vt pœnitens, debet eſſe præſens cõfeſſario; ſed pœnitens, vt pœnitens eſt homo, vt ſe accuſans, & vt faciens confeſſionẽ ſuorum peccatorum: ergo homo, vt faciens confeſſionem debet eſſe præſens confeſſario, atque adeo, & confeſſio conſtituens hominem in ratione pœnitentis debet eſſe, ac fieri coram confeſſario.

Diſcurſus iſte nihil prorſus contra noſtram concluſionem probat, nam ad ſummum probat per ſe loquendo eſſe neceſſariam præſentiam, dum fit confeſſio, non autẽ hoc ſuadet eſſentialiter requiri, quod intendunt aduerſarij: & vt appareat argumenti inefficacia, diſcurſum prædictum ponamus in debita forma ſyllogiſtica. pœnitens, vt pœnitens debet eſſe præſens confeſſario: at homo, vt ſe accuſans eſt pœnitẽs, vt pœnitens. ergo homo, vt ſe accuſans debet eſſe præſens confeſſario. facilis ſolutio, ſi diſtinguamus propoſitiones. pœnitens, vt pœnitens debet eſſe præſens, quando recipit abſolutionem concedo; quando facit confeſſionem, nego. (loquendo in caſu neceſſitatis, & eſſentialiter.) diſtinguo etiam minorem. homo, vt ſe accuſans eſt pœnitẽs, vt pœnitens: vt ſe accuſans, ſiue per ſe ipſũ immediatè, ſiue per alium, & mediatè concedo; ſemper per ſe ipſum immediatè, nego minorem; eodemque modo diſtinguendo conſequens, in primo ſenſu concedo, in ſecundo vero nego conſequentiam. ad hæc addo in diſcurſu inueniri aliquos terminos declaratione indigentes, quia ſi ſumantur, vt iacent, vel reddunt falſam propoſitionẽ, vel petitur principium: cum enim in maiore dicitur: Pœnitens, vt pœnitens debet eſſe præſens confeſſario, poteſt intelligi dupliciter; primo, vt nullus poſſit eſſe verè, & realiter pœnitens, niſi in pręſentia confeſſarij: & ſic eſſet manifeſtus error, nam per con-

Digitized by Google

tritionem interiorem homo eſt formaliter, & realiter pœnitens,etiam abſente confeſſario;ſed talis ſenſus non intenditur ab arguente.ſecundo poteſt intelligi de pœnitẽte ſenſibiliter mediante aliquo ſigno externo,ſcilicet dum ſe accuſat; & ſi hoc aſſeratur:eſt manifeſta petitio principij , quia de hoc eſt tota quæſtio. ſed quidquid ſit de hac re,ſatis nobis erit,oſtendiſſe argumentum non probare contra cõfeſſionem factam abſenti in caſu neceſſitatis.

8 Obijcies ſecundo . cum Aluarez , & alijs in hunc modum.ſi moribundus validè confitetur per internuncium abſenti ſacerdoti, etiam ſanus hoc modo validè confiteretur; ſed hoc eſt abſurdum , vt omnes fatentur ; ergo,&c. ſequela probatur , quia caſus neceſſitatis cum non mutet eſſentialia ſacramenti,non facit, vt confeſſio valida, ſit inualida .

Reſpondeo confeſſionem inualidam , ex multiplici capite prouenire poſſe,vt docuimus in tractatu de pœnitentia, videlicet ex defectu integritatis , ex defectu diſpoſitionis,&c.in caſu autem,qui ponitur, confeſſio facta abſenti ſine vlla neceſſitate , erit inualida,quia pœnitens aperiendo conſcientiam, & peccata per internuncium abſenti ſacerdoti,& ſine vlla neceſſitate,peccat cõtra eccleſiæ præceptum ,& conſequenter ex defectu diſpoſitionis non perficitur ſacramentum:non autem erit inualida ex defectu ſufficientis materiæ.hoc ipſum concedere debent aduerſarij ; nam admittentes confeſſionem factam per teſtes coram moribundo , aiunt abſque neceſſitate hoc fieri non poſſe;ac proindè retorqueri poteſt idẽ argumentum:idcircò ſatis miror, quod tale argumentum contra nos afferatur. quod ſi fingamus pœnitentem per inuincibilem ignorantiam confiteri ſine neceſſitate per internuncium abſenti confeſſario , ſi confeſſarius præſenti det abſolutionem dico validum eſſe ſacramentum.

9 Obijcies tertio . Chriſtus Dominus decẽ leproſis ſibi occurrentibus præcepit , vt ſe oſtenderent ſacerdoti:ita habetur *Luc.* 17. ſignificans hoc facto peccatores,qui figurabantur per leproſos, debere per ſe ipſos ſacerdoti ſua peccata maniſeſtare , non autẽ per nuncium,aut per ſcriptum.

Reſpondeo ita eſſe . attamen ex hoc nõ colligitur , quod in caſu neceſſitatis peccatores nequeant per alios ſuam conſcientiã confeſſario etiam abſenti aperire , ſi aliter fieri non poſſit .

Obijcies quarto.in cathechiſmo dum eſt
10 ſermo de ſacramento pœnitentiæ,habentur hæc verba[*Nemini omnino neque per nuncium , neque per litteras peccata confiteri liceat:*]ergo cathechiſmus damnat confeſſionem factam abſenti.

Reſpondeo doctrinam cathechiſmi libenter amplectimur;ſed ad locum,citatum dicimus eſſe intelligendum per ſe,non autem in caſu neceſſitatis , & per accidens , quãdo aliter fieri nequit;& patet hoc modo locutum fuiſſe cathechiſmum,quia præſcribẽdo modum,quo facienda ſit cõfeſſio , videlicet ſecreto,& occultè,ſubdit illa verba citata;& tamẽ certum eſt confeſſionem interdum fieri poſſe coram alijs:& hoc admittere debent aduerſarij,dum volunt validam eſſe confeſſionem in caſu neceſſitatis,ſi fiat per alios teſtantes coram moribundo ſenſibus deſtituto.

Obijcies quinto.*Sanctus Leo epiſt.* 89. 11
vel 91.vt refertur *cap.His,qui.*26.*quæſt.*6. determinat quod ſi aliqui tempore neceſſitatis implorent pœnitentiam , & poſtea ægritudine oppreſſi non valeãt coram ſacerdote ſignificare id , quod antea poſcebant , teſtimonia fidelium , & circumſtantium eis proderunt,ita vt ſimul,& pœnitẽtiæ , & reconciliationis beneficium conſequantur.In hac S. Leonis auctoritate adnotatur particula illa [*circumſtantium*] quaſi S. Leo dicat abſoluendos eſſe huiuſmodi ægrotos,ſi circumſtantes , & præſentes dent teſtimonium præſenti ſacerdoti coram moribundo.

Reſpondeo auctoritas S.Leonis maxime fauet noſtræ ſententiæ,imo à ſectatoribus noſtræ ſententiæ pro ipſis affertur , ſicuti afferũtur Cõcilia Arauſicanum,& Carthaginenſe,quæ ferè eodem modo loquuntur: nam particula illa,quæ ab arguente adnotatur,nihil noſtræ opinioni obſtat, vt mox videbimus . Reſpondeo igitur argumentũ multiplicem admittere ſolutionem; primo enim aio S.Leonem locutum fuiſſe reſpiciendo ea,quæ ordinariè accidere ſolent , quia ferè ſemper euenit,vt hi,qui ſunt moribundo præſentes,dent teſtimonium petitæ confeſſionis aduenienti ſacerdoti. ſecũdo dico quod,ex illa affirmatiua,nõ poteſt colligi negatiua cõtra noſtram ſententiã , ſcilicet nullam eſſe confeſſionem,ſi fiat ex relatione fidelium data confeſſario in abſentia moribundi.tertio aio canones indifferenter locutos fuiſſe in hac materia,quãdoque enim apponunt particulam illam [*circumſtantium*] quandoque vero illam omittunt, vt videri poteſt *in concilio Carthaginenſi* 4.*cap*.76. *& in concilio Arauſicano cap*.3. vbi ſolum aſſeritur ſufficere teſtimonium eorum,qui audierunt moribũdum poſtulare pœnitentiam;& tamen cõcilium Arauſicanum fuit tempore S.Leonis.loquũtur autem indiſcriminatim,quia, vt infra oſtendam,perinde eſt circumſtantes coram moribundo referre ſacerdoti ſigna contritionis exhibita ab eodem moribundo,ac in eius abſentia: ſi enim in illa par-

Digitized by Google

particula [*circumſtantium*] reperiretur aliquod myſterium (vt ita dicã) nullo modo debuiſſet à concilijs citatis omitti, nam illam omittendo præbuiſſent occaſionem manifeſtam errandi in aliquo ſubſtantiali pertinente ad ſacramentum, quod tamen non eſt credibile. quarto non video, cur particula illa [*circumſtantium*] ſumi debeat ab arguente ampliatiue potius, quam reſtrictiuè, videlicet potius pro illis, qui fuerunt moribundo circumſtantes tẽpore, quo ipſe moribundus petijt confeſſionem, & etiam tempore, quo referunt ea ſigna confeſſario; & non pro illis, qui tantũ fuerunt circumſtantes tempore, quo fuit vocatus confeſſarius, & non ſunt actu circumſtantes, & præſentes moribundo tempore relationis: nam hoc ſecundo modo ſepe loqui ſolemus, v. g. dum dicimus; audientes teſtantur ſigna oſtenſa ab ęgroto: particula illa (audiẽtes) ſumitur reſtrictiue, quatenus ſignificat illos, qui tempore, quo data fuerunt ſigna, erant audientes, non autem nunc, dum referunt. ita etiam diſcurrere poſſemus de particula illa [*circumſtantiũ*] dixi non eſſe maiorẽ rationem, ob quã potius ampliatiuè, quam reſtrictiue ſumatur, quia, cũ vtroque modo proprijſſime vſurpari ſolitum ſit, nulla eſt facienda vis in huiuſmodi particula.

12 Obijcies ſexto. *concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2.* ait, eos, qui poſt baptiſmũ crimine aliquo ſe contaminauerint, ante hoc tribunal tanquã reos ſiſti voluit Chriſtus Dominus. particula enim (*ſiſti*) ſignificat præſentiam propriam corporalem, vt dicit *Vlpianus lib. 2. §. Si quis iudicio ff. ſi quis cautionibus*. Hoc argumento vſus eſt *Didacus Aluarez in p. 2. d. 80. nu. 24.* & in eo facit vim contra noſtram concluſionem.

Reſpondeo non eſſe nouum, poſſe aliquẽ citatum in iudicio ad præſentialiter comparendum, id per alium facere, vt habetur *de reg. iuris in 6. reg. 68.* & in iure ciuili in multis locis ex ipſo met Vlpiano. in caſu autem noſtro dico concilium rectè locutũ fuiſſe reſpiciens obligationem pœnitentis, tenetur enim pœnitens per ſe ipſum corporaliter ſe præſentare confeſſario, ac proinde, ſi moribundus fortaſſe conualuerit, ad id erit obligandus, & hoc non obſtãte, per accidens ob impedimentum infirmitatis poterit ſatisfacere huic obligationi per alium, durante impedimento, ſicuti per *idem concilium eadem ſeſſ. cap. 5.* decernitur pœnitentem teneri omnia, & ſingula peccata mortalia à ſe commiſſa conſiteri, ſed in caſu neceſſitatis poterit per accidens deobligari à cõfeſſione omnium prędictorum peccatorum, addo debere peccatorem neceſſario ſiſti ad tribunal cõ-

13 feſſarij, vt per abſolutionem liberetur. Ex his omnibus quæ hactenus dicta à nobis ſunt colligi poterit probabilem eſſe ſentẽtiam, quæ aſſerit confeſſionem vrgente neceſſitate fieri poſſe, etiamſi pœnitens non ſit pręſens confeſſario.

Pars Secunda.

In hac ſecunda parte erit exagitãda quæſtio poſt decretum Clementis.

§. I.

Proponitur decretum Clementis.

Die 20. menſis Iunij anno à Natiuitate Domini Ieſu Chriſti 1602. in generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico in monte Quirinali coram Sanctiſſimo Dom. N. Clemente diuina prouidentia Papa VIII propoſita quæſtione: Vtrum liceat per litteras, ſeu internũcium confeſſario abſenti peccata ſacramẽtaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionẽ obtinere, S. D. N. auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus generalibus maturè, ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem, (licere per litteras, ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere) ad minus vti falſam, temerariam, ſcandaloſam damnauit, ac prohibuit, præcepitque, ne deinceps iſta propoſitio publicis, priuatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceretur: neue vnquam tanquam aliquo caſu probabili defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur: Quod ſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea diſputatiuè tractauerit, niſi forſan impugnãdo, vel ad praxim directè, ſeu indirectè deduxerit, præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrat, & à qua non poſſit præter quam in articulo mortis ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, etiam S. R. E. maiori pœnitentiario, niſi pro tempore exiſtente Romano Põtifice, abſolui, alijs etiam pœnis arbitrio infligendis ſubiaceat. Public. Romæ 19. Iulij 1602. 14

§. II.

Referuntur pro vtraque ſententia Doctores.

Ex Authoribus, quos huc vſque ipſe videre potui tractantes de hac mate- 15

ria, plures ſcripſerunt poſt decretum Clementis, quorum multi licet de decreto mētionem faciant, illudque explicent; nihilominus non deſcendunt ad caſum, quem exagitamus, & hoc ob rationem, inferius exprimendam, ſed varijs argumentis confutant ſententiam illam à Pontifice damnatam: & quamuis nonnulli ſint, qui doceāt contrariam ſententiam opinioni, quam defendimus; attamen non debet eſse mirum, tum quia decretum Pontificis cum fuerit recenter editum, & promulgatum, & multi ſcientes ex iuſsu Clementis deletam fuiſse totam illam ſectionē, in qua noſter Suarez interpretatus eſt decretum, timuerunt, nolueruntque etiam poſt aliquod tempus decretum exponere, & præſertim regnante Paulo V. qui initio ſui pontificatus noluit remittere ſectionem illam Suarij deletam iuſsu ſui anteceſsoris: tamen, vt experientia comperimus, in dies nouiter inſurgunt authores, qui exponunt decretum in fauorem noſtræ ſententiæ, quia multi licet explicitè non dicant confeſſionem factam abſenti eſſe validam; tamen, dum inquiunt in caſu illo neceſſitatis à confeſsario poſse moribundum abſolui, ſi alij teſtentur ſigna contritionis à moribundo emiſsa, admittere videntur confeſſionem in abſentia factā, vt inferius confirmabitur cæterum hos, qui non ita clarè loquuntur non referam, ſed ſolum illos, qui expreſsè ſermonem habuerunt de hac re noſtram ſententiam tuentes.

16 Prima igitur ſententia eſt negatiua, eāque ſuſtinent multi ex Thomiſtis: *Aluarez in p. 2. d. 80. Franciſcus Hyacinthus, Franciſcus de Auila in quadam diſſertatione contra Suarez, & Coninck circa hanc materiam Nuñus in additione ad tertiam p. quaeſt. 9. art. 3. diff. 2. Petrus Dufay eadem quaeſt. art. 2. d. 3.* qui omnes conſpirantes contra doctrinam Suarez illam refutant his addi poſsunt *Comitolus, Coriolanus, Megalius, Vega, Barboſa, Turrianus, & alij.*

Secunda ſententia affirmat eſse validam
17 confeſſionem factam per litteras, ſeu internuncium confeſsario abſenti, ſi abſolutio detur præſenti; & conſequenter dicendum eſt non fuiſse damnatam hanc opinionem à Pontifice, dummodo fiat in caſu neceſſitatis. in hac ſententia eſt *Suarez in noua impreſſione Lugduni facta tom. 4. de pœnit. d. 21. ſec. 4. Filliucius tr. 7. n. 18. 19. 20. Bonacina in noua editione,* licet prius contrarium ſenſerit, vt ipſe met fatetur *d. 5. de ſacramentis ſec. 2. punc. 2. n. 10. Layman in ſumma lib 4. tract. 6. de ſacram. pœnit. cap. 3. num. 9. in fine. Poſſeuinus de officio curati de pœn. c. 7. n. 88. Zambranus in aureis dec. cap. 4. dub. 2. ſec. 3. Antoninus Fernandez in examine theologico par. 3. c. 7. §. 6. n. 30. Villalobos*, qui putat hāc opinionem eſse probabilem, & in praxi omnino admittendam, *in ſum. tom. 1. tract. 9. de pœnit. diff. 37. à nu. 6.* cæterum vt nihil non examinatum remaneat; refero tres caſus, quos aduerſarij proponunt.

Primus igitur caſus talis eſt. adueniens 18
ſacerdos percipit in ęgroto ſigna ſenſibilia, per quę ægrotus oſtēdit dolorem, & deſiderium confitendi ſua peccata.

Secundus caſus. Ægrotus accerſit confeſſarium per internuncium, vel per litteras, & adueniens ſacerdos ægrotum inuenit impotentem ad confeſſionem faciendam, & ad alia ſigna ſenſibilia, aſtantes tamen fide digni docent ęgrotum voluiſse cōfiteri.

Tertius caſus. Internuncius, qui vocauit ſacerdotem nomine ęgroti, monuit quidem ſacerdotem voluntatis pœnitentis, at poſtea non adeſt prçſens coram ſacerdote, & ęgroto, nec alius eſt qui teſtetur voluntatem ipſius ægroti.

His poſitis dicūt primo quidā aduerſarij 19
recentiores in primo caſu poſse, & debere abſolui ęgrotum; in ſecundo autem caſu poſse; at in tertio non poſse. rurſus inquiūt Suarez, & cęteros locutos fuiſse in primo, vel ſecundo caſu, non autem in tertio. ſecundo aiunt Layman obſcurè loqui, & non diſtinguere tertium caſum, & tandem adhęrere Suario, quem aduerſarij cenſent non eſse ſuę opinioni contrarium. tertio hoc ipſum fere aſserunt de Filliucio, qui expreſse loquitur, quando aſtantes teſtantur, & laudat etiā Suariū. quarto idē affirmāt de Ant. Fernandez. quinto circa doctrinā Poſseuini notant particulam quamdam, videlicet cum ait [*domeſticis infirmi fidem facientibus*] at domeſtici ſunt præſentes. Sexto explicant Suarez, & affirmant locutū fuiſse in ſecundo caſu, quia citat Toletum, qui loquitur de ſecundo caſu, & quia apponit particulam illam [*aſtantium*] ſic enim inquit [*ſi aſtantes confirmant ęgrotum petiſſe confeſſionem*] quē ſenſum aiunt clarius expreſſiſse Zambranum. Septimo denique dicunt quod quādo Suarius, & Filliucius explicant decretum Pontificis, & docent decretum eſse intelligendum in ſenſu complexiuo, non autem diuiſiuo, locuti ſunt iuxta ſecundum caſum: non aduertentes dari etiam aliam confeſſionem in abſentia, quæ eſt confeſſio tertij caſus, quæ eſt inualida; quod ſi aduertiſsent, decretum expoſuiſsent etiam diuiſiuè.

Sed non recte id dicunt, vt patet con- 20
ſideranti totam doctrinam Suarij, & aliorum, quos ipſe citaui. & vt hoc fiat manifeſtum, placet totū diſcurſum Suarij in medium afferre, & ponderare, & pariter aliorum etiam mentem breuiter adnotare. incipiam autem à Suarez, qui poſtquā *d. 19.*
ſec.

*ſec.*3.determinauerat abſolutionem eſſe neceſſario impertiendam præſenti, & in nullo caſu dari poſſe abſenti, quod contra nunnullos ex antiquis optime oſtendit; *in diſp.*21.*ſec.*4. incipit hoc ipſum quærere de confeſſione, & in titulo duo proponit inueſtiganda, vnum de præſentia inter pœnitentem, & confeſſorem; aliud de immediata locutione pœnitentis per ſe ipſum peccata manifeſtãtis: & quia hoc vltimum facilem poſtulabat determinationem; idcirco ab illo breuiter ſe expediuit, *& à num.* 3. exordium ſumpſit à primo quæſito, ſcilicet an ſit neceſſarium, vt ſacerdos in præſentia pœnitentis eius confeſſionem audiat: & duas refert ſentẽtias ex quibus vna affirmat eſſe neceſſariã, eodem pacto, vt in abſolutione: alia vero ſententia duo aſſerit: primo per ſe loquẽdo id eſſe neceſſarium, quod probat ex ſacris iuribus, & eccleſiæ conſuetudine; ſecũdo ait hoc non eſſe ita eſſentiale, quin in eo caſu, in quo ſacerdos veniens ad abſoluendum pœnitentem morti proximum, eumque inueniens ſenſibus deſtitutum, vt nullum ſignum pœnitentiæ ab eo obtinere poſſit, debeat eſſe contentus aliorum relatione ad abſoluendum illum, tũc enim non audit confeſſionem in pręſentia, & nihilominus licitè, & validè dat abſolutionẽ. Hæc Suarez, referens vtramque ſententiã, qui poſtea proſequitur probando hanc ſecundam opinionem ex CC. Arauſicano, & Carthaginenſi, & alijs iuribus *in numero vero* 10. hanc ſecundam amplectens docet eſſe veram, piam, & conformem Chriſti inſtitutioni, qui ex parte pœnitentis ſolum poſtulat, vt ſuam conſcientiam aperiat quãtum, & qualiter poteſt: & addit [quod eſt valde notandum] nõ eſſe eamdem rationem de abſolutione, quia forma habet præſcripta verba, & determinata, non autem confeſſio. Denique obijcit ſibi decretum Clementis, & quoniam eius mẽs clariſſime apparet in expoſitione decreti, placet eius verba hic reſcribere, vt argumentum, quod ſumus facturi, efficacius probet. ſic enim inquit [*timeri autem poteſt ne prædicta declaratio pontificia huic opinioni in aliquo derogare videatur, quia dãnat hãc propoſitionem (licere per litteras, ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere) vbi vtrumque membrum videtur damnare: exiſtimo tamen non fuiſſe mentem ſanctiſſimi de hac opinione tractare, ſed ſolum de illa; quæ dicit ſacramentum pœnitẽtię poſſe perfici, ac conſumari inter abſentes: atque ita illam particulam (&) non eſſe diuiſiuè, ſed complexiuè ſumendã, & præcipue illud damnaſſe propter eos, qui dicebant abſolutionem poſſe dari in abſentia, moueor primo tum ex circumſtantijs litteræ: nam ſi aliud voluiſſet, potius id explicaſſet per particulã (vel) tum hoc clare indicat ſignum illud ſingulare demõſtratiuum (hanc propoſitionem) nam ex eo cõſtat ſolã hypotheticã propoſitionẽ per modum vnius damnari. tum præterea quia ſola illa opinio eſt aliena ab vſu eccleſiæ; hæc autem eſt illi, & decretis conformis. nihilominus declarationem hanc eiuſdem Pontificis cenſuræ ſubijcio, ſicuti cętera omnia, quę tam in hoc, quam cęteris operibus meis continentur*] ex hac autem doctrina fideliter relata duplex, & euidẽs argumentum deſumi poteſt ad probãdum Suarium fuiſſe in ſantentia, quam nos tuemur.

Et primo. aliquam abſentiam concedit 21
non repugnare confeſſioni, quæ tamen repugnat abſolutioni, vt patet ex toto diſcurſu, quem ipſe met Author facit, & in electione opinionis, & in ſolutiõne obiectionum in cõtrarium, aſſignando diſparitatem inter abſolutionem, & confeſſionẽ, &c. abſentia vero, quæ repugnat abſolutioni in eius ſententia non eſt, niſi localis, quę eſt vera, & propria abſentia, cuius vna ſpecies eſt illa, quæ ponitur in tertio caſu ab arguente aſſignato: nam quæcumque alia minor, vt eſt illa, quę fingi poteſt in primo, & ſecundo caſu (quæ reuera non eſt abſentia, ſed præſentia) non repugnat abſolutioni ſecundum Suarez opinionem, quod etiam arguens fatetur: ergo Suarez concedens confeſſionem fieri quandoque poſſe in abſentia loquitur de abſentia locali, ſub qua comprehenditur illa, quæ eſt in tertio caſu. etſi hoc non placet, videat arguens, ſi poteſt aliam aſſignare, quæ confeſſioni conueniat, & non abſolutioni.

Secundo certum eſt à Pontifice damna- 22
tam fuiſſe in ſuo decreto abſentiam verã, & propriam, qualis eſt abſentia localis, vt
eſt illa, quæ eſt in tertio caſu: at Suarez in- 23
terpretando decretum, quod contra ſe ipſum, & ſuam opinionem obiecerat, ait Pontificem non damnaſſe abſentiam reſpectu vtriuſque membri confeſſionis, & abſolutionis diuiſiuè, ſed complexiuè: ergo idem docet aſſerendo à Pontifice non dãnari confeſſionem factam abſenti localiter; nam de iſta abſentia eſt ſermo in decreto, & alia fingi non poteſt: ergo in eius ſententia reſpectu ſolius confeſſionis non damnatur abſentia, quæ ponitur in tertio caſu, quæ eſt abſentiæ localis ſpecies. denique ſi vera eſſet intelligẽtia, quam arguẽs dat doctrinæ Suarij, ſequeretur Suarium docuiſſe contradictoria; ſed de hoc inferius.

Circa Fillincij doctrinam non occurrit 24
ali-

Digitized by Google

aliquid ſpeciale adnorandum, quia eodem modo loquitur, ac Suarius, vnde ipſum citat,& ad illum ſe refert, ac proindè eiſdem argumentis eius opinio ſuaderi poteſt.

Ex doctrina vero Antonij Fernandez præter ea, quæ animaduertimus in diſcurſu Suarij (nam eadem aſſerit) colligi poteſt id quod docet in fine numeri 30. ſuperius citati: poſtquam enim dixerat validam eſſe confeſſionem per litteram, &c. in extrema neceſſitate, &c loquens de Clementis decreto ſic inquit, [*Et nouiſſimè in diplomate Sanctiſſimi D.N. Clementis VIII. edito ſuper hac quaſtione decernentis de præſentia abſolutionis, de materia vero præſentia relinquentis antiquæ determinationi, vt legenti conſtabit*] ecce quo pacto author iſte apertè fateatur à Pontifice nihil deciſum fuiſſe circa confeſſionem factam abſenti, ſed hoc reliquiſſe antiquæ determinationi; hoc eſt ſecundam opinionem, quæ ante decretum controuertebatur.

Paulus Layman eamdem ſequitur ſententiam, & explicationē, imo aliquid plus addit, vult enim in caſu neceſſitatis ſatis eſſe ad abſolutionem impertiendam, vt confeſſario abſoluenti conſtet moribundum adnotaſſe in ſchedula ſua peccata, quæ opinio mirabilis videtur.

Zambranus expreſſe ait ſacramentum perfici poſſe etiamſi confeſſio ſit facta abſenti, dummodo abſolutio detur præſenti; & laudat pro ſe non ſolum Suarez, ſed etiā Henriquez, & Ioannem Medinam aſſerentē hoc eſſe indubitatum de confeſſione. denique interpretans decretum Clementis ſic ait (*nihil ſtatutum fuit contra confeſſionem in abſentia, dummodo abſolutio detur in præſentia*) ecce quo pacto inter vtramque partem diſcrimen agnoſcat.

Circa mentem Poſſeuini nihil particulare occurrit, cum eodem modo loquatur.

De Bonacina vero nihil eſt dicendum, cum ab aduerſarijs concedatur ipſum fuiſſe in noſtra ſententia.

Demum placet referre Villalobos, ſic enim inquit [*Cō todo eſſo digo, que en prattica ſe puede ſeguir la contraria lo vno por tenerla hombres tan doctos: lo otro por el gran inconueniente, que ay en lo contrario: que en tal caſo qualquiera opinion, que tēga probabilidad ſe ha da ſeguir, come queda dicho en ſu lugar y en ſeguir eſto in prattica no ay inconueniente. come ſe haga de baxo de condiçion y a la declaraçion di Clem. VIII. ſe puede reſponder que alli ambas coſas juntas incluye confeſſion, y abſoluçion en auſençia, y a qui no la ay juntas, que eſta preſente el ſacerdote quando abſuelue*] clarius mihi videtur loqui non potuiſſe hic author, recentiſſimus in gratiam noſtræ ſententiæ.

Reſpondeo autem ad ponderationes 25
cōtrarias. ad primum nego Suarez, & alios non locutos fuiſſe in tertio caſu. ad ſecundum nego Layman obſcurè locutum fuiſſe; neq; oportebat diſtinguere tertium caſum ab argumento confictum primo, quia concedendo confeſſionem factam abſenti, non erat neceſſarium deſcendere ad particulares modos, quibus confeſſio abſenti fieri poterit. ſecundo quia videtur aliquid plus docere, vt diximus, ſcilicet ſatis eſſe confeſſario conſtare à moribūdo peccata in ſchedula fuiſſe adnotata. ad tertium, & quartum ferè eamdem damus reſpōſionem. ad quintum dico ponderationem circa illa verba Poſſeuini nihil operari, quia ex eo quod dicat relationem fuiſſe factam à domeſticis non rectè colligitur tēpore, quo fit relatio, domeſticum referentem eſſe præſentem moribundo, nam relatio poteſt fieri confeſſario in platea, domus eiuſdem confeſſarij, vel in alio loco. ad ſextum aio doctrinam Suarez eſſe euidentem, & ſufficienter à nobis conſideratam, vt patet ex dictis.

Ad ſeptimum multa ſunt dicenda, non 26
enim rectè dicunt aduerſarij Suarez, & Filliucium doctores alioquin oculatos, & grauiſſimos non aduertiſſe dari aliam confeſſionem factam in abſentia moribundi: & lōgè peius eſt aſſerere aduertiſſe, & noluiſſe id adnotare, nam id adnotando facillimè poterant conciliare ſuam opinionem cum decreto Pontificis, quod contra ſe ipſos obiecerant, dicendo ſe non loqui de confeſſione illa abſenti facta, de qua loquitur Pōtifex. dico igitur aduertiſſe Suarium, & Filliucium confeſſionem illam abſenti factam, quæ ponitur in tertio caſu. equidem non video, qua ratione, quo fundamento affirmari poſſit eos hanc confeſſionem non animaduertiſſe, cum animaduerterint, & expoſuerint decretum Clem. in quo ſine controuerſia de tali abſentia erat ſermo. idem cōfirmatur, quia illa abſentia, quæ ponitur in tertio caſu non eſt niſi ea, quæ reperitur in confeſſione facta per internuncium: & tamen Suarius, & alij inquiunt hanc confeſſionem non fuiſſe damnatam à Clem. niſi complexiuè cum abſolutione. & ſi contendant aduerſarij confeſſionem factam per internuncium non eſſe illam, quæ ponitur in tertio caſu, aſſignent aliam, quæ fiat in abſentia, quæ quidem abſentia ſit magis propria; & eam libenter amplectemur. denique aduertere debuerat arguens, quod, dum conatur hos authores explicare, eoſq; ad ſuam trahere ſententiam, velit nolit cogitur aſſerere, & prædictos authores, & ipſum met contradictoria docuiſſe, vt inferius oſtendemus.

Probatur denique ex contradictorijs, 27
quæ ſequerentur poſita aduerſariorum

ex-

explicatione de doctrina Suarij, & aliorum. ſic igitur argumentor. aſſerere ſacramentum pœnitentiæ exercitum iuxta modum, quo ponitur in ſecundo caſu eſſe validum, & non eſſe validum, ſunt contradictoria; ſed poſita explicatione aduerſariorum circa doctrinam Suarij, ſequitur ſacramentum illud eſſe validum, & non eſſe validum: ergo poſita explicatione aduerſariorum ſequuntur contradictoria. tota maior, & prima pars ſequelæ minoris conceditur ab aduerſarijs: remanet ergo probanda ſecunda pars eiuſdem ſequelæ, quæ eſt alterum membrum contradictionis, videlicet illud ſacramentum non eſſe validum, quod ſic probatur. ſacramentum pœnitentię inuoluens confeſſionem, & abſolutionem copulatiue inter abſentes per Suarez non eſt validum, vt patet ex eius doctrina ſuperius relata; at ſacramentum exercitum iuxta modum, quo ponitur in ſecundo caſu, eſt ſacramentum inuoluens confeſſionem, & abſolutionem copulatiue inter abſentes: ergo ſacramētum exercitum iuxta modum, quo ponitur in ſecundo caſu, non eſt validū. minor, in qua reperitur difficultas, ita ſuadetur, loquēdo ſemper non abſolutè, ſed poſita intelligentia, quam aduerſarij dant doctrinæ Suarij. ſacramentum inuoluens confeſſionem, & abſolutionem copulatiuè inter abſentes per Suarez nō eſt illud, quod ponitur in tertio caſu, neque illud, quod in primo; ergo illud quod ponitur in ſecundo caſu. antecedens probatur per ſingula; non enim eſt illud, quod eſt in tertio caſu, quia arguentes volunt à Suario nō fuiſſe cognitam, ſeu non fuiſſe animaduerſam cōfeſſionem factam abſenti iuxta modum tertij caſus: idcirco ſi non agnouit, aut nō aduertit, non poterat eam copulare cum abſolutione, nam eam, quam agnouerat copulare poterat, & non eam, quam non cognouit. neque eſt illud, quod ponitur in primo caſu, nam ſacramentum illud longe certius eſt eſſe validum, quia non ſolum fit inter præſentes, ſed confeſſio fit immediatè ab ipſo pœnitente, quamuis per nutus, & per ſigna: ergo remanet, vt ſit illud ſacramentum, quod exercetur iuxta modum, qui ponitur in ſecundo caſu: & ſi hoc negetur aſſignetur aliud. Dices cum Suarius, & cæteri aiunt propoſitionem à Pontifice damnatam eſſe in ſenſu copulatiuo, non diuiſiuo, variant ſignificatum extremorum: ideſt, cum dicunt in ſenſu diuiſo non eſſe damnatam, ſumunt confeſſionem abſenti factā in ſecundo caſu; & cum dicunt eſſe damnatam, ſumunt in tertio caſu. hoc aſſerere eſt ridiculum, quia præter manifeſtum vitium æquiuocationis, quod committeretur in eadem particula, accipiendo nomen illud (abſens) in ſenſu diuiſo in vna ſignificatione, & in ſenſu compoſito in alia, falſum eſſet affirmare propoſitionem in ſenſu compoſito damnari, non autem in ſenſu diuiſo, quia variato ſignificato terminorum non eſſet eadem propoſitio, ſed diuerſa. denique conſtans eſt omnium philoſophorum, & theologorum ſententia, quod, quando aliqua propoſitio eſt falſa in ſenſu compoſito, & vera in ſenſu diuiſo, oportet, vt extrema eodem modo ſumantur: v. g. dum dicitur album poteſt eſſe nigrum, vt propoſitio ſit vera in ſenſu diuiſo, non autem in ſenſu compoſito, ſemper debet eſſe ſermo de eadem propoſitione cum ijſdem extremis eamdem retinētibus ſignificationem.

§. III.

Vtrum perinde ſit quoad valorem huius ſacramenti teſtificari ſigna exhibita à moribundo, in eius præſentia, ac in eius abſentia.

SVpponendum eſt in ſacramentis conficiendis non requiri æqualem præſentiam in omnibus, ſed in vno maiorem, minorem in alio: ac proinde poteſt contingere, vt reſpectu vnius in tanta, vel tali diſtātia materia cenſeatur ſufficienter præſens ad concurrendum cum forma; at reſpectu alterius materia exiſtimetur abſens: v. g. particulæ in pixide incluſæ moraliter loquendo dicuntur præſentes, & conſequenter poſſunt conſecrari, quamuis phyſice loquendo, dum manent incluſæ, non ſint pręſentes: cōtra vero ſi eſſent incluſæ in tabernaculo, vel poſt parietem, aut à tergo ſacerdotis, non eſſent moraliter præſentes, vt probauimus in materia de euchariſtia. In ſacramento vero pœnitentiæ maior diſtantia non tollit moralem præſentiam requiſitam, & ita poſſumus abſoluere pœnitentē, qui manet poſt parietem, ibique cōfiteatur; & licet phyſicè ſit abſens; in ordine tamen ad formam huius ſacramenti exiſtimatur moraliter præſens. radix huius diuerſitatis prouenit ex varietate formarum; nam verba, quæ ſunt forma euchariſtiæ requirūt minorem diſtantiam, vt verificentur; at verba abſolutionis etiam in maiori diſtantia poſſunt habere veritatem. 28

Pręterea pręſentia in ſacramento pœnitentię poteſt conſiderari, vel in ordine ad formam, nimirum ad abſolutionem, vel in ordine ad materiam, nimirum ad confeſſionem peccatorum. ſi ſpectetur in ordine ad formam, illa tantum pręſentia requiritur, quæ ſufficiens eſt ad verificanda verba abſolutionis, dū dicitur (ego te abſoluo, &c.) ſi vero ſpectetur in ordine ad confeſſionē, eadem præſentia reſpectu alterius finis exigitur, nimirum reſpectu illius, qui exprimitur 29

tur *in cap. Quæ pœnitet de pœnitentia d. 1.* videlicet vt erubeſcẽtia in narratione peccatorum conferat ad eorum remiſſionem, vel vt confeſſarius perfectiorem notitiam accipiat de ſtatu pœnitentis.

Denique eſt valdè notanda diuerſa illa habitudo, quam pœnitens habet ad abſolutionem,& ad confeſſionem, nam reſpectu abſolutionis ſe habet merè paſſiuè expectans liberationem à iudice; reſpectu vero confeſſionis potius ſe habet actiuè, nam ipſe eſt accuſator, & teſtis, & iudex ab illo expectat accuſationem. his præhabitis.

30 Dico: perindè eſt referri à teſtibus ſigna exhibita à moribundo in præſentia ipſius moribundi, vel in eius abſentia, ſi moribundus eſt ita ſenſibus deſtitutus, vt nequeat vllo modo approbare, aut ratificare relationem illam; ac proindè, ſi relatio facta in abſentia moribundi dicitur confeſſio facta abſenti, ita etiam appellari debet relatio facta in præſentia corporali ipſius moribundi: & ſi iſta dicitur in præſentia, etiam, & illa eodem modo vocari debet. probatur, quia illa præſentia corporalis moribundi, quando eſt omnibus ſenſibus priuatus, non cenſetur moralis,& humana, ſed tantum materialis, & ideo moraliter loquendo pœnitẽs reſpectu confeſſionis dici debet abſens moraliter, licet phyſicè ſit præſens: nihil enim prodeſt illa corporalis præſentia in accuſatione ſacramentali, quoniam ceſſat erubeſcentia, ceſſat perfectior notitia conſcientię pœnitentis medijs interrogationibus a cõfeſſario faciendis,&c. idcirco perindè eſt, ac ſi eſſet abſens reſpectu accuſationis: contra vero reſpectu abſolutionis cenſetur ſufficienter præſens, quia finis ob quem abſolutio expoſtulat præſentiam eſt ſolum, vt verba verificentur; cum autem poſſint ęquè benè verificari, ſiue ægrotus ſit ſenſibus deſtitutus, ſiuè illos habeat, ſequitur in ordine ad abſolutionem, ad quam paſſiuè tantum comparatur pœnitens, illam corporalem præſentiam eſſe ſufficientem. at reſpectu confeſſionis, ad quam pœnitens actiuè cõparatur, ſi reperiatur in tali ſtatu, in quo neque ſe accuſare, neque approbare, aut ratificare aliorum aſtantium relationem

31 valeat, perindè eſt, ac ſi eſſet abſens. Et cõfirmatur à pari, ſi Parochus corporali tantũ præſentia aſſiſtat matrimonio, & ſit ita diſtractus, vt nihil percipiat eorum, quæ fiunt; non dicitur matrimonium illud contractũ coram parocho, nam illa corporalis præſentia tantum, non eſt moralis, neque humana, & per conſequens inſufficiens ad validitatẽ matrimonij, *ita Sãchez lib. 3. de matr. d. 39.* & colligitur *ex leg. coram Titio ff. de verb. ſignif.* hanc ſententiam, quæ aſſerit præſentiam iſtam corporalẽ comparari abſentiæ, ſuſtinet *Hyacinthus Coquetius in diſſertatione de confeſſ. moribundi cap. 7. n. 2. Didacus Aluarez in cap. 2. d. 8. nu. 53. §. Tertio quia; & ſeq.*

32 Puto igitur valdè ſuperſtitioſe ſe gerere eos, qui talem præſentiam, quæ eſt prorſus inutilis ad finem accuſationis, requirunt; idcircò non eſt mirum, quod authores, dum aiunt à confeſſario eſſe abſoluendum moribundum ex relatione aliorum, non declarant, an talis relatio fieri debeat in præſentia moribundi; exiſtimarũt enim eſſe quoddam genus ſuperſtitioſæ,& inutilis cautelę.

33 Dices: quando pœnitens confitetur per interpretem, tunc in omnium ſententia debet eſſe præſens, etiamſi nihil percipiat de ſignificato verborum eo tempore, quo interpres refert confeſſario peccata quę à pœnitente audiuit.

Reſpondeo primo, aliquos voluiſſe, vt tẽpore relationis pœnitens ſignis, & nutibus ratificet ea, quæ ab interprete confeſſario dicũtur, inter quos eſt Sotus, & Coquetius. cæterum hanc ratificationem explicitam non eſſe neceſſariam optimè probat Coninck, Suarez, & alij.

Reſpondeo ſecundo diſparem eſſe rationem, quia etſi minimè ſint neceſſaria illa ſigna, quæ requiruntur à citatis doctoribus; attamen illa ſola præſentia pœnitentis modo humano exercita, hoc eſt cum cognitione, & libertate, per quam pœnitens ſcit ab interprete manifeſtari ſua peccata confeſſario, eſt quędam tacita ratificatio,& approbatio; ſed in caſu noſtro illa corporalis præſentia eſt prorſus inutilis cum non ſit humana.

§.

Vtrum propoſitio à Pontifice damnata ſit hypothetica, an vero alterius generis.

34 SVárez putauit eſſe hypotheticam coniunctiuam: probat ex particula illa, (*et,*) quæ vim habet copulandi propoſitiones: probat etiam ex illo ſigno ſingulari demonſtratiuo (*banc propoſitionem*) denotãte propoſitionem per modum vnius damnari; alij vero volunt eſſe hypotheticam, ſed diſiunctiuam, quia vtramque partem diuiſiuè putant eſſe damnatam. ita nonnulli recentiores.

35 Dico primò. propoſitio à Pontifice damnata propriè loquendo non eſt hypothetica. probatur; quia cum tria ſint genera hypotheticarum, vt docet *Fonſeca in dialec. inſtit. lib. 3. cap. 14.* videlicet conditionalis, diſiunctiua, & copulatiua, licet dicat hanc vltimam non eſſe in rigore hypotheticam: quidquid ſit de hoc: nihilominus propoſitio, quam Clemens damnat ſub nullo ex ge-

generibus aſſignatis continetur. propoſitio autem quæ damnatur hæc eſt (*confiteri ſacramentaliter per litteras, ſeu internuntium cõfeſſario abſenti, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere eſt licitum*) hæc propoſitio non eſt conditionalis, vt manifeſtè patet, eſt enim ſenſus abſolutus: neque ſi eius formam reſpiciamus eſt diſiunctiua, quia nullum includit ſignum diſiunctiuum, quod ſe habeat vt forma conſtitutiua propoſitionis diſiunctiuæ: neque demum eſt copulatiua, nam propoſitio copulatiua, vt ibidem docet Fonſeca, inuoluit plures propoſitiones, ſingulas habentes proprium, & principale verbum diſtinctum, & diſtinctum prędicatum, vt eſt iſta: *Sortes, & eſt Philoſophus, & eſt bonus*, in his propoſitionibus mediante particula, (*et*) copulatis, ſunt duo verba principalia, nam in qualibet reperitur verbum (*eſt*) quod eſt principale, & in qualibet eſt diſtinctum prædicatum, nam in prima prædicatum eſt terminus ille (*Philoſophus*) in ſecunda eſt terminus ille (*bonus.*) at in propoſitione à Clemente dãnata inuenitur tantum vnicum verbum principale connectens prædicatum principale cum ſubiecto: huiuſmodi autem verbũ eſt verbum ſubſtantiuum connectens prædicatum, quod eſt terminus ille (*licitum*) cum ſubiecto: prædicatum autem principale eſt vnicum; ergo vnica propoſitio, ac proinde non eſt copulatiua.

36 Dico ſecundo. propoſitio, quam Pontifex damnat eſt de illo genere propoſitionum, quæ appellantur de extremo coniuncto. in noſtro autem caſu extremum coniunctum eſt totum illud conflatum, antecedens verbum ſubſtantiuum, nimirum (*confiteri ſacramentaliter per litteras, ſeu internunciũ confeſſario abſenti, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*) totum hoc aggregatũ eſt vnicum ſubiectum principale, de quo per modum vnius in propoſitione damnata prædicatur terminus ille (*licitum.*) huius generis propoſitiones refert *Fonſeca lib. 3. cit. cap. 5.* illudque deſumpſit ex *Ariſtotele lib. 2. periher. cap. 2.* hæ autem propoſitiones ſunt talis naturæ, vt interdum contineant ſubiectum, quod ſit integra propoſitio, vt rectè adnotauit *Toletus in introduc. lib. 1. cap. 16.* talis eſt hæc propoſitio (*Homo, qui eſt iuſtus, eſt felix*) ſubiectum huius propoſitionis eſt illa ſimplex propoſitio (*Homo, qui eſt iuſtus*) quia de tota hac propoſitione dicitur vnicum illud prædicatum (*felix*) his præhabitis probatur concluſio, nam ex vna parte propoſitio à Pontifice damnata, cum habeat vnicum verbum, & vnicum prędicatum principale, vt probatum eſt, nequit eſſe niſi vna propoſitio, cuius vnitas, & multiplicitas ex vnitate, & multiplicitate verbi, & prædicati principalis menſuranda eſt, vt aiunt logici; & ex alia parte cum prædicatum ſit ſimplex, cuiuſmodi eſt terminus ille (*licitum*) ſequitur, quod totum illud cõpoſitum ex pluribus terminis ſit vnicũ ſubiectum non ſimplex, ſed coniunctum. probari etiam poteſt à ſufficiente enumeratione, non enim eſt hypothetica, vt oſtendimus; ergo ſimplex; & cum extremum nõ ſit ſimplex, ſed coniunctum, propoſitio erit de extremo coniuncto.

§.

Vtrum à Pontifice ſit damnatum vtrumque membrum prædictæ propoſitionis.

Dico à Pontifice, vt iacent verba decre- 37
ti, vtrumque membrum copulatiuè ſumptum, non autem diuiſiuè damnari. cõcluſio habet pro ſe omnes authores in prędecentibus laudatos, & probatur diuerſis rationibus primo, quia ſi Pontifex voluiſſet damnare vtrumque membrum diuiſiuè ſumptum, alia forma vſus fuiſſet, dixiſſet enim (*damnamus has propoſitiones,*) & non (*hanc propoſitionem*) quamuis enim interdũ particula, (*&*) non tollat, quin propoſitiones copulatæ ſeorſim damnentur, vt patet ex multis exemplis, quæ ex Tridentino affert Aluarez; tamen inuenire nunquam potui, quod demonſtrando propoſitiones copulatas per ſignum demonſtratiuum ſingulare, propoſitiones illæ accipiantur diuiſiuè, ſub ea ratione, ſub qua copulatiuè ſumuntur, hoc eſt ſi vt copulatiuæ damnantur, non poſſunt intelligi damnari vt diuiſiuæ. ſecundo probatur, quia ſententia aſſerẽs in caſu illo extremè neceſſitatis poſſe ſacramentaliter confiteri abſenti, dummodo abſolutio detur præſenti, habet pro ſe plures, & grauiſſimos doctores antiquos, & recentiores, & etiam optimam rationem, qua caret oppoſita ſententia, & rurſus eſt valdè pia, ac proindè, niſi ex verbis decreti conſtet euidenter damnari, debemus aſſerere non fuiſſe damnatam.

Obijcies primo. ſi Pontifex vſus fuiſſet 38
particula diſiunctiua, (*vel, aut, &c.*) dubia fuiſſet eius mens, quia affirmare quis potuiſſet totam hypotheticam diſiunctiuam damnari, ad cuius falſitatem ſatis eſt falſitas vnius ſimplicis propoſitionis in ea incluſæ, ita dubium eſſet, quæ nam ex partibus fuiſſet damnata, ſcilicet an abſolutio data abſenti, an vero confeſſio facta abſenti.

Reſpondeo, ſi Pontifex damnaſſet vtrumque mẽbrum diſiunctiuè, debuiſſet vti particula diſiunctiua, quia clarius locutus fuiſſet, neque de eius mente poterat dubitari, dicendo enim (damnamus has propoſitiones: licere per litteras, ſeu internuncium ſacramentaliter confiteri confeſſario abſenti,

Digitized by Google

vel à cõfeſſario abſente abſolutionem obtinere) ſenſus eſſet: damnamus, ſiue hoc, ſiue illud, quod eſt vtrumque damnare, & coniunctim, & diuiſim. ſimili forma vtitur *Conciliũ Tridentinũ ſeſſion. 6. canon.* 27. damnans has propoſitiones: *Nullum eſſe peccatum mortale, niſi infidelitatis, aut nullo, alio quantumuis graui, & enormi peccato, præterquam infidelitatis gratiã amitti ſemel, acceptam.* damnat inquam vtramque propoſitionem, & diuiſim, & coniunctim acceptam. Similiter *in can.* 28. damnat has alias propoſitiones: *Amiſſa per peccatum gratia; ſimul, & fidem ſemper amitti, aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viua, aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe chriſtianum, &c.* eodem modo loquitur in can. 29. ſequente, &c. & tamen nullus Catholicus hactenus dubitauit propoſitiones iſtas, & coniunctim, & diuiſim eſſe hæreticas. Confirmatur, quia licet tota hypothetica disiunctiua ſit falſa, ſi vtraque pars ſit falſa, vt ſi dicas (Petrus, aut eſt lignum, aut lapis) tamen controuerſia extat inter veteres philoſophos ex vna parte, & recentiores ex alia, an etiam disiunctiua ſit falſa, quando vtraque pars eſt vera, vt (Petrus, aut eſt homo, aut eſt corpus,) & veteres dicunt eſſe falſam; recentiores vero eſſe veram; nihilominus nemo dubitauit disiunctiuam totam eſſe veram, ſi altera tantum propoſitio incluſa ſit falſa, imo tunc eſſe maxime veram, vt (Petrus aut loquitur, aut non loquitur.) Vide *Fonſecam lib. 3. cit. cap.* 17. dum autem arguens affirmat ad falſitatem disiunctiuæ, ſatis eſſe falſitatem vnius tantũ ſimplicis in ea incluſæ, puto potius fuiſſe errorem ſcribentis, quam dictantis.

39 Objicies ſecundo. ſi partes vt cõiunctæ, non autem, vt diuiſæ damnarentur, ſequeretur neutram partem ſeorſim acceptam fuiſſe à Pontifice damnatam: ac proinde non eſſet contra decretum Pontificis defendere abſolutionem datam abſenti, ſi confeſſio fiat præſenti, vel è conuerſo, nõ eſſe illicitam; quod tamen videtur abſurdum.

Reſpondeo, ſi ſpectemus formam propoſitionis prout iacet in decreto, & damnata eſt, dicendum eſt ex vi huius formæ, neutram partem ſeorſim fuiſſe reprobatã, ſed tantum vtramque ſimul; ad eum fere modum, quo magiſtratus ſi prohibeat tẽpore noctis deãbulare per vrbẽ, & arma deferre, ex vi legis prohibentis neutra pars ſeorſim, ſed vtraque copulatiuè cenſeretur prohiberi: ſic in caſu noſtro. at ſi ſpectemus motiuum, ſeu fundamentum, ob quod Pontifex voluit damnare propoſitionem illam, aio fuiſſe opinionem, quam aliqui ſuſtinent, ſcilicet validè abſolui poſſe pœnitentem abſentem in aliquo caſu, & cum repugnet veritati verborũ nullo modo erat permittendum, ſicuti in exemplo allato de lege lata à magiſtratu, in qua licet vtrumque membrum copulatiue tantũ ſit damnatum; tamen motiuum, ſeu fundamentum prohibitionis non eſt deambulatio nocturna, ſed delatio armorum, & ſic tota propoſitio per modum vnius poterat damnari ratione vnius tantum partis. Addo in rebus moralibus eſſe magis attendenda ea, quæ per ſe occurrunt, quam ea, quæ nunquam, aut raro eueniunt: cum autem non videretur moraliter poſſibile, vt quis præſenti ſacerdoti integre confiteretur, & poſtea Sacerdos recedens in abſentia daret abſolutionem, idcirco Pontifex non curauit damnare vnam partem illius propoſitionis ſeorſim ab alia.

Denique caſus eſt fere impoſſibilis, nam præciſo periculo mortis neque abſolutio, neque confeſſio poteſt fieri in abſentia: in articulo vero mortis nequit contingere, vt confeſſio fiat præſenti, & abſolutio detur abſenti, quia nos loquimur in eo caſu, in quo imminet mors, & moribundus præſente confeſſario nequeat dare ſignum pœnitentię per ſe ipſum: in hoc autem caſu, niſi confeſſarius ſit mente captus, non poteſt præſente moribundo accipere relationem à teſtibus, & poſtea recedere, vt in abſentia det abſolutionem, quia ſtatim relatione habita ob periculum imminentis mortis debet abſolutionem impendere.

Objicies tertio. ſunt aliqua decreta, quę 40
referuntur à *Coquetio in diſſertatione illa cap.* 5. quibus Clemens reprobauit doctrinam Suarij; ergo illam ſuſtinere nequimus.

Reſpondeo de illis decretis mihi non conſtare. rurſus aio, vt à Patribus noſtris accepi, Clementem voluiſſe delere ſectionem illam Suarij, non quia continebat falſam doctrinam; ſed quia Suarez ſtatim ſuum decretum interpretari noluiſſet. & colligo hoc ex eo quod illa ſectio prius deleta hodie in nouis impreſſionibus eſt reſtituta, & iterum lucem aſpicit, quamuis Coquetius eo tempore exiſtimauerit nunquam forę remittendam.

QVAE-

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Religioſus ad titulum paupertatis ſacrum diaconatus ordinem recipiens; ſi eius profeſſio nulla declaretur, num poſſit ad presbyteratum promoueri, & in ſuſceptis ordinibus adminiſtrare.

SVMMARIVM.

1 *Refertur caſus.*
2 *Supponuntur antiqui canones, & declaratur an correcti fuerint.*
3 *Religioſus nulliter profeſſus ſi è religione egrediatur, indiget ſufficienti patrimonio vt ad alium ſuperiorem ordinẽ promoueatur.*
4 *Neque in hoc poteſt Epiſcopus diſpenſare, & quare.*
5 *Si Religioſus dubitet de valore profeſſionis nequit promoueri ſine patrimonio, & Epiſcopus non poteſt diſpenſare.*
6 *Si bona fide putans validam eſſe profeſſionem, ordinetur, nullam pœnã incurrit.*
7 *Religioſus in aliquo caſu per accidẽs poteſt licitè promoueri, quamuis ſuæ profeſſionis nullitatem non ignoret.*
8 *Si poſt promotionem ob nullitatem profeſſionis deſerat religionem, videtur non poſſe adminiſtrare in ordinibus ſuſceptis.*
9 *Indigere diſpenſatione putant nonnulli.*
10 *Proponitur ſententia affirmans, & probatur.*
11 *Difficile eſt authori iudiciũ ferre de vtraque ſententia.*
12 *Religioſus nulliter profeſſus, & ad titulũ paupertatis promotus ſuſpenſione afficitur, ſed abſolutionem obtinens in foro conſcientia, ſpectando ius commune poterit in ſuſceptis adminiſtrare.*
13 *Secus in foro externo, & iudiciali.*
14 *Prohiberi ab adminiſtrando iuxta cõſuetudinem introductam.*
15 *Eadem doctrina militat reſpectu clerici ſacularis promoti cum falſo titulo.*
16 *Poteſt Epiſcopus cum his diſpenſare.*

1 DE præſenti caſu, qui ſæpe contingit, interrogatus fui, quid de illo ſentirẽ: claritatis tamen gratia tali pacto illum declaro.

Titius regularis ad titulum religioſę paupertatis ad ſubdiaconatum, & diaconatum promotus fuit; poſtea vero ob aliquod ſubſtantiale impedimentum eius profeſſio per ſententiam iudicis irrita declaratur: quæritur num promoueri poſſit ad ſacerdotiũ, & interim in ordinibus ſuſceptis adminiſtrare, quamuis neque beneficium, neque patrimonium, vt decenter ſuſtentetur, habeat.

Pro deciſione huius quæſiti ſupponere debemus antiquos canones, per quos ſtatutum fuit, vt pœnam ſuſpenſionis incurrerent, qui abſque titulo ad ſacros ordines recipiendos accederent, vt patet *ex cap. Neminem, cap. cum ſecundum diſt.* 70. licet ſecundum quorumdam opinionem canones prædicti correcti fuerint *ab Innocentio III. in cap. Cum ſecundum Apoſtolum. de præben.* non deſunt tamen quamplures, qui cenſent canones illos antiquos innouatos eſſe per *Concil. Trid. ſeſſ.* 21. *de reform. cap.* 2. decernens ne quis deinceps clericus ſęcularis, quamuis idoneus ad ſacros ordines promoueatur, niſi conſtet habere beneficiũ eccleſiaſticum ad victum honeſtè ſufficiẽs, illudque pacificè poſſidere, vel ſaltem patrimonium ſimiliter ſufficiens, quidquid tamen ſit, num re vera Concilium innouauerit illorum canonum pœnas, nam huius dubij ſolutio in materia de cenſuris tradi ſolet: certum nobis erit in Tridentino ſermonem non eſſe de clericis regularibus, ſed tantum de ſæcularibus, vt patet ex ipſo met contextu; nihilominus emanauit poſtea conſtitutio à *Pio V.* quæ extat *in Bullario tom* 2. *& in ordine eſt* 75. cuius initium eſt: *Romanus Pontifex*: per quam pœnæ iure communi latæ, fuerunt extenſæ ad Regulares nulliter profeſſos, & ad eos, qui more regularium intra clauſtra vitam degunt, ſeu ad certum dumtaxat tempus profeſſionem emittunt. His omnibus præhabitis. 2

Dicendum eſt primo, nulliter profeſſus, 3 ſi à Religione egrediatur, nequit ſine beneficio, aut ſufficienti patrimonio ad aliũ ſuperiorẽ ordinem promoueri, eſt communis opinio, quam inter alios docet *Garçia de benef. par.* 1. *cap.* 5. *n.* 11. 12. *Sanchez lib.* 7. *conſil. cap.* 1. *dub.* 41. *Riccius in praxi fori eccleſ. par.* 3. *de tit. ord. reſol.* 448. *& par.* 4. *deciſ.* 17. *Barboſa de poteſtate Epiſ. part.* 2. *alleg.* 19. *num.* 4. *& ſeq. Antonius Theſaurus in praxi eccleſ. par.* 2. *ver. Ordines ſacri; cap.* 11. *Ceſpedes trac. de exempt. regul. quoad ordines cap.* 4. *dub.* 74. *& alij*, qui cõcluſionem hanc probant *ex conſtit. Pij V. ſuperius relata*; per quam Pontifex extendit decretum Concilij ad regulares, & etiã ad ſæculares more religioſorum in communitate viuentes: & ſi dicas in conſtitutione illa ſermonem eſſe de religioſis non profeſſis, non autem de illis, qui inualide profeſſi ſunt; reſpondeo etiam illos in ea conſtitutione cõprehendi, vt communiter animaduertunt Doctores prædicti, & teſtatur *Rota in deciſione quadam Vrgellenſis Canonicatus coram Blanchetto die* 3. *Maij* 1595.

Digitized by Google

quam refert *Garçia cap.cit.n.*12.& merito; nam eadem eſt ratio de vtroque perſonarũ genere in ordine ad hunc effectum; quia Pontificis intentio per eam conſtitutionẽ fuit prohibere, ne ij, qui libere ad ſæculum redire poſſunt, ordines ſacros ad titulum paupertatis religioſæ recipiant: hæc autem ratio æquè militat de non profeſſis, & de nulliter profeſſis, hi enim omnes libertatem habent redeundi ad ſæculum; proindè cum non ſit ſimilitudo, ſed identitas rationis, vtrumque perſonarum genus in ea conſtitutione, quamuis demus eſſe odioſam, contineri debet.

4 Dicendum eſt ſecundò: neque Epiſcopus poteſt cum huiuſmodi ſic ordinatis diſpenſare, vt ad ſuperiorem aſcendant ordinem. eſt contra *Henriquez lib.*13.*cap.*33.*n.*2.*ver. Qui ficto titulo.* vbi aſſerit Epiſcopum poſſe occultè cum illo, qui ſine titulo ſubdiaconatum recepit, diſpenſare, ne inhabilis effectus ad matrimonium, viliter viuat, concluſionem tamen noſtram tuetur *Sanchez in conſil.l.cit.Suarez de cenſ.diſp.*31.*ſec.* 1.*n.* 39.*Fornarius de ordine cap.* 8. qui adducit in confirmationem, ſacræ Congregationis declarationem *Bonacina de cenſ. eccleſ. in particulari diſp.*3.*quæſt.*1.*punc.* 8.*nu.* 4.*& alij.* ratio autem eſt, quia Tridentinum abſolutè ſtatuit neminem poſſe ad ſacros ordines promoueri abſque titulo, & loquitur indifferẽter de ſingulis ſacris ordinibus. quod decretum poſtea Pius V. ampliauit ad religioſos. cum igitur diſpoſitio emanauerit à ſummo Pontifice, non poterit Epiſcopus in ea diſpenſare.

5 Dicendum eſt tertio. Regulari ambigenti de ſuæ profeſſionis validitate nequit Epiſcopus ordinem ſacrum conferre ad titulũ paupertatis. ita *Garçia cap.cit.nu.* 12. *Theſaurus vt ſupra ver.* (*Amplia quod hæc*) *Riccius in praxi reſol.*488.*n.* 6. *& Ceſpedes l.c.n.*3. qui licet ſequatur hanc opinionem reijcit tamen probationem, qua Garçia vtitur, eam deſumens *ex cap. Ad audientiã de homicid.* vbi dicitur dubitãtẽ de homicidio patrato, exiſtimandum eſſe irregularem, quia in dubijs tutior pars eſt eligenda. impugnat autem Ceſpedes hanc rationem, vt applicatam noſtræ materiæ, quoniam eſt diſparitas, nam in textu illo ſermo eſt de dubio in homicidio, in quo ferè communiter omnes aſſerunt dubitantem eſse exiſtimandum irregularem, quamuis aliqui id negent, & explicent textum; in caſu autem noſtro, cum diuerſa ſit materia, diuerſa erit ratio: cæterum rectè vſus eſt Garçia ratione illius textus, quia cum Tridentina Synodus requirat titulum, vt aliquis ad ſacros ordines aſcendat; idcirco debet de tali titulo eſse certus Epiſcopus, vt promoueat ordinandum; proinde ſi ipſe ordinandus ambigat de valore ſuæ profeſſionis, ambigit conſequenter de titulo, cum nullum alium habeat, & conſequenter accedens ad ordines grauiter peccabit. vſus eſt igitur Garçia ratione illa canonica, licet in diuerſa materia, quia nihil refert ad probationem noſtræ concluſionis veritas, aut falsitas illius ſententiæ, cum ſola ratio faciat ad rem noſtram.

Dicendum eſt quarto: ſi Regularis bona fide putans validam eſse ſuam profeſsionem, cum re vera ſit irrita, recipiat ordinem ſacrum, non incurret in pœnas latas in conſtit. Pij, neque conſtitutio locum habet reſpectu talis Regularis. ita animaduertit *Theſaurus ibidem in ſecunda limitatione*: & ratio eſt manifeſta, quia cum Bulla Pij ſit pœnalis, neceſsario ſupponere debet culpam, quæ tamen non reperitur in Regulari, qui bona fide procedit. 6

Dicendum eſt quinto. Titius regularis ſciens ſuæ profeſſionis nullitatem, adueniente tempore, quo iuxta morem religionis, alij religioſi eiuſdem inſtituti ſolent ad ordines promoueri, & accedente imperio Prælati mandantis, vt ordinem recipiat, tenebitur prius tentare omnia remedia, ne ad ordinem promoueatur; at ſi his non obſtantibus, Prælatus vrgeat vt recipiat ordinem, tunc ſi Titius manifeſtando nullitatem profeſſionis incurreret grauem infamiam, vel timeret aliquod graue ſibi obuenturum damnum, poterit licite ad ordinem aſcendere, & nullam incurreret cenſuram, aut peccatum committeret. ita *Sanchez lib.* 7. *de matrim. diſp.* 37. *num.* 43. *Theſaurus cap. cit. limit.* 2. tunc enim obligatio vitandi ſcandalum, & pariter vitandi damnum aliquod notabile imminens, excuſaret Titium ab ordine ſuſcipiendo. 7

Et hæc de prima parte quæſiti circa promotionem ad ordinem. ſupereſt vt de ſecũda parte aliqua dicamus: videlicet an regularis iſte ſi antequam è religione egrediatur, ſit effectus ſacerdos ad titulũ paupertatis, & poſt egreſſum profeſſio declaretur irrita, poſſit abſque vllo beneficio, aut patrimonio adminiſtrare in ſuſceptis ordinibus miſſas celebrando, &c. Ratio dubitandi pro parte negatiua eſt, quia Pius in conſtitutione illa expreſsè ſtatuit religioſos huiuſmodi omnino carere executione prędictorum ordinum, & in altaris miniſterio celebrare non poſſe, & celebrantes in varias incidere pœnas, & præſertim in irregularitatem, à quibus pœnis, à nemine niſi a Romano Pontifice, abſolui poſſe, niſi in mortis articulo. neceſſaria ergo eſt diſpenſatio, atque adeo ſine illa religioſus, eo modo promotus ad ordines ſacros nequit actum eorumdem ordinum exercere: & con- 8

confirmatur ex quotidiana praxi huius tribunalis Panormitani Archiepiſcopatus, in quo non permittitur,vt Religioſi, quorũ profeſſio inualida declarata fuit, ſi ad titulum paupertatis, in religione promoti fue-
9 runt,ſacra conficiant, niſi,aut beneficium obtineant,aut ſufficiens patrimonium. Non poſſe autem abſque diſpenſatione,& habilitatione celebrare,docere videtur *Quaranta in bullario verb. Ordo in §. An vero ſacris initiat.* in fine autem proponens caſũ de eo,qui ficto titulo ſacerdos effectus fuit, quærit,an Epiſcopus poſſit cum illo diſpenſare, eumque habilitare ad executionem ordinis ſacerdotalis,reſpondet videri dicẽdum quod sic,præuia abſolutione,& diſpẽſatione,si delictum sit occultum, iuxta facultatem Epiſcopis cõceſſam *in Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.* ſi igitur ſecundum huius authoris mentem ſacerdos ille indiget diſpenſatione, ſignum eſt non ſatis eſſe, ſi abſoluatur à peccato, & ideo præter abſolutionem author ille requirit diſpenſationem,ſeu habilitationem, quam cõcedit dari poſſe ab Epiſcopo, ſi delictum erit occultum,& conſequẽter si publicum,à ſolo sũmo Pontifice diſpenſari poſse.

10 At in contrarium pro parte affirmatiua efficax ſe offert ratio,nam licet demus huiuſmodi religioſos nulliter profeſsos,& modo explicato promotos, in ſuſpensionem vi conſtitutionis Pij V. incurrere,& tali ſuſpensione perſiſtẽte celebrare minimè poſſe,& celebrando fieri irregulares;nihilominus facili negotio poſsent virtute cruciatæ, aut alterius priuilegij à cenſura abſolui, & ea ablata celebrare,nulla enim apparet ratio in contrarium, & nullum extat ius prohibens,quin celebrent,& si dicas obſtare tituli carentiam,& decretum Tridentini ſtatuentis, vt qui diuino miniſterio adſcripti ſunt,aut beneficium eccleſiaſticũ,aut ſufficiens habeant patrimonium, ne cum ſacri ordinis dedecore mendicare,aut alium ſordidum quæſtum exercere cogantur: si inquam hoc dicas; in promptu eſt reſponsio, nam decretum illud concilij procedit reſpectu promotionis faciendæ ad ordinem,& nihil diſponit de promotis, & quamuis aliquis malitioſè recipiens ordines sine titulo grauiter peccet;non aſtringitur tamen aliquo iure,vt titulũ acquirat ad hoc,vt poſſit in ordinibus ſuſceptis miniſtrare: imo si finem attendamus, quem habuit Tridentinũ diſponens,vt sine beneficio, aut patrimonio nemo quantumuis idoneus ad ſacros ordines promoueatur;congruentius diceremus,licitum eſſe miniſtrare,quia promotus ad ſacerdotium decentius viueret si medijs eleemoſynis,quas à Chriſti fidelibus recipit;ſe ſuſtentet. proinde impedire,ne celebrent,videtur magis directe aduerſari fini,quem concilium habuit,quia ſacerdotes iſti non habentes aliundè, & impediti ad huiuſmodi eleemoſynas, & ſtipendia procuranda,compelluntur ad mendicandum, vel ad aliquem vilem, & indecentem quæſtum procurandum; quod concilium curauit maxime vitare. addo etiam quod si impediantur iſti tales ne celebrent, nullum ſpirituale commodum,neque pro ipſo religioſo, neque pro alijs habetur: imo damnũ inde oritur, tum pro ipſo omittente ſacrũ, tum pro alijs fidelibus viuis, ac defunctis, quatenus priuantur fructu illo, quem mediante ſacro participarent.

His omnibus perpõsis difficile mihi red- 11
ditur determinatum ferre iudicium de re hac, & maxime quia vim infert quotidiana praxis huius Curiæ Archiepiſcopalis, & etiam quia à viro quodam fide digniſſimo mihi relatum fuit; ita Romæ vſum haberi. proinde rem diligenter expendendo per ſubſequentes concluſiones difficultatem hanc decidere mihi viſum eſt.

Dicendum igitur primo: Religioſus, cu- 12
ius profeſſio irrita fuit,si egrediẽs inueniatur ad titulum paupertatis ſacerdotiũ recepiſſe, atque adeo in ſuſpensionem incurriſſe,poſt obtentam abſolutionem à cenſura illa, poſſe in foro conſcientiæ, ſpectato iure communi, miſsas celebrare. ad hanc ſententiam tuendam trahunt me argumẽta pro parte affirmatiua ſuperius adducta, nullum enim extat ius commune prohibẽs, ne aliquis ſacerdos ex prædictis iam abſolutus celebret:& eo magis, quia ex conſtitutione illa Pij V. ſolum habemus imponi pœnam ſuſpenſionis ſummo Põtifici reſeruatam,& contra miniſtrantes irregularitatem,& nonnullas alias pœnas: quod intelligi debet, ſi ſacerdos manente ſuſpensione celebret. neque in eadem conſtitutione vllum eſt verbum, per quod colligatur Põtificis intentionem fuiſse, vt huiuſmodi nulliter profeſſi etiam poſt obtentam abſolutionem nequeant celebrare. dixi, iure communi ſpectato,quia si in aliqua diœceſi eſt lex,aut ſtatutum prohibens celebrationem etiam poſt ablationem ſuſpensionis, vſque dum ſacerdos ille acquirat beneficiũ, aut patrimonium,erit id omnino ſeruandũ: vtrum autem in aliquo loco sit tale ſtatutũ, ignoro.

Dicendum eſt ſecundo: in foro externo, 13
& iudiciali,in quo conſtat delictum,& conſequenter reum eſſe ſuſpenſum à celebrando; rectè proceditur, non permittendo vt miniſtret in ordine illo ſuſceptu, niſi titulũ procuret,quia aliter aperiretur via ad magnas fraudes,nam qui de propria conſcientia ſunt parum ſolliciti,poſsent ſępè fingere titulum,vt admitterẽtur ad ordines, vt poſtea abſolutione obtenta, miſsas celebrare

liberè

liberè valeant. ad tale autem incommodũ vitandum, congruum remedium adhibetur, si huiuſmodi delinquentes arceantur à ſacro miniſterio, vſque dum ſufficientem titulum acquirant: & ideo ſciẽtes eſſe repellendos à ſacrificio celebrando, nisi titulum habeant, retrahuntur à fraudibus iſtis patrandis.

14 Ex his ergo colligitur prohibitionẽ hãc non celebrandi poſt ablationem cenſuræ, non eſſe in iure, ſed conſuetudine introductam ad delicta, & fraudes cohibendas. fundàmenta vero vtriuſque opinionis, quatenus in aliquo videntur facere cõtra pręcedentes concluſiones, ex dictis, ſoluta manent.

15 Quę hactenus diſſeruimus de Religioſo nulliter profeſſo, locum habent in clerico ſæculari, qui falsò titulo ordines ſuſcepit, nã licet controuerſum ſit apud Doctores, num ſuſpensionem incurrerit; nihilominus in foro externo arcendus eſt à ſacrificio peragendo, vſque dum, vel bona ſufficientia acquirat ad honeſtam ſuſtentationem, vel diſpenſationem, ſeu habilitationem obtineat à proprio ordinario.
16 Poſſe autem diſpenſari ab Epiſcopo, probatur, quia in iure inhabilitas iſta ad celebrandum pro huiuſmodi indebita ordinum ſuſceptione non reperitur, ſed ſola cõſuetudine ad vitãdas fraudes eſt introducta, proindè nõ datur locus pro reſeruatione, cũ desit materia, cui annecti deberet reſeruatio. oportet igitur vt Epiſcopus cõsideret qualitatẽ delicti cũ omnibus eius circumſtantijs, & conditionẽ perſonæ, quæ hic, & nunc poſtulat, vt non impediatur à ſacro miniſterio peragendo, vel ratione neceſſitatis, vel decentiæ, &c. & ſic omnibus penſatis poterit Epiſcopus licentiam concedere tali ſacerdoti, vt celebret. hæc mihi viſa ſunt dicenda pro huius quæſiti deciſione.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Expenditur cuiuſdam promiſſionis valor de matrimonio ineundo.

1 *Enarratur factum.*
2 *Quæſitum plura continet exagitanda.*
3 *Matrimonium hoc irritum fuit.*
4 *Neque promiſſio illa conſtituere potuit vera ſponſalia.*
5 *Confirmatur ex doctrina Aloyſij Riccij.*
6 *Titius aſtringitur in foro conſcientiæ adhibere conſenſum verum ad matrimoniũ contrahendum.*
7 *Non intendit in controuerſiam vocare, nũ aliquis ſub fide matrimonij ineundi carnaliter agnoſcens mulierem, ſi eam virginem non inuenerit teneatur illam ducere nec ne, ſed controuerſia eſt de caſu prout enarratus fuit.*
Prima ſententia aſſerit fictè promittentem teneri ducere corruptam ſi tempore promiſſionis eam vt talem agnoſcebat. 8
Alia ſententia oppoſitum tenet, & vtramq; conciliat Sanchez. 9
Reſpondet Author directè ad quæſitum. 10
Penſatis hinc inde circumſtantijs in caſu enarrato tenetur Titius aliquid reſarcire mulieri ob bonę famæ amiſſionem. 11
Limitatur concluſio. 12
Si matrimonium ob defectum probationum declaretur validum, ne mulier perpetuo innupta maneat, tenetur Titius conſensũ verum ad matrimonium ineundum prę-ſtare. 13

Titius Bertæ puellæ amore captus per aliquod tempus eam obſeruans, quãplurima beneuolentię signa ei indicabat, intentione tamen ducendi illam in vxorẽ. 1
cæterum elapſo aliquo tempore ſciuit ab illuſtri viro fuiſſe carnaliter cognitam, ac filium peperiſſe. quapropter ipſe Titius de matrimonio cum puella ineundo ſententiã mutauit: & cuidam fœminæ, quę erat Bertæ familiaris, proponenti sibi, vt Bertam vxorem duceret, negauit ſe facturum, quia Berta malè olebat. verumtamen non deſtitit Titius ab oſtendendis Bertæ beneuolentiæ signis, ſed prauo affectu id faciebat; eius domum ſæpe pertransiens cum illa colloquia miſcebat, nec non inter eos oſcula etiam intercedebant. tandem Titius apertè à Berta poſtulauit vt ſui copiam faceret: noluit illa eius votis annuere, nisi prius in ſchedula futurarum nuptiarum promiſſionem ſcriberet: promisit Titius, ſed fictè, eam decipere intendens ad copulam extorquendam, ideoque duobus præſentibus hæc ſcripsit.

Ego Titius promitto me ducturum in vxorem Bertam, & in huius rei fidem hanc ei do ſyngrapham propria manu conſcriptam.

Quibus peractis eam carnaliter agnouit, & in hac praua conſuetudine per aliquot dies perſeuerauit, procraſtinando tamen executionem promiſſionis factæ, quamuis ſæpius fuerit rogatus. accidit autem quadam nocte, vt in cubiculum, vbi Titius cum Berta colloquebatur, ingrederetur ſenex quidam Vitricus Bertæ, manibus enſem denudatũ gerens contra Titium, conquerens de illa iniurioſa actione præſertim eo tempore, quo de nuptijs faciendis agebatur: ſeni cõquerenti acceſſit mater ipsius Bertę minitans Titio mortem à Prorege irrogandam, nisi puellam deſponſaret. dum hæc agebantur ſuperuenit Parochus, & simul fiſcus cu-

tię

igitized by Google

riæ Archiepiſcopalis ſatellitibus aſſociatus, quos Titius cenſuit milites fuiſſe, petebat fiſcus à Titio alterutrum, videlicet, vel vt daret mutuum conſenſum coram Parocho, vel ſi aliquid ſibi incontrarium occurreret, proponeret ſuperiori: at de his vltimis verbis Titius non benè recordatur, & nolebat conſenſum præſtare; ſed tandem timēs mortem à Prorege infligendam, coram Parocho, & teſtibus Bertam deſponſauit, fictè tamen, ſemper interius diſſentiendo. quibus expeditis in eadem domo fuit vi detentus, quo tempore iterum Bertam liberè agnouit, non animo, & affectu maritali, ſed fornicario: poſtea vero occaſione arrepta aufugit. his poſitis, quæritur an prædictum matrimoniū ſubſiſtat, & ſi eſt irritum ad quid in foro conſcientiæ Titius teneatur.

2 Quæſitum hoc multa complectitur, quibus vt ſatisfaciam quatuor mihi præcipue ſunt decidenda. primò, an matrimonium prædictum ſit nec ne validum. ſecundo nū promiſſio illa inducat ſaltem vera ſponſalia. tertio vtrum Titius in caſu poſito ſit omni obligatione liber. quarto vtrū ex ſuppoſitione matrimonij inualidi aliquid ſaltē reſarcire debeat Bertæ.

3 Et quoad primum dico tale matrimoniū fuiſſe irritum. concluſio eſt omnino certa: impoſſibile enim eſt abſque mutuo contrahentium conſenſu matrimonium conſiſtere poſſe, vt expreſsè aſſeritur per diuerſa iura. *l. Nuptias de reg. iur. cap. ſufficiat* 27. *qu.* 2. & tandem definitum eſt per *Conc. Flor. in decreto de ſacramento matrimonij*. cū autem in caſu noſtro Titius, vt exponitur, nūquam internum conſenſum præſtare voluerit, immò ſemper diſſenſerit, defuit mutuus contrahentium conſenſus, ac proinde matrimonium fuit irritum. & hæc breuiter de primo puncto.

4 Quoad ſecundum vero, nempè an promiſſio, quam Titius in ſchedula ſcripſit, vim habuerit conſtituendi inter ipſum, & Bertā vera ſponſalia: negatiuè eſt reſpondendum ex principijs iam allatis, quia vbi nulla eſt vera promiſſio, nequeunt eſſe vera ſponſalia, quæ eſſentialiter ſunt mutua futurarum nuptiarum promiſſio, vt definitur *cap. Noſtrates* 30. *q.* 5. *& l.* 1. *ff. de ſponſal*: quam definitionem Doctores communiter recipiūt, ſed in caſu, quem exagitamus, non fuit mutua promiſſio, nam Titius ſemper diſſenſit, & ficto modo ad Bertam decipiendam verba illa in ſyngrapha ſcribere voluit: idcirco cū defuerit cōſenſus, qui eſt veluti forma promiſſionis, & cuiuſcunque contractus, nulla fuit ex parte Titij promiſſio, & per conſequens neque vera ſponſalia.

5 Placet etiam addere ad maioris confirmationis gratiam, doctrinam quam tradit *Riccius in deciſ. par.* 3 *deciſ.* 15. aſſerit enim in curia Archiepiſcopali Neapolitana fuiſſe deciſum promiſſionem de ducendo in vxorem quamdam mulierem factam propè copulam ex violentia amoris, & impetu luxuriæ, non inducere ſponſalia, quia præſumitur facta ex ardore amoris abſque voluntate. hoc ipſum contigiſſe in hac promiſſione nō improbabiliter præſumi poſſet: ſed quidquid ſit de hac doctrina, pro nobis ſatis erit defectus conſenſus. deuenio nunc ad tertiū, nempè vtrum Titius ſit ab omni obligatione liber ex eo præcisè, quod inter promittēdum non habuerit intentionem ſe obligādi.

Pars negatiua eſt omnino amplectenda. 6 quamuis enim Titius fictè promittens, irritam, vt probauimus, ſuam effecerit promiſſionem; ſi tamen nihil aliud in eius defenſionem afferatur, tenetur conſenſum exhibere, & veram ſolidamque facere promiſſionem. ita communiter teſtantur doctores *Cordub. in ſumma quæſt.* 50. *Nauarr. in manual cap.* 16. *n.* 18. *Sotus in* 4 *di.* 27. *q.* 1. *a.* 3. *Mol. tom.* 4. *de iuſt. diſp.* 106. *conſil.* 3. *Rebell. lib.* 3. *de oblig. ex delicto quæſt.* 8. *n.* 10. *& lib.* 4. *de ſponſal. q.* 1. *n.* 12. *Vaſqu. in opuſ. de reſtit. c.* 3. *n.* 442. *Sanchez lib.* 1. *de matrim. d.* 11. *n.* 4. 5. *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 10. *dub.* 3. *& alij.* ratio huius concluſionis eſt; quia in contractibus onerosis, do, vt des, vnuſquiſque ex contrahentibus, ex vi iuſtitiæ commutatiuæ obligationem habet adimplendi quod promittit; & præſertim ſi alter contrahens adimpleuit id, ad quod ſe obligauit. inter Titium autem, & Bertam fuit cōtractus oneroſus, do, vt des, & Berta adimpleuit ſuum corpus exhibendo: ergo Titius tenebitur adimplere quod exterius promiſit, videlicet ducere eam in vxorem, & nihil refert quod interius non habuerit animum ſe obligandi, quia vt diximus, tenetur facere vera ſua verba. maneat igitur ex dictis Titium non eſſe liberum ab omni obligatione ex eo præcisè, quod in ipſo defuerit intentio ſe obligandi. vtrum autem ex alio capite ſit excuſandus, quod erat tertium à nobis propoſitum, mox videbimus.

Non intendimus in controuerſiam reuocare, an in aliquo caſu promittens ducere in vxorem mulierem aliquam, & ſub hac ſpe illam carnaliter agnoſcens, ſi poſtea virginem eam non reperiat, teneatur cum illa contrahere: nam certum eſt quandoque ad id aſtringi; ſed agitamus caſum hunc in particulari, ſpectando omnes illas circumſtantias, quę in facti enarratione exponuntur: idcirco ad illum determinandum ſuppono duas eſſe Authorum ſententias. 7

Prima vult fictè promittentem teneri ad contrahendum cum corrupta, ſi tempore promiſſionis talem eſſe non ignorabat, & ſub ſpe promiſſionis illa ſui corporis vſum exhibuerit. ita *Paludanus in* 4. *d.* 28. *q.* 1. *ar.* 2. 8

2.*concl.4.Rodriq.in ſumma par.1.qu.208. concl.8.Vaſquez in opuſ.de reſt.cap.3.§.1. dub.5.* quam ſentẽtiam probabilem appellat *Sanchez lib.1.de matr.diſp.10.n.23.*

9 Secunda ſententia eſt oppoſita,at vtramque conciliat *Sanchez diſp.cit.n.24.* aitque veram eſſe primam, ſi mulier deflorata ſub ſpe futuri matrimonij fictè promiſſi ſit bonæ famæ;quia tunc non videtur alio modo cõpenſari poſſe damnum iniuſtè illatum; ſi autem ſit mulier malæ famæ, veriorem putat ſecundam ſententiam: idem docet *Lopez in inſtruct. par. 1. cap. 77. §. Hinc emergit;* & hanc ſententiam tuetur *Cordubæ in ſum.q.49.Reginal. in praxi lib. 31. n. 256.§.Similiter.Petrus Ledeſ.de matr.qu. 45.ar.4.dub.11.in confirmatione tertij.Bonacina de matr.q.1.p.2.Barthol.à S.Fauſto in ſpeculo d.24 q.21.* & opinionem illã probabilem exiſtimat *Ledeſma l.2.c.10.dub.3. num.31.Vaſq.l.c.* fundamentum eſt quia non videtur æqualitas inter illud,quod promittit mulier corrupta, & quod promittit vir,non enim eſt æquale per ſe loquẽdo ducere corruptam, & habere copulam cum corrupta; ac præſertim ſi eſt malæ famæ, & fictè vir promittat.

10 Ex his clare colligi poteſt reſponſio ad quæſitum:ſi enim Berta erat mulier corrupta,& malæ famæ,propabile eſt, Titium non teneri,eam ducere in vxorem.Probatur: nõ enim tenetur ratione promiſſionis,quia, vt ſupponimus ex defectu intentionis nulla fuit promiſſio, neque tenetur ratione illius, quod accipit, quia non eſt æquale illi quod promiſit,vt probauimus: ergo nullo modo tenetur Bertam ducere,non enim aliud huius obligationis caput poteſt aſſignari. Si vero non erat malæ famæ, & eam eſſe corruptam Titius nõ ignorabat tempore promiſſionis, cenſeo remanere obligatum ad eam ducendam, ipſi enim imputari debet volenti promiſſionem illam facere ad extorquendam copulam.

11 Denique remanet decidendum quartum punctum, videlicet an ſaltem Titius teneatur in foro conſcientiæ aliquid reſarcire ratione damni,quod Berta eſt paſſa. Tanquã certum ſupponimus Bertam in ſui honore, & fama iacturam paſſam fuiſſe ex publicatione copulæ, quam habuit cum Titio, & per conſequens redditam fuiſſe minus nubilem,etiamſi declararetur nullum matrimonium in foro externo. ad obligandum autem Titium,vt reſarciat iacturã prędictã, eſt prius inueſtigandum, an ipſe fuerit iniuſtè cauſa talis iacturæ,ex vna enim parte videtur talis cauſa minimè fuiſſe,quia totum damnum ſequutum in honore Bertę fuit publicitas copulæ,ſi enim fuiſſet occulta,illæſus,proculdubio ex hoc capite, remanſiſſet ipſius Bertæ honor, ſed origo, & cauſa publicitatis prouenit ex modo procedendi, quo Berta ſe geſſit,ſiue alius pro ea, videlicet recurrendo ad Iudicem, ſeu ad Vicariũ, vt Titius cogeretur ad promiſſionem illam adimplendam. cæterum oppoſitum cenſeo eſſe dicẽdum,nam prima radix, tum publicitatis,tum modi procedendi per recurſum ad iudicem eccleſiaſticum fuit Titius, qui ſua ficta promiſſione Bertam ex induſtria decepit, & procraſtinando executionem promiſſionis occaſionem exhibuit, vt Berta ad ſui honoris defenſionem recurſum haberet ad Vicarium,nulla alia via ſibi remanente ad honorem recuperandum; ac proindè ius habebat ad id iuſtè, & licitè faciendum poſita externa illa Titij promiſſione.

Limitandam tamen puto concluſionem, 12
caſu quo Berta ex coniecturis,& circumſtãtijs in cognitionem deueniſſet fictę promiſſionis,& deceptionis;in tali autem caſu ſibi imputare deberet iacturam honoris; ſcienti enim,& volenti non fit iniuria, & ideo nullum acquiſiuiſſet ius cogẽdi Titium ad matrimonium ineundum,cum ipſa Berta damnorum cauſa fuiſſet.ſed poſito quod Berta deceptionem non agnouerit, omnia Titio veniunt imputanda, & conſequenter ipſe aſtringitur iniuriam,& damnum illatum reſarcire,vt Authores ſecundę ſententiæ apertè docent. quanta autem debeat eſſe compenſatio pro damno illato, arbitrio prudentum eſt determinandum, qui ſpectatis omnibus iudicent conſiderando ſtatum in quo reperiebatur Berta ante copulam habitam cum Titio, & ſtatum in quo nunc inuenitur in ordine ad contrahendum matrimonium cum alio eiuſdem conditionis cum ipſa.

Quæres quid dicendum,ſi matrimonium 13
cum Titio in foro externo declaretur validum ob defectum probationum, vel alterius circumſtantiæ,cum re vera ſit irritum.

Reſpondeo in tali caſu cum Berta cogeretur remanere perpetuo innupta erit Titius cogendus ad præſtandum conſenſum, vt matrimonium illud validetur, nam aliud remedium non ſupereſſet ad damnum Bertæ reſtaurandum.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

Liceat ne vxori in partu vitæ periculum experta conceptionem impedire, aut viro debitum coniugale non ſoluere?

SVMMARIVM.

Caſus enarratur. 1
Apponere impedimentum ne fiat conceptio ex tali intentione,eſt intrinſecè malum, 2
&c.

ha & nullo bono fine cohoneſtatur.

3 *Refertur opinio contraria, quam Torreblā- ca tuetur, cui adhærere videtur Barboſa à quo non rectè citantur alij.*

4 *Quidam inſtantiæ in fauorem huius vltimæ ſententiæ reſpondet Sanchez oſtendēs diſcrimen inter appoſitionem impedimēti ne fiat conceptio, & inter cauſſam abortus nondum animati.*

5 *Impugnat Cardinalis Delugo diſparitatem à Sanchez allatam.*

6 *Ab Authore defenditur Sanchez.*

7 *Ex doctrina allata colligitur pollutionem voluntariam eſſe intrinſecè malam, & aſſignatur ratio.*

8 *Malè loquitur Caramuel id negans, & non rectè ſegerit Arriaga id in dubium reuocans.*

9 *Non obligatur mulier ad reddendum debitum ſi in partu vitæ periculo ſe exponat; oppoſitum videtur velle Baſſeus.*

10 *Sed concluſio Authoris firmatur communi Doctorum authoritate, & ratione fulcitur.*

11 *Satisfit argumento in contrarium deſumpto ex cap. 2. de coniug. lepr.*

12 *Neque obligatur vxor ſtante prædicto periculo debitum reddere, etiamſi vir laboret periculo incontinentiæ.*

13 *Mulier ſi velit in hoc caſu licitè debitum reddit.*

14 *Limitatur concluſio principalis à Sanchez in caſu, quo bonum commune oppoſitum poſtularet.*

1 NOn ita facilis eſt huius quæſiti deciſio, de illo enim præteritis diebus cōtrouerſia agitata eſt inter medicos, & ideo placet meam explanare ſententiam, caſum autem propoſitum breuiter in hunc modum declaro.

Quædam inueniebatur mulier matrimonio coniuncta, quæ pariens in magno vitæ diſcrimine verſari conſueuerat, & cum de hoc plenam habuerit experientiam, opportunum inquirebat remedium: proindè in controuerſiam reuocatum fuit, num mulier iſta ad vitandum imminens periculum, licitè potuiſſet alterutrum ex illis duobus, quæ in titulo proponuntur, eligere. quid igitur in re hac ſit determinandum, mox aperiam, exordium ſumens à primo, nempè vtrum mulier iſta abſque peccato potuerit prolis conceptionem impedire.

2 Dicendum eſt primo, apponere impedimentum hac intentione, ne fiat conceptio, eſt ita intrinſecè malum, vt nullo bono fine cohoneſtari valeat. eſt communis opinio, quam docet *Caietanus in 2. 2. S. Th. quæſt. 154. art. 1. ver. Ad ſingula obiecta; Azor. pa. 3. lib. 1. cap. 4. quæſt. 2. Nauarr. in ſumma cap. 16. n. 33. Sanchez lib. 9. de matrim. cap. 20. n. 2. Baſilius Pontius eod. trac. lib. 10. ca. 13. n. 1. Aloyſius Turrianus in 2. 2. trac. de iuſt. diſp. 26. n. 47. Franciſcus Syluius in 2. 2. quæſt. 64. art. 7. concl. 3.* vbi laudat *Tertullianum in Apologetico cap. 9. Diana part. 5. trac. 14. r. 90. Layman lib. 3. trac. 3. par. 3. c. 4. ſec. 5. quæſt. 2. Trullench in decal. lib. 5. ca. 1. dub. 4. n. 1. & alij apud ipſos.* Ratio autem fundamentalis eſt, quia ſemen nequit [illegible] ſuo connaturali fine impediri, qualis eſt conceptio prolis, & generatio. ſic habetur *c. Aliquando 32. quæſt. 2.* & de hac re extat *bulla Sixti V.* cum alia edita à Gregorio XIV. per quam moderatur priorem Bullam; ambæ autem reperiuntur tranſcriptæ apud *Stephanum Quaranta in ſumma Bullarij v. Abortus.* & in his bullis variæ imponuntur pœnæ contra abortum cauſſantes, & contra præbentes potiones, & alia remedia ad inducendam ſterilitatem, & impediendam conceptionem.

Contra hanc communem ſententiam tuetur oppoſitam *Torreblanca in pract. iur. ſpir. lib. 12. cap. 13. n. 34. 36. apud Dianā l. c.* & ni fallor expreſſè ſuſtinet *Barboſa in collec. cap. ſi aliquis de homic. n. 1. ver. (colligè ex textu)* nam, quamuis neget licitum eſſe præbere mulieri remedia ſterilitatem inducentia, limitat tamen hoc, his verbis (*Niſi quando probabiliter conſtaret mulierem in partu, vitæ diſcrimen ſubituram, vel quia nimis arcta, vel præ vteri anguſtia fœtum ferre nequeat*) hæc Barboſa. & quamuis citet immediatè *Lopez, Cordubam, Aragonium, Sanchez*; nihilominus hi non loquuntur in caſu iſto, ſed ſolum exagitant quæſtionem illam de cauſſa abortus fœtus iam concepti. 3

Sed poſſet quis ita vrgere: ſi licitum eſt interdum præbere, ſeu ſumere pharmacum ad tuendam matris vitam, quamuis præuideatur abortus fœtus non dum animati; multo plus videri debet licitum ſumere pharmacum ad impediēdam prolis ſuſceptionem, nam plus diſtat ſemen à generatione quam fœtus ex ſemine conceptus: ergo, vel vtrumque, vel neutrum erit licitum. 4

Reſpondeo huic inſtantiæ ſatisfacere *Sāchez diſp. cit. n. 12.* ſoluendo ſecundum argumentum. aio igitur diſparem eſſe rationē, nam impedire conceptionem non ſit niſi per effuſionem, aut deperditionem ſeminis, quod eſſe intrinſecè malum probat idem *Sanchez diſp. 17. n. 16.* & eſt communis ſententia; at non eſt ita malum cauſſare abortum fœtus non dum animati, ceſſat enim ratio intrinſecæ malitiæ, quæ in effuſione ſeminis reperitur, nēpe in nimia illa delectatione, cui facillimè, ſi daretur licita, homines adhærerent, & ſæpe fingerent caſus, in quibus libidine excœcati ſibi perſuaderent licitum eſſe procurare pollutionem, & ſe-

men prodigere ad tuendam ſanitatem, & ideo, vt notat *Sanchez ll. cc. & alij*, cum illo, natura, vt his incommodis occurreret in beneficium boni communis, denegauit ho-
3 minibus liberam ſeminis adminiſtrationē, quæ ratio non videtur habere locum in abortu, vel in abſciſſione membrorum etiā inſeruientium generationi, in quibus non reperitur delectatio illa, proinde ſine incō-uenienti potuit natura hominibus concedere maiorem aliquam libertatem in prædictorum dominio, & adminiſtratione, nam in abortu cum ſit deperditio propriæ prolis iam conceptæ potius inuenitur motiuum retrahens homines ad illum cauſſandum, in amputatione membri eſt dolor, quo ipſi homines non ſolum retrahuntur a prodiga, & non neceſſaria membrorum amputatione, verum etiam ſæpe ſæpius à neceſſaria, nam ob dolorem, quem in huiuſmodi abſciſſionibus, & interdum cum magno vitæ diſcrimine experiuntur, ſe abſtinent ab illis.

5 Hanc diſparitatem impugnat *Cardinalis Delugo tom. 1 de iuſt. diſp. 10. ſec. 5. nu. 131.* dicens eamdem rationem applicari poſſe abortui, videlicet nunquam licitum eſſe illum procurare, quia ſicuti natura nunquam extra copulā permiſit licitè procurari poſſe ſeminis effuſionem ob nimiam illam delectationem, quia homines illa contenti nō curarent de prole generanda, ſic etiam prohiberi debuit procuratio abortus, quoniam ſi aliquando liceret, periculum etiam eſſet, quod homines delectationem copulæ quærerent, fidētes, quod poſtea ex cauſa ſuperueniente abortus, poſſent procurare, vt partus impediretur, & celaretur, & ſic magna occaſio daretur fornicationibus, ſtupris, &c. concludit tandem quod ſicuti ſeminis, ita & fœtus adminiſtrationem natura ſibi reſeruauit, negata parentibus facultate diſponendi de ſemine, vel fœtu. ſic diſcurrit Delugo contra rationem à Sanchez adductā.

6 Sed tali diſcurſu non obſtante, firmam cenſeo rationem Sanchez, & non poſſe eādē paritatem vtrique caſui applicari; vt ſupra diſparitatem inter effuſionem ſeminis, & abortum indicaui, nam in effuſione ſeminis intrinſecè eſt imbibita illa delectatio alliciens homines; in abortu autem intrinſecè eſt horror potius proueniens ex affectu illo connaturali, quo parentes propriam prolem amare ſolent, quamuis per accidens, & valdè remotè contingat interdum, vt amor iſ-
7 te adeo connaturalis, ita ardore libidinis vincatur, vt nō impediat propriæ prolis occiſionem, & ſic patet diuerſitas inter vnum, & alium caſum, addo etiam neque à Sāchez adduci rationem illam ad probandum in nullo caſu eſſe hominibus permiſſam ſeminis effuſionem, niſi in finem generationis per copulam coniugalem, imo expreſsè ait prædictam rationem non eſſe legitimam ad id ſuadendum, quamuis ſufficienter probet effuſionem ſeminis extra copulam coniugalem eſſe peccatum contra naturam, & ideo ad oſtendendum, nunquam talem effuſionem eſſe licitam vtitur alia ratione *libro citato diſp. 17. nu. 16.* poſt medium his verbis [*Legitimam rationem cur pollutio voluntaria ſit vitium contra naturam, eſſe quia aduerſatur generationi ad quam natura ſemen deſtinauit: non autem ea eſt legitima, cur in nullo euentu permiſſa ſit: ſed quia omnino eſt denegata homini ſeminis extra matrimonij copulam adminiſtratio ob commune bonum, ad occurrendum periculis ex ea adminiſtratione conceſſa orientibus.*] & ſic vt videtis, cum in pollutione voluntaria duo ſpectari poſſint, nempè eſſe peccatum contra naturam, & nunquam cohoneſtari, primum probat Sanchez ratione illa adducta à Ioanne Delugo, ſecū-dum vero alia ratione, quam nos etiam aſſignauimus.

Ex quibus ſufficienter colligimus pollutionem voluntariam eſſe ita intrinſecè malam, vt nunquam cohoneſtari poſſit. & quā-uis doctoribus de re hac agentibus, difficilè ſe reddat inuenire rationem adeo efficacē, vt euidenter oſtendāt intrinſecam malitiā huius actus, ita vt intellectus humanus omnino conuincatur, & quieſcat; nihilominus ſufficienter ſuaderi poterit ex eo, quod cō-muniter homines docti ab initio vſque huc ſic vniformiter cenſuerint, exiſtimatio enim vniuerſalis in mente hominum impreſſa, à Deo cenſenda erit, admunctis etiam rationibus valdè congruis, quæ id probent, & quā-uis ratio, quæ conuincat, lateat nos, ſicuti etiam in alijs ſimilibus, nam mentiri ita eſt intrinſecè malum, vt ob nullum finem bonum cohoneſtari valeat, vt communiter dicunt Doctores, & tamen ſi quis pertinaciter contenderet, licitum eſſe mendacium, quando eo vtimur ad ſaluandam alterius vitam, non ita facile redargui; & conuinci poſſet: ſicuti etiam certum eſt nefas eſſe, committere quodcumque leue peccatum etiam ad vitanda grauiſſima aliorū peccata contra Deum, & etiam ad liberandos omnes homines à pœnis inferni, & tamen poſſet alicui apparenter videri maius Dei obſequium fore, ſi impedirentur eius offenſæ grauiſſimæ, quam vitari à nobis leuiſſimam culpam; igitur aſſerere debemus voluntariam ſeminis effuſionē, eſſe intrinſecè malum, nō ſolū ob nōnullas, & ſatis congruentes rationes à doctoribus excogitatas, ſed maxime quia talis eſt doctorum ſenſus, licet ratio intrinſeca, quæ omnino conuincat, nos lateat, qua propter male locutus eſt *Caramuel in expoſitione decalogi lib. 4. præcepto 6. num. 1603.* dicens mollitie

non

Digitized by Google

nõ eſſe malam, niſi à Deo interdicta fuiſſet, & quod eſt deterius, addit, præciſo diuino præcepto, ſępe bonam futuram fuiſſe, & aliquando obligaturam ſub peccato mortali, quod inaniter ibi conatur probare. & neque rectè *Arriaga diſcurrit tom. 4. de legibus diſp. 8. num. 37. 38.* reuocans in dubium, num pollutio ſit nec ne intrinſece mala, ita vt neq; diuinitus cohoneſtari valeat, dubium reuera indignum, viro pio, & docto. & licet daremus id eſſe dubitabile; nihilominus ob ſcandala, quę ex tali opinione gigni poſsẽt, id non erat ſcriptis tradendum, & pręſertim quia debilitatur efficacitas rationum, quibus ipſe Arriaga probat intrinſecã malitiam ſodomiæ, & beſtialitatis, vt fusè oſtẽdere poſſem, ſi eius examen pertineret ad præſens inſtitutum, in quo ſupponimus, apponere impedimentum ad conceptionem prolis cum effuſione ſeminis, eſſe malum, & grauem deordinationem, quod ſufficit ad præſentem quæſtionem. & hæc ſatis obiter ſint dicta, & ſufficiant pro confirmatione primæ partis huius quæſiti. ad ſecundã nunc ſermonem dirigo.

9 Dicendum eſt ſecundo nõ teneri mulierem vitæ periculo ſe exponere, & reddere debitum viro illud petenti. oppoſitum videtur docere *Baſſolis in 4. diſt. 32. q. vnica art. 3. ver.* [*& ideo aliter reſpondetur*] loquens enim de coniuge leproſo ait, tunc negari poſſe debitum ab altero coniuge ſano, quando infirmitas eſt ad tempus, ratione cuius infirmitatis differri poteſt redditio debiti; ſed quando lepra eſt perpetua aſſerit eſſe reddendum debitum, ne coniux leproſus fruſtretur actu matrimoniali: caſus autem noſter importat perpetuitatem, loquimur enim, quando mulier eſt experta, non poſſe abſque periculo vitæ parere; & ſic cum vtrobique militet perpetuitas, & diuerſitas cauſſæ ſit omnino materialis, idẽ

10 eſſet ſuſtinẽdum ab hoc authore. Cæterum concluſionem poſitam colligo ex doctrina, quam communiter tradunt doctores, dum agunt de cauſſis excuſantibus à redditione debiti, inter quas ponunt detrimentũ corporale, ſeu periculum vitæ alterius coniugis, ita ex S. *Thoma in 4. diſt. 32. q. 1. ar. 1. in fine corporis* docente coniugem teneri reddere in his, quæ ad generationem prolis ſpectant, ſalua tamen prius perſonæ incolumitate. hoc etiam docent alij *S. Antoninus par. 3. tit. 1. cap. 20. §. 10. Tabiena v. Matrimonio 3. n. 6. Dominicus Sotus ead. diſt. q. 1. art. 1. concl. 1. Petrus Sotus de matr. lec. 16. in fine. Rodriq. p. 1. cap. 242. concl. 2. Graffius in deciſ. t. 1. lib. 2. deciſ. 82. num. 6. & plures* alij, loquentes de periculo infectionis, quãdo alter coniux eſt leproſus. ſed in terminis clarioribus id docent *Nauarr. in ſumma c. 16. n. 25. Bonacina de matr. q. 4. punc. 1. n. 7. Pontius eod. tract. lib. 10. cap. 4. n. 2. 3. Reginaldus in praxi lib. 31. n. 284. Gaſpar Hurtado de matr. diſp. 10. diff. 12. Coninck. diſp. 34. dub. 3. num. 20. 21.* & clariſſime *Sanchez lib. 7. de matr. diſp. 102. num. 8. & 9. lib. 9. d. 24. num. 23. Turrianus de iuſt. diſp. 26. nu. 47. in fine, & alij.* Probo concluſionem ea ratione, qua prædicti authores vtuntur, videlicet iuxta rectum ordinem teneri coniugem magis ſibi, quam alteri prouidere, & ideo non obligari cum tanto diſpendio debitum alteri coniugi reddere, neque cenſetur in contratione matrimonij cum tanto ſui præiudicio voluiſſe coniugem ſe obligare ad debitum reddẽdum. ſed lectorem admoneo ex Soto, & Reginaldo mulierem debere certam eſſe de periculo, cui ſe exponit concipiendo, & non debere caſus fingere, nam cum obligatio reddendi debitum ſit ex iuſtitia rigoroſa, cauſſa eximens debet eſſe certa.

Sed vrgebis *ex cap. 1. de cõiug. leproſ.* vbi Pontifex ſtatuit ſanum coniugem teneri ad debitum reddendum alteri coniugi leproſo: ergo ſtante canone iſto, nequit ob periculũ, cui exponitur in partu, debitum negare. 11

Reſpondeo canonem illum varijs modis exponi à doctoribus. breuiter autem aio textũ loqui, quando ex copula non timetur damnum notabile, ſed tantum leue, & ita ex S. Thoma, & quampluribus doctoribus exponit textum *Sanchez diſp. 24. cit. nu. 17.* vel dic textum loqui ſpectando ſolum horrorem lepræ, vel ſi prius coniux ſanus notitiam de lepra illa habuerit. vide Reginaldum, qui excuſat etiam coniugem, quando horror eſt valde ingens.

Dicendum eſt tertio etiam cum periculo incontinentiæ ex parte viri non eſſe vxorem aſtrictam ad debitum reddendum in caſu prædicto ita *Sanchez lib. 7. diſp. illa 102. n. 11. & lib. 9. diſp. 24. num. 12. Coninck, & Hurt ll. cc. Bonacina punc. cit. num. 5. & alij* contra nonnullos, quos refert Sanchez loco vltimo allato, qui oppoſitum ſentiunt. & ratio eſt quia alter coniux alijs medijs occurrere poterit periculo incontinentiæ, & ſi peccat, ſua voluntate ſuccumbit. 12

Dicendum eſt quarto quamuis mulier non teneatur in caſu poſito reddere debitum, licitum tamen ſibi erit illud reddere, ita *Sanchez ex multis diſp. illa 102. nu. 12.* contra *Petrum Ledeſmam, & Rodriquez*, quos laudauerat *n. 10. præcedente*. probat autem cõcluſionem primo, quia cauſſa iſta cum ſit perpetua, ad vitandum imminens incontinentiæ periculum, poterit mulier proprio periculo cedere: ſecundo, quia non eſt ita certum, vt ex illo cõgreſſu concipiat. 13

Limitat autem Sanchez ſententiã principalem, quæ eximit coniugem ab obligatione reddendi debitum *quæſt illa 24. nu.* 14

Digitized by Google

11. quādo bonum commune totius Regni, aut communitatis poſtularet ad ſui conſeruationem, vt proles aliqua haberetur; tunc enim non obſtante periculo illo obligaretur mulier, debitum reddere poſtponẽdo bonū proprium priuatum bono communi.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

Sit ne peccatum, in coniugij actu delectationem capere de alterius mulieris pulcritudine, vt ad actum coniugalem coniux excitetur?

SVMMARIVM.

1 *De hoc caſu Author conſultus fuit.*
2 *Videtur ſine graui culpa id fieri non poſſe.*
3 *Quæſtio ſpeculatiuè, & practicè ſpectanda erit.*
4 *Speculatiuè factum conſiderãdo, delectatio illa non erit grauis culpa, & probatur.*
5 *Diluitur fundamentum oppoſitum.*
6 *Practicè rem conſiderando non eſt conſulenda, & ideo delectatio illa non erit abſque peccato.*

1 PRæteritis temporibus de caſu iſto fui interrogatus. erat quidam, qui non valens actum matrimonij cum propria vxore perficere, aliud non adhibuit remedium; niſi in imaginatione ſibi repreſentare cuiuſdam mulieris pulchritudinem, vt tali excitatus cogitatione, melius, & facilius actum illum coniugalem compleret, quęritur num iſte talis grauiter deliquerit?

2 Pars affirmans recipienda videtur, quia delectatio illa eſt de obiecto turpi, & inhoneſto, ſicuti enim deſiderium coeundi cum tali fœmina proculdubio culpa lethalis eſſet, & non alia ratione, niſi quia obiectum illud, in quod deſiderium fertur eſt rectę rationi diſſentaneum, atque adeo inhoneſtū, ita pariter illicita erit delectatio de eodem obiecto.

3 Vt autem caſum plenè determinemus illum placet ſpectare, & ſpeculatiuè, & practicè, omnibus circumſtantijs penſatis.

4 Dico igitur primo, ſi ſpeculatiuè rem cõſideremus, cenſeo non eſſe coniugem illum, ita facilè de graui culpa damnandum. probatur euertendo fundamẽtum, quo nititur oppoſita ſententia, quale eſt turpitudo talis obiecti, aio enim obiectum illud liberum eſſe ab omni turpitudine, & inhoneſtate, & per conſequens delectatio, quæ de illo capitur non erit mala, ſaltem grauiter; declaratur enim aſſumptum, obiectum non eſt in caſu poſito, niſi externa illa pulchritudo alienæ mulieris, delectari autem de huiuſmodi pulchritudine vlterius non proſequẽdo, nemo eſt, qui iudicet eſſe peccatum mortale, perindè enim reputari debet, ac ſi eſſet delectatio de aliqua pictura, aut de alia re pulchra, & hanc ſententiam inuenio apud *Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 17. n. 6. apud Candidum in ſuis moralibus diſquiſit. 24. art. 22. dub. 14.* proindè cum ex parte obiecti ſecũdum ſe ſpectati nulla reperiatur moralis turpitudo, & ipſa met delectatio ordinetur in finem honeſtum; idcirco neque ex parte obiecti vt ſic, neque ex parte ipſius finis erit illicita.

Ex his patet ſolutio ad rationem dubitandi initio poſitam, negare enim debemus delectationem eſſe de obiecto turpi, & inhoneſto, vt hactenus eſt oſtenſum. 5

Dicẽdum eſt ſecundo, ſi delectatio practicè ſpectetur, non erit libera ab omni malitia, quæ licet interdum ratione obiecti, aut finis non ſit moraliter mala, ſpectata tamẽ conditione ſubiecti, nempe ipſius viri delectationem capientis, poterit eſſe mortalis ratione periculi, ne ipſa delectatio feratur in obiectum turpe, vt eueniret, ſi eſſet de concubitu cum eadem muliere, aut de aliqua alia turpitudine, & ideo practicè loquẽdo, difficilè eſt, vt vir, qui ita delectatur, ſe contineat, proinde rectè admonet Sanchez in fine illius numeri, hoc non eſſe permittẽdum, ſed valdè diſſuadendum, & addó quod quamuis daremus hominem hunc eſſe adeo continentem, & conſtantem, vt omne periculum cõſenſus, aut delectationis in obiectum turpe, longè abeſſet; nihilominus moraliter ſemper interueniret in huiuſmodi delectatione aliqua deordinatio ſufficiens ad peccatum veniale, quia non videtur mediū ordinatum ad illum finem. 6

Et hæc fuit mea ſententia, quam prædictis circumſtantijs modificatam interroganti aperui.

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

Carnalem copulam habent cum ſua vxoris conſanguinea, in primo, & ſecundo gradu; ignorans pœnam priuationis iuris ad debitum coniugale exigendum: ſit ne huius pœnæ reus.

SVMMARIVM.

Supponitur lex eccleſiaſtica priuans iure petendi debitum. 1
Prima opinio affirmat non obſtante ignorantia inceſtuoſum priuari tali iure. 2
Secunda ſententia negat incurrere inceſtuoſum in talem pœnam ſi illam ignoret, & hanc opinionem, vt probabiliorem amplectitur Author. 3
Eius veritas non probatur ſufficienter ex cap. 1. de eo, qui cognoſcit conſang. vxor. 4

Non

Digitized by Google

5 *Non ſatisfacit quorumdam reſponſio.*
6 *Melius probatur ex eo, quod pœna menſuranda ſit per ordinem ad culpam, quæ non debet ignorari.*
7 *Satisfit fundamento oppoſitæ ſententiæ.*
8 *Inceſtuoſus ſciens prohibitionem Eccleſiæ, ſi ſolam pœnam ignorat, priuatur ſecũdum aliquos iure petendi debitum.*
9 *Oppoſitum ſuſtinent alij loquendo de pœna extraordinaria, & his ſubſcribit Author.*
10 *Soluitur inſtantia in contrarium.*
11 *Si quis inuincibiliter ignoraret pœnam inferni, fieret talis pœnæ reus, & quare.*

1 SVpponimus in præſentia legem illam eccleſiaſticam *in cap. 1. de eo, qui cognoſcit conſanguineam vxoris ſuæ*, per quam ſtatuitur exactionem debiti coniugalis prohiberi, ſi quis commercium carnale habeat, cum aliqua tali conſanguinea propriæ coniugis, dixi, in primo, aut ſecundo gradu, nam poſt *Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de reformat. cap. 4.* impedimentum affinitatis oriens ex copula illicita, vſque ad ſecundum gradum incluſiuè fuit reſtrictum, & ideo per talem copulam inter ipſos coniuges reſultat affinitas, quæ debiti petitionem impedit, & quamuis ex parte alterius coniugis innocentis liberum remaneat, & expeditum ius ad debitum exigendum poſt bimeſtre, vel poſt matrimonium quandocumque conſumatum; nihilominus Eccleſia conuenienter cenſuit in pœnam delicti delinquentem mulctare, proinde qui huiuſmodi peccatum inceſtus patrauit, nequit antequam diſpenſationem ab Epiſcopo, vel ab alio, facultatem habente, obtineat, debitum poſtulare ab altero coniuge, abſque eo quod grauiter peccet. Quærimus ergo num tali pęna ſit etiam afficiendus ille, qui licet cognoſcat ſe inceſtum committere, ignorat tamen, vel prohibitionem ſpecialẽ Eccleſiæ, vel ſaltem pœnam ab eccleſia impoſitam: his pro maiori quæſiti intelligentia præmiſſis, examinabimus quæſitum, & à priori membro, tanquam à faciliori exordium ſumimus, nempè quando ignorantia circa vtrumque verſatur.

2 Prima autem opinio affirmat, etiam ea ignorantia præſuppoſita, adhuc inceſtuoſum pœna illa eſſe puniendum, & in hac ſententiã eſt *Corduba in quæſtionario lib. 1. quæſt. cap. 2. art. 1. ver. Ex quo ſequitur. & lib. 2. q. 27. initio*, loquens vniuerſaliter de eo, qui peccat mortaliter contra legem diuinam cum ignorantia pœnæ per legem humanam impoſitæ. in eadem ſentẽtia eſt *Rodriquez in ſumma p. 1. cap. 241. concluſ.* 11.

Probatur, quia dans operam illicitæ rei, quæ vt mala agnoſcitur, virtualiter, & implicitè videtur conſentire rebus, quæ ex tali actione ſequuntur, ſeu de illis non curare, ſed copulam habens cum conſanguinea ſcit ſe rei illicitæ operam dare, nam ſuppo-nimus coitum illum eſſe contra legem naturalem, & diuinam; ergo virtualiter, & implicitè vult ea, quæ ex tali actione ſequuntur, inter quę eſt pęna nõ ſolum lata à Deo, ſed etiam ab eccleſia, nempè priuatio prædicti iuris ad petendum debitum.

Secunda ſententia negat huiuſmodi inceſtuoſum, in eo caſu affici pœna illa, quę ab eccleſia eſt impoſita, & huic opinioni, vt lõgè probabiliori omnino adhæreo: eam docent grauiſſimi Authores apud Sanchez loco mox citando, *vt Palud. in 4. d. 42. q. 1. ar. 1. concluſ. 7. Gabriel in ſupplemento ibidem q. 1. art. 2. concl. 4. Sanchez lib. 9. de matr. d. 32. n. 49. Reginaldus in praxi lib. 31. n. 298. concl. 2. Bonacina de matr. q. 4. p. 2. quæſito 4. Merol. tom. 1. diſp. 1. cap. 2. n. 244.* & pro eadem opinione adduci poſſunt alij, qui in facto ſimili idem aſſerunt, nempe quando pater abſque vlla neceſſitate baptizat, vel ſuſcipit de fonte communem filium cum vxore, contrahit cum illa cognationem ſpiritualem: & laborantem inuincibili ignorãtia de pœna priuationis iuris ad petendum debitum, non priuari tali iure docent. 3

Probari ſolet hæc ſententia à quibuſdam *ex cap. 1. de eo qui cognoſcit conſanguineam vxoris, &c.* vbi Pontifex imponens pœnam iuris petendi debitum, requirit peccatum hoc ex ſcientia fuiſſe commiſſum, quando enim à lege ſcientia poſtulatur, excuſat ab incurſione pœnæ, non ſolum ignorantia inuincibilis, ſed etiam craſſa, vt Authores animaduertunt, dicit enim Pontifex, *ſi quis cũ filiaſtra ſua ſcienter fornicatus fuerit, &c.*

Verum ex hoc canone cenſeo non poſſe efficax deſumi argumentum pro noſtra ſententia, nam ibi ſermo videtur eſſe quando eſt ignorantia facti, hoc eſt cum fornicans ignorat mulierem illam ſuam eſſe priuignam; proinde non erat ab Eccleſia fornicator priuandus iure petendi, cum contra prohibitionem eccleſiæ minimè deliquerit, neque reſponſio quorumdam, ni fallor, robur dat prædicto argumento, aiunt enim textum illum, cum ſit pœnalis, & exigat, vt ſcienter delictum hoc committatur, vt delinquens pœna illa mulctetur, eſſe reſtringendum, vt requirat ſcientiam non ſolum facti, verum etiam iuris. 4

Cæterum hæc non ſatisfaciunt, quia ex eo quod textus ille ſit pœnalis, atque adeo preciſè intelligendus, nihilominus reſtrictio non debet fieri, extendendo verba per additionem nouæ qualitatis ex parte ſubiecti, quæ qualitas nullam connexionem habet cum obiecto, quod requiritur agnoſcẽdum, vt ſic enim nimia libertas vnicuique dare- 5

tur

tur ad addēdas nouas conditiones pro placito,in omni lege pœnali,quod eſt inconneniens.cum igitur textus nihil aliud poſtulet ad incurſionem illius pœnæ,niſi vt reus ſciat mulierem illā eſſe ſuam priuignam, cognatio autem iſta nullam habet connexionem ex ſe cum prohibitione ſpeciali eccleſię ſtatuentis contractionem affinitatis inter virum,& eius vxorem,ideo ex vi illorum verborum neque veſtigium de hoc alio obiecto habetur,proinde ex textu illo nequimus efficax deducere argumentum ad intentum probandum.

6 Probari igitur melius ſolet hęc ſententia quia pœna eſt menſuranda per ordinem ad culpam,vt habetur *ex cap. Felicis*, *§. Illud autem de pœnis*, *in 6.* proindè ſi quis inuincibiliter ignoraret actionem aliquam eſſe contra ius diuinū,& naturale, nō mereretur pœnam contra talis iuris tranſgreſſores impoſitā; ſic igitur cū pœna priuationis petēdi debitū cōiugale ſit inflicta ab Eccleſia prohibēte cōmerciū carnale cū conſanguineis proprię cōiugis ratione affinitatis,quę inter ipſos cōiuges conſurgit;ſi quis inuincibiliter ignorat cōmercium iſtud ab Eccleſia prohibitum eſſe, non meretur priuari iure, quod habebat ad debitum exigendum.

7 Ad fundamentum vero contrariæ ſententiæ, Reſpondeo illud principium intelligendum eſſe, ſub ea ratione ſecundum quam actio aliqua cognoſcitur, vel culpabiliter ignoratur, vt illicita, quia cum pœna ſequatur culpam, qui culpam commiſit, reus erit illius pœnæ, quæ eſt annexa malitiæ cognitæ; ſic peccans cenſebitur virtualiter, & implicitè velle ea, quæ ex tali actione, vt formaliter mala ſequuntur,non autem ea, quæ ſequuntur eamdem actionem ſub illo reſpectu malo, qui hic, & nunc inuincibiliter operanti non apparet, & de hoc puncto non eſt magna difficultas, ſed de alio, nempe quando inceſtum committens ſcit copulam illam eſſe ab eccleſia ſpecialiter prohibitam ob affinitatem

8 iniquè contractam; & ſolum ignorat pœnam; tunc enim videtur dicendum non eximi peccantem à pœna impoſita, atque adeo non poſſe abſque diſpenſatione petere debitum à coniuge altero innocente, & hanc ſententiam non ſolum à fortiori ſequuntur auctores, qui vt vidimus ſuſtinent, nō obſtante ignorantia legis eccleſiaſticæ incurri in pœnam prædictam, verum etiam nonnulli quos citauimus ſupra pro ſecunda ſententia, & ideo eam defendit *Sanchez diſp. cit. in fine*, nam diſiunctiuè loquens, ait, quod ſi amplectenda eſſet ſententia, quam *n.* 2. retulerat, nempe,ignorantiam ſolius pœnę, excuſari ab ipſius pœnæ incurſione, tunc ſic ignoranter operans non afficeretur pœna, & retenta ſententia contraria, quam *n.* 2. *ipſe tuetur*: eſſe aſſerendum, inquit, conſequenter in caſu noſtro, pœnam hanc incurri ab eo,qui copulam cum ſuæ vxoris conſanguinea habuit, idem etiam docet *Reginaldus l. c. concluſ.* 3. dicens in praxi conſulendam eſſe hanc opinionem tanquam tutiorem.

Sed oppoſitum amplectuntur alij,& probabiliter id ſuſtinent, videlicet, *Merolla cap. cit. n.* 247. *Bonacina vt ſupra Caſtropalaus tom.* 1. *tract.*2.*diſp.*1.*p.*18.*nu.* 8. *in fine*; & in eadem ſententia eſſe debent illi, qui vniuerſaliter docent ignorantiam ſolius pœnæ à lege impoſitæ, ſatis eſſe ad excuſandum reum ab eadem pœna, ſi ſermo ſit de pena non ordinaria, ſed extraordinaria, quam ſententiam docet *Nauarrus in ſumma latina cap.* 27. *n.* 274. *& quamplures alij*, & hanc ſententiam cenſeo tutam in praxi, quam ſequi quilibet poſſet; probatur, quia pœna iſta, qualis eſt priuatio iuris petendi, cum ſit nimis rigida,& extraordinaria,hoc eſt non annexa per ſe cum peccato illo, in quantum prohibetur ab eccleſia, requirit aliquam ſui cognitionem, proinde, qui omnino eam ignorat non videtur tali pœna plectendus.

Sed contra obijcies. Non eſt de ratione pœnæ eſſe voluntariam; ergo ad eam incurrendam non prærequiritur cognitio,cōſequentia videtur certa, quia in tantum ignorantia impedit eius executionem, in quantum nulla poſita ſcientia nequit delinquens implicitè velle pœnam, ſeu non curare ſe illi ſubijcere patrando culpam, quod eſt implicitè, & indirectè velle pœnam. antecedens probatur, quia omne id, quod eſt pœnale, eſt contrarium appetitui. 10

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, nō eſt de ratione pœnæ extraordinariæ eſſe voluntariam, in ſe, & directè concedo; in cauſa, & indirectè nego: requiritur,enim, vt reus feratur in actionem illam cognitā, vt cauſam pœnæ, quia tunc cenſetur velle implicitè, & indirectè pœnam illam,ſeu vt clarius loquar, requiritur, vt tranſgrediens legem contemnat illam, vt cauſam illius pœnæ, contemptu tamen non ſpeciali, & formali, ſed tranſcendenti, & virtuali, qui reperitur in omni peccato reſpectu legis tale peccatum prohibentis, vt de illo tractatur *in p.* 2. cum agitur de voluntario, & inuoluntario. his poſitis neganda eſt conſequentia.

Obijcies ſecundo. ex hac opinione ſequeretur, quod ſi quis inuincibiliter ignoraret pœnam æternam inferni ob peccata, quæ committit,non deberet à Deo ad infernum damnari, conſequens eſt falſum,& errorem continens, ergo antecedens non eſt admittendum. 11

Reſpon-

Reſpondeo negando ſequelam, nam et rectè reſpondet ad hoc argumentum Caſtropalaus, pœna illa æterna non eſt extraordinaria, neque rigida, ſtante malitia peccati contra Deum, immo peccatum
1 plus meretur, inde eſt, vt Deus ſicuti dicunt Theologi puniat citra condignum, at priuatio perpetua illius iuris eſt extraordinaria pœna, & nimis rigida, impoſita tamē laudabiliter ab eccleſia, vt arceat homines à ſimilibus ſceleribus patrandis: & ex hoc patet diſcrimen inter vtramque pœnā, nempe ordinariam, & extraordinariam, nā illi ſponte ſubijcit ſe peccans, voluntariè enim, & ex cognitione legis delinquēs, neceſſario cognoſcit ſubmittere ſe alicui pœnæ, ſaltem ordinariæ, & proportionatæ, quia ſcit omne malum eſſe puniendum, at non ita quando pœna eſt extraordinaria; & ideo vt reus illam iuſtè ſuſtineat, debet illam præcognoſcere, & ex tali præcognitione eidem ſe ſubijcere.

QVÆSTIO DECIMANONA.

Vtrum dictum vnius teſtis de impedimento dirimente matrimonium, ſufficiens ſit, ne illud contrahatur; & quid ſi iam ſit contractum.

SVMMARIVM.

1 *Species facti proponitur.*
2 *Contrahēs in tali caſu grauiter delinquit.*
3 *Enarrantur conditiones, quæ in vnico teſte affirmante eſſe impedimentum dirimens, requiruntur.*
4 *Tale teſtimonium non eſt ſufficiens ad diſſoluendum matrimonium iam contractum.*
5 *Dubitans tamen de tali impedimento, tenetur adhibere diligentiam, vt veritatem acquirat.*
6 *Tenetur non obſtante ſua ambiguitate reddere debitum coniugi petenti.*
7 *Nequit tamen illud reddere, ſi alter coniux, vel mala fide contraxit, vel ſi bona fide, poſtea vero etiam incipiat dubitare.*
8 *Teſte habente prædictas conditiones, vel ſi concurrant aliæ coniecturæ de impedimēto dirimente, coniux dubitet, vel prudenter opinetur ita eſſe, cenſetur eſſe in mala fide.*
9 *Poſita debita diligentia ad veritatem inueniendam, ſi appareat inſufficientia teſtis, coniux poterit licitè, & reddere, & petere debitum.*
10 *Soluitur argumentum cōtrarium ex quadam paritate ductum.*
11 *Poſt initum matrimonium, ſi non maneret occaſiones, ex quibus veritas haberi poſſit, coniux indiget diſpenſatione ad petendum debitum.*
12 *Quomodo in hac materia gerere ſe debet cōfeſſarius in admonitione pœnitenti faciendo.*

CAſus, de quo conſultus fui, ita declaratur. Antonius contraxit ſponſalia cū Berta, & admonitus à Catharina ſibi conſāguinea adeſſe impedimentum conſanguinitatis, negauit ſe contraxiſſe, aut contracturū; poſtea veritus ne aliquod adeſſet impedimentum dirimens matrimonium, feſtinauit illud contrahere, quia ad id vehementer inclinabat: & de facto contraxit, vt moris eſt in facie eccleſiæ, factis denunciationibus. contracto iam, & conſumato matrimonio, manifeſtauit Catharina conſanguinitatem inter Antonium, & Bertam tertij in quartū gradum, quamuis id à nullo alio potuerit probari: dicta vero Catharina deponit conſanguinitatem illam ex fide maiorum. quæritur an prædicti coniuges egeant diſpenſatione. 1

Dico primo: Antonius contrahens cum Berta peccauit: colligo enim ex dictis mala fide contraxiſſe, debebat enim ante cōtractionem inquirere, an re vera adeſſet impedimentum conſanguinitatis, quia teſtis vnicus, & ſingularis, habens aliquas conditiones mox enumerandas, ſatis eſt ad impediendū matrimonium, non dum contractum, ſi affirmet eſſe tale impedimentum. 2

Prima cōditio eſt, vt clarè diſtinguat gradus cognationis. ſecunda, vt deponat cum iuramento id audiuiſſe à pluribus maioribus: Tertia, vt hoc faciat ante litem inceptā: quarta, vt non ſit perſona vilis. hæ autem conditiones habentur. *in cap. licet ex quadam. de teſt.* & recenſetur à *Sanchez lib. 1. de matr. diſp. 71. num. 9. & ſeq.* & cum teſtimonium Catharinæ, quantum colligere potuerim ex caſu propoſito, videatur prædictas conditiones inuoluere; idcirco Antonius ante indagationem veritatis non poterat licitè tale contrahere matrimonium. 3

Dico ſecūdo, teſtimonium Catharinę etiā cum recenſitis conditionibus non eſt ſufficiens ad dirimendum matrimonium contractum, requiruntur enim duo teſtes fide digni, & non ſuſpecti, aut ratione conſanguinitatis, aut alterius tituli: vt rectè admonet *Gutt. trac. de matr. cap. 49. n. 32. Sanchez lib. 2. de matr. diſp. 45 num. 25. 30.* excipe tamen cum eodem *Sanchez diſp. cit. num. 31.* quando agitur de probando impedimento conſanguinitatis: quia tunc cognati, alijque propinqui non ſunt cenſendi ſuſpecti. vide *Maſcardum de probat. concl. 1033. n. 19. 20.* nam conſanguineis notior eſt linea cognationis, quam alijs, & ideo ad probandum impedi- 4

pedimentum conſanguinitatis non oportet cognatos eſſe, omni exceptione maiores.

5 Dico tertio: Antonius tenetur adhibere omnem moralem diligentiam ad inueſtigãdum, an re vera inter ipſum, & Bertam ſit tale impedimentum, & interim tenetur ſaltem debitum non petere, neque alium actũ carnalem exercere cum illa. ducor ad hoc aſſerendum, quia ex dictis Antonius cum mala fide contraxit, ideo nullum ius petendi acquiſiuit, nam, vt inquit *Bonacina de matrim. q. 4. punc. 4. num.* 10. poſſeſſio mala fide incepta ius non tribuit: idem docet *Gutier. cap. cit. Sanchez lib. 2. diſp. 24. n. 2. & alij apud ipſos.*

6 Dico quarto: Antonius poteſt, & tenetur reddere debitum Bertæ petenti poſt bimeſtre, vel ante, ſi matrimonium ſit conſumatum, ſi tamen ipſa Berta bona fide cõtraxit, & in eadem bona fide perſeueret. ratio eſt, quia ſtante bona fide Bertæ, Antonius ex iuſtitia tenetur reddere debitum, & Berta non ſpoliari debet ſuo iure ob malam fidem Antonij; ita *Bonacina num. 3. Sanchez n. 2. Gutier l. c.* hæc veritas aſſeritur *in cap. Dominus de ſecundis nuptijs; & in cap. Inquiſitioni de ſententia excommunicationis in decretalibus.*

7 Dico quinto: ſi Berta mala fide contraxit, vel ſi contraxit bona fide, nunc autem eſt in mala fide, vel dubitat; non poteſt petere debitum, neque Antonius poteſt illi reddere, ob rationem ſuperius aſſignatam.

8 Dico ſexto: ob teſtimonium Catharinæ, ſi habeat ſuperenumeratas conditiones, vel ob alias coniecturas, quæ ſint ſufficientes, vel ad opinandum, vel ad prudenter dubitandum, Berta incipit eſſe in mala fidè, ac proinde neque ipſa poterit petere, aut reddere debitum; ſed prius tenetur diligentiam adhibere ad veritatem aſſequendam.

9 Dico ſeptimo: ſi Antonius debitam apponat diligentiam ad inquirẽdum, num id, quod Catharina teſtatur de impedimento conſanguinitatis veritatem habeat, & diligentia adhibita, innoteſcat dictũ illud Catharinę ſufficienti fundamento minimè niti ita vt non potuerit matrimonium contrahendum impedire, ſi ante contractionem à iudice teſtimonium prædictum diſcuſſum fuiſſet; ſi inquam, Antonius talem diligentiam apponat, &c. poteſt non ſolum reddere, ſed etiam petere debitum. probatur concluſio, quia in tali caſu perinde ſe habet, ac ſi matrimonium illud validè, & licitè cõtractum fuiſſet: nam leuitate illius teſtimonij innoteſcente, nullum remanſiſſet impedimentum ad contrahendum; & quamuis Antonius peccauerit iniens matrimonium, priuſquam examinaret veritatem; nihilominus cum iam omnia diligenter perpenderit, & ſufficiens fundamentum illius teſtimonij minime reperetit, res videtur eſſe integra, & Antonius plenè ius ſuum poſſidere, proinde nil obſtat, quin licitè debitũ petere poſſit.

Sed contra hanc concluſionem efficaci argumento vrgetur à pari, nam ſi quis mala fide rem ab altero emat, nempe dubitans furtiuam eſſe, quamuis poſt emptionem diligentiam adhibeat ad veritatem indagãdam, ſi illam aſſequi non poſſit, & conſequẽter dubium illud perſeueret; tenebitur rem illam vel reſtituere, vel pretium, ſi Dominus ignoretur, in pauperes diſtribuere: & hoc non ob aliam rationem, niſi, quia cum mala fide poſſidere inceperit, poſſeſſio ipſi ſuffragari nequit: igitur à pari Antonius cũ mala fide inierit matrimonium, ambigens de impedimento conſanguinitatis, quamuis poſt matrimonium tali dubio contractum, diligentiam ponat ad veritatem acquirendam, ſi illam obtinere nequeat, & dubium illud perſeueret, poſſeſſio non fauebit, & ideo non potuerit debitum petere, ſed ſolum reddere. 10

Reſpondeo primo varia eſſe doctorum placita, quid ſit faciendum: & licet ego ſentiam emptorem eſſe ad aliquam reſtitutionem aſtringendum, vt probaui cum multis *in tractatu de conſcientia dubia diſcep. 6. c. 9.* §. 7. nihilominus etiam admiſſa obligatione ad integram reſtitutionem, reſpõdeo ſecundo, negando paritatem, quia emptor mediante illa induſtria, quam apponit pro veritate aſſequenda, non habet iuſtũ titulũ, ob quem poſſit licitè emptionem illam facere, quoniam idem dubium, quod perſeuerat poſt emptionem, iiſdem circumſtantijs afficitur, quibus affectum prohibebat ante ne res illa emeretur; verum in caſu noſtro mediante diligentia, quam Antonius adhibet, non manet dubium de impedimento cum iiſdem circumſtantijs, quia ante diligentiam non apparebant motiua, quę friuolum reddunt teſtimonium Catharinæ: proinde, quamuis leuitate teſtimonij non apparente, licitè matrimonium contrahi non potuerit, leuitate tamen clareſcẽte nil prohibet, quin contrahatur.

Dico octauo: ſi poſt matrimonium contractum non manerent occaſiones illæ, quę erant prius ante matrimonium, ex quibus perpenſis poſſet Antonius veritatẽ inueſtigare; cẽſeo nõ poſſe Antoniũ petere debitũ, & ad illud petẽdũ indigere diſpẽſatione. probatur concluſio, quia cum Antonius, tali dubio contrahens, in poſſeſſionem Bertæ mala fide ingreſſus fuerit, poſſeſſio erit pro dubio, quo remanente ſicuti prius, prohibetur petitio debiti, & nulla erit fauorabilis poſſeſſio pro ipſo Antonio. 11

Dico nono: confeſſarius in hac materia 12
pru-

prudenter debet ſe gerere in admonitione facienda pœnitenti, interdum melius, & vtilius erit illum in eius bona fide relinquere, & ideo in ordine ad praxim, ne admonitione aliquod maius malum obueniat, oportet vt ipſe confeſſarius inſpiciat omnes circũſtantias, ſcilicet, qualitatem perſonarum, an Berta, quæ eſt eius pœnitens laboret nec ne ignorantia inuincibili, &c. & tunc ſi ſperet emendationem, & facile remedium, debet illam admonere; ſi vero nullam probabiliter ſperet vtilitatem, vel ob conſcientiam pœnitentis, vel quia remedium eſt valdè difficilè, tunc non debet admonere. ſi autem Berta laboret ignorantia vincibili, tunc tenetur confeſſarius, etiamſi nullam ſperet vtilitatem, & emendationem Bertam admonere, aliter conferret ſacramentum pœnitentiæ perſonæ indignæ, quod eſt graue peccatum. vide *Guttier. quæſt.* 48. *n.* 3. *&* 4. *Sanchez l.* 2. *de matrim. diſp.* 38. *n.* 2. 5. *&* 10.

LIBER VNDECIMVS

EXPENDITVR OPINIO CANDIDI PHILALETHI De opinione probabiliore ſequenda.

PLacet huic operi coronidem imponere hoc Libro, quem integrum inſtituo aduerſus Dominum Candidum Philalethum, oſtendendo integrum nobis eſſe, probabiliore omiſſa, minus probabilem opinionem ſequi, & quidem rectè memini me in tractatu de conſcientia fusè expendiſſe hanc controuerſiam, ſed eam iterum exagitandam ſuſcipio, occaſione accepta ex tertia quadam propugnatione, quam pro ſua doctrina contra meam edidit Candidus Philalethus, qui eiuſdem propugnationis initio profitetur ſe tertio veniſſe ad hanc quæſtionem examinandam, in hac autem poſtrema propugnatione multa contra meam doctrinam in eo tractatu poſitam, ab ipſo congeruntur; ideoque contra eius ſententiam tertio inſurgo.

QVÆSTIO VNICA.

Impugnatio tertia contra Candidi Philalethi doctrinam.

SVMMARIVM.

1 *Refertur ad verbum tertia Philalethi propugnatio.*
2 *Impugnatio Authoris.*
3 *Aliqua præmittuntur ad æquiuocationem tollendam.*
4 *Non eſt controuerſia de iudice ſententiam ferente.*
5 *Examinantur Authores, quos pro ſe citat Philalethus.*
6 *S. Auguſtinus nil fauet Philaletho, quod fusè oſtenditur eius doctrinã ponderando.*
7 *Ex eadem doctrina ſumitur argumentum contra Philalethum.*
8 *S. Chryſoſtomus nil aliud vult niſi à negotiatore eſſe inquirendas meliores merces, & à populis Doctores vt inſtruantur in rebus fidei.*
9 *Declaratur mens S. Thomæ.*
10 *Inſtantia Philaleti deſumpta ex verbis S. Thomæ ſoluitur.*
11 *Expenditur opinio Scoti.*
12 *Examinantur dicta Nauarri.*
13 *Oſtenditur non eſſe rationi diſſentaneum exponere Doctores citatos locutos fuiſſe de conſilio.*
14 *Examinatur num ſit neceſſarium in operando, quando non habemus euidentiã, iudicium de honeſtate obiecti ſecundum ſe.*
15 *Nunquam Author dixit non eſſe neceſſarium iudicium de honeſtate materiæ, ſed ſolum de honeſtate materiæ ſecũdum ſe.*
16 *Declaratur dictio illa, ſecundum ſe.*
17 *Iudicium de honeſtate obiecti ſecundum ſe, & iudicium de honeſtate probabiliter connexa cum obiecto, nõ ſunt ab Authore termini confícti; nam eodem modo lo-*

Digitized by Google

quendi vtuntur Authores.

18 *Nil frequentius, & magis obuium apud Authores.*

19 *Non rectè colligit Philalethus ab Authore negatum fuiſſe id, quod prius conceſſerat.*

20 *Inutiliter Philalethus probat eſſe inſufficiens iudiciū de probabilitate apprehenſa.*

21 *Philalethus pro ratione affert id, quod eſt maximè probādum relinquendo melius.*

22 *In rebus phyſicis nemo eligit quod eſt ſibi minus vtile reliquendo vtilius.*

23 *Falſum eſt opinionem minus probabilem, non eſſe ſimpliciter probabilem.*

24 *Inſtantia in contrarium diluitur.*

25 *Iudicium de boneſtate ſecundum apparentiam iuuat ad iudicandum obiectum eſſe ſecundum ſe boneſtum.*

26 *Proſequitur Philalethus ad probādum non ſufficere iudicium de boneſtate obiectā ſecundum apparentiam.*

27 *Falsò tribuitur Authori ab ipſo negari eſſe neceſſarium ad operandum boneſtè, iudicium probabile de boneſtate materiæ.*

28 *Perperam ait Philalethus reſpōſiones, quæ ad ipſius argumenta tradit Author peccare.*

29 *Ariſtoteles non benè intelligitur à Philaletho.*

30 *Vt explicetur mens Ariſtotelis in eo, in quo citatur, conſideranda eſt natura noſtri intellectus.*

31 *Vt intellectus præſtet aſſenſum, aut diſſenſum alicui motiuo inniti debet.*

32 *Inuitatur Author à Philaletho ad pōderādas rationes ab ipſo allatas.*

33 *Argumentum quod vt fortiſſimum proponit Philalethus facilè diluitur ab Authore.*

34 *Non ſatisfacit Philalethus argumento deducto ex epiſt. S. Ignatij.*

35 *Secundum leges prudentiæ deberet Philalethus recedere ab opinione, quā defendit.*

36 *Retorquetur ab Authore contra Philalethū fundamentalis eius ratio.*

37 *Secundum iuris rigorem hæc ab Authore dicta ſunt, ſecundum autem perfectionē, & conſilium meliùs eſt ſequi tutiorem ſententiam.*

1 VT diſtinctius, & clarius omnia, quæ docet Philalethus expēdantur, placet ipſam met eius propugnationē de verbo ad verbum tranſcribere, ſic enim habet. *Ecce tertio hoc venio ad vos, inquit Beatiſſimus Paulus; in ore duorum, vel triū teſtium ſtabit omne verbum. ſemel, & iterum pro Candido reſponſum eſt aduerſus duos impugnatores, vt iam ſit ſatis, ſuperque: tertia reſponſio, erit tertia, ac nouiſſima veritatis teſtificatio, atque confirmatio.*

R.P. Frāciſcus Bardi in ſuis diſceptationibus moralibus hoc anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo Panormi editis, diſcept. 4. ca. 11. Apologiam pro Philaletho expendit, & impugnat, cum prius cap. 10. argumentis quibuſdam Philalethi pro eiuſdē ſententia reſpondiſſet; breuiſſimè Apologia, & doctrina Philalethi propugnabitur.

Illo igitur cap. 11. aſſerit primò Auctores à Philaletho pro ſua ſententia citatos, non omnes eſſe pro ipſo, ſed tantum aliquos, alios vero non ſe explicare, an de conſilio, vel de præcepto loquantur; S. Thomam aliud intēdere, Scotum loc. cit. nihil de hoc affirmare.

Reſpondetur non ſolùm aliquos, & quidē inſignes, & primæ claſſis, ſed omnes à Candido citatos ſtare pro ipſo, verba ipſorum, ab ipſo relata faciunt huius rei fidem. explicare ſcholaſticos Doctores, de aliqua veritate diſputantes, quod intelligendi ſint de conſilio, non de præcepto; non puto valdè conſonū vſui, & rationi. Scotus citatus in 4. diſt. nō prima, ſed 11. queſt. 6. habet verba relata. S. Thomam ſtare pro hac ſententia, oſtendunt verba ipſius, præſertim illa, quodlib. 8. art. 13. à Candido citata, vbi ſic habet: poteſt eſſe quod in caſu contrariarum opinionum, aliquis adhibita diligētia inquirendo, quid liceat, non inueniat aliquid, quod eum moueat, ad hoc, quod ſit illicitum, & ſic poſſit ſine peccato operari, vbi vides quod in caſu contrariarum opinionum non poteſt quis licitè ſequi, quam vult, vt volunt plerique moderni, ſed vlterius adhibenda eſt diligētia, inquirendo, quid liceat; nam contrariæ opiniones inducunt nos in dubium, an liceat, nec neque ſolum adhibenda eſt diligentia, inquirendo quid liceat, ſed ita, vt nō inueniatur aliquid, quod moueat, ad hoc, quod ſit illicitum, quod eſt, neque inueniri motiuum probabile, ad hoc, quod ſit illicitū, & ſic poſſit ſine peccato operari; ſi ergo in contrarietate opinionum inquirēs quid liceat, neque motiuum probabile habere debet, vt exiſtimet illicitum, quiſquis vult operari ſine peccato; quanto minus, ſecundū S. Doctorem, poterit quis cum probabilioribus motiuis, ad putandum illicitum, operari ſine peccato id, quod ſolum habet aliquod probabile motiuum, ad hoc, vt putetur licitum. ex quo patet, quod, vt notarunt Adrianus, & Cordub. loc. cit. à Candido, arctiorē Angelicus verè, ac peccato inimiciſſimus Doctor, quam ſit noſtra, ſequitur viam.

Deinde veniendo ad rationes, vt euertat Bardius præcipuum argumentum pro Philaletho, in forma recitat illud ſic.

Nemo erit boneſtè operans, ſi talem eligat opinionem, quæ in intellectu ipſius operantis gignere nequeat iudicium determinatum de boneſtate materiæ, circa quam verſatur materia eligenda; ſed

Digitized by Google

ſed quando duæ concurrunt opiniones, quarum vna, vt probabilior, altera vero, vt minus probabilis ſe offert, minus probabilis eſt inepta in intellectu ipſius operantis gignere iudicium determinatum de honeſtate materiæ, circa quam verſatur ipſa opinio minus probabilis; ergo quando duæ cõcurrunt opiniones, quarum vna vt probabilior, altera vero, vt minus probabilis, ſe offert, nemo erit honeſte operãs, ſi minus probabilem eligat opinionem.

Egregie, inquam ego, dilucide, fortiter. hic Rhodus, hic ſaltus: hoc argumentum ſi ſoluitur, ſi euertitur, nulla eſt Apologia pro Philaletho. Philalethus ipſe dat man⁹.

**Vt reſpondeat Bardius, quadã præmittit. primo quod non ſunt confundenda iſta duo iudicia, alterum de honeſtate materiæ ſecũdum ſe, alterum de electione opinionis; & quod primum minime eſt neceſſarium, ſed tantum ſecundum; nam quando non habemus euidentiam rerum, ſed ſolum probabilitatẽ, omne iudicium quod prærequiritur ad rectè operandum, nequit eſſe de honeſtate abſoluta obiecti, ſeu materiæ, ſed de honeſtate modali, videlicet de honeſtate, vt probabiliter apprehenſa.*

Siſtamus hic, quæſo, paulisper; falſum eſt enim, quod quando non habemus euidentiã rerum, ſed ſolum probabilitatem, omne iudicium, quod prærequiritur ad rectè operandum, nequit eſſe de honeſtate abſoluta materiæ, ſed ſolum de probabilitate eiuſdẽ apprehenſa, an non diſtinguis iudicium probabile de honeſtate materiæ, à iudicio euidenti de eadem? ſecundum non poteſt haberi verum eſt, primum non poteſt haberi, falſiſſimum eſt. imò primum neceſſe eſt haberi, ad hoc, vt quis honeſtè operetur; nã primo, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ideſt, ſi non credo, ſeu opinor, iuſtum eſſe e.g. cambium, quod exerceo, pecco. ſecundò ſic corrueret omnis virtus, ſi ego iudicare nõ poſſem probabiliter, ſeu opinari talem contractum eſſe iuſtum, talem potum temperatum, talem aggreſſionem fortem. tertiò Sanchez relatus à Philaletho quæſt. 1. cum alijs Theologis, hoc iudicium probabile de honeſtate materiæ ſecundum ſe, & requirit neceſſario, & dicit ſufficere. quartò ipſe Bardius diſcept. 1. cap. 9. requirit neceſſario hoc iudicium probabile, & diſtinguit illud à ſecundo de honeſtate modali, quod vult eſſe certum. quare ergo modo ad effugiendam vim argumenti negatur? quoties repetijt Philalethus, ſecũdum iudicium de probabilitate apprehenſa non ſufficere ad honeſtè operandum? tum quia ſtat me apprehendere, probabile eſſe, quod cambium recurſ; ſit licitum, & tamen quod ego per motiua validiora in contrarium opiner illicitum, cum qua opinione, ſeu iudicio probabili, ſi operor, pecco; ſi enim pecco, operando cum dubio an ſit illicitum id, quod operor, multò magis pecco, operando cum opinione, ſeu iudicio, quod ſit illicitum. tum quia ſtat, duos affirmare hanc viam eſſe bonam, quod facit rem probabilem, & quatuor paris auctoritatis affirmare contrarium, & tamen nullus ſani iudicij dicet, me prudenter, ac non temerè illam viam elegiſſe. tum quia probabilitas huiuſmodi minor non facit rem probabilem ſimpliciter, & omnibus conſideratis; ſed tantum ſecundum quid, ideſt ſecundum aliqua motiua; at actio, ſeu electio, vt ſit prudens, debet eſſe, omnibus, quantum moraliter fieri poteſt conſideratis.

Ad argumentum igitur Bardius reſpondet, concedendo maiorem, non de honeſtate materiæ ſecundum ſe, ſed ſecundum apparẽtiam, ſeu probabilitatem; contra id, quod affirmant omnes theologi, requiri iudicium probabile de honeſtate materia, & contra id, quod ipſe aſſeruerat diſcept. prima cap. 9.

Ad quid enim iuuat iudicium de honeſtate ſecundum apparentiam, niſi in ordine ad hoc, vt poſſim iudicare honeſtatem ſecũdum ſe eius obiecti, quod ſum acturus, ſeu electurus? in tantum enim agere poſſum, quod eſt probabiliter licitum, in quantum ſaltem probabiliter iudicare poſſum, me agere, quod eſt licitum; nam ſi adhuc dubito, me agere quod eſt illicitum, pecco; at cũ probabilitate minori, quod obiectum ſit licitum, & maiori, quod ſit illicitum, non ſolum dubitare prudenter debeo, an ſit licitũ id, quod ago (quod in paribus rationibus, ſeu motiuis, quæ reddunt æquilibrem conſcientiã, faciendum eſt,) ſed etiam prudenter non poſſum, niſi illicitum opinari. cum igitur Bardius neget, ad honeſtè operandũ hoc iudicium probabile de honeſtate materiæ, ſiue obiecti, quod neceſſario concedendũ eſt, & cõcedunt Theologi cum Sanchez loc. cit. & ipſemet Bardius aſſerit diſcept. 4. cap. 9. remanet inſolutum argumentum, & ſuperuacanea ſunt, & cadunt quæcumque præmiſerat in ordine ad illud ſoluendum.

Quod pertinet ad reſponſiones, quas affert argumentis Philalethi cap. 10. non opus eſt immorari; quia peccant eodem modo, ſicut peccatur in reſponſione ad argumentũ prædictum. vnum illud aduertiſſe ſufficiat, quod cæteris facem præfert; reſpondet primo argumento in auctoritate Ariſtotelis fundato, qua dicitur, opinari eſſe neceſſarium ſecundum ſpecificationem; diſtinguendo, quod ſolum tunc ſit neceſſarium, cum nullum motiuum adeſt ex altera parte; & ſic ſuperficialiter ſoluendo, putat ſe deſtruxiſſe plurima argumenta, quibus Philalethus, vt aſſereret neceſſitatem etiam cum aliquibus motiuis ex vna parte, minoribus tamẽ,

ac debilioribus,quàm ex altera,diu,multũque inſudauerat: bonè Deus? ſi reſpondendum eſt, reſponde ſtur fortiſſimis probationibus,& non omittantur; ecce tibi vnam ab Ariſtotele ipſo allatam. qui opinatur, putat ſe verum dicere; ergo non poteſt de duobus contradictorijs opinari, niſi vnum, quia verum in contradictorijs eſt vnum tantum.rurſum ſi putat,ſe verum dicere, ergo in iudicando conformatur, quantum poteſt obiecto,ſic enim ſolum poteſt putare, ſe verum dicere, ergo ſequitur maiora motiua,quæ ſunt in obiecto, per quæ magis repræſentat ita eſſe, quam altero modo contrario; & cum non poſſit iudicare niſi vnũ verum,non poterit niſi iudicare,ſeu opinari verum illud, quod habet maiora, ſeu validiora motiua. huic, & ſimilibus ſolidè reſpondendum.

Quod vero affertur epiſtola S. Ignatij confeſſoris,in qua dicitur,voluntatem poſſe inclinare intellectum ad vnam,vel alteram partem, iam conceſſit Philalethus queſt. 2. propè finem, idque eſſe per accidens ratione exercitij, ſeu applicationis intellectus ad motiua pro illa parte conſideranda; quæ cauſant aſſenſum; idque fieri licitè poſſe dixit in quibuſdam agibilibus indifferentibus, in quibus æquum eſt inuenire rationes, obſequij cauſa facilius, & perfectius præſtandi: alioqui ille Sanctus, & doctus vir aſſerit ibidem, intellectum naturaliter, adeoque neceſſario,ſequi illud,quod ſibi tãquam verum repræſentatur,hoc autem eſt, quod habet fortiora motiua.

Et hæc diſputaſſe ſufficiat,cum bona gratia,id quod mihi certiſſimè perſuadeo, R. P. Bardi, qui valdè ingenioſè, & eruditè in indaganda veritate laborauit, & laborat; vtinam per hos labores ad ipſam primam, vt ſperamus, vterque noſtrum aliquando perueniat.

Impugnatio Authoris.

E*Cce deſcripſi eam tibi tripliciter in cogitationibus,& ſcientia, vt oſtenderẽ tibi firmitatem,& eloquia veritatis,reſpõdere ex his illis,qui miſerunt te.* iuuat ſanè noſtrum Philalethum, ijſdem alloqui verbis,quibus ſapientiſſimus *Salomon prou.* 22. *ver.* 20. 21. ſuum admonebat auditorem, quandoquidem tertio ad nos ipſe Philalethus (quod Beatiſſimus Paulus ad Corinthios ſcripſit)ſe veniſſe iactat, perantiquæ, penèque obſoletæ conſuetudinis ingenioſè ſtudioſus, ter eadem fortaſſe repetit, vt ratum, atque efficax habeatur, ſacra ternarij veneratione,dictum,quod primò, iterumq; prolatum, non magni quidem ponderis apud ſapientes fuit. ſed veniam demus Cãdido non inuiti, & ipſe tertio veniens eſt illorum excuſatione digniſſimus, quos *Plato lib.* 10. *de Republ.* alia licet mente, reprehẽdens,[*Amicè,*inquit *dum ipſorum opera vident, minimè ſentiunt illa tertio gradu diſtare à veritate.*] age iam mi Candide,tria ex curia, vt adagio fertur,an potius idẽ ter tibi dicere datum eſt audias iam nunc vltimum tuæ ſentẽntiæ iudicium.omnia autẽ, vt melius percipiantur in varios paragraphos ſeiungam.

§. I.

Premittuntur aliqua.

NE ſit aliqua inter nos æquiuocationis cauſa, & vt mea ſententia fiat dilu- 5
cidior nonnulla cenſeo pręmittenda.& primo ſuppono diſceptationẽ eſſe de opinione nõ quomodocumque probabiliori; ſed etiã tutiori;nam contrarium eſſet manifeſtè falſum,poteſt enim contingere, vt ſententia minus probabilis,imo parum probabilis ſit tutiſsima, quatenus certo abeſt ab omni culpa;& contraria,quamuis probabiliſſima, tali careat certitudine.v.g. eſt controuerſia apud doctores,vtrum dubitãs de voti emiſſione,nempè de ieiunio, ſi poſt adhibitam diligentiam ad veritatem indagandam adhuc dubiũ perſeueret, teneatur illud adimplere:& probabilior opinio partem negatiuam ſuſtinet, tamen nemo ambigit tutius eſſe votum illud ſeruare ieiunando.ſimiliter controuertitur,num violatio iuſtitiæ diſtributiuæ,quando non eſt admiſta cum commutatiua,obliget,nec ne ad reſtitutionem: & aliqui affirmant; alij vero negant probabilius:ſi autem huius iuſtitię violator non obſtante maiori illa probabilitate,reſtitueret,certum eſt quod eligeret tutiorem opinionem,quamuis minus probabilem,denique lõgè probabilior eſt,& hodie ferè moraliter certa poſt Tridentinum, ſolam attritionem ſufficere ad iuſtificationem in ſacramento pœnitentiæ;requiri autem contritionem perfectam, eſt parum probabile, & tamen,ſi quis per contritionem ſe diſponeret ad ſacramentum illud recipiendum, tutius,imo,& laudabilius operaretur: & ſic in alijs ſimilibus.ſermo igitur eſt de opinione,quæ ita ſit probabilior, vt etiã ſit tutior, & hoc procul dubio intendit Philalethus in ſua diſputatione.

Secundo ſuppono non eſſe controuerſiã 4
inter me,& Philalethum quando agitur de iudice ſententiã ferente, cẽſeo enim aſtringi ad iudicandum iuxta probabiliorem opinionem,vt in *tractatu de conſciẽtia diſcep.* 4.*cap.* 27.probaui:& ſimiliter ſubſcribo Philalethi ſententiæ, cum eſt ſermo de opinione eligẽda à medico in ordine ad curãdum ægrotum, tenetur enim ſequi tutiorem, vt *ibi-*

ibidem cap. 30. oſtendi: demum neque eſſe controuerſiam, cum agitur de valore ſacramenti, vt *eodem tractatu, & diſcep. cap.* 31. *per totum* latè demonſtraui. hæc autẽ præmiſſa debent animaduerti à Philaletho, & ante oculos poni, quia ſæpe impugnando meam ſententiam, exemplificat in aliqua materia ex enumeratis, in quibus non eſt mihi cum illo diſſenſio. debemus igitur pōderare caſus illos, in quibus probabilitas opinionum verſatur ſolum circa honeſtatẽ actus, ſeu actionis, & nō circa valorẽ actus, cum alterius præiudicio ſpirituali, vt explicui *cap. illo* 31. *num.* 9. vt ſunt v. g. actiones in materia de iuſtitia, & in alijs ſimilibus, an videlicet contractus iſte ſit vſurarius, nec ne; an licitum ſit ſumere lucrum ex tali actione, &c. & ſumo illud ipſum exemplum, quo vſus eſt Philalethus, nempe vtrum cōtractus cambij cum recurſu ſit licitus, nec ne: idem de reliquis intelligo.

§. II.

Num authores omnes, quos pro ſe Philalethus laudat, ipſi verè faueant.

5 HOc eſt primum, quod contra me opponit Philalethus *num.* 4. cum enim ego *diſcept. illa* 4. *cap.* 11. *num.* 10. dixerim non omnes antiquiores, & præcipuos theologos eſſe in eius ſententia, cōtra hoc dictum vrget Philalethus perſiſtens in illa ſētentia, nempe authores omnes citatos eſſe pro ipſo. pondero igitur authores eodem ordine, quo à Philaletho allati ſunt in ea *diſputatione de opinionum praxi quæſt.* 5. & quia primo loco Ariſtotelem citauit, cū tamen ſe remittat *ad quæſtionem* 2. vbi conatur probare ex ſententia Philoſophi, liberum nobis non eſſe opinari, de qua reſuſè, & ſufficienter ego egi in tractatu de cōſciētia, declarādo, quo pacto Ariſtotelicū dictum ſit intelligendum, & infra etiam alia addam; idcirco pro me Ariſtotelem relinquo, & ſermonem dirigo ad S. Auguſtinum, quem ante alios pro ſe citat Philalethus, cuius verba refert *in decimaſexta probatione ſuæ concluſionis*, quæ habentur *cap. In canonicis diſt.* 19. & ſunt deſumpta *ex lib.* 2. *de Doctrina Chriſt. cap.* 8. ſic enim dicitur inter alia. [*In illis ſcripturis, quæ non ab omnibus recipiuntur, præponendas eſſe eas, quas plures, grauioreſque recipiunt, his, quæ pauciores, minoriſque authoritatis Eccleſiæ admittunt.*] Hæc Auguſtinus. ex quibus verbis noſter Philalethus infert probabiliorem ſententiam eſſe ſequendam.

6 Sed authoritas iſta nihil Philaletho fauet, vt manifeſtum fiet conſideranti materiam, de qua ibi agitur, & id quod ab Auguſtino intenditur. Pro qua re notandum eſt mentem Auguſtini eſſe, tradere nobis regulam de receptione ſacrarū ſcripturarum, & de maiori dignitate, & veneratione vnius comparatiuè ad aliam, ideoque in verbis præcedentibus ad citata docet, inueſtigatorem diuinarum ſcripturarum ſequi debere eccleſiarum catholicarum authoritatem, quod ſeruabit recipiēs, & reliquis præponens eas ſcripturas, quas tenent eccleſiæ illæ, quæ meruerunt regi ab Apoſtolis, & ab eiſdem epiſtolas accepere, vt ſunt Romana, Corinthia, Theſſalonica, &c. Poſtea proſequens regulæ explicationem, admonet, vt eas recipiamus ſcripturas, quæ ab omnibus recipiūtur, eaſque præponamus eis, quas quædā Eccleſiæ non recipiunt. & in his præteramus illas, quas plures, grauioreſque Eccleſiæ admiſerunt, eis, quas pauciores, & minoris authoritatis tenent; & ſi contingat, vt aliquæ ſcripturæ à grauioribus, aliquæ vero a pluribus ſint receptæ, licet non facilè hoc eueniat, æqualis dignitatis eſſe habendas, iſte eſt verus, & germanus ſēſus verborum Auguſtini, quem, & *Gloſſa in eo cap. In Canonicis*; & alij canoniſtæ nobis aperiunt. nomine autem ſcripturarū canonicarum in eo loco intelligit Auguſtinus eas, quæ ſunt ab Eccleſia, vt ſunt dicta Conciliorum, Patrum, & Epiſtolæ Pōtificiæ, largè enim loquitur, non autem preſsè, quatenus ſcriptura canonica continet tantum vetus, & nouum teſtamentū, vt ibidem aduertit Turrecremata. Hoc autem præmiſſo, demonſtro inefficacitatem argumenti, quod pro ſententia Philalethi ex prædictis verbis deſumi poteſt. Et primo aio, in doctrina illa Auguſtini nihil haberi, niſi documentum, quo inſtruimur ad agnoſcendas ſcripturas, & eas, quæ maioris ſint authoritatis, & venerationis, quam aliæ. hoc autem eſt quid pertinens ad inſtructionem intellectus, & potius ad materiam fidei, non autem ad mores; nos vero agimus de prudenti electione opinionum in ordine ad praxim, nempe ad vitandum peccatum, & ad honeſte operandum, quod eſt valde diuerſum: nam in ijs, quæ pertinent ad fidem, omnino ſequi debemus magis receptum eccleſiæ ſenſum, quia fides innititur veritati rei prout eſt in ſe, non autem prout à nobis apprehenditur, etiamſi prudenter aliquando ita eſſe iudicetur, ſi verè obiectum illud aliter ſe habeat, & falſa ſit ſpeculatiuè prudens illa æſtimatio. Contra vero honeſtas moralium actionum immediatè fundatur in prudenti, & recta æſtimatione, quamuis obiectum à parte rei ſit rationi cōtrarium: v. g. vt docent communiter Theologi, ſi ob aliquem defectum Sacerdos in miſſa non con-

Digitized by Google

conſecraret hoſtiam, fideles aſtantes prudenter crederent hoſtiam illam eſſe conſecratam, ibique eſſe corpus Chriſti Domini; ſed licet actus iſte latriæ ſit prudens, & honeſtus, nequaquam erit actus fidei, quia fides diuina nequit ferri in falſum, ſed tantum in verum obiectum; ille vero actus fundatur in æſtimatione ipſorum fidelium prudenter tamen habita.

7 Secundo ex hac eadem authoritate, quã pro ſe affert Philalethus, valdè efficax contra ipſum pro me deduco argumentum, nã Auguſtinus ita nos admonet, vt recipiamus eas canonicas ſcripturas, quæ à dignioribus Eccleſijs, vel à pluribus receptæ fuere, vt tamen non doceat cum hac prælatione derogãdum eſſe minori illi dignitati, quam habent aliæ ſcripturæ: & ita illæ priores approbantur, vt iſtæ non reprobẽtur, ſed etiam admittantur. ſic explicant textum illum Archidiaconus, & Turrecremata: ita nos ſi à pari argumẽtari volumus tranſeuntes ad materias morales, dicimus, quod ita ſunt magis ęſtimandę, & recipiendæ opiniones probabiliores, vt tamen non contemnantur, & reprobentur minus probabiles, ſed etiam recipiantur, quamuis ſint minoris æſtimationis, cum ſint dicta, doctorũ: & ſic noſter Philalethus cogitur, vel ad deſerendam authoritatem hanc Auguſtini, vt non facientem ad rem, neque ipſi fauentem, vel, ſi eam vſurpet, cogitur fateri opinionem minus probabilem non eſſe ſpernendam, ſed etiam approbandam, & admittendam.

8 Veniamus nunc ad Chryſoſtomum, ſeu authorem operis imperfecti, quem poſtea immediatè pro ſe citat *Philalethus in cap. 23. S. Matthæi hom. 44.* eius verba a Philalecho allata hæc ſunt [*ſi enim veſtimenta emptarus inquiras vnum negotiatorem, & alterum, & vbi meliores veſtes inueneris, & pretio viliori, ab illo comparas: quomodo non oportet populum circuire omnes doctores, & inquirere, vbi ſyncera veritas Chriſti venundatur, & vbi corrupta; & veriorem eligere, pluſquam veſtimentum*] hæc Chryſoſtomus, qui, vt notat Philalethus, aſſerit tales eſſe inexcuſabiles, ſi errant in fide. ex hoc loco cenſeo à Philaletho colligi, à nobis eſſe inquirendos doctores, vt probabiliorem, & tutiorem ſequamur ſententiã, aliter in eligenda opinione falſa non excuſabimur.

Verum in eo loco Chryſoſtomus reprehendens ſcribas, & Phariſeos, qui fingentes ſanctitatem, curabant auertere alios à fide Chriſti, exhortatur populum, vt inquirat doctores, à quibus ſynceram veritatem fidei habere valeat, & omnium confeſſiones, nempe dicta, cognoſcens, veriorem eligat, aliter ob ignorantiam non erit excuſabilis: & ad hunc finem adducit exemplum de illo, qui inquirit varios negotiatores, vt meliores veſtes, & minori pretio emat. loquitur autem Chryſoſtomus de inueſtigatione veritatis earum rerum, quæ ſiue proximè, ſiuè remotè ad fidem ſpectant; & concludit eſſe eam veritatem amplectendam, quæ, diligentia adhibita melior, & verior erit. ſermo vero eſt de veritate ſpeculatiua, quę ad fidem, vel res fidei concernit, non autem de veritate practica in agibilibus, vt patet textum legenti. cæterum ſi velimus aliqua paritate doctrinam Chryſoſtomi ad electionem opinionum extendere, nihil aliud colligeretur, niſi quod deberemus ad veritatẽ obtinendam in rebus moralibus doctores conſulere, vt id quod melius, & verius eſt amplectamur, quod non negatur à nobis; ſed tantum dicimus poſſe nos ſequi opinionem illam, quam ſapientes iudicant eſſe probabilem, & tutam, & non aſtringi ſub graui culpa eligere tutiorem, & probabiliorem. hoc autem ex verbis Chryſoſtomi inſerri non poterit.

Tertio loco expendimus *S. Thomam in quodlibeto 8. non opuſculo*, vt ex errore citatur *quæſtione illa 5.* quaſi ita loquatur, quando ſunt contrariæ opiniones, licere ſemper ſequi vnam, modo non habeatur opinio de contraria, & modo non inueniatur aliquod motiuum ad opinandum contrariam, & ad opinandum de ſua, quæ omnia dicta manifeſtant relinqui non poſſe probabiliorem. hæc Philalethus refert ex S. Thoma. locus autem iſte S. Thomæ eſt valdè obſcurus, vt patet eum legenti, & vt ait *Spinula de libera, & prudenti agibilium electione diſp. 1. ſec. 5. poſt concluſ. 2. fol. mihi* 49. ſi ad litteram ſumatur, erit multipliciter falſus, vt ibi oſtendit ipſe Spinula; proinde ab omnibus erit explicandus. 9

Sed reuera ex doctrina iſta S. Thomæ cõfirmationem ſuæ ſententiæ Philalethus colligere nequaquam poteſt, nempe relinqui non poſſe probabiliorem, &c. ſolum enim docet Angelicus Doctor quod, quando quis ex contrarietate opinionum in quamdam dubitationem incidit, ea manente, ſi operatur, peccabit, ſecus ſi ex illis opinionibus in dubitationem non incidit: hoc autem veriſſimum eſt, & nemo id negat, nam conſcientia dubia perſiſtente, homo periculo peccandi ſe exponens, grauiter delinquit, ſi dubium ſit de culpa mortali. verba autem S. Doctoris hæc ſunt [*diſtinguendum eſt, quia, aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat cõtra conſcientiam faciens, quamuis non cõtra legem: aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, ſed tamen in quandam dubitationem inducitur ex cõtrarietate opinionum, & ſic, ſi manente tali*

tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat, vtpote magis amans beneficium tẽporale, quam propriam ſalutem: aut ex cõtrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non committit ſe diſcrimini non peccat.] Hæc S. Thomas, cuius verba à me declarata fuere ſatis aperte *in tractatu de conſcientia diſcept. 3. cap. 10. §. 2. num.* 15. Cæterum ad mentem S. Doctoris clarius intelligendam, iterũ eius verba pondero, in quibus aduerto dubietatem, de qua ipſe loquitur, & qua perſiſtẽte homo operans peccat, ſumendam eſſe practicè, quia certum eſt apud doctores dubium ſpeculatiuum non eſſe ſufficiens, vt contra illud operantes, peccemus, aliter oporteret ſemper euidentiam habere de rebus, quod nobis eſt impoſſibile; dubium autem ſpeculatiuum ferè ſemper reſultat, quando eſt varietas opinionum, nam ita adhęrere poſſumus vni, vt non cum certitudine, ſed ſolum cum probabilitate adhęreamus, de ratione enim opinionis eſt imbecillitas aſſenſus cum formidine partis oppoſitæ, vel formaliter, ſeu actualiter, vel virtualiter, ſeu radicaliter. maneat igitur ex dictis in doctrina S. Th. allata à Philaletho neque verbum contineri de eius ſententia.

10 Sed vrgebis cũ authore in reſpõſione ad Ioãnẽ Angelũ Boſſiũ pro ipſo Philaletho, cuius titulus eſt: *in appendicem appendix, &c. ver. ſic etiam appareat*, vbi vanam inquit eſſe reſponſionem ad dictum S. Thomę l. c. nam S. Thomas ait, quod quando ſunt duæ opiniones contrariæ, oportet alteram eſſe veram, alteram falſam; ex hoc colligit author iſte, opinionem cadere ſupra rem, quæ vno tantum modo ſe habere poteſt, & non ſupra probabilitatem veritatis, vt vult Boſſius.

Hæc inſtãtia deſumpta ex verbis S. Thomæ mihi non obſtat, quia fateor in re ita eſſe: impoſſibile enim eſt, vt idem obiectũ ſit honeſtum, & nõ ſit honeſtum, hæc enim ſunt manifeſta contradictoria, & nemo ſanæ mẽtis poteſt iudicare, vtrumque obiecto conuenire poſſe. ſed decipitur Author huius appendicis, quia intellectus, quando certum iudicium non habet de honeſtate, aut inhoneſtate obiecti, poteſt iudicare vtrumque eſſe probabile, ſeu vtramque opinionem eſſe probabilem, & practicè admitti poſſe, vt *in tractatu de conſcientia* fusè oſtendi *diſcept. 4. cap.* 12. & inferius contra Philalethum demonſtrabo; nunc vero ſuſpendo diſcurſum hunc ſuo loco examinandum.

11 Alius, quem pro ſe affert Philalethus, eſt Scotus; & quamuis *in diſput. illa quæſt.* 5. citet illum *in 4. diſt.* 1. nihilominus in hoc vltimo ſcripto corrigens priorem citationem ex errore impreſſoris, aut amanuenſis, vt ego cenſeo, citat *diſt.* 11. vbi ea, quę Scotus docet, nihil contra me faciunt attẽdat igitur Philalethus materiam, de qua ibi eſt ſermo, locutio enim eſt de materia apta ad conſecrationem Euchariſtiæ, & cũ tanquam certum ſupponatur farinam tritici purgatam eſſe materiam conuenientẽ ad conſecrandum panem, & dubium ſit an amidum ſit materia apta, pars vero negãs ſit longè probabilior, concludit Scotus eſſe peccatum, ſi quis tali dubio manente ſe periculo exponat non conſecrandi, quia ſi in veritate non erit talis materia, nihil fiet. veriſſima, & ab omnibus recipienda doctrina, quam ipſe non ſolum nunquam negaui; verum etiam fusè illam defẽdi *diſcept. 4. de conſcientia cap.* 31 & initio huius quæſiti inter alia ſuppoſui, non eſſe cõtrouerſiam inter me, & Philalethum, quando agitur de valore ſacramentorum, & non de honeſtate actionis tantum, & hoc ob rationes ibidem aſſignatas.

Ponderemus nunc dicta Nauarri, quem citat Philalethus pro ſua ſententia *in manuali cap. 28. à n.* 286. erat tamen citandus *cap. 27. nũ c.* 28. non habetur neque in hiſpanica, neque in italica ſumma. ibi enim Nauarrus ſermonem inſtituens de opinione deligenda diſcurrit varias opiniones ſignando, & quarto loco docet, quod ceſsãte ea, quæ communis exiſtimatur, erit ea eligenda, quæ pluribus fundamentis, & rationibus nititur. ex hoc autẽ colligit Philalethus iuxta mentem Nauarri eſſe recipiendam probabiliorem opinionem. ſed attendat, quid idem Author dicat *nu.* 288, vbi pro foro conſcientiæ, vt ipſe inquit, quatuor præter dicta ſuper addit, & in tertio hæc verba ponit [*Tertium, quod quãuis in foro contentioſo regulariter prædicta obſeruari debeant, in foro tamen conſcientiæ ad effectum non peccandi ſufficit, eligere pro vera eius opinionem, quem meritò cenſemus eſſe virum idonea ad id ſcientia, & conſcientia præditum.*] hæc Nauarrus, cuius verba tantum abeſt, vt Philaletho faueant, vt potius ſint illi contraria, nam ad non peccandum ſolum requirit, vt eligatur opinio, quam vir ſciens, & prudẽs tuetur; quid igitur eſſet dicendum, quando non vnus, aut alter, ſed plures viri docti opinionem illam probabilem iudicarẽt. 12

Sufficit autem hos authores ponderaſſe, vt veritas meæ propoſitionis innoteſcat, nempè authores à Philaletho citatos non omnes eſſe pro ipſo. poſſem etiam ponderare alios allatos, qui non ita clarè loquũtur, apud paucos enim legi in terminis illã propoſitionem eſſe peccatum, omiſſa probabiliori, & tutiori, ſententiam ſequi minus pro-

probabilem, quamuis tutam. omitto inquã horum authorum dicta expendere, cum ſufficiat mihi demonſtraſſe prædictos non eſſe pro Philalethi opinione, imò oppoſitũ docuiſſe.

§. III.

Sit ne vſui, & rationi parum conſonum, explicare Doctores à Philaletho laudatos, de conſilio, & non de præcepto locutos fuiſſe?

13 PVtat Philalethus, *numero citato*, non eſſe valdè vſui, & rationi conſonum id, quod ego dixi ponderans aliquos authores ab ipſo laudatos, nempè intelligi poſſe, de conſilio, & non de præcepto, quãdo dicunt probabiliorem, & tutiorem partem eſſe amplectendam. mirari non deſinã virum alioquin doctum, & in peruoluendis authoribus non parum verſatum, in huiuſmodi cogitationem deuenire potuiſſe, cum benigna illa explicatio paſſim nobis fiat obuia apud Doctores, nempe eorum verba eſſe explicanda non vt continentia præceptum, ſed conſilium. ita quamplures, & primus fit *S. Antoninus par. 1. tit. 3. de conſcientia cap.* 10. §. 10. *poſt ſextam regulam* adducẽs autem illud principium in ſacris textibus exaratum *cap. Iuuenis de ſponſ.* ſcilicet in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus. reſpondet quod eligere viam tutiorem conſilij eſt nõ præcepti. *Syluester v. Ieiunium nu.* 27. *in fine* citans eumdem textum canonicum ait id non eſſe neceſſarium, cum ſufficiat viam tutam eligere. *Nauarrus cap. Si quis autẽ de pœnit. diſt.* 7. *n.* 34. aſſerit ad id conſilio, & non præcepto nos teneri: & hoc etiam docet *in ſumma cap.* 27. *de conſcientia miſcell.* 4. *n.* 280. *in fine*. *Suarez tom.* 5. *in* 3. *p. diſp.* 40. *ſec.* 6. *nu.* 8. adhærens opinioni Nauarri dicit extra caſus iure expreſſos, non eſſe præceptum, ſed conſilium, ſequi tutiorem partem, *Sanchez lib.* 1. *in decal. cap.* 10. *nu.* 11. *in fine: & n.* 15. hoc ipſum clarè docet explicans dictum Pontificis cap. *Ad audientiam, cap. Significaſti* 2. *de homicid.* cum ait quod in dubijs ſemitam debemus eligere tutiorem. explicat Sanchez hoc dictum non tanquam ex præcepto ſemper obſeruandum. idem docet *lib.* 2. *de matr. d.* 41. *n.* 9. *Paulus Layman in ſumma lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *n.* 8. exponens textus prædictos ex S. Antonio, & Nauarro, ait regulam illam, nempe in dubijs tutiorem, &c. potius conſilium, quam præceptum cõtinere. *Coninck de irregul. diſp.* 18. *dub.* 2. *in fine*. *Bonacina de precept. diſput.* 2. *queſtion.* 4. *punct.* 8. *numer.* 21. *ver. ex quo patet*. *Guttier. in queſt. can. lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 39. *Franciſcus Delugo* 1. *par. pretij decurſus cap.* 392. *num.* 35. *Breſſerus de conſc. prob. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 75. *v. Sequitur ſecundo; & n.* 80. *ver. Itaque Arriaga in p.* 2. *diſp.* 25. *ſec.* 3. *num.* 18. *& alij* quamplures, qui diſputantes de opinionũ electione, & examinãtes hoc principium quod extat in ſacris canonibus, illud vniuerſaliter, quibuſdam caſibus exceptis, declarant de conſilio, & non de pręcepto. & quamuis non loquantur comparantes opinionem probabilem cum probabiliori, ſed tutam cũ tutiore, nihilominus diuerſitas iſta materialiter ſe habet ad meum intentũ, quia ſacri canones abſolutè proponunt principium illud, ex cuius conuenientia cum regulis prudentiæ in caſibus particularibus ibi enumeratis, ſtatuunt partem tutiorem eſſe amplectendam. igitur quemadmodum abſque diſſonantia cum ratione authores ſuperius citati conuenienter expoſuerunt principium illud à ſacris canonibus propoſitum: ita à fortiori, conuenienter ego explico aliud ſimile principiũ à priuatis doctoribus propoſitum, eſſe intelligendum, non vt continens præceptum, ſed conſiliũ. videat iam nunc noſter Candidus, quam firmis authorum dictis corroborata maneat mea benigna explicatio.

§. IV.

Vtrum ad recte operandum prærequiratur iudicium de honeſtate materiæ ſecundum ſe.

ALind, quod Philaletho diſplicuit, & audacter *num.* 6. falſiſſimum appellauit, eſt, non eſſe neceſſarium ad rectam operationem, vt intellectus, quando non habemus euidentiam de honeſtate materiæ, iudicet materiam illam, circa quã operari debemus, eſſe abſolutè honeſtam, ſed ſufficere iudiciũ de honeſtate modali eiuſdem materiæ, diſplicuit, inquam doctrina iſta Philaletho, & ideo inuitat nos. his verbis (*ſiſtamus hic quæſo pauliſper*) placet inuitatio, ideoque ſiſtamus libenter, imo, & ſedeamus, mentiſque aciem huic veritati ſyncero affectu applicemus. 14

Sumendo igitur exordium à vocabulo, cuius falſa intelligentia fortaſſe occaſionẽ deceptionis Candido exhibuit, & impugnandi, quod veriſſimum eſt, & negari non poteſt ab ipſo met Philaletho, vt mox oſtẽdam ipſum vocabulum declarando, ex cuius declaratione ſtatim apparebit deceptio.

Aduerto priùs nunquam me dixiſſe neceſſarium non eſſe iudicium de honeſtate materiæ, imò expreſsè oppoſitum docuiſſe in illa *diſcep.* 4. *cap.* 10. §. 1. *n.* 2. 3. aſſerendo in- 15

iudicium de probabilitate obiecti ſe extẽdere ad veritatem, ſeu falſitatem obiecti; ſed me dixiſſe non eſſe neceſſarium iudicium de honeſtate materiæ ſecundum ſe.

16 Pro cuius intelligentia ſupponendum eſt dictionem illam (*ſecundum ſe*) multipliciter accipi poſſe: interdum enim importat connexionem neceſſariam inter ſubiectum, & prædicatũ in aliquo ex modis dicendi per ſe, de quibus in logicis eſt ſermo; ſed de illa in tali acceptione non agimus, cum minus faciat ad rem noſtrã. rurſus interdum ſumitur vt importans id, quod abſolutè, & ſimpliciter eſt tale, & in hoc ſenſu vſurpatum fuit à me, cum dixi non prærequiri iudicium de honeſtate materiæ ſecundum ſe; quando enim dicimus obiectum aliquod tale eſſe ſecundum ſe, ſignificare volumus, ita eſſe à parte rei, præciſis omnibus circumſtantijs extrinſecis, & loquendo in ſubiecta materia, eſſe honeſtum ſecundum ſe, (& idem intelligo de inhoneſto) intelligimus eſſe tale per ordinem ad naturam rationabilẽ, quatenus rationabilem, ita vt conformitas cum natura rationali conueniat tali obiecto, abſtrahendo à varijs hominum placitis: huiuſmodi autem iudicium prudenter eligere nequimus eo tempore, quo euidentiam de honeſtate obiecti non habemus; tunc enim coniecturis tantum manentibus, non poſſumus aliud formare iudicium, niſi de honeſtate, & probabilitate connexa cũ obiecto: & tale iudiciũ à me nũcupatur modale, inquantum fertur in obiectum nõ abſolutè, & prout eſt à parte rei; ſed tantũ vt probabiliter connexum cum honeſtate: & hoc ipſum velit, nolit fateri cogitur Philalethus, quod ſic oſtendo. Ponamus concurſum duarum opinionum oppoſitarum, quarũ vna ſit probabilior, minus vero probabilis altera, in ſententia Philalethi non poſſumus huic poſteriori, ſed alteri priori adhærere; tunc peto ab ipſo, an priori adhærens, certitudinem habeat de honeſtate obiecti; circa quod verſatur eius opinio? proculdubio reſpondebit non habere, aliter eius aſſenſus, non opinatiuus, ſed ſcientificus foret, contra id quod ſupponimus: & tunc iterum peto ab eodem, num iudicium de connexione honeſtatis cũ obiecto feratur nec ne in connexionem hanc probabilem? non ferri nequit aſſerere; & cum non feratur in infallibilem, & certum nexum, remanet dicendum ferri in probabilem, quod demonſtrare volui; atque adeo velit nolit Candidus, vi argumenti conuincitur meam admittere ſentẽtiam, nempe quando non habemus euidentiam de honeſtate materiæ, iudicium, quod prærequiritur ad rectè operandum, non eſſe de honeſtate materiæ ſecundum ſe, abſolutè, & prout eſt à parte rei; ſed de honeſtate, vt probabiliter connexa cum tali materia: & quamuis idem iudicium, vt terminatum ad probabilitatem ſit euidens, quia euidẽs eſt dari hanc probabilem connexionem; nihilominus, vt extenſum ad connexionẽ erit dumtaxat probabile.

17 Neque modus iſte loquendi, videlicet iudicium de honeſtate obiecti ſecundum ſe, quod abſolutum voco; & de honeſtate probabiliter connexa cum obiecto, quod modale appello, eſt à me confictus: nã authores, tum antiqui, tum recentes eadem forma loquendi vtuntur, & inter alios eſt *Caietanus in ſuis opuſc. tom. 1. tract. 31. reſponſ. 13. dub. vltimo*, quærens num quis peccet, ſi hic, & nunc putet magis licitum, quam illicitum eſſe aliquid operari, quamuis ignoret, num licitum, vel illicitum ſit; & relata aliorum ſentẽtia, poſuit ſuam diſtinguens de hæſitatione modo ſpeculatiuo, & modo practico, & vtrumque membrum declarans ait, *Scilicet an dubitet de licito, vel illicito ſecũdum ſe, vel, vt eſt ratio operis ſui hic, & nunc*; exemplum dat, quando quis ambigit, *num pulſare die feſtiuo ſit licitum, aut illicitum, & tamen ſi non ambigit hic, & nunc ſibi id eſſe licitum, non peccaret pulſando, quantumcumque magna eſſet dubitatio apud eumdem de actu pulſandi ſecundum ſe, &c.* hęc ex Caietano, qui pulſationem licitam, aut illicitam ſecundum ſe vocat, ſpectando honeſtum prout eſt à parte rei: & docet dubitationem ſpeculatiuam, quantumuis magnam de tali connexione non impedire, quin homo honeſtè operetur, ſi practicè non dubitet hic, & nunc ſibi eſſe licitum operari, nempe ob aliquod motiuum ſufficiens ad formandam ſibi conſcientiam de honeſtate operis, non obſtante dubio illo ſpeculatiuo.

Eumdem tenorem ſequitur *Nauarrus cap. Si quis autem, de pœnit. diſt. 7. num 63.* conſiderans, & diſtinguens honeſtatem, ſeu inhoneſtatem obiecti ſecũdum ſe, & vt eſt ratio operis hic, & nunc.

Idem aſſerit *Zacharias Paſqualigus in deciſ. moral. tom. 1. deciſ. 365. n. 6.* & clariùs *Granado in p. 2. tract. 12. diſp. 3. ſec. 3. nu. 2.* 14. 15. 16. docens non eſſe munus adæquatum prudentiæ iudicare abſolutè aliquod obiectum ſecundum ſe eſſe honeſtum, quia impoſſibile eſt ſemper id certò conſtare; ſed munus prudentiæ eſſe iudicare hic, & nunc veriſimiliter, id eſt probabiliter, licitum apparere.

Denique citari poteſt nouiſſimè *Spinula in illo opuſc. de libera, & prudenti agibilium electione* pluribus locis prædictum loquendi modum aſſumens, & præſertim *diſp. 1. ſec. 4. concl. vnica*, loquens de iudicio,

Digitized by Google

ctio, quatenus fertur in honeſtatem actionis, *ver. Verum hæc inſtantia*, docet electionem in eſſe honeſto non ſpecificari ab honeſtate materiæ in ſe, ſed prout cognita per iudicium probabile, *& concl. 2. ver. Illa operatio, & ſec. 5. concl. 2.* hoc ipſum do-
18 cet, & probat. ſed quid immoror in re adeo certa? quid enim magis frequens, & obuiũ apud Authores, qui loquentes de prudentia, eius honeſtatem aiunt non deſumi per ordinem ad obiectum ſecundum ſe, ſed prout hic, & nunc cognitum, vt tale, licet interdum à parte rei nõ ſit tale: & ideo diſtinguunt veritatem intellectus ſpeculatiui à veritate intellectus practici, & dicũt illam accipi per conformitatem ad rem ipſam ſecundum ſe, iſtam vero per conformitatem ad appetitum rectum. ita aſſerũt *ex Ariſt. 6. Ethic cap. 2.* quem ſequitur *S. Thomas ibi lec. 2. ver. oſtẽdit quid ſit opus; & p. 2. quæſt. 57. art. 5. ad tertium*. ex hac autem doctrina ſic formo argumentum. iudicium quod prærequiritur ad rectam electionem, debet eſſe actus prudentię, quia electio honeſta ductum rationis ſequi debet, vt de ſe patet; ſed iudicium prudentiæ non oportet, vt conformetur cum veritate obiecti ſecundum quod ſe habet à parte rei, ſed prout hic, & nũc apparet modo humanæ imbecillitatis congruenti, id eſt ſecũdum probabiles coniecturas; ergo non oportet, vt iudicium iſtud ſit tale, vt per illud intellectus affirmet obiectum abſolutè loquendo ita ſe habere à parte rei, ſicuti apprehenditur, hoc enim nequit ſemper nobis conſtare, quia ſæpè ſæpius experti ſumus multa falſa probabiliora veris. maneat igitur ex dictis veriſſimam eſſe propoſitionem illam à me prolatam, nẽpè iudicium de honeſtate materiæ ſecundum ſe ad rectè operandum, non eſſe ſemper neceſſarium, ſed ſatis eſſe iudicium de honeſtate probabiliter tali materiæ annexa: & hęc propoſitio communiter admittitur, & rectè intellecta eſt euidens, volo tamen excuſare Philalethum virum doctum, qui forſitan in alio ſenſu eam intellexit. cum igitur non ſolum pauliſper, vt ipſe rogauit, in examine huius puncti moratus ſim, ſed ſatis ſuperque, proindè ad alia ponderanda progredior.

§. V.

Perperam Candidus obijcit, me negaſſe quod prius conceſſeram.

19 PRocedens inſuper Candidus in ſua propugnatione, poſtquam egit de iudicio prærequiſito ad rectè operandum, *eodem numero* carpit me, quaſi negantem, quod prius admiſeram, ait enim me conceſſiſſe *diſcept. 1. cap. 9.* eſſe neceſſarium iudicium probabile de honeſtate materiæ, circa quam homo eſt operaturus; poſtea vero ſubdit, huiuſmodi iudicium, ad effugiendam vim argumenti, à me negatum fuiſſe, benè diſcurreret Philalethus, ſed meliùs ſe geſſiſſet, ſi locum, in quo à me tale iudicium reijcitur, aſſignaſſet: miror enim, ſi diſceptationem illam perlegerit, in huiuſmodi cogitationẽ deuenire potuiſſe, cũ manifeſtis verbis non ſolum *in cap. 9. citato*; verum etiam per tria capita *in diſcept. 4.* paſſim tale iudicium, tanquam omnino neceſſarium à me exigatur. forſitan ad id aſſerendum Philalethus motus eſt ex ijs, quæ ego docui *cap. 11. prædictæ diſceptationis 4. n. 7.* vbi poſtquam dixi hæc duo minimè eſſe confundenda, nempe iudiciũ de honeſtate materiæ ſecundum ſe, circa quam verſatur opinio; & iudicium de electione opinionis, ſeu de actione hic, & nũc exercenda, addidi primum illud iudicium non eſſe neceſſarium, quando non habemus euidentiam rerum; ſecùs autem ſecũdum. forſitan, inquam, ex eo, quod à me negetur prius illud iudicium, ſuſpicatus eſt Philalethus me negaſſe quod antea cõceſſeram. ex alio loco non video, vndè author ille occaſionem habere potuerit ad contradictionem in mea doctrina notandam. venio nunc ad locum citatum, & dico rectè à me negatum fuiſſe, primum illud iudicium eſſe neceſſarium, & in eadem perſiſtens ſententia iterum nego, & in poſterum ſemper negabo; omnia autem clariùs declaro, aliud enim eſt tale obiectum ſecundum ſe eſſe honeſtum, ſeu à parte rei verè eſſe tale; & aliud eſt, probabiliter eſſe honeſtum: atque adeo aliud eſt iudicium de primo; aliud vero iudicium de ſecundo, & cum in moralibus rarò euidentiam de rebus habeamus, vt præcedẽte paragrapho adnotaui; inde eſt, vt ad rectã operationem ſufficiat iudiciũ, quo iudicemus tale obiectum probabiliter eſſe honeſtũ: v.g. talẽ cõtractum non eſſe vſurarium, ſed iuſtum, & quamuis à parte rei coram Deo, in eo cõtractu iniuſtitia reperiatur, non ſequitur nos peccare, contractum illum conficientes, cum ad prudenter operãdum ſatis nobis ſit ex opinione probabili formare conſcientiam; atque adeo opinio de honeſtate materiæ: ſeu obiecti non ita debet ferri in ſuum obiectum, vt nequat eſſe ſpeculatiue falſa: ob quam rationẽ *Ariſtoteles 6. Ethic. cap. 3.* à conſortio virtutum intellectualiũ opinionem reiecit, vt benè notauit *Leſſius lib. 1. de iuſt. cap. 1. dub. 1. num. 1. ver. ex his ſequitur*; ſufficit ergo, vt opinio ſit practicè vera, vt in ea fundemus iudicium certũ de honeſtate electionis, ſeu actionis hic, & nunc. Aduerte mi Candide, ne iterum incidas

cidas in æquiuocationem: non dico iudicium certum de honeſtate materiæ ſecundum ſe, ſed iudicium certum de honeſtate electionis, & actionis: poſita enim probabilitate obiecti honeſti, ſtatim poterit homo elicere firmum, & certũ iudiciũ, quod operando iuxta tale dictamen, prudenter ſe gerat, & hæc dicta ſint, vt Candidum in æquiuocationibus, & fallacijs iacentem erigamus. Addo inſuper argumẽta, quæ ab ipſo propoſita ſunt, non habere illam vim, & efficaciam, quam ipſe putat, vt ego illis perterritus fugam cogar arripere, negando veritatem, quam prius tam expreſsè per varia capita docui, & ſuſtinui.

§. VI.

Vtrum Philalethus vtiliter repetat iudicium de probabilitate apprehenſa eſſe inſufficiens?

20 Redit iterum Philalethus ad ſuam veteratam ſententiam aperiendam, & ait pluries repetijſſe iudicium de probabilitate obiecti, vt apprehenſa, eſſe inſufficiens ad honeſtè operandum; idque in *hac propugnatione eodem numero* tripliciter probat, primo, quia ſtat me apprehendere, vt probabile, quod cambium cum recurſu ſit licitum, & tamen per efficaciora motiua illud illicitum exiſtimem: cũ tali autẽ opinione ſi operor, pecco, & hoc probat à fortiori: ſi enim dubio perſiſtente, num ſcilicet illud, quod operor, ſit peccatum, illud faciens, peccatum committo; multo magis peccabo, ſi operor perſiſtente opinione quod illud ſit illicitum. ſecundo ſtat duos affirmare hanc viam eſſe bonam, & ſic rem fieri probabilem; at ſi alij quatuor paris authoritatis contrarium affirment, tunc nemo ſanę mentis diceret, prudẽter, & non temere viam illam eſſe eligendam. tertio, quia minor iſta probabilitas non facit rem eſſe ſimpliciter probabilem, ſed tantum ſecundum quid, nempe ſecundum aliqua motiua: ſed actio, ſeu electio vt ſit prudens, debet eſſe penſatis omnibus, quãtum moraliter fieri poterit. ſic Philalethus ſuam confirmat ſententiam. cęterum huiuſmodi argumenta facilè diluuntur, atque adeo inutiliter Philalethus eamdẽ repetit cantilenam.

21 Ad primum enim reſpondeo hoc ipſum, quod pro ratione affertur eſt maximè probandum, imo in illo tota conſiſtit diſceptatio, nimirum ſit ne licitum ſequi opinionem probabilem, quamuis pro contraria ſe offerant efficaciora motiua. nos autem cum ferè omnium authorũ conſenſu partem tuemur affirmantem; negantem vero ſuſtinet Philalethus. ad aliam probationẽ, quam author iſte ſubnectit, aio manifeſtũ eſſe diſcrimen, nam dubio exiſtente de honeſtate materię, nullum habeo aſſenſum pro ipſa honeſtate, proinde operando cõtra dubiam conſcientiam, peccatum committo; at quando opinamur materiam illã eſſe inhoneſtam, ſi etiam adeſt opinio cõtraria, aſſerens eamdem materiam eſſe honeſtam, ſiue id iudicetur per intrinſeca, ſiue per extrinſeca principia, non dicimur practicè dubitare, imo ſtatim poſſumus formare conſcientiam, per quam iudicemus hic, & nunc nobis licitum eſſe ſequi illam probabilem ſententiam: & ſic euidens eſt diſparitas inter vnum, & alterum caſum, & tota difficultas reducitur ad pũctũ principalis cõtrouerſię, nẽpe an relicta probabiliori licite admittatur minus probabilis ſententia. negatiuam autem partem debuiſſet probare Philalethus alijs rationibus, non autem prædictis, quæ præter ipſãmet controuerſiam, nihil ferè addunt de nouo.

Ad ſecundum libenter ipſi Philaletho concedo neminem ſanæ mentis fore, qui in eo caſu viam illam eligeret, & merito, quia probabilis illa exiſtimatio in contrarium nihil prodeſt, cum bonitas phyſica viæ non dependeat ab exiſtimatione noſtra etiam prudenti; at non ita ſe habent actiones morales, quæ non deſumunt formaliter moralem bonitatem ab obiecto ſecundum eſſe reale, ſeu ſecundum apprehenſionem, & dictamen rationis: inde eſt, vt quamuis obiectum ſecundum ſe ſit honeſtum, ſi tamen inhoneſtum prudenter exiſtimetur, actio circa ipſum obiectum verſans, erit mala; contra vero erit bona, ſi erit prudens exiſtimatio de honeſtate obiecti, quamuis re ipſa ſit inhoneſtum. 22

Ad tertium, memini me reſpondiſſe in *tractatu de conſcientia diſcept. 3. cap. 9. n. 20.* Placet tamen iterum reſpondere, aliquid aliud addendo, & priùs deſiderauerã rationem à Philaletho, nempe quo argumento oſtendatur per minorem probabilitatem non effici rem probabilem ſimpliciter, & omnibus conſideratis; ſed tantùm ſecundum quid. hoc Philalethus dicit, ſed improbatum deſerit, quaſi eſſet primum principium per ſe notum, & indemonſtrabile; ego tamen oppoſitum efficaciter probabo. Vel enim minor illa probabilitas dicitur ſecundum quid, & non ſimpliciter talis, reſpectiuè ad maiorem, vel abſolutè: neutrum dici poteſt cum veritate; ergo falſo aſſeritur non eſſe probabilitatem ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid. maior patet, probo autem minorem quoad vtramque partem: nequit primum affirmari, vt ſic enim nulla daretur probabilitas ſimpliciter, quia cum in infinitũ poſ- 23

Digitized by Google

ſit fieri maior, & maior, quælibet ſignata comparatiue ad maiorem nō eſſet ſimpliciter probabilitas, nam reſpectu maioris, minor cenſeretur: Neque ſecundum admittendum erit, quis enim præſcripſit terminum, ad quem non perueniens probabilitas determinata, exiſtimāda ſit minor, & ſecundum quid, & non ſimpliciter talis? fictitium proculdubio eſt hoc: ſicuti enim albedo, aut calor v.g. vt vnum eſt ſimpliciter albedo, & ſimpliciter calor, etiam reſpectu maioris; ita, & probabilitas vt vnum erit ſimpliciter probabilitas.

24 Dices cum eodem Philaletho ibidem, illam eſſe ſecundum quid, quæ eſt ſecundū aliqua motiua, & non conſideratis omnibus; actio autem, ſeu electio vt ſit prudēs, debet eſſe penſatis omnibus, quantū moraliter fieri poteſt.

Cōtra eſt, quia quid importat hoc, quod eſt eſſe ſecundum aliqua motiua? ſi per aliqua, Philalethus intendat excluſionē aliorum motiuorum, ſeu circumſtātiarum, quæ hic, & nunc eſſent neceſſariæ ad rectam, & prudentem electionem, admitto quod ipſe dicit, ſed nihil pro ſe probat; tunc enim non eſſemus in caſu, neque à me, & ab alijs id defenditur, ſed dicitur illa probabilis opinio, quæ procedit ex examine omnium eorum, quæ hic, & nunc ad prudenter operandum ſunt neceſſaria: prudentiæ enim munus eſt, ſingulas circumſtantias expendere. ſi vero Philalethus per illa verba nō intendat excludere motiua, quæ poſitiuè faciunt ad probabilitatem vnius partis, ſed alia contraria, quæ tamen ſunt examinanda; & putat Philalethus à nobis exiſtimari in electione opinionis minus probabilis, non eſſe inſpicienda iſta motiua contraria, decipitur, quia volumus etiam eſſe conſideranda, vt agnoſcamus, an ſint talia, quæ tollant probabilitatem contrariæ opinionis, & ſi eam tollunt; tunc iſta alia opinio non remanet probabilis, atque adeo ceſſat controuerſia: ſi non tollunt; remanebit hæc alia opinio illæſa in ſua probabilitate, quamuis minori: ſupereſſet autem probandum à Philaletho, illicitā eſſe electionem talis opinionis minorem inuoluētis probabilitatem, quod tamen vi huius argumenti minimè probatur.

§. VII.

Vtrum iudicium de honeſtate ſecundum apparentiam iuuet ad iudicandam honeſtatem obiecti ſecundum ſe.

25 PErſeuerans Philalethus in æquiuocatione illius dictionis, *ſecundum ſe*, docet iudicium de honeſtate ſecūdum apparentiam, non iuuare niſi in ordine ad hoc, vt poſſimus iudicium ferre de honeſtate materiæ ſecundum ſe.

Ad hoc ex dictis ſic reſpondeo: ſi per illud, *ſecundum ſe*, Philalethus velit, vt abſolutè debeamus iudicare ita ſe habere obiectum, ſicuti à nobis apprehenditur, falſum omnino eſt, quia, vt abundè ſupra oſtendimus, quando obiectum non eſt euidenter, & certo connexum cum honeſtate, impoſſibile eſt, vt de illo prædicemus connexionem honeſtatis à parte rei, ſeu materialiter, quia poſſumus decipi, etiamſi probabilius ſit eſſe honeſtum; ſed ſolum prædicare poſſumus honeſtatem, vt probabiliter connexam cum eodem obiecto: & hoc eſt adeo manifeſtum, vt nemo de hoc poſſit dubitare, declaratis terminis ad æquiuocationem vitandam, nam, vel certò ſcimus ita eſſe, vel omnino ignoramus, vel actu dubitamus, vel probabiliter exiſtimamus ita eſſe in re: alius modus tendēdi in obiectum ex parte intellectus excogitari nequit: primum non eſt neceſſariū, vt de ſe patet, alias ſemper habere deberemus euidentiam de rebus, & hoc non negat Philalethus; ſecundum non facit ad rem, quia de incognito non datur electio; tertium neque facit ad caſum, nam cum in dubio perſiſtimus, nequimus eligere; ergo quartum eſt dicendum, quod eſt id, quod volumus, nempè iudicium ſolum requiri, per quod iudicamus probabiliter obiectum eſſe honeſtum: & tale iudicium eſt modale, ſeu de honeſtate vt apprehenſa medijs motiuis veriſimilibus.

26 Proſequitur Philalethus num. 11. ad probandum non ſufficere iudicium de honeſtate ſecundum apparentiam, & ſic ait: *Intantum agere poſſum quod eſt probabiliter licitum, inquantum ſaltem probabiliter iudicare poſſum me agere, quod eſt licitum, nam ſi adhuc dubito me agere, quod eſt illicitum, pecco. poſtea ſic ſubſumit: at cum probabilitate minori, quod obiectum ſit licitum, & maiori quod ſit illicitum, nō ſolum debeo prudenter dubitare, an ſit licitum, quod ago; ſed etiam prudenter non poſſum niſi illicitum opinari*. hæc Philalethus. in hoc argumento maior non ſolum non negatur à me, ſed etiam omnino admittitur, vt neceſſaria, quia niſi ſaltem probabiliter iudicem de honeſtate materiæ; proculdubio peccabo operando. minor vero eiuſdem argumenti eſt prorſus abijcienda, procedit enim ex alia ſententia, quam ſuſtinet Philalethus, ſcilicet non poſſe nos ſequi minus probabilem opinionem relicta probabiliori, quod eſſet à Philaletho probandum, & non aſſumendum in minori illius argumenti, per quod vult ſuadere veritatem ſuæ ſententiæ. inquantum autem aſſerit cum probabilitate minori de-

Digitized by Google

debere nos prudenter dubitare, reſpódeo, ſi ſermo ſit de dubio ſpeculatiuo, id vtique libenter concedo, nam omnis opinio gignit tale dubium; at falſum eſt de dubio practico, quod expellitur, quando operans conſcientiam ſibi format, iudicando, non obſtante tali dubio ſpeculatiuo, poſita tamen probabili opinione de honeſtate, licitum eſſe hic, & nunc operari. hoc ipſum debet etiam fateri Philalethus, nam, quamuis ſequamur, vt ipſe vult, opinionem probabiliorem, ex illa etiam reſultat dubium ſpeculatiuum, quod ſemper gignitur, dum non habemus euidentiam, & certitudinem de honeſtate obiecti.

27 Demum quod in fine huius numeri ait Philalethus, ſcilicet à me negari eſſe neceſſarium ad honeſtè operandum, iudiciū probabile de honeſtate materiæ, falſum aſſerit, nūquam enim id negaui, imò ſemper aſſerui eſse neceſsarium; negaui tamen eſſe neceſsarium iudicium abſolutum de honeſtate materiæ modo explicato.

28 *Numer.* 12. ait Philalethus non eſſe opus immorari in reſponſionibus à me datis ad eius argumenta, [*quia peccant eodem modo ſicut peccatur in reſponſione ad argumentum principale*] his, quæ Philalethus profert, vnica reſponſione occurro, & qdē meæ ne reſpōſiones, an potius eius argumenta peccent, remitto iudicio prudentis lectoris conſiderantis tum ea, quæ ego in tractatu de conſciētia hac ſuper re fusè examinaui, tum quæ in hac præſenti quæſtione allata ſunt: hoc vnū ſcio, quod ſententia Philalethi ab omnibus, qui illam audiunt, reijcitur, & argumenta in eius fauorem non mouent animum, vt talem amplectamur ſententiam. & hæc ſatis: tranſeamus ad alia.

§. VIII.

Num Ariſtoteles à Philaletho allatus illi ſuffragetur?

29 VT melius Candidus ſuam fundet opinionem eodem numero ſuperius citato adducit Philoſophi authoritatem, quæ cęteris, vt ipſe ait, facem pręfert, innuens his verbis id, quod *in diſputatione illa de praxi opinionum probabilium in fine ſecundæ quæſtionis* ex eodem Ariſtotele dixerat, videlicet *non eſſe nobis liberum opinari, ſicuti imaginari.* ad hanc autem authoritatem ſufficienter reſponſum dedi *in tract. de conſc. diſcep.* 4. *cap.* 10. §. 2. *num.* 1. videlicet liberum non eſſe opinari, quando nullum adeſt motiuum, quo intellectus nixus aſsenſum, vel diſſenſum probabile eliciat; ſecus autem quando adeſt motiuum. hanc explicationē ad illud Ariſtotelicum ſuperficialem exiſtimauit Candidus, verum, licet paucis contineatur verbis, adæquatè tamen intellectui viri docti ſatisfacere poterit: Cæterum vt votis Cādidi pareatm, explicationem datā ex vniuerſalioribus, & notioribus principijs ampliabo.

Conſideranda igitur eſt natura noſtri intellectus in ordine ad obediendum, & ad non obediendum imperio voluntatis, quando obiectum euidenter apparet; tūc enim ita rapit ipſum intellectum, vt illum ad aſſenſum, vel diſſenſum neceſſitet, & cōſequenter eumdem eximat à ſubiectione voluntatis: v. g. apprehēſis terminis abſque errore, quid ſit totum, & quid ſit pars, ſtatim intellectus neceſſitatur ad iudicandum totum maius eſſe quacunque ſui parte, & ideo voluntas ſuo imperio non poterit facere, vt intellectus oppoſitum exiſtimet; & ſic de alijs obiectis, quæ clarè innoteſcunt. Rurſus cum ipſe intellectus ad elicieudum aſſenſum, vel diſſenſum aliquo motiuo niti debeat; proinde nullo exiſtente motiuo, ita remanet ſuſpenſus, & in æquilibrio, vt neque aſſentiri, neque diſsētiri valeat, etiamſi millies voluntas imperet, vt aſſenſum, vel diſſenſum eliciat: v. g. nullum adeſt motiuum, per quod intellectus iudicet aſtra eſſe paria, aut imparia, & ſimiliter neque habet motiuum ad determinatè iudicandum quot ſunt formicæ, muſcæ, &c. exiſtentes in mundo, ideoque nequit in hoc ſubijci voluntati ad determinatè iudicandum illa eſſe paria, aut imparia, & etiam ad iudicandum tot eſſe homines, muſcas, &c. contra vero quando motiuum exiſtit, poterit voluntas illum inclinare ad iudicandum, & quando pro cōtrarijs opinionibus hinc, inde ſunt motiua, ſed non euidentia, ex imperio voluntatis poterit ipſe intellectus neceſſitari ad adhærendum huic, aut alteri opinioni: e. c. proponatur contractus cambij cum recurſa, & ſe offerant diuerſæ rationes, tum pro honeſtate, tum pro inhoneſtate talis contractus, aut ſaltem ex vna parte proponātur rationes illum damnantes, & ex alia authoritas virorum prudentum pro iuſtitia eiuſdem contractus, nil prohibet, quin voluntas poſſit ſuo imperio ſubijcere intellectum, vt vni ex his opinionibus aſſenſum præbeat, tali autem poſito iudicio, ſeu aſſenſu, ſtatim poterit formari conſcientia, aliud eliciens iudicium, quod eſt veluti reflexum, per quod certò iudicetur ſibi eſſe licitum, ſequi quamlibet ex illis opinionibus, quia rectè agit, ſequens opinionem, quam viri docti, & prudentes probabilem, & tutam exiſtimant: & tale iudicium quāuis ſpeculatiuè poſſit habere concomitanter dubium de honeſtate obiecti à parte rei,

rei, quia eo ipſo, quod opinatiuè tendit in tale obiectum, neceſſario reſultat dubium de veritate ſpeculatiua; practicè tamen intellectus minimè dubitat: & hoc omnes fateri debemus, licet ſequamur ſententiam Philalethi, nam etsi opinio contraria ſit probabilior, nihilominus remanet intra limites opinionis, & maior illa probabilitas non tollit, quin falſum eſſe poſſit id, quod vt probabilius verum iudicatur, multa enim falſa, vt dici ſolet, ſunt probabiliora veris.

32 *Eodem numero* proſequitur Candidus prouocans me ad reſpondendum fortiſſimis rationibus, ſed vnam tantum proponit ex Ariſtotele deſumptam, quæ talis eſt: qui opinatur putat ſe verum dicere. ex quo poſtea ſic ipſe infert: ergo non poteſt de duobus contradictorijs opinari niſi vnum, quia verum in contradictorijs eſt vnum tantũ.

33 Hoc argumentum, quod tanquam fortiſſimum aduerſum me proponit Philalethus, facilè diluitur, explanando ſenſum, quem habet illud antecedẽs, quod vt Ariſtotelicum adducitur, deſiderabatur tamẽ locus, in quo Philoſophus illud doceat: puto autem eſſe eumdem textum, nempe 153. *in 2. de anima*, vbi Ariſtoteles ait, liberum non eſſe nobis opinari. verba autem Philoſophi hæc ſunt (*opinari autem non in nobis eſt, neceſſe enim eſt, aut falſum, aut verum dicere*) explico igitur hoc antecedens ſub verbis ab Ariſtotele prolatis, & poſtea reſpondebo ad illud idem ſub illis verbis, ſub quibus mutatis aſſumitur à Cãdido. intentio igitur Ariſtotelis eſt aſſignare diſcrimina, quæ ſunt inter imaginationẽ, & opinionem, & duo nobis exponit: primo in noſtra poteſtate eſſe imaginationem de aliqua re in nobis ipſis formare, ac ſi eſſet præſens, vt mons aureus, at non poſſe de hoc opinari, niſi habeamus rationem, qua ducamur ad opinandum ita in re eſſe, vel non eſſe, atque adeo neceſſe eſt, vt opinantes, aut verum, aut falſum dicamus. ſecũdo poſita opinione ſtatim ſequi aliquam paſſionem in appetitu: v.g. cum opinamur aliquod moleſtum, vel terribile eſſe præſens, ſtatim reſultare triſtitiam, vel timorem in appetitu, & ſi eſt aliquod iucundum, ad quod obtinendum fiduciam habemus, inſurgere ſpem in eodem appetitu, & ſic phantaſia, ſeu imaginatio, & opinio non ſunt idem. ita explicat S. Thomas hunc locum. hæc autem doctrina, quam nobis proponit Ariſtoteles, veriſſima eſt: nihil tamẽ de illa contra me deducitur, vt patet cõſideranti, concedo enim per iudicium opinatiuum, aut verum, aut falſum à nobis aſſeri, quia, vel opinio eſt conformis obiecto, & ſic vera, vel difformis, & ſic falſa: hæc autem omnia ſpeculatiuè dicuntur, quo pacto loquitur Ariſtoteles, nam practicè loquendo, vtraque opinio de contrarijs obiectis vera eſſe poterit, nẽpe vtraque probabilis, ſeu quod in idem recidit, opinio tendens abſolutè in obiectum debet eſſe, aut vera, aut falſa; & tunc tendit abſolutè, quando iudicat de ipſo obiecto ita eſſe à parte rei; at opinio tendens modaliter in obiectum, nempè iudicans probabile eſſe obiectum ita ſe habere in re, non eſt incõpoſſibilis cum opinione modaliter iudicãte oppoſitum, hoc pacto: probabile eſt obiectum nõ ita ſe habere à parte rei; & probabile eſt ita ſe habere, &c. vtrumque poſſumus exiſtimare probabile, vt paſſim docent Authores agentes de rebus moralibus. & hæc quoad antecedens conſideratum ſub verbis ab Ariſtotele poſitis.

Reſpondendum nunc eſt mihi ad idem antecedens ſub forma poſita à Philaletho; & ideo illud ſic diſtinguo. qui opinatur putat ſe verum dicere; practicè concedo; ſpeculatiuè nego: aut diſtinguo alio modo; putat verum dicere modaliter, ideſt probabiliter, concedo; abſolutè, & vt ſic, nego. & in hac re diſcurro, ſicuti ratiocinantur Theologi de prudẽtia, aiũt enim eã ſemper ferri in verum practicè ſpectatum, quãuis ſpeculatiuè obiectum falſum eſſe queat: v.g. cum quis adorat hoſtiam ab aliquo ſacerdote conſecratam, prudenter iudicat ibi eſſe corpus Chriſti Domini, & oppoſitũ iudicare, eſſet temeritas, & imprudentia, at ſpeculatiuè, & à parte rei contrarium poterit eſſe verum, nempe hoſtiam illam non eſſe conſecratam, & ſic de multis ſimilibus. diſtinguo etiam conſequens à Philaletho illatum: de duobus contradictorijs nequit, niſi vnum opinari eſſe verum, ſi ſẽſus ſit diſiunctiuus, videlicet vnum tantum de illis duobus debere eſſe verum, concedo; ſi ſenſus ſit complexiuus, nego, quia, vt omnes fatemur, duo contradictoria de eadem re ſimul nequeunt eſſe vera. & ſic patet ſolutio ad totum argumentum. in quo, vbi eſt nunc efficacia non percipio, ſi tamen aliæ ſolidiores ò Cãdide tibi occurrãt rationes, afferas in mediũ, & ego pro modulo meo conabor tibi ſatisfacere.

Aliæ conſequentiæ ibidem à Philaletho deductæ, ex dictis facilem admittunt ſolutionem: cum enim ait non poſſe intellectũ, quando adſunt maiora motiua repræſentantia obiectum potius vno; quam altero modo ſe habere, iudicare niſi vnum eſſe verum, & non poſſe opinari verum, niſi illud, quod validiora habet motiua; Reſpondeo non poſſe iudicare niſi hoc, vt magis verum concedo, non poſſe iudicare niſi hoc, ita verum, vt alterum oppoſitum probabiliter, licet minus, non ſit verum, nego conſequentiam.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

Num Philalethus ſatisfaciat argumento ex epiſtola S. Ignatij Confeſſoris contra ipſum deducto.

34 POſſe imperio voluntatis ita ſubijci intellectum, vt potius vni, quam alteri parti adhæreat, eo tempore, quo ab euidẽtia, & certitudine obiecti non cogitur, confirmauimus *diſcept. 4. de conſcientia cap. 10. §. 1. n. 6. ex epiſtola S. Ignatij de obediẽtia*. volens autem Philalethus reſpondere, ſe remittit *ad quæſt. 2. in ſuo illo opuſculo de praxi opinionum*, docuit enim ibi, id eſſe per accidens ratione exercitij, ſeu applicationis intellectus ad conſideranda motiua pro illa alia parte.

Sed non rectè id dicitur, nam S. Ignatius eo loco illam obedientiam commendat, & ſuadet, per quam intellectus ita ſubiectus redditur ab imperio voluntatis, vt potius in vnam, quam in aliam partem inclinetur, quamuis ipſi intellectui oppoſitum appareat. ſi autẽ explicatio Philalethi ſubſiſteret ad mentem S. Ignatij, nempè ſubiectionem hanc ſolum conſiſtere in hoc, vt intellectus inquirat motiua, quæ ſuadeant verũ eſſe id, quod ſuperior præcipit, aut nihil, aut parum excellentiæ huic tertio gradui obedientiæ tribueretur, quia tunc inclinatio eſſet ſecundum propenſionem intellectus vi motiuorum, & ſine vlla repugnãtia. cæterum S. Ignatius non hoc ſuadet, ſed totis viribus conatur nos admonere, vt contra inclinationem intellectus, imperio voluntatis illum ſubijciamus. & hæc eſt illa obedientia cœca adeo à PP. & ab ipſo S. Ignatio commendata, qui licet nonnulla media, ſeu motiua in eadem epiſtola nobis proponat, vt facilius cogamur ad talem obedientiæ perfectionem peruenire; nihilominus motiua iſta ſunt extrinſeca, nempe non conſiderare ſuperiorem vt talem hominem, ſed vt repræſentantem Chriſtũ Dominum; vt defendamus præceptum ſuperioris; vt id quod ipſe præcipit, recipiamus vt preceptum diuinum: & ideo ſic cõcludit (*Ad ea facienda, quæcumque ſuperior dixerit, cœco quodam impetu voluntatis parendi cupida, ſine vlla prorſus diſquiſitione feramini*) hæc S. Ignatius. vide quo pacto admonet, ne diſquiramus rationes ad obediendum (intellige rationes intrinſecas contra id, quod nobis apparet,) ſed cœco intellectu aſſentiamur, vt in rebus fidei fieri ſolet. ſi autem ſanctus voluiſſet, vt aſſenſus eliceretur viſis rationibus intrinſecis mouentibus intellectum, non diceretur homo cœca obedientia obedire. legatur *Iacobus Aluarez de exter. mali, & plant. boni tom. 2. lib. 5. cap. 10. per totum*, vbi eruditè de obedientia diſcurrit. ex hac autem doctrina colligo pro me, per imperium voluntatis poſſe intellectum ſubijci, etiamſi oppoſitum illi appareat, atque adeo cum opinio aliqua probabilior apparet, poſſe intellectum ſaltẽ imperio voluntatis inclinari in aliam minus probabilem, quod tamen Philalethus negat.

§. X.

Num legibus prudentiæ ſpectatis debeat Philalethus ſuam deſerere ſententiã, & alteri contrariæ adhærere?

HVius meæ quæſtionis finis nequaquã eſt ſuadere Philalethо, vt reijciat ſuam opinionem, quaſi apertè falſam, & improbabilem, ſcio enim à quibuſdam defendi; ſed ſcopus, inquem dirigo controuerſiam hanc, eſt, vt Philalethus, remoto omni affectu, & paſſione voluntatis propriæ conſideret, tam ingentem Doctorum chorum, tum veterum, tum recentiorum, qui oppoſitam tuentur ſententiam tanquã communiter receptam, & eorum numero ſe libenter addat: prudentia enim dictat, vt noſtrum proprium, & præſertim in moralibus, iudicium relinquamus, aliorumque prudentum arbitrio adhæreamus. cum igitur tot egregij in omni ſcientia Authores in hanc ſententiam conſpirauerint, eamq; ex profeſſo diſcuſſerint, & in lucem dederint; quilibet prudens deberet illis acquieſcere: maximus enim eſt eorum numerus, vt recentiorum ſcripta conſideranti erit manifeſtum: *Sanchez lib. 1. in decal. ca. 9. n. 14.* ſeptemdecim laudat, quibus ipſe ſe coniungit; & præter illos Diana citat alios quindecim *par. 2. trac. 13. reſol. 1.* inſuper *Zacharias Paſqualigus in deciſ. moral. deciſ. 5. num. 3.* alios ſeptemdecim refert. his autem omnibus nonnullos ego addam, & ſunt ſequentes, videlicet *Frãciſcus Ouiedo in p. 2. S. Thomæ tractat. 5. controu. 3. punc. 2. num. 14. Franciſcus Amicus de reg. extrin. hum. act. diſp. 15. num. 76. Arriaga de act. hum. diſput. 24. ſec. 1. concl. 1. Franciſcus Delugo par. 1. decurſus quæſt. 2. nu. 28. Ægidius Trullench in decal. lib. 8. cap. 1. dub. 6. nu. 1. Lezana in quæſt. regul. par. 4. verb. Opinio; numer. 5. Stephanus Spinula in ſuo opuſc. de lib. elect. diſp. 3. ſec. 4. concl. vnica: Ludouicus Caſpenſis in curſu Theolog. tract. de conſcien. diſp. 3. ſec. 2. num. 15.* & nouiſſimè *Marcus Vidal in ſua arca vitali de opinione probabili, inquiſ. 2. nu. 8. Stephanus à Sancto Gregorio de diuinæ pietatis vinculis lib. 3. de matrim. cap. 98. num. 6.* hi autem omnes ſunt circiter ſexa- 35

xa-

Digitized by Google

xaginta duo; & plures adinueniſſem, ſi in illis inquirendis tempus terere operæ pretium cenſuiſſem. ſufficiant igitur allati, qui, & in numero, & in doctrina cuiuſcũque hominis intellectum rectè diſpoſitum mouere poſſunt, & ideo non ſolum tutam, & probabilem, verum etiam moraliter certam opinionem hanc reddunt, & probabilitatem oppoſitæ ita minuunt, vt hodie poſt talium doctorum ſenſum parum probabilitatis inuoluat; imo penſatis rationibus, quas prædicti authores adducũt, videtur ipſa ſententia oppoſita conſtituta veluti in confinio improbabilium.

36 Ad extremum aio retorqueri poſſe cõtra ipſum Philalethum fundamentalem eius rationem tali pacto: ſi probabiliorem eligere debemus opinionem, minus probabili relicta, cum iſta, quam ego ſuſtineo, ſit longè probabilior, ſaltem ex principijs extrinſecis, nempè multitudine Doctorũ quib' munitur; cõtraria vero, quã tuetur Philalethus à paucis defendatur, conſequens eſt, vt dicamus noſtram, & non eius eligendam eſſe opinionem.

37 Hæc dicta ſint ſpectando iuris rigorem, ſed proculdubio per ſe loquendo, melius, perfectiuſque faceret, ſi quis tutiorem eligeret opinionem in ſuis actibus: & hoc non ſolum ſi tutior opinio ſit probabilior; verum etiam ſi minorem inuoluat probabilitatem, nam eam ſequens, & formaliter, & materialiter vitabit peccatum. dixi per ſe loquendo, nam in aliquo caſu, in quo ſequendo tutiorem, graue præiudiciũ tertiæ perſonæ reſultaret; tunc minus, & non magis tutam ſequi debemus ſententiam. ſed omittendo caſum hunc per accidens, dico eſſe quid perfectius ſequi tutiorem, & de hac maiori perfectione in eligendis opinionibus nunquam volui remouere Philalethum à ſuo ſenſu, ſed quod inquirere volui, eſt, num ſit de præcepeo eligere probabiliorem, & tutiorem, & iuxta commune Doctorum placitum, dico non eſſe de præcepto. & ideo mihi ſanè perſuadeo, fore vt ipſe Philalethus vir alioquin doctus, & prudens, tot, taliumque Authorum numero ſe æquo animo addat. & ſic, vt nomen ipſum indicat, meritò Philalethus, non autem Philopſeudes erit appellandus.

FINIS.

zed by Google

INDEX

RERVM NOTABILIVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

PRIOR NVMERVS FOLIVM, POSTERIOR MARGINALEM Numerum denotat.

A

Ablatiuus.

ABlatiuus abſolutus conditionem, ſeu formam importat.fol.234.nu.2.

Non ſemper ſignificat formam in decretis pontificijs,& etiam in concilijs in ordine ad valorem actus.n.3.

Ablatiuus abſolutus aliquando importat admonitionem, vel honeſtatem actus.ibidem.

Abortus.

Abortum,non exiſtente fœtu animato, licet interdum procurare ad tuendam vitam matris. fol.529. n.4.

Abortum ante animationem procurare non eſt ita intrinſecè malum, ſicuti conceptionem impedire.ibidem.

Abſolutio.

Abſolui poſſe pœnitentem vi iubilei ab hæreſi, ſi conceſſa facultate abſoluendi à caſibus in bulla cœnæ contentis, hæreſis non exciperetur, exiſtimarunt aliqui.275.n.2.3.4.

Abſolui poſſe ab hæreſi occulta vi iubilei putant nonnulli; in praxi tamen non admittendum. ibidem.n.6.

Abſolui poſſe virtute iubilei, etiam ſi quis ſpe illud lucrandi,peccauerit. ibidem 276.n.10.

Abſolui poteſt à reſeruatis, ſi quis iterum, atque iterum in illos lapſus fuerit; dummodo id fiat antequam iubileum ſit acquiſitum.ibidē. n.11.

Abſolutionem poſſe conferri alicui, qui commiſerit peccata reſeruata in aliqua diœceſi, & ad aliam acceſſerit, in qua reſeruatio talium peccatorum non habetur; probabiliter aliqui defendunt.333.n.4.

Si quis per fraudem recedat à propria diœceſi, vt alibi à reſeruatis abſoluatur cenſent aliqui id fieri non poſſe, ſed probabilius eſt oppoſitum. fol.335.n.7.

Abſolui tamen nequit,ſi in eo loco, ad quem peruenit peccata illa ſunt reſeruata.335.n.10.

Abſolutio à cenſuris vi iubilei conferri poteſt extra confeſſionem. 276.n.12.

Actio.

Actio damnificans cenſetur habere rationem cauſſæ influentis moraliter in tale damnum, quando ex ipſa, vel ſemper, vel vt plurimum damnum ſequitur.79.n.6.

Actio, ex qua vt plurimum ſequitur damnum eſt in triplici differentia.83.n.17.

Actio poterit eſſe alteri iniurioſa ſecundum ſe, vel extrinſecè.84.n.20.

Actio debita ſecundum entitatem, nequit, ſecundum aliquam formalitatem ſibi annexam, eſſe materia lucri reſpectu illius, qui tenetur eam ponere.92.n.12.

Actionum diuerſitas in quibuſdam Eccleſiæ præceptis declaratur.422.n.15.

Actio externa puniri poteſt ab Eccleſia per ordinem ad talem determinatam intentionem, ex qua procedit.423.n.59.

Actio externa, quæ non deſtruit totaliter attentionem internam non tollit orationem.433.n.5.

Actionem aliquam externam eſſe compoſſibilem cum oratione probatur ex ritu eccleſiæ ibid.n.6.

Actionem malam exercens, quo ſenſu videtur virtualiter, ſeu interpretatiuè velle ea, quæ ex tali actione ſequuntur.534.n.7.

Actus.

Actus agentis non operari vltra intentionem ipſius agentis, quo ſenſu verificetur.4.n.8.

Actus denominans poteſt, & phyſicè, & ciuiliter ſpectari, & vtroque modo diuerſam dat denominationem.117.n.9.

Actus merè internos ſubijci Eccleſiæ poteſtati autumant aliqui.415.n.1.

Oppoſitum eſt aſſerendum. ibidem. n.2.

Actus interni de poſſibili poſſunt Eccleſiæ ſubijci. fol.416. n.3.

Actus internus nequit ab Eccleſia iudicari,vt de illo feratur ſententia; poteſt tamen per legem eccleſiæ iudicari ſine probationibus.ibidem.n.4.

Actus internus nequit directè de facto ſubdi Eccleſiæ. ibidem. n.5.

Actus interni, qui concurrunt ad actionem externam ſunt in triplici differentia.418.n.2.

Actus internus, qui concurrere debet ad ponendam materialitatem actus externi,abſque controuerſia ſubditur Eccleſiæ.ibidem. n.3.

Actus internus, qui vt forma dat ſubſtantialem moralitatem actui externo, indirectè præcipi poteſt ab eccleſia.ibidem. n.4.

Actus plures internos indirectè ſubdi eccleſiæ varijs exemplis demonſtratur.419.n.6. & ſeq.

Impugnatur reſpõſio tradita à Gabriele Vaſquez. ibidem. n.10.

Actus interni dantes moralitatem accidentalem

actioni externæ, neque indirectè præcipiuntur ab eccleſia. 421. n. 14.
Actus illi interni vocantur ſimpliciter, & omnino occulti, qui merè per accidens ſe habent ad externum, ſecùs illi, qui connexionem aliquam habent cum externo. 432. n. 4.

Adminiſtrare.

Adminiſtrans ſacramentum baptiſmi, pœnitentiæ, &c. verè loquitur in ordine ad alios homines. 427. n. 16.

Admittere.

Admittere ad profeſſioné non eſt actus iuriſdictionis, ſed ſuperioritatis. 247. n. 24.

Adulter.

Adulter præuidens prolem à ſe genitam ab adultera fore marito ſupponendam, ſi ad talem ſimulationem non cooperatur, non obligabitur ad reſarcienda damna, quæ ex tali ſuppoſitione ſequuntur. 102. n. 15.

Æquiuocare. Æquiuocatio.

Æquiuocare, vt falſum non inuoluat, ſecundum aliquos poſtulat verba, quæ duplicem habeant ſignificationem externam, & non ſufficere ſolam mentalem reſtrictionem. 63. n. 10.
Alij volunt ſatis eſſe mentalem reſtrictionem ibidem.
Æquiuocare poſſunt ruſtici, ſi intendant affirmare, aut negare eo modo, quo propoſitio veritatem habeat; vel eo modo, quo alius peritus intendat. ibidem. n. 11.
Æquiuocatio poteſt eſſe licita quamuis interrogãs petat iuramentũ, vt quis reſpondeat ſine æquiuocatione. 64. n. 12.

Alienare. Alienatio.

Alienare poteſt Prælatus Eccleſiaſticus prædium relictum eccleſiæ ſub conditione, vt debeat alienari ſi opportunitas ſe offerat. 198. n. 8.
Alienari etiam poteſt ſi relictum fuerit ſub conditione disiunctiua, vel illud incorporandi alijs bonis eccleſiæ, vel alienandi. ibidem. n. 9.
Alienari nequit poſt incorporationem factam. 400. n. 3.
Alienandi poteſtas in caſu iſto, vnico actu determinationis finitur, dummodo ſit actus externus, & publico inſtrumento manifeſtus. 401. n. 19.
Alienatio iſta fieri poteſt, quamuis prædium relictum non fuerit cum expreſſa clauſula alienandi ſine ſolita ſolemnitate. ibidem. n. 20.
Quando dubia eſt mens teſtatoris, num voluerit alienari poſſe prædium ſine ſolemnitate nec ne ex circumſtantijs colligenda erit ibidé. n. 2.
Si penſatis omnibus dubia mens teſtatoris maneret, præſumitur noluiſſe recedere à diſpoſitione canonica. ibidem. n. 22.
Alienatio eſt in fraudem creditorum, quando fit cum aduertẽtia, excipitur manumiſſio. 100. n. 7.

Amplexus.

Amplexus iuxta conſuetudinem loci non tenetur quis repellere cum dedecore, licet præuideat animum libidinoſum alterius. 481. n. 5.
Vide verb. tactus.

Antecedentia.

Antecedentia neceſſaria præſumuntur adfuiſſe, quando facta fuit diſpoſitio, niſi oppoſitum conſtet. 122. n. 3.

Annus.

Annus non cenſetur tempus nimium, in eo, qui promotus eſt ad parochiale beneficium ante ſacerdotium. 123. n. 4.

Appellatio.

Appellatio ſuffragatur regulari priuato voce actiua, & paſſiua, vt pœna ipſa ſuſpenſa remaneat 365. n. 5.
Appellatione pendente Regularis eligi poteſt in Prælatum. 366. n. 5.

Apoſtaſia. Apoſtata.

Apoſtaſia quid ſignificat. f. 369. n. 7. f. 370. n. 8. 9.
Apoſtata in odioſis ſtrictè ſumi debet. 369. n. 8.
Apoſtaſia, & fuga illicita ſpecificè ſumpta, in ordine ad pœnas an æqualiter ſe habeant ſecundũ iura. 372. n. 17. vide verb. fuga.

Aqua.

Aqua roſacea, vel alia artificialis non eſt materia apta ad ſacramentum baptiſmi. 482. n. 5.
Aqua roſacea, vel alia ex floribus expreſſa differt ſpecie ab aqua naturali. 483. n. 8.
Aqua roſacea, etiam ſi ſpecie non differret à naturali, adhuc non eſſet materia baptiſmi, & quare. ibidem.
Aqua artificialis etiam ſi formaliter contineret elementa non eſſet materia baptiſmi. ibid. n. 9.

Archiepiſcopus.

Archiepiſcopus nequit abſoluere ſubditum ſui ſuffraganei à caſibus eidem ſuffraganeo reſeruatis extra tempus viſitationis. 315. n. 8.
Archiepiſcopus poteſt aliquando talem ſubditum abſoluere, etiam extra tempus viſitationis, nempè per viam appellationis, aut ſi ſuffraganeus malitioſè, aut negligenter ſe habeat differendo abſolutionem. ibidem.

Aſſignatio.

Aſſignatio legati facta legatario tempore quo non eſt habilis, eſt inualida. 131. n. 5.

Attentio.

Attentionem internam in recitandis horis canonicis eſſe ab eccleſia præceptam, colligitur ex cap. Dolentes de celebrat. miſſar. 428. n. 20.
Attentio interna in oratione vocali eſt in triplici differentia. 430. n. 1.
Attentio ſimpliciter neceſſaria in precibus recitãdis eſt illa, quę refertur ad verba. f. 430. n. 5. f. 431. num. 6.
Attentio interna ęquè eſt neceſſaria ad orationẽ vocalem, & ad ſacrificium miſſæ, ſiue celebrãdum, ſiue audiendum. 433. n. 8.

Auriga.

Auriga vehens in curru aliquem euntem ad fornicandum, vel ad furandum, excuſabitur, ſi ex officio munus aurigæ exercere ſoleat. 476. n. 2.

Author.

Authores, qui dicunt ſatisfacere præcepto eccleſiæ recitantes horas canonicas, etiam ſi interius mens ad alia obiecta diſtrahatur, quo pacto ſunt explicandi. 432. n. 3.
Authores iſti non excludunt omnem internam attentionem. ibidem. n. 4.

B

Baiuliuatus.

Baiuliuatus religionis Hieroſolymitanæ non ſunt propriè, ſed largè beneficia eccleſiaſtica. fol. 210. n. 7.

Ba-

Digitized by Google

Baiuliuatus iſti olim erant vera beneficia, an æquiporè talia. 211. n. 14.
Sunt veluti cadauera beneficij, 212. n. 15.
Baiuliuatus neq; ſunt officia eccleſiaſtica. 213. n. 17.
Baiuliui aliqui Hieroſolymitani appellantur Priores ad honorem, re vera non ſunt tales. 214. num. 24.

Bannitus.

Banniti, qui impunè ab omnibus occidi poſſunt, à quocunque confeſſario, & à quibuſcumque caſibus abſolui poſſunt. 312. n. 15.

Beneficium. Beneficiarius.

Beneficium regulare quod per annos quadraginta poſſidetur à laicis tranſit in ſæculare, & è conuerſo. fol. 134. n. 16.
Beneficium parochiale recipiens, qui ſacerdotio caret, abſque intentione ſumendi, ſaltem infra annum, gradum ipſum ſacerdotalem, grauiter peccat, & tenetur fructus exactos reſtituere. 155. n. 2.
Beneficium ſine prædicta intentione recipiens, ſi infra annum diuerſimodè voluntatem mutet quid iuris, quoad fructuum reſtitutionem? ibid. n. 3.
Beneficium curatum recipiens cum voluntate conditionata aſcendendi ad ſacerdotium, niſi aliquid felicius in ſæculo forſitan ſibi contingat, non tenetur fructus reſtituere. 156. n. 4.
Si animo dubio aſcendendi ad ordinem, beneficiũ recipiat tenetur reſtituere. ibidem. n. 5.
Beneficium recipiens ſine animo ſuſcipiendi ordinem non ob lucrum, ſed ob alium finem, tenetur fructus reſtituere. ibidem. n. 6.
Beneficiarius in caſibus, in quibus obligatur ad reſtitutionem, cui applicare debet fructus receptos. ibidem. n. 7.
Beneficium, & officium interdum confunduntur, & pro eodem ſumuntur. 217. n. 37.
Beneficium non curatum ſumens ſine voluntate recipiendi ordinem eidem beneficio annexum nõ eſt ipſo facto priuatus, ſed priuandus ipſo beneficio poſt adhibitam monitionem, caret tamẽ voce actiua in capitulo, & ſecundum Leſſium etiam paſſiua, & tertiam diſtributionum partẽ amittit. 156. n. 8.
Beneficium ſimplex, cui non eſt ordo ſacer annexus, recipiens cum intentione laicandi ſecundum aliquos grauiter peccat, ſecundum vero alios oppoſitum eſt dicendum. 157. n. 9.
Non obligatur tamen ad fructus reſtituendos. ibidem. n. 10.
Beneficium tenue habens, ſecundum aliquos non acquirit ſubiectionem requiſitam, vt poſſit ad ordines promoueri ab Epiſcopo illo, in cuius diœceſi eſt beneficium. 158. n. 2.
Alij oppoſitum tuentur. ibidem. n. 3.
Author his ſecundis adhæret. n. 4.
Declaratur locus Tridentini adductus à contrarijs. ibidem. n. 5.
Beneficium quamuis reſidentiam non requirat, dat tamen ſufficientem ſubiectionem ad promotionem ſumendi ordines. 159. n. 6.
Beneficium inſtituens in aliena diœceſi ad fugiendam iuriſdictionem proprij ordinarij non poteſt ſecundum aliquos ordinari ab Epiſcopo illius beneficij. ibidem. n. 7.
Oppoſitum ſuſtinet Author. ibidem.
Beneficium cui ſolùm ſubdiaconatus eſt annexus, fundat titulum, vt beneficiarius poſſit promoueri ad alios ſuperiores ordines ab Epiſcopo eiuſdem beneficij. ibidem. n. 8.
Ratione huius beneficij probabilius eſt, vt Epiſcopus eiuſdem beneficij, diſpenſare poſſit cum beneficiato in interſtitijs, licet aliqui id negent. ibidem. n. 9.
Beneficium erectum in vna diœceſi, ſubiectum vero Epiſcopo alterius diœceſis dat iuriſdictionem Epiſcopo illius diœceſis, in qua eſt ipſum beneficium, vt poſſit beneficiarium promouere. 160. n. 10.
Beneficium de ſe inſufficiens ad congruam ſuſtentationem, etiam ſi ſperetur futurum ſufficiens ex eleemoſynis, non fundat legitimum titulũ ad ordines ſuſcipiendos. ibidem. n. 2.
Erit tamen legitimus titulus ſi beneficiarius aliũdè ſuppleat ad congruam. 161. n. 3. 4.
Beneficia incompatibilia ſunt in duplici differentia. 170. n. 4.
Diuerſitas vtriuſque. ibidem.
Beneficiarij ſunt veri domini fructuum eccleſiaſticorum. 176. n. 6.
Beneficiarij tenentur ſub graui culpa fructus beneficiorum, qui excedunt congruam ſuſtentationem erogare in vſus pios. 183. n. 2.
Aliqui modificantes hanc ſententiam dicunt, tunc grauiter delinquere beneficiarium, quando inſumit in vſus profanos notabilem quantitatem, ſupra congruam, & addunt partem notabilem eſſe tertiam, aut quartam partem ſupra congruam. ibidem. n. 3.
Reijcitur iſta ſententia. ibidem. n. 4.
Beneficiarij inſumentes in vſus profanos ſuperfluũ congruæ ſuſtentationis non peccant contra iuſtitiam. 188. n. 5.
Beneficiarios eſſe ex iuſtitia aſtrictos ad erogandũ ſuperfluum in opera pia non rectè ab aduerſarijs deducitur ex abundantia redditum. 189. num. 6.
Beneficiariorum donatarij non tenentur reſtituere ſuperfluum, quod receperunt ab ipſis beneficiarijs, quamuis illud recipientes peccauerint. ibidem. nu. 7.
Beneficiarios teneri ex iuſtitia erogare ſuperfluũ in vſus pios eſt ſpeculatiuè, non autem, practicè probabile. ibidem. n. 8.
Beneficiarij acquirentes dominium fructuum dicuntur etiam illos tanquam res Dei poſſidere. 190. n. 9.
Beneficij qualitas in duobus conſiſtit, videlicet in dignitate, & quantitate redditum. 195. n. 1.
Beneficia eccleſiaſtica non ſunt inſtituta ad fouẽdam ſæcularem nobilitatem, ſed ad miniſtros diuini cultus alendos. 197. n. 10.
Beneficiarij habentes ſufficiens patrimonium poſſunt illud ſibi ſeruare, & ſe alere ex fructibus beneficij. 198. n. 3.
Beneficiarij inſumentes pro ſui ſuſtentatione fructus proprij patrimonij, poſſunt tantumdem capere ex fructibus beneficij, & illud in vſus etiam profanos expendere. ibidem. n. 4.
Beneficiarij poſſunt ſoluere ex fructibus beneficij debita contracta pro ſui ſuſtentatione, vel pro ope-

Digitized by Google

operibus pijs, etiam ſi habeant bona patrimonialia. 199 n.4.
Beneficiarius carens patrimonio contracta quacunque ex cauſa ſoluere ex fructibus beneficij. ibidem. n. 5.
Secùs ſi habeat patrimonium. n. 6.
Beneficiarij non tenentur applicare operibus pijs id quod ſupereſt ex quotidianis diſtributionibus. 200.n.4.
Idem eſt dicendum etiam ſi omnes redditus beneficij conſiſterent in diſtributionibus. n. 5.
Beneficiarij poſſunt partem fructuum beneficij donare conſanguineis pauperibus titulo eleemoſynæ. 204.n.1.

Bigamus.

Bigamus inualidè, aut fictè diſpenſatus, ſi ordines minores ſuſcipiat, non erit immunis à gabellis. 396. n.5.
Bigamus habens à Pontifice diſpenſationem recipiendi ordines ſacros ex vi huius præciſæ diſpẽſationis non liberatur ab obligatione quoad præterita, niſi aliud dicatur in diſpẽſatione. n.6.

Bona. Bonitas.

Bona empta pecunijs alienis, etiam furtiuis ſunt ipſi ementi acquiſita. 100. n.4.
Bona eccleſiaſtica iure diuino, & naturali ſunt affecta onere alendi pauperes. 180. n.19.
Bona iam applicata eccleſiæ, ſiue immobilia, ſiue mobilia non ſunt ſub dominio Epiſcopi; ſed de illis ſolam adminiſtrationem habet Epiſcopus ibidem. n.20.
Bona immobilia eccleſiaſtica non ſunt ſub dominio beneficiarij illa poſſidentis, & adminiſtrãtis. 181. n.5.
Sunt ſub dominio illius Eccleſiæ, cui relicta fuerũt n.6.
Bona Epiſcopatus, quo ſenſu dicuntur patrimoniũ Epiſcopi. n.7.
Bona eccleſiaſtica dicuntur patrimonium pauperum, & quo modo id intelligendum. 182 n.12.
Bona eccleſiaſtica quamuis primaria intentione donata ſint ad ſuſtentãdos Epiſcopos, ſecundaria tamen intentione donata ſunt, vt ſuperfluũ in vſus pios erogetur. 184. n.6.
Bona acquiſita à Beneficiario ratione muneris ſe habent vt patrimonialia. 201. n.3.
Bona vacantia, quæ nam ſint in iure. 149. n.2.
Bona vacantia ſecundum ius ciuile fiſco acquirũtur. 150. n.4.
Bona vacantia, quæ apud Hiſpanos appellantur Moſtrencos ſunt iuxta mẽtem aliquorum pauperibus applicanda. ibidem. n.5.
Bona vacantia non improbabiliter dici poſſunt comprehenſa ſub diſpoſitione facta à Pontifice de bonis incertis. 151. n.10.
Bona vacantia niſi dicantur comprehenſa ſub prędicta pontificia diſpoſitione, valde extenuaretur bulla compoſitionis cruciatæ. 152. n.12.
Bonitas phyſica rei non dependet à noſtra exiſtimatione, ſecùs bonitas moralis. 547. n.21.
Bonum quodcumque ſpirituale quantumuis minimum licet comparatiue ad temporale reputetur magnum, non debet tamen ſemper ita ſpectari. 88. n.9.

C

Canonicus.

Canonicus ſine cauſſa rationabili diu abſens à propria Eccleſia grauiter peccat ſecundũ aliquos. 162. n.2.
Canonicus vno, aut altero die ſi ſit abſens, ẽt nulla exiſtente cauſſa non eſt grauis culpa. 163. n.6.
Limitatur. ibidem.
Canonicus etiam diù abſens probabilius eſt quod grauiter, per ſe loquendo, non peccet. n.7.
Canonicus abſens eſt monendus ab Epiſcopo vt redeat ad eccleſiam, & admonitus non reſidẽdo mortaliter peccabit. 164. n.11.
Canonici diuturnam abſentiam ſine cauſſa eſſe illicitam colligitur ex Tridentino n.13.
Canonicus diu abſens ſi fructus remittit non videtur grauiter ſua abſentia iuſtitiam lędere ibidem n.

Capitulum.

Capitulum quando vacat ſedes poteſt delegare facultatem abſoluendi à caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſeruatis 314. n.4.
Capitulum habere poteſtatem abſoluendi ab omnibus illis caſibus Pontifici reſeruatis à quibus Epiſcopus poteſt vi Tridentini probabiliter aliqui ſuſtinent ibidem. n.5.& 6.

Cappellania.

Cappellania in aliena diœceſi nõ dat iuriſdictionem Epiſcopo ad promouendum cappellanum ad ordines ſacros. 160. n. 10.

Caſus.

Caſus quot ſignificationes habet. 298. n.1.
Caſus, qui reſeruari poſſunt, quales ſunt. 299. n.1. & ſequ.
Caſus reſeruandus, niſi aliud in reſeruatione notetur, debet eſſe completus in ſua ſpecie. 300. n.1.
Caſus reſeruatus in materia luxuriæ, ſi in reſeruatione dicatur, eſſe omne illud, quod exit in actũ externum, quo pacto ſit intelligendus. ibidem. n.2.
Caſus in dubio, ſiue iuris, ſiue facti, niſi in reſeruatione aliud addatur, non eſt reſeruatus. 301. n.6.
Idem dicendum quando pro vtraque parte eſt probabilitas opinionum. ibidem. n.7.
Caſus præſumptus ſecundum forum externum licet iuxta aliquos cenſeatur reſeruatus, oppoſitum eſt verius. ibidem. n.8.9.
Caſus Pontifici reſeruati de facto omnes habent cenſuram annexam. 302. n.1.2.

Caſtitas.

Caſtitas requiſita à marito in vxore, cui legatum relinquit eſt ſtrictior ea, quam ipſe legans poſtulat à conſanguineis legatarijs. 119. n. 21.
Idem eſt dicendum, quando filiabus legatum ſub conditione caſtè viuendi relinquitur. 120. n.22.

Caupo.

Caupones, & ſimiles vendentes vinum ijs, quos præuident ſe inebriaturos, quando nulla extat cauſſa, peccant grauiter. 464. n.1.
Cauſſa rationabili poſita non peccant. n.2.
Quæ ſunt cauſæ excuſantes. n.3.
Caupones, & ſimiles facilius excuſantur vendentes cibos ieiunium fracturis, quam vinum inebriaturis, & quare. n 4.

Cauſſa.

Cauſſa diſpenſationis obtinendæ à Pontifice, tempore datæ verificari debet. 224. n.4.5.

Cauſſa

Cauſſa ceſſante quando ceſſare debet effectus. 330. n. 5.
Cauſſa alicuius mali effectus in ratione culpæ eſt ſpectanda ſecundum moralem progreſſum, & non phyſicum. 343. n. 12. & 13.

Cenſura.

Cenſuræ eccleſiaſticæ ſtatim afficiunt delinquentem. 374. n. 10.
Plura de cenſura vide, verbo abſolutio.

Circumciſus.

Circumciſus in lege ſcripta hebræorum ſi tranſiſſet ad legem naturæ non fuiſſet cenſendus apoſtata. 370. n. 11.

Chriſma.

Chriſma conſecrari debet ſolum in die Iouis ſancti. 487. n. 1.
Chriſma tempore interdicti ianuis clauſis, & nõ ſolemniter debet conſecrari; licet aliqui putẽt ſolemniter fieri poſſe. ibidem. n. 8. 9. 10.
Chriſma debet eſſe eo anno confectum. 488. n. 1.

Chriſtianus.

Chriſtiani captiui in triremibus turcarum remigãtes contra fideles excuſantur à peccato. 475. n. 16.
Chriſtiani captiui apud infideles ob periculum, & timorem mortis inferendo damnum bonis temporalibus chriſtianorum, eademque bona aſportantes ad triremes eorumdem infidelium non peccant.

Ciuis.

Ciuis ſecreto ſciens principem cum curia breui diſceſſurum è ciuitate, poteſt domum ſuam locare eo pretio, quod currit, dum curia eſt præſens. 27. n. 21.

Clauſula.

Clauſula, per quam in aliqua lege, ſeu ſtatuto imponitur contra delinquentem pœna ipſo iure, ipſo facto reus ſit priuatus officio, beneficio, &c. debet intelligi poſt ſententiam declaratoriam criminis 97. n. 16.

Cogens.

Cogentes puellam puberem ad purum ingreſſum in monaſterium, exceptis caſibus in iure expreſſis grauiter contra iuſtitiam peccant. 377. n. 7.
Cogentes ad purum ingreſſum abſque intentione vt puella aſſumat habitum religioſum, vel profeſſionem emittat, probabile eſt non ligari excõmunicatione. ibidem. n. 8.
Probabile etiam eſt ligari. 378. n. 11.
Cogens cum intentione vt habitum ſuſcipiat, &c. ligatur excommunicatione ſtatim ſecuto ingreſſu. 377. n. 9.
Cogentis intentio licet ſit occulta indirectè ſubijcitur pœnis ab eccleſia inflictis. ibid. n. 10.

Coactio.

Coactio iſta poteſt eſſe, vel directa, vel indirecta. 378. n. 14.

Commendatarius.

Commendatarij Hieroſolymitani non tenentur tanquam publicę perſonę recitare officium. 111. n. 11.

Commiſſarius.

Commiſſarius cruciatæ valide diſpenſat in matrimonio irrite contracto, ob impedimentum illicitæ affinitatis, quamuis vnus ex coniugibus ſit extra loca, in quibus viget cruciata. 228. n. 3.

Commorare.

Commorans illicitè puella intra monaſterium monialium contra decretum Tridentini, an incurrat pœnas? 379. n. 17. 18. 19.

Commoratio.

Commoratio iſta in monaſterio nequit cohoneſtari ſub ſpecie futuræ licentiæ habendæ à Summo Pontifice. 381. n. 27.
Limitatur quãdo occurrit caſus neceſſitatis. n. 29.

Communitas.

Communitas emens frumentum pro ciuibus id facit veluti eorumdem procuratrix. 85. n. 25.

Compenſatio.

Compenſatio vnius famæ cum altera quando eſt licita? 55. n. 12.
Compenſatio famæ contra iuſtitiam ablatæ an interdum licitè fiat, detinendo pecuniam detractoris. 69. n. 4. 5. 9.
Compenſans occultè pro fama ſibi iniuſtè ablata cautè procedere debet ſeruando indemnem ipſum detractorem, caſu quo ipſe tandem famam reſtituat. 70. n. 13.
Compenſatione occulta fiſcus, aut alius cui pœna legalis erat applicanda poſt ſententiam vti nequit, etiam ſi reus illicitè ſententiam ferendam impedierit. 74. n. 10.

Conditio.

Conditionem non inuoluit actus, quem aliquis non feciſſet, ſi circumſtantiam aliquam ſciuiſſet. 53. n. 4.
Conditionalis cenſetur ſi fiat poſita exiſtentia talis circumſtantiæ. ibid.

Confeſſio.

Confeſſio ſacramẽtalis eſt neceſſaria tempore iubilei etiam non habenti conſcientiam peccati mortalis ſi poſtularetur à Pontifice vt opus piũ, & non vt tollens tantum impedimentum. 262. num. 1.
Confeſſio ſacramentalis modo conſueto quo preſcribitur cuilibet, probabilius eſt quod non requiratur, quando quis conſcientiã peccati mortalis non habet. 263. n. 4.
Confeſſio iſta ad lucrãdum iubileum eſt neceſſaria habenti peccatum mortale quamuis contrito ibidem. n. 5. 6.
Confeſſio inualida non eſt ſatis ad lucrandum iubileum. 264. n. 8.
Confeſſio valida, ſed informis eſt ſatis. 264. 265. n. 10. 11. 12.
Confeſſionem non præmittens quia caret copia confeſſarij probabile eſt lucrari iubileum ſi de mortalibus ſe conterat. 265. n. 14.
Confeſſione præmiſſa, & abſolutione obtenta ſi poſtea pœnitens recordetur alicuius peccati mortalis nõ confeſſi, num teneatur iterum confiteri ad lucrandum iubileum. 266. n. 13.
Cõfeſſione rite facta, & euchariſtia recepta ſi iterũ quis labatur in peccatum mortale probabilius eſt quod tenetur iterum confiteri ad lucrandũ iubileum. 267. n. 18.
Confeſſio facta vi iubilei requirit vt ſatisfactio imponatur pœnitenti 268. n. 19.
Confeſſio ſi fiat die dominico ſatis eſt vt pœnitens vi iubilei abſoluatur. 281. n. 37.
Confeſſio ne nimium differatur, qui habet peccata reſeruata, & non reſeruata, ſi non habet copiam legitimi confeſſarij pro reſeruatis; poteſt

Digitized by Google

licite confiteri confeſſario habenti tantum facultatem pro non reſeruatis,cum onere ſe præſentandi coram ſuperiore.331.n.2.

Confeſſionem ſacramentalem nulla exiſtente neceſſitate certum eſt fieri non poſſe confeſſario abſenti.514.n.3.

Confeſſio occurrente neceſſitate valide fit abſenti dummodo abſolutio conferatur præſenti.514. n. 4.

Confeſſionis inualiditas ex multiplici capite oritur. 514.n.8.

Confeſſio ſacramentalis facta per interpretem requirit præſentiam pœnitentis.520.n.33.

Confeſſarium tempore iubilei ſatis eſt eſſe approbatum ab ordinario, quamuis ab illo iuriſdictionem non haberet.270.n.4.

Confeſſarium ratione ætatis approbatum ſolum ad excipiendas virorum confeſſiones probabilius eſt eligi non poſſe à muliere.271.n.6.

Confeſſarius regularis approbatus tamẽ à ſuo prelato non eſt vi iubilei eligibilis à ſæcularibus.fol. 271.n.8.

Confeſſarius, ſiue regularis, ſiue ſæcularis approbatus à Prelato illius regularis, qui vult iubileũ lucrari eſt ab eodem eligibilis.272. n.9. & ſequ.

Confeſſarius electus vi iubilei probabilius eſt quod teneatur commutare vota pœnitentis ſi id petatur.284. n. 11.

Confeſſarius iſte nequit ſubdelegare facultatem commutandi vota.ibid. n. 12.

Confeſſarius virtute iubilei commutans vota reſeruata,ſi materiam ſubrogandam non præſcribat, poterit illam determinare etiam elapſo iubilei tempore, quamuis alij contrarium ſentiant.284. n. 13.

Confeſſarius poteſt commutare opera in iubileo iniuncta, quando occurrit neceſſitas.295. nu. 1.

Confeſſarius ſi commutat opera iniuncta non eſt neceſſe vt id, in quod fit commutatio exerceatur eodem tempore, ſeu die, quo peragendum fuerat opus iniunctum.296.n.8.

Confirmatio.

Confirmationis ſacramentum infantibus ante vſũ rationis eſſe conferendum putant aliqui, alij vero, & melius negant.490. n. 1.2.3.4.

Confirmatio ſi detur infantibus non videtur graue peccatum.ibid. n. 5.

Confirmationem dandam eſſe amentibus, qui tales non fuerunt à natiuitate certum eſt. n.6.

Limitatur quando creditur tempore quo in amentiam inciderunt fuiſſe in malo ſtatu. In dubio de eorum diſpoſitione ſunt confirmandi. n. 9.

Confirmationem eſſe cõferendam perpetuis amẽtibus alij negant,alij probabilius affirmant.n.8.

Confirmationem recipere non eſt de præcepto. 490.n.2.

Probabile eſt eſſe peccatum veniale illam amittere.491. n. 2.

Confirmatio ſub graui obligatione recipienda eſt quando vrget neceſſitas fatendi fidem, & in quibuſdam alijs caſibus. ibidem.

Aliqui vero cenſent etiam in prædictis euentibus eius omiſſionem non eſſe grauem culpam. ibid. nu. 3.

Confirmationem, ſine lethali culpa omitti non poſſe quando quis eſt ad ordines promouendus, ſuſtinent aliqui.291. n. 4.

Probabilius eſt non eſſe culpam mortalem.n.5.

Confirmationem conferens Epiſcopus manens in ſtatu peccati mortalis grauiter peccat ſecundũ aliquos. ibid. n. 8.

Alij negant eſſe grauem culpam. ibidem.

Conſuetudo.

Conſuetudo quid ſit. In ea vnum ſe habet vt materiale aliud vt formale.409. n.8.

Conſuetudo obligans ſub graui culpa ex quibus coniecturis colligitur. ibid. n. 9.

Conſuetudinem, quando dubitatur inductã eſſe ex deuotione, an vero ex ſtricta obligatione, eſſe ex obligatione putant aliqui.410.n.11.

Conſuetudo ex præſcriptione longiſſimi temporis non admittit inquiſitionem de intentione illius, qui eam induxit. ibidem. n. 12.

Conſuetudo tranſacto tempore ſufficienti ad præſcribendum, ſi à iuriſſapientibus toto eo tempore exiſtimatum fuit obligare ſub graui culpa, ita eſt à poſteris cenſendum. n. 13.

Confirmatur efficaci argumento. n. 14.

Conſuetudo introducitur accedente conſenſu principis, ſiue legali, ſiue perſonali.412.n.16.

Conſuetudo induci etiam poteſt à fœminis in rebus ad ipſas ſpectantibus.ibidem.n.17.

Conſuetudo abſtinendi à lacticinijs die veneris, & ſabbati in Regno Siciliæ, quamuis diu viguerit, nunquam fuit legitime introducta, & quare. 412.n.18.

Cõſuetudo quoad obligationem eo modo eſt explicãda quo à ſapientibus declaratur.413.n.19.

Contractus.

Contractus ex ea parte, qua eſt irritus nullum realem gignit effectum.4. n. 6.

Contractus conſiſtens in pactione pretij pro mercibus, eſt emptio, & venditio. 31. n.3.

Contractus tria poſtulat, videlicet, emptionem, venditionem, & conſenſum. ibidem.

Contractus inter mercatores, & aratores, qui fit in quibuſdam locis huius Regni, quando originem habuit, & quæ fuerunt motiua ad illum inſtituendum.31.n.4.& 5.

Contractum hunc cupiditas mercatorum, & pecuniæ inopia extenderunt ad alios, qui non ſunt aratores. ibidem. n. 6.

Contractus iſte quamuis celebretur inter eos, qui neque mercatores, neque aratores ſunt non eſt illicitus ſecundum ſe.32.n. 8.

Contractus iſte per accidens poterit eſſe illicitus, & in eo celebrando periurium committi.ibidẽ. n.9.

Contractus pœnales in Regno Siciliæ, quibuſdam caſibus exceptis, prohibentur. 36.n.30.

Contractus vltra, aut infra dimidium iuſti pretij non eſt receptus in foro conſcientiæ. 41. n. 19.

Contrahentes ſe circumuenire poſſe quo ſenſu in iure dicatur naturaliter licere.41.n.21.

Contrahentes tenentur ſequi naturam contractus quo pacto explicatur. 42.n.24.

Conuentio.

Conuentio inter contrahentes nequit eſſe menſura ponens inter illos æqualitatem.40.n.19.

Contumelia.

Contumelijs alium afficiens ſi inuaſus ab illo, eum ſe defendendo occidat,non tenetur ad reſtitu-

Digitized by Google

tionem damnorum ſecundum aliquos. 82.n.16.

Cooperatio.

Cooperantes ad illicitum ingreſſum puellæ coactæ in monaſterium, excommunicatione eadem, ſicuti cogens afficiuntur. 378. n. 13.

Cooperantes auxilio, conſilio, &c. ad illicitam commorationem eiuſdem puellæ in monaſterio eiſdem ſubijciuntur pœnis. 379. n. 20.

D

Debitor.

DEbitoris impotentia ſi creditori conſtaret nō poſſet debitor in carcereribus includi. 61. n.6.

Debitor quando reſtituere non tenetur rem aliquam in indiuiduo, ſatisfacit ſuæ obligationi reſtituens creditori ſui creditoris. 83. n. 18.

Debitor volens ſoluere pecuniam debitam creditoribus ſui creditoris, ſi illi ſunt incerti nequit vti beneficio bullæ compoſitionis, & quare. 84. n. 19.

Decimæ.

Decimas præteritas, & ab antiquo poſſeſſore non ſolutas an teneatur eas ſoluere nouus poſſeſſor. 50. n. 11.

Decretum.

Decretum Clemen. VIII. de confeſſione, & abſolutione inter abſentes refertur. 515. n.14.

Decreti eiuſdem tenor expenditur iuxta quorumdam doctorum mentem. ibidem. n. 15. & ſeq.

Decretum hoc damnat vtrumque membrum copulatiuè, non diuiſiuè. 521. n. 37.

Decreti huius forma vt iacet; & ſecundum verba nullam partem propoſitionis damnat, ſi partes disiunctiuè ſumantur; ſi vero ſpectatur motiuū, quo Pontifex ductus fuit ad decretum faciendnm, damnatur pars illa, in qua fit mentio de abſolutione collata perſonæ abſenti. 522. n. 39.

Defectus.

Defectus falsò expreſſus in ætate, ſi eſt ſufficiens ad reddendum aliquem inhabilem ad beneficiū non cenſetur modicus. 225. n. 15.

Defectus in ætate, quando eſt tota materia ſubſtantialis, & de qua petitur diſpenſatio, eſt neceſſario exponendus. ibidem. n. 16.

Delectatio.

Delectatio de pulchritudine alterius mulieris, vt coniux in actu matrimoniali excitetur, ex parte obiecti non videtur culpa grauis, licet ſit periculoſa, & ideo non conſulenda. 532.n.4.6.

Delegatus.

Delegatus Pontificis nequit diſpenſare, vt matrimonium celebretur ab ijs, inter quos eſt impedimentum dirimens, antequam ab eiſdem peragatur pœnitētia à Pontifice in breui diſpēſationis iniuncta. 234. n. 5.

Delegatus per ſe loquendo nequit ſubdelegare, fallit in delegato Principis, & in delegato ad vniuerſitatem cauſſarum. 237.n.4.

Delegato mortuo remanet in ſubdelegato iuriſdictio etiam re integra ſi delegans ſuperuiuat. 238.n.10.

Delegans primus qua ratione ſaltem implicitè cōcurrit ad ſubdelegationem. 239.n. 12.

Delegatus quamuis interdum ignoret conditionem ſuæ delegationis, vt perſona tamen publica id non ignorat. ibidem.

Delegante principali mortuo ſi delegatus ſuperuiuat reſpectu cuius cauſſa ſit integra, non autem reſpectu ſubdelegati manet iuriſdictio in ipſo ſubdelegato. n.14.

Idem dicendum ſi mortuo principali delegante, cauſa remaneat integra reſpectu ſubdelegati, nō integra tamen reſpectu delegati. n. 16.

Denunciationes.

Denunciationes præſcriptæ ante matrimonium contrahendum non important formam, & quare. 235.n.7.

Detractio.

Detractio ex ſe habet gignere in mente audientium malam, de eo contra quem fit detractio, exiſtimationem. 80. n. 6.

Detractor.

Detractor iniuſtus tenetur reſarcire omne damnū, quod ſequitur ex omiſſione alienæ famæ ablatæ. 69. n. 5.

Dictio.

Dictio, poſtquam, eſt talis naturæ, vt in diſpoſitione, in qua apponitur, faciat tempus ſubſequens currere de momento in momentum. 245.n.16.

Dictio, ex nunc, vel ſimilis in aliqua lege ſignificat ſtatim poſt promulgationem, legem illam obligare etiam abſentes. 246. n. 20.

Dictio, ſecundum ſe, multiplicem habet ſignificationem. 545. n. 16.

Dictio, alius, interdum diſſimilitudinem importat. 371.n.14.

Dictio, tanquam, regulariter improprietatem dicit. n. 15.

Diſpenſatio.

Diſpenſatio completè obtenta ad matrimonium contrahendum cum perſona conſanguinea ob motiuum paupertatis, ſi antequam matrimonium celebretur ceſſet paupertas, firma ſecūdum aliquos manebit: ſecundum alios vero euaneſcet. 126. n. 11.

Diſpenſatio in re, quæ habet tractum ſucceſſiuū, eſt in duplici differentia. 230.n.6.

Diſpenſationis, in qua pro cauſſa aſſignatur ad matrimonium contrahendum copula iam habita, quæ re vera non fuit, ſi nulla alia ad diſpenſandum datur cauſſa, euaneſcit, ſecùs ſi aliæ aſſignentur cauſſę. 232.n.5.6.

Diſpoſitio.

Diſpoſitio continere poteſt conditionem duplicis generis, ſiue explicitè, ſiue implicitè, & vtriuſque diſcrimen. 127.n.13.ver. Pro ſolutione.

Diſtributor.

Diſtributor pecuniarum nomine alterius, nihil recipere poteſt à perſonis inter quas fit diſtributio. 92. n. 13.

Diſtributiones.

Diſtributiones quotidianæ per ſe loquendo non dicuntur pars redditũm beneficij. 200. n.6.

Diſtributiones dantur intuitu perſonę operantis. 201. n.7.in fine.

Dominium.

Dominium, quod Deus habet de creaturis non tollit quin vna creatura dominium de alia habere queat. 182. n.11.

Dominium in re aliqua habens non poteſt ſemper de re illa ad ſui libitum diſponere. 190. n.9.

ver.

Ver. Ad rationem vero.
Dominij tranſlatio diuerſimodè ſe habet quoad pretium, & quoad merces in ordine ad venditorem, & emptorem. 6. n. 12.

Domus.

Domus ſecundum ſe non eſt fructifera 51. n. 15.
Domus quam habeat ſignificationem cum ponitur in reſcripto de celebrando ſacro in oratorio priuato. 495. n. 8. & ſeq.
Domus vnitatem ſumit ex continentia cubiculorũ habentium eoſdem confines principales eumdemque aditum. 497. n. 10.
Domus nõ multiplicatur etiam ciuiliter ex diuerſitate familiarum ſimul habitantium.
Domorum diſtinctio ciuiliter bifariam ſumitur 498. n. 13. 14.
Domus in ſententia Vlpiani quo pacto diuidatur. 498. n. 15. 16.
Domus legata quando includit apothecam. 499. n. 19.
Domus in reſcriptis pontificijs non accipitur pro ambitu materialiter accepto, ſed prout habet, vel non habet parietem intermedium, per quẽ prohibeatur acceſſus ex vno in aliud cubiculũ. 500. n. 22.

Donatarius.

Donatarius rei alienæ nequit rem latronis donanti reſtituere, ſed vero domino. 16. n. 8.
Donatarius non tenetur ex bonis donatis ſoluere vota, quibus donator ante donationem erat aſtrictus, *quamuis* non extent alia bona pro ſatisfactione votorum. 58. n. 3.
Donatarius mala fide accipiens bona donata, quãuis præuideat impotentiã ad ſatisfaciẽdũ votis, & peccet acceptando, nihilominus non tenetur res donatas reſtituere. ibidem.
Donatarius recipiens pecuniam à debitore num obligetur eam creditoribus donantis reſtituere. 58. n. 6.

Dubium.

Dubiũ in materia irregularitatis q̃ requirit, vt tutior eligatur pars, intelligi debet de dubio ſtrictè ſumpto, & practico, non de illo, quod eſt in opinione probabili imbibitum. 360. n. 30.
Dubium eſt duplex iuris, & facti. n. 31.
Dubium in materia irregularitatis diuerſum exigit iudicium. ibidem.

E

Eccleſia.

Eccleſiæ nomine quid veniat, quando in iubileo præſcribitur eius viſitatio. 249. n. 1.
Eccleſiarum viſitatio non exigit corporalem ingreſſum. ibidem. n. 3.

Electio.

Electio ad aliquid diſtribuendum bifariam alterius voluntati committi poteſt. 89. n. 4.
Electio eſt duplex quoad debitum, interdum enim eſt debita ipſis eligendis interdum Reipublicæ. 95. n. 12.
Electio priori modo ſi fiat recipiendo pecuniam à perſona electa eſt contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem obligat, ſecùs ſi fiat ſecundo modo. ibidem.

Eligens.

Eligens, cui ſola determinatio relinquitur, tenetur ex iuſtitia eligere. 90. n. 7.
Eligens in caſu prædicto, ſi ab alio tertio ob electionem pecuniam accipiat in gratiam perſonæ eligendæ tenetur eam reſtituere, ſecùs ſi in gratiam ſui ipſius ne peccet omittendo electionem. ita Cardinalis Delugo. n. 8.
Eligentem, ſiue vno, ſiue alio titulo teneri ad reſtitutionem, determinat Author. ibidem. n. 9.
Eligens ſi poſſet accipere pecuniam à tertia perſona ad proprium damnum, ſiue ſpirituale, ſiue corporale, poſſet etiam ob eumdem finem à perſona electa pecuniam accipere. ibidem. n. 11.

Elementa.

Elementa licet detur formaliter manere in aquis artificialibus, adhuc aquæ ipſæ non eſſent materia baptiſmi. 483. n. 9.

Eleemoſyna.

Eleemoſyna præſcripta in iubileo per ſe loquendo debet eſſe realis. 257. n. 1.
Eleemoſyna ad lucrandum iubileum non oportet eſſe ſecundum facultates lucrantis. n. 2.
Eleemoſynã, quam dominus imperat famulo vt det pauperibus, ſi famulus non largiatur, num dominus lucretur iubileum. f. 258. n. 13. & f. 259. n. 14.
Et quid ſi fraus famuli poſtea domino innoteſcat, ibidem. n. 15.

Emptor.

Emptor malæ fidei etiam ſi emat rem alienam à latrone probabile eſt poſſe rem illã latroni reſtituere ad pretium recuperandum. 14. n. 4.
Emptor non obligatur cum ſuo detrimento notabili rem emptam bonafide in meliorẽ ſtatũ reducere eo, quem habebat tempore emptionis. 15. n. 6.
Emens mala fide rem alienam à latrone nequit illam diù apud ſe retinere etiam ad recuperandum pretium. 16. n. 9.
Quæ nam dilatio cenſeatur diuturna. n. 10.
Emens mala fide tenetur reſtituere titulo iniuſtæ acceptionis, licet non aſtringatur reducere rem ad meliorem ſtatum. n. 11.
Emens mala fide iuri ſuo minimè cedit. n. 12.
Emptor malæ fidei non ſe habet loco furis in reſtituenda re aliena. n. 13.
Emptor, & venditor æqualiter ſe habent in ordine ad decrementum, & incrementum pretij ex futura copia, aut inopia mercium. 27. n. 24.
Emptor ſoluens pro mercibus pretium currens, ſi futura abundantia mercium cõmuniter lateat, non dicitur ex errore illud ſoluere. 28. n. 25.
Ementes officia ſæcularia iuxta Regni Siciliæ capitula ipſo facto iudicantur priuati ijſdem officijs hoc tamen intelligendum eſt poſita ſententia declaratoria criminis. 96. n. 16.
Emens talia officia, quamuis res non ſit integra, ex obedientia tenetur officium renunciare, licet aliqui id non admittant. 98. n. 20.

Emptio.

Emptio ſi non eſt infra dimidium iuſti pretij ſuſtinetur in foro externo. 37. n. 1.
Emptio iſta in foro conſcientiæ reprobatur. 40. n. 17.
Emptio, & venditio reſpiciunt æqualitatem inter rem, & pretium. 40. n. 18.
Emptione facta ſupra rigoroſum pretium, poteſt emptor contra venditorem agere actione quãti maioris. 85. n. 22.

Emen-

Digitized by Google

Ementes officia ſæcularia iuxta Regni Siciliæ capitula ipſo facto eiſdem officijs priuantur, hoc tamen intelligendum eſt poſt ſententiã declaratoriam. 97. n. 16.
Emens talia officia, quamuis res non ſit integra, ex obedientia tenetur officium renunciare, oppoſitum cenſent aliqui. 18. n. 20.

Epiſcopus.

Epiſcopus poſſet permutationem facere, donando aliquid ex bonis eccleſiæ, cum alijs bonis, non obſtante quod non ſit eorum dominus, niſi talis facultas reſtricta illi fuiſſet à Pontifice. 181. n. 9.
Epiſcopus tenetur id, quod excedit eius congruã ſuſtentationem ex bonis eccleſiaſticis, erogare in opera pia. 183. n. 2.
Reijcitur explicatio Lorcæ. n. 3.
Epiſcopus ſecundum aliquos non obligatur in ordinarijs neceſſitatibus niſi ad tertiam, vel quartam partem fructuum erogandam in opera pia. 184. n. 8.
Epiſcopi cæterique eccleſiaſtici ſtrictiorem habẽt obligationem ad eleemoſynas erogandas quam laici. 186. n. 15.
Epiſcopus, quamuis ſit in ſtatu perfectionis, ſi eſt perſona ex illuſtri proſapia, exigit ſplendidiorẽ familiam. 197. n. 8.
Diſcrimen inter Epiſcopum, & religioſum quoad hoc. n. 9.
Epiſcopus parcè viuens, & detrahens aliquid ex ſua congrua ſuſtentatione non obligatur illud ſpecialiter in opera pia erogare. 205. n. 6.
Epiſcopus ſecundum aliquos poteſt donare conſanguineis id quod eſt illis neceſſarium ſecundũ eorum ſtatum: iuxta alios poteſt donare totum illud quod requiritur vt viuant ſecundum altiorem ſtatum. 204. n. 3.
Iſta ſecunda ſententia admittitur ab auctore, quadam adhibita limitatione. 205. n. 4.
Epiſcopus de iure communi nullum caſum ſibi reſeruatum habet. 306. n. 2.
Epiſcopo Panormitano quot, & quales caſus reſeruantur. 307. n. 3.
Epiſcopus ſi concedat ſacerdoti facultatem abſoluendi à cenſuris ſibi reſeruatis, ſub hac facultate non veniunt caſus reſeruati ſine cenſura, & è conuerſo. 307. n. 4.
Epiſcopus ſecũdum aliquos poteſt abſoluere à caſibus contentis in bulla cœnæ, quando ſunt occulti. 311. n. 8.
Probabilius eſt oppoſitum. 16. n. 9.
Epiſcopus poteſt a ſupradictis caſibus abſoluere, quando reus impedimentum habet adeundi Põtificem, cum onere tamen ſe præsẽtandi eidem Pontifici remoto impedimento. ibid. n,
Epiſcopus incidens in caſum pontificium, ſi eſt occultus poteſt abſolui vigore Tridentini à confeſſario, quem ipſe eligit. 335. n. 2.
Epiſcopus ſi labatur in peccatum pontificium, & ſit publicum, eadem eſt ratio de ipſo, ac de alijs. 336. n. 4.
Epiſcopus in ordine ad caſus ab ipſo met reſeruatos non ſubijcitur reſeruationi. n. 5.
Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitate ex delicto iam punito in foro cõtẽtioſo iuxta probabiliorem opinionem. 395. n. 7.
Epiſcopus nequit diſpenſare in tali crimine, dum manet ſub actuali iudicio forenſi. ibidem. n. 8
Epiſcopus nequit diſpenſare in bigamia interpretatiua etiam ad minores ordines. 396. n. 2. 4.
Probabile eſt poſſe. n. 3.

Epiſtola.

Epiſtolam obſignatam, & ad alium directã ſi quis aperiat, & legat, & in ea inueniat nuncium futuræ inopiæ, & ideo præueniens merces ſtatim pretio currenti emat, impediens vt ſic lucrum quod alius fuiſſet reportaturus, num peccet contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem teneatur. 75. n. 4. & ſeq.

Error.

Errores proferens contra fidem, ſi à theologis, & Inquiſitoribus admonitus adhuc perſiſtat, putãs non eſſe contra fidem, ſecundum aliquos erit cenſendus formalis hæreticus, ſecundum alios vero minimè. 385. n. 1. 3. 5.
Practicè non eſſe exiſtimandum formalem hæreticum determinat Author. n. 7.
Error quando eſt in nomine proprio legatarij non deprauat legatum, ſecùs quando eſt in appellatiuo. 146. n. 1.
Limitatur. n. 3.

Euchariſtia.

Euchariſtiæ ſumptio in iubileo præſcripta, an ſit commutanda in aliud opus pium vt pueri iubileum lucrentur. 268. n. 1.
Euchariſtia ſi ſacrilegè ſumatur probabilius eſt non eſſe iterum ſumendam ad iubileum acquirendum. 269. n. 4.
Euchariſtia iniuncta in iubileo poteſt ſumi die dominico vltimæ hebdomadæ. 269. n. 7.
Euchariſtiam ſumere nequit habens conſcientiam peccati mortalis, & copiam confeſſarij legitimi, ob motiuum expectandi alium cõfeſſarium, cui maiori deuotione confiteatur. 329. n. 1.
Euchariſtiam ſumere nequit ſi quis habeat peccata mortalia, & careat copia confeſſarij ob motiuum vitandi ſcandalum vulgariter dictum, nempè admirationem ſimplicem aſtantium. 329. n. 5.
Ante Euchariſtiæ ſumptionem, ſi quis habeat reſeruata, & alia non reſeruata, tenetur præmittere confeſſionem ſacramentalem, etiamſi confeſſarius habeat ſolùm poteſtatem ſuper non reſeruata. 330. n. 6.
Si tamen ſola reſeruata habeat, & vrgeat neceſſitas communicandi poteſt cum ſola contritione accedere ad Euchariſtiam. ibidem. n. 7.

Excommunicatio.

Excõmunicatus præbens opera iniuncta in iubileo ſi per ipſum non ſtet quin abſoluetur, an lucretur iubileum. 266. n. 16.

Exemplum.

Exemplum adductum à Caramuele de B. Bertramo ad probandum Regulares non obligari ad recitandas horas canonicas priuatim, quando illas non recitant in choro, reijcitur, vt omnino inefficax. 411. n. 15.

Exiſtimatio.

Exiſtimatio bifariam ſumitur, videlicet, vel pro opinione hominum fundata in errore, vel pro illa, quæ fundatur in communi loquendi modo. 118. n. 14.

Expeditio.

Expeditio Breuis Pontificij, per quod committitur cauſſa ordinario viciniori, ſi contineat errorem in diœceſi, nequit expediri ab ordinario, qui in eodem breui nominatur. 236. n. 3.

Expeditio tamen fieri poterit ab illo ordinario, qui re vera eſt vicinior, quamuis in breui non ſit nominatus. ibidem. n. 4.

Expenſæ.

Expenſæ, quas cogitur ſoluere innocens, cui delictum imputatur, ſoluuntur ab ipſo quatenus gerit vicem delinquentis, & implicitè, niſi aliud determinet, intentionem præſumitur habere eas repetendi ab ipſo delinquente. 84. n. 21.

F

Factum.

FActum non cenſetur illud, quod effectum nō habet, quo pacto intelligendum. 369. n. 6.

Facultas.

Facultas ſubdelegandi oritur, tum à primo delegante, tum à lege. 239. n. 11.

Facultas conceſſa ad caſus papales extenditur ad Epiſcopales. 275. n. 7.

Facultas abſoluendi per iubileum à reſeruatis extenditur etiam ad reſeruata, poſt promulgationem. 275. n. 8.

Facultas abſoluendi à reſeruatis ſi in diplomate nō exprimeretur, probabilius eſt eā nō intelligi conceſſam. 277. n. 15.

Facultas collata ad caſus pontificios non comprehendit eos, qui continentur in bulla cœnę. 311. n. 5.

Facultas abſoluendi à caſibus in bulla cœnæ, probabile eſt quod comprehendat hæreſim; probabilius oppoſitum. ibidem. n. 6. 7.

Facultas conceſſa confeſſario à Prælato regulari ad abſoluendum ſubditum à caſu reſeruato, num extendatur ad caſum ſimilem. 328. per totam quæſtionem.

Fama.

Famæ compenſatio cum fama alterius, an ſit licita? 55. n. 11. 12.

Famæ ablationem compenſari poſſe pecunijs eſt probabile, & probabile etiam oppoſitum. f. 69. n. 4. 6. 7. 8. & ſeq.

Famulus.

Famuli ratione famulatus excuſantur præſtantes quædam obſequia domino illa in malum finem dirigenti. 472. n. 4.

Quæ nam ſint obſequia prædicta. ibidem.

Famuli ratione ſolius famulatus non excuſantur exercentes quaſdā actiones peccato valde proximas. n. 5.

Famulum ſi adducat concubinam ad dominum, probabilius eſt excuſari. 473. n. 7.

Famulus deferens epiſtolam ſui heri directam ad concubinam interdum excuſatur, interdum minimè. n. 8. In dubio, num epiſtola contineat nec ne turpia, quid dicendum. 474. n. 13.

Famulus iuſſu heri nuncium referens concubinæ, quod verba turpia contineat per ſe loquendo non excuſatur. 474. n. 13.

Famulus vt in materia iniuſtitiæ hero ſuo inſeruiēs excuſetur vrgentior cauſſa requiritur. 475. n. 15.

Fertilitas.

Fertilitas ex concurſu cauſarum naturalium occultè ſuperuentura, & fertilitas futura actione cauſſarum liberarum vniformiter ſe habent in ordine ad decrementum pretij, quo merces venduntur. 24. n. 8.

Fideiuſſor.

Fideiuſſor licitè poſtulatur à mercatore pro ſecuritate pecuniæ, quam aratori anticipatè ſoluit. Quamuis ſimul cum pignore non eſſe faciendū aliqui autument, in praxi tamen contrarium ſeruatur. 33. n. 14.

Forma.

Forma ad impetrandum beneficium, in qua exprimitur qualitas ipſius beneficij, eſt diuerſa ab illa forma, in qua nullius beneficij qualitas exponitur, & quos effectus diuerſitas iſta cauſſet. 226. n. 21.

Fructus.

Fructus ex re fructifera naturaliter naſcuntur, & ideo ſunt fructus rei. 9. n. 1

Fructus in vltimo anno locationis collecti, ſunt primo conductori hypothecati. 46. n. 2.

Fructus beneficiorum iā incorporati à beneficiario amittunt illum ſpecialem reſpectum ſpiritualitatis, quem antea habebant. 193. n. 9. ver. Reſpondeo negando.

Fuga.

Fuga illicita qua quis fugit à religione æqualiter ſe habet quoad pœnas cum apoſtaſia. 372. n. 12. vide v. Apoſtaſia.

Furtum.

Furtum quo ſenſu in ſacris iuribus dicitur committi ab Epiſcopo retinente ſuperflua ſuæ congruæ ſuſtentationi. 185. n. 11.

G

Genus.

GEnus, & ſpecies in rebus vendendis, vario modo ſumuntur à iuriſtis, ab eo, quo ſumuntur à theologis. 6. n. 12.

H

Hæres.

HÆres ſuccedēs in bonis profeſſi per emiſſionē profeſſionis nō tenetur ſoluere vota illius, cuius eſt hæres, ſecus ſi per hæreditariam ſucceſſionem. 59. n. 10.

Limita niſi aliquod ius ſit per vota alteri acquiſitum.

Hæres ex opinione probabili capiens hæreditatem ex vi teſtamenti ob defectum ſolemnitatis iure ciuili requiſitę, nequit optionem habere ad ſoluenda legata alijs, quam legatarijs. 107. n. 6.

Hæres capiens hæreditatem vi teſtamenti etiam ciuiliter irriti, tenetur ſeruare pacta, & conditiones, quæ in teſtamento habentur. ibid. n. 7.

Hæres, qui ab inteſtato ſuccedere debuiſſet, non poteſt occultè capere aliquid de hæreditate, quā poſſidet hæres ex teſtamento minus ſolemni. 108. n. 10.

Hæres ſuccedens ex teſtamento minus ſolēni nequit occultare teſtamentum, ne appareat defectus. 108. n. 4.

Hæres inſtitui non poteſt ille, qui teſtamento ſubſcribitur. 138. n. 7.

Hæreditas.

Hæreditatem nemo poteſt adire niſi aliquo iure ſuffultus. 107. n. 6.

Hæreticus.

Hæ-

Digitized by Google

Hæreticus, aut alius reus mendacijs impediens ne detur ſētētia cōdēnatoria, ex qua ſequi debet confiſcatio bonorū nō obligatur in foro cōſcientię ad reſtitutionem prædictorum bonorū. 108. n.2.

Homicida.

Homicida ſimpliciter quo pacto intelligatur.370. n.8.

Homicidium.

Homicidium voluntarium,& caſuale,in quo differant.392.n.7.& ſequen.

Homicidium voluntarium, ſeu ex propoſito vocatur illud, quod directè,& in actu ſignato intenditur;vel indirectè intendendo actionem, quæ proximè eſt cauſa mortis.393. n.10.

Horæ Canonicæ.

Horas canonicas recitare ſub graui culpa tenentur religioſi profeſſi choro addicti.402. n.2.

Auctorum pluralitas reddit hanc opinionem moraliter certam.ibid.n.5.ver.Hi ſunt.

Opinio contraria non eſt practice probabilis. n.7.

Horas canonicas à regularibus eſſe recitandas de iure diuino,& naturali cenſuerunt aliqui. 408. n. 1.

Reijcitur opinio iſta. n.2.

Horas ex iuſtitia eſſe à regularibus perſoluendas putarunt alij. n.3.

Non placet hæc ſententia authori. n.4.

Horas canonicas recitare tenentur regulares ex diuturna, & præſcripta conſuetudine.409. n.7.

Horarum recitatio an diuerſo modo obliget beneficiarios ſacris ordinibus inſignitos, & regulares. 414.n.10.

Horas canonicas, quo ſenſu Pontifex præcipit in cap.Dolentes deuote celebrari.429. n.22.

Hypotheca.

Hypotheca tacita in fructibus prædij conducti eſt primario inducta in fauorē domini locantis, damnum vero conductoris eſt conſequenter, proinde ſimpliciter fauorabilis.49. n.10.

Hypotheca in fructibus prædij conducti eſt etiam pro penſionibus præteritis non ſolutis.ibid.

I

Ieiunium.

IEiunium in iubileo iniunctum non frangitur per comeſtionem,quæ in ieiunio eccleſiaſtico eſſet peccatum veniale contra ieiunium.260. n.2.

Ignatius.

Ignatius Sanctus Fundator Societatis Ieſu in ſua epiſtola illam obedientiam requirit in ſubdito, per quam intellectus licet inclinet ad iudicandam vnam partem,nihilominus alteri parti aſſentiatur.551. n.34.

Ignorantia.

Ignorantia facti præſumitur.166. n.5.6.

Ignorantia cenſuræ annexæ hæreſi externæ excuſat à reſeruatione.275. n.5.

Et idem de alijs caſibus Pontificijs,quibus eſt cenſura ſimiliter annexa.305. n.1.

Ignorantia de pœna priuationis iuris in coniuge ad debitum petendum ob inceſtum commiſſum cū cōſanguinea vxoris,probabilius eſt quod excuſet eum qui talem pœnam ignorat.533 n.3.

Ignorantia ſolius pœnæ extraordinariæ etiā cognita culpa excuſat ſecundum aliquos ab incurſione pœnæ,alij vero id negant. 534. n. 8. 9.

Impedimentum.

Impedimentum directa intentione apponere ne fiat conceptio prolis eſt intrinſecè malum.529. n. 2.

Impotentia.

Impotentia debitoris ſuſpendit obligationem realem,& perſonalem 61. n.7.

Indignitas.

Indignitas excludens perſonam præſentatam ad beneficium obtinendum, qualis eſſe debeat. 554.n.5.

Indulgentia.

Indulgentia conceſſa alicui eccleſiæ particulari, vel confraternitati, aut religioni per modum iubilei non continet facultatem abſoluendi à reſeruatis.277. n.16.

Indulgentia iubilei eſt totalis remiſſio pœnæ temporalis,quæ peccatis debetur.291.n. 1.

Indulgentia iubilei,quo tempore acquiritur. n.2.

Infamatus.

Infamatus iniuſtè ab alio,ſi famam recuperare nequit,probabile eſt poſſe in pecunijs compenſatione vti.69. n.4 & ſeq.

Infamia.

Infamia iuris vt contrahatur, probabilius eſt non requiri delictum eſſe publicum 367. n.5.

Infamiæ iuris,& facti diſcrimen quoad occultū, & publicum.n.6.

Inhabilitas.

Inhabilitas tū ad beneficium, tum ad ordines,attendenda eſt tempore executionis, dummodo in ſupplicatione ad Pontificem tempore datæ nulla fuerit ſubreptio.227. n.23.

Inquiſitores.

Inquiſitores contra hæreticam prauitatem ſecundum ius commune non habentur vt præſentes ad lucrandas quotidianas diſtributiones. 166. n.1.

Inquiſitores vi ſpecialium priuilegiorum cenſentur vt præſentes.167. n.4.

Inquiſitoribus non fauent priuilegia prędicta in ordine ad beneficium curatum.n.5.

Neque lucrantur mortuaria ſi ſunt abſentes. n.6.

Inſtitutio.

Inſtitutio nō habet in iure tempus pręfixum poſt pręſentationem decurrens.170. n.5.

Inſtitutio habet tempus præfixum, quando eſt ex iure deuoluto.171. n.5.

Inſtrumentum.

Inſtrumētū exhibitum latroni illud ad furandum petent, eſt cōpletiuum cauſſę immediatę dāni 85. n.23.

Integritas.

Integritas rei, ſeu cauſſę, in quo conſiſtat.240. n.22.

Intellectus.

Intellectus neceſſitatur ad actum poſita euidentia obiecti.549. n.30.

Intellectus in euidentibus non ſubditur imperio voluntatis. n.31

Intellectus quando pro vtraque parte contradictionis ſunt motiua, poteſt imperio voluntatis inclinari potius vni, quam alteri parti. ibidem.

Intentio.

Intentio damnificandi contra iuſtitiam, ſi actio externa non eſt iniuſta,non obligat ad reſtitutionem.79.n.5.

I N D E X.

Irregularitas.

Irregularitatem ex ſolo delicto probabile eſt auferri poſſe per iubileum. 276. n. 9.

Probabilius oppoſitum. ibidem.

Irregularitas impoſita actui externo completo incurritur, quamuis qui actum cauſſauit pœniteat antequam actus compleatur. 344. n. 17.

Irregularitatem non incurrit Prælatus eccleſiaſticus delegans indifferenter iuriſdictionem, etiã ſi mors delinquentis per ſententiam latam à iudice delegato, ſequatur. 352. n. 4.

Irritatio.

Irritatio quando ſortitur effectum etiam in ignorantibus. 244. n. 12.

Iubileum.

Iubileum nequit vtraque hebdomada lucrari. 293. n. 2.

Iubileum an lucretur qui in ſecunda hebdomada exercet opera iniuncta in peccato mortali, ſed totum iubilei tempus non eſt elapſum. 293. nu. 3. 4.

Iubileum acquirit commorans in locis infidelium vbi nulla eſt promulgatio cum primum ſcit Romæ iam promulgatum fuiſſe. 294. n. 8.

Iubileum ſecundum aliquos non requirit promulgari in eo loco, in quo aliquis commoratur, ſed ſufficit promulgari in curia Romana. Alij, & probabilius ſentiunt oppoſitum. ibid. n. 9. 10. 11.

Iubileum eſſe fauorabile non importat eſſe acquirendum independenter à promulgatione ordinarij. ibidem. n. 12.

Iubilei promulgatio in locis particularibus non fit intuitu commoditatis populorum, ſed vt oues à proprio paſtore dirigantur. ibidem.

Iubilei promulgatio etiam pro regularibus fieri debet ab ordinario, & non à proprio ſuperiori, vt aliqui putant. n. 13.

Iubileum quatenus continet indulgẽtiam eſt amplè interpretandum. 297. n. 2.

Iubileum inquantum continet facultatem commutandi vota eſt amplè explicandum, inquantum vero dicit actualem diſpenſationem eſt preſsè interpretandum. n. 4.

In iubileo quando eſt ambiguitas circa opera iniuncta ſtricta erit explicatio. ibidem.

Iudex.

Iudex conſeruator non tenetur aſſumere officiales curiæ Epiſcopalis, poteſt enim iuriſdictionẽ per alios miniſtros exercere. 241. n. 2.

Iudices conſeruatores regularium vi priuilegiorum ampliorem habent poteſtatem. n. 3.

Iudices conſeruatores regularium, vel vniuerſitatum non comprehenduntur ſub decreto Tridentini præſcribentis quinquennium. 242. n. 2.

Iudices conſeruatores poſſunt à regularibus quandocumque eligi. n. 3.

Iudicium.

Iudicium abſolutum de honeſtate obiecti ſecundũ ſe non eſt neceſſarium ad operandum, ſufficit de honeſtate modali. f. 544. n. 14. & f. 546. n. 16.

Iudicium de honeſtate materiæ ſecundum ſe, & iudicium de electione opinionis ſunt diuerſa, & non confundenda. 546. n. 19.

Iudicio circa probabilitatem honeſtatis poſito, ſtatim formari poteſt conſcientia, per quam hic, & nunc cenſeamus licitum nobis eſſe operari circa talem materiam. ibidem in fine.

Iuſpatronatus.

Iuripatronatus laicorum abſque graui cauſſa non ſolet Pontifex derogare. 169. n. 8.

L

Legatarius.

Legatarius vi teſtamenti minùs ſolemnis aſſiſtentiam iuris naturalis in ſui fauorem habet. 54. n. 10.

Legatarius omittens, ex ignorantia, ſacra, quæ celebrare tenebatur, ſi fructus beneficij oneri correſpondent, obligatur ſupplere ſacra omiſſa. 135. n. 5.

Tenetur ad ſupplendum ratione contractus, & ex pacto implicito. 136. n. 8.

Legatarius, cui aſſignatum fuit legatum tempore inhabili, tenetur reſtituere fructus perceptos. 123. n. 6.

Legatum.

Legatum pium quid ſit. 110. n. 1.

Legatum ſortitur pietatem ex duplici capite. n. 2.

Legatum exigit, vt vtrumque caput copulatiuè concurrat ad hoc, vt ſit pium. n. 3.

Legatum relictum pauperi conſanguineo præſumitur potiùs intuitu conſanguinitatis, quam paupertatis. 111. n. 10.

Legatum factum conſanguineo diuiti ex nullo capite eſt pium. ibidem. n. 12.

Etiam ſi dicatur fieri ob amorem Dei. ibidem. nu. 14.

Legatum relictum pauperi, quamuis teſtator non dicat id facere pro anima ſua, eſt legatum piũ. ibidem. n. 15.

Legatum relictum meretrici, vt ad meliorem frugem redeat, eſt legatum pium. ibidem. n. 17.

In dubio præſumendum eſt pro cauſſa pia. ibidem. n. 18.

Limitatur. 112. n. 19.

Legatum ex duplici capite redditur impoſſibile adimpleri. 112. n. 2.

Legatum impoſſibile de iure tantùm ciuili, aut impoſſibile de facto, non fit caducum. ibidem. n. 3. 4.

Legatum iure non prohibitum, niſi quoad vſum, aliqui exiſtimant non eſſe caducum, ſecùs ſi fiat incapacibus. 113. n. 5.

Legatum relictum fratribus minoribus eſſe ab hærede illis ſoluendum cenſent aliqui, alij vero negant. ibidem. n. 6.

Legatum pium, ſiue de iure, ſiue de facto ſi adimpleri nequeat in vſum ſignatum à teſtatore, in alium pium vſum eſt conuertendum. ibidem. n. 7.

Legatum pium tanquam finem primarium reſpicit vtilitatem ſpiritualem teſtatoris, tanquam ſecundarium vtilitatem legatarij. 114. n. 8.

Legatum quando debet commutari, commutatio facienda eſt, non obſtante clauſula contraria prohibente commutationem. ibidem. n. 9.

Legati commutatio fieri debet cum authoritate Epiſcopi. ibidem. n. 10.

Legati commutatio quando extat cauſa, fieri debet etiam hærede irrationabiliter renuente. ib. n. 11.

Legatum ſi relinquatur diſtribuendum inter clericos pauperes, executor poterit eligere clericũ

prima

Digitized by Google

prima tantum tonſura initiatum. 115. n.3.
Legatum quando non relinquitur diſtribuendum iuxta placitum executoris,tunc executor debet eligere pauperes,qui ſunt teſtatori proximiores in gradu. ibidem. n.5.
In caſu prædicto magis conſaguinitas quam paupertas eſt attendenda.ibidem. n.6.
Legatum diſtribuendum inter clericos pauperes, ſi electio nō fuerit executori commiſſa, in electione eſt præferendus, qui habet gradum ordinis ſuperiorem.ibidem. n.7.
Legatum relictum mulieri ſub conditione honeſtè viuendi,aliqui putant non amitti per vnam, aut alteram tantum fornicationem. 116. n.2.
Alij contrarium docent. n.3.
Alij cum diſtinctione loquuntur nempe deperdi ſi mulier fuerit conſanguinea teſtatoris legantis, ſecus ſi extranea. ibidem. n.4.
Huic ſententiæ adhæret author quando mulier eſt extranea.ibidem. n.5.
Legatum relictum pro virginibus maritandis,probabile eſt non deperdi à puella corrupta,ſi communiter virgo exiſtimatur. 117.n.10.
Legatum relictum conſaguineis teſtatoris non deperditur,ſi mulier exiſtimatur honeſtè viuere. 118. n.15.
Et idem ſi tali conſanguineæ in particulari fuerit relictum,contrarium tamen tuetur Sanchez. ibidem. n.16.
Legatum relictum à viro ſuæ vxori ſub conditione caſtè,& honeſtè viuendi, deperditur ſecundum aliquos,ſi mulier tranſeat ad ſecundas nuptias. 119. n.19.
Secundum vero alios non deperditur. ibid. n.20.
Legatum quod ad ſui conſecutionem aliquā qualitatem exigit in legatario,nequit illi ſi qualitate caret aſſignari ab hęrede. 121. n.2.
Legatum pro puellis maritandis nequit aſſignari niſi puellæ nubilis ętatis.ibidem.
Aliquorum inſtantiæ contrariæ diluuntur. 122. n.3.& ſeq.
Legatum ſi aſſignatum fuit tempore habili, & perſonę habenti conditiones a teſtatore requiſitas, ſi poſt aſſignationem ceſſant conditiones non eſt legatum reſtituendum. 124. n.10.
Legatum relictum mulieri,cum vidua erit, non oportet,vt poſt conſecutionem legati maneat ſemper in viduitate, ſecus ſi teſtator dicat dum vidua erit. 127. n.3. ver.Pro ſolutione.
Legatum pro pauperibus concurrentibus ad portam teſtatoris cenſent aliqui dari poſſe infirmis in hoſpitali. 128. n.1.
Alij contrarium ſuſtinent. n.2.
Legatum,cui eſt onus miſſarum annexum, ſi abſque authoritate ordinarij eſt fundatum,non eſt beneficium eccleſiaſticum. 131. n.2.
Legatum vt tranſeat in beneficium iuxta mentem Viuiani requiritur tempus immemorabile. 134. n.17.
Reijcitur iſta ſententia. n.28.
Legatum relictum mulieri ſub conditione vt cum viro nobili contrahat matrimonium, cenſent aliqui ſatis eſſe,ſi vir ſit nobilis ex priuilegio. 140. n.1.
Alij negant. n.2.
Opinio Franciſci Merollæ expenditur. n.3.
In dubio præſumitur à teſtatore veram nobilitatē ex ſanguine intentam fuiſſe. 141. n.5.
Legatum in caſu prædicto ſtrictè eſt explicandum de vera nobilitate.ibidem.n.8.
Legatum diſtribuendum ſingulis menſibus inter pauperes,iuxta aliquos authores nō poteſt totum ſimul erogari. 143. n.13.
Alij affirmatiuam opinionem tuentur 144. n.4.
Neutra opinio,vt iacet eſt admittenda. ibid. n.5.
Determinatur quæſtio ab authore varijs adhibitis diſtinctionibus à n.7. & deinceps.
Legatum de omnibus, quæ ſunt in tali cubiculo non comprehendit chirographa,in quibus continentur credita teſtatoris. 148. n. 3. 4.
Si alia præter chirographa non reperiantur, tunc ſub legato comprehenduntur. n. 5.
Legatum prædictum non continet ea, quæ inuecta ſunt poſt inſtitutionem ipſius legati, inuito, aut inſcio teſtatore. n.6.

Legitima.

Legitima ex bonis paternis, ſi ante ingreſſum in religionem fuerit renunciata ſi renuncians poſtea tranſeat ad alteram religionem illi non debetur talis legitima. 65. n. 4.
Legitima an poſſit renunciari. ibidem. n.6. & ſeq.

Læſio.

Læſio corporalis ſub ſe continet incluſionem in carceribus, & ſimilia. 61. n.6.
Læſio enormis in renunciatione bonorum intuitu religionis non habet locum. 65. n. 9.

Lex.

Lex qua ratione debeat eſſe omnibus ſubditis æqualis. 25. n. 13.
Leges ciuiles non irritantes venditionem ſupra pretium rigoroſum, ſi dimidium non excedit, aut non irritantes emptionem, quæ non eſt infra dimidium ſunt permiſſiuæ, & non diſpoſitiuæ. 37. n. 3.
Leges continentes grauamen contra tertium, & fauorem alterius, vnde cognoſcitur eſſe odioſas,an fauorabiles. 49. n.10.
Lex exigit promulgationem publicè faciendam. 246. n.21.
Lex imponens cenſuram cōtra patrantes aliquod delictum,ſi imponendo dicat,ſi quis pręſumpſerit,auſus fuerit, vel quid ſimile,tunc ad pœnam incurrendam non eſt ſatis ignorantia craſſa,niſi ſit ingens temeritas. 310.n.3.
Lex correctoria iuris communis eſt odioſa. 502 n. 31.
Lex Cum pater. §. A filia. ff. de leg. 2. explicatur. ibidem.
Lex, quæ diſponit de bonis iouentis, ſecundum opinionem aliquorum non eſt æqua. 150. n.5.
Lex, quæ diſponit theſauros inuentos eſſe Principi applicandos, & ſolum quartam partem inuentori, non obligat in conſcientia ſecundum aliquos. ibidem. n. 6.

Liber.

Liber continens errorem qui ad fidem ſpectet, ob quem ab Inquiſitoribus erit prohibendus, num ab eo, qui hoc ſcit,poſſit pretio currenti vendi. 29. n. 26.

Licet.

Licere quandoque in iure importat id, quod permittere. 41. n.21.

Lit

Littera.

Litteræ pōtificiæ obligant etiam ignorātes quoad irritandum actum contrarium. 244.n.13.

Locare.

Locare domum meretricibus per ſe loquendo nō eſt peccatum. 467. n. 2.

Idem ſi vſurarijs locetur. n. 5.

Locus.

Locus interdum excitat animum ad peccandum. ibidem. n. 3. 4.

Locutio.

Locutio, quæ in Deum dirigitur eſt diuerſa ab illa, quæ fit inter homines. 427.n.16.

Locutio voluntaria cum excommunicato vitando, quamuis fiat cum diſtractione mentis, eſt tamen ſufficiens, vt loquens excommunicatione afficiatur. ibidem.

Locutio religioſa ad Deum nequit eſſe cum voluntaria diſtractione. ibidem.

M

Magnum.

MAgnum, & modicum vnius generis non debent comparari cum magno, & modico alterius generis.87.n.8.9.vide infra v. Modicū.

Magnus Magiſter Hieroſolymitanus amplam habet poteſtatem à ſummo Pontifice circa diſpoſitionem omnium beneficiorum ſuæ religionis. 216.n.32.

Malum.

Malum minus non eſſe faciendum ad vitandum maius, quo pacto intelligendum.478.n.5.

Malum minus ſuadere, etiam ſi non ſit pars maioris probabile eſt non eſſe illicitum. ibidem. n. 6. 8.

Cooperari ad tale malum minus quando eſt licitum. ibidem. n. 10.

Malum minus reſpectu tertiæ perſonæ non eſt licitum ſuadere, ad vitandum maius contra alteram perſonam, quamuis aliqui oppoſitum ſentiant, quadam adhibita animaduerſione. 479. n. 11.

Limitatur. ibidem.

Mancipium.

Mancipium eſt æſtimabile ſecundum maiorem, vel minorem aptitudinem, quam habet in ordine ad externa obſequia. 61. n. 5.

Maritus.

Maritus ex quocunque capite fiat potens tenere vxorem alere, quia durante inopia ſuſpenſa, & non extincta eſt obligatio. 56. n. 4.

Maritus ſi emat rem aliquam pecunijs alienis pro vxore, an ipſo marito mortuo, vxor tenetur pretium non ſolutum creditori ſoluere? 57.n.8.

Merces.

Merces non cenſentur minoris bonitatis ob ſuperuenturam copiam ipſarum mercium.27.nu. 22.& ſeq.

Mercium abundantia ſuperuentura innoteſcens communiter alijs, facit decreſcere ipſorum mercium exiſtimationem.28.n.24.

Meretrix.

Meretrix dicitur illa, quæ ſine delectu perſonarū corpus ſuum proſtituit. 120. n. 24.

Miſſa.

Miſſas, quæ nouis ſacerdotibus in ordinatione ab Epiſcopo præſcribuntur, probabile eſt non eſſe ſub graui culpa. 435. n. 6.

Miſſæ prædictæ non imponuntur vt pœnitentia. ibidem. n. 7.

Miſſam celebrans in alia Eccleſia, aut altari deſignato grauiter delinquit, excuſabitur tamen à culpa graui ſi id faciat bis, aut ter in anno. 493. n. 3.

Miſſam in loco deſignato non celebrans, quando excuſatur.494.n.7.

Miſſas non celebrantem in loco, in quo tenetur eas perſoluere ratione beneficij, aut eleemoſynæ, teneri ad aliquam reſtitutionem putant aliqui. ibidem. n. 6.

Alij id negant. ibidem. n. 7.

Teneri ad aliquas preces fundendas cenſent alij. ibidem. n. 9.

Miſſas non celebrans in altari priuilegiato, in quo tenetur, ſed alibi cum numiſmate, cui eſt annexum ſimile priuilegium, non ſatisfacit ſuæ obligationi ſecundum aliquos. ibidem. n. 11.

Cum diſtinctione deciditur. n. 12.

Miſſam incœptam poſſe ab initio repeti ob aduentum viri illuſtris. 507. n. 3.

Terminus vltra quem non eſt licitum iterum miſſam inchoare aſſignatur. ibidem. n. 8.

Miſſam ob cauſſam prædictam poſſe repeti, etiam diebus non feſtiuis. 508. n. 10.

Monaſterium.

Monaſterium, & religioſi eiuſdem monaſterij in particulari ſe habere poſſunt fictione iuris, vt duæ perſonæ diſtinctæ. 139. n. 7. v. Sed oppoſitum.

Monaſterij nomine non venit ædificium materiale, ſed perſonæ, quatenus faciunt indiuiſibiliter vnum. ibid. v. Ad illud.

Modicum.

Modicum in vno genere poteſt magnum æſtimari in alio genere.87. n.7.vide ſupra v. Magnum.

Monetà.

Monetæ valorem ſi quis ſciat vi legis, aut pragmaticæ eſſe diminuendum, num peccet contra iuſtitiam, ſi pretio currenti monetam, quam habet diſtrahat. 27. n.21.

Mortuaria.

Morruaria non comprehenduntur ſub diſtributionibus, in præiudicium tertij. 167.n.6.

Monialis.

Moniales tempore iubilei nequeunt eligere confeſſarium approbatum à Prælato ſuæ religionis, ſed ab Epiſcopo; ex declar.Greg. XV. 273. n.1.

Moniales tempore iubilei, an poſſint eligere confeſſarium approbatum ab ordinario pro omnibus generaliter, eſt controuerſum. ibidem. n.2. & ſeq.

Monialis egrediens ſecundum totum corpus extra clauſuram ſed ad paruam diſtantiam ſecūdum aliquos grauiter peccat.382. n.3.

Alij vero negant. n.4.

Huic ſententiæ adhæret auctor.383. n.7.

Monialis egreſſus ſecundum totum corpus licet phyſicè ſit perfectus, & completus, moraliter tamen, & politicè cenſetur imperfectus.384.n.8.9.

Moſtrencos.

Moſtrencos apud hiſpanos ſunt bona ſe mouentia vt animalia.150. n.5.

Mulier.

Mu-

Mulier illicitè ingrediens monaſterium non prætextu facultatum, aut licentiarum, ſecundum aliquos non incurrit in cenſurā vi motus proprij Pij V. & Gregorij XIII. 380. n. 22.
At Sanchez id concedit de motu proprio Greg. XIII. ſed loquendo de motu Pij V. ait in illo cōprehendi etiam mulieres non ingredientes prætextu facultatum. ibidem. n. 23.
Alij denique aſſerunt etiam vi motus Gregorij incurrere mulieres quomodocunque illicite ingredientes. ibidem. n. 24.
Huic ſententiæ ſubſcribit author. ibidem. n. 25.
Mulier è domo egrediens ſi præuideat fore vt ab alio turpiter ametur, iuxta opinionem aliquorum grauiter peccat. 463. n. 1.
Alij diſtingunt, quando ſcandalum paſſiuum oritur ex malitia, & tunc dicunt mulierem non peccare, ſecùs quando ex fragilitate. ibidem.
Alij denique eximunt mulierem per ſe loquendo à tali obligatione. ibidem. n. 3.
Mulier peccat grauiter ſi ex quadam vanitate aſpectui iuuenis ipſam turpiter amantis ſe offert. ibidem. n. 4.
Mulier ornans ſe iuxta morem patriæ, & iuxta conditionem perſonæ, quamuis præuideat fore vt ab alio turpiter ametur, ipſa tamen non peccabit. ibidem. n. 6.
Mulier ſuperfluè ſe ornans cum illa præuiſione de amore turpi alterius, peccabit, ac ſecundum aliquos ſolùm venialiter. 464. n. 7.
Aliqui dicunt etiam ad breue tempus ſuperfluè ſe ornantem grauiter interdum peccare ob ſcandalum. ibidem.
Mulier ornatu meretricio, & turpi vtens, aut ſi veſtes eius non tegant, vel tenuiter tegant partes corporis, graue committit peccatum. 464. n. 8.
Mulier, quæ in pariendo experta fuit vitæ periculo ſe exponere, nō tenetur debitum marito reddere. 531. n. 9.
Neque tenebitur quamuis vir periculum incontinentiæ patiatur. ibidem. n. 12.
Limitatur. n. 14.

Mutuator. Mutuum.

Mutuator nequit ob aliquam formalitatem in ipſo mutuo incluſam, aliquid ratione mutui accipere à mutuatario. 91. n. 9.
Mutuum ſub vſuris petere ab vſurario parato, an ſit illicitum. 449. n. 5.
Mutuum ſub vſuris ex neceſſitate petere ab eo, qui non eſt paratus, ſi præuideatur quod mutuū nō ſit daturus ſine vſuris, probabilius eſt eſſe licitum. ibidem. n. 6.
Maior, & vrgentior requiritur neceſſitas ad id faciendū, quā ad petēdum à parato. ibidem.
Mutuo dans ſeruo alterius, num poſt mortem ſerui intra annum ius habeat petendi mutuum à domino illius ſerui. 56. n. 5.

N

Naturaliter.

NAturaliter interdum importat id, quod eſt de iure gentium. 41. n. 21. vide v. Licere.

Negotiatio.

Negotiatio quoad pericula eſt in duplici differentia. 32. n. 11.

Nobilitas. Nobilis.

Nobilitas ex genere, & nobilitas ex priuilegio nō æquiparantur in omnibus. 141. n. 9.
Nobilitas ex genere quo ſēſu dicatur eſſe à natura. ibidem.
Nobilium appellatione in iure non veniunt ſemper nobiles ex priuilegio. 142. n. 11.
Nobiles, ad quos extenditur facultas Commiſſarij cruciatæ circa horam celebrandi miſſam, intelliguntur etiam illi, qui ſunt tales ex priuilegio. ibidem.
Nobiles diuerſo modo ſumuntur quando de ipſis fit mentio in ſtatuto Principis, ab eo modo, qui continetur in diſpoſitione priuata. ibidem. n. 12.

Nomen.

Nomina verbalia etiam delictum ſignificantia non ſemper per vnicum dumtaxat actum denominant ſubiectum. 117. n. 7.
Nomen, virgo, comprehendit etiam puellas illas, quæ licet non ſint tales, maritum tamen nunquam habuerunt. 218. n. 12.
Nomina appellatiua, quo ſenſu in iure dicantur eſſe à natura. 146. n. 2. vide v. Error.
Nomen legatarij quando eſt æquiuocum, quo pacto ſit procedendum in aſſignatione legati. ibid. n. 4. & ſeq.

Nouitius.

Nouitij de iure communi non ſubiacent caſibus in religione reſeruatis. 346. n. 7.
Nouitij poſſunt eligere confeſſarium, qui indifferentem iuriſdictionem habeat a Pontifice. 347. n. 8.
Secùs ſi confeſſarius iuriſdictionem illam habeat à Pontifice dependenter à Prælato regulari, tūc enim requiritur conſenſus Prelati ad electionē hanc. ibidem. n. 9.
Quid dicendum ſi ſacerdos regularis iuriſdictionē indifferenter habeat a ſuperiore, ſine prohibitione, aut limitatione. ibidem. n. 10.
Nouitius validè eligit confeſſarium, qui habet iuriſdictionem ab Epiſcopo; licet alij oppoſitum ſentiant. ibidem. n. 11.
Nouitius ingrediens religionem non ſemper deperdit priſtinum domicilium. ibidem. n. 12.
Nouitij non fiunt totaliter extra iuriſdictionem ordinarij. 348. n. 13.
Nouitij quoad externam diſciplinam ſubiacent iuriſdictioni Prælati regularis, non autē quoad forum internum. 349. n. 17.
Nouitij quoad domicilium quamdam habent ſimilitudinem cum vagis. ibidem. n. 18.
Nouitij gaudent priuilegijs religionis. ibidem. n. 19.
Nouitij non prohibentur eligere confeſſarium vi bullæ Clem. VIII. ibidem. n. 20.
Nouitij, qui in ſocietate Ieſu ſolent ex deuotione emittere tria vota religionis, ante profeſſionem, quæ ſit poſt biennium nouitiatus, non incorporantur religioni, neque prohibentur eligere confeſſarium, ſpectando ius commune. ibidem. n. 21.
Spectando vero ius particulare ſocietatis nihil determinat Author, ſed arbitrio ſuperiorum ſe remittit. 350. n. 22.

O

Obligatio.

Obli-

Digitized by Google

Obligatio reſtitutionis ex duplici capite oritur. 58. n. 3.
Obligatio oriens ex voto non eſt realis, ſed perſonalis. ibidem. n. 4.
Obligatio celebrandi eſt diuerſa ab obligatione applicandi ſacrum. 231. n. 10.

Occaſio.

Occaſionem alteri præbens, ex qua damnum iniuſtum ſequitur, ſi cauſſa talis damni non eſt, nõ tenetur ad reſtitutionem. 79. n. 5.
Amplia etiam ſi damnum à præbente ſolam occaſionem intendatur. ibidem.
Occaſio, & cauſſa magnam habent ſimilitudinem. ibidem.
Occaſio non diſtinguitur ſufficienter à cauſſa per illud præcisè quod ponat aliquem in morali neceſſitate exercendi malam actionem. 81. nu. 12.

Officium.

Officia ſæcularia, quæ nullam habent iuriſdictionem in iure non prohibentur vendi. 93. n. 1.
Officia ſæcularia, quæ iuriſdictionem habent iure naturali non prohibentur vendi quibuſdam poſitis conditionibus. ibidem. n. 2. 3.
Officiorum prædictorum dominium probabilius eſt eſſe apud Magnates etiam ſi ſuperiorem agnoſcant. 94. n. 8.
Officia iſta nequeunt à Magnatibus vendi ſecundum iura ciuilia. ibidem. n. 9.
Officium, & beneficium interdum pro eodem ſumuntur. 217. n. 37.

Oleum.

Oleum non conſecratum poteſt à Parocho miſceri conſecrato, quando eſt dubium an conſecratum ſit ſuffecturum. 489. n. 2.
Oleum non conſecratum, quod miſcetur debet eſſe minoris quantitatis, quam ſit conſecratũ. n. 3.
Oleum debet ita miſceri, vt aliquid balſami ſemper remaneat. ibidem. n. 6.

Omiſſio.

Omiſſio alicuius bonæ operationis ſpectata in ordine ad damnum ſpirituale non ſolet grauis cẽſeri. 88. n. 9.
Omittere opera iniuncta per iubileum poſt abſolutionem acceptam à reſeruatis, probabile eſt non eſſe peccatum graue, licet alij oppoſitum ſentiant. 278. n. 22. 23. 24.

Onus.

Onus ſoluendi penſionem eſt reale. 46. n. 4.
Onus ſoluendi decimas totaliter in fructibus radicatur. 50. n. 11.

Opera.

Opera præſcripta in iubileo probabilius eſt eſſe præſtanda in eadem hebdomada. 269. n. 8.
Opera iſta non oportet, ad iubileum lucrandum, vt exerceantur in ſtatu gratiæ vltimo excepto. 292. n. 4.

Opinio.

Opinionem tutiorem quamuis minus probabilem laudabilius ſequi debemus. 540. n. 3.
Opinionem probabiliorem ſequi debet iudex in ſententia ferenda. n. 4.
Opinionum contrarietate manente, ſi quis dubium non deponat, nequit operari abſque peccato. 542. n. 9.
Opinionem probabilem, relicta probabiliori licitè ſequimur. 547. n. 22.
Opinio redditur ſimpliciter probabilis etiam per minorem probabilitatem. ibidem. n. 23.
Opinari nobis non eſt ita liberum ſicut imaginari. 550. n. 33.
Opinans putat ſe verum dicere practicè, non autem oportet vt hoc etiam ſpeculatiuè iudicet. ibidem.
Opinari poſſumus vnum ex contradictorijs ita verum eſſe in re, vt etiam opinemur aliud eſſe probabiliter verum. ibidem.
Opinio, quę aſſerit licitè ſequi poſſe partem probabilem relicta probabiliori, exceptis quibuſdã caſibus, eſt communis ferè apud omnes Doctores. 551. n. 35.

Oratio.

Oratio, quæ præſcribi ſolet in iubileis ſufficit etiã ſi ſit minima. 255. n. 2.
Oratio hæc ſufficit, ſiuè vocalis ſit, ſiue mentalis. 255. n. 9.
Pro quibus fieri debet. n. 10.
Poteſt fieri in quocunque ſitu, licet decens ſit flexis genibus fieri. ibidem. n. 14.
Oratio deuota, quæ in iubileo imponitur quid importat. ibidem. n. 16. & f. 256. n. 17.
Oratio mentalis, quæ in religionibus ſecundum eorum ſtatuta præcipitur, obligat Religioſos obligatione fundata in voto obedientiæ, & non in pura iuriſdictione, quæ eſt in Superioribus. 416. n. 10.
Oratio, quam interdum ob aliquem finem iubet eccleſia non procedit ex lege, aut præcepto, ſed ex quadã directione, & admonitione. 422. n. 18.
Oratio vocalis neceſſario prærequirit intentionẽ orandi. 424. n. 5.
Oratio vocalis exigit neceſſario aliquam internã attentionem. n. 6.
Oratio eſt eleuatio, ſeu aſcenſio mentis in Deum. ibidem.
Oratio vocalis nequit conſiſtere virtute primę intentionis, ſi orans voluntariè ſe diſtrahat. 425 n. 7.
Orandi intentio non manet poſita voluntaria diſtractione. n. 8.
Oratio vocalis eſt ſpecies diuini cultus, qui eſſe nõ poteſt cum voluntaria diſtractione, quę eſt Dei offenſa. n. 9.
Oratio vocalis manet, ſi diſtractio eſt inuoluntaria. 426. n. 11.
Oratio in ſomnis non eſt vera oratio, quia non eſt actus humanus. n. 12.
Oratio vocalis formaliter ſumpta non eſt ſecundũ aliquos ſubſtantia ſacramenti extremæ vnctionis. ibidem. n. 14.
Oratio ſi poneretur de ſubſtantia huius ſacramenti, cum voluntaria diſtractione ceſſaret, & non conficeretur ſacramentum. ibidem.

Oratorium.

Oratorium exiſtens intra atrium ruris eſt extra domum, in qua eſt habitatio, & ideo erigi poteſt cum licentia ordinarij. 506. n. 52.
Oratorium erigi in loco, in quo priuilegiatus maiori anni parte ſit commoraturus, non videtur improbabile. 505. n. 49.

Ordinarius.

Ordinario, qui primo cauſſam delegauit, mortuo, ſi

Si res ſit integra, perit iuriſdictio in delegato. 237.n.4.
Ordinario ſuperſtite, ſi delegatus moriatur, etiam re integra, manet iuriſdictio in ſubdelegato. 238.n.10.
Ordinario mortuo ſi ſuperuiuat delegatus, reſpectu cuius cauſſa ſit integra nõ autem reſpectu ſubdelegati, remanet iuriſdictio in ipſo ſubdelegato. 239 n.13.14.
Ordinario mortuo, & cauſſa integra quoad ſubdelegatum; at non integra quoad delegatum, manet iuriſdictio in ſubdelegato. ibidem.n. 16.
Ordinarius, à quo approbandus erit confeſſarius tempore iubilei, qualis ſit. 270.n.3.

Ordo.

Ordinem recipiens furtiuè incurrit, vt aliqui volunt, in irregularitatem, at alij aſſerunt eſſe ſuſpenſionem. 387. n. 1.
Ordinatio furtiua ſumi ſolet largè, & preſsè. ibid. n. 4.
Ordo presbyteratus, ſi ab eo, qui eſt ſuſpenſus, aut excommunicatus recipiatur, & ſi iſte celebret in eadẽ ordinatione ſimul cum Epiſcõpo promouente, probabiliùs eſt quod non fiat irregularis. 389.n.4.
Ordinem diaconatus recipiens ſuſpenſione irretitus, ſi canat euangelium etiam ſolemniter non incidit in cenſuram. n.5.
Ordinem ſuperiorem ſumens, quamuis ſit ſuſpẽſus in ordine inferiori, quem habet non ſit irregularis. 390. n. 5.
Ordinem ſuperiorem recipiens non dicitur exercere actum ordinis inferioris. n. 6.

Oua.

Oua, & lacticinia in ieiunijs iubilei comedi poſſunt virtute cruciatæ. 260. n. 3.
Oua poſſe comedi etiam ſine cruciata in prædictis ieiunijs, eſt probabile. n. 4.
Oua comedens ſine bulla cruciatæ in ieiunio iubilei quod incidit in quadrageſima, quamuis peccet contra præceptum eccleſiæ, probabile tamen eſt ſatisfacere oneri iubilei. 261. n.5.

P

Pactum.

PActa ſunt ſeruanda quando iuſtitiam continẽt. 42.n.26.
Pacta quando in ſpiritualibus prohibentur. 215. n.28.29.

Parochus.

Parochi in Vrbe Panormi, virtute bullę Clem. VIII. de diuiſione Parochiarum non tenentur applicare miſſam pro fœlicitate Vrbis. 220.n.3.
Parochi prędicti recipiunt ſtipendium à Senatu Panormitano pro congrua ipſorum ſuſtentatione. n. 4.
Et pro compenſatione incertorum. n. 5.
Parochi an teneantur pro ſuis parochianis aliquando ratione officij miſſam applicare, eſt cõtrouerſum. 222. n.13.

Parum.

Parum, & nihil quando æquiparantur. 257. n. 6.

Patrimonium.

Patrimonium, aut aliud loco illius, vt fundet titulum legitimum ad ordines ſuſcipiendos, debet eſſe firmum, & certum. 161.n.5.

Patrinus.

Patrinus ex iure canonico requiritur in ſacramẽto confirmationis. 492.n.1.
Patrinus in confirmatione debet eſſe diſtinctus ab eo, qui fuit patrinus eiuſdẽ in baptiſmo. n. 2.
Patrini munus exercens in confirmatione debet eſſe confirmatus. n 3.
Et ſi confirmatus non ſit non contrahit ſecundũ aliquos cognationem ſpiritualem. nu. 4. Alij vero affirmant. n. 5.
Patrinus non confirmatus ſi non contrahit cognationem ſpiritualem id non oritur ex eo, quod ipſi prohibetur exercitium huius muneris, ſed ex eo quod caret conditione requiſita ad contrahendum. 493. n. 9.
Patrinus confirmationis, per ſe loquendo, non tenetur inſtruere confirmatum. ibidem. n. 11.

Patronus.

Patronus præſentans aliquem ad beneficium eccleſiaſticum tempore habili, ſi præſentatus aliud incompatibile poſſidet beneficium, ius præſentandi non deuoluitur ad Epiſcopum, ſed remanet in patrono. 170.n.2.
Patronus non tenetur iurare, vt Epiſcopus inſtituat præſentatum. ibidem. n. 4.
Patronus præſentans incapacem, ſi eſt eccleſiaſticus pro illa vice amittit ius præſentandi. 171. n. 6.
Aliqui putant non amittere ipſo facto, ſed poſt ſententiam. ibidem.
Patronus ſi eſt laicus præſentans incapacem non priuatur iure iterum præſentandi. ibidem.
Patronus laicus præſentans indignum elapſo tẽpore quadrimeſtri, nequit alium præſentare. ibidem. n. 7.
Patronus laicus poſtquam præſentatus fuit inſtitutus etiam intra tempus quadrimeſtre, non poteſt variare alium præſentando, ſecùs ante inſtitutionem: at patronus eccleſiaſticus nullo modo poteſt, & ratio diſcriminis aſſignatur. ibidem. n. 8.
Patronus laicus intra tempus quadrimeſtre poteſt toties quoties variare ante inſtitutionem. Aliqui tamen putant poſſe vna tantum vice. ibidẽ. n. 9.
Patronus laicus habet integrum tempus, ſi præſentatus renuntiet. 172. n. 10.

Pauper.

Pauperum nomine non ſolum veniunt illi, qui oſtiatim victum mendicant, ſed etiam illi, qui carent rebus neceſſarijs ad ipſorum ſtatum decentem. 204. n. 2.
Pauperes quæritantes victum ſi eleemoſynam ad lucrandum iubileum erogare nequeant, probabilius eſt indigere commutatione. 258.n.10.

Peccatum.

Peccati venialis damnum ſpirituale comparatum ad damnum temporale eſt illo longè grauius. 88. n. 9
Peccata oblita, quæ reſeruationem habent annexam non remanent reſeruata poſt confeſſionem factam vi iubilei. 277. n. 18.
Peccata mortalia etiam non reſeruata, ſi pœnitens per obliuionem omiſit tempore iubileo aperire confeſſario, tranſacto iubileo nequit illa confiteri ſacerdoti habenti ſolum iuriſdictionem in venialia. ibidem. n. 19.

Penſio.

Penſiones, quæ debentur ex locatione, & quæ debentur ex beneficio eccleſiaſtico aliquo modo parificantur. 48. n. 6.

Penſio non dat iuriſdictionem alieno Epiſcopo, vt promoueat pẽſionarium ad ſacros ordines. 160. n. 10.

Penſio quid propriè ſit. 201. n. 1. ſec. 13.

Penſio alia temporalis, alia ſpiritualis, & in quo differant. 202. n. 1.

Penſionarius non tenetur in opera pia erogare id quod ex penſione ſupereſt congruæ ſuſtentationi. ibidem. n. 4. 5.

Percutere.

Percutere volens Titium clericum, ſi caſu, & inculpabiliter percutiat Sortem clericum, percuſſio etiam grauis neque eſt reſeruata, neque percutiens incidit in excommunicationẽ. 306. n. 3.

Periculum.

Periculo peccandi ſe exponere quandoque non eſt illicitum. 480. n. 3.

Periurium.

Periurium, etiam quando licitum eſt æquiuocare, poteſt contingere ex ignorantia in modo æquiuocandi ad falſitatem vitandam. 63. n. 10.

Permutatio.

Permutatio non reſpicit magis vnum, quam alium ex permutantibus vt venditorem, aut emptorem, neque rem ex permutatis magis vt mercem, quam vt pretium. 6. n. 14.

Permutatio requirit, vel vt vtraque res permutata transferatur in dominium permutantium, vel neutra. ibidem.

Perſona.

Perſona ſecundum ſe ſpectata eſt ſuperioris ordinis ad omnia bona externa, & non eſt pretio æſtimabilis, ſecùs quatenus eſt principium quarumdam operationem. 61. n. 5.

Perſonæ, quæ ſunt reo valdè coniunctæ illum per ſe loquendo, non tenentur denunciare, quando ab ordinario fiunt monitoria. 72. n. 11.

Pietas.

Pietas in actione præcipuè habetur ex intentione operantis. 110. n. 3.

Pietas in legato magis ex qualitate perſonæ legatariæ, quam ex verbis colligitur. ibid. n. 4.

Pignus.

Pignus licitè accipitur à mercatore pro ſecuritate pecuniæ, quam pro frumentorum pretio anticipatim ſoluit aratori. 33. n. 12.

Pœna.

Pœna triplex eſt, legalis, iudicialis, & conuentionalis. 36. n. 29.

Pœna conuentionalis vt exigatur plures requirit conditiones. ibidem. n. 31.

Pœnæ pecuniariæ ab Epiſcopo locis pijs ſunt applicandæ iuxta decretum Tridentini. 201. n. 2.

Pœna eſt menſuranda per ordinem ad culpam. 534. n. 6.

Pœna æterna debita peccato mortali non eſt pœna extraordinaria. 535. n. 11.

Pœna impoſita à lege in foro conſcientiæ non afficit ignorantes. In foro autem externo eſt iudicandum iuxta iuris præſumptionem. 246. n. 20.

Pœnitens.

Pœnitens, qui omnia reſeruata legitimo confeſſario aperuit, non tenetur illa repetere iuxta quorumdam opinionem, quando alteri fatetur alia non reſeruata. Alij oppoſitum ſentiunt. 338. n. 8.

Pœnitens ſi manifeſtat ſacramentaliter ſuperiori legitimo aliqua reſeruata, ceſſat reſeruatio aliorum oblitorum. 339. n. 1.

Pœnitẽs ſi ſacramẽtaliter confiteatur ſuperiori, & nullam faciat mentionem de reſeruatis, quorum memoriam non habet, probabilius eſt nõ ceſſare reſeruationem, ſecus ſi caſus reſeruatus fuerit ratione excommunicationis, tunc enim per generalem abſolutionem ab omni vinculo excommunicationis, quæ dari ſolet ante abſolutionem à peccatis, ceſſabit reſeruatio. n. 2. 3.

Pœnitens ſi à ſuperiore petat abſolutionem reſeruatorum, ſi fortè habeat, tollitur reſeruatio. num. 4.

Idem dici debet quando fit confeſſio ſacerdoti habenti delegatam poteſtatem in reſeruata. 340. n. 7.

Diſcrimen inter confeſſarium ordinarium, & delegatum quoad ablationem reſeruationis. n. 8.

Pœnitẽs ſi abſoluatur vi iubilei etiam ſi in cõfeſſione nullam fecerit mentionem de reſeruatis ob inculpabilem obliuionem, ceſſabit reſeruatio. 277. n. 17.

Pollutio.

Pollutio voluntaria ſeminis humani eſt ita intrinſecè mala, vt nunquam poſſit ob quemcumque finem cohoneſtari. 530. n. 7.

Pontifex.

Pontifex dans facultatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, intelligitur ſimul dare eamdem facultatem ad cenſuras ſibi etiam reſeruatas, & è conuerſo. 370. n. 5.

Pontifex nulli ſubiacet reſeruationi. 335. n. 1.

Pontifex ſummam habet authoritatem diſponendi de bonis incertis, & etiam auferẽdi à Principibus ſæcularibus facultatem diſponendi de eiſdẽ bonis. 150. n. 7.

Pontifex diſponens de his bonis incertis nullam Principibus ſæcularibus iniuriã infert. 151. n. 11.

Porrigere.

Porrigens latroni inſtrumentum cum præuiſione damni futuri, eſt eiuſdem damni cauſſa. 85. n. 23.

Poſtquam.

Poſtquam, eſt dictio talis naturæ, vt faciat tempus determinatum currere de momento in momẽtum. 245. n. 16.

Poſſeſſio.

Poſſeſſione ſua nemo eſt ſpoliandus, niſi adſit certitudo in contrarium. 62. n. 9.

Poſſeſſio eſt duplex naturalis, & ciuilis. ibidem.

Poſſeſſio ſtat pro illo, pro quo ſtat iuris præſumptio. ibidem.

Præſumptio ſtat pro illo, quionus probandi trãſfert in alium. ibidem.

Poſſeſſio eſt detentio reſpectu corporalium, reſpectu incorporalium, vt ſunt iura, & actiones, dicitur quaſi poſſeſſio. 131. n. 3.

Quaſi poſſeſſio per vnicum actum acquiri poteſt. n. 4.

Poteſtas.

Poteſtas concedendi licentiam celebrandi in orato-

Digitized by Google

torio priuato eſt fauorabilis; ſecùs tamen ipſa licentia actualis. 302. n. 32.

Preces.

Preces, quas Epiſcopus promotis ad ordines iniũgit, probabile eſt non eſſe ſub graui culpa recitandas. 434. n. 5. vide v. Miſſa.

Preces iſtę non imponuntur per modum pœnitẽtentiæ. 435. n. 7.

Prædium.

Prædium habens plura corpora ſi diuidatur an præiudicet Domino. 51. n. 15.

Prædium locatum pro vno anno nõ remanet hypothecatum niſi per annum. n. 16.

Prælatus.

Prælati Regulares ante decretum Clem. VIII. poterant ad libitum caſus ſibi reſeruare. 307. n. 1.

Poſt decretum nequeunt. 308. n. 2.

Prelatis regularibus quot, & quales caſus reſeruare permittatur. n. 3.

Et quid in Societate Ieſu. n. 4.

Prelati Regulares ratione excommunicationis ab ipſiſmet impoſitę, nequeunt, pręter preſcriptos, alios caſus reſeruare: quamuis aliqui cõtrarium cenſeant. n. 5. & ſeq.

Prælatos Regulares probabile eſt poſſe abſolutionem ſuis ſubditis conferre de omnibus cenſuris pontificijs etiam de ijs, quę continentur in bulla cœnę (excepto crimine hęreſis.) 412. n. 12. 13.

Et quid in Societate Ieſũ. n. 14.

Prælatus Regularis denegans confeſſario ordinario deſignato ad excipiendas ſubditorum confeſſiones, facultatem abſoluendi ſubditum de aliquo reſeruato, hoc non obſtante poterit cõfeſſarius pro illa vice ſubditum abſoluere. 321. n. 5.

Limitatur. n. 6.

Prælatus ſi alteri ſacerdoti à deſignatis denegec hanc facultatem, expenditur num ſacerdos ille poſſit ſubditum abſoluere. ibidem. n. 8.

Prælatus an poſſit delegare facultatem circa caſus reſeruatos ſub hac conditione vt pœnitens teneatur eadem peccata reſeruata ipſi Prælato confiteri. 324. n. 18.

Quid dicendum ſi confeſſarius onus prædictum nõ manifeſtet pœnitenti, ſed illum abſoluat, & poſt abſolutionem id declaret, an pœnitens in tali caſu teneatur onus illud acceptare nec ne. 325. n. 25. & f. 326. n. 26.

Et quid ſi onus innoteſcat pœnitenti ante abſolutionem, ſed poſt enarrationem peccatorũ. n. 27. & ſeq.

Prælati religionum, ſi incidant in caſus Pontifici reſeruatos, poſſunt alteri ſacerdoti committere poteſtatem vt ipſos abſoluat. 336. n. 6.

Prælatus incidẽs in caſum, qui in religione eſt reſeruatus de iure communi, poteſt eligere confeſſarium, quem voluerit, vt ab illo abſoluatur, ibidem. n. 8.

Secus ſi ſpectentur iura particularia religionis. n. 9. & f. 337. n. 10.

Prælatus Eccleſiaſticus abſque periculo irregularitatis habens temporalem iuriſdictionẽ criminalem, poteſt creare officiales, eiſque delegare, & committere cauſſas etiam ſanguinis, vt iudicent ſecundum iura. 352. n. 4. vide v. Irregularitas.

Idem eſt dicendum ſi poteſtas delegetur poſt crimen commiſſum morte dignum, vel poſt relationem delicti factam à iudice inferiori. 352. n. 6. & 353. n. 7.

Prælatus Eccleſiaſticus talem habens iuriſdictionem nequit ſine diſpenſatione Pontificis procedere de mandato Principis in cauſa ſanguinis. 364. n. 57.

Prælatus iſte nequit ſententiam ſanguinis à Iudice latam approbare ibidem.

Prælatus Regularis ſi præcipiat ſubditis vt applicent ſacra, vel preces ob talem finem, ſeu pro tali perſona, ſubditi ad id faciendum non tenentur ex obligatione fundata in iuriſdictione, ſed in voto obedientiæ. 422. n. 18.

Præſcriptio.

Præſcriptionis tempus ad inſtituendum in beneficio eccleſiaſtico, ſecundum aliquos ſunt decẽ, ſecundum alios quadraginta anni. 132. n. 8.

Præſcriptio in cauſa pia requirit æquale tempus cum illo, quod requiritur quando agitur de rebus eccleſiæ. ibidem. n. 10.

Præſcriptio longiſſimi temporis non requirit titulum. 133. n. 11.

Præſcriptio, vt completè extinguatur, requirit eũdem temporis lapſum, qui requiritur ad præſcribendas res eccleſiaſticas. ibidem. nu. 12.

Præſcriptio, per quam legatum tranſiuit in beneficium eccleſiaſticum, non interrumpitur, ſi aliquis legatarius reſignet ipſum legatum in manibus Summi Pontificis. 133. n. 13.

Præſcriptio currit etiam contra ignorantes. 134. n. 19.

Præſcriptio, per quam legatum tranſiuit in beneficium, ſi fuerit perfectè completa, non priuatur ſuo effectu, quamuis ordinarius declaret legatũ illud non eſſe beneficium n. 20.

Præſentatio.

Præſentatio ad beneficium eccleſiaſticum ſi effectum non eſt ſortita, Patronus integrum habet tempus iure conceſſum ad iterum præſentandum. 153. n. 2.

Præſentatio ſi caruit effectu, ob aliquod crimen occultum perſonæ præſentatæ, & quod ignorabat Patronus, integrum ipſi Patrono competit tempus ad iterum præſentandum. 154. n. 3.

Si autem crimen erat patrono notum, priuatur illa vice ſi eſt eccleſiaſticus ad iterum præſentãdum. n. 4.

Si vero erat patronus laicus ſecundum aliquos etiã priuatur, at alij probabilius negant ibid. n. 6. 7.

Declaratur diſcrimen inter vtrumque patronum. n. 8.

Præſentatio ob defectum ſcripturæ non erit inualida. 165. n. 2.

Qua ratione probatur. n. 3.

Præſentatio habens defectum ſcripturæ non facit vt ius præſentandi deuoluatur ad ſuperiorem elapſo tempore legitimo. 166. n. 5. vide v. inſtitutio.

Pretium.

Pretium non ſuccedit ſemper loco rei. 9. n. 10.

Pretij exceſſus, in venditione ſecunda rei alienæ, interdum eſt ex induſtria ſpeciali interdum vero minimè, & declaratur. 12. n. 7. & ſeq.

Pretij exceſſus quando oritur ex ſpeciali diligen-

tia venditoris eſt ad inſtar fructus induſtrialis ibidem.n.10.
Pretij æſtimatio debet eſſe prudens,& qualis cenſetur eſſe talis.25. n.12.
Pretium frumentorum taxari ſolet à patrimonialibus regijs quibuſdam præmiſſis ſolemnitatibus. 33.n.15.
Pretium frumenti non conſignati, quando erat obligatio ad illud conſignandum,in qua quantitate à mercatore, cui debebatur eſt eligendum 34.n.20.& ſeq
Pretij exceſſus ſupra dimidium totus eſt reſtituẽdus,& pariter defectus infrà dimidiũ eſt reſarciendus.40.n.20.
Pretium in venditione ſub haſta eſt diuerſum ab eo,quod communiter currit in foro.43. n.32.
Pretium legitimum quod nã ſit, imponitur à Principe.44. n.2.
Pretium legitimum per ſe loquendo alterari non poteſt.45. n.6.

Princeps.

Princeps aperiens alicui ſubdito legem futuram de pretio quarumdam mercium diminuendo, ſi præuideat ſubditum merces diſtracturum pretio currenti, peccat contra iuſtitiam . 25. n. 16.
Quid ſentiat Leſſius . n. 17.
Princeps ſciens legem ſuam ſtatim promulgandã de pretio mercium minuendo, num ante promulgationem ſuas merces vendere poſſit pretio currenti . 26. n. 19. & ſeq.
Princeps præſumitur ſcire omnia, quæ ſecundum ius commune cõpetunt ſuo delegato.339.n.12.
Princeps dicitur habere peritiam iuris, & illam in ſcrinio pectoris reconditam habere. ibidem.

Priuilegium.

Priuilegium celebrandi in priuato oratorio non eſt fauorabile, ſed odioſum, & quare . 500. nu. 24.& ſeq.
Priuilegium iſtud includit diſpenſationem.501.nu. 28.
Priuilegium derogans legi correctoriæ iuris communis interdum eſt fauorabile, interdum vero minimè . 502. n. 31.
Priuilegium habens ad erigendum oratorium priuatum, vt in eo celebretur, ſi mutet habitationem ex vna in aliam domum eiuſdem ciuitatis, poterit in hac ſecunda domo oratorium erigere . ibidem. n. 33.
Poteſt etiam, vt volunt aliqui oratorium erigere etiam extra diœceſim, ſi mutet domicilium. n. 34.
Alij contrarium ſuſtinent . ibidem.n.36.
Hæc opinio ſpectando ſtylum curiæ eſt admittenda, præſcindendo autem à ſtylo probabilior eſt opinio affirmatiua.503.n.4.
Priuilegium hoc non extenditur ad erigenda duo oratoria ſimul exiſtentia, vnũ in domo vrbana, aliud vero in domo rurali. 504. n.46.

Probabilitas.

Probabilitas ſpeculatiua non eſt ſemper ſufficiens ad formandum iudicium practicè probabile. 62. n. 9.
Probabilitas minor etiam reſpectiuè ad maiorem reddere poteſt opinionem ſimpliciter probabilem.547.n.33.vide v.Opinio.

Profeſſio.

Profeſſionis valor non dependet immediatè à iure naturali, & voluntate ſubditorum; ſed à Pontifice . 247.n.24.

Prolatio.

Prolatio externa in oratione vocali cum voluntaria diſtractione,eſt falſum ſignum diuini cultus. 425. n. 9.

Promiſſio. Promittens.

Promiſſio ſimplex non transfert dominium rei promiſſæ in promiſſarium . 58. n. 4.
Promiſſio de vno tantùm ſacro, quæ alteri homini fit,probabilius eſt quod ſub graui culpa non obliget . 86. n.5. Secùs in aliquo caſu. 88. n.12.
Promiſſionis huius æſtimabilitas non eſt menſurãda cum ſtipendio, quod pro vnoquoque ſacro ſolui ſolet . ibidem.
Promiſſio vnius ſacri facta Deo eſt quid notabilis momenti . 88. n. 11.
Promiſſio etiam in ſcriptis de matrimonio contrahendo ſi eſt ficta ex parte promittentis non habet vim ſponſalium .527.n.4.
Promiſſionem de ineundo matrimonio propè copulam nõ inducere ſponſalia refert vt deciſum Riccius . 527. n. 5.
Promittens fictè matrimonium, & ſub hac conditione,carnalem copulam habens cum muliere tenetur eam ducere . n.6.
Promittens ducere mulierem,quam carnaliter cognoſcit, ſi ſciat eſſe corruptam, & ipſa virginẽ ſe eſſe fingat, non obligatur ad contrahendum cum illa ſi eſt malæ famæ, ſecùs ſi ſit bonæ famæ. 528. n. 10.
Promittens fictè matrimonium, & ſub hac ſpe cognoſcens carnaliter mulierem, ſi eam non ducat, nũ aliquid illi reſarcire teneatur. n. 11.12.

Propoſitio.

Propoſitio externa, & interna poſſunt conflare vnam integram, & completam propoſitionem in ordine ad vnam ſignificationẽ. 63.n.10.& 11.
Propoſitio interna debet eſſe congrua, & proportionata, vt cõnectatur cum externa.ibidem.
Propoſitio damnata à Clem. VIII. circa confeſſionem, & abſolutionem collatam abſenti, eſt hypothetica iuxta mentem aliquorũ.520.n.34.
Propoſitio illa re vera non eſt hypothetica.n.35.

Q

QVæſtum facere quid importat.120.n.26.
Quadripartita bonorum eccleſiaſticorum diuiſio quando initium habuit, & quando deſijt.173.n.2.3.
Quadripartita hæc diuiſio hodie nõ viget.174.n.5.

R

Radices reſtitutionis.

RAdices, ex quibus oritur obligatio reſtitutionis propriè dictæ ſunt duæ.78.n.4.

Ratio.

Ratio, qua Pontifex mouetur ad delegandum examen cauſſæ in reſcriptis Epiſcopo viciniori quando ſedes in diœceſi ſupplicantis vacat, declaratur.224.n.6.
Ratio caſus dubij, & certi quoad reſeruationem non eſt eadem.342.n.8.

Regnicoli.

Regnicoli non habent inuicem ius, vt aliquis ex ipſis ſeruet leges à Principe editas, tale enim ius eſt in Principe . 22. n. 16.

Re-

Regula.
Regula de æquipollentibus non ſemper valet, & declaratur. 130. n. 14.
Regula illa iuris, qui facit per alium per ſe ipſum facere videtur, explicatur. 356. n. 17.
Regulares.
Regulares vi ſuorum priuilegiorum, ſpectando decretum Clem. VIII. & Pauli V. confirmantis decretum Clem. non prohibentur in Sicilia abſoluere fideles à caſibus Epiſcopo reſeruatis. 315. & 316. n. 2. vide v. Sicilia.
Regularibus ſpectãdo declarationem Sacræ Congreg. anno 1628. videntur huiuſmodi priuilegia iam abrogata, & refertur multorum ſenſus. ibidem. n. 6.
Regulares Societatis Ieſu in Sicilia non videntur amiſiſſe priuilegium abſoluendi à caſibus Epiſcopi vi epiſtolæ Claud. Aqu. f. m. 318. nu. 10. 11.
Regulares peregrini quo pacto ſe gerant, quando habent reſeruata. 322. n. 2.
Regulares ſocietatis Ieſu peregrini habẽt inſtructionem circa abſolutionem à reſeruatis. n. 3. 4.
Regularis ſacerdos approbatus ab ordinario cõmuniter, ab eodem recipit etiam iuriſdictionẽ, in ordine ad confeſſionem. 348. n. 15.
Religio.
Religio ex iuſtitia proprios ſubditos alere tenetur. 66. n. 14.
Religioſi.
Religioſi poſſunt eſſe teſtes idonei, quamuis ſint de familia monaſterij, pro quo teſtificatur. 137. n. 2.
Religioſi in caſu prædicto non dicuntur teſtes in cauſa propria. ibidem. n. 5.
Religioſorum teſtimonium non eſſe admittẽdum, etiam ſi mediatè illis commodum obueniat, cẽſuerunt aliqui. 138. n. 6.
Religioſi vt ſint teſtes pro ſuo monaſterio nonnullis qualitatibus affecti eſſe debent 139. n. 8.
Religioſus promotus ad dignitatem epiſcopalem non acquirit dominium fructuum eccleſiaſticorum. 207. n. 4.
Religioſus Epiſcopus nequit ex fructibus eccleſiaſticis expendere niſi quantum ſatis eſt ad ſui decentem ſuſtentationem. n. 5.
Religioſus Societatis Ieſu habens tantùm vota ſimplicia, ſi promoueàtur ad epiſcopatum, intelligitur diſpenſationem habere in voto paupertatis. n. 6.
Religioſus Epiſcopus ius habet ſibi vendicandi hæreditatem, non vt ſibi applicandam, ſed eccleſiæ. n. 7.
Dicitur tamen hæres ad vſum, ſeu adminiſtrationem. n. 8.
Religioſi virtute priuilegiorum poſſunt abſoluere fideles ab omnibus reſeruatis Pontifici, exceptis caſibus contentis in bulla cœnæ, ſiue ſint occulti, ſiue publici. 312. n. 16.
Religioſi ſubditi poſſunt cum licentia ſui ſuperioris Epiſcopo ſe ſubijcere, vt ab Epiſcopo abſoluantur à caſibus Pontifici reſeruatis 313. n. 16.
Religioſus accuſatus de crimine ſi infamia nõ præceſſit validè, ſed non licitè eligi poterit in Prælatum. 366. n. 2.
Religioſus ſi recedat à ſua religione ſine licentia Prælati vt laxiorem ingrediatur eũ probabilius eſt, non eſſe apoſtatam. 368. n. 5.
Religioſus recedens modo ſupradicto, an dicatur fugitiuus. 372. n. 20.
Religioſi nequeunt de fonte baptiſmi infantem leuare. 483. n. 1.
Religioſi etiam mendicantes, qui monachi non ſunt, ſæpè in iure comprehenduntur ſub nomine monachorum. 484. n. 4.
Religioſi prohibentur à Paulo V. in rituali exercere munus patrini in baptiſmo. f. 484. nu. 5. & fol. 485. n. 6.
Religioſos exercentes tale munus non peccare grauiter aliqui autumant. n. 7. & ſeq.
Religioſis non eſt iure communi interdictum baptizandi munus. 486. n. 13.
Religioſis neque eſt prohibitum munus patrini in confirmatione. 486. n. 15.
Religioſus, cuius profeſſio eſt irrita ordinem diaconatus deſumens, nequit promoueri ad ſuperiorem ordinem, ſine patrimonio, aut beneficio. 523. n. 3.
Religioſo verè dubitanti de valore ſuæ profeſſionis non poteſt Epiſcopus ſacrum ordinem conferre. ibidem. n. 3.
Religioſus bona fide putans validam eſſe ſuã profeſſionem cum ſit irrita, ſi ad ſacros ordines promoueatur non incurrit in ſuſpenſionem. ib. n. 6.
Religioſus ad vitandum ſcandalum, quamuis ſciat ſuæ profeſſionis nullitatem ſi ordinetur nõ afficitur ſuſpenſione ibidem. n. 7.
Religioſus nulliter profeſſus si in religione fiat ſacerdos, & ad ſæculum redeat an poſſit abſque titulo miſſas celebrare. 524. n. 8. & ſeq.
Renunciatio.
Renunciatio facta Patri à filia nubente, an sit valida, 65. n. 8.
Renunciatio ob ingreſſum religionis non habet imbibitam conditionem perſeuerantiæ in religione. 66. n. 12.
Renunciatio iſta an sit acceſſoria perſonæ renuncianti. ibidem. n. 14.
Renũciationẽ beneficij curati, cũ pacto, vt renunciatarius ſe obliget renuncianti ſoluere cõgruã, ſi ſpectemus ius antiquum, quamuis aliqui dicant eſſe licitam, alij vero probabilius dicunt eſſe illicitam. 168. n. 2.
At ſpectando ius nouum, nempe conſtitutionem Pij V. renunciatio cum tali pacto nequit fieri niſi in manibus Pontificis. n. 3.
Renunciationem hanc non factã in manibus Pontificis, probabile eſt, eſſe ſimoniacam. n. 4.
Renunciatio iſta neque ſi fiat in manibus Prælati cohoneſtari poterit. n. 5.
Renuncians beneficiũ ſi patrono ſignificet vt talẽ perſonam determinatam præſentet, an ſine ſcrupulo hoc facere poſſit. 169. n. 6.
Renunciatio, de qua præceſſit tractatus, & poſtea ſucceſſit acceptatio, & poſſeſſio beneficij, in ſupplicatione quæ fit Romæ, debet cum his omnibus explicari, aliter reſcriptum erit ſubreptitiũ. n. 7.
Reſeruatio.
Reſeruatio tollitur etiam quoad oblita ſi quis iubilei tempore confeſſus ſit. 277. n. 17.
Reſeruatio non redit ſi quis vi iubilei confeſſionem

nem fecit,& poſtea nō ſumat iubileū. 278.n.21.
Reſeruationem tolli per iubileum, ſi quis omiſit confeſſionem non habens conſcientiam peccati grauis,eſt valdè probabile, quamuis alij oppoſitum cenſeant. ibidem. n. 25. 26.
Reſeruationem non tolli per confeſſionem vi iubilei factam, ſed inualidè.279.n.25.
Reſeruationem cenſurarum ceſſare, etiam per confeſſionem inualidam, ſi quis intentionem habeat præſtandi reliqua opera in iubileo præſcripta, placet Authori. n. 29.
Reſeruatio tollitur per confeſſionem informem, ſed validam. 280. n. 34.
Reſeruatio ceſſat, ſi pœnitens ex inopia confeſſarij, confeſſionem non præmiſit. 281.n.36.
Reſeruatio caſuum, & cenſurarum quid importet. 298.n.2.
Reſeruatio, quem finem habeat. n. 3. 4.
Reſeruatio à quo fieri poſſit. n. 5. 6.
Reſeruatio pontificia immediatè fertur in cenſuram, & ea mediante in peccatum. 305.n.1.2.
Reſeruatio vt afficiat actum externum oportet, vt ipſe actus externus ſecundum ſe ſit graue peccatum, & non per ſolam relationem ad actum internum. 305. n. 2.
Reſeruatio impoſita actui conſumato, ſi quis antequā cōſumetur actus pęniteat de cauſa poſita, non reſultat etiam in ipſo actu conſumato. 342. n. 7.

Reſcriptum.

Reſcriptum deprauatur,ſi tempore datæ tacita ſit veritas exprimenda, vel exprimatur falſum. 224. n. 6.

Reſtituere.

Reſtituere non tenetur perſona priuata, ſi obtinens à domino facultatem conferendi officium ſæculare cui voluerit, ob collationem pecuniā recipiat. 96. n. 14.
Reſtituere non obligatur ſi quis recepit bona,quæ in præiudicium creditorum fuerunt alienata, ſi bona fide proceſſit. 100. n. 8.
Reſtituere non tenetur gener bona illa, quæ habuit in dotem à patre ſuæ vxoris, ſi bona fide illa recepit. 101. n. 12.
Reſtituere tamen tenetur ipſa vxor, quæ ſolùm titulo lucratiuo bona illa recepit. n. 13.
Dubitatur num vndequaque reſpectu vxoris dotatio fuerit lucratiua. n. 14
Reſtituere an teneatur vxor,ſi mortuo viro ſuperſunt filij. n. 15.
Reſtituere minimè tenetur ſi quis aliquid ab alio recepit,iuxta probabilem opinionem, neque ſi ſoluat ex ignorantia probabilis ſententiæ ſibi fauorabilis poterit occulta vti compenſatione. 54. n. 7.

Reus.

Reo licitum eſt fugere è carceribus quando agitur de grauiſſima pœna. 70. n. 1.
Reus poteſt carceres effringere, ſi id erit neceſſarium ad licitam fugam. ibidem.
Limitatur vtraque concluſio. ibidem.
Reo poteſt alius conſulere fugam, quando illi eſt licita. 71. n. 2.
Et in tali caſu licitum eſt inſtrumenta quibus effringat carceres ſubminiſtrare. n. 3.
Reum tamen adiuuare cooperando ipſi actioni fractionis non licet. 72. n. 9.
Ratio dubitandi in contrarium. n. 10.
Sub rei nomine comprehenduntur perſonæ coniunctiſſimæ cum illo. n. 11.
Reus legitimè interrogatus de crimine, cui pœna pecuniaria eſt impoſita, ſi crimen neget peccabit contra iuſtitiam legalem. 73. n. 4.
Reus iſte tenetur reſarcire iuſtas expenſas, quas aduerſarius fecit. n. 5.
Reus iſte non tenetur ex iuſtitia commutatiua ſoluere pœnam. ibidem.
Et hoc etiamſi violenter contra iudicem procedat illum impediens ne ferat ſententiam. 74. n. 7.
Reus ob homicidium patratum non ſolet in foro externo damnari ad expenſas in curatione, quando damnatur ad mortem; in foro autem conſcientiæ tenetur reſarcire expenſas illas. 84. n.21.
Reus ante ſententiam ſaltem declaratoriam criminis non priuatur beneficio, officio, neque voce actiua, & paſſiua iuxta probabilem ſententiam. 374. n. 8.

Rex.

Rex Hiſpaniarum facultatem habet à Pontifice inſtituendi Prælatos eccleſiaſticos in ſuis regnis in officio Præſidentis, Vicegerentis, &c. 354. n. 10.

S

Sacerdos.

Sacerdos exiſtens in peccato mortali ſi in neceſſitate baptizet probabilius eſt grauiter non peccare. 406. n. 2.
Sacerdos iſte etiam ſi in caſu illo neceſſitatis,præſente Diacono baptizet,grauiter non peccabit. ibidem. n. 4.
Sacerdos ſtipendium habens pro miſſis celebrandis,nequit partem fructus ſacrificij alteri applicare. 509. n. 6

Sanctitas.

Sanctitas actionis ſacramentalis requirit in exercente ipſā ſtatum gratiæ,quando ex officio adminiſtratur. 487. n. 3.

Satisfacere.

Satisfacere parti læſæ, quod in bulla cruciatæ requiritur ante abſolutionem, non præcipitur vt forma. 235. n. 8.

Scandalum.

Scandalum ſumitur tum pro opere malo, tum etiā pro eo quod ſpeciem mali præſefert. 436. nu. 1.
Scandalum quid ſignificet. ibidem. n. 3. 4.
Scandalum actiuum quo pacto definiendum. n. 5.
Quotuplex ſit. 437. n. 6.
Paſſiuum quid ſit. ibidem. n. 8.
Diuiditur in generale, & ſpeciale. n. 9.
Scandalum ſpeciale quando inuenitur, refertur opinio aliquorum.f.437.n.2.& f. 438.n.3.
Explicatur mens Authoris. n. 4.
Scandalum præbens alteri,malam exercens actionem, ſine animo tamen illum alliciendi,etiam ſi præuideat eum peccaturum, non tenetur iuxta opinionem Ioānis Delugo explicare ſpeciem peccati. n. 5.
Scandalum eſt petere ab alio actum, quem ille ſine peccato exercere nequit. 439. n. 2.
Non eſt licitum exercere coram alijs actionem inductiuam ad malum. n.3.

Obli-

Digitized by Google

Obligatio vitandi aliorum ſcandalum eſt ex virtute charitatis. n. 4.
Actio quanto magis accedit ad peccatum, eo magis requirit cauſſam ad excuſandum. n. 5.
Similiter quanto præſtantior eſt virtus, cui ſcandalum opponitur, tanto vrgentior requiritur cauſſa ad excuſandum. n. 6.
Scandalum proximi vt vitetur, ſecundum aliquos nunquam omitti debet actio præcepta, ſiue ſit iuris naturalis, ſiue poſitiui. n. 8.
Alij volunt aliquando eſſe omittendam. n. 9.
Scandali vitatio nunquam liberat ab obſeruandis præceptis naturalibus. ibidem. n. 11.
At interdum omittere poſſumus præcepta affirmatiua, cuiuſcunque ſint iuris, declaratur. 440. n. 12.
Scandalum paſſiuum, quod oritur ex malitia alterius vt vitetur, non eſt omittendum opus bonū ex conſilio. 440. n. 1.
Limitatur. n. 2.
Scandalum alterius vt vitetur, quādo debent opera indifferentia omitti, traditur regula. n. 3.
Scandalum præbens alteri conſilio, ſuaſione, vel modo peccat peccato eiuſdem ſpeciei cum illo peccato, quod committit, qui ſcandalum patitur. 441. n. 1.
Scandalum dans contra iuſtitiam, non tenetur ſēper reſarcire damnum ſecutum. ibidem. n. 3.
Scandalum exhibens malo exemplo etiam intentione, vt ille alius peccatum contra iuſtitiam committat, ex hoc capite præciſo non obligatur ad reſtitutionem. 442. n. 4. 5.
Scandalum ſemper interuenit petendo deſtructionem maleficij alio maleficio. 442. ſec. 1. n. 1.
Neque erit licitū id petere ſi conſtet maleficum ignorare alium modum deſtruendi præter maleficium. 443. n. 2.
Idem dicendum, ſi quis petat diſſolutionem maleficij ab alio malefico neſciente locum, & materiam prioris maleficij. n. 3.
Scandalum interuenire putant aliqui, quādo quis petit ſolutionem maleficij à malefico potente licitis, & illicitis medijs id præſtare. n. 4.
At alij negant ſcandalum interuenire. ibidem.
In dubio an magus ſciat nec ne media licita, non eſt licitum petere ab illo diſſolutionem maleficij. n. 5.
A Dæmone autem nunquam eſt licitum id petere etiam medijs licitis. n. 6.
Falſa eſt opinio aſſerens licitum eſſe petere ſolutionem maleficij mediante alio maleficio, etiam ſi id fiat addēdo minas, & verberando magum. 444. n. 7.
Scandalum committitur, abſque cauſa rationabili petendo iuramentum ab illo, qui præuidetur falſū iuraturus. 444. n. 1. ex ſec. 2.
Limitatur in Iudice. n. 2.
Scandalum non committit iudex quamuis petat tale iuramentum abſque inſtantia partis, aliqui tamen id non admittunt niſi parte vrgente. 445. n. 3.
Scandalum cōmitti ab actore, qui eſt priuata perſona si id petat, exiſtimant aliqui. Scandalum in petitione talis iuramenti vt vitetur maior cauſſa requiritur dum quis illud petit à non parato, quam à parato. ibidem n. 6.
Scandalum actiuum ſit nec ne extra iudicium tale iuramentum petere. n. 7.
Quę dicta ſunt de iuramento aſſertorio locum habent in promiſſorio. 446 n 8.
Scandalum an ſit ſi quis inducat alium ad falſum iurandum, quod iurans putat eſſe verum. ibidē. n. 10. 11.
Scandalum eſt petere iuramentū ab infideli, quando nulla eſt neceſſitas. 447. n. 12.
Ad cohoneſtandum tale iuramentum requiritur vt infidelis ſaltē cōfuſam de vero Deo notitiam habeat. n. 13.
Eſt graue peccatum ab infideli petere iuramentum etiam ſi ſit paratus.
Oppoſitum cum alijs eſt dicendum, quando adsūt prædictæ conditiones. ibidem. n. 16.
Scandalum ne ſit petere iuramentum ab infideli, qui ſi velit poteſt per verum Deum iurare. 448. n. 17.
Scandalum committitur petendo mutuū ſub vſuris quando nulla vrget neceſſitas. 448. n. 1.
Sufficit mediocris neceſſitas. n. 2.
Declaratur neceſſitas. 449. n. 3.
Scandalum ſecundum aliquos non eſt deponere pecuniam apud vſurarium, præuidendo quod ille ſit eam ſub vſuris daturus. 450. n. 1.
Sed probabili' cū alijs ad id requiritur cauſa. n. 2.
Limitatio. n. 3.
In tali caſu probabilius eſt eum, qui modo prædicto ſine cauſſa pecuniam deponit non teneri ad reſtitutionem. n. 4.
Declaratur cauſa excuſans deponentem à peccato. n. 5.
Scandalum actiuum eſt iuxta probabilem ſententiam petere adminiſtrationem ſacramenti ab excommunicato vitando. 451. n. 1.
Probabilior oppoſita ſententia. 452. n. 2.
Limitatur. ibidem. n. 5.
Scandalum non eſt petere à ſacerdote quem ſcimus eſſe in peccato, adminiſtrationem ſacramenti aliqua exiſtente cauſa proportionata. n. 6.
Scandalum tamen erit ſi ſacramentum commodè, poterit ab alio adminiſtrari. 453. n. 7.
Declaratur commoditas iſta. n. 8.
Qualis debeat eſſe neceſſitas excuſans. n. 9.
Probabile eſt abſque peccato ſcandali poſſe aliquē recipere ſacramentum à malo ſacerdote tolerato tamen ab Eccleſia, & iam parato, etiam ſi alius adſit, qui abſque peccato poſſit adminiſtrare. 454. n. 10.
Huic vltimæ ſententiæ adhæret Author. 455. n. 11. in fine.
Scandalum actiuum non cenſetur ex parte miniſtri inſeruientis improbo ſacerdoti celebranti, limitatur quando miniſter abſque ſuo incommodo poteſt impedire ne ſacerdos ille celebret in eo ſtatu. 456. n. 15.
Scandalum interuenire putant aliqui quando datur pecunia ſacerdoti nolenti aliter adminiſtrare. 457. n. 1.
Negant alij. n. 2.
Alij vero id admittunt vt licitum quando agitur de adminiſtrando ſacramento perſonæ, quæ ſit in extremis. n. 3.
In tali caſu nunquam erit licitum dari pecuniam per modum pretij. n. 4.

Scandalum quando vitatur in redimenda alterius vexatione. 458. n. 5.
Scandalum interuenit ſi detur pecunia iudici, quando nullum eſt periculum, quod iudex ſit laturus ſententiam contra iuſtitiam. 459. n. 4.
Ceſſabit ſcandalum ex parte dantis ſi nulla ipſi ſuppetit via ad vitandam iniuſtam ſententiam. n. 6.
Scandali peccatum erit offerre pecuniam iudici, quando cauſa eſt dubia, vel hinc inde ſunt probabiles rationes, licet aliqui oppoſitum ſentiāt. n. 7.
Scandalum non committitur dando in aliquo caſu pecuniam concubinæ iudicis ad redimendā iniuſtam vexationem. 460. n. 3.
Quæ conditiones ſunt ſeruandæ. 461. n. 5.
Scandalum non eſt præbere alteri occaſionē peccandi, vt puniatur, vel vt reſipiſcat 462. nu. 2.
Requiritur aliqua notitia quod ille alius ſoleat talia delicta patrare. n. 3.
Scandalum eſt ſi vir conueniat cum vxore, vt fingat admittere amaſium, etiam in hunc finem vt amaſius corrigatur. eod. num. in fine.
Sine ſcandalo nequeunt cuſtodes vinearum ſe abſcondere, vt aliqui ingredientes vineam capiantur, & poſtea ſoluant pœnam. n. 4.
Scandalum actiuum non reperitur in venditione rerum indifferentium, etiam cum præuiſione mali vſus ex parte ementis. 465. n. 4.
Vrgentior tamen cauſa requiritur in venditione rerum, quæ ſunt deſtinatæ communiter ad malum vſum. 466. n. 5.
Declarātur cauſę excuſantes venditorem in venditione rerum vtriuſque generis. n. 6.
Limitatio. n. 7.
Scandalum interdum reperitur reddendo, quod debetur. 469. n. 2. & ſeq.

Scriptura.

Scripturarum ſacrarum inueſtigator ſequi debet authoritatem Eccleſiarum catholicarum. 541. n. 6.
Scripturæ canonicæ, quæ à dignioribus Eccleſijs, vel à pluribus recipiuntur, ſunt à nobis admittendæ. 542. n. 7.

Senator.

Senatores conſiliarij ſcientes legem diminuentem pretium quamprimum promulgandam an poſſint merces ſuas pretio currenti diuendere. 26. n. 20.

Sententia.

Sententia Ioannis de Eſcobar de venditione, & emptione non excedente, neque deficiente à dimidio non diſcrepat niſi verbis à communi Theologorum opinione. 43. n. 34.

Sicilia.

Sicilia in odioſis eſt extra Italiam ſecùs in fauorabilibus. 316. n. 4.

Simonia.

Simonia quid ſit. 209. n. 2.
Simonia multiplex eſt. ibidem.
Simonia in triplici tantùm materia annexas habet pœnas ipſo facto incurrendas. 217. n. 35.
Simonia autem in illa triplici materia eſt, videlicet ea, quæ eſt propter ingreſſum in religionem ordinem, & beneficium, ibidem.

Soror.

Soror apud hebræos duplicem habet ſignificationem. 63. n. 10.

Spiritualia.

Spiritualia per annexionem ſunt in duplici differentia, alia antecedenter, alia conſequenter. 211. n. 9.

Sportulæ.

Sportulæ, quæ ab Epiſcopis exiguntur non ſunt neceſſario operibus pijs applicandæ. 201. n. 3.
Sportulæ ſe habent quaſi bona patrimonialia. ibid.

Spurius.

Spurius interdum ſumitur latè pro quocumque nato ex illegitimo concubitu; interdum verò preſsè quatenus eſt ex coitu damnato. 102. n. 1.
Spurius poteſt agere ad alimenta ſumenda contra donatarium parentum. ibidem. n. 3.
Limitatio. n. 4.
Spurius ſi nequeat ob inopiam alimentari à parentibus, obligatio ipſum alendi tranſit ad alios aſcendentes. 103. n. 6.
Limitatio. n. 7.

Studium.

Studium augendi conſanguineos ex redditibus eccleſiaſticis à Tridentino ſeſ. 25. cap. 1. de refor. intelligitur inordinata cupiditas. 205. n. 6.

Suadere.

Suadens minus malum non peccat, quando malū illud eſt pars maioris, ad quod ille, cui fit ſuaſio eſt paratus. 477. n. 4.

Subdelegare.

Subdelegare ſecundum aliquos eſt actus iuriſdictionis ordinariæ, quatenus delegatus Principis, vel ad vniuerſitatem cauſarum habet poſſe ſubdelegare. 240. n. 10.
Meliùs dicendum eſt, ſubdelegare eſſe etiam effectum legis, & iuriſdictionis delegatæ. n. 21.
Subdelegandi facultas in delegato dependet ab Ordinario tanquam à concedente partem ſuæ iuriſdictionis, & à lege vt qualificante eum, qui fuit delegatus à Principe. 239. n. 11.

Subminiſtrare.

Subminiſtrare materiam, qua videtur alius abuſurus, vt ſic, non eſt ſufficiens, & adæquatum diſtinctiuum cauſę ab occaſione. 80. n. 8.

Subreptio.

Subreptionem inueniri in cōceſſione eſt diuerſum ab eo, quod eſt conſtare veritatem precum in executione. 226. n. 19.

Subſtantia.

Subſtantia rei niſi proponatur eo modo, quo re vera eſt, reſcriptum erit ſubreptium, ſecùs de qualitatibus non pertinentibus ad ſubſtantiam. 225. n. 13.

Suſtentatio.

Suſtentatio congrua pro beneficiarijs nequit eſſe vna, & eadem, & vnde eius diuerſitas ſumatur. 194. n. 1.
Arbitrio prudentum eſt taxanda. n. 3.
Suſtentatio congrua ſub ſe quid contineat. nu. 3. & f. 195. n. 4. & 5.
Hæc omnia ſunt arbitranda cum illa moderatione, de qua loquitur Trident. n. 6.
Suſtentatio congrua non comprehendit ſub ſe munera elargienda paraſitis, ſcurris, &c. n. 7.
Suſtentatio eſt taxanda habito reſpectu ad dignitatem beneficij. 195. ſec. 7. n. 2.

Su-

Digitized by Google

Suſtentationem eſſe taxandam iuxta quantitatẽ redditu um beneficij eſt probabile. n. 3.
Suſtentatio non eſt menſuranda per ordinem ad nobilitatem, & doctrinã beneficiarij. 196. n. 2.
Limitatur dupliciter. 197. n. 4.
Doctrina beneficiarij, de qua habenda eſſet ratio debet eſſe eximia. n. 5.

T

Tactus.

TActus honeſtos non tenetur vitare mulier, ſi abſque ſuo dedecore id facere nequit, etiam ſi præuideat ab alio fieri animo libidinoſo, & idem de oſculis iuxta morem patriæ 481. n. 4.
Tactus, qui communiter fieri ſolent inter perſonas pudicas, non tenetur quis euitare, ſi ſolum dubitet de animo libidinoſo alterius. n. 6. vide v. Amplexus.

Taxatio.

Taxatio pretij, quam patrimoniales in hoc regno Siciliæ frumentis imponunt non eſt ſtabilis. 33. n. 16.
Taxationis huius modus declaratur. n. 17.
Taxatio iſta non attenditur ſecundum pretium decurrens, ſed aliquantulum minus, & quare. ibidem.
Taxatione hac impoſita determinatur quantitas frumentorum ab aratore conſignanda mercatori, à quo frumenta pecunia anticipata emit. 34. n. 18.

Tempus.

Tempus proximum, in quo confeſſarius vi iubilei debet commutare opera in ipſo iubileo præſcripta, quantum nam ſit. 296. n. 6.

Teſtamentum.

Teſtamentum carens ſolemnitate iure ciuili requiſita, ſiſtendo in iure naturali eſt validum. 54. n. 8.
Teſtamentum hoc eſt validum quoad legata pia. 105. n. 2. in fine.
Teſtamentum minus ſolemne probabile eſt etiam in foro conſcientiæ eſſe irritum. 107. n. 9.

Teſtator.

Teſtator relinquẽdo prædium Eccleſiæ poteſt apponere quaſcunque conditiones voluerit, dummodo ſint poſſibiles, & licitæ. 399. n. 10.

Teſtis.

Teſtis aſſerens confeſſario à moribundo exhibita fuiſſe ſigna, ſiue hoc teſtificetur coram moribundo, ſiue in eius abſentia perindè ſe habet ad abſolutionem ipſi moribundo impertiendam. 520. n. 30.
Teſtis vnicus, & ſingularis teſtificans inter duas perſonas eſſe impedimentum dirimens ad matrimonium contrahendum eſt ſufficiẽs ad illud impediendum. 535. n. 2.
In huiuſmodi teſte aliquæ conditiones requiruntur. n. 3.
Teſtis vnicus etiam teſtificans impedimentum dirimens non eſt ſatis ad diſſoluendum matrimonium iam contractum. n. 4.

Tributum.

Tributa præterita, & non ſoluta ab eo, qui rem poſſidebat, ſunt ſoluenda ab illo, in cuius poſſeſſionem res illa tranſijt. 48. n. 8.

V

Vagi.

VAgi tenentur legibus loci, in quo reperiuntur. 535. n. 11.
Vagi ſi peccatum habeant, quod reſeruatum ſit in eo loco, in quo inueniuntur, nequeunt abſolui à confeſſario ordinario, ſed ab Epiſcopo illius loci, vel ab alio, qui facultatem habet in reſeruata. ibidem.

Valor.

Valor, qui dicitur perſonalis, & quã acquirit ſacerdos celebrãdo ſacrũ, incertum eſt an poſſit alteri applicari. 509. n. 6.
Dubium etiam eſt an etiam triplicatus poſſit adæquari valori vnius integræ miſſæ. n. 7.

Venditio. Venditor.

Per venditionem rei alienæ abſque voluntate domini non transfertur dominium in emptorem. 2. n. 1.
Transfertur dominium pretij in venditorem. ibid. n. 3.
Venditor rei alienæ ſi verbis, aut ſignis emptori indicet rem, quam vendit, non eſſe ſuam, contractus erit totaliter inualidus. 5. n. 10.
Venditor iuribus obligatur ad manifeſtandũ emptori vitium intrinſecum rei vendendæ. 6. n. 11.
Venditio iuxta ſuam naturam ſpectata non habet eſſe de re ſecundum genus, cum poſſit conſiſtere ſi res ſit ſecundum ſpeciem. n. 12.
Declaratur quid ſit rẽ eſſe ſecundũ genus, & ſecũdum ſpeciem. ibidem.
Venditio, & permutatio, qua ratione inuicem differant. 6. n. 14.
In venditione verba illa, quæ apponi ſolent in gratiam emptoris, ſcilicet, dat, & dedit, &c. impropriè ſe habent. 7. n. 15.
Vendens rem alienam, quam prius bona fide emerat, ſi æquali pretio vendat, non tenetur domino rei illud reſtituere. 9. n. 6.
Vendens illam maiori pretio, eo quo prius emerat, ſi exceſſus oritur ex ſpeciali ipſius induſtria non tenetur domino illud reſtituere, ſecùs ſi non fuerit ex ſpeciali induſtria. 11. n. 5. 6.
Venditor tenetur manifeſtare defectum rei vendendæ etiam patentem; ſi emptor ſit rudis, aut parùm verſatus. 18. n. 4. Secùs ſi ſit cautus, & peritus. n. 5.
Venditor ambigens num emptor impeditus ſit ad agnoſcendum defectum, qui patet, non tenetur illum manifeſtare. ibidem. n. 8.
Venditor rei vitium occultum habentis, si res illa eſt emptori vtilis, & pretium minuatur, probabilius eſt venditorem non teneri illud manifeſtare emptori. 19. n. 11.
Venditor ſi dicat emptori nolle ipſum indemnem reddere de quocumque defectu, quo res vendenda fortè laboret, num licitè id fiat. ibidem. n. 13.
Venditor permiſcens aquam vino, & minuens vini pretium, vt emptores ad emendum alliciat, an peccet contra alios venditores. 20. n. 14.
Venditor priuata notitia ſciens ſuperuenturam copiam mercium, & præuidens decrementum pretij, non peccat contra iuſtitiam merces illas pretio currenti vendens. 23. n. 6.
Et hoc etiam ſi merces illas non fuiſſet diſtracturus. 25. n. 10.
Poteſt tamen in tali caſu interdum grauiter contra charitatẽ peccare.

Digitized by Google

Venditor interrogatus ab emptore, num breui ſit futura mercium copia,non tenetur ex iuſtitia veritatem aperire . ibidem . n. 14.
Et quid ſi poſitiuè contrarium falſum aſſerat?n 15.
Venditor ſciens copiam mercium iam eſſe in Vrbe introductam, aut legem Principis de pretio diminuendo eſſe editam, & adhuc non promulgatam,num licitè poſſit merces ſuas pretio currenti vendere? 26. n.18.
Vendens mobilia, quæ domi conſeruat, & ſciens ciuitatem ab hoſtibus diripiendam, an peccet contra iuſtitiam . 27. n. 21.
Venditio ſupra pretium rigoroſum, ſi dimidium non excedat, ſuſtinetur in foro iudiciali.37.n.1.
In foro tamen conſcientiæ reprobatur.40.n.17.
Venditio officiorum ſæcularium pretio immoderato,eſt cauſſa remota damnorum, quæ ab emẽte, vt ſibi exceſſum pretij compenſet, contra alios fiunt . 81. n. 12.
Vendens merces iniuſto pretio, ſi emens illas poſtea alteri vendat eodem iniuſto pretio, cauſſa damnificans non erit vna, & eadem, ſed diuerſa . 85. n. 21.
Venditiones iſtæ etiam ſeorſim ſpectatæ ſunt cõpletæ, & connexionem intrinſecè non habent. ibidem .
Venditio facta immediato emptori, ſi ex ſe traheret aliam ſecundam venditionem iniuſtam factam alteri ab eodem emptore, tunc primus venditor teneretur vltimo emptori exceſſum pretij reſtituere . ibidem .
Venditio officiorum ſæcularium, vt licitè fiat quas requirat conditiones . 94. n. 5.
Venditio horum officiorum eſt in praxi valdè periculoſa ad iniuſtitiam committendam . n.6.
In iure eſt exoſa . n. 7.
Abſque licentia Regis probabile eſt eſſe contra iuſtitiam commutatiuam . 95. n. 10.
Probabilius oppoſitum . n. 11.
Vendens officia iſta perſonæ indignæ, quæ ob ſuã indignitatem officio vendito priuetur, non tenetur pretium ipſi ementi reſtituere ſecluſo dolo, fraude ex parte vendentis, vel ignorantia inuincibili ex parte ementis . 97. n. 18.
Venditorem horum officiorum poſt venditionem etiam re non integra, probabilius eſt, teneri contractum reſcindere ex obedientia, & pretiũ emptori reſtituere . ibidem .

Verba.

Verba in teſtamento poſita naturaliter, & non ciuiliter ſunt intelligenda . 141. n. 6.
Verbum, non poteſt, interdum ſignificat moralẽ, & non phyſicam impotentiam . 230. n. 3.

Vicarius.

Vicarius Generalis poteſt abſoluere à caſibus, & cenſuris ſuo Epiſcopo reſeruatis, ſi ſit ſacerdos, ſi vero non ſit ſacerdos poterit hanc facultatem delegare . 313. n. 2.

Vicegerens.

Vicegerentes Regulares in ſede vacante vt Viceprouinciales, Vicepræpoſiti, Vicerectores, Viceguardiani, & ſimiles facultatem habent abſoluẽdi ſibi ſubditos ab omnibus illis caſibus reſeruatis, à quibus poterant Prouinciales, Præpoſiti, &c. 319. n. 2.
Vicegerentes iſti, an poſſint abſoluere à prædictis quando ſedes non vacat, nempe quando proprius Prælatus abeſt, ſunt ſpectanda propria iura particularium Religionum. 320. n. 3.

Vinum.

Vinum non conſecratum miſtum conſecrato non conuertitur in ſanguinem Domini, & quare . 489.

Viſitatio.

Viſitatio quinque altarium, an fieri poſſit è foribus Eccleſiæ ad indulgentiam conſequendam . 249.n.4.
Viſitatio Eccleſiæ è ſacriſtia quando ſatis eſt ad onus viſitandi adimplendum . 250. n. 5.
Viſitatio Eccleſiarum tempore nocturno in foribus Eccleſiæ facta, num ſit ſatis ad lucrandum iubileum . n. 6.
Viſitatio altarium, num fieri poſſit ex vno loco fixo . ibidem . n. 10.
Viſitatio præſcripta in iubileis, aut ſimilibus debet eſſe pia, & honeſta . 251. n. 13.
Viſitatio, quæ fit cum peccato quando ſufficiens eſt ad ſatisfaciendum oneri iniuncto . ibidem .

Vitium.

Vitium in ſubſtantia rei, de qua petitur diſpenſatio irritat reſcriptum, at vitium in cauſa, quæ exprimitur ad diſpenſandum non ſemper irritat. 233. n. 9.

Voluntas vltima.

Voluntates vltimæ, nulla exiſtente cauſſa rationabili, neque à Summo Pontifice, licitè ſaltẽ mutari poſſunt. 128. n. 4.
Voluntas vltima à nemine præter quam à Pontifice commutatur, ſed quibuſdam caſibus exceptis commutari poteſt . ibidem . n.7.
Declarantur aliqui caſus . 129. n. 8. 9. 10. 11.
Voluntas vltima etiam in melius, nulla alia concurrente cauſſa cõmutari non poteſt.130.n.12.

Votum. Vouens.

Votum dubium de eleemoſyna facienda, ſi ipſe dubitans eam ſoluat, non poterit eam repetere. 55.n.13.
Vouens non amittit dominium rei, quam Deo vouit . 58.n. 3.
Vouens caſtitatem transfert validè dominium ſui corporis matrimonium contrahens, quamuis id illicitè faciat . ibidem .
Vota reſeruata Pontifici non veniunt ſub generali facultate commutandi . 282. n. 4.
Secùs ſi conceſſio ſit de reſeruatis, vt ſic . 283.n 5.
Votum religionis non poteſt commutari per facultatem commutandi votum etiam caſtitatis.n.6.
Votum caſtitatis, & religionis comprehenduntur in facultate conceſſa de omnibus reſeruatis, excepto tamen voto triplicis illius peregrinationis, quæ Pontifici reſeruatur . n. 7.
Votum vi iubilei poteſt in minus bonum commutari . n. 8.
Requiritur tamen aliqualis cauſſa præter intentionem exequendi opera iniuncta in ipſo iubileo . Aliqui vero non requirunt aliam cauſſam . n. 9.
Vt tamen commutetur in æquale bonum nulla alia poſtulatur cauſſa . n. 10.
Vota reſeruata, ſi commutata non fuerint tempore iubilei, eo tranſacto,poterunt commutari, ſi vouens iubileum lucratus fuerit . 284.n.14.
Secùs de facultate conceſſa per bullam cruciatæ,& vn-

Digitized by Google

vnde oriatur diſcrimen. 285. n. 15.
Vota commutata vi iubilei non redeunt, etiam ſi vouens poſt commutationem non prætiterit opera iniuncta, & iubileũ non obtinuerit. n. 16.
An omittere opera iniuncta in tali caſu ſit graue peccatum. n. 17.
Vota poſſunt commutari toties quoties ante obtentum iubileum. 286. n. 18.
Vota reſeruata tranſacto iubileo ſi nõ fuerunt cõmutata, poſſunt commutari, etiam ſi vouens tempore iubilei non fuerit confeſſus, quia carebat mortali culpa, ſi tamen iubileum acquiſierit. n. 19.
Vota vi iubilei poſſunt etiam extra confeſſionem commutari. n. 20.
Et etiam ab alio confeſſario. n. 21.
Votum perfectæ caſtitatis habens ſi matrimoniũ contrahat, nequit vi iubilei de tali voto commutationem habere, etiam in ordine ad petendum debitum. ibidem. n. 24.
Voti huius commutationem ad debitum petendũ obtinuit Epiſcopus vi conſuetudinis. 286. n. 23.
Voti huius reſeruatio non eſt ablata ex eo quod Epiſcopus, aut Religioſi vi priuilegiorum poſſunt diſpenſare ad petendum debitum. ibidem. n. 25.
Votum hoc neque quoad ſui partem continetur ſub facultate commutandi, quæ datur per iubileum. 287. n. 26.
Votum omnimodæ caſtitatis emiſſum poſt contractum matrimonium, ſi habeat annexam obligationem reddendi debitum alteri coniugi, non eſt reſeruatum. ibidem. n. 28.
Si emittatur abſque licentia alterius coniugis non erit reſeruatum. 288. n. 30.
Votum perfectæ caſtitatis emiſſum cum reciproca conuentione inter ipſos coniuges, & cum iuris ceſſione ad debitum petendum, erit Pontifici reſeruatum. n. 31.
Iuris ceſſio illa ſi remittatur, remiſſio erit ſacrilega. ibidem.
Ceſſio huius iuris implicitè continetur in voto reciproco omnimodæ caſtitatis, ex conuentione emiſſo. 290. n. 33.
Votum diſiunctiuum ſi habeat vtramque partem reſeruatam, erit totum reſeruatum. ibidem. n. 36. 37.
Votum illud dicitur aliquo modo imperfectum quatenus eſt indeterminatum quoad vnam, vel alteram materiam, non autem quoad reſeruationem, vel negationem reſeruationis. 291. nu. 38.

Vſurarius.

Vſurarius paratus quo pacto intelligi debeat. 449. n. 4.

Vtilitas.

Vtilitas in fauorem alterius, qui eſt ex aliqua cõmunitate bifariam contingit. 138. n. 6.

Vxor.

Vxor non poteſt, per ſe loquendo, ſe alere ex bonis à marito acquiſitis per iniuriam, ſi extant in propria ſpecie, & ſunt ſub alterius dominio. 103. n. 2.
Per accidens autem, ſi vrgeat neceſſitas poteſt quantum poſtulat neceſſitas, & cum intentione reſarciendi conſumptum vero domino, quãdo ipſa vxor deuenerit ad pingiorem fortunã. n. 3.
Vxor ad nullam reſtitutionem tenetur ſi bona, quæ conſumit ſint ſub dominio mariti. 104. nu. 4.

FINIS.

Digitized by Google

Pagina	Num.	Col.	Lin.	Errata	Corrige
3	8	2	15	conuentioues	conuentiones
8	7	2	11	tenextur	tenetur
9	10	2	31	Vlpino	Vlpiano
10	1	2	24	ſcientias	ſententias
13	Sum. 2	2		contraſtum	contractum
15	5	1	37	quibuſdania	quibuſdam
18	5	2	5	vendidot	venditor
19	12	2	5	ineumdum	ineundum
21	16	1	11	extactione	extractione
28	25	1	2	communitet	communiter
38	6	2	6	acquirit	requirit
38	6	2	23	pretium	pretium
58	8	2	1	vtriuſqua	vtriuſque
41	21	2	44	permttitur	permittitur
42	29	2	7	inuolucus	inuoluens
68	2	2	2	ſupponure	ſupponere
68	2	2	3. 5.	eſſe eſſe	eſſe
77	Sum. 21	1		diluitar	diluitur
88	12	2	7	peritulo	periculo
96	16	2	vlt.	iupoonendo	ſupponendo
97	16	1	17	ſenteutiæ	ſententiæ
99	Sum. 11	1		opino	opinio
123	8	2	48	quaia	quia
124	9	1	11	applicaudos	applicandos
125	10	2	26	retionabiliter	rationabiliter
126	13	2	25	Pontifex	Pontifex
130	15	2	26	contrariæ	contrariæ
133	13	2	1	manns	mens
133	13	2	6	aquiſierat	acquisierat
187	3	2	5	mio cres	mediocres
187	3	2	28	Epiſoopos	Epiſcopos
192	9	2	12	accomodationem	accomodationem
201	7	1	6	iutuitu	intuitu
482	3	2	11	sit,	sit
490	1	1	1	eſſerit	aſſerit
503	42	2	6	rationis	rationis

Digitized by Google

Digitized by Google